R. P.

GREGORII DAINEFF

ORDINIS FRATRVM EREMITARVM S. AVGVSTINI,

AC SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS

Opus eruditissimum,

DE TRIPLICI MVNDO,

DIVINO, ANGELICO, ET HVMANO.

Cum triplici Indice, Capitum, Locorum S. Scripturæ explicatorum, ac Rerum notatu dignarum.

LEODII,

Apud LEONARDVM STREEL, Typographum:

Sub Signo Paradisi Terrestris.

M. DC. XXXIX.

Superiorum permissu.

ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. EDMVNDO IOVVENT,

MONASTERII B. MARIÆ DE ALNA CISTERCIENSIS ORDINIS ABBATI,

NECNON PER PATRIAM LEODIENSEM EIVSDEM ORDINIS

VICARIO GENERALI VIGILANTISSIMO.

NON minori prudentiæ gloriâ (PRÆSVL admodum REVERENDE) quàm stupendo scientiæ diuinæ splendore illustris Israëlitarum Rex Salomon commemoratis aliquot Dei attributis, hæc paucula subiungit: *Nosse enim te* (inquit) *consummata iustitia est; & scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis*; quibus verbis non obscurè innuit in eo sitam vitæ præsentis perfectionem, quod quis per fidem formatam, sapientiæque donum Deum agnoscat: quod si ita est, superuacanea sanè videtur eorum hominum philosophandi ratio, qui, quæ sunt optimæ disciplinæ despicientes, in procudenda tantùm lingua, in orationis concinnitate, ac in vanitatibus perquirendis studium ponunt; ideoque Diuus Parens noster Augustinus Ecclesiæ Romanæ lumen de astrorum cognitione loquens: *Nunquid* (ait) *Domine Deus veritatis, quisquis nouit ista, ipse placet tibi? infelix enim homo, qui scit illa omnia, te autem nescit: beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat.* Qui enim reuelatâ veluti facie gloriam tantæ Maiestatis speculatur, *in eamdem imaginem* (vt Apostoli verbis vtar) *transformatur à claritate in claritatem;*

Sap. 15.

Lib. 5. confess. c. 4.

2. ad Cor. 3.

tatem; & sicut qui in increato lumine viderit lumen, protinus inebriatur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis illius potatur: ita suo modo, qui diuina considerat, velut ebrius alienatur à sensibus, vt omnium delectationum terrenarum obliuiscatur. Horum notitiam abundè nobis subministrat, Mundus hic superintelligibilis, ac Diuinus: etenim magnitudinem Dei, si exprimi posset, describit, diuinarum perfectionum simplicem multiplicitatem, & simplicitatem multiplicem aperit, supereminentis misericordiæ thesauros demõstrat, Diuinorumque nominum copiosam multitudinem aggregat: quæ omnia (cùm teste Apostolo, *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur*) in descriptione Mundi Angelici, & Humani ampliùs patuissent, nisi mors insidiosa Operis huius perfectionem inuidens præripuisset nobis, & è viuis sustulisset Authorem: sed quoniam ita placuit Mundi huius spectabilis Conditori, & Moderatori, vt Liber iste velut quidam posthumus in lucem prodiret; quò tandem, vel cuius in sinum confugeret (PRÆSVL admodum REVERENDE) nisi in tuum, cuius protectione ab iniuria temporum tutus, & illæsus cresceret, atque euaderet? in tuum sanè tanquam tutissimum sponte, lubensque currit, qui pro tua tum à naturâ indita prudentia, tum varia magnarum rerum experientia, plurimùm apud omnes vales, & præuales authoritate, quâ se & foueri suauiter, & multùm promoueri posse confidit; Cuius enim patrocinium implorandum, quàm eius qui vt doctissimus, ita studijs promouẽdis semper fuit intentissimus? Pro Tuâ igitur solitâ humanitate in tuam clientelam admissum suscipe, vt tantâ beneuolentiæ tuæ magnitudine multi permoti, eumdem habere penes se, & eius consuetudine vti desiderent, quem tanti PRÆSVLIS fauore honoratum cognouerint, donec tandem maiorem, perfectioremque notitiam in æternâ illâ beatitudine (vbi erit plena Dei cognitio) feliciter consequantur.

Ad Rom. 1.

FACVLTAS REVERENDISSIMI Patris Generalis.

MAGISTER FRATER HIERONYMVS ROMANVS Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis licet Ind. Venerabili Patri Fratri GREGORIO DAINEFF Leod. eiusdem Ordinis ac Voti S.

C*Vm prout accepimus, præclarâ eruditione Opus titulo* Mundus Triplex, *nempe* Diuinus, Angelicus, & Humanus, *iuxta Sanctorum Patrum doctrinam elucubraueris, illudq́ ab eruditissimis Viris plurimùm commendetur, vt ex eo prostantem fructum capiant omnes, tenore præsentium, & nostri muneris auctoritate, seruato DD. Superiorum beneplacito, imprimendi licentiam concedimus. In quorum fidem, Datum Romæ die 9. Martij,* 1628.

Nostri officij affixo sigillo.

F. HIERONYMVS ROMANVS *Generalis Ind.*

APPROBATIO.

INfrascriptus legi *Mundum Triplicem, Diuinum, Angelicum, & Humanum,* in tres libros distributum, & iuxta orthodoxorum Patrum fidem, & sententiam concinnatum, Auctore Reuerendo Patre GREGORIO DAINEFF Sacræ Theologiæ Doctore, nihilque in eo reperi neque contra fidem, neque bonos mores, sed omnia variâ, mirâque doctrinâ, diligentissimâque lucubratione, plenissima, quare iudico posse, & deberi pro legentium etiam doctissimorum Virorum fructu, & instructione prælo committi, ac in lucem prodire. Datum Hùi hac sextâ Septembris 1634.

F. CAROLVS VERON *Sacræ Theologiæ Doctor, necnon Patrum Eremitarum Sancti Augustini in Prouinciâ Belgicâ Diffinitor Primarius.*

OPus hoc Reuerendi Patris GREGORII DAINEFF *Sacræ Theologiæ Doctoris, cui titulus*, De Triplici Mundo, Diuino, Angelico, & Humano, *quâ potui diligentiâ legi, in quo nihil inueni quod Catholicæ fidei & bonis moribus repugnet, imò variam doctrinam reperi, quæ & vnanimi Sanctorum Patrum consensui est conformis, & cuiuis hominum generi ad efformandos bonos mores maximè conducit. Actum Leodij* 16. *Nouembris* 1638.

F. LAMBERTVS DE TRIXHE Augustinianus,
S. Theologiæ Licentiatus.

APPROBATIO.

VIsis Approbationibus præscriptis dedi facultatem Leonardo Streel Typographo Leodiensi, excudendi librum Reuerendi in Christo Patris GREGORII DAINEFF, cui titulus, *De Triplici Mundo, Diuino, Angelico, & Humano*, quod testor hac 20. Decembris 1638.

IO. A CHOKIER, *Vicarius Generalis Leodien.*

MVNDI TRIPLICIS, DIVINI, ANGELICI, ET HVMANI LIBER VNVS.

CAPVT I.

Diuina non esse humano sensu metienda.

1\. *Strab. l. 15. Valer. Max. lib. 1. cap. 8. Aelian. l. 5. de var. hist. Cic. de diuinat. lib. 1.*

Sapientia vana & tumida Sophorum interitum parit.

QVòd Calanus Gymnosophista, apud Plutarchum in Alexandro, * pallio, ex Sophistarum more circumuolutus, suopte arbitrio in ardentem rogum periturus insilierit; argumento mihi est, Sapientum huius mundi sapientiam, non vitæ & immortalitatis; sed interitus, & obliuionis esse genitricem: vtpote quæ humanarum rationum adquisita figmentis, atque vulgi volubilis applausu roborata, nudâ veritate animum informare, atque firmare non valeat. Quemadmodum enim (vti Pythagoras inquit) medicinæ nullus est vsus, nisi morbos à corporibus exterminet; ita neque philosophiæ, nisi animæ vitia expellat. Hinc autem, in philosophantium istorum scholis, sermones telis aranearum similes, vt qui subtiles sint admodum, sed inutiles: hinc opinionum temerè occursantium fluctus; hinc fluctuantium animorum æstus; & vltrò citroque cogitata de diuinis impietas; quando nimirum ipsi, illa mentis suæ sinu sese complecti arbitrantur; quæ ne summis quidem (quod aiunt) labris attigêre; vt propterea in auijs cogitationum suarum deuij, mendacij errore, sub veritatis pallio, blandiente, papilionis instar, in lucidam facis alicuius flammam inuolantis, intereant. Nec immeritò, Dominus enim *perdet omnes qui loquuntur mendacium*, sicut cecinit Psaltes regius psal. 5. *Nec abs re*, inquit Laurentius Iustinianus lib. de vitâ solitariâ cap. 4. *quantum enim in ipsis est, immortalem & æternam veritatem, quæ Deus est, destruere moliuntur: hoc verò dum agunt, illam in nullo lædunt, illi nequaquam detrimentum inferunt, sed perimunt se, quemadmodum in sapientiæ volumine continetur, Os quod mentitur occidit animam*; neque solùm ipsius mentientis animam, siquidem grauiter mentitum sit, verùm etiam alterius, quem prauitatis suæ opinione imbutum, suo exemplo, à veritate auerterit: nam si odit Deus operantes iniquitatem; quod grauius est, perdit loquentes mendacium: peius siquidem est, vti adnotauit Origenes, loqui mendacium, quàm operari iniquitatem.

Psal. 5.

Mendaces intereunt.

2\. Curiositas diuinorum periculosa.

Ita cum sæcularibus Philosophis actum est, qui cùm magnum quiddam spirarent, parum autem valerent, veluti perquàm anhelosus ex ascensu senex, vti à Democrate Atheniensibus obiectum est; temerè in summa illa & incomprehensibilia Dei inuolantes, quas intenderant, & nidulo suo altiùs extenderant ingenij alas, fulgore ipsius diuinitatis solutas, miserando præcipitio, terminârunt; atque in impietatis abyssum prolapsi, Sanctum Israël, sceleratis vocibus obscurârunt, vt loquitur Sanctus Dei Prophetes Isaias cap. 1. *Dereliquerunt Dominum, blasphemauerũt Sanctũ Israël, & alienati sunt retrorsum.*

Isaiæ 1.

Quem locum, quanquam Procopius de Christo Domino intellectum velit, quem aversantes Iudæi, in suam ipsorum perniciem, blasphemo ore insectati sunt; & cum Procopio Cyrillus in illa D. Ioannis verba cap. 1. *Quotquot autem receperunt eum*: necnon etiam Tertullianus lib. 3. contra Marcionem; vbi, quum arbitretur Dominum semper in Prophetis locutum, dicit, hic maledicta in Iudæos increpari, quibus Christũ onerârunt: malum insuper, quod inde incurrebant, significari: nihilominus, audemus etiam de mundi sapientibus, peregrina & blasphema de Deo delirantibus, dictum interpretari; qui cùm sint sermone diuites, fidei inopes, virtutis extorres, vti inquit D. Ambrosius in Psal. 36. propterea à Tertulliano, D. Hieronymo, alijsque Patribus, Hæreticorũ Patriarchæ appellari meruerunt. Cùm enim neque ratio vlla, neque scientia, neque lex bene viuendi, nisi in vnicâ, verâ, & cælesti sapientiâ constituta sit (quod ignorârunt) ad ostentationem quidem, & animos illaqueandos, multa, ludentibus aleâ persimiles, vti de Dialecticis dicebat Arcesilaus Philosophus, vt qui non sine delectatione decipiuntur, & decipiunt; ad veram autem sapientiam; quæ vna, simplexque est, atque ad vitam rectè instituendam, cuius finem, aut ignorârunt, aut, vt dicit D. Augustinus lib. 7. Confessionum cap. 21. tantùm à longè viderunt; nihil contribuerunt. Hinc D. Hieronymus epistola ad Damasum, *Dæmonum*, inquit, *cibus sunt, carmina Poëtarum, sæcularis sapiẽtia, & Rhetoricorum pompa verborum; hæc suâ omnes suauitate delectantur; & dum aures, versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animum quoque penetrant, & pectoris interna deuinciunt. Verùm vbi cum summo studio fuerunt ac labore perlecta, nihil aliud nisi inanem sonum, & sermonum strepitum suis lectoribus tribuunt, nulla ibi saturitas veritatis, nulla effectio iustitiæ reperitur: Studiosi earum, in fame veri, & virtutum penuria, perseuerant.* Cùm enim eorũ quæ Philosophi scrutantur, quædam ad nos pertinere, dixerit Ariston, alia nihil, alia supra nos esse: nam disciplinam morum ad nos spectare: Dialectica nihil nos attinere, quum emẽdationi vitæ nihil conferant: Physica verò, supra nos esse, cognosci enim non posse, & nihil vtilitatis adferre. In his intempestiuè philosophati sunt, nugas egerunt; in moribus autem formandis, deliquerunt. Hinc Lactantius lib. 3. de falsâ sapientiâ cap. 15. Philosophos, ait, de virtutibus disputare, eas tamen vitâ & moribus impugnare, eorumque libros, mendacijs, & erroribus ad fallendum lectorem compositis, refertos esse, quamuis virtutum titulos præferãt, *quos proinde non aliter intueri decet*, inquit, *quàm medicos, quorum tituli remedia habẽt, pyxides venena.* Eapropter Dominus psal. 80. *Dimisit illos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Illos permisit ingredi vias suas, suis moribus viuere: neque tamen eos ita deseruit clementissimus humanæ naturæ sator, quin expansas semper & apertas

Philosophi veteres, Hæreticorum Patriarchæ.

Tertull. lib. aduersus Hermogen.

Sapientia humana, dæmonum cibus.

Psal. 80.

A manus

manus habuerit, ad salutis & veritatis præsidia & beneficia, nisi restitissent, nisi obicem posuissent, elargienda; quem quia posuerunt, sub obtentu sapientiæ suæ vitia celantes, idcirco proprius illos, error pessundedit: namque tu, ô Domine! *perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et quid mirum si perdas, cùm ipsi se priùs perdiderint; atque in ipso adinuentionum suarum typho, dementes perierint; tum verò præcipuè, quum humanæ cogitationis rationibus, diuina, quæ metuere, atque revereri debuissent, inuadere præsumpserunt? *In quo illos, non excordes tàntùm fuisse arbitror;* inquit Lactant. lib. 3 cap. 19. *sed etiam impios; quod in secreta cælestis illius prouidentiæ, curiosos oculos voluerint immittere:* addit porrò. *Romæ, & in plerisque Vrbibus, scimus esse quædam sacra, quæ aspici à viris nefas habeatur. Abstinent igitur aspectu, quibus contaminare illa non licet: & si fortè vel errore, vel casu quispiam vir aspexerit, primò pœnâ eius, deinde instauratione sacrificij scelus expiatur. Quid his facias qui inconcessa scrutari volunt? nimirum multò sceleratiores, qui arcana mundi & hoc cæleste templum profanare impijs disputationibus quærunt, quàm qui ædem Vestæ, aut Bonæ deæ, aut Cereris intrauerit.*

3. Summæ namque dementiæ, atque intolerabilis arrogantiæ est, velle vim diuinam suâ opinione metiri, illiusque effectus mirabiles, qui in rationem creatâ cadere nullatenus possunt, propriæ phantasiæ alueolo cogere, certioribus verò fidei oculis nihil tribuere. Ex cuius impietatis notatione Poëtæ commenti sunt, malorũ omnium seriem terris inhorruisse: scilicet; ex quo Gigantes terræ filij, Iouem throno suo deturbare moliti sunt; ex quo Prometheus sacrũ ignem è Solis rota, sacrilego detractũ conatu, luto infudit, ab Epimetheo fratre in humanos vultus efformato; ex quo Pandora per summã imprudentiam, reserauit vrnam, quam ab irato Ioue (vti est in fabulis) in certam hominum perniciem acceperat. Siquidem inde malorũ vniuersitas sese in orbem effudit vniuersum: vnica verò spes mortalium, ægrè summis vrnæ coërcita labris, tandem resedit, id quod ita cecinit Hesiodus Poëtarum antiquissimus:

Curiositatis damna.

ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα,
ἐσκέδασ', ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά,
μούνη δ' αὐτόθι ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν,
ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε
ἐξέπτη.

Sed mulier manibus, vasis magnum operculum dimouens,
Dispersit, hominibus autem machinata est curas graues.
Sola verò illic spes infractâ in pyxide,
Intus mansit dolij, sub labris, neque foris
Euolauit.

Quod metricè ab alijs sic redditum legimus:

Sed tegmen ab vrnâ
Dum Pandora leuat, totum exilijere per orbem
Curarum infestæ effigies. Spes sola remansit
Intus, & è labris imâ sub parte resedit.

Curiosi puniti.

Sed dedere etiam illi curiosi diuinorum indagatores, temeritatis suæ pœnas: Gigãtes namque vibrato cælitus fulmine percussos interisse; Promethei viscera, perpetuo recremento à vulture dilaniari; Epimetheum in Simiam humana imitantem transformatum, itidem fabulantur: vt quisque nouerit, discatque tanquã è tabellâ, oculos nequaquam temerè in diuina esse conuertendos, nisi aut cum Actæone, à proprijs canibus, hoc est, à tuis ipsis sensibus, velis deuorari; aut cum Thalete & Anaximene astra iusto intentiùs contemplantibus, in præcipitium retorqueri, quomodo alta contemplantem, cadere, depinxit Alciatus emblemate 104.

Dum tardos vifo, pedicâ dum fallit alaudas;
Et iacta altitonam figit arundo gruem.
Dipsada, non prudens auceps, pede perculit: vltrix
Illa mali, emissum virus ab ore iacit.
Sic obit, extento qui sidera respicit arcu,
Securus fati, quod iacet ante pedes.

Fit namque, vt dum altissimarum rerum curiosi videri volumus, odibiles simus Deo, quemadmodum cuidam interroganti, quales essent Dij, ab Euclide redditum accepimus, *Cætera quidem ignoro, at curiosos, illis odio esse, certò scio.*

4. Quapropter ambientibus aliqua de diuinis, & inscrutabilibus Dei speculari, quod non temerarium, sed sanctum, & homine Christiano dignum, si studio pietatis cum humilitate coniuncto, pro virili quidpiam audeatur, videri debet; id agendum quod pelagi peritus Celeustes, qui tempestatem præsentiens, non alto se committit, sed littus legit: aut quod is qui igne vult calefieri, vti inquit Hesychius lib. 2. in Leuiticum cap. 6. cui ad illum accessisse satis, ne, si manum rogo immiserit, pro eo quod calefieri potuerat, comburatur. Standũ etiam illi quòd monet Clemens Alexandrinus, lib. 5. Stromatum, *De Deo semper est loquendum ænigmaticè.* Limitata namque intellectus humani virtus, si faciè ad faciem in obiectum infinitum contendere voluerit, vnde homo scictiam erat accepturus, inde referet ignorãtiam, id quod à D. Anselmo obseruatum lib. de Incarnat. cap. 2. vbi carpens eos, qui antequam per fidei soliditatem alas spirituales habeant, in altissimas de Fide quęstiones assurgere præsumunt, ait, *Vnde fit, vt dum ad illa quæ prius Fidei scalam exigunt, sicut scriptum est, nisi credideritis, non intelligetis, præposterè prius per intellectum conantur ascendere, in multimodos errores per intellectus defectum cogantur descendere. Palam namque est, quia illi Fidei non habent firmitatem, qui quoniam quod credunt intelligere non possunt, disputant contra eiusdem Fidei à Sanctis Patribus confirmatam veritatem, velut si vespertiliones & noctuæ, nonnisi in nocte cælum videntes, de meridianis Solis radijs, disceptent contra aquilas, Solem ipsum irreuerberato visu intuentes.* Quemadmodum enim non meliùs videre, sed occœcari cõtingit illos, qui inconniuentibus oculis, lucidã Solis rotam intuentur, ita qui temerè in condensa œconomiæ diuinæ sese mergunt, dum videre volunt quod non possunt, etiam in eo quod videre poterant, cœcutiunt; id quod eleganter & copiosè prosequitur D. Hilarius lib. 10. de Trinitate. *Excedit humanam mentem Dei potestas,* inquit, *ad quam si se infirmitas protendat, magis infirma reddetur,* & post pauca, *Est in Deo quod percipi potest, est planè, si modò quod potes, velis. Sicut enim in Sole est quod videas, si hoc velis videre quod possis, amittas autem quod potes videre, dum quod non potes, niteris: ita & in rebus Dei, habes quod intelligas, si intelligere quod potes velis. Cæterùm, si vltra quàm potes, speres, id quoque quod potuisti posse, non poteris.* Hinc autem rectè monet D. Ambros. lib. 1. de vocatio. gentium. cap. 7. *Quæ Deus occulta esse voluit, nõ sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inueniamur ingrati.* Est itaque in hoc studio perquàm necessarium, Icarijs alis supra quàm fas sit, non efferri; doctrina namque cælestis, nõ illos quærit, qui inflatis animis, in solium Altissimi sese intrudere gestiunt, sed modestos, & humiles, sicut Dominus ipse testatur Matthæi cap. 11. *Pauperes euangelizantur;* Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, pauperibus euangelizare misit me.* Et Isaiæ 61. *Annunciare mansuetis misit me, vt mederer contritos corde:* nisi enim pietas, & pax quædam mentis accedat, vti inquit S. August. de vtilitate credẽdi cap.

Diuina vt adeunda sint.

Humilitas in scrutãdis diuinis necessaria.

Matth. 11. Luc. 4. Isa. 61.

cap. 18. de Fide nihil intelligi potest: quare quemadmodum vas demittitur in puteum, & incuruatur vt aquam hauriat, sic demittendus est humanus animus, & sub Fidei ductu curuãdus, vt cælestis disciplinæ accipiendæ sit capax: submittendus oculus ille sinister rationis, qui de naturalibus solùm iudicare potest, ne conchæ suæ egressus latibulum, in dextri oculi officium, cui, D. Bonauentura, in Dietâ salutis cap. 16. fidem comparauit; non in naturalibus modò, verùm-etiam in supernaturalibus perspicacem sese, nihil viturus, intromittat.

4. Diuina vt [illegible] sunt.

Quâ enim ratione animalia, quibus exstãt oculi, obiecta procul posita, videre nequeunt, teste Philosopho, quæ verò conchis suis profundius implicitos habent, longè contueri valent, atque dignoscere: ita qui in superintelligibilium inuestigatione, curioso rationis humanæ prominent intuitu, nihil vident: quantò enim homo accedit ad cor altum, tantò exaltatur Deus, psal. 63. qui propterea diuinorum iudiciorum curiosos, ne eius, quod iam ex Numinis benignitate adepti sunt, iacturam faciant, adhortatur Cant. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Qui verò non prostantes mentis oculos, sed in recessu cauo & humili, captiuãte intellectum in obsequium Fidei, reconditos habent, vident acutiùs; quia hic creditur, quod non intelligitur, quod est perspicacissimis, arcanaque penetrantibus Fidei oculis, in diuina certissimè, securissimeque intendere, à quibus arcentur, quicunque prauâ proprij cerebelli suffusione euanescunt.

Curiositatis damna.

Psal. 63.

5. Diuina non capit sensus humanus.

Eapropter Dominus in prærupti mõtis vertice, cum Moise acturus familiariter. *Postquam altos ventum in montes, atque inuia lustra,* pecora, vulgusque omne istinc amoliri iussit, ne montem contingerent, quia nimirum, irrationales animi, *Incertæ mentis leuitas, & mobile pectus,* Dei montes, hoc est, diuina mysteria contingere prohibentur, ne suis illa rationibus adaptantes, à mente & ratione excidãt prorsus, atque cum loquentibus mendacium, dispereanr. Nam si oculorum aciem in Moisis faciem ex Dei sermone splendefactam, stringere non valuerint Isacidæ, velarique proinde eum oportuerit, quò sic, & eorum oculos teneret; &, quanquam ab ijs non videretur, crederetur tamen is ipse fari sub velamine, qui Prudentio,

Moses tremendi fidus interpres throni:

quantò magis illa ipsa diuina fulgent, egẽtque velamento, vt citra periculum percipiantur, & credantur. Apposite D. Chrysost. hom. 2. in cap. 2. epist. ad Hebræos, vbi dixit, linguam imparem esse diuinis mysterijs explicandis, & intellectum comprehendendis, addit, *Si enim pax Dei transcendit omnem mentem, & ea, quæ præparata sunt diligentibus eum, in cor hominis non ascendunt: multò ampliùs ipse, qui pacis Deus est, qui omnium opifex rerum, inæstimabiliter nostras cogitationes exsuperat.* Velo itaque, oculis humanæ rationis, opus est, vt, veluti quispiam, eminus quiddam pleniùs prospecturus, manum prætendit oculis, ita illi sub obtentu velaminis, introrsum quasi in conchâ suâ impensiùs reconditi, certiùs, securiùsve in arcanum diuinitatis dirigantur. Velum hoc, Fides est, vltra quod, digitum non extendo, sed summa illa, & quæ extra humanæ rationis iactum protenduntur, tanquam è cortinâ, sanctissima, certissimaque habeo, cùm veriùs, certiusque mihi, quàm Poëtæ, dicere liceat,

Humilitas in scrutãdis diuinis necessaria.

Diuina, fide videntur.

Matth. 11. Luc. 4. Isa. 61.

——— *neque me Phœbi cortina fefellit*

Fidei, inquam, cortina, quæ firma semper ac stabilis ad veritatem via: quam licet irrideret Iulianus, improperaretque Christianis, eos credere tantùm, nullius autem rei scientiam aut cognitionem habere, apud D. Gregorium Nazian. orat. 1. in Iulianum, totidem verbis, *Nostri sunt sermones, inquit, & nostrum Græcari, vtpote quorum etiam sit Deos venerari. Vestra autem est infantia & rusticitas, nec quidquam aliud quàm,* CREDE, *sapientia vestra est.* Ea tamen multis de caussis est necessaria; primùm quidem, ad purgationem, ita D. August. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 2. *Quia ipsa mens, inquit, cui ratio & intelligentia naturaliter inest, vitijs quibusdam tenebrosis, & veteribus inualida est, non solùm ad inhærendum fruendo, verùm-etiam ad perferendum merendo incommutabile lumen, donec de die in diem renouata, atque sanata, fiat tantæ felicitatis capax; Fide primùm fuerat imbuenda, atque purganda. In quâ, vt fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus, Dei Filius, homine assumpto, non Deo consumpto, eandem constituit, atque fundauit Fidem, vt ad Deum, homini iter esset homini, per hominem Deum.* Et lib. 4. de Trinitate cap. 18. *Nunc ergo adhibemus fidem rebus gestis propter nos, & per ipsam mundamur, vt cùm ad speciem venerimus, quemadmodum succedit Fidei veritas, ita immortalitati succedat æternitas.* Illa est, quæ nobis spem facit immortalitatis; credimus enim Christum Dei filium resurrexisse, atque cælorum sublimia ascensu suo penetrasse; credimus & afflatis Numine sanctis Dei hominibus idipsum contestantibus, indeque spem immortalis vitæ concipimus, quam fides promittit, dicente D. August. lib. 13. de Trinitate c. 9. *Fides autem ista totum hominem immortalem futurũ, qui vtique cõstat ex animâ & corpore, & ob hoc spe beatam, non argumentatione humanâ, sed diuinâ auctoritate promittit.* Quare, si illud, IPSE DIXIT, Pythagoræis, ad quæstionum omnium probationem, sufficiebat, multò magis hoc, CREDE, nobis satis esse debet, vti est apud D. Nazianz. qui addit, *Hoc sermone id intelligimus: non licere ijs, quæ ab hominibus diuino numine afflatis dicta sunt, Fidẽ abrogare, veriùm pro sermonis & doctrinæ confirmatione, illorum auctoritatem esse, omni Logicâ facultate, atque contradictione validiorem.* Denique illa firmamentum est, in quo stabiliti, Deum securi apprehendimus, vnde 2. Paral. 20. dicitur, *Credite in Domino Deo vestro & securi eritis, Credite Prophetis eius, & cuncta vobis euenient prospera,* vbi vides quàm maximè sit necessarium præbere fidem verbis Domini, inquit Thaddæus noster Perusinus in 7. cap. Isaiæ, quandoquidem fides est manus & brachium, quo Deum apprehendimus; & ad nos ipsos trahimus, & in qua, & per quam firmi & stabiles efficimur, vnde Eccles. 2. dicitur contra incredulos & insipientes corde, *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, & ideò non protegentur ab eo.* Hæc ille. Est & ad pugnam spiritualem & salutem necessaria: ita D. Bonauentr. in Dieta salutis cap. 26. quemadmodum enim, amisso oculo dextro, miles ad pugnam manu conferendam est inidoneus, quia sinister oculus scuto obtegitur, ita qui fidem non habet, inutilis est ad pugnam spiritualem; quare quod Naas viris Iabes Galaad, dixit, *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros,* diabolum significat, conantem pro viribus, nobis fidem eripere, quam ad inimici tela retundenda semper paratam habere nos iubet Apostolus, ad Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum Fidei.* Velut enim scutum ad sinistram partem ponitur; ita Fides præcipuè armat contra aduersitatem. Ita Andreas Masius Commẽtarij in Iosue, capite 6. vbi, cùm ex Theologorũ sententiâ, omnem salutis nostræ caussam, in Deo vt effectore, constare doceat, interim fidem à nobis requiri dicit, quæ per charitatem operatur diuinæ voluntati consentanea, atque ad ductum cælestis gratiæ accommodata, quò

Fidei necessitas.

Fides spem facit immortalitatis.

Fide apprehenditur Deus. *2. Paralip. 20.*

Eccl. 2.

Fides ad pugnam spiritualem & salutem necessaria.

Fides est oculus dexter animæ. *Naas.*

Ephes. 6.

illam ipsius efficientiam suscipere, & quodammodo per liberi arbitrij electionem, adiuuare possimus.

Fides ad notitiam inuisibilium comparandam requiritur. Isa. 7.

Est insuper Fides, ad rerum inuisibilium notitiam comparandam necessaria, vnde Isa. 7. dicitur, *Si non credideritis, non intelligetis*, siue, vt alia versio habet, *nō permanebitis*, in quæ verba Thaddæus noster, Diuum Augustin. lib. 2. de Doctrinâ Christianâ, cap. 12. in hanc sententiam, explicare, commemorat, *Si non credideritis*, inquit, *non intelligetis, id est, non peruenietis ad notitiam rerum inuisibilium, quia Fides tāquam noster pædagogus & ductor, nos vtiparuulos, quibusdam cunabulis rerum temporalium, quasi lacte nutrit*, & quia ea ad quæ per fidem tendimus, sunt res permanentes, explicat, inquit Thaddæus, *nisi crediderimus*, id est, nisi habuerimus fidem, *non permanebimus*, id est, nō perueniemus ad speciem, quæ non transit, sed semper manet, id est, ad bona inuisibilia.

6. Fidei defectus errores parit.

Ex his, quanta sit nobis mortalitate indutis, & ad immortalia adspirātibus, fidei necessitas, satis perspicuum fit, quæ interea, de diuinâ substantiâ primùm acturus, præfari volui, in quâ adeundâ, atque pertractādâ, si sacrosanctè intemerateque vbique gētium habita, & obseruata fuissent, nōn eò vsque processisset perfida Hæreticorum mens, quibus, vti cecinit Prudentius,

Pectus sepultum scelere, & lucis obitum sue.

Non Atheorum bruta impietas, quæ vt Ouidij cantus huc transferam,

Contemptrix superum, sæuæque auidissima cædis.

Non, inquam, eò euasissent illi dementiæ, vt aut Deum illud tantùm esse, quod imaginarentur, cogitarent: aut eum, illa tantùm posse, quæ humanæ rationis mensum non excedant, opinarentur; aut vt vllam esse vim diuinam pernegarent, quoniam, quid ea sit, in constanti, quam videmus, rerum caducarum inconstantiâ, creata mens nequeat comprehendere.

Nunc ad totius nostræ actionis argumentū, quod equidem ex duabus sacrorū voluminum propositionibus, eruere mihi videor, quas vt summæ Theologiæ, totiusque Philosophiæ fundamenta subijcio.

PROPOSITIONES.

1. *In principio creauit Deus cælum & terram*: Genes. cap. 1.
2. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est*: Ioannis cap. 1.

CAPVT II.

Mundi variæ acceptiones referuntur.

1.

QVÆ sunt primiceriæ cùm veteris, tùm noui testamenti propositiones, tanquam bases, primogeniaque elementa totius substructionis, quam molimur: quæ, qualis ipsa futura sit, mox, vbi mundi significata, quantùm instituto nostro deseruiunt, attigero, fiet palam. De mundo namque triplici verba facturi, aptam mundorum diuisionem, è varijs mūdi acceptionibus, eruere nos oportet, priusquā prouehamur vlteriùs.

Mundi acceptiones quinque. Ioan. 1.

Mundum itaque quinque modis dici, inprimis obseruatum est ab Abulense, in cap. 4. Matth. quæst. 74. Aut enim pro rerum vniuersitate accipitur, vt quum Euangelistarum aquila, capite primo Euangelico, inquit, *& mundus per ipsum factus est.* id est, tota vniuersitas rerum. Quanquam non desint, qui hoc testimonio, sensibilē tantùm hanc creaturarum molem, significari contendant, quorum sententiam vt confirmet Salmeron, tractatu 23. in caput 1. Diui Ioannis; aduertit, articulum præponi *mundo*, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *& mundus per ipsum factus est*, vt terrenus hic, & corporeus, & nobis notus mūdus significetur; ad differentiam mundi Angelici, quem etiam fecit Deus, & in quo erat verbum, sed quem sensu non cognoscimus.

2. Mundi partes duæ.

Verùm quæ tanta vis illius articuli hoc loco, vt sensibilem determinet creaturam, excludat spiritualem? & quæ necessitas istud asserendi? An quia mentis intellectu, non sensu corporis Angelicos Spiritus attingimus, vniuersitatis factorum vocabulo non comprehēdentur? Aut cur non etiā tota hæc sensibilis machina, sequētibus Euangelistæ verbis designatur, vbi etiam præfigitur articulus, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω, *& mundus eum non cognouit*? Non diffiteor, mundum etiā in sacris paginis, sumi dumtaxat, pro cælesti, sensibilique mundo, vt loquitur Salmeron, interdum autem pro his quæ sub aspectum cadūt: verùm ista, non mūdos, sed mūdi partes, cum Procopio Gazæo in Leuiticū, fortasse meliùs appellaris; ait enim ille, Mundū vniuersum duabus constare partibus, visibili, inquā, & inuisibili mundo. Quare omnino dicendū est, quòd, cùm quater Diuus Euangelista, eo loco mūdum nominarit, primis quidem tribus locis, pro tota rerum creatarum vniuersitate accipi, hoc autem postremo, nō sic, sed pro hominibus terrena sapientibus, qui cùm Christū cognoscere debuissent, nō cognouerūt, quemadmodū ex D. Chrysost. Augustino, Beda, Theophylacto, & Euthymio, adnotauit Maldonatus in 1. cap. D. Ioānis.

3. Primarium mundi significatum.

Primario igitur mundi significato, non sola aspectabilis hæc rerū machina, de quâ Tertullian. lib. de velandis Virginib. cap. 4. *Mundum si dixeris, illic intelligitur & cælum, & quæ in eo, Sol, Luna, Sidera; & astra, & terra, & freta, & omnis census elementorum.* sed & ipsa creatarum rerum vniuersitas, signatur: in qua significatione dixit Apostolus 1. Cor. 8. *Idolorum nihil est in mundo*, hoc est, Abulense in præfatum cap. 4. Matth. interprete, non est idolum aliquid de vniuersitate rerum, quia non est à Deo factum, sed ab humanâ excogitatum malitiâ, vti ait D. Augustinus, Magister quoque 3. sententiarum, distinctione 37.

Mūdus magnus quis?

Hinc factum est, vt illam ipsam rerū vniuersitatem, *Mundum magnum*, nonnulli appellarint, qui sit tota creaturarum collectio. Ita indicatum etiam à D. Augustino in illud D. Ioan. 1. *& mundus per ipsum factus est*: ait enim, *Quid est, mundus factus est per ipsum? cælum & terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, mundus esse dicitur.* Quibus in verbis, tam intelligibilem, quàm sensibilem creaturam, sub mundi nomine complectitur. Ita etiam D. Gregor. Nazianzenus orat. 34. vbi mundum ex visibilibus & inuisibilibus constare dicit, cuius figura & imago fuerit Mosaïcum tabernaculum, vt enim illud, in sancta simpliciter dicta, & in alia sancta sanctorum, diuisum erat, sic mundus vniuersus, in res partim sensui, partim mentis intelligentiæ subiectas, distinguitur, vt penetrato primo velo, transcensisque rebus illis, quæ sensum mouent, in sancta prospiciamus, hoc est, in supercælestem naturam; quæque nonnisi ratione, atque intelligentiâ percipitur.

Manes, mūdum visibilem dixit esse ex malo.

Sic quoque Manes, vniuersum collegit, sed inuisibilem ac diuinum mundum, ex bono; visibilem autē, ex malo esse, impiè asseruit, in quem D. Nazian. orat. 40. dixisse videtur, *Crede mundum vniuersum, tam qui oculis cernitur, quàm qui oculorum obtutum fugit à Deo ex nihilo creatum esse, & Creatoris prouidentiâ gubernari, forèque aliquando, vt in præstantiorem statum immutetur.*

Mundus vniuersus, sex discernitur partibus.

Ita denique Tertullianus in Apologetico aduersus gentes cap. 17. Molem vniuersi, cū omni instrumento elementorum, corporum, Spiri-

spirituum, è nihilo expressam dicit: sex autem diuersi generis discretam partibus, & rursus earundem partium inter se, consensu, & nexu mirabili, copulatam constare, atque adeò ipsam mundi integritatem, senarium efficere, aduotauit Andreas Masius Commentarij in Iosue, cap. 6. vbi sex illas vniuersitatis partes ita enumerat, Cælestes spiritus corporatæ materiæ expertes, qui Angeli, ab officio, vocantur: deinde ipsa rerum corporatarum elementa, inter quæ cælestes etiam orbes numerantur: post hæc, vt ab vltimis ad id quod est medium omnium, veniatur, illud corporum genus censetur, quod quidem ex elementis sit compositum, sed animæ omnis, ac vitæ expers; qualia sunt, quæ metalla dicimus, lapides, gemmæ, & alia infinita: Quarto loco, ea quæ alente quidem animæ vi sunt prædita, sed non eâ animatione informata, à quâ animalia dici possint, quippe cùm sensu, motuque careant: in hoc genere sunt arbores, herbæ, & cætera, quæ varia gignit humus, alitque nullo sensu prædita; & à Græcis φυτά, à nostris, stirpes appellantur. Deinceps locantur, ea quæ animantia bruta vocamus. In istarũ denique rerum meditullio, existit homo, quasi istarum omnium partium nodus & vinculum.

2. Mundi partes duæ.

4. Mũdus pro omnibus omnino hominibus.

Secundaria acceptione, mundum de omnibus omnino hominibus, bonis, & malis, dici manifestum est ex illo D. Ioan. cap. 14. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem*, id est, vt omnes omnino homines siue boni sint, siue mali, intelligant me ex Patris dilectione mortem obire, ad quam propero: hac in significatione, D. Gregor. Nazianz. de Noacho loquens orat. 3. dixit, mundum in exiguo ligno conseruatum.

5. Pro mundanis & reprobis.

Tertiò sumitur pro mundanis Christum & Deum ignorantibus, reprobisve immunda vitiorum aspersis illuuie, qui ad id quod adest, quodque præsens est, velut pecora, proiecti, solis pascuntur sensibilibus, in quæ summâ animi contentione, ac si nihil æternum foret, & spirituale, feruntur. Horum meminit Christus Ioan. 17. quum ait, *Pro his rogo, non pro mundo*, id est, non pro mundanis hominibus: cur non etiam, pro fallaciâ & improbitate, negat se Dominus rogare? Mundus enim, vti ait Nicetas ad orat. 11. D. Nazianzeni, etiam mundana improbitas & impostura dicitur, cuius cùm diabolus inuentor extiterit, eidem dominatur: sed Dominus arguet mundum de peccato. Ioan. 16. non Iudæos solos, qui Christum crucifixerunt, sed etiam omnes gentes, ad quas hæc Euangelistæ verba, extendi, monet Rupertus. Iudæos etiam mundum appellari obseruauit Ammon. Leontius, cum Cyrillo, & Euthymio, τὰ κοσμικὰ φρονοῦντας, *qui mundana sapiebant*, quum Dominus dixit Ioan. 7. *Vos de mundo hoc estis*; Pharisæi namque, cæterique, qui, quòd nimio huius sæculi amore tenerentur, Christum recipere noluerunt, mundus sunt. Apostoli verò, cæterique qui eum cognouerunt, atque receperunt, non vocantur mundus: quia, vt inquit Dominus, *non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo*, hoc est, non sunt mundani, sicut nec ego mundanus sum: & iterum, *me odit mundus*, hoc est, reprobi, vti interpretatur Dionysius Carthusianus in 1. cap. Ioan. Similiter accipe illud eiusdem Euangelistæ, *& mundus eum non cognouit*, in quæ verba Ecclesiæ Doctorum iubar lucidissimum D. Augustinus tractatu 2. in Ioan. mundi, ait, intelligi dilectores, Dei ignorantiam habentes, quorum quidem ante Christi aduentum, plena erant omnia, fidelium paucissimi, ideoque nec illi mundus, sed numerosior infidelium multitudo sic appellatur, quo sensu dixit Apostolus, 1. Cor. 1. & 2. *Non cognouit mundus per sapientiam Deum*, hoc est, quod alibi ait, *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt*. Verùm audiamus D. Augustinum: *Nam scilicet cæli, aut Angeli*, inquit, *non cognouerunt Creatorem suum? num ipsa etiam sidera, quem confitentur Dæmonia? Omnia vndique testimonium perhibuerunt. Sed non cognouerunt eum, qui amando mundum, dicti sunt mundus: nam qui non diligunt mundum, carne versantur in mundo, sed mente inhabitant cælum, sicut Apostolus dicit, nostra autem conuersatio in cælis est*, ad Philippen. cap. 3. Accedit præclarum Græciæ lumen D. Ioan. Chrysostomus hom. 7. in Ioan. Hoc loco, inquit, *mundum, peccatorum multitudinem, & terrenis rebus deditam, stultumque & abiectum, & omnibus obnoxium perturbationibus, vulgus appellat.*

Pro improbitate.

Pro Iudæis.

Pro infidelibus.

1. Cor. 1.

6. Iste est mundus, quem carnalium cogitationum funiculis implexum, neque lex scripta, neque nata; non, inquam, legis scriptæ symbola, non visibilia creaturæ paradigmata, in factoris sui cognitionem, adducere potuerunt: atque etiam nunc Verbo carne induto & glorificato, mentis suæ cæcitate ac peruersitate, Christum Dei filium non agnoscit, & quem licet fortasse per fidem informem agnoscere videatur, factis tamen eandem pernegat, cuius vera, perfectaque notitia, nonnisi per fidem formatam haberi potest: quia *Vt ijdem oculi*, inquit D. Cyprianus lib. de 12. ascensionib. *cælum & terram pariter nequaquam aspiciunt, ita mundi amor & Dei, pariter in vno corde habitare non possunt*, non enim se simul in eadem arâ capiunt Dei arca, & Dagon idolum, non in eadem mente sinceros affectus Dei & mundi.

Perfecta Dei notitia per fidem habetur.

7. Labor circa mundana, inanis.

Hinc intelligimus, quàm inane, quamque periculis plenum sit hominis sæcularis studiũ, vt non immeritò D. Chrysost. homil. 77. in Matthæum, Danaidum dolijs vndequaque ad infusas lymphas effluentibus, illud compararit, *Cur perforato*, inquit, *aquam dolio ingeris? nihil enim aliud est pro præsentibus istis laborare, quàm flammam decerpere, quàm pugnis aëra cædere. Certè frustra curris. Nonne vniuscuiusque artis finis est? ita profectò. Ostende igitur mihi finem huius sæcularis studij, sed non potes. Vanitas enim omnia.* Pericula commemorat Philomus lib. de scientia bene moriendi, totidem verbis. *Pix est mundus, quamlibet leni attactu tangentes inquinat; viscus est mundus, qui suos miratores in modum aucupis, peccati & mortis æternæ vinculis innoluit: laqueus est mundus, qui voluptatibus & opibus velut escis obiectis allicit, atque capit incautos, & secum trahit in nassam interitus. Vnde mihi vix possibile videtur, vt qui mundi legibus viuit, purus ab inquinamentis mundi & immaculatus, hinc emigret.* Ciuitatem vanitatis, mundum appellauit Isaias cap. 24. quia mundus vana quædam ostentatio est mox peritura, operam ludit qui se illi addixerit, *attrita est*, inquit, *ciuitas vanitatis*; omnis illa tanquam fumus & fucus attereretur: mare procellosum est mundus, cui si te, non ex ratione, sed ex cupiditate commiseris, ineluctabile. Quare donec hanc vitam viuimus, contentione maximâ enitendum est, sensim ab istis caducis, cogitatâ futurorum æternitate, pedem subducere, animum & mentem abstrahere, quemadmodum qui domi non agunt, sed peregrinantur, si quid commoditatis in via vel diuersorio sese obtulerit, non admodum adijciunt animum, quippe mox relicturi: si quid autem incommodi, ferunt facilè, quia mox se alibi futuros cogitant: aut etiam velut is, cui cùm ex Chirurgi iudicio, dens vnus è molaribus, eruendus sit, pharmacis primùm quibusdam, vel scalpris dentem labefactare atque

Mundus est ciuitas vanitatis. *Isa. 24.*

Vt facile prætereatur.

delumbare conatur, vt citra dolorem excidat, quem aliàs, nonnisi vi, ingentique gingiuarum offendiculo, quisquam exculperet; atque ita fiet, vt expeditiores, nullo, aut certè modico cum doloris sensu, emensâ huius vitæ orbitâ, reddamur Creatori. Recurro ad mundi significata.

8. *Mũdus pro vitæ statu.*

Quartò itaque mundus accipitur, pro vitæ præsentis statu, vt quum Ioan. 1. dicitur, *in mundum venit*, id est, ad viuendum inter homines venit, quemadmodum & cap. 11. *Tu es Filius Dei, qui in hunc mundum venisti*. scilicet, per incarnationem factus homo venisti victurus cum hominibus, & in terris visus es, & cum hominibus conuersatus es, vt te omnium hominum exhiberes redemptorem: adnotauit quippe Theodorus Heracleota mundi nomine significari, nō solius Israël seruatorem, sed omniū etiam gentium, hoc est, totius mundi, venisse. Huc etiam spectat quod Ioan. 13. dicitur, *Sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad Patrem*, hoc est, de hoc vitæ mortalis statu, quâ loquendi formulâ ferè vtimur, quem vita functum, *è viuis excessisse dicimus*, & Gallicè, *il est passé de ce mõde*. & iterum cap. 17. *non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo*, hoc est, non rogo vt auferas eis vitam, per quam tollantur de hoc mundo, & præsenti rerum & vitæ statui subtrahantur. (Io. 13.)

9. *Mũdus pro rebus mundanis.*

Quintò denique pro mundi rebus censetur, quæ & hîc solùm habentur, & ab hominibus concupiscuntur, cuiusmodi sunt, potentia, honores, diuitiæ, & cætera huiusmodi, quæ suæ cupiditatis ambitu, mundi mancipium, definiuit. Hac in significatione accipiendū illud. 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, quod est dicere, in rebus humanis, nihil esse præterea. Et in hac acceptione, mundum principari dicimus, quum potentia, opes, auctoritasque præualent, necnon & aliæ fumosæ vanitatum vmbræ, quæ pro substantiâ sese venditant. Hic est mundus, cui se crucifixum dicebat Apostolus, & illum sibi. Rom. 7. per mundum, animi erga mundum propensionem, & affectionem intelligens, Elia interprete, ad orat. 1. D. Gregor. Nazian. quæ quidem, quantum ad eum attinebat, ipsi crucifixa erat, ipseque item ei: non enim quidquam vitium aduersus illum insurgēdi, vitiosæ mundi affectiones habebant, & ipse vicissim, animo ab ijs prorsus alieno, atque auerso erat. (1. Ioan. 2.)

10. *Pro cælo empyreo.*

Ferè aliò spectant apud Petrum Comestorem Ecclesiasticæ historiæ cap. 1. & Iacobum de Valentia, Episcopum Christopolitanum in psal. 103. mundi significata, aiunt enim mundum in quadruplici acceptione, sacris in codicibus memorari; differunt tamen, quòd Comestor, primò cælum empyreum, propter sui munditiam, mundum appellari dicat: deinde sensibilem hunc, qui Græcis πᾶν, Latinis, *Omne*, dicitur; quē Stoici teste Plutarcho lib. 2. de placitis Philosophorū. cap. 1. *Totum*, appellant, quod sic ab vniuersitate distinguunt, vt vniuersitas, sit vnà cum inani, infinitum; *totum*, verò, remoto inani, mundus. Tertiò, sublunarem regionem solam, quòd hæc vnica, nobis nota animantia contineat, (*Pro sensili mundo, qui πᾶν dicitur. Pro sublunari regione.*)

Terra viros, vrbesque gerat, siluasque ferasque,
Fluminaque, & capiat volucres agitabilis aër.

Pro homine. Quartò tandem hominem ipsum, mundi voce indicari, quia mundi totius in se imaginem repræsentat, vtpote, in quo rerum vniuersitas, concordi amicitiâ, & pulcherrimo consensu; concentuque sit colligata: vnde D. Basilius hom. 11. in Hexaëmeron, *Minor quidem mundus ipsâ est homo: quare nihil indecorè fecisse putem ab his, qui hominem hac exornarunt celebri, & magnificâ appellatione.* propterea, omnis creaturæ nomine à Christo Domino nuncupatur.

Pro ideali mundo qui Deus est. Episcopus autem Christopolitanus, de exemplari primùm, idealiue mundo, qui est ab æterno in mente & Verbo diuino, mundum dici, scribit; ad cuius exemplar, condita sunt vniuersa; vti cecinit Boëtius 3. de consolatione.

—Tu cuncta superno, Ducis ab exemplo,—
Mundum mente gerens pulchrum, pulcherrimus ipse.

Secundò de sensibili hoc creato & materiali, de quo dictum sit ab Euangelista, *& mundus eum non cognouit*. Tertiò de spirituali & recreato, qui est Ecclesia, cuius incolæ fideles omnes, quotquot in Christo sunt regenerati; de quo Ioan. 1. *quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* de cuius creatione Dominus apud Isaiam 43. *Ecce ego facio noua, & 65. Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoriâ priora.* Apostolus quoque 2. Corinth. 5. *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua.* Est enim Ecclesia mundus nouus; qui non minùs quàm alter, à luce ortum habuit & decorem, vti adnotauit Pinto in cap. 2. Danielis; Lux autem noui mundi, fuit Apostolorum cœtus, inquit Pinto, quibus dixit Christus apud Matthæum 5. *Vos estis lux mundi.* Quemadmodum enim ab oriente in occasum lux subitò diffunditur, ita illi, Euangelicæ veritatis luce, incunctanter Eoas, occiduasque orbis plagas illustrarunt, nec fuit qui se absconderet à calore lucis illius. (*Pro Ecclesia. Ioan. 1. Isaiæ. 43. & 65. 2. Cor. 5. Apostoli vt sint lux. Matth. 5.*)

11. *Mũdus pro gloria beatorum. Ps. 83. Apoc. 21.*

Quartò tandem, de mundo gloriæ, qui perpetuus est, & de quo Psaltes regius ps. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et Apocal. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo.* Et hîc verus est mundus, quia perpetuâ pace & trāquillitate serenus. *Alius enim nobis mundus est*, inquit D. Nazianzen. orat. 21. *omnibus rebus quæ oculis cernuntur, longè sublimior, ac diuturnior.* Ille est mundus inuisibilis, & fidelium Christianorum patria, ad quam tendimus, cuius sol omnia in omnibus operans, Deus est: sicut eloquebatur D. Nazianzen. orat. 21. totidem verbis, *Quod rebus in sensum cadentibus est sol, hoc ijs, quæ animo & ratione intelliguntur, est Deus. Ille enim mundum hunc aspectabilem collustrat, hic inuisibilem. Ille corporis oculos ita afficit, vt lumen ipsum intueri possint, hic mentes diuinas reddit. Atque vt ille, cùm & ijs quæ oculorum sensu prædita sunt, & ijs quæ in aspectum sentiuntur, hanc vim tribuat, vt & illa videre, & hæc visu percipi possint, interim tamen ipse omnia, quæ oculis subiecta sunt, pulchritudine antecellit, eodem modo Deus, cùm tam ijs quæ intelligentiâ vtuntur, quàm quæ mente & intellectu comprehenduntur, hoc afferat, vt & illa intelligant, & hæc intelligentiâ percipiantur, ipse tamen intelligibilium omnium summus est vertex, in quo desiderium omne consistit, ac desigitur, nec supra eum vsquam fertur.* (*Deus est sol beatorum. Vide c. 6. num. 2.*)

12. Ex his manifestum fit, mundi appellatione, aut rerum vniuersitatem intelligi; aut omnem prorsus hominem; aut reprobos, & ignorantes diuinitatis; aut vitæ mortalis statum & conuersationem; aut mundana, quibus pascitur concupiscentia mortalium; aut etiam cælum empyreum: orbem sensilem totum: aut sublunarem solùm; aut denique exempla æterna & increata factibilium in Deo: aut sensilem & materiatum hominem; aut Ecclesiam Dei, siue cœtum in Christo regeneratorū; aut tandem sanctam Ierusalem, siue gloriam beatorum.

CAPVT.

CAPVT III.

Mundus vnicus est, plures verò vt dicantur.

I. Mũdus plures cur aliqui, esse dixerint?

HIs ita prælibatis, videndum est, an mundi plures, strictiori quadam acceptione, enumerari possint. Anaximandrum & Silenum, mundos plures putauisse, scribit Tertullianus lib. de pallio. cap. 2. Democritus & Epicurus vnà cum Metrodoro, horum discipulo, apud Plutarchum lib. 2. de placitis Philosophorum, mundos in infinito, per omnem eius complexum innumeros esse, arbitrati sunt, vt ne diuina potentia, ipsiusque infinita bonitas in angustias redigeretur, inquit Elias commentator in 1. orationem D. Greg. Nazian. quasi inexplicabili Numinis bonitati, & quod ab illa proficiscitur, infinito sese diffundendi desiderio, animum aduertentes, vnicum mundum, tanquam formiculam esse, tantæ potentiæ, tantæque bonitatis comparatione, iudicarent: scilicet verò, infinitus propè mundorum numerus, diuinæ bonitatis sese communicandi studium, ampliùs quàm formica, vel curculio, adæquaret.

Mundus vnicus est.

Quare cùm illi suum illud commentum, neque vllo rationum firmamento, neque vlla constanti auctoritate stabilire potuerint, saniùs multò alij, vnicum esse mundum asseuerarunt: docuit Thales, docuit Empedocles, atque hic quidem mundi circumscriptionem atque terminum, solis orbitam esse dixit: docuere Seleucus, atque Diogenes, quanquam hic vniuersitatem infinitam, finitum tamen mundum, ille verò infinitum, putauerit. Ita denique vniuersum omnes tradidere, qui totam hanc sensibilem machinam, mundi nomine comprehendi sentiunt; sic vt eius vnica etiam sit significatio, vti scribit Toletus annotat. 3. in cap. 1. Ioan. diuersa autem recipiat prædicata, plurium partium ratione; quemadmodum vnum eundemque hominem, secundùm diuersas sui partes, diuersa operari dicimus, vt, loqui, audire, videre, tangere, gustare, ambulare; non enim debuit, summum vnum, in sua operatione, ad contentiosam multiplicitatem deficere, vt sicuti vnus est Deus omnium, ita vnus esset mundus, vna & sola omnium fides, vnum baptisma, vnusque eius redemptor Christus.

2.

Vnicum hoc magnum & celebre Dei elementum, quod opificis sui sapientiam tacita voce prædicat, mente præteruolans Philo Iudæus, diuinitatis ingressus vterum, in quo visibilium atque inuisibilium rerum formæ, in vnita simplicitate, ab æterno voluebantur, & cogitabantur, ipsa quoque tempora agitabantur, in quibus veluti maturus quidam diuinæ mentis, mundi genitricis, fœtus, extarent editæ; intellectilem mundum inuenit, & lib. de mundi opificio, asseruit, de quo Plato in Sophista. In mundo intelligibili, siue primo Archetypo, id est, Deo, omnia vnum sunt, licet in sensili caducoque mundo, turbata multitudine diuidantur. Idealem illũ vocamus, qui nihil aliud sit, vti ait Episcopus Christopolitanus in psal. 103. quàm Dei mundum condentis, *Verbum*, in quo ante omnia, opifex Deus, cælum incorporeum, terram inuisibilem, aëris ideam & vacui fecit, exemplar nimirum operis creati, quod per *Verbum factum est, & quod factum est, in ipso vita erat*: mundus nempe totus, diuo Augustino interprete, qui factus est ex tempore, erat vita ab æterno in ipso mundo ideali, & Verbo æterno, vtpote ipsamet creatrix essentia Dei.

Mundus intellectilis quis?

Eò interea dementiæ progressi sunt quidam, vt hæc quæ de æterna rerum formatrice sapientiã, dicuntur, lunari corpori tribuerint, Lunam asserentes, mundum idealem esse, quæ omnium, quæ sub aspectum cadunt exempla complecteretur, in qua imagines corruptionis expertes cernerentur, quas ideas dixere, ipsi lunæ ab effectore Deo inditas, ad quarum exemplar, cũcta olim creata sint. De Xenophane Lactant. lib. 3. de falsa Sapientia cap. 22. *Xenophanes dicentibus Mathematicis, orbem lunæ duodeuigenti partibus maiorẽ esse, quam terrã, stultissimè credidit. Et quod huic leuitati fuit consentaneum, dixit, intra concauum lunæ sinum, esse aliam terram, & ibi aliud genus hominum simili modo viuere, quo nos, in hac terrâ viuimus.* Accedit, quod Macrob. Somnij Scip. lib. 1. c. 19. *Lunam quoque terram, sed ætheream, vocauerunt*, inquit. Et hæc quidem Pythagoreorum opinio fuit, vt auctor est Plutarchus lib. 2. de plantis Philosophorum c. 30. Pythagorei, inquit, videri lunam terream, quod hæc vndique habitetur, sicut nostratem terram à grandioribus animantibus, & plantis proceríoribus. Esse etenim quinquies decies præstantiores viribus illic animantes, quæ nihil excrementorum egerant: totidemque partibus diem longiorem. Verebantur nempe illi, si animantium excrementa admitterent, ex luna sterquilinium facere. Et istorum exemplo, dubitatum fuit à quibusdam, verum etiam Soli suos populos tribuerent, quod meritò irridet Lactãtius lib. 3. de falsa religione cap. 22 totidẽ verbis, Fuisse, Seneca, inter Stoicos, ait, qui deliberaret, vtrùmne Soli quoque suos populos daret: Ineptè, scilicet, qui dubitauerit. Quid enim perderet, si dedisset? Sed credo, calor deterrebat, ne tantam multitudinem periculo committeret: ne si æstu nimio perijssent, ipsius culpâ euenisse tanta calamitas diceretur. Sed hi fortasse deliberandi rationem habuerũt, ex eo quod Dominus dicatur posuisse in sole tabernaculum suum, nunquid ad commorandũ? nunquid ad populis subiectis imperandum? Sed hæc missa faciamus. Huiusce porrò de Lunâ figmenti, fundamentum est, quòd Luna in plenilunio maculosa ac veluti spongiosa, atque floccis quibusdam constans, varijs locis intercisa (id quod dioptico instrumento priùs nuper animaduersum, atque antiquitati ignotum, tradit quidem Lessius lib. 1. de prouidentia. cap. 2. ratione 2. cùm tamen à multis retrò sæculis, vt per se satis liquet, istud obseruatum, & proditum fuerit) quòd, inquam, illa, terrarum, montium, lacuumque, imaginem præseferre videatur, quò exutæ corporibus animæ, ceu ad cælestem patriam, & sanctam ciuitatẽ, de qua frequenter inaudierant, & quam lunæ complexu contineri crediderant, euolarent, quod à Plutarcho in quæstionibus Centuriatis Romanorum manifestè indicatum: vbi quærit. Cur in calceamentis lunulas, qui splendidis natalibus præfulgent, ferant? Vtrum, inquit, vt auctor est Castor, nota id est habitationis, quę esse in lunâ narratur, & quòd ab excessu, rursus animę lunam pedibus habebunt subiectam? Huc spectat quod Euripides dixit in Phaëtonte, Lunam habitaculum in se habere, & colles, & valles, scilicet, vt hoc Catulliano vtar,

Montium domina vt foret, siluarumque virentium,
Saltuumque reconditorum, amniumque sonantium.

Luna quibusdam, mundus idealis est.

quæ omnia suo ipsamet vultu exprimit, nihil à terrâ mutuans, cùm nullum sit ipsi cum illâ cõmercium, in quã mentem, dici à Poëtis censeo,

Astrorũ decus, & nemorum latonia custos. Æneid. 9.

Et à Senecâ, in Hippolito:

Regina nemorum sola quæ montes colis,
Et vna solis montibus coleris Dea,
Conuerte, &c.
O magna Syluas inter, & lucos Dea,
Clarumque cæli sidus, & noctis decus.

Nullum, inquam, illi cum terrâ commercium, præterquam fortasse, quod tellus, solari perfusa lumine, gratâ quadam vicissitudine, secundarium quoddam lumen in eam eiaculetur, Galilæo Patritio Patauino Mathematico interprete, lib. quem inscripsit Sidereus nuncius, quod lumen internosci in ipsa lunæ peripheriâ, siue ambitu, potest, maius, minúsve videri, quantò Luna Soli vicinior, ante vel post coniunctionem, aut remotior post primam vel secundam quadraturam, vt quibus temporibus Luna plus luminis in terras fuderit, ijsdem, vice versâ, terræ minus in lunam refundant. Non modicè verò eam splendescere comperies, si vel à tecto, vel à camino procul ab oculo nostro, & dioptico instrumento positis, cornuum splendor nobis occultetur: cùm autem peripheriæ splendor natiuus non sit, neque à stellis, neque à sole, qui lunæ globum penetrare non potest, mutuatus; à terra erit, quæ sole illustrata, lumen in inferiorem, & obscuram lunæ faciem refundit, lunaresque tenebras, nocturnâ quasi luce, tollendo, albicantem reddit. Dixi, fortasse lucis cuiusdam consortio, terram lunamque fœderari, quia alijs, terrenæ lucis, si qua est, tanta reflexio non esse videtur, vt illud phænomenon procreet. Volunt autem illi lunam per totum esse perspicuam, magis & minus, secundum maiorem minorémve densitatem: quo dato, secundaria illa nouæ lunæ lux, nihil aliud sit quàm lux solis, lunam penetrans, & ab eâdem in oculos nostros refracta, debilis quia refracta, & quia Lunam peruadens: at verò altera, quia à Lunæ superficie ad nos reflexa, fortior, & illustrior: quò autem luna magis à sole recedit, hoc, refractio illa remissior, & contrà, hæc reflexio fit fortior, è quibus vtrisque, caussa illius luminis imminuti, huius aucti patescat; atque ita facilè hactenus agitata quæstio de secundariâ illâ luce Lunæ, dissoluatur. Vtut ista se habeant viderint Mathematici, interim quo ad placita Philosophorum redeo.

3. Luna, naturæ sempiternæ, animata.

Epicharmus Cous, lunam sempiternæ facit naturæ, animâ immortali præditam, atque Solis instar perpetuò mobilem. Ita nimirum in manifestis naturæ desipuere illi, in quibus vanè sapientes, videri voluerunt, qui tamen, si, vt par est, rectè de lunari globo sensissent, citra pulueris iactum, mundi symbolum esse, tutè poterant affirmare, quia in eo tanquam in speculo, totius sensibilis machinæ cõspiciatur imago. Est enim ipsum lunare corpus speculo quàm simile, vt volunt quidam, id quod indicat solarium radiorum reflexio, quam in eo cernimus, inest & illi aquea natura, vti in speculis, quoniam omnium philosophantium consensu, humiditatis illi ad rerum generationem caussa tribuitur: maculæ verò, quæ pleniori globo apparent, terram referunt; nisi cum Pythagorâ dicere maueli, lunam esse quasi tellurem alterã; cuius lucidior pars, terrenam superficiem, obscurior verò, aqueam congruè repræsentet, sicut etiam sentit Galilæus, cùm dubio procul, terrestrem globum solari infusum lumine eminus intuenti, terrea superficies clarior, obscurior verò aquea sese ingerat. Neque enim iam quisquam rectè dixerit, lunam æquali, leni, & expolitâ esse superficie, sed asperâ & inæquali, ac veluti ipsiúsmet telluris facies, ingentibus tumoribus, profundis lacunis, atque anfractibus confertam. Præterea, linea, quâ, pars illuminata lunæ, à non illuminatâ, secernitur, non est orbicualis, siue arcualis, sed sinuosa valde, multisque quasi collibus, globositatibus, prominentijsque, dentata & aspera, quæ è lacunarum caligine, instar montium è depressa vallium abysso protuberant, & illustratæ, summa montium iuga ad solis ortum radiantia, referunt, admittuntque celerius lumen, quàm subiecta planicies, donec tandem per lucis incrementa plenam faciant orbitam, quemadmodum & nos nuper obseruauimus, & prosequitur Galilæus, in Sidereo nuncio.

Mũdi symbolum.

4. B. Virgo, vt Luna dicatur.

Nunc, quia lunæ meminimus, vt paucis aliò stylum conuertam: illam meritò sempiternæ naturę lunam appellarim, quę sempiterno innocentię statu florescens, originalis corruptelę transitum in se nesciit, adeoque nullus vnquam vel subrepêtis cogitationis næuo, maculari potuit. Vnde sponsus Cant. 5. *Ecce tu pulchra es amica mea*. D. Gregor. Nyssen. legit, *proxima mea*. & bene proxima, non quemadmodum sol & luna perpetuo fœdere coniuncti sunt, ob quod D. Ambrosius Solem Lunę fratrem & consortem appellarit; corpusque lunę, vt Astronomicis placet, suâ naturâ opacum & obscurum suum lumen à sole haurit: ita virgo illa intemerata, à solo iustitię sole, luminis æterni fonte, sponsoque suo virtutum lumen mutuatur; supra namque omnem puram euecta creaturam, astitit regina à dextris Dei, & diuinorum particeps consiliorum, ęternis proximè illustrata splendoribus, tanquam secundarium quoddam lumen à primario immediatè fluens, proxima Deo, non de suo, sed de increato viuit lumine, Dei soror & sponsa Lunam dici, ait Isidorus etymologiar. lib. quòd sit luminum vna, hoc est, pręcipua: itidem virgo mater, vna dicitur: Cant. 6. *Vna est columba mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ*, & illi genitrici, & illi matri quę sursum est Hierusalem, vna, singularis, electa ex millibus, soli iustitię sanctitate proxima, de quâ veriùs affirmarim, quod de Pallade cecinit Horatius lib. 1. carminum.

Cant. 5.

Vnde, nil maius generatur ipso, Deo, scilicet, siue Ioue.
Nec viget quidquam simile, aut secundum:
Proximum illi tamen occupauit
Pallas honorem:

Dico, *Maria honorem*. quę, sicut lunam solis discipulam appellauit Tullius lib. de somno Scipionis, & ipsa solis sui discipula elegantior, pręstantior, addictiorque, quàm aut Diua Magdalena, *quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*, Luc. 10. aut quęuis alia creatura: siquidem doctrinę atque spiritus illius lumen nunquam non pleno admisit pectore, quo erudita, conseruabat omnia verba eius conferens in corde suo. Vnde D. Ambros. *Hæc est vera luna, quæ de fratris sui luce perpetuâ, lumen sibi mutuatur immortalitatis & gratiæ, viuit, non suo, sed de Christi lumine, vt dicere possit, viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*. Hęc est luna, quę quotidiani luminis vices habuit, initia & progressus, aliàs minùs, aliàs magis Dei agnitione & amore illustrata, Spiritus sancti fruita est primordijs. Hęc est Luna, quę Plinio, nocturnum sidus, tenebrarum nocturnarum remedium; Tertulliano, noctis solatium, donec dies ęternus aduenerit; quę mundi Domina, noctis, vitę mortalis, decus, adducens mortales ad diẽ immortalis Dei. Sole namque accensa, spirituale lumen gratiæ, homi-

hominibus liberalissimè communicat, quo adiuti, agnoscunt syluæ mundanæ pericula, & euadunt, cauentque frementium in eâ beluarum morsus, vt integri reddantur diei. Hæc est luna, quam humilitas, omnium stellarum nouissimã, infimam, terræque proximam fecit, vt super sidera omnia exaltaretur, effecta speculum sine macula, Solis diuinitatis clariùs repræsentans imaginem, per quam deiformis facta, summam induit pulchritudinem; nam si pulcher est dilectus eius & decorus, etiam ipsa tanquam speculum conuersa ad dilectum, dilecti etiam ad eam conuersi in se participatam transferret pulchritudinem, in quam transformetur, *Ecce tu pulcher es;* inquit, *dilecte mi*, & quia dilectus pulcher est, etiam ipsa pulchra est; quia *Ego dilecto meo*, inquit, Cantic. 7. *& ad me conuersio eius*. Vt enim aqua pura, puram reddit solis rotam, ita mens pura Deum. Hæc est, quæ *pulchra vt Luna*, plena Deo, *Verbum* Patris, lucidũ illud idearum diuinarum speculum, edidit mundo, cui occinebat Muretus,

Cant. 7.

4. B. Virgo, à Luna dicitur.

Cant. 5.

O Solis nitido lumine pulchrior
Virgo, constituit quam Deus vnicam
Expertem maculis omnibus, vt fores,
Nato, digna parens, suo.

ad quem, quicunque fidei puritate, & vitæ sinceritate iuerint cum pastoribus sanctis, qui accepto cælitùs nuncio mysteriorum, *Verbum caro factum*, sedulò requirẽtes, in lunâ pulchritudinis, decoris & gratiæ, Solem totius diuinitatis inuenerunt, de quo Muretus, *Virginis integræ*
Ex aluo nitidâ, Sol nouus emicat.

illi, illi, iam nũc ad sanctæ ciuitatis gaudia euolarunt, ipsomet teste Dei Filio, quum ait: Ioan. cap. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Istud in gratiam temporalis Verbi diuini natiuitatis, in cuius solemnijs, hæc scripturiebam.

Ad mũdos redeo, & ne Platonis dogma prætercam, vnum ipse asseruit inuisibilem, in quo veritas ipsa habitaret: alterum sensibilem, quẽ visu, tactuque percipimus: illum verum, hunc verosimilem, deque illo veritatem, de hoc autẽ, opinionem generari dixit. Origenes verò homil. 2. in diuers. mũdum tripliciter partitus est; ait enim, *Animaduertere igitur debemus Beatum Euangelistam quater mundũ nominasse* (verbi gratia, quum ait, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & mũdus per ipsum factus est: in mundo erat; & mundus eum non cognouit) *tres tamen mũdos oportet nos intelligere. quorum primus, qui absolutè solis inuisibilibus, & spiritualibus virtutum impletur substantijs, in quem quicunque venerit, plenam veræ lucis possidet participationem.* & hic est, quem Vltramundanum appellant, qui omnia quæcunque sunt in tria genera partiti, totidem mundos constituerunt, Vltramundanum scilicet, Cælestem, & Sublunarem, quem Theologi Angelicum, Philosophi Intellectualem, Deum optimũ Max. & intelligentias comprehendentem.

5. Plato mundum inuisibilem vnũ, & alterum sensibilem scribit.

Triplicem Origenes.

Secundus, inquit Origenes, *præfato ponitur è diuerso, quoniam absolutè corporalibus, & visibilibus naturis constituitur: & quamuis vniuersitatis infimam obtineat proportionem, in eo tamen erat Verbum, & per Verbum factus est: & est primus gradus, ad cognitionem veritatis per sensum ascendere volentibus: species namque visibilium, ratiocinantem animam attrahit.* Et hic est, quẽ in cælestem & sublunarem mundum, siue in æthercam, & elementarẽ regionem diuidit Ioan. de sacro bosco, sphæræ cap. 1. ex quibus, tanquã partibus, tota mundi spectabilis machina, omnibus suis numeris absoluta, conflatur. Cælestis namque mundus, sphæras omnes cælestes complectitur; Sublunaris verò elementa, & quæcũque cæli lunaris concauo clauduntur, vt animantia, metalla, stirpes, quæue itidem ad totius ornatum conferunt, vnde à Græcis mũdus κόσμος dictus est, ab ornatu. Ex his enim partibus, secundus mundus, integratur *Intellectis, enim, Angelorum mundo creato*, inquit D. Nazianzen. orat. 38. *postquam Deus primas creationis partes præclarè constitutas vidit: alterum mundum materiâ constãtem, & aspectabilem cogitauit, hunc nimirum ex cælo & terra, & his rebus quæ eorum complexu continentur coagmentationem & concretionem*, & hunc quidem, tanquam librum explicatum rationali naturæ proposuit Deus, ex quo Creatorem legeret, & laudaret; hoc vsus D. Antonius Anachoreta, tanquam bibliothecã omni sapientiæ genere instructâ: Est enim, inquit D. Basilius homilia 1. in Hexameron. mundus hic, perdocẽdis animabus hominum atque erudiendis sanè quàm accommodus. Et homil. 11. ibidem. *Vniuersa hæc mundi moles*, inquit, *periride est ac liber literis exaratus, palam contestans ac deprædicans gloriam Dei, illiusque augustissimam maiestatem, arcanam alioqui & inuisibilem, abundè enuntians.* Mundum hunc, sub Argi nomine Ægyptiorum Theologia significauit, qui

Mundus est liber.

Argus mundi symbolũ.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Huius enim caput, cæli præferebat imaginem: oculi, stellarum, quæ inferiora hæc omnia, suo influxu conseruant, fouentque: capillatura, herbarum, plantarum, arborum, stirpiumque: ossa verò metallorum ac lapidum figuras adumbrabant. Serapidis itidẽ simulacro, vniuersam hanc rerum molem, ex ipsiusmet numinis oraculo, expressam legimus apud Pierium Valerian. Hieroglyphicor. lib. 32. ait enim Serapis:

Sum Deus, vt discas, talis, qualem esse docebo,
Cælestis mundus caput est, mare, venter, opacumque
Terra pedes, aures versantur in æthere summo:
Lux oculi, quam Solis habet splendentis imago.

6.

Aristoteles libello de Mundo cap. 2. de quo dubitat Christophorus Clauius, an illius sit, duabus mundum hũc descripsit definitionibus, vti Nicetas, tum in orationem 38. D. Gregorij Nazian. tum 42. eiusdem, tradit: quarum prior est, *Mundus est compages ex cælo & terrâ, ijsque naturis quæ earum ambitu continentur.* Posterior autem, ita se habet. Mundus, est rerum omnium ordo, pulcherrimaque dispositio, quæ à Deo & propter Deum conseruatur. Et hoc fortasse est quod dicitur, *in eo erat Verbum*, quod est virtus Dei continens & gubernans omnia: quæ si à rebus conditis subtraheretur, protinus in nihilum abirent omnia, vti ait D. Tho. lectione 5. in 1. cap. Ioan. Origenes lib. 1. Periarchon cap. 1. *Hic ergo filius, etiam omnium quæ sunt, veritas est, & vita; & rectè: nam quomodo viuent quæ facta sunt, nisi ex vitâ? vel quomodo veritate constarent ea quæ sunt, nisi ex veritate descenderent? vel quomodo rationabiles possent esse substantiæ, nisi Verbum, vel ratio præcederet? vel quomodo sapiens, nisi esset sapientia?*

Mundi definitio.

Tertius denique Mundus, eodem Origene auctore, est, *qui ratione medietatis, & superiorem spiritualium, & inferiorem corporalium in seipso copulat, & de duobus vnum facit, & in homine solo intelligitur, in quo omnis creatura adunatur: corpore enim constat & animâ. corpus de hoc mundo, & anima de altero*, (substantia nempe spiritualis, & per effectionem Dei, creata simul & infusa corpori) *vnum facit ornatum & corpus.* Quanquam enim, ex quo diuinis charismatibus spoliati sumus, miseriarum omnium mundus in homine reperiatur, in rationalem creaturam, ex primi parentis deliquio, omniũ & singularum creaturarum vitijs irrepentibus. Et, vt Lucretius lib. 3. inquit,

Homo vt mundus dicatur.

Miseriarum mundus homo.

Omnibus ærumnis affectus denique viuat,

vniuersæ creaturæ vanitati subiectus, vt corruptioni

ruptioni inanimatorum; putredini vegetabilium; ægritudinibus sensibilium, pœnis Apostatarum Angelorum; feritati leonum: porcorum spurcitiæ: canum inuidiæ: luporum rapacitati; vulpium fraudi: pauonum superbiæ; serpentum virulentiæ, cæterisque huiusmodi brutorum corruptelis, vt nō immeritò de eo pronuntiatum sit psal. 38. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens*: quia mūdi pars cùm simus, vt inquit D. Basil. orat. 24. de morte, eorū etiam quæ ex mūdo sunt, participes sumus, cum nascētibus, nascimur, augemur, floremus; & cum morientibus morimur, deficimus, marcessimus: elementorū, temporum, locorum, aëris iniurijs exponimur, vt exclamare liceat cum Lucretio lib. 2.

Psal. 38.

Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc æui quodcunque est!

Hæc, inquam, licet ita se habeant, vniuersitatis nihilominus rationes omnes, tanquam nouus aliquis mundus, complectitur homo, vt non immeritò propterea μικρόκοσμος, hoc est, paruus mundus appelletur. Omnis enim creaturæ aliquid habet homo, inquit D. Gregor. homil. 29. in Marcum: intelligit enim cū Angelis, sentit cum brutis, vegetatur cum plantis, habetque esse commune cum lapidibus: imò vsque adeò illius structuræ contribuerūt vniuersa, vt si mūdum cum Philosophis distinxerimus, in altissimū & supercælestem, quem intellectualem appellant; in medium & cælestem, in quo Solem tanquam regem constituunt: & in elementarē siue sublunarem, sicut etiam antè diximus: siue cum Theologis, in mūdum lucis, luminis, & tenebrarum (hanc siquidem Philosophi nonnulli inter lucem & lumen constituerunt differentiā, vt lucem dicerent luminis matrem, lumen verò, id quod ab ea dimanat, vti inquit Albertus Magnus, & post eum Augustinus Eugubinus in recognitione veteris testamenti.) Siue, inquam, mundum distribuas in superintelligibilem, intelligibilem & sensibilem, omnis mundi aliquid habet homo: Animam quidem ad imaginem lucis altissimæ, & mundi superintelligibilis, cuius habet expressam similitudinem: sicut enim Deus vnus est, & trinus, vnus in substantiá, trinus in personis; ita illa vna est, & in potentijs trina, cuius intellectus, cùm sit verbi nostri mentalis principium, Patrem denotat æternum, qui origo Verbi: Memoria, cùm sit imaginum quæ mente concipiuntur principiū, Filium consubstantialem Patri, qui idearum diuinarū thesaurus, & omnium quæ creata sunt, viua imago & vita: cuius Volūtas, cùm pro obiecto bonum habeat, atque in ipsâ tanquam in officinâ quadam, omnis amoris adfectus cōflетur, Spiritum sanctum, cui bonitas & amor tribuitur. Assimilatur etiā quodammodo diuinis ad intra operationibus: quemadmodum enim Pater æternus intellectus sui fœcūditate generat Verbum: & ipsum Patris Verbū, cōmuni cū Patris voluntate producit Spiritum sanctū: sic anima intellectus sui vi producit verbum mentale, & verbi mentalis vel proponentis, vel efficiētis auxilio, elicit voluntate amorem rei, quā verbum mentis repræsentauit. Cum mūdo luminis, siue intellectuali, habet homo participatam humanarū diuinarumque rerū illustrationem, & intelligentiam, motuumque animi & cogitationum agilitatem. Et cum sensibili siue tenebrarum, quem in cælestem & sublunarē diuidi, retulimus, ita participat homo, vt caput celso positū loco, duabus oculorū facibus, velut præcellentibus cæli luminaribus Sole & Luna, exornetur; aures binas habeat, ceu auscultatores

Homo microcosmus.

Mundorum diuisio.

Verbum est thesaurus idearum.

planetas duos, Martem & Mercurium; nares totidem, ceu Saturnum & Iouem sagaces; os vnicū, ceu Venerem venustatis astrum; sensum cōmunem velut firmamentum; facultatem imaginatiuam velut cælum crystallinum; cogitatiuā, velut primum mobile; rationem, velut cælū empyreum, vnde ratio, facienda, aut declināda decernat. Et vt planetæ, astraque cætera lumen suū mutuantur à sole, quem Poetę cor mūdi appellārūt, ita ab humano corde vitale lumen totius corporis, humanarumque actionū. Recipit etiā elementorum qualitates, calidum & siccum ab igne, & hoc in bile cernitur; calidum & humidum ab aere, & hoc in sanguine: humidum & frigidū ab aqua, & hoc in pituita & phlegmate: frigidū & siccum à terrâ, & hoc in melācholiâ: aut etiam stomachus cibis decoquēdis, elemēti ignis vicem subit: cor, aëris vices agit, ex quo viuitur: pulmo, aquæ refrigerātis partes tenet: venter, terræ omnia absumētis est loco. Sunt & in homine præterea mixta, perfecta & imperfecta, venti, pluuia, ros, grando, & cætera huiusmodi, quæ in lacrymis, sputis, distillationibus, flatibus, cernuntur. In eo, virtus attractiua adamantis, qualis etiam in plantis habetur alimētum attrahentibus; expulsiua quoque nociuorum, excrementorumque: in eo lapidū quoque duricies, quæ in ossibus residet: propter quæ omnia, & his similia, Homo magnum naturæ miraculum dictus est, & μικρόκοσμος, hoc est paruus mundus: qui sanè veriùs, magnus mūdus, quemadmodum illum appellauit D. Gregorius Nazianzenus orat. 38. vbi ait, quòd cùm artifici Verbo sublimioris sapiētiæ, ac circa naturarum creationem, varietatis & excellentiæ specimē, & bonitatis notas ostēdere placuisset, *animal vnum ex vtroque, hoc est, ex visibili ac inuisibili natura, hominem fabricatur, atque à materiâ quæ priùs iam creata erat, corpus accipiens, à se autem spiraculum inserens (quod quidem intellectualem animā, Deique imaginem Scriptura vocat) velut alterum quendam mundū, in paruo magnum, in terra collocat Angelum alium, mixtū adoratorem.* Paruus enim est hic mundus, inquit Nicetas in eam orationem, si cū homine, cuius caussa facta sunt omnia, conferatur: id enim cuius caussa aliquid fit, maius est, & excellētius eo, quod propter aliud quiddam efficitur. Neque eò solùm mihi magnus mundus in paruo videtur homo; sed vel quòd præterea ambitionis humanæ vis tāta est, vt vnius huius visibilis machinæ finibus circumscribi non possit; testis Alexāder magnus, qui cùm ab Anaxarcho Democriti discipulo, plures esse mundos, & extra hunc spectabilem, tāquam pilas proiectos audiuisset, ingemuisse fertur, ac dicere, Heu me miserum, qui ne vno quidē adhuc potitus sum. Vel eo maximè, quòd animus humanus maior ampliorque sit, quàm quòd visibilibus vllis satiari queat, illius solius ad futuram satietatem suam capax effectus, quem totus non capit orbis: iure igitur ipse omni creaturâ maior, atque magnus, in paruo earum, mundus.

Homo magnus mūdus.

CAPVT IIII.

Quibus de mundis præsens futura sit tractatio?

VT iam ad rem propiùs accedamus: alij ad institutum nostrū opportunius, totius entis creati & increati amplitudinē, ad tres ordines rerum cōtraxere, quos mūdos generalissimos appellarūt. vt cōstat Cabalæ lib. 1. materialem vnū, formalem alterū, tertiū informem; vel sic, infimū qui sensibilis; supremū qui mentalis & intelligibilis; tertium ὑπερτέρτατον, qui

I.
Creata & increata, ad tres ordines reuocantur.

qui superſupremus, incomparabilis & diuinus. Primus qui infimus ſiue corporeus & materialis, eſt tota & integra huius mundi fabrica, ſiue globus ex cælo & terrâ, & iis contentis naturis ſenſibilibus conſtitutus, vti dixit Ariſtoteles libello de mundo; de quo, lib. 3. acturi ſumus. Alter qui ſupremus & mentalis, Angelorum mundus, à Salmerone nuncupatur, eſt ille intelligibilis triplici ſpirituum hierarchiâ conſtans, nobis autem, qui non niſi ſenſuum interpoſita cognoſcimus, valde ignotus, & nihilominus intelligibilis, aut quia intelligentiis conficitur, aut quia ſolo intellectu à nobis apprehẽdi poſſit: de quo lib. 2. Poſterior eſt mundus Deitatis, in quo terra viuentium & ſupermundana, eſt diuina eſſentia, inquit Georgius Venetus tomo 3. problematum, ſectione 4. problemate 133. Nam Spiritus ſanctus eſt ignis; Filius aqua; Pater aër, vt Zohar elegantiſſimè proſequitur, teſte Veneto. Eſt eſſentia diuina velut terra, in quâ omnia pullulant: & inter ſumma, Verbum ipſum, quod ab intellectu paterno cognoſcere, & eſſentia cognita producitur. Conſtituitur ergo hic mundus, ex eo quod Seraphim clamant *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth*, eſtque אחד *echad*, id eſt, *vnus*, imò magis proprius, principiũ vnitatis, quia א *aleph* deſignat principium, חד *chad*, vnum, quaſi principium vnius, omnia in ſua vnitatis ſimplicitate complicans, ab ipsâ radice אחד *echad*, quod eſt, *vniuit, ſtrinxit*. Hunc vocant Archetypum, ſiue mundum ſuperintelligibilem, diuinam ſcilicet mentem, in quâ ſunt rerum faciẽdarum formæ & exemplaria, quæ Platonici, ideas vocant. Hic in Deuteronomio, *magnus, potens, & terribilis*, ſiue *reuerendus* appellatur, magnus ante creationem, potens in creatione, reuerẽdus poſt creationem; magnus in luce, magnus in ſeipſo & admodum præſtans; potens in Sanctorum glorificatione; terribilis & reuerendus in ſuá maieſtate. Felices animæ, quæ mundi aſpectabilis fallaci pulchritudine, & illectamentis ſuperiores, in hunc æternum, magnum, potentem, ac reuerendum, veræ atque abundantis pulchritudinis ſpeculum, omne deſiderium ſuum proferunt. Felices animæ, quæ emenſo huius vitæ ſtadio, puræ ab inquinamentis mundi ſenſibilis, ſuo redditæ principio, ex hoc mundo vanitatis, tranſierunt ad mundum Deitatis, in quo cum alterius mundi virtutibus & Potentatibus, abſorptæ, inebriantur caſtiſſimâ ebrietate, delectamentis puriſſimis, domus Dei.

Homo magnus mũdus.

Animæ felicitas à mundo intelligibili.

2. Hanc porrò tripartitam mundi diuiſionem, vt inſtituto noſtro conuenientiorem, profero, quam quidem, licet ex recitatis variè ſententium opinionibus, inducere valeam: liquidò tamẽ eam mihi colligere videor, ex primis primi capitis Geneſeos verbis *In principio creauit Deus cælum & terram*, vt nimirum illud, *In principio creauit Deus*, ad mundum ſuperſupremum & ſuperintelligibilem creatricis Deitatis, referatur. In his namque verbis, præterquam quod Moiſes, inquit Philo Iudæus, libro de mundi opificio, inuiſibili, & mente ſolâ prehenſibili naturæ, æternitatem tanquam germanam cognatamque attribuat: neque æternitatem modò, ſed etiam Dei creatoris omnipotentiam, Iunilius Africanus in Geneſim, dicat oſtendi, quum ait, *Quem enim in principio temporum, mundum creaſſe perhibet, ipſum profectò ante tempora æternaliter extitiſſe deſignatur: & quem ipſum conditionis initio, cælum & terram creaſſe narrat tantâ celeritate operationis, omnipotentem eſſe declarat, cui voluiſſe, creaſſe eſt.* In his, inquam, verbis *In principio creauit Deus*, ineſt inſuper eximius ille mundus, intellectu ſolo conſpicuus, inquit Philo, quem nefas eſt loco vllo, dicendo, cogitandóve circumſcribere. Hunc ὑπερούσιον & increatum appellamus, conſtitutum ex eſſentiâ diuina, vna, immensâ, incomprehenſibili, tribus perſonis, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, communi. Ex eo autem quod dicitur *creauit cælum*, non tantùm ſpectabilem hanc orbium ſtellatorum formam, ſed etiam intelligibilem cæleſtium Spirituum mundum intelligo,

Geneſ. 1.

1. Creata & increata, ad tres ordines reuocantur.

Omnipotẽtia Dei.

Pennatatque acies, populos felicis Olympi,

Angeli.

ſicut Vidas cecinit. Senſibilem verò in hac voce, *& terram*.

Hoc ipſum adſtrui mihi poſſe videtur, ex illo Euangelico, Ioan. cap. 1. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt.* Quanquam enim Doctores hoc exponant, aut cum Cypriano lib. 1. contra Iudæos cap. 7. minùs tamen conuenienter, de Verbo poſt ſuam in carnem aduentum: erat enim Chriſtus in hoc ſæculo, per quem factus eſt mundus, & tamen, *mundus* (id eſt, *Iudæi*, qui mundi nomine cenſentur) eum non cognouit, iuxta Iſaiæ cap. 1. vaticinium, *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, Iſraël autem non cognouit.* Quâ de re conqueritur Dominus, Diuo Baſilio interprete, *Me non cognouit, qui cælo enarrante innoteſco, & per omnem creaturam nulli non palam ſignificor.* Aut cum communi & aptiori interpretum ſenſu, iuxta præfata D. Baſilii verba, nempe de Verbo ante incarnationem, quod erat in mundo lux illuminans, non tanquam æquale mundo, vt loquitur D. Chryſoſt. homil. 7. Hoc eſt, non tanquam portio quædam mundi, cuiuſmodi eſt Sol, Luna, aut quodpiam aliud ſidus, ſed tanquam factor mundi. Mundus enim particula quædam eſt Dei, ab ipſo profecta, quæ tamen prorſus nihil eſt, ſi cum illa comparetur. Quare rectè D. Gregor. *Omnia humana quæ iuſta, quæ pulchra ſunt, Dei iuſtitiæ, & pulchritudini comparata, nec iuſta, nec pulchra ſunt, nec omnino ſunt.*

Ioan. 1.

Iſaiæ 1.

Mundus eſt Dei particula.

Erat ergo in mundo, non circumſcriptiuè, vt corpora; non definitiuè, vt Angeli, qui ita hic ſunt, vt alibi non ſint, ſed repletiuè, ſicut ipſe ait Ierem. 23. *Cælum & terram ego impleo*. ita præſens ſingulis mundi partibus, ac ſi vni tantùm adeſſet; nec minus toti præſens vniuerſo, conſeruans, dirigens, & gubernans omnia, atque formis rerum cooperans vt ſint, permaneant, & operentur. Erat in mundo, inquit Salmeron lib. 2. tractatu 23. in Euangelia, ſicut exemplar in rebus ab ipſo productis, cauſſa in effectu, idea in ideatis; & quemadmodum ars in arte factis relucet, ita Deus in mundo quem fecit. Sed quia mundus non cognouit ex ſuâ præſentiâ & operatione *Deum*; ideo venit in mundum per carnis aſſumptionem, vt mundus hominem Deum quem cerneret, quem agnoſceret, quemque ſequeretur, haberet, Baruch. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Ierem. 23.

Verbũm in mundo.

Baruch. 3.

3. Sed ſint iſta veriſſima: liceat tamen & mihi id quod ſentio proferre; illis nempe Euãgeliſtæ verbis, triplicis mundi, iuxta aſſignatam diuiſionem, apertam fieri recitationem, vt per τὸ, *in mundo erat*, mundum Deitatis intelligamus: non autem idem eſt, *In principio erat verbum*. & *in mundo erat*; ſed vnum ad originem Filii à Patre, alterum ad plenitudinem diuinitatis, in quâ Filius cũ Patre & Spiritu ſancto refertur: at verò per τὸ, *& mundus per ipſum factus eſt*: cælum & terram, hoc eſt, intelligibilem & ſenſibilem mundum

Ioan. 1.

dum, agnoscamus. Aut enim quid noui dixit Euāgelista sanctus, quum illi quod dicitur *in mundo erat*, subiunxit, mundum per Verbum factum, si non alium mūdum voluit intelligi, in quo erat Verbum, antequam hic mundus duplex, Intelligentiarum nempe, & sensibilium, fieret per ipsum, in quo Deus non potest non esse, etiam ex sæcularium Philosophorum sententia? Nam si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & ad Deum redeuntem, in mūdo vtique ipsum esse oportet. Quorsum ergo ista præsentiæ illius, siue ad fidem illuminantis, siue rationali naturæ radiantis, facta repetitio, si non *antefactum mundum*, illum in nō facto præextitisse intellexeris? Erat igitur Verbum in mundo illo Deitatis, & personarum Trinitatis, & in Patre, & originis suæ principio, cuius est imago, implens seipsum in illo superintelligibili & æterno Dei esse, sicut ait Euāgelista cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deū, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Habetque mundus ille diuinitatis, præter assignata in principio huius capitis elementa, suum cælum, nempe Patrem æternum, de quo Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*, id est, in Patre, vbi cælum vocat Patrem; neque enim in cælesti corpore iubet thesaurizare, sed in Patre, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & bonitatis. Est igitur cælum, Verbi Pater: vnde surdum & mutum sanaturus Dei filius, Marci 7. *Suspiciens in cælum, ingemuit*, hoc est, *in patrem intendens* à quo omnem accepit potestatem. & Matt. 14. *Aspiciens in cælum*, id est, *in Patrem*, *benedixit*, quasi inuocato Patre, cui panes multiplicandi virtutem, acceptam ferebat: quocum, & Spiritu sancto, Deitatis mundum, verè mundum, constituit, in quo, quemadmodum & in reliquis, mensa est, neque sua desunt obsonia, non cupediæ. Mensa, Trinitas est: panes & cibaria mensæ huius, sunt processiones, emanationes, & relationes æternæ, quibus, non secus ac cætera suis pabulis, aluntur, fouenturque personæ diuinæ. *Mensa illa Trinitatis*, inquit D. Petrus Celensis Abbas lib. 2. de panib. cap. 1. *suos panes habet absconditos, vinum semper nouum, fercula æterna & beata: ministerium alicuius creaturæ non admittit: neque Cherubim, neque Seraphim, sibi inuicem ministrant; Pater, Filio generationem: Filius Patri natiuitatem: Spiritus S. Patri & Filio processionem*: & nemini præterea huic mensæ assidere concessum, quæ à ternario inchoata numero, in eodem ternario cōsummatur, sed nec ministrare. Nam qui mensæ illius consessum expetijt Lucifer, *forsitan omnipotentiam Patris, sapientiam Filij, bonitatem Spiritus sancti tanquam bestia volens deuorare*, sicut Celensis Abbas inquit, cecidit retrorsum; quando cum ipso tēporis inchoantis exordio, siue primò omnium, factus est per Verbum mundus mentiū, & mundus corporum. Est enim Verbum creationis principium, in quo creauit Deus cælum & terram. Tibi ergo laus, tibi gloria, tibi iubilus, ô principium Verbi, Pater; fons & origo Spiritus sancti, Pater & Verbum, mundi diuinitatis incolæ, Pater & Fili, & Spiritus sancte, Deus trine, in vnius essentiæ plenitudine, in teipso beatissime, quem, sui suæque felicitatis auctorem adorat tremens mundus Angelicus,

Aligerum genus, ætherei gens incola cæli:

quem suspicit ac veneratur factura tuæ spectabilis, in te tendens, ad te suspirans; ad te, cuius arbitrio stantque cadūtque vniuersa; donec illa ipsa, beatarum mētium, Angelorum, inquam, tuorum felici adscita consortio, in facturā tuā mortali, in homine, quem voluisti æternitatis tuæ participem, à te, & de te, beentur.

Verbum erat in mundo Deitatis.

Cælum Trinitas habet.

Matth. 6.

Marc. 7.

Matt. 14.

Mensam diuinitas habet, & obsonia.

Omnia creata beantur in homine.

Atque ista quidem de mundo dicta sint, quæ idcirco adferre volui, vt quis ordo dicendorum futurus sit, delibato quasi obiecto, innotescat. Institutum siquidem mihi est, tripartitæ huic mundi diuisioni insistendo, de partibus singulis, sicut suprà indicatum est, dicere. Priori quidem tractatu, de mundo ὑπερτελάτῳ & superintelligibili diuinitatis: Altero, de mundo mētium ab omni prorsus concretione materiæ separatarum. Nouissimè verò, de hoc quem cernimus, sensibili, & tractabili corporum. Non quòd pro cuiusque dignitate me facturum arbitrer, sed quòd velut ingentes colossorum similitudines exiguo exprimuntur ære, ita pro tenuitate meâ quātum dederit & fauerit Deus, ampla illa & magnifica, humili stylo adumbrare conabor.

Partitio operis.

CAPVT V.

Insitne homini aliqua mundi superintelligibilis cognitio?

IMpium sanè videri potest, institutâ quæstione, mundi superintelligibilis existentiam in dubium reuocare: quare Eusebius Philosophus apud Stobæū serm. 73. non quærendum an Dij sint, docet, sed protinus esse credendum, cum quæstione propositâ, etiam ille, qui impijssimæ opinionis tuendæ partes susceperit, nempe, Deos non esse, superare conetur, præsertim, cùm vt Euripides in Antiope cecinit,

Nihil non in vtramque partem aliquis
Defenderit, si fuerit dicendi peritus.

Vt propterea non immeritò Theodosius Imperator, vrgente Amphilocho, lege sanxerit, de diuinâ essentiâ, naturâve, nihil esse disputandū, vt habet Sozomen. lib. 7. histor. cap. 6. constat siquidem ex huiusmodi altercationibus, disputationibusque inutilibus, Arianorum, Eunomianorum, aliorumque hæreticorum fluxisse errores: quin & Caluinistæ nostri, in hunc etiam scopulum impingētes, in sacram Triadem 174. errores commenti sunt, sicut Feuardentius dialogo 7. adnotauit. Quare quod nunc agimus, est, Verùm eò vsque intellectus humani vis extendi possit, vt eius quod summè ac verè est, cognitio naturalis haberi queat? quandoquidē Moises ipse, summum fidei, principio Geneseos tradens, Numen supremum esse non ostenderit, sed supposuerit vt notum, quum dixit, *In principio creauit Deus cælum & terram.*

1.

Disputare de Deo prohibitum.

Vt circum disquisitionis huius ingrediar, Tria sunt, inter quæ fœdera sanctissima, arctissimaque intercedunt; in toto, Deus; in sensili natura, lux; in animi perfectionibus, virtus: Nam Deus lux est, & mundi virtus: lux autem virtus est mundi, & imago Dei: virtus denique, & lux, & Deus, mundi ipsius animus, quo ad suas operationes & mouentur & incalescunt vniuersa. Deus principium, lux medium, virtus vinculum & nexus principij & lucis. Principiū omnium consensione, pars est præstantissima; multi operis dimidium esse censent cum Platone 6. de legib. & Aristotele lib. 1. moralium Nicomachiorum cap. 7. Alij plus quàm dimidiū, & vt inquit Philosophus 1. de Cælo, virtute, quàm mole maius: est enim velut semen, vniuersum opus facultate & virtute includens. Et si de eo, quod verè, & absolutè principium est, sermo sit, principium plus toto est; Censeant alij istud esse paradoxum, verum est tamen si ad mūdum ὑπερτόνατῳ, siue superintelligibilem,

2.

Tria nexu insolubili coniuncta.

Principium est operis dimidium, & plus quā dimidium.

Principium vt sit plus toto.

animum

animum conuertamus, hic enim est principium toto maius, solus principium primum, in luce, & virtute cognitum; solus idea, & veluti semen, virtusque vniuersorum, & hoc principium, lux nobis manifestauit, lux illa quâ illuminatur omnis homo, & accenditur in animam viuentem. Quemadmodum enim sensili luce, quæ in tenebris obscura iacent, suntque proinde tanquam non sint, cùm nec prodesse possint, manifestantur; tum ad inuestigationem & cognitionem, tum ad delectationem & vtilitatem, ita luce rationis cum virtute coniuncta, manifestatur primum principium Deus, qui lux lucis & fons luminis, qui ab insipienti corde obscurato, non sentitur, non cognoscitur, non gustatur amplius quàm à brutis, quibus non est ista lux, nec virtus, per quam vniantur suo principio. De hoc principio sub Sapientiæ nomine dicitur, Sap. 6. *Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet.* qui namque intellectu & affectu, secundum iuris naturalis, vel fidei principia, rectè, vt par est, vsus fuerit, seseque vigilanti animo in virtutibus exercuerit, non frustra se laborasse comperiet, ad rationis enim collucentis radios, inueniet eam tanquam diluculum, aut solem in auroræ foribus assidentem.

Lux rationis manifestat Deum.

Sap. 6.

Fores autem illæ, per quas anima ad mundum supereminentem, & veritatis sapientiam, accessum habet, sunt prima principia, speculatiua & practica, quæ in ipso rationis illucentis limine deprehendere, cuique facillimum. Quemadmodum autem inter mortales plerumque accidit, vt qui alteri quidpiam manifestum volet, id duobus modis efficiat, luminis primùm subministratione, quo ea res quæ manifestatur, discerni possit atque cognosci: externorum deinde signorum, veluti characterum, notarum, imaginúmve quarundam propositione: ita mundus ille supérexcellens & purissimus, Deus, duplici viâ se esse manifestauit hominibus: primùm quidem rationis lumen eis communicando, quo illustrati, intelligere valeant ea, quæ virtuti intellectus agentis, proportione quadam, conueniunt: de quo lumine cecinit Vates Regius psal. 4. *Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine*: quod quanquam de lumine supernaturali potissimùm, intelligendum veniat, cuius munere, ex Dei gratiâ, ad ea quæ humanæ facultatis mensum excedunt, apprehendenda, intellectus præparatur, & ad nos duplici defertur viâ; per spiritualem primùm infusionem & illustrationem, quomodo ad veteris instrumenti Patres & Prophetas necnon ad nouissimæ legis administros Apostolos; peruenit: Deinde per doctrinam & prædicationem, quomodo à Doctoribus & Prophetis, ad simplices fideles transijt. Non dubium tamen, quin etiam de generali, & naturali lumine, accipiendum sit, quod est intellectus agentis, & rationis lumen; cuius virtute & actione potest anima omnium naturalium cognitionem habere, quando & eius beneficio animæ nostræ naturam immortalem, & illius à diuinâ mente dependentiam, cognouerunt Philosophi. Et hoc lumen speculatiuum appellatur.

Cognitionis viæ duæ, lux, & signa.

Lumen rationis duplex Speculatiuum, & Practicum.

3\. Alius est rationis lumen, in eâdem intellectus parte practicum, etiam naturale, quo quis ab honestis turpia; iusta ab iniustis; à bonis mala; & agenda à non agendis, queat discernere. Porrò autem ad huius luminis à naturâ nobis insiti, radios, potest anima, tres illas insculptas cordibus nostris, naturæ leges, discernere, quæ in moribus positæ sunt, dicunturque principia naturalia, quibus aduersari nemo sanæ mentis contenderit; quorum primum est, *Omne bonum agendum, & omne malum vitandum.* Alterum, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & contrà: Tertium, *Nullum bonum remuneratione sua caret, nullum malum impunitum manet.* Ex quibus quartum resultat necessariò, videlicet, *Deum esse omnium principium, iustum iudicem, bonorum malorumque retributorem æquissimum*: quæ omnia etiam Geneseos cap. 4. significantur, vbi Dominus exigit à Caino rationem conceptæ in fratrem eius Abelem, iracundiæ, quæritque quid egerit? addens *Nescis, quòd si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus aderit peccatum?* Ecce vt mala agenda non sint, quorum, protinus vt perpetrata fuerint, iudex, & vindex est Deus. Et hoc est lumen, quod signatum est super nos, in quo, aliud lumen, Numen scilicet diuinum, cognoscere possumus si illius ductum sequamur, iuxta illud psal. 88. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt*, & nisi id quod excellentius in nobis est, nempe, mens, ab inferiori deorsum trahatur, atque ita animæ pars præstantissima, maximeque diuina, ab ea parte quæ affectibus agitatur, & à ratione auersa est, obruatur; *In lumine tuo, videbimus lumen*, psal. 35. ad splendorem namque participati, vultus tui, luminis ambulantes, ad eam vsque tui cognitionem & intelligentiã peruenient, quæ & naturalis sit, & tuo beneficio, mortalium animos in tui laudem, & amorem super omnia, excitare sufficiat. Sed nedum istud quidem, verum etiam præterea vel ad legis Euãgelicæ, siue Fidei, & gratiæ lumen (Antistite Christopolitano interprete) quod *Verbum caro factum* suâ prædicatione influxit hominibus, *Gentes ambulabunt*, sicut habet Isaias cap. 60. Deum hic visuræ per gratiam. Vel etiam ad lumen gloriæ ambulabunt, quod euacuato fidei lumine, surrogabitur in patriâ, influente illud pariter Dei filio, quò, per illud subuecti, atque roborati, incomprehensibile atque essentiale lumen, totius beatitatis obiectiuum, contemplentur. *In lumine tuo*, inquit de Valentia, *infuso & creato, videbimus lumen increatum, hic per fidem, in futuro per gloriam.*

Lumẽ practicum ducit ad Deum.

Principia naturalia quæ?

Gen. 4.

Ps. 88.

Ps. 35.

Is. 60.

4\. Ad lumen itaque ratiocinantis naturæ, prima principia reuelantur, per quæ veluti per fores quasdam, & ad Dei notitiam, & ad veritatis scientiam, humanæ menti, patet introitus. Quod enim Aristoteles 2. Metaphysicor. dixit; Theologiam, hoc est, de veritate considerationem, partim facilem esse, partim difficilem; facilitatem in ipsa primorum principiorum cognitione constituit: circa quæ à prudente, erratur nunquam: difficultatem verò ad conclusiones quæ ex ijs deducuntur, & circa quas frequenter & diuersimodè erratur, spectare voluit. Sunt enim prima principia, veluti in domibus ianuæ, in quibus palam, & in propatulo sunt omnia, neque aduertẽtis oculos, quidquam in ijs, effugere potest, vt propterea in diuerbium abierit, In foribus, quis delinquet? conclusiones verò tanquam interiora domus, circa quæ (cùm lateant) etiã prudens scrutator errare potest: ideoque sapientia, sibi communicandi cupida, occultari nescia, in foribus, siue in notissimis principijs manifesta, ait Prouerb. 8. *O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum: intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduertite.* Ideò qui ad eam vigili rationis luce, & virtute contenderit, assidentem in foribus suis inueniet, non stantis aut fugientis habitu, quasi sui adipiscendi spem frustratura sit mortalium, sed assidentem in foribus, qui in intellectu principiorum, manifestè se profert, tanquam primum omnium, solum, & verum principium; sedetque cuiusque nostrum animo, neque abscondi potest.

Theologia partim facilis, partim difficilis.

Prima principia sunt veluti fores & ianuæ.

Prouerb.

Et sanè, notionem hanc Sapientiæ, siue mundi simpli-

Dei notitia nostræ indita naturæ.

simplicissimi atque supereminentis, Dei, nobis impressit natura, & sine doctrinâ nostris inest animis anticipatio quædam diuinitatis, id quod gentes, ipsâ naturâ docente, intellexerunt. Hinc illud Aristotelis lib. 1. de cælo cap. 3. *Omnes homines notionem Deorum habent, omnesque summum locum, diuino cuidam Numini assignant*: hinc illud Tullij lib. 2. de Naturâ Deorum, *Omnibus innatum est, & quasi insitum, Deum esse nec vlla gens est adeo extra mores, legesque proiecta, quæ Deos aliquos opinione non concipiat.* Hinc illud Plutarchi, *Deos opinari quisquis bene sentit.* Hinc Iamblichus ait, *Ante omnem rationis vsum, inest natura [illegible] Deorum notio.* Et confirmant Patres, Diuus enim Chrysost. in Act. Apostolor. scribit, Deum animæ nostræ sui cognitionem indidisse, quum illam corpori infundit: D. Ioan. Damascenus lib. 1. de fide orthodoxa cap. 1. *Omnibus cognitio existendi Deum, naturaliter est inserta*, inquit. Quid eâ de re doctorum lux D. Augustinus? *Hæc est virium veræ diuinitatis*, inquit tractatu 106. in Ioan. *[illegible] creaturæ rationali iam, ratione vtenti, non omninò ac penitus possit abscondi.*

Ratio est participatio lucis æternæ.

Nam cùm in homine, ratio sit æternæ lucis participatio quædam, fit, vt quemadmodum Sole aut sideribus adiuti, solem aut sidera videmus, ita communicatæ lucis illius diuinæ vi, ipsam lucem diuinam superintelligibilem, quæ Deus est, cordium nostrorum a[illegible] radijs incisam, intelligamus. Hinc etiam D. Hieronymus in cap. 1. epistolæ ad Galatas, *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem: ex quo perspicuum fit*, inquit, *naturâ inesse omnibus Dei notitiam, nec quenquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ & iustitiæ, reliquarumque virtutum.* Vnde multos etiam infideles bene operari docet, iudicio tamen esse obnoxios, quòd in illum non credant, sine quo esse non possunt, habentes in se virtutum principia & Dei semina. Quod ipsum asserit D. Cyprianus, tractatu de idolorum vanitate, dicens, *Summa delicti est, nolle eum agnoscere, quem ignorare non possis.* Quinimo gentes ipsæ, quanquam Deorum vanitati sese tradiderint, naturâ tamen inscriptæ veritatis conscia, impelli[illegible]; *Licet lapides & ligna venerentur*, inquit D. Hieron. in psalmum 95. *tamen intelligunt aliquid maius esse quam ipsa sunt, & in errore suo indicant se habere sapientiam; hoc est, nulla gens est quæ naturaliter non intelligat esse Deum. Denique Gentiles idola colunt, sed si fortè rixam fecerint, & si fortè iuramentum aliquod inter illos venerit, non dicunt, lapides isti vident; ligna audiunt; sed Deus videt, Deus audit.*

[illegible] tiles iurant per vnû Deum.

Atque ita fit, vt ad ipsum rationis lumen, Deum esse manifestum euadat, quem mundum superintelligibilem nominamus. An verò euidenter, disputant Theologi: de quo sequenti §. dicemus, priusquam ad alterum cognitionis modum descendamus.

Capitis 5. §. vnicus.

Sít ne nobis euidenter notum Deum esse?

1\. Facultates comprehensiuæ, sensus & mens.

CVm duæ sint in nobis facultates & partes (inquit Iustinus Martyr, in responsione ad primas quæst. à Gentibus propositas) quæ res comprehendunt, sensus & mens, quarum actiones hoc inter se differunt, quòd ea quæ ab vnâ comprehenduntur, ab altera comprehendi, concipique non possunt; diximus mentis facultate, hominem non posse non assequi cognitionem, quod mundus diuinitatis, siue Deus, existat; luculentérne verò ea diuinæ existentiæ notitia habeatur, ita vt inficiari nemo possit, certant Theologi.

Negat D. Thomas.

Negat D. Thomas 1. parte. quæst. 2. & 1. contra gentes, cap. 11. vbi docet, quod quamuis, Deum esse, simpliciter quidem per se notum sit, cùm hoc ipsum quod Deus est, sit suum esse, quia tamen, hoc ipsum quod Deus est, mentis perspicientiâ, consequi non possumus, remanere ignotum quoad nos. Quam in sententiam it quoque Auicenna in Metaphysicis. Vasquez, & plerique alij, his adducti rationibus.

1\. Ratio.

1\. Viator nô potest cognoscere Deum nisi relatè ad creaturas, vt per conceptû caussæ, Domini, &c. ergo ex creaturis, velut ex notioribus secundum nos, & non per se.

2\. Ratio.

2\. Connexio terminorum propositionis per se notæ, statim apparet explicatis terminis, at quantumcumque quis sciat, quid sit Deus, & quid sit Deum esse, non tamen erit certus esse Deum, ergo ista propositio, *Deus est*, non est per se nota.

3\. Ratio.

3\. Hæc non est per se nota, nobilissimum animalium existit; ergo neque ista, nobilissimum omnium entium existit.

4\. Ratio.

4\. Illa sunt nota nobis, quæ sunt vicina principio nostræ cognitionis: illa verò sunt nota naturâ sua, quæ sunt nobilissima, vt est Deus; atqui Deus est à sensu nostro remotissimus, vtpote qui sit maximè immaterialis, ergo eius existentia non est nobis per se nota, licet sit secundum se maximè cognoscibilis, vt docet Aristot. 2. Metaphys.

5\. Ratio.

5\. Nemo potest iudicare oppositum eius quod est nobis per se notum, sed potest aliquis iudicare Deum non esse, ergo Deum esse, non est per se notum: prima propositio est Aristotelis lib. 1. Posterior. textu 5. & 4. Metaphys. 9. altera, habetur ex scriptura psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, vbi D. Augustinus notat, propterea in corde, id est, in mente, id ab aliquibus dici, quia non audent voce, suam illam vagiandem impietatem exprimere. Tullius item 1. de Natura Deorum, Philosophos quosdam commemorat, qui, an Deus esset, dubitarunt, alios qui omnino negauerunt, vt Diagoram, quem ideo D. August. lib. 3. contra literas Petiliani cap. 21. vocat Atheum, quod idem testatur Lactantius lib. 1. Institutionum cap. 2. & Theodoretus lib. 3. de curandis Græcorum affectib. Præterea, siue audito hoc nomine, *Deus*, primam rerum omnium caussam, mente concipiamus, siue ens ex se, & necessarium, siue rem præstantissimam omnium quæ sunt, aut esse possint, siue aliquid eiusmodi, quod de Deo concipi solet; opus est planè aliquibus argumentis, vt ostendatur rem talem existere, ergo Deum esse non est per se notum. Hæ sunt rationes præcipuæ, ex quibus conficitur, quod licet, Deus ex se sit maximè cognoscibilis, omniumque consensione, hæc veritas mentem cuiusque nostrûm occuparit, teste Tullio lib. 1. de legibus, quum ait, *De hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat* & hæc propositio, *Deus est*, quantum in se est, sit per se nota, sicut hæc, *homo est animal*, quia quod prædicatur idem est cum eo quod subijcitur, quoad nos tamen, minus notus sit Deus, quàm materiales effectus, per quos à nobis cognoscitur.

2\.

Id quod etiam apud illos vsuvenit, quibus incogniti huiusce propositionis termini, *Deus est*; nam poterit quispiam, licet falsò, dubitare de veritate huius prædicati, an, scilicet, *Dei esse*; idem sit cum ipso Deo, sicut & poterit aliquid Deo maius cogitare, quod quid illud sit ignoretur. Quo fit, vt, Deum esse, non distinctè, sed in communi & confusè, nobis à natura insitum sit, scilicet, inquantum Deus est nostra beatitudo: nam cùm naturale sit homini appetere beatitudinem, quod in hunc modum appetit, etiam naturaliter cognoscit. Sed hoc tamen, non est simpliciter cognoscere, *Deum esse*, id quod exemplo fit manifestum: si enim eminus quempiam ad te venientem conspexeris, non illicò discernes, Petrusne sit an verò Ioannes;

nes: ita est de naturali, & imperfectâ cognitione, quâ Deus esse demonstratur: vnde fit, vt oppositum eius, quod est, *Deum esse*, cogitari possit, quomodo *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

Sententia probabilioris explicatio.

3. *Propositio per se nota quæ?*

PRiusquã explicem, quid hac in disceptatione probabilius mihi videatur, obseruarim. 1. Propositionem per se notam, dici illam, quæ secluso omni medio syllogistico, statim ac audita est, cognoscitur esse vera, suppositâ notione & declaratione terminorum, vt est hæc propositio, omne totum, est maius suâ parte: nam quicumque nouit, partem dici id, in quod totum diuiditur, totum verò esse id, à quo nulla pars abest, ex Philosopho. 5. Metaph. 25. & 36. illudque maius alio appellari, quod continet contentum ab alio, & aliquid amplius; absque vllâ probatione, assentitur imperturbabiliter tali propositioni.

Secundò. 2. Etiam propositionem per se notam dici, quæ est immediata, id est, quæ non habet medium terminum posteriorẽ subiecto, & priorem prædicato, per quam probari possit, cuiusmodi est ista propositio, Homo est animal: licet enim probari possit hominem esse animal, quia sentit: tamen quia sentire, est quid posterius tam subiecto, quàm prædicato, ideo talis propositio est simpliciter immediata, at verò ista, homo est risibilis, est mediata, qua probari potest per terminum posteriorem subiecto & priorem prædicato, nempe per admiratiuum.

Tertiò. 3. Dici præterea à D. Tho. propositionem per se notam, cuius prædicatum includitur in ratione subiecti, vt, homo est animal; nam animal est de ratione hominis & ponitur in definitione subiecti: non quia hoc conueniat omni propositioni per se notæ, sed quia omnis propositio quæ id habet, est per se nota. Certum enim est, hanc propositionem, qualitas non est quantitas, esse per se notam, & tamen prædicatum non ponitur in definitione subiecti: certum itidem est, hanc propositionem, totum est diuisibile, esse per se notam, quiã diuisibile ponitur in definitione, totius. Omnis igitur propositio, cuius prædicatum ponitur in definitione subiecti, est per se nota, non contrà, omnis propositio per se nota habet prædicatum, quod sit de subiecti definitione.

4. *Notum natura, & notum nobis.*

His ita constitutis, illud insuper adnotarim, aliqua dici nota naturâ, aliqua verò nota nobis, vt patet ex Aristotele 1. Poster. cap. 2. & lib. 1. Physicor. textu. 2. 3. & 4. item 1. Metaphysicor. cap. 2. & 1. Ethicor. cap. 9. non quòd ea quæ naturâ suâ nota sunt, non possint etiam esse nota nobis, sed quia non statim sequitur, hoc est notum naturâ suâ, ergo est etiam notum nobis. Quum igitur quæritur, verum hæc propositio, *Deus est*, sit per se nota? Distinguendum est, vel enim sciscitaris, an sit per se nota naturâ suâ, vel, an sit per se nota nobis: multa quippe sunt naturâ suâ notissima, quæ tamen nobis sunt valdè ignota.

Notissima quædam naturâ suâ, nobis ignota.

Oculus nostri intellectus caligat in notis à natura.

quia intellectus noster se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus vespertilionum, ad lumen diurnum, inquit Arist. 2. Metaphys. tex. 2. & ratio est, quia cognoscibilitas est passio entis, non minùs quàm vnitas, veritas, bonitas. Quare quemadmodum quò res plus habet de entitate, plus etiam habet de vnitate, veritate, & bonitate, ita etiam plus habet cognoscibilitatis, quantum est de se: virtus verò nostra cognoscitiua, tota oritur à sensu; nil enim est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: quia verò fere vsu venit, vt quæ plus entitatis habent, vti sunt Deus, & Intelligentiæ, sint à nostris sensibus remotiora, fit, vt licet sint naturâ suâ notiora: nobis tamen, qui totam nostram cognitionem per sensus haurimus, sint ignotiora.

Cognitio nostra oritur à sensu.

5. *1. Deus esse natura sua per se no[ta].*

His positis, manifestum fit primò, hanc propositionem *Deus est*, esse per se notam naturâ suâ: ita D. Tho. 1. part. quæst. 2. art. 1. in corp. cuius ipse rationem reddit, quia nimirum illa propositio est per se nota, cuius prædicatum ponitur in definitione subiecti; at prædicatum istius propositionis ponitur in definitione subiecti; ergo est per se nota: minor probatur, quia istius propositionis subiectum, est Deus; prædicatum verò verbum substantiuum, *est*, de secundo adiacente, quod significat existentiam, non verò copulam meram prædicati cum subiecto, & esse, siue existere, est de essentia Dei, Deus quippe est sua essentia & existentia, vt habet D. Tho. 1. parte. quæst. 3. art. 3. & 4. ergo prædicatum huius propositionis, est de definitione subiecti.

2. Etiam [se]cũdum n[os].

Secundò dicimus, hanc propositionem, *Deus est*, non tantùm secundum se, sed etiam secundum nos, esse per se notam: ita Ægidius in 1. dist. 3. Argentinas ibidem, Albertus 1. parte tracta. 4. membro. 2. Antisiodorus lib. 1. cap. 2. præfationis, Nicolaus de Lyra, & Abulensis in illud Exodi. 5. *Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* quæst. 2. patet ex scripturâ sacrâ, psal. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* In quem locum interpretes volunt, lumen vultus Domini non esse aliud, quàm naturalem synderesim, seu iudicium naturale de bono faciendo, & malo fugiendo, quia à Deo præceptum vel prohibitum est, quemadmodum inter cæteros docet D. Thomas de quo lumine dixit Apostolus ad Rom. 2. quod gentiles haberent legem naturalem scriptam in cordibus suis, quæ his principijs continetur, omne bonum est agendum, & omne malum vitandum; quod tibi non vis fieri alteri ne feceris; bono & malo sua, cuique merces est; & quartò quod ex his resultat, Deus est rerum omnium principium, iudex & vindex malorum, & remunerator bonorum, sicut explicauit Iacobus de Valẽtiâ noster in psal 4. & Robertus Holkot in Sap. 6 lect 81. sapientiam, quæ Deus est, in intellectu principiorum manifestè patere scribit: Tale namque iudicium, includit existentiam Dei, quomodo enim præciperet, aut prohiberet, qui non est? ea quippe quæ non sunt, quomodo loquentur, aut ambulabunt? vt loquitur Aristoteles in Metaphysicis. Patrum etiam auctoritate roboratur, Nazianzeni orat. 24. *Vno consensu omnes naturalibus animi notionibus edocti, atque imbuti, Deum esse fatentur.* In quem locum Elias Creten. idem scribit, & eleganter prosequitur D. Nazianzen. orat. 34. *Etenim quod Deus sit, ac princeps quædam caussa, quæ omnes res procrearit, atque conseruet tum oculi ipsi, tum lux naturalis docet: illi dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt, easque & pulchrè fixas, & stabiles esse, & progredi, atque immotè (vt ita dicam) moueri; voluique propiciunt: Hæc autem, dum per res oculis subiectas, ac recto ordine collocatas, auctorem earum cõiectura quadam colligit atque assequitur, &c.* Coniecturâ quâdam, inquit, quia non quod quid est, eius, sed quæ circa ipsum sunt, aliquo modo consequimur. D. Damasceni lib. 1. fid. c. 3. Tertulliani lib. 1. in Marcionem, asserentis Deũ à primordio notum, nunquam latuisse, semper illuxisse. D. Ansel. Prosologij cap. 3. & 4. & libro Pro insipiente: Boëtij lib. 3. de Consolat. prosa. 2. D. Hieron. in illud Iob. 36. *Omnes homines vident eum.* in quæ verba eleganter Philippus, *Quamuis quis tam prauus sit, & frigidus, vt alienus esse studeat à Creatore, & Deo suo, nullus tamen est qui se abscondat à calore eius; & ideo vnusquisque mortalium, licet de longè, sentit, & intelligit Deum*: aliorumque plurium, quorum vna vox est, Dei cognitionem vnicuique nostrûm naturaliter esse insitam, nullum

Psal. 4.

Deus in intellectu p[rin]cipiorum [e]uidenter cognosci[tur].

Iob. 36.

esse qui se abscondat à calore eius: Dei existentiam indubitabilem, certo percipi intellectu; Deum esse pro certo ex creaturis cognosci, vti loquitur Stunica noster in eum locum Iob. Et Irenæus lib. 2. cap. 5. totidem verbis: *Ratio mentibus infixa monet, & reuelat quoniam est vnus Deus omnium Dominus.* Vt quasi naturali quodam rationis motu, homo ex seipso Deum cognoscat.

Nec tantùm ea est vox sacrorum codicum, & Doctorum, sed etiam profanorum, quia, vt inquit D. Gregor. in citatum locum Iob: *Omnis homo eo ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione intelligere, eum, qui se condidit, Deum esse: quem, videlicet, iam videre, est Dominationem illius ratiocinando conspicere.* Hinc Tullius 1. de Natura Deor. ait, naturam impressisse in omnium animis Deorum notionem: nec vllum esse genus hominum quod non habeat, sine doctrina, anticipatam quandam Deorum opinionem: ex quo efficitur vt is Deum agnoscat, qui vnde ortus sit, quasi recordetur: quod mox à Senecà, alijsque comprobatum legimus.

6. Confirmatur.

Et ratione Ægidij & Argentinæ confirmari, nostra sententia, potest, quia scilicet propositio per se nota est, cuius prædicatum est de ratione subiecti, quæ negari non potest, & quæ intelligenti terminos, statim apparet vera, at ista propositio talis est, ergo est per se nota. Maior conceditur ab omnibus: probatur minor, quia prædicatum est de ratione subiecti, vt diximus: Deinde quia talis propositio, non potest negari, nisi ab eo qui vel nomen tantùm audit, significatum autem non intelligit; vel sanè, licet intelligat, negat vocetenus, non corde, quanquam insipiens dixerit in corde suo, non est Deus. Verùm quomodo dixit in corde, & non dixit in corde? Respondet D. Anselmus, Proslogij cap. 4. *Aliter cogitatur res, cùm vox eam significans cogitatur, aliter, cùm id ipsum quod res est, intelligitur. Illo itaque modo potest cogitari Deus non esse; isto verò, minimè. Nullus quippe intelligens id quod Deus est, potest cogitare quia Deus non est, licet hæc verba dicat in corde, aut sine vlla aut cum extraneà significatione. Deus enim, id est, quo maius cogitari non potest. Quod qui bene intelligit, vtique intelligit id ipsum sic esse: vt nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare.* Quare conuincitur insipiens, esse velim intellectu aliquid, quo nihil maius cogitari potest, quia cùm id audit intelligit, & quod intelligit, in intellectu est, neque in solo intellectu, tanquam res ficta & commentitia significetur, vnde dicat in corde, non est Deus; vel si in solo intellectu est, inquit D. Anselmus cap. 2. potest cogitari, esse, & in re, quod maius est; vt & in intellectu, & in re sit aliquid, quo maius cogitari non valet; quod si non sit ens in re, sed solù in intellectu, posset quis, eo maius aliquid cogitare, nempe si cogitarit illud reipsa esse, & non solùm in intellectu. Igitur qui veritatem illius propositionis *Deus est*, cognoscit; per hoc cognoscit rem significatam, hac voce, *Deus* non esse rem fictam, sed veram & actu existentem, & eo ipso quo vera est, talem esse, vt necessariò sit. Statim namque ac auditur, intellectis terminis, vera iudicatur, vt patet ex omnium nationum consensu, ante omnem doctrinam, vel discursum. Hac enim ratione Aristoteles in Ethicis, colligit dari quoddam ius naturale, nimirum propositiones quasdam practicas per se notas, quia scilicet, semper, & vbique terrarum, pro veris recipiuntur; vt malum est fugiendum: docetque quod quemadmodum dicimus ignem naturaliter vrere, quia similiter hìc, & apud Persas vrit, ita rectè dici propositiones illas esse naturaliter notas, quæ semper & vbique notæ sunt

Insipiens vt neget esse Deum.

hominibus ratione vtentibus: at eiusmodi est ista propositio, *Deus existit*, ergo non tantum secūdum se, sed etiam secundum nos est per se nota; rectè Hugo in sententijs, *Deus notitiam suam ab homine, sic ab initio temperauit, vt sicut nunquam quid esset poterat comprehendi, nunquam, quia esset, poterat ignorari.*

Soluuntur argumenta in §. principio posita.

7. Ad primum.

SVperest vt argumentis in principio propositis respondeamus: Ad primùm itaque, quod de viatore adfert Vasquez. Neganda est consequentia, quia ex eo præcisè quod termini propositionis, non possint concipi, nisi cum habitudine ad alios terminos, non est necessarium illos cognosci per alios, & ex vi cognitionis aliorum: aliud enim est, vnum cognosci relatè ad aliud; & aliud vnum cognosci per aliud: nam ad hoc secundum requiritur discursus, non ad secundum: vnde omnes dicimus hanc propositionem, totum est maius suà parte, esse notam nobis per se, & tamen non concipimus totum nisi relatè ad partes: quod idem manifestum est in illo alio principio per se noto, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia, quod clarè constat terminis respectiuis: sic etiā dicitur hęc per se nota, Deus est colendus, & tamen neque subiectum neque prædicatum, possunt concipi sine habitudine ad creaturas. Non igitur videtur efficax illa consequentia; Non possumus concipere Deum nisi cum ordine ad creaturas, ergo Deum esse non est per se nobis notum, sed per creaturas: posset enim quis dicere, esse omnibus, vel saltem sapientibus, notum per se, dari Deum factorem, ac Dominum omnium creaturarum, ita vt hoc necesse sit concipere, quum concipitur significatum huius vocis, *Deus*.

Ad 2.

Ad secundū neganda est minor, vel enim in ea agitur de eo, qui perfectè scit quid sit Deus, & quid sit Deum esse, quales sunt beati: & de his certum est eos ex tali notitiā determinari ad iudicium certū & euidens de Dei existentiā: imò eadem est notitia, quā sciunt quid sit Deus, & an sit Deus. Vel agitur tantùm de illo qui abstractiuè terminos cognoscit, vt homines viatores: & de his, adhuc certum est, ex declaratione terminorum, statim euidenter & certò iudicare Deum esse: puta, si dicas nomine Dei, intelligi existentium existens nobilissimum, siue id quo maius cogitari non potest: intelligi eum, cuius iram & offensionem, omnes homines metuunt naturaliter: summum gubernatorem vniuersi, Dominum, caussam, finem vltimum, &c.

Ad 3.

Ad tertium. Etsi totum concederetur, nihil contra nos infertur, solùm enim probat nos non cognoscere sine discursu, Deum conceptum sub ratione nobilissimi entis, existere: non tamen probat, nos non cognoscere naturaliter, Deum existere sub aliquà aliā confusiori ratione, quā ratione concipitur ab omnibus nationibus, quātumuis barbaris: nulla enim est, quæ Deum non timeat, & quæ peccando, non censeat se offendere aliquam supremam legem totā naturā humanā superiorem, vel etiam negari potest consequentia. Disparitas est, quod ista propositio, nobilissimum animalium existit, vel non est vera, vel certè si vera est, per se nota esse non potest, cùm sit propositio contingens: at verò ista, *Deus est*, est propositio æternæ veritatis, nec possibile est vllam esse talis veritatis caussam, vel rationē formalem per quam à priori demonstrari possit, & proinde, est per se nota.

Ad 4.

Ad quartum, Verum quidem est, ea quæ sunt vicina principio cognitionis nostræ esse nota

nobis;

nobis; non tamen propositio conuertitur, ergo omnia nota nobis, sunt vicina principio cognitionis, vt patet in hac vniuersalissimâ propositione; non potest idem esse, & non esse, item quodlibet est, vel non est; illa enim adeo nota est, vt nemo illam negare possit, nisi verbotenus, teste Aristotele 4. Metaphysicor. *Non est necesse, quæcunque quis dicat, etiam ea putare*, & tamen constat terminis abstrahentibus ab omni materiâ tam sensibili, quàm intelligibili. Itē D. Thomas, ex Boëtio, admittit hanc propositionem esse per se notam, incorporea non sunt in loco, & tamen subiectū huius propositionis, non cadit sub sensum. Ad Aristotelem dico, illum velle, existentiam Dei esse nobis ignotam, quoad quæstionem quid sit, non quoad quæstionem, an sit; Sed neque tantùm verum est, homini aliqua immaterialia esse per se nota, sed, quod longè mirabilius est, id etiam brutis euenit: videmus enim bruta habere cognitionem multarum rerum, quæ sub sensum externum nullo modo cadunt, vt patet de oue, mure, lepore, hæc enim animalia, statim viso inimico, fugiunt, quia cognoscunt inimicitiam, quæ tamen non cadit sub vllum sensum externum. Cognoscitur tamen virtute potentiæ æstimatiuæ, eleuantis species rerum sensatarum, ad formandam cognitionem rerum insensatarum, quæ virtus communiter instinctus appellatur. Quod igitur in brutis est instinctus naturalis æstimatiuæ virtutis, hoc in homine est virtus intellectus, quę naturali pondere fertur ad aliquas veritates indubitanter, & absque vllo discursu, è quorum numero, dicimus istam esse, *Deus est*, id est, nobilissimum existentium, est existens, vt patet ex consensu omnium nationum. Quod etiam D. Paulus ad Rom. 2. insinuat. quum ait, *Gentes quæ legem non habent, quæ legis sunt, naturaliter faciunt.*

Rom. 2.

Ad 5.

Ad vltimum. Quum dicitur, nemo potest indicare oppositum eius, quod est per se notum nobis: verum est, si de omnibus omnino quibus id per se sit notum, intelligatur: sin verò de sapientibus tantùm, negatur: potest enim insipiens iudicare oppositum eius quod est per se notum sapienti. Aut etiam sic: Nemo potest iudicare oppositum eius quod est per se notum nobis, quamdiu bene considerat terminos propositionis per se notæ, verum, quamdiu non bene considerat, falsum. Cùm enim esse Dei sit valde remotum à sensu, fieri facilè potest, vt negligentiùs consideranti existentiam eius, subrepat aliqua titubatio, qui si rem accuratiùs consideraret, omni dubitatione liberaretur: & hoc quotidie docet experientia Atheorum: illi enim, quantumcumque conentur exuere religionem legis æternæ, ab ipso Deo indistinctæ, non tamen potest ab eorum cordibus aboleri, vti docet D. Tho. 1. 2. quæst. 94. art. 2. Itaque sciunt illi semper, saltem habitualiter, Deum esse, quia tamen potest quis actu opinari oppositum eius quod scit habitualiter; ideò fit, vt insipienti veniat aliquando in mentem, Deum non esse: quando scilicet rationis dictamine neglecto, conuertitur ad sensus, & affectus sensuum perturbatos sequitur. Ita Franciscus Suarez lib. 1. de essentia Dei cap. 1. quum ait hanc veritatem non negasse, nisi qui illius demonstrationem attentè considerare noluerunt, aut non potuerunt, vel ex defectu doctrinæ & ingenij, vel ex aliqua nimia cupiditate, quâ occæcati, beatitatem omnem, aut in diuitijs, aut in voluptatibus, aliisve fluxis & caducis rebus collocarunt: cuiusmodi farinæ sunt horum temporum politici, qui prorsus immersi corporeis, quod spirituale est & æternum, nihil attendentes, athei fiunt, catenus tantùm Numinis religionem æstimantes, vsurpantésve, quatenus statui suo, rebusque suis retinendis augendísve, conducibilis videatur.

CAPVT VI.

Signis, siue Creaturis, demonstratur Deus.

VEnio ad alteram viam, quâ Deus suā demōstrat existētiam; ad signa videlicet, siue creaturas; quarū speciē externā proponit Deus, ceu quoddā diuinæ potētię, atque sapiētiæ signū, cuius animaduersione, discamus aliud esse quod intuemur; & aliud quod in rebus inspectis significatur: hoc, æternæ & incommutabilis naturæ, illud temporariæ & variabilis formæ: hoc, ipse Deus est qui cuncta cōdidit; illud, creatura est, quæ suo famulatur Creatori: hoc adorandum, illud admirandum, & quod, Iustinus martyr tanquam, pædagogum gentibus esse voluit de Deo sciscitantibus, vnde sciri posset, sitne omnino? Respondit enim. Ex eorum quæ sunt concretione, & constitutione ac stabilitate. Neque enim, ea quæ sunt, essent, nisi Deus eis prior esset, qui partes omnes eorum quæ creata sunt, necessariò ad totius naturæ creatæ vtilitatem substituit. *Quonam enim modo*, inquit D. Nazianz. *vniuersa hæc rerum moles, vel producta vnquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum naturam protulisset, atque conseruaret?* Id quod eleganter explicat citharæ exemplo, quâ visâ, auditoque eius concentu, in artificis vel citharœdi notitiam peruenimus. *Quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrimè confectam, & elaboratam conspiciens, eiusque concinnitatem & constitutionem, aut etiam ipsius citharæ cantum audiens, nihil aliud quàm ipsum citharæ conditorem, atque citharœdum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ignotum: eodem quoque modo nobis, is qui res effecit, effectasque mouet, atque conseruat, manifestus est, etiamsi mente minimè cōprehendatur.* Nam cùm Deus ignis sit, in cuius symbolum, totus mons Sina cursitantibus hinc inde lampadibus flagrabat, fumoque circumfundebatur (*tangis enim ipse montes, & fumigāt*, psal. 143.) nos verò totam illā fulgurantis & tonantis ignis substantiam, capere non possimus: ex eo igne, inquit D. Hieron. de prima Isaiæ visione, *Lenior quædam in vniuersum mundum, &, vt ita dicam, rarior fumi natura dispergitur, quam nos capientes dicamus, ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Et iterum. *Nunc videmus per speculum in ænigmate.* Hoc est (vti acutè aduertit D. Ambros. in 1. cap. epistolæ ad Roma. & refertur à Petro Lombardo in 1. sentētiar. lib. distinctione 3. vbi etiam hunc duplicem modum cognoscendi Deum, lumine, scilicet rationis, & creaturarum notis, tradit) *Vt Deus, quia naturâ inuisibilis est, etiam à visibilibus posset sciri, opus fecit quod opificem visibilitate sui, manifestauit, vt per incertum* (intellige creaturæ) *certum posset sciri; & ille Deus omnium esse crederetur, qui hoc fecit, quod ab homine impossibile est fieri.* His accedit D. Bonauentura quum ait, res omnes creatas esse propter Dei gloriam, non acquirendam, aut amplificandam, sed ostendendam, manifestandam, & communicandam. Quamuis enim gloria Dei sit ante molitionem vniuersi, & sine rebus à se factis, nonnisi tamen per res productas, ea aut manifestatur, aut communicatur: quarum compages, & conseruatio, atque gubernatio, inquit D. Damascen. lib. 1. de fide cap. 3. Deum esse, qui vniuersam hanc molem coagmentauit, eamque tueatur, atque conseruet, eique perpetuò prospiciat, nos docet. De quo Orpheus cecinit:

πάντα γενέθλ', ἀρχὴ πάντων, πάντων τὸ τελευτή.
Hunc esse vniuersorum patrē, originēque ac deniquè finem

2. Deus cognoscitur creaturis.

Nazian. l. 2. de Theologiâ.

Deus ignis est. Ps. 143.

1. Cor. 13.

Creata sunt propter Dei gloriam manifestandā.

2.
Columnis inscriptæ scientiæ.

Vt enim futuram Noha temporibus eluuionem, mundique vastitatem ex aquis, nonnulli præsagientes, ne indeptæ longâ experientiâ & vsu rerum, sapientiæ monumenta, futuræ ætati deperirent; altissimas erexere columnas, quibus sapientiæ & philosophiæ excogitata elementa, & notas inciderent, posteritati transmittendas: ita cùm ignorantia, multo concupiscentiæ humore effuso, intelligentiam nostram esset obrutura; mundialis fabricæ altitudinem, siue columnas duas, intelligibilem, scilicet, & sensibilem creaturam, immmæ, infinitæ, atque adeò diuinæ cuiusdam virtutis charactere insignitas, nostris obtutibus obiecit Deus, quibus inspectis & cogitatis, infinitæ sapientiæ existentia affectionesque illius præclarissimæ, nobis innotescerent; & tanquam à lineis in centrum, duceremur in Numinis cognitionem, cuius in tantâ rerum à se conditarum mole, inexhaustæ opes, inexhausta potentia, quia, vt inquit D. Chrysost. hom. 4. in Ioan. *Quemadmodum lux, quantumuis hominum multitudinem illuminaret, nihil splendoris remitteret: itidem Deus, & antequam mundum conderet, & postquam condidit; idem perfectus atque integer permanet, nihil tamen, & tam admirabili opificio minor, nihil imbecillior.*

Columnæ Mercurij.

Hæ sunt columnæ Mercurij, toto orbe celeberrimæ, Ægyptijs venerandæ, quas Iamblichus plenas ait esse doctrinis, ad quarum speculationem, Plato Eudoxus, multique alij Græcorum nominatissimi, peregrinati sunt. *Hæc enim machina*, inquit Procopius Gazæus, in primum cap. Genes. *docet animos mortalium & ad veram Dei cognitionem manuducit.* In hunc enim finem, à Deo Creatore effecta est, nimirum, vt ipsa sit nobis primum elementum, & principium cognoscendi Deum. Est lucerna accensa Lucæ cap. 15. quâ viciatæ naturæ demerito, perditam drachmam, requirimus: est lux à luce, quâ lucē essentialem inuestigamus. *Sicut enim solem, ipso sole aduti cernimus*, inquit Philo Iudæus lib. de præmijs, *& lucis aspectū, luci debemus; ita Deum, Deo adiuti quærimus, & lucem, ope luminis*: opificiū namque Dei, quid aliud est, quàm lux, seu potiùs lumen lucis, quàm Deus in facturâ suâ? Vnde D. Hieronymus epistola de prodigo, ad Damasum, *Substantia Dei est omne quod viuimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus: hæc Deus æqualiter vniuersis, & in commune largitus est, Euangelistâ dicente, erat lux vera quæ illuminat omnem hominē:* Namque vt inquit D. Gregor. Nazian. orat. funebri in Athanasium Alexandriæ Episcopū: *Quod sol est sensibus, hoc intelligentibus est Deus. Hic enim mundum illuminat visibilem, ille verò inuisibilem: & hic quidem visum corporalem illustrat, ille verò naturas intellectuales, splendidas reddit: & quemadmodum hic, videntibus & visibilibus, his quidem vt videant, illis autem vt videantur, vim subministrat, ipseque inter visibilia est pulcherrimus: ita & Deus, intelligentibus, & intellectis; his quidem, intelligere; illis verò vt intelligantur, suppeditat: ac ipse inter intelligibilia est altissimus, in quo omne desiderium consistit, & super quem minimè fertur.*

Mundi machina est lucerna accēsa.
Lux à luce.
Vide cap. 2. num. 11.

3.
Scala Iacob.

Ea porrò est summi boni natura, vt ad se attrahat, mirisque modis, mentes mortalium alliciat ad boni incommutabilis cognitionem: ideoque rerum creatarū gradus, ceu scalam Iacob, interrè defixam pede, posuit; per quam, à terrenis assurgentes, mente in cælum tendamus; donec ex gradu, gradum. ascensu, superantes, attingamus fastigium, vbi agnoscitur, & colitur Deus. Hoc est, quod ait D. Gregorius Nyssenus scalis istis, philosophiam comparans, quod illa primordia cognitionis suæ à terrâ desumens, velut à rudioribus quibusdam elementis, per creaturas gradiatur; mentemque gradatim, ad diuinarum rerum notitiam rapiat. vide cap. 41. §. 3. nu. 6.

In supereminentem namque Dei splendorem, primo aggressu intendere non poterat humana mens, neque ens increatum, in voluminibus æternis prehendere: itaque elementa huius mundi proposita voluit Deus, veluti librum quendam explicatum, vt aduertit D. Ioan. Chrysost. lib. de incomprehensibili Dei naturâ, in cuius charactere, diuina, saltem vmbraticè, contemplemur. Sicut enim Moises in cliuo montis abditus, Dei, quasi transeuntis, posteriora vidit: ita & nos: quoniam enim Deus, qui in se mons est altissimus, in rerum procreatione, quasi vallis factus est nobis; ea, quæ post se, impressione factâ, reliquit, intuemur, & illecti rerum perspectarum pulchritudine, à charactere in characterem, à gradu in gradum, mirâ conscendendi cupidine, agitamur; atque vnguenti illius odore, per vniuersi speciem effuso, attracti, infatigabili animorum motu, ad eius notionem, qui omnem creaturam supergreditur, currimus.

Creaturæ sunt posteriora Dei.

Ita fit vt, *Dies Diei eructet verbum, & nox nocti indicet scientiam*, psal. 18. hoc est, interprete Toleto Annotatione 32. in cap. 1. Ioannis, ordo temporum sibi inuicem succedentium, & rerum pro varietate temporum dispositio, eructat, & abundanter significat, & indicat nobis *Verbum & Scientiam*, quibus facta sunt omnia. Quemadmodum enim Pythagoras, teste Aulo Gellio Noctium Atticarum lib. 1. cap. 1. ex stadio Olympico Herculis pede dimenso, quod alia stadia longitudine anteibat, habitâ proportionis ratione, quantæ proceritatis fuisset Hercules, ex Herculani pedis mensura cognouit, &, *quod erat consequens, tantò fuisse Herculem excelsiorem quàm alios, quantò olympicum stadium, cæteris pari numero factis anteiret*: ita diuini Numinis effecta, quæ toto cernuntur orbe, immensam illius magnitudinem ostendūt, efficacissimam agendi vim declarant, quantumque creatis à se rebus ante stet, demonstrant: hoc est quod aiunt, *ex vngue leonem*. Nihilo namque secius atque Timantes, qui effictâ ad aras Dianæ Iphigeniâ iam iam immolandâ mœstos omnes, qui iuxta aderant, expressit: consumptisque adfectibus, afflicti parentis illius vultum, quem præ tristitiæ magnitudine depingere non potuit, velo obduxit. Cyclopem etiam cùm pinxisset in paruâ tabellâ, vt illius magnitudinem exprimeret, Satyros addidit thyrso illius pollicem metientes: quò sic ex eius operibus, amplius intelligeretur, quàm pingebatur: ita Deus, condita, tanquam picturas adornauit, ad quarum intuitum, quantus sit conditor earum, intelligeretur. Plinius lib. 35. natural. histor. cap. 10.

Psal. 18.
Herculis statura ex stadio cognita.
Timantes pictor.
Luctus & proceritas ingens, vt indicatâ.
Magna partis indicata.

4.

Ista sunt ænigmata, quæ in vasto huius mundi opificio exarata, viæ deseruiunt, quam ineuntes, quasi qui à riuulis, ad fontem ipsum à quo dimanant, ascensu quodam deducitur; ad Numen aliquod superius, interminum, antiquius cælo & chao, peruenient, à quo, ceu stillante cælo, desiderabilia cuncta ad nos guttatim deriuantur: ita in opificijs suis opifex intelligitur. Quis enim inspectâ tabulâ vel statuâ, nō statim intelligit pictorem, vel statuarium? ita etiam in bene constitutâ Republicâ, & sanctis adornata legibus, optimus qui præsit Magistratus, agnoscitur. Haud secus, sedulâ mentis designatione, condita hæc, inspectantibus, accidit: quis enim montana, campestria, lacos, stirpes, animalia, fontes, amnes, sidera, & cælos ipsos videns, non inducet animum, Architectū quendam esse, priorem istis, ac superiorem, qui cuncta condidit? Nam si Protogenes, ex vnico penicilli tractu, intellexit Apellem pictorum principem, qui illum duxerat, non cognoscemus Deum per tot linearum ductus, quos suæ potentiæ, sapientiæ, boni-

Protogenes ex pictura cognoscit Apellem.

bonitatis ac beneficentiæ, expressas in creaturis cernimus?

Potentia & sapientia, & bonitas Dei quibus significata.

Molis huius immensæ magnitudo, opificis potentiã indicat: pulchritudo & ordo sapientiam: rerum multitudo & copia, liberalitatem, & beneficentiam: vtilitas, misericordiam & bonitatem. Si quis hæc non considerat, quid aliud, quàm peccati caligo eius fascinat oculos quò minùs ista videat? Non illepidâ apud Philonem Iudæum, lib. de plantatione Nohæ fabella, tantâ χαχοφθαλμία redarguitur, vbi ait, à sapientibus viris fabulosè traditum, olim quum mundum totum opifex Deus absolueret, eum è Prophetis quendam rogasse, num aliquid nondum creatum desideraret? cui ille; esse quidem perfecta, plenaque vbique omnia; vnum tamen se requirere laudatorem diuinorum operum. Adeò nimirum mentes obstupuere mortalium, ex quo peccati toxicum admiserunt, vt in magnâ hominum multitudine, vel vnicus diuini opificij laudator æquus & iustus, atque ad Diogenis lucernam conquisitus, desiderari possit: quod sanè, eheu! miserandum à Sapiente inculcatur cap. 13. *Vani sunt*, inquit, *omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ vident bona, non potuerunt intelligere eum qui est: neque operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex.* Quanquam tamen, Deus est quidquid est, & quidquid vides, cùm vel vna herbula, præsens referat Numen: & tot sint linguæ, tot ora, Conditoris potentiam, & magnificentiam enarrantia, quot sunt creaturarum species.

Dei operum laudator desideratur.

Psal. 18.

Cap. 13.

5. Creaturæ sunt Dei voces.

Sunt enim creaturæ, Dei voces, quia potiùs vt Deum significent, factæ sunt, quàm vt ipsæ sint: ita D. August. in psal. 26. ita quoque Tertullianus auctor antiquissimus, vnde dixit Sapiens cap. 1. *Hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*, quia hoc ipsum, vox est Dei: & in Prouerbijs cap. 8. *Sapientia*, quæ est Verbum Dei, clamitare dicitur, & dare vocem suam, *in summis excelsisque verticibus, supra viam, in medijs semitis, iuxta portas ciuitatis, in ipsis foribus loqui.* Quia in cunctis creaturis relucet sapientia Dei, per quam, mirabili artificio sunt procreatæ. Inuestiga igitur omnes; interroga an earum aliqua sit Deus? Et quid aliud respondebunt tibi, quàm, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*? psal. 100. *Interrogaui molem mundi*, inquit D. August in Soliloquijs, *Dic mihi, ésne tu Deus meus? & respondit voce forti, non sum Deus tuus; sed per ipsum ego sum: quem quæris in me, ipse fecit te & me, & eum quære supra te & me.* Astra voce compella, quid disces ab illis, quàm quod apud Euripidẽ? ἀςέρες

Sap. 1. Prouerb. 8.

ἐν οὐρανῷ, ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ.

Stella in cælo, varietas sapientis fabri.

Sol ait, inquit, D. August. lib. 10. Confess. cap. 6. *non sum ego Deus, quia eclypsim patior. Luna dicit, non sum ego Deus tuus, quia minor: & totus denique mundus clamat, non sum ego Deus tuus; quia deficio.* Ecce clamores & voces imperfectionis propriæ, atque dependentiæ eorum, quorum auctor est Deus. Cùm enim intra entis finiti ambitum contineantur; non ex se, sed ab alio dependenter habent, quod sint: est enim illud proprium & naturale enti finito, & nonnisi entis infiniti naturæ competit esse à se; non positiuè, per emanationem & originem positiuam, quasi idem sit esse à se, quod à seipso productũ esse; in quo hallucinatus est Lactantius Firmianus, quum Deum à seipso, ex tempore procreatum dixit, hoc futili nixus fundamento, quoniam fieri non possit, vt id quod est, aliquando non esse cœperit: verùm à se, negatiuè, vt scilicet sine emanatione ab alio, habeat esse: per quam negationem, positiua & simplex summi illius entis perfectio, declaratur; quod

Esse à se, vt competat Deo.

sanè in essentiâ suâ, suam ipsius existentiam ita includit, vt à nullo præterea, illam recipiat. In quem sensum, Sanctorum Patrum mens explicanda est, si quando eos vel audierimus dicentes, vel legerimus, Deum esse sibi caussam sui esse, vel etiam, substantiæ, aut sapientiæ suæ: cuiusmodi idiotismo vsum fuisse D. Hieronymum in cap. 3. epist. ad Ephesios comperimus, quum dixit, *Deus sui origo est, suæque caussa substantiæ.* D. quoque Augustinus lib. 83 quæstionum, quæst. 15. & 16. vbi ait, Deum esse caussam suæ sapientiæ; & lib. de Trinitate 7. cap. 1. vbi de Patre æterno, eum in hunc modum locutum legimus, *Quod illi est caussa vt sit, est etiam caussa vt sapiens sit.* Ita Theologi, & in Metaphysicis; Suarez disput. 28. sect. 1. numero 7.

CAPVT VII.

Euidentérne ex Creaturis existentia Dei demonstrari possit?

1. Deum à priori monstrari non posse.

Illud comperti satis, Deum esse, à priori vt vocant, demonstrari non posse; nam cùm illa dicatur à priori demonstratio, cuius medius terminus est caussa, non tantùm vt cognoscatur prædicatum conclusionis conuenire subiecto, sed etiam vt reipsa conueniat, certum est nullam dari caussam, cur, esse, conueniat Deo, cùm Deus sit esse suum, independenter ab omni caussalitate, tàm formali, quàm virtuali: vnde fit, Deum esse, non esse à priori demonstrabile.

Potest à posteriori.

Reliquũ est, vt cũ D. Thoma, illud à posteriori, demonstrari posse, asseramus: est autem demonstratio à posteriori, illa, in qua medius terminus est caussa, vt cognoscatur prædicatum conclusionis, conuenire subiecto, licet non sit caussa vt conueniat: atqui tales dari demonstrationes manifestum est, valet enim consequentia ab effectu ad suam caussam, quia effectus, sine caussâ esse non potest: sunt namque correlatiua caussa & effectus, correlatiua autem sese mutuò inferunt: potest itaque à posteriori demonstrari, Deum esse, & est Catholicum dogma ex Apostolo ad Rom. cap. 1. vbi agens de Ethnicis, inquit, *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit.* In quæ verba D. Anselmus, *Notum Dei est, quod naturali ingenio sciri potest à Deo: hoc autem de Deo naturaliter sciri potest, quòd ipse sit Deus*: & Gaspar Cassalius lib. 1. de quadripartitâ iustitiâ, parte 1. cap. 11. infert, ipsam talem cognitionem veri Dei, quam gentiles illi habuerunt, non in solam generalem influentiam Dei, sed in adiutorium gratuitum eius, referri debere, quo Deus Optimus Maximus, ipsos gentiles gratiâ præparauit, vt illam cognitionem haberent, propter merita Saluatoris nostri præuisa; hoc enim est quod dicit Apostolus, illis esse manifestum, & quod Deus illis manifestauit.

Rom. 1.

Addit Apostolus, *Inuisibilia enim ipsius, à creaturâ mundi per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas.* Inuisibilia, inquit Dei, numero multitudinis, hominem cognoscere potuisse, aut etiam cognouisse, quia Dei veritas, per ea quæ facta sunt, pluribus modis haberi potest, à creaturâ mundi, id est, ab homine, quem sic appellari contendit Petrus Lombardus lib. 1. sententiar. dist. 3. vel propter conuenientiam, quam habet cum omni creaturâ, vel propter excellentiã quâ cæteris eminet creaturis; quod ex D. Anselmo in 1. cap. epist. ad Romanos desumptũ est, vbi ait, *A creaturâ mũdi, id est, ab homine qui omni creaturæ præeminet, vel à constitutione mundi sciri potest, quod ipse sit Deus: quia omnis creatura ostendit, se non esse Deum, sed esse alium, qui eam fecerit, cuius fer-*

vitio parere necesse est. Post quos D. Thomas in 1. cap. ad Rom. lectione 6. ita locum hunc explicat, vt quod cognoscibile est homini de Deo per rationem, manifestum fuerit ex eo quod in illis est, id est, ex lumine intrinseco. Dupliciter autem Deus aliquid manifestat homini; vno modo infundendo lumen interius, per quod homo cognoscit. Psal. 42. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Alio modo proponendo sapientiæ suæ signa exteriora, scilicet sensibiles creaturas Ecclesiastici 1. *Effudit illam*, scilicet sapientiam, *super omnia opera sua*, in quibus velut in libro, Dei cognitio legeretur. Dicitur autem pluraliter, inuisibilia, quia Dei essentia, quæ hac voce significatur; non est nobis cognita secundum illud quod est, scilicet, prout in se est vna, quomodo in patria cognoscitur, sed per quasdam similitudines in creaturis repertas, quæ id quod in Deo vnum est, multipliciter participant. In quem sensum dixit Procop. Gazæus in Exod. *Cum consistere nequeas essentiam Dei, quæ antecedit æternitatem, potes tamen aliquo modo ἀναλόγως, per analogiam, ex magnitudine, & pulchritudine creaturarum, Deum speculari*: ita enim à *Creatura mundi*, hoc est, ab homine, vel ab vniuersali creaturâ, cùm nulla sit, quæ ex proprijs naturalibus possit Dei essentiam in seipsâ videre; vel à rerum creatione. *Omnes enim homines vident eum*, Iob 36. ita, inquam, *intellecta conspiciuntur*: id quod eleganter Sapiens cap. 13. prodidit, dicens: *A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit horum creator videri*: quibus verbis, Deum esse, euidenter & sciri & demonstrari posse, indicatur: Apertè etenim Sapiens ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται, *generator illorum conspicitur*, apertè Apostolus, inuisibilia Dei *intellecta conspiciuntur*, quod sic explicat D. Hieronymus ibi: *Tam euidenter intellecta sunt, vt conspecta dicantur.* Quam explicationem insinuat etiam D. Chrysostomus: & tradit D. August. tractatu 2. in Ioan. quum infit, *Deus inueniri potest per creaturam euidenter, dicente Apostolo, Inuisibilia Dei, &c.* D. Gregor. Nazianzen. quoque Orat. 24. & 34. quum de Patre, id est, de Deo, vt est principium non productum, nec factum ab alio, inquit, insitam esse hominibus eius naturalem cognitionem: eam porrò à naturâ insitam scribit, quia per discursum comparatur, sicut ipsemet explicat orat. 34. quæ est 2. de Theologiâ, vbi interpres, pro discursu, seu ratiocinatione, posuit, *coniecturâ assequi*, quum tamen sit in Græco, syllogizare, ratiocinari: itidem docet præclarum illud Romanorum Antistitum iubar. D. Gregor. lib. 27. moral. cap. 2. in illud patientissimi ac sanctissimi Prophetæ Iob 36. *Omnes homines vident eum.*

Deus dupliciter aliquid manifestat homini. *Ps. 42.*

Iob. 36.

Deus ex creaturis euidenter cognoscitur.

Gentiles igitur Philosophi per argumentationem à posteriori, ex creaturis, ita cognoscant Deum esse, vt de fide sit, eos, vt loquitur Apostolus, conspicere Deum, & eum manifestè cognoscere, quod vt inculcaret Sapiens, nõ satis habuit dicere, *videri*, sed insuper addidit, *cognoscibiliter videri*, quibus apertè significatur, cognitio certa & euidens, non verò probabilis tantùm, aut euidens & certa moraliter; veluti, si quis non vidēs solem aut ignem, sed solares tantùm radios, aut fumum; non posset magis proprijs & clarioribus verbis explicare, se habere demonstratiuam cognitionem solis & ignis, quàm vtendo eiusmodi verbis.

2. Philosophi manifeste cognouerũt Deum.

Hinc est, quod Scriptura, vt Ethnicos idololatras, Numen summum non agnoscentes, siue potiùs nolentes agnoscere, cùm non eis desit, vnde noscant illum, naturalis scilicet ratio, vt inquit D. Athanas. in c. 1. epist. ad Rom. vt, inquã, sermo sacer, idolomaniæ addictos confundat, argumentis vtitur, à creaturâ desumptis, vt quum Psal. 113. dicitur: *Ne dicant gentes, vbi est Deus eorum? Deus autem noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecit.* Namque, vt infert D. Irenæus lib. 3. cap. 8. liberè factæ sunt creaturæ omnes, & vocabulo *Dei*, atque Creatoris, nominari propriè non possunt; vtpote altioris entis, quod præseferunt, potentiâ mutabiles. Quinetiam Deus ipse apud Iob cap. 38. ex suis operibus, tanquam è diuinitatis suæ characteribus sese demonstrat, potentiamque suam infinitam, inquit Didacus de Stunica noster in illud cap. probat ex vniuersitatis rerum creatione, atque ex mirabili rebus omnibus à Deo tributâ naturâ: hinc illud D. Pauli Actuum 14. *Non sine testimonio reliquit semetipsum, dans eis pluuias.* Sentiebat enim Apostolus, illud esse efficacissimum argumentum, vt Deum ignorantes, aut cultu debito ipsum dedignantes, absque vllâ quam obtruderent tergiuersatione, impietatis conuincerentur: vnde etiam prædicaturus Atheniensibus, eos tacitè arguendo, supponit Deum esse, ita vt non possent resistere. Act. 17. *Deus, inquit, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cùm sit Dominus.* Reputabat ergo Apostolus, tam euidens hoc testimonium, vt Ethnici ipsi nullatenus refragari possent. Proptereaque Philosophos acerbè carpit, qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, ideoque traditos fuisse in reprobum sensum, *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*, quemadmodum & apud Isaiam 1. cap. ob par delictum, populus Israël vocatur, gens peccatrix, populus grauis iniquitate, semen nequam, filij scelerati, & alienati retrorsùm.

Gentiles habent vnde noscant Deũ.

Ps. 113.

Act. 14.

Act. 17.

3.

Porrò denique huiuscè nostræ sententiæ confirmationis gratiâ: euidentiæ illius signum manifestum habes in puero. Cùm enim homo, non modò ratione à brutis differat, sed vel maximè ad religionem inclinatione, vt propterea Tyrius maximus serm. 38. dixerit, *Neque reperies hominum genus siue barbarum, siue Græcum, siue marinum, siue continenti incolam, siue pastoritium, siue vrbanum, quod penitùs respuat significationes aliquas ponere gloria Deorum*: Puer ipse, quanquam sine cognitione, & loquelæ ratione sit, in mœrore tamen & conflictatione sua, sursum caput attollit, inde petiturus auxilium, naturâ ipsâ docente, Deum esse corporis & animæ auctorem, cumque in ærumnis & tribulationibus assertorem; quo profectò indicio (si tantisper animum aduerterimus) euidens, & palpabile fiet, Deum esse, adeò vt inexcusabiles sint, qui quod ignorare non poterant, non credentes, Deum, vt par est, non glorificauerunt.

Homo à brutis differt inclinatione ad religionem.

Fallitur itaque Petrus Aliaco in 1. dist. 3. quæst. 3. alijque nonnulli, quos suppressis nominibus notat D. Tho. 1. contra gentes cap. 12. qui tenent, non posse demonstrari ab effectu, Deum esse, sed posse tantùm demonstrari per creaturas, aliquas proprietates Dei, vt, quod sit vnus, quod immutabilis, &c. non verò quod sit: quia si hoc ignoretur, nihil prorsus de Deo cognoscetur, & sic actum erit de religione, & vitâ rationali benè institutâ, quorum fundamentum est, cognitio Dei.

Capitis 7. §. 1.

Possitne euinci ratione, Deum esse?

DEum esse, licet demonstretur, ad fidem pertinet, vt patet Exod. 3. *Ego sum qui sum: & qui est, misit me ad vos*: idque in omnibus scripturis, vel asseritur, vel supponitur: de fide, inquam, est, prop-

1. Deum esse est de fide.

propterea, quod qui id negaret, euidenter aliquã veritatem negaret, quæ ad fidẽ immediatè pertinet: vt sunt scripturæ sacræ & omnia fidei principia, nimirum Deum esse veracem, & Deum aliquid dicere: ea enim quæ non sunt, quomodo loquentur? Arist. 4. Metaph. Idcirco contra infideles, hæc veritas probanda est. D. Thomas, 1. parte quæst. 2. art. 3. quinque rationes probandi Numinis affert. Quarum prima, est Physica, ex 8. Physicorum accepta, & quam cæteris manifestiorem vocat Doctor Angelicus: quæ in hunc modum formari potest, Quidquid mouetur, ab alio mouetur, & quia in infinitum procedi nequit in mouentibus & mobilibus, ad aliquod primum mouens immobile deueniendum est: quod est Deus, qui vniuersum mouet immobilis, stabili prædictus & essentiâ, & facultate, & actione, vt inquit Suidas: atque ita motus suis agitationibus primum motorem per omnia immobilem, & morantem omnia, inclamat. Hac ratione Aristoteles, cogitatus suos ad cælestium sphærarum motus transferens, in primo aliquo motore, qui immotus omnia verset, sistendum esse, se demonstrasse putauit.

Rationes quibus probatur Deũ esse. 1. & Physica. Ex motu cęlorum Deũ cognosci.

Refutatur prima ratio. Primò.

Quia tamen hæc ratio supponit Deum esse, non autem probat, aut si probet, solùm per accidens probat, inquit Caietanus, quia solum prædicatum quoddam, quod in rei veritate Deo conuenit, demonstrat, nempe, quod sit primus motor, à nonnullis, de illius soliditate dubitatum est. Primùm, quia cæli à proprijs suis formis moueri possunt, ita vt ad primum & immobile motus principium, quod cetera moueat, nõ sit deueniendum. Aut ad summum, Aristotelicâ ratione probatur, cælos cieri à principio externo, quod si sit incorporeum, nihil necesse est ipsum quoque moueri, dum aliud mouet, inquit Suidas; non autem ostenditur caussa motrix superior & increata: cùm in motricem primi orbis intelligentiam, quæ neque per se, neque ex accidenti, physici motus affectioni subiaceat, hæc caussa referri possit: & quæ eos tanta facilitate circumagat, vt neque fatigatione, neque molestiâ languescat & tamen non sit prima omnium caussa, nempe Deus.

2\. Secundùm. Hoc principium motus ex Philosopho, esse spiritum quendam à materiæ concretione separatum; quod sic explicari potest. Cõstans & ordinatus cælorum motus, inferiorum procreationi deseruiens, indicio est, mentem aliquam esse, quæ hos circumferat: nisi enim boni communis notio indita esset motori, non ad illud destinasset, cælorum, animæ, & notionis illius expertum motum, qui cælis non necessarius videri posset. Dato autem, motum hunc à mente aliquâ, quæ ratione vigeat, fieri; consequens erit, mentem hanc à mole corporis seiunctã esse: corpus enim, cùm ad intelligentiam nihil conferat, quemadmodum patet in Deo, imò verò in cõtemplationis officio animam hominis aggrauet, nil opis ad motum conferet prorsus, deflueret enim & fatigaretur, atque ad orbium impulsum foret ineptum.

Quanquam tamen, ne hoc quidem ex aliorũ mente probaretur. Licet enim verum sit, cæli motorem non languescere, non fatigari mouendo: non inde sequitur ipsum esse materiæ expertem, sed solùm nullam inesse mobili resistẽtiam, dum impellitur, reactionem nullam: atque motorem esse æternum. Quemadmodum si sol ab æterno fuisset, non fatigaretur perpetuò illuminando, cùm sine vllâ resistentiâ, & repassione illuminet.

3\. Tertium, quod ex Aristotelis pronuntiato probaretur, est, inter Intelligentias quæ cælum versant, dari vnam præcipuam, eamque pręstantissimam. Nam si ex varijs orbium cælestium conuersionibus, motrices intelligentię colliguntur, cur non etiam ex eorundem numero & pręstãtiâ earum numerus & dignitas cognoscetur? Quare cùm cęlorum aliud alio sit pręstantius, ita de virtutibus motricibus philosophandum est, vt tandem primi mobilis intelligentia, sit longè pręstantissima, cui subijciantur reliquę, quandoquidem primum mobile, motus sui impetu, aliorsum secum deferat orbes alios, quàm quo proprijs agitationibus spectabant.

Stabilit[ur]

Optima igitur vt sit Philosophi ratio, stabiliẽda est, atque complenda ex lib. 12. Metaph. cap. 7. vbi sumpto motu in totã suę significationis amplitudine, vt non modò physicas, sed etiam Metaphysicas, spirituales & morales motiones, quibus res vtcunque mutari possit, complectatur; ad vnum quendam Motorem primũ, omnis omnino mutationis expertem, veniendum esse, in hunc modum ostendit: Cùm primum mouens moueat per intellectũ & voluntatem, atque ideò agat propter finem à se cognitum, & amatũ; aut istud tale mouens, propter se rãtùm agit, aut alterius gratiâ: si propter se, erit vndequaque immobile, quia non aliunde, nõ ab aliquo superiori ad mouendum allicitur: si gratiâ alterius, recurrit quæstio: & cùm in infinitum ire non liceat, in aliquo primo Motore stãdum erit, qui ab omni prorsus mutatione etiam metaphoricâ & impropriâ, cuius aliud quidpiam ab ipso, sit caussa, liber euadat: hic autem, est prima omniũ caussa increata, & totius naturę moderatrix, nempe Deus. Ex quo fit, vt esse, hoc modo, primum motorem, nulli alteri possit conuenire, quàm Deo, adeoque directè hac ratione probari, Deum esse; ita Capreol. Ferrarien. Bañes, & alij: quod si cui alteri conueniret, neque esset proprium, sed cõmune; ne quidem per accidens (quod volebat Caietanus) hęc ratio probaret Deum esse, quia quod est commune, proprium esse non potest, & ęquè corpori cęlesti, aut intelligentię cõueniret.

2. 2. Ratio [Me]taphysic[a].

Altera D. Thomę ratio est, ex parte efficientis caussæ, vt quia sit impossibile aliquid esse caussã efficientem sui ipsius, ad aliquam primam rerum effectricem deueniendũ sit. Quidquid enim producitur, ab alio producitur, nõ possũt autẽ caussæ efficientes abire in infinitum, ergo sistẽdũ in aliquo primo, quod effectum non sit, & hoc vocamus Deum. Dicitur autem hæc demonstratio Metaphysica, prior verò Physica; quia ratio caussæ, quæ hic assumitur pro termino, abstrahit ab omni materiâ sensibili & intelligibili: at verò ratio motus, quæ assumitur in primâ, includit materiã sensibilem, nimirũ subiectũ motus sensibilis. Est & hæc metaphysica ratio valida, siue de caussis effectricibus, per se, siue per accidens subordinatis, intelligatur; in quibus nõ dari processum in infinitum patet; non in per se subordinatis, quia impossibile est, totam collectionem entium, vel caussarum efficiẽtium esse independẽtẽ in suo esse & operari, ergo aliquid indepẽdens in illis esse necesse est, in quo sistatur, & quod sit improductum, & in causando etiam independens. Non etiam in subordinatis per accidens, quia quando hoc modo proceditur in infinitum, nunquam potest assignari prima caussa in illo ordine, à quâ reliquæ dimanarint: at verò in hac serie caussarum per accidens subordinatarum, necessariò peruenitur ad primum, verbi gratiâ, hominem, à quo generatio hominum incepit; ad illum videlicet, qui non ab homine, sed à superiori caussa, creatus est. Et

vt demus,non repugnare processum in infinitum in huiusmodi caussis,præcisè ex parte productionis effectus, vt est à caussa vniuoca immediatè, quemadmodum in finibus per accidens cõnexis, nihil prohibet procedi in infinitum, vt docet D. Tho. 1. 2.quæst.1. art.4. repugnat tamẽ ex parte entitatis ipsius caussæ vniuocæ, per quã effectus producẽdus est. Explico:licet infinitæ caussæ ordinis eiusdem præcessissent Ioannem,æquè bene nunc posset generare Petrum, quia à Ioanne immediatè, & non ab illis caussis,Petrus depẽderet: quia tamẽ repugnat,vt post infinitas caussas vniuocas fuerit Ioãnes,atque adeò Petrum generare potuerit, idcò repugnat Petrũ produci eo modo à Ioanne: impossibile enim est, vt infinitæ caussæ simul in vnico instanti successiuè operẽtur. Caussas autem per se subordinatas, siue illa ad se inuicem per se ordinem habere dicimus,quæ ita sunt inter se ordinata,vt id à quo series incipit siue in esse, siue in operari, depẽdeat à proximo, & hoc ab altero sequente. Et rursus illud à sequente, & sic de cæteris, id quod in subordinatis per accidens, non vsu venit, exempli gratiâ in numeris,si à denario descendas ad binarium,est ordo per se, quia denarius præsupponit nouenarium, nouenarius octonarium,& sic de cæteris: per accidẽs autem si ascenderis à binario ad ternarium, quia binarius non dependet à ternario, neque ternarius à quaternario,quamuis vnus numerus alteri subordinetur. Ita est in caussis.

3. 3.Ratio etiã Metaphysica.

Tertia ratio D.Thomæ est etiam Metaphysica, desumpta ex ratione contingentis & necessarij. Cùm enim dentur multa contingentia,id est,indifferentia ad esse, & non esse; datur etiam ens necessarium, id est, non indifferens ad esse & nõ esse, à quo contingentia accipiant esse, hoc autẽ est Deus: & ratio est, quia si omnia entia collectiuè sumpta, naturâ suâ existunt cõtingenter, nõ est vlla in eis ratio propter quam nõ existant potiùs, quàm existant: nam quod naturâ suâ existit contingenter, illud naturâ suâ est indifferens, vt existat, & non existat: at quod naturâ suâ est indifferens ad duas contradictionis partes,non potest naturâ suâ ad vnam contradictionis partem determinari, alioquin naturâ suâ non esset indifferens, ergo danda est caussa necessaria,quæ illud reducat in actum. Neque sufficit quod quælibet res in particulari habeat suã particularẽ caussam, per quã determinetur ad esse potiùs, quàm ad nõ esse: quia cùm caussa vniuoca sit eiusdem naturæ cũ suo effectu vniuoco, si hic effectus sit indifferens ad existendum, & caussa erit indifferens: assignanda igitur erit caussa, cur ex indifferenti ad non esse & esse, accipiat esse, ex seipso enim esse non potest, quia quod ex se ipso est, contingens esse nõ potest, ergo ab alio esse debet, quod ex seipso sit, & necessarium.

4. 4.Ratio.

Quarta ratio sumitur ex gradibus rerum, quæ magis aut minùs sũt entia,bona,vera,& nobilia, quantò accedunt aut recedũt ab eo quod est maximè ens,verum,bonũ,& nobile,quæ enim sunt maximè vera,sunt maximè entia, teste Philosopho 2. Metaph. illud autem est Deus, qui omnis bonitatis & perfectionis entium,est causa,atque in totã rerum serie ens nobilissimum,quo præstãtius nequeat intelligi: non solùm negatiuè,id est, quo nullum sit perfectius,sed etiã positiuè,id est, quòd sit ipsum omnibus alijs perfectius, atque adeò solum ipsum, absolutè & simpliciter, actu perfectissimũ. Sicut enim in vnoquoque genere datur aliquod primũ,quod sit mensura cæterorũ, qualis est sol inter sidera, animal rationalis inter formas,supremus Angelus inter intelligẽtias: albedo inter colores, quæ est caussa exemplaris & mensura cæterorũ colorũ,quia illis supereminet, quãtùm ad lucem, quæ est formale quid respectu coloris, siue quia plus lucis habet quàm alij colores:ita in genere entis,est aliquod ens summum, quo nullum actu sit perfectius,quod, audito nomine Dei, illud ipsum esse concipimus.

5. 5.Ratio moralis.

Quinta ratio est moralis,& sumitur ex rerum gubernatione, videmus enim ea quæ cognitione carent agere propter finem,quem tamen nõ cognoscunt: agens autem propter finem,omni cognitione carens,dirigitur ab aliquo cognoscente; itaque dandum est aliquod cognoscẽs, à quo entia ratione & cognitione carentia moueantur in finẽ: maior propositio patet experientiâ in operibus naturæ,in rebus inanimatis,plantis,& animalibus: minor ex eo fit manifesta, quia agere propter finem,est agere ex intẽtione consequẽdi finem,vel igitur ex intentione propriâ, vt in ijs quæ finem cognoscunt, vel ex intentione alienâ, vt sunt ratione carentia, quæ non à casu, sed à superiore directa cognoscẽte & intelligente, finem consequuntur, vnde commune axioma est, Opus naturæ est opus intelligentiæ. Est ergo aliquod intelligens, à quo res naturales ordinantur in finem: istud autem secundũ veritatem est proprium Dei. Quare rectè Tullius lib. 2. de Naturâ Deorum: *Si quando machinatione quadam moueri aliquid videmus, vt sphæram, vt horas, vt alia permulta, &c. non dubitamus quin illa opera sint rationis: multò minùs dubitandum est, cùm impetum cæli admirabili cum celeritate moueri, vertique videamus, constantissimè conficientem vicissitudines anniuersarias, cum summâ salute & conseruatione rerum omnium: quin ea, non solùm ratione fiat, sed etiam excellenti quâdam, & diuinâ ratione.*

Creata omnia agere propter finem.

Opus naturæ est opus intelligẽtiæ.

Capitis 7. §. 2.

Inuincibiliterne ignorari possit existentia Dei?

1.

ETsi neque solùm rationalis animæ lumen, *Neque tantum diuinorum librorum auctoritas*, vt loquitur D.August. lib.15.de Trinit. cap.3. *esse Deũ prædicat: sed omnis quæ nos circunstat, ad quam nos etiam pertinemus, vniuersa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem, qui nobis mentem, rationemque naturalem dedit, quâ viuentia non viuẽtibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, iniustis iusta, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, inuisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris, præferenda videamus*; dubitari interea potest, an ita sit facile cognoscere, quod Deus existat, vt nemo huius veritatis, ignorantiam inuincibilem habeat?

Adeò rudes atque incultos probabiliter reperiri posse existimarunt Ludouicus Molina, & Cumel.1.parte,quæst.2.art.1.& Medina 1. 2. quæst. 89. art. 6. qui inuincibilem existentiæ Dei ignorãtiam habeant: nam cùm ignorãtia inuincibilis dicatur, ad quam vincendam, nullũ homini suppetit principium, in plerisque fit, vt nullum eis suppetat principium ad ignorantiam Numinis vincendam, id quod in Brasiliæ incolis, ex probatorum auctorum relatione manifestũ est. Deinde cùm ad Dei cognitionem comparandã discursus aliquis requiratur, plurimos ita rudes, & solis sensibus inhærentes comperias, qui sine magistri operâ, intellectum vltra sensum attollere nequeant, vnde etiam gentiles Deum ignorantes, tandem ad simulacra muta conuersi sunt.

Asserunt quidam ignorari inuincibiliter posse.

Nihilominus tamẽ omnino dicendũ est,ab homine rationis cõpote, non posse diu ignorari Deus: nec vincibiliter, nec inuincibiliter. Dixi non posse diu ignorari, quia facilè fieri potest, vt paruo tempore hæc cognitio illi non veniat in mẽtem. Itaque homo rationis compos, non potest

Negatiua probabilior.

esse diu absque notitiâ Dei, quia non potest esse diu, quin illi veniat in mentem aliquid faciendū esse sibi, & aliquid fugiendum, aliquid esse bonum, & aliquid malum moraliter, hæc autem, necessariò important cognitionē Dei: qui enim iudicat se teneri ad aliquid fugiendum, aut faciēdum, iudicat se aliquâ lege teneri: lex autem ista, vel est æterna, vel à lege æternâ participata, vti docet D. Tho. 1. 2. si æterna, est Deus: si participata à lege æternâ, cognoscitur ab illâ pendere, & ita semper cognoscitur Deus.

5. 1. Ratio moralis.

Obijcitur. Quod si dixeris eum, qui se cognoscit aliquâ lege teneri, cognoscere rātum esse aliquam actionem cōformem, aut difformem naturæ humanæ.

Respōdetur. Contrà est, quia hoc non est lege teneri. Nunquid enim cognoscit etiam Deus aliquas actiones sibi conuenire, & contrà? & tamen nō cognoscit se vllâ lege teneri, nec alicui regulæ esse subiectum. At, inquies hominem illū cogniturum, se teneri lege humanâ. Frustra etiam nunc es; quia etiamsi quis occultissima peccata committat, puta, purè mentalia, adhuc cognoscit se agere cōtra legem aliquam omni humanâ superiorem, vnde cōscientiæ stimulis interius agitatur, & pœnā timet, non aliâ de caussâ, quàm quia naturali instinctu cognoscit agere se contra aliquem legislatorem, omni humano legislatore superiorem.

Peccans etiā mente, scit se contra legem superiorē agere.

Sed faciamus per impossibile, aliquem Deum ignorare; is certè non peccaret peccato habente malitiam eiusdem rationis, cum eo qui peccat, Deum cognoscens: nam cognoscere hoc conuenire meæ naturæ, non est peccare vniuocè, cum eo quod est peccare, cognoscēdo hoc esse prohibitum à Deo, vnde, qui per impossibile non cognosceret disconueniētiam illam, nullam pœnam incurreret: quia pœna, teste D. Thoma, nihil aliud est, quàm depressio quædam peccatoris, quâ sub ordinem superioris reducitur, contra quem peccando insurrexerat: atqui legis diuinæ ignarus, non posset contra talem ordinem insurgere, ergo nec pœnam mereri. Veluti si quis per impossibile peccaret contra dictamen rectæ rationis, nō aduertendo ad tale dictamen, stimuli conscientiæ pœnam pati non posset: neque is puniri qui cōtra legem humanam ignorans peccaret, nisi quatenus præsumeretur non fuisse ignorans.

Pœna deprimitur peccator.

Faciunt ad hanc sententiam illa, quibus ostēdimus existentiam Dei euidenter demōstrari posse, & eam confirmat maximè Iob cap. 36. *Omnes homines vident Deum, & vnusquisque intuetur procul.* In quæ verba D. Gregor. *Omnis homo debet colligere Deū esse.* & D. Hieron. *Vnusquisque mortalium, licet de lōgè, intelligit Deum.* Accedunt Arnobius lib. 1. aduersus gentes. *Quisquam est hominum*, inquit, *qui nō cum istius Principij notione, diem primæ natiuitatis intrauerit? cui nō sit ingenitum, non affixum, imò ipsis penè in genitalibus nostris non impressum, non insitum, esse regem ac Dominum, cunctorum quæcūque sunt moderatorem?* Paulus Orosius lib. 6. historiæ aduersus Paganos cap. 1. *Deum quilibet hominum contemnere ad tempus potest, nescire in totū non potest.* & Nyssenus de animâ & resurrectione, *Clamore palam creatura indicat factorem, ipsis cœlis*, vt inquit Propheta, *ineffabilibus vocibus, gloriam Dei enarrantibus.*

Iob 36.

Asserunt quidam ignorantia[m] inuincibilem posse.

Denique tandem, cùm cognitio Dei sit, omniū suorum operum fundamentum (eò enim spectāt creaturæ, vt cognoscatur ex illis Deus) diuini officij & muneris est, non modò vt auctoris gratiæ, sed etiam vt auctoris naturę, non permittere, vt homo sui compos, diutiùs viuat absque tali cognitione: qui enim dat esse, dat consequentia ad esse: atque vti Deus nō potest seipsum absoluere à primi omnium gubernatoris munere, nisi destruendo condita, ita nequit hanc sui cognitionem, ab eorum cordibus penitùs abolere.

Non decet Deum permittere vt quis sit diu sine luminis notitia.

Quare rationes in principio allatas nihil efficere dixeris, omnes enim vtentes ratione cognitam habent Dei existentiam, sub aliquâ saltem ratione confusâ, puta sub ratione alicuius totâ naturâ humanâ superioris & gubernatoris. Quod autem de Brasiliensibus affertur, illos sanè, Deum ignorasse, dicendum non est, sed potiùs peccati consuetudine, & morum prauitate, legem naturalem, eos in seipsis, obscurasse. Ad hæc natiua intellectus nostri virtute, cognoscitur Deus; quare neque gentiles illum ignorarunt, sed cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt: agnouerunt quippe aliquam diuinitatem in communi, licet errarint in subiecto cui illam tribuerunt. Sicut namque natura, quam Stoici Deum esse contendunt, non perfectas, sed inchoatas solùm intelligentias, hominum mentibus indidit, quæ deinde, præceptis artium, & vsu longo informatæ perficerentur, veluti Tullius inquit 1. de legibus totidem verbis: *Quemadmodum hominem eadem natura, non solùm celeritate mentis ornauit, sed etiam sensus tanquam satellites attribuit, ac nuncios: & rerum plurimarum obscuras, & necessarias intelligētias inchoauit, quasi fundamēta quædam scientiæ, figuramque corporis habilem, & aptam humano ingenio dedit:* ita eadē natura, siue Deus, humano cordi indidit, vnde cum, qui verè est, ignorare non potuerit, tanquam fundamentum, amplioris Dei notitię per veritatis studiū adipiscendę. Neque est, quod dicat Vasquez id intelligēdum esse de Philosophis, non verò de alijs, quia scriptura omnes omnino comprehendit. Sap. 13. *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est:* nam si id vanū est, vt vult Philosophus, quod finem, in quem ordinatum est, non consequitur: vani sunt omnes homines, qui ad perfectam Dei cognitionē ordinati, dum eam inchoatam habent, maiorem, & quę illis ad sanitatem sit, suâ culpâ non consequuntur.

2. Adorationes oppositas.

Brasilienses Deum nō ignorarunt.

Sap. 13.

CAPVT VIII.

Etiam ipsi Athei, Deum esse, ignorare non possunt.

Bruta igitur, innaturalis, & mōstro persquā similis excordis cordis propositio, dicentis *non est Deus*, quam despuat animus humanus, neque, quantumuis sit despicatissimi affectus, quantumlibet suis perturbationibus corruptus, admittat facilè. Etsi enim improbum satis, vanum, & insipiens sit Atheorū genus, vt religionem, figmentum esse humanum apud se stabiliant, eluctari tamen nunquam poterunt, vt quam impię opinionis professionem, cōnquirēdi nominis caussâ, in plures vulgare gestiunt, conscientijs suis firmiter infigant. Quotus enim quisque Atheorū est, quē atheismi pestilentia sic inuasit vt fortunatus omnino, nec sollicitatus aduersis, Numinis opinionē exuat; neque tādem horreat animo, quādo contemptatū interni pœnarū periculum sibi faciendū de proximo, cogitarit? quem nō cōcutiat, impijs ceruicibus ferrum imminēs? nō moueat immane mortis periculū? quē nō morbo grauiter conflictatū, futurę conditionis terror exagitet, atque cęlū ipsum suspicere cōpellat: & quod è re suâ est, nouâ mentē, contemptamque Numinis venerationem, quasi postliminio recipere cogat? scilicet numen vt sit, aut non sit, prout commodum videbitur. Nonne Pharao in suâ felicitate Deum se ignorare professus est? *Nescio Dominum*, inquit Exod. 5. *& Israel non dimittā*, & tamen quū in medijs abripiebatur fluctibus eum esse confessus est. Exod. 14. *Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Nonne

1. Brutum est negare Deū

Athei pœnas timent.

Pharao negat Deum, & timet. Exod. 5. Exod. 14.

ne Nabuchodonosor quem Numinis ignoratio dementauerat, tandem, pœnis exercitatus, Deũ cæli agnouit? Quid Bion, qui Theodori atheismo ebrius, Dei, atque religionis irrisor, sub mortem omnium mortaliũ superstitiosissimus euasit?

2. Homo ad Dei cultum nascitur.

Itaque cùm hominem ad Dei veri cultum & adorationem nasci, cuique hominum si sanæ mẽtis sit, incompertum esse non possit, vti loquitur Lactantius, verè animales prorsus, & ex hominum albo expungendi sunt, qui dicunt, *non est Deus*: extremæ namque dementiæ est Deum negare, & plusquam infidelitatis, quia diuinâ fide opus non est, vt Deum esse agnoscatur, sciaturque, quum ad eam notitiam, lumen naturale sit sufficiens, licet etiam velut fundamentum cæterarum rerum credendarum, idipsum credi oporteat; quum & illi, qui tanto rationis vsu non vigent, non aliter quàm per fidem supernaturalẽ, omnino certi esse valeant. Præclarè D. August. tractat. 106. in Ioan. *Nam quod Deus dicitur, vniuersæ creaturæ & omnibus gentibus, antequam in Christum crederent, non omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. Hæc est enim vis veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti, non omnino ac penitùs possit abscondi. Exceptis enim paucis in quibus natura nimiùm deprauata est, humanum genus vniuersum, Deum, mundi huius fatetur auctorẽ. In hoc ergo qui fecit hunc mundum, cœlo terraque conspicuum, & antequam imbuerentur in Fide Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem quod non est in iniurijs suis, & cum Dijs falsis colendus, notus in Iudæâ Deus. In hoc verò quod Pater est huius Christi, per quem tollit peccata mundi: hoc nomen eius occultum omnibus, nunc manifestauit eis, quos dedit ei Pater ipse de mundo.* Diuus Hilarius quoque in psal. 52. *Vitij est humani, pudenda eloquia verbis oris non audere committere, sed instinctu nequitiæ interioris vrgente ea intra cor eloqui, dum aduersum publici pudoris necessitatem, voluntatis iniquitate lactante, quod pudet dici, nõ pudet cogitare. Et idcirco stultus in corde suo dicit, non est Deus, quia si velit verbis oris hoc eloqui, stultus esse, sicuti est, publici offensus iudicio argueretur. Quis enim mundum continens, Deum esse non sentiat? Sed fit frequenter vt nos, cùm veri necessitas ad confessionẽ Dei cogat: oblectatio tamen vitiorum, Deum nobis non esse, persuadeat, & quod contra fidem credimus, id tamen de cõsilio impij cordis eloquamur.* Et iterum in psal. 13. D. August. *Dixit imprudens in corde suo non est Deus. Nec ipsi enim sacrilegi & detestandi quidem Philosophi, qui peruersa & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere, Non est Deus. Ideò ergo dixit in corde suo, quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare.* Et prosequitur, *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in affectionibus suis, id est, dum amant hoc sæculum, non amant Deum. Ipsæ sunt affectiones quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, vt possit etiam dicere imprudens in corde suo, Non est Deus. Sicut enim non probauerunt Deum habere in notitiâ, dedit illos Deus in reprobum sensum,* quia, nimirum, nolunt credere, quod negare non possunt, vti inquit D. Hilarius.

Deum negare infidelitatis est maximæ.

Capitis 8. §. 1.

Materia & Forma numen produnt.

1. Nimis sanè, nimis euidentia sunt signa & voces mundi huius aspectabilis, artificem sui inclamantes, quæ cùm cancellis arctatæ sint finitudinis, ipsum ens infinitũ à quo profectæ sunt, enuntiant, id quod per genera singulorum discurrenti, fit conspicuum: quæ Remondus Sebon lib. de naturâ hominis, quatuor naturæ gradibus comprehendit: quorum primus, est eorum quæ habent esse tantùm, atque ab inuicem vel existẽdi nobilitate, vel operandi virtute differunt, vt sunt elementa, quorum propria cuique virtus, & ordo, & dignitas, mineralia, metalla, sulphur, gemmæ, cæli, planetæ, stellæ, atque arte facta. Secundus est eorum quæ habent esse & viuere, vt sunt plantæ, stirpes, arbores, inter quas aliæ alias nobilitate & vtilitate præstant. Tertius est sensibilium, quorum quædam sensum tactus habent tantùm, vt conchylia, & quædam animalcula affixa radicibus; alia, sensum tactus & memoriã, vt formicæ, sed auditu carent, ideoque disciplinæ sunt incapaces; alia insuper memoriam habent, vt canes, auiculæ, & similes animantes. Quartus denique eorum, qui intellectum & voluntatem habent; nimirum homo, qui cum alijs in aliquibus conuenit, & coniunctim habet in se omnia. His superior aliquis est, ad quem per hos gradus ascenditur, qui nihil istorum sit: nempe Deus. Ita ferè Remondus. Aliter paulò Toscatus in cap. 23. Exodi. quæst. 66. vbi materiam primam primo loco constituit, vtpote quæ infimum perfectionis gradum habeat, qui, in potentiâ ad recipiendam formam, consistit: deinde elementa, secundum gradus perfectionis suæ; post hæc autem gradualiter elementata: & post, corpora cælestia, deinde res purè spirituales, vt animas, & consequenter Angelos, donec deueniamus ad finem concatenationis, quæ est in throno infinitæ perfectionis, scilicet, in Deo. Inprimis itaque (vt huic insistam ordini) materia & forma, ex quibus cætera conflantur, cùm ex se esse non potuerint, vtpote limitatæ virtutis, ab alio principio efficiente, vt sint, necesse est, quoniam, quod finitum est, haud à se originem ducat. Hinc enim Plato mundialis huius fabricæ conditorem dari cõcludit in Timæo: *Cœpit etenim* (inquit) *aspectabilis & tractabilis iste mundus, & corpus habet: sunt autem talia omnia sensu percepta, quæ autem sensus apprehendit, & quæ opinione cum sensu comprehenduntur, ea omnino placuit, aut genita esse, aut gigni.* Non igitur fluxit à semetipsâ materia, siue eam cum elementis idem esse dixeris, vt si ea constituas tanquam corpora omnino simplicia, materiæ & formæ compositionis expertia, & vltimum formarum omnium subiectum: siue quid distinctum ab elementis sanxeris, imperfectius, informius, omnibus subiectũ mutationibus, plenum inopiæ & mendicitatis vt perficiatur, elemẽtorum semen & materiem, prout cecinit apud Maronem Silenus Ecloga 6.

Naturæ gradus quatuor

Materia & Forma Deũ esse ostendunt.

Namque canebat, vti magnum per inane coacta
Semina, terrarumque, animæque, marisque fuissent
Et liquidi simul ignis. Vt his ex ordine primis
Omnia, & ipse tener mundi concreuerit orbis.
Tum durare solum, & discludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim sumere formas.

Finita enim est materia prima, atque substantiarum omnium imperfectissima, quâ despicatior vlla, à Deo creari nequit, atque adeò, in succedentium formarum perpetuâ appetentiâ; à se igitur esse non potest: nam, quod à seipso est, perfectissimum, illimitatum, summeque necessarium vt sit, necesse est: hoc autem est Deus.

Materia prima imperfectissima.

2. Forma non est à se.

Forma etiam, licet sit actus & entelechia, habens vim constituẽdi hoc aliquid, vt loquuntur, hoc est quidpiam perfectum; indeque, res à suis formis speciem, & nomen, & perfectionis gradus, ac distinctionem dicantur accipere, non habet à se vt sit: elementorum namque formas, ex eorundem mutuo conflictu, ac propterea à principio intrinseco, generari videmus, non secus atque mixtorum formas, à vi quâdam externâ, procedere: duas porrò in rebus naturalibus formas, per solam creationem, ad esse perduci; formam nempe perfectissimam, vt est anima rationalis, & formam imperfectissimam, vt est forma corporeitatis, sicut inquit Abulensis in cap. 23. Exodi quæst. 69. & hanc rationem elegãter prosequitur Iustinus Martyr, lib. de Aristotelis decretorum reprehensione.

Capitis

Capitis 8. §. 2.

Ignis & aër, Deum quendam esse, ostendunt.

1. Elementa propter quid sint.

HInc etiam patet, non esse ex se elementa, sed habere aliquod efficiens principium, à quo effecta sint, & pendeant, atque ad alia ordinentur: siue vt sint mundi partes, siue vt materiam mixtis corporibus subministrent: quod enim caussam habet, ad quam tanquam in finem ordinetur, opus est vt ab aliquo sit efficiente, qui famuletur; ac proinde, non à se sit, quum esse à se, sit seipso frui, nec pendere ab alio. Et cùm elementa propriâ vi, ad suas quæque sedes transire, & in hanc quam videmus orbis formam coire sponte nequiuerint, imò potiùs, contrarijs affecta qualitatibus, distractionem essent effectura: non sine prouidâ conditoris sapientiâ, concordi inuicem connexa discordiâ, suis stant sedibus; & contentione mutuâ, tantum abest vt intercidant, quin potiùs inde, ad totius splendorem & ornamentum, concreta coalescant. Hinc illud Empedoclis, concordi discordiâ, constare omnia & dissolui; sunt enim istæ duæ contrarietates, rerum omnium semina, quę quidem in aduersantibus sibi inuicem elementorum virtutibus concorditer pugnantibus, reperiuntur.

Elementa discordi cõcordia stabiliuntur.

Elementorũ proprietates.

Ignis & aër, secernuntur proprietatibus sicci & humidi, & à vi quadam eorum pugnaci, mixta generantur: ne verò ex iugi conflictu penitus intereant, in calore conueniunt; caloris ignei vim, moderatur humor aërius; quam ne extinguat prorsus, quod liquidum, fluidumque est aëris, extenuat ignis ardor: exhauriretur autem facilè, nisi ei aquę frigus subueniret: aqua verò, ne concreto frigore deorsum pelleretur, consumptoque liquore in terram demutaretur, aëris calore rarescit. Terræ quoque portiunculæ, vi caloris exiles redditæ, in aërem vel ignem verterentur, nisi eas & proprium tutaretur frigus, & aquæ illis coniunctæ humor, defensaret. Quarum proprietatum benefico congressu, terræ moles firmior, atque ad calori solis resistendum, fortior euadit. Ita se inuicem tutantur elementa, beneuoloque dissidio, alterum in alterius coloniam commigrat: aër frigore concretus, & terra hybernis soluta imbribus, in aquæ naturam transeunt: aqua terræ siccitate facta densior, aut aëris spiritu subtilior, nunc in terram, nunc in aërem mutatur: aër ignis excoctus ardoribus, in eius formam vertitur, atque in eiusdem sphæram sese insinuat: ignis verò aëris frigore depressus, in illius se complexum demittit: sicut cecinit Ouidius lib. 15. Metamorphoseon.

Quæ quanquam spatio distant, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, & in ipsa cadunt: resolutaque tellus
Aëraque humor habet; dempto quoque pondere rursus,
In superos, aër tenuissimus, emicat ignes.
Inde retrò redeunt, idemque retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aëra transit,
Hinc in aquas tellus glomeratâ cogitur vndâ.

Ex pugillo aëris decem pugilli ignis.

Atque eâ quidem proportione, secundum Aristotelem, vt ex vno pugillo aëris gignentur decem pugilli ignis; & è conuerso, ex decem pugillis ignis, gignetur pugillus aëris: & cùm eadem sit habitudo reliquorum elementorum inter se; qualis est proportio ignis ad aërem, talis est aëris ad aquam, & aquæ ad terram: vnde ex decem pugillis aëris, gignitur pugillus aquæ; & ex decem pugillis aquæ, pugillus terræ, & vice versâ: quemadmodum prosequitur Abulensis in cap. 25. Matth. quæst. 437.

2. Ignis porrò naturam spectate. Quis illi raritatem & simplicitatem eam dedit, quâ maior & simplicior in corporibus esse non potest? eam quippe inter elementa sortitus est simplicitatem, quæ ad naturam spiritus magis accedere videatur. Quis ei supremam elementorum sphæram pro sede regiâ designauit? In eâ manet, nec visu recipitur; ibi purus atque integer ex loci conditione conseruatur, extra quem, inter nos, manere non potest, nisi in continuâ generatione, alienæ semper egens materiæ; id quod à veteribus proditum sub Vulcani figurâ, in cuius capite pileus erat cæruleus, ætherex symbolum regionis, vbi purus, integerque est: nam qui è cælo in terram delapsus est, cùm sit imbecillior, fomento, materiaque tanquam fulcris egens, claudus fingitur, vt qui seipsum sustinere non valeat cùm æthereus ille absque fomento, bacillive adminiculo seipsum sustineat, alat & tueatur: vti scribit apud Pierium Valerianum, eruditus quidam lib. 1. hieroglyphicor. cap. 12. Veruntamen, sicut omnis aqua, est eadem specie omni aquæ. 1. Topicorum 7. ita omnis ignis, est omni igni idem specie, tota autem differentia quæ est in igne, prouenit in materiâ: Sicut enim non omnis calor vnius est qualitatis, vt hoc solo à se differat, si maior minórve sit, inquit Macrobius lib. 7. Saturnalium cap. 16. sed varia est eius quæ singulis inest proprietas, cuius ratione calor solis rarefacit, lunæ humectat; ita in igne diuersissimæ sunt qualitates, nullam secum habentes societatem, id quod manifestè probatur. Inquit totidem verbis Macrob. Aurifices ad formandum aurum, nullo nisi de paleis vtuntur igne, quia cæteri ad producendum hanc materiam, inhabiles videntur. Medici in remedijs concoquendis, magis ex sarmentis, quàm ex alio ligno ignem requirunt. Qui vitro soluendo, formandóve curant, de arbore cui Myricæ nomen est, igni suo escam ministrant. Calor de lignis oleæ, cùm sit corporibus salutaris, perniciosus est balneis, & ad dissoluendas iuncturas marmorum, efficaciter noxius est: vnus tamen est specie ignis, diuersitas in materiæ dispositionibus sita est.

Ignis simplicitas spiritui proxima.

In sua sphæra seipsum seipso tuetur.

Extra sphæram eget materia.

Vulcano significatus.

Ignis omnis idem specie.

Caloris diuersæ qualitates, & ignis.

3. Ignis voracissimus.

Et hic licet agendi vi, & violentiâ reliquis præpolleat elementis, deuoretque omnia, vt propterea Plutarchus qui eum sterilem esse censet, belluam voracem; & Herodotus, auidissimam, inexplebilemque vocitarint: quadrupedia nihilominus alata in eo generari tradunt, Aristoteles lib. 5. historiæ animalium cap. 19. Plinius lib. 11. cap. 37. Seneca lib. 5. naturalium quæstionum cap. 6. D. August. lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 4. & plerique alij, qui etiam Salamandram summi rigoris animal, ab eius vi, non modò non consumi, sed ipsum etiam ignem ferunt extinguere: intellige, si leuis est ignis, vti tradit ex Æliano lib. 2. cap. 31. Ioannes Bustamantinus lib. 1. de animantibus scripturæ sacræ cap. 1. tunc enim ipsum expugnare aggressa, ex ore toto, fluente mucilagine, superat & vincit. Nam vehementi igne non vti, aut si plus iusto in illo commoretur, merè commentitium arbitror cum Bustamantino: Plinio lib. 10. cap. 67. Aristot. lib. de histor. animal cap. 19. Oppiano, Gesnero, Edoardo, & reliquis qui de natura animalium commentati sunt, & quos recenset Bustamantinus. vide. quæ nos cap. 51. de cognomento Dei אש *es*, id est *ignis*. §. 2. num. 15.

Prodigium sanè mirabile, si verum est, quod Seneca iam citatus inquit, Ignis qui omnia consumit, quædam etiam creat, & quod videri non potest simile veri, sed tamen verum est, animalia igne generantur: quod Cæl. Rhodigin. antiquarum lectionum lib. 15. cap. 15. in Cypri fornacibus

nacibus victitare volucre pennatum. Quid illa' memorem, quæ expurgantur igne, non adurun-tur? Ex amianto lapide, ex quo linum Indicum siue Cyprium fit, in modum lanæ friabili, vestes, mappasque confici memorant, quæ sordium affectu inquinatæ, igne purgentur, nec absumantur: quod itidem de alumine fissili ferunt: quæ tamen sic dicta interpretari malim non quòd tandem multo igne non corrumpantur, sed quòd ignem sustineant diutiùs, non secus ac pyraustæ in Cypri fornacibus genitæ, dum ad metallorum fluxum chalcites lapis exuritur, quæ tandem ab ipso igne & originis suæ principio intereunt. Vide citato capite de cognomento Dei, אש, *es.*

Volucre pennatum in igne viuit.

4. Aëris prodigia.

Neque aëri desunt sua prodigia, quæ ipse sinu suo complectitur, & parit; ibi enim, vti canit Lucretius.

Nox & noctis signa seuera,
Noctiuagæque faces, cæli flammæque volantes,
Nubila, ros, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
Et rapidi fremitus, & murmura magna minarum.

Neque ista absque Numinis testimonio. Rectè Seneca lib. de Prouidentia cap. 1. *Ne illa quidem quæ videntur confusa & incerta, pluuias dico nubesque, & elisorum fulminum iactus, & incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli, & alia quæ tumultuosa pars rerum circa terras mouet, sine ratione, quamuis subita sint, accidunt: sed suas & illa caussas habent non minùs, quàm quæ alienis locis conspecta miraculo sunt, vt in medijs fluctibus calentes aquæ, & noua insularum in vasto exsilientium mari spatia.* Sed præcipuè, vel vnius pluuiæ generatio mirabilis (vt cætera prætereà) aperta diuinę sapientiæ & potentiæ documenta præbet. Et nube namque ipsa oritur, sicut ex omnium Philosophorum consensu, docet Aristoteles: nubes verò, è roridis terræ vaporibus, qui quanquam multo aquæ humore graues, solarium radiorum vi, ceu alis aut vehiculo quodam, mediæ aëris regioni infusi, atque illius frigore concreti fiunt in descensu pluuia. De quo ità Lucretius lib. 6.

Pluuiæ generatio.

Nunc age, quo pacto pluuius concrescat in altis
Nubibus humor, & in terras demissus vt imber
Decidat: expediam. Primùm iam semina aquai
Multa simul vincam consurgere nubibus ipsis,
Omnibus ex rebus; pariterque ita crescere vtrasque,
Vt pariter nobis corpus cum sanguine crescit.
Sudor item, atque humor quicũque est deniq; membris.
Concipiunt etiam multum quoque sæpè marinum
Humorem, veluti pendentia vellera lanæ,
Quum supra magnum venti mare nubila portant,
Consimili ratione ex omnibus amnibus humor
Tollitur in nubes: quò, quum bene semina aquarum
Multa, modis multis, conuenere vndique adaucta,
Confertæ nubes & venti mittere certant.
Dupliciter nam vis venti contrudit, & ipsa
Copia nimborum, copiâ maiore coortâ
Vrget, & è supero premit, ac facit effluere imbres.
Præterea; quum rarescunt quoque nubila ventis,
Aut dissoluuntur solis super icta calore,
Mittunt humorem pluuium, stillantque quasi igni
Cera super calido tabescens multa liquescat.
Sed vehemens imber fit, vbi vehementer vtroque
Nubila vi cumulata premuntur, & impete venti.

Prouerb. 8. Nubes, cæli fontes.

Quapropter Sapiens Prouerb. cap. 8. nubes appellat aquarum fontes: *quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum*, id est, nubes, quæ sunt cælestis pluuiæ fontes. Id quod etiam significatur voce שחקים *Scechakim*, id est, *æthera*, pro quo Septuaginta, *nubes*, reddiderunt. Quanquam etiam Renatus Benedictus per *æthera*, sphæras cælestes intelligat; & Hebræi, cælorum hîc adstrui velint immutabilitatem, siquidem in illis nihil fit corruptionis aut generationis, quale in sublunaribus cernitur: שחק *scechak* enim, à quo plurale שחקים *schakim*, idem sonat quod שמים *sçamaim, cælum, nubes*: quà in significatione etiam *70 æthera*, accipi potest.

Dic modò; Quibus humeris aëris istæ sarcinæ fulciuntur? Hebes sit omnino, qui non videat istos aquarum fontes fluxos & labiles, ad potentiæ Numinis ostentationem, nube claudi atque constringi; nec aduertat eos sic ligari, atque detineri, vt non omnino prohibeantur, aut reprimantur, sed temperatis habenis, guttatim stillent in terram.

Nubes quibus alis ferantur.

Nubes vt decidant.

Iupiter vtilibus quoties rigat imbribus agros.

Vt neque cæli ardoribus arescant omnia, neque subuertatur terra, si liberè pariter defluerēt, Pineda interprete, in cap. 26. lib. Iob. Nam, *Si continuerit aquas*, Deus scilicet, inquit Iob. cap. 12. *omnia siccabuntur; & si emiserit eas, subuertent terram:* admittit autem tellus sensim stillantes gratanter & lætabundè, teste Psalmographo, psal. 64. *In stillicidijs eius lætabitur germinans.* quas vbertim, & vno effusas impetu, respueret. Vt propterea aduerterim, vnà eademque voce, sola intercedente punctuationis differentiâ, *ridere*, *vilipendere*, & *nubes* significari: שחק *sçahak* enim, priori literâ affectâ puncto, *Smol*, idem est, quod *ridere*. Prouerb. cap. 1. *In interitu vestro*, אשחק *esçchak*, *ridebo*. idem quod *vilipendere*, Psal. 2. & 36. *Qui habitat in cælis irridebit eos*, ישחק *isçhak*, *vilipendet*, prout a'ij reddiderunt: affecta verò puncto *ianim*, pro nubibus accipitur, vt psal. 35. *Et veritas tua vsque ad* שחקים *schakim, nubes.* Quòd sanè ideò factum opinor, quoniam quasi ad risum terra concitetur, opportunas nubium pluuias (quibus gremij sui plantæ intumescant) siue ab imbre tenuiores, sed crebriores; siue à nimbo grandiores, sed aliquantò rariores, benigno excipiens sinu: respuat autē saturata importunas, aut præruptâ vbertate lacessita & constricta, vilipendat subuertentes se potiùs, quàm perfundentes.

Iob. 1.

Psal. 64.

Prouerb. 1.

Pluuijs terra quasi ad risum mouetur.

Quemadmodum enim, teste Auicennâ apud Cælium Rodiginum lib. 4. lectionum antiquarum cap. 18. & Conimbricensibus 1. de generat. & corrupt. cap. 5. quæst. 4. art. 2. vi hepatis exigentis à se redundantia, & lienis virtute illa excipientis, prolicitur ex iecore humoris melancholici vis, vnde prouenit sanguis benignus, clarus, copiosus, lucidus, quem esse risus caussam, naturæ rerum periti tradunt; quippe, quòd ex sanguine ita affecto, consurgat spirituum animam exhilarantium multitudo & claritas; ita vt ridibundi fere sint, qui sanguinis defæcatissimi, inquit Rodiginus lib. 3. lection. antiquar. cap. 12. Ad eum fere modum, vi terræ, crassos à se vapores, & indigesto imbre grauatos, emittentis; atque aëris ad se pellicientis & excipientis virtute; defæcatissimę, lucidissimęque generātur lymphę, quę suauiter infusę terris, risum illis mouent: vnde natum, *Prata rident.* Et quod Martialis & alij habent,

Risus caussa quæ sit.

Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbos.

Et quod Maro.

Omnia nunc rident, nunc omnis parturit arbos.

quod

quod est, germinantem humum lętari in stillicidijs, quod sic explicauit Apollinarius,

αἰθερίῃς ψεκάδεσσι γανύσεται ἀντέλλουσα,
Cælestibus irrorationibus lætabitur germinans.

Quemadmodum & Homerus quoque Iliade 12. appellauit.

καὶ πεδία λωτεῦντα, καὶ ἀνδρῶν πίονα ἔργα,
Et campos florentes, & hominum pinguia culta.

Lætamen vnde dictũ.

Inde etiam *Lætamen*, pro fimo, apud Plinium lib. 18. cap. 16. quòd pingues & lætas faciat segetes. Huc denique traho, quod Hippocrates ait, hilaritatis caussam elementis inesse.

Præterea, illi animo & mente prorsus obstupuerit qui non mirabitur aquarum quasi terræ incumbentium pondera, tenuissimâ atque subtilissimâ nube claudi, & eadem, tanquam vehiculo quodam, ventorum impulsu, per aeris fluida circumferri, nec scindi violentiâ, nec rumpi grauedine. Ad miraculum Vestalis olim virgo, fluenta cribro hauserit, & absque eo quod succernerentur, circumtulerit: aliquid solidi habebat cribrum, neque illi aquea materies, extraneaque dæmonis ope tenebantur aquæ ne perfluerent: Longè maius, mirabiliusque est, nubes imagine quadam spongiæ perforatas, cæli fontes irriguos continere, ex aquis ipsis coalescere, firmi nil habere, fluentes in fluenti aere suspendi: adeò vt ad sapientiæ, potentiæque diuinæ admirationem dictum sit Iob cap. 26. *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum*. & bene *Suis*, quia nubes propriæ sunt Dei, in illis velut in throno residet: Ecclesiastici 24. *Thronus meus in columna nubis*: in illis gloriam suã manifestat, Exodi cap. 16. *Gloria Domini apparuit in nube* illis, velut equo vehitur. Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum*. Chaldaicè, *Qui ponis in nubibus leuissimis vehiculum tuum*. Crebrò enim in nube apparuit & Christus in illâ ascendit: Nubibus quoque quasi vestimento tegitur: vnde Pineda in cap. 26. Iob interprete, Deum ligare aquas in nubibus suis, idem erit, quod ligare, & continere aquas in vestimento suo; sicut Prouerb. 30. asseritur, *Quis colligauit aquas, quasi in vestimento?* Quę autem linteo, vel pallio aqua continetur, fieri non potest quin percoletur, sensimque defluat. Ligante igitur Deo aquas in nubibus suis, quasi in vestimento, non erumpunt illæ, aut effunduntur vno impetu, sed guttatim instillantur, & instillant in animum, conditoris notionem.

Vestalis virgo haustam cribro liquidam, tanquam in solido, portat.

Pluuia in nubibus ligatur.

5.
Pluuia lapidum, sanguinis, piscium, carnium, ranarum frumenti.

Iam verò vt præteream Deum multis in locis lapidibus pluisse, & sanguine, vti testatur Liuius Decadis 3. lib. 2. & lib. 6. carnis etiam; quem imbrem ingens numerus auium interuolitando rapuisse fertur: quod intercidit, sparsum ita iacuisse per aliquot dies, vt nihil odor mutaret. Decad. 1. lib. 3. v. c. 293. Piscibus quoque, & frumentis, & ranis, quemadmodum scribit Athænæus Dipnosophista lib. 8. cap. 2. quarum tantam copiam apud Pæoniam & Daniam cælo cecidisse refert, vt omnibus vasis repletis, in cibis lixatæ & assatæ inuenirentur: neque pedem in terram ponere præ multitudine liceret, è regioneve præ cæsarum fœtore, aufugere decreuerint. Vt, inquam, ista sileam, quæ modò de aquâ pluuiâ diximus, vmbra sunt eius pluuiæ diuinæ, quam colligauit, atque suâ prouidentiâ suspendit quasi in vestimento Deus, donec decreto tempore, super aridam Ecclesiæ, & sitientem humani cordis terram effunderetur liberalissimè, sicut futurum prædicitur Isa. cap. 44. *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam*: & quænam sint futura fluenta, mox explicatur, *Effundam spiritum meũ super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas*. Habes hic, diuinæ largitatis abundantiã: *effundam*, inquit, in eã scilicet plenitudine in qua ipse est, vt veluti euacuato totius Spiritus amoris & gratiæ oceano, tãtum acciperet Ecclesia, quantum Christus ipsi promeruit: ideò enim in passione suâ effusus est sicut aqua, vt spiritum suum sanctum, super sitientem corporis sui terram effundere mereretur, sicut se facturum receperat Ioëlis cap. 3. dicens, *Effundam spiritum meum super omnem carnem*: ideò Patri spiritũ suum moriens tradidit, vt Pater suum traderet Ecclesiæ, quod factum est, quum in conuallibus æternis paterni pectoris accepta & repercussa est vox dicentis, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, tunc enim visa est reddi, non vaga, sed certa vocis imago, *do spiritum meum*. Qui profectò vna cum ipsa voce reflexa, in terram sitientem descendisset, nisi cum necessaria comprobatio diuinitatis Christi, tum per eius ascensum in cælum, tum per Spiritus sancti inde missionem, futura, colligasset velut in vestimento; vt tanti doni largitor, & in cęlum ascendisse, & Deus verus esse crederetur: quia ergo, vti fatur D. August. serm. 1. de Pentecoste, *Christus hominem portauit ad cælum, & Deum, id est, Spiritum sanctum misit in terras. Credendum est* inquit D. Ambr. serm. 61. *ad Patrem peruenisse Christum, quum videmus ad Apostolos descendisse Paracletum. Credendũ est Christum in Dei dexterã considere, quia cernimus Spiritum sanctum, sicut promisit Dominus, in discipulis exultare*. Post igitur consessum glorię Patris,

Amoris gratia ... ...

Christus fusus sicut aqua

Ioël. 3.
Christus Patri tradit spiritum suum, vt ter suum traderet Ecclesiæ.
Lucæ 23.

Spiritus, æthereâ, descendit, Sanctus ab arce;

quem merito infinito, Christus promeruit, & dedit Ecclesiæ suæ infinitum, quamuis ipsa quia infinitatis suscipiendæ capax non est, limitatè accipiat; vt semper redundet, semper sit; quod semper accipiat, diuino inspirata flamine.

Christus Spiritum Ecclesiæ promeruit.

Aquæ porro nomine Spiritus sanctus compellatur, cùm ab alijs Prophetis, tùm ab Ezechiele cap. 36. vbi Dominus, *Effundam super vos aquam mundam*: & mox vt intelligeretur quænam ea sit, addit, *& spiritum nouum ponam in medio vestri*. Et Vates regius pluuiam appellauit psal. 67. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata est, tu verò perfecisti eam*. Fateor equidẽ istud Psalmographi, de cælesti pluuiâ Euangelicæ doctrinæ, rectè intelligi, iuxta illud Moisis Deuter. 32. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descẽdens sicut ros verba mea*, ad cuius influxum, quæ priùs debilis atque infirma fuerat Ecclesia, perfecta euaserit & valens: voluntariam verò dici, propter liberum arbitrium, adnotante Theodoreto quia ex necessitate, nemo; sed doctrinæ acquiescens, gratiâ irrigatur: vel etiam propter singularem populi Hebręi electionem, vti vult D. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 1. cui Deus iudicia sua manifestauit, nec fecit taliter omni nationi. Verùm, non minus commodè de Spiritu sancto dictum videtur; ipse enim nubes est, pluuia, quæ non ex terræ huius vaporibus orta, sed ex Patris & filij vnâ eâdem & indiuisâ voluntate tanquam ab vno principio fluens, ab ardoribus flagrantissimi amoris quo sese complectuntur, inspirata, & quasi eleuata in eâdem essentiâ consors, solâ hypostasi à sui principij segregata personis, eandem mirificè perfundit essentiam ineffabilis suauitatis rore. qui gluten est & nexus, siue (vt D. Augustinus vocat) communio Patris & filij, quia vna vtriusque voluntas, in eius spirationem conspirat; de quo cecinit Vidas:

Spiritus aquæ nomine significatur.
Ezech. 36.
Psal. 67.
Deut. 32.

Spiritus est nubes essentiam diuinam rigans.

Non factum, genitumve, nec vllo auctore creatum
Profluit ecce Patris, Gnatique è numine eodem

Spiritus sanctus pluuia ligata in vestimento Dei.

Numen idem, semetque Deo procedit ab ipso
Numen idem, calor omnipotens, diffusilis aura
Perpetuò.

Pluuia voluntaria cur dicatur.

Atque propterea voluntariam appellari, quia Spiritus sanctus ex voluntate procedit: vel etiam quia non ex meritis nostris voluntas nostra gratiâ irrigatur, sed voluntariè, ab eo qui voluntariè gignit nos verbo veritatis. Iacobi c. 1. & scuto bonæ voluntatis suæ nos circumdat: qui priùs pluuiam intellectualem, verbum scilicet, Dei, gratuito Patris munere, accepimus: vnde Chaldæus, pluuiam voluntariam, explicat *Pluuias viuificationis & rores spontaneos.* Velut enim vnicæ filiæ infirmæ parens amantissimus, ad opiparum vocatus conuiuium, ex appositis ferculis, vnum è multis deligit, quod infirmæ palato gratius, magisque conueniens esse iudicarit, atque separatum, inspersis mensæ floribus, eidem mittit: ita Dominus, in consessu Dei Patris glorificatus, nullum conuenientius ferculum è mensâ diuinitatis elegit, segregauitque, quod Ecclesiæ suæ laboranti, tum in Petro negante, tum in Apostolis alijs fugientibus, & incredulis, mitteret, nisi Spiritum sanctum; quem mensæ illius floribus flagrantibus, & fragrantibus, hoc est luce, & igne aspersum in linguis candentibus effudit; quando, vt canit Arator.

Iacobi 1.

Spiritus S. mensæ diuinitatis ferculum præstantissimũ.

Tertia sidereis inclaruit hora loquelis.

Spiritus S. etiam ante Pentecosten datus.

Non quòd tunc primùm Spiritus sancti pluuia arentem humani generis terram perfuderit, siquidem & in Patribus, & in Prophetis viguit illa aliquando, sed quod & affluentiùs Ecclesiæ data sit, & ad nouissimum vsque sæcularis temporis articulum, non sit defutura. Defuit enim Noachi temporibus, quia omnis caro corruperat viam suam; *ob quod non permanebit*, inquit Dominus, *Spiritus meus in homine.* Defuit in lege, quia licet in ore Prophetarum aliquamdiu hæserit, non permansit tamen in terra: non enim promiserat Deus Synagogæ, quod segregabat, & reseruabat Ecclesiæ, pluuiam voluntariam Spiritus Paracleti, nunquam non fontibus gratiarum irriguis ei adfuturam, *Rogabo*, inquit Dominus, *Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum* · istud in Spiritus sancti symbolo figurauit columba, Genes. 8. quæ ter ex arca Noachi emissa, secundò redijt, & tandem emansit, inuento vbi requiesceret. Quare horreant Pseudoeuangelici blasphemiam suam, qui Christum mendacij insimulantes, totis trecentis & amplius annis, Ecclesiam Dei hoc defectam Spiritu, & in errore fuisse blatterant. Stat enim inconcussa veritas, *vt maneat vobiscum in æternum*, neque subtrahetur vnquam, quia inuenit vbi quiescat, congregationem videlicet, fidelium Orthodoxorum; in quos etiam quasi primùm effundi visus est, quia, vti Rupertus Abbas Abacuch. 3. inquit, *Salutis opus abundantiùs peractum est, datis insuper generibus linguarum, vt exinde salus eadem, cunctis gentibus innotesceret.* Id quod etiam expressit Leo Papa homil. 3. de Pentecoste, sic fatus. *Sperabatur Spiritus sanctus, quia Dominus Iesus illum promiserat adfuturum: non vt tunc primum esse sanctorum inhabitator inciperet, sed vt sacrata sibi pectora, & feruentiùs accenderet, & copiosiùs inundaret, cumulans sua dona non inchoans; nec ideò nouus opere quia ditior largitate.* Et clariùs D. Gregor. Nazian. orat. de eodem festo, scribens, ante passionem fuisse obscuriùs efficacem; post resurrectionem expressiùs; in Pentecoste pleniùs, repleti sunt enim omnes Spiritu sancto. Obscuriùs quidem in Patribus & Prophetis, quod significatum est 3. Reg. cap. 19. vbi non in commotione, sed in sibilo auræ tenuis videri voluit Dominus ab Eliâ, quia tenuis tum erat Spiritus gratia, tenuis effectus. Expressiùs post resurrectionem, quando Dominus stetit in medio discipulorum suorum dicens *Pax vobis*, & vt habetur Ioan. 20. *Insufflauit & dixit, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: hoc enim est primum, quod dedit illis datum, in remissionem peccatorum: non erat qui diceret in lege Dauidi pœnitenti, & confitenti, *ego te absoluo*, quia ea gratia necdum erat data hominibus; solùm inuentus est, qui dicenti, *peccaui*, responderet, *Dominus transtulit peccatum tuum.* Pleniùs autem, quum perseuerantibus illis vnanimiter in oratione, misit Spiritum sanctum, in diuisionem gratiarum, quas dispertitæ linguæ significabant, quarum plures vni insidebant capiti, ob multiplicitatem gratiæ quam repræsentabant. Et hoc est alterum Spiritus sancti datum, quo Apostolis diuersa charismatum dona distribuit Dominus, quibus intellectus lumine & scientiâ repletus est; voluntas amore & charitate; pars animæ inferior, tranquillitate & pace; cor, diuino ardore & fortitudine, vnde D. Greg. *Virtus Apostolorum de Spiritu sancto sumpta est, quia mundi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos sancti Spiritus fortitudo solidasset*: fuit ea namque illis necessaria, vt suo munere perfungerentur: & sapientia illis necessaria vnde tantam consecuti sunt, quanta doctrinæ fidei tradendæ fauerat: ita D. Tho. 2. 2. quæst. 176. art. 1. ad. 1. *Apostoli*, inquit, *in sapientiâ & scientiâ fuerunt sufficienter instructi, quantum requirebat doctrina fidei, non autem quantum ad omnia, quæ per scientiam acquisitam cognoscuntur, videlicet, de conclusionibus Arithmeticæ vel Geometricæ.* Fuit & necessaria charitas & spiritus affluentia & vehementia, quæ tradita est illis, iuxta Apostolorum Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: siue eam intelligas charitatem, qua Deus ipse nos diligit, docet enim Spiritus sanctus quanto amore nos prosequatur Deus: siue habitum charitatis, quo Deum diligimus: vtrumque enim Spiritus sanctus præstitit in Apostolis. Isti sunt fontes irrigui, quibus infusa Dei Ecclesia germinauit, & in conspicuas Martyrum, Confessorum & Virginum arbores, ad miraculum excreuit. Iste est fluuius igneus, qui rigat ad scientiam & sapientiam intellectum & illuminat; voluntatem accendit amore: finio cum Mureto:

Gen. 6.

Post Pentecosten non discedet ab Ecclesia.

Ioan. 14.

Hæreticorũ blasphemia.

Spiritus S. ante Passionem obscuriùs efficax, post resurrectionem expressiùs, in Pentecoste pleniùs.

Ioan. 20.

2. Reg. 12.

Spiritus S. donis intellectus, voluntas, & pars animæ inferior irrigantur.

Virtus Apostolorum vnde.

Rom. 5.

Spiritus S. est fluuius igneus.

Lustra nostra, tuâ, pectora lampade,
Qui quondam altisono Spiritu à Patre
Lustrasti vnanimes, missus, Apostolos,
Linguis deditus igneis.

Capitis 8. §. 3.

Aqua & terra elementa enarrant potentiam Dei.

1\.

Arida vt apparuerit.

SVnt & aquæ plenæ miraculis, quæ mentem hominis integram & sanam in earum auctorem erigere valeant. Postquam enim ab initio superfusa terræ vasta aquarum superficies cælo contermina, in vnum locum Creatoris bonitate & prouidentiâ resedit, quò terra emergens, hominum cæterorumque animantium substerneretur calcaneo, plantis, arboribus, stirpibus, alijsque rebus, ad vsum generis humani concessis, grauidaretur, ornareturque: Oceani sese

Oceanus eius venæ flumina, &c.

sese aperuit immensitas, atque irruptiones aquarum, quas nos maria vocamus; & quasi quædam vasti illius corporis venæ, flumina, lacus, paludes, fontes, variaque istius elementi genera humanis dedita ministerijs, aut stagnare, aut fluxu terras obire cœperunt: & in his mira, velut sigilla quædam cognoscendæ diuinitatis. Quis enim prudens, Oceani & Euripi æstuaria non suspexit? plurimorum illa torserunt ingenia, nonnullos perdiderunt: nec quisquam constantis illorum motionis caussas rimatus, penetrauit vnquam. Dixerint quidam Oceanum ex communi Philosophorum consensione, Lunæ sensu, atque ductu moueri, eiusque æstum, cum Lunæ curriculo congruere. At pernegarunt alij, Lunæ vi illud accidere, inter quos Picus Mirandula lib. aduersus Astrologiam 3. vnde certi nihil & indubitati, ea de re adferri potest: quemadmodum nec ab ijs, qui ex mutuo vtriusque Orientalis, Occidentalisve Oceani congressu, impulsuque ac repulsu, eorum fluxum & refluxu fieri tradidere.

Oceani & Euripi fluxus & refluxus mirabilis.

2\. Et vt his supersedeam, alia consector. Ecquis non demirabitur ingentem illam aquarum molem suis receptam alueis, tot tamque varias subijsse formas, vt hæ frigidæ sint admodum & ad potum inutiles, illæ calidiores; salsæ istæ, aliæ dulces, aliæ acidulæ, grauiores & asperiores aliæ? Theophrastus lib. de Aquis, apud Athenæum Dipnosophistam lib. 2. cap. 2. Nili aquam fœcundissimam esse scribit, atque dulcissimam: quapropter fortasse, Philadelphus Ægipti rex, quum filiam suam Berenicem Antiocho Assyriæ regi despondisset, magnis impensis curauit Nili aquã ad eam deferri, vt solius huius fluminis frigidam biberet, velut autor est Polybius, apud eundem Athenæum. In Thespijs, aquam filiorum feracem esse, & in Pyrrha sterilem, tradidit Theophrastus lib. de plantis. Plistonicus, aquam magis quàm vinum digerere; Diocles, præter vim digerendi, non inflare, refrigerareque mediocriter, visum seruare, caput non grauare, mouereque animum & corpus, affirmauit. Porrò laudatissima est, quæ aspectu tenuissima, pondere leuissima, & gustu suauissima, qualem Salmanticenses Tormi aquam probant, Romani tyberinam; alij, aliam; vt Ctesias Ouidius, Choaspis, apud Susam fluentis lympham; ex quo Persarum regem bibere scripsit Herodotus. Acidulæ, plerisque in locis scaturiunt: sponte naturæ, calidæ, sicut alibi, sic Aquisgrani oppido Germaniæ; & de fontibus apud Scamandrum; vti cecinit Homerus,

Aquarum dependentium nō vna qualitas.

Aquam è Nilo Ægypti rex filiæ in potum mittit.

Aqua fœcundas fecit, alia steriles.

Aqua digerit vino melius.

Visum seruat.

Quæ optima.

Acidulæ.

Calidæ.

> *Vnda fluit calida hinc, fumusque attollitur altè*
> *Ad Cælum, veluti flammis crepitantibus ignis.*

Apud Gratianopolim teste Mizaldo Centuriã 8. aphorismo 21. qui simul cum ipsis aquis sæpè flammas eructat, duobus, vno eodemque loco, temporeque simul manantibus elementis. Vaporant & in mari ipso calentes aquæ, inquit Plin. lib. 11. quæ Licinij Crassi fuerunt, mediosque inter fluctus, exsistit aliquid valetudini salutare. Et Philo Iudæus de Somnijs. Sunt enim mille passim fontes aquam calidam manantes, non in terrã solùm, sed ipso mari. Nunc certè deprehenduntur tales venæ in medijs maribus, quas ab æuo fluctuum in orbem inundatio non potuit extinguere, imò nec remittere.

Aqua & ignis eodem mant tempore in fonte eodem.

Quid Cydnum fluuium clarissimum memorem, qui Ciliciam interluit? stupenda sunt quæ de illius occulta naturæ vi adferuntur: de quo Strabo: Cydnus, inquit, non spatio aquarum, sed liquore memorabilis; quippe leni tractu è fontibus labens, puro solo excipitur, nec torrentes incurrunt, qui placidè manantis alueum turbent: itaque incorruptus, idemque frigidissimus, quippe multa riparum amœnitate inumbratus, vbique fontibus suis similis, in mare inuadit: Vitruuius lib. 8. cap. 3. scribit Cydni aquas podagrã laborantibus apprimè salubres esse, cruribus in eis immersis. Confirmat Plinius lib. 31. cap. 2. ex epistolã Cassij Parmensis ad M. Antonium: tradunt nonnulli leuia in eo mergi, grauia natare: veluti in Syriæ stagno, lateres, aliaque grauia non ire pessum, meminit Seneca Quæst. nat. lib. 3. c. 25. Prouocauit huius fluuij amœnitas Alexandrum Magnum, vt puluere & sudore inspersus, antequam manus cum Dario confereret nudus coram toto exercitu, se in eum demitteret; sed suo sanè, totiusque exercitus periculo, vix enim eum ingressus, ita repentè obriguit, vt pallescente corporis habitu animam agere videretur, nisi ministrorum elatus manibus, Philippi Acarnan Medici expertissimi industriã, curatus esset; diuinã ipsum seruante prouidentiã, ad Persarum retundendam superbiam, iaciendaque prima Græcorum Monarchiæ fundamenta. Hoc in fluuio præterea, Fredericus 4. cognomento Barbarossa, qui Italiæ terror, Germaniæ flagellum, Mediolanensium excidium, superbiæ, & feritatis suæ pœnas dedit; quum enim copias suas in Asiam traduxisset, Principibus Christianis in terrã sanctã auxiliaturus; cum magnã exercitus sui parte, anno Domini 1190. 4. Idus Iunij, est in eo ita extinctus, vt corpus eius nusquam appatuerit: vt intelligant Reges & Principes, supra se, vim esse diuinam, quæ spiritus altos mortalium premat, & quum visum fuerit, exigentibus eorum demeritis, fato miserando deprimat.

Cydnus fluuius.

Arthritidem curat.

Grauia innatant.

Tyranni puniti.

3\. Redeo ad fontium sinus. Narrat Pomponius Mela esse in Cyrenaicã prouinciã fontem admirabilem, mediã nocte feruentem, meridie verò frigidissimum, qui Solis fons appellatur. In Sardiniã; fontem esse tradit Isidorus lib. 13. etymologiarum cap. 12. quem si periurus quispiam potarit, de proximo, cæcitate percutitur. Ad Nonacrim Arcadiæ, Styx è præcelsã montis crepidine stillatim defluens, omni animantium generi adfert perniciem: huius fontis aquæ tanta est frigiditas, inquit Cæl. Rhodigin. lib 25. lect. antiquar. cap. 16. vt eam non ferant ænea, argenteave vasa, sed dissiliant & dissipentur: solã equi, asini, aut muli vngulã contineri potest, vt vasculum non findat. De hoc fonte Pausanias in Arcadicis; Plinius lib. 31. cap. 2. & lib. 2. cap. 193. in Beroso Taurorum colle, tres fontes, sine dolore, sine remedio mortiferos referr. De duobus Phrygiæ fontibus, paruo ab inuicem interuallo separatis adfert Solinus, è quorum vno, si bibisset mulier, sterilis fiebat: si ex altero fœcunda: Aphrodisij etiam fluminis lympha, steriles facit, inquit Plin. lib. 31. cap. 2. Et in Ceã insulã, fons est, quo hebetes fiunt, qui potauerunt. Plutarchus in Clitorio monte fontem esse scribit, ex quo qui biberit, vini fastidium concipiat, eiusque odorem ferre non possit: de quo Ouid. lib. 15. Metam.

Fontium miracula.

Styx vasa rumpit.

Tres fontes mortiferi.

Fons fœcundus, & aliue sterilis.

Hebetat alius.

Vinum fastidire facit alter.

> *Clitorio quicumque sitim de fonte leuauit,*
> *Vina fugit, gaudetque meris abstemius vndis.*

Fontis Emauntis meminit Cassiodorus in historiã tripartitã, qui hominum, pecorumque infirmitatibus medebatur; ex quo Seruator noster cum Apostolis suis in eo pedes lauerat: nam qui fon-

Fons medicus.

fontium autor, quidni nouam energiam conferat, quum volet? Herodotus lib. 4. scribit Hypanim ex fontibus effluentem per quinque dierum spatium esse exiguum & dulcem, post alios dies quatuor, esse amarum, Athenæus lib. 2. cap. 2. Cardanus de subtilitate, lib. de Elementis, vltra Rhenum ad maris oram, fontem esse refert, qui potus omnium exercitus Germanici militum, qui eum hausissent, dentes excusserit. Lyncestis aqua, quæ vocatur acidula, viri modo, temulentos facit. Theopompus, apud Erganem fluuium, aquam asperam esse dicit, quam bibentes, fiunt ebrij, tanquam vinum potauerint; idem fontis Paphlagonici vndula efficit, quæ magis vino similis, inquit Athenæus, & ad quem incolæ dicuntur ad bibendum accedere: de quo etiam fonte Ouidius:

Modò dulcis, modò asper.

Aqua excutit dentes.

Lincestius amnis haustus temulentos facit.

Idem præstant fontes.

Quem quicunque parùm moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.

Fons Salmacis in Cariâ, vim mero vehementiorem habet, quâ mentem aut furore mouet, aut sopore opprimit: descripsit itidem Ouidius,

Soporiferus, & furoris motor.

Cui non audita est obscœnæ Salmacis vnda;
Æthiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit;
Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.

Venereo morbo implicari eos qui potarint, mollesque & effœminatos reddi, falsâ opinione putauit Ouidius, quum potiùs eò accedentes Barbari, mollitis animis viri Græci consuetudine, qui ibi tabernam quæstus gratiâ, extruxerat, humanitatis suauitati adsuefiebant; vti scripsit Beatus Rhenanus. Æthiopici stagni meminit Diodorus lib. 2. cap. 5. cuius aquæ odoratæ, neque veteri vino dissimiles, epotæ in insaniam vertunt; coguntque occulta errata palam fateri. Aristobulus Cassandræus apud Athenæum, fontem in Mileto esse asserit, qui Achillius dicitur, cuius aqua fluens, est dulcissima, quæ constitit, salsa.

Lasciuos fieri falsò creditum.

Aquæ insanæ, occulta pandunt.

Dulcis & salsa.

Quid fluuium memorem, de quo Aristot. lib. de Mirabilibus, qui ardentia saxa producit, quorum flamma aquis innutritur, vento extinguitur? Quid Athamamim Thessaliæ fontem, cui admotum lignum, tenuatâ Lunâ, accenditur? de hoc Ouidius:

Ardentia saxa producens.

Fonte lignū accenditur.

Admotis Athamanis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cùm Luna recessit in orbes.

Quid aquas Zelotypiæ Num. cap. 5. quæ turpes & lubricas vxores ab honestis discernebant? Lyranus, ex Hebræorum doctrinâ monet, has à Sacerdote exorcismis piari solitas, atque suspectæ mulieri de adulterio, tradi potandas, quæ, si vera foret suspicio, haustæ è putrescēti repente fœnore emittebantur; sin autem vana; earum virtute concepto fœtu, grauidabatur mulier innocens. Assumebantur autem illæ è lauatorio, in quo Sacerdotes manus lauare soliti, teste Iosepho, lib. 3. Antiquit. Iudaic. cap. 14. & Abulense in 5. cap. lib. Numeror. Ad huiusmodi autem efficientiam, nomen Dei tetragrammaton in membranâ exaratum, suffigebatur.

Aquæ zelotypiæ.

Omitto fontes illos, qui quamuis iugiter vbertim scaturiant, alueum tamen suum tenent, & nisi musicâ exciti, non exeunt: Taceo riuum illum de quo Plinius lib. 31. cap. 2. In Ciliciâ, inquit, apud Oppidum Cescum, riuus fluit, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri M. Varro tradit. Prætereo alterū Ciliciæ fontem, qui referēte Plinio ex Polyclyto l. 30. c. 2. vicē olei explet:

Fons subtilitatem generat.

Fons olei vicē explet.

Et Nyssam ciuitatem, quam ita pinguem esse ferunt, inquit Athenæus, vt neminem oleum emere oporteat. Carthaginis quoque fontem scribit, cuius id quod subsistit, oleo est persimile, sed nigrius colore, quod secernentes, ad pecudum, iumentorumque vsum accommodant. Sileo quoque quod scribit Haiton auctor celebris, sese proprijs oculis spectauisse in Armeniâ, è fonte quodam oleum vberrimè fundi, atque ita, vt interdum è suo erumpat alueo, de quo sibi nautæ & mercatores prouideant, eo vsuri, non ad res domesticas modò, verum etiam ad curanda vulnera, vlcera, scabiem, variosque animalium morbos; id quod confirmant Marius Polus, & Franciscus Belleforest lib. 3. cap. 7. & apud Athenæum Alexander scribit se olei fontem in Asiâ inuenisse: vide Plin. lib. 2. cap. 103. lib. 31. cap. 2. & 3. & Senecam. Quæstion. natur. cap. 10. & sequentibus.

Fons oleum fundens, & medicus.

Aquatilia prædicant Deum.

4. Piscium mirabilia.

NOn possum non paucula ex innumeris animalium, monstrorumque innatantium speciebus producere, quorum tanta, tamque varia virtus est, vt quicunque eam suspexerit, in summi alicuius earum auctoris cognitionem rapi, facilè queat. Aut enim edisseras velim, vndenam Echiui piscis, ex crustatorum genere, natura, vt imminentem tempestatem, non secus ac terrestris ventos præsentiat? eum ferunt, quò sæuientis pelagi fluctus eludat, aculeosque suos incolumes seruet, attractis lapillis arenam nauium instar, saburrare: Ex quodam maritimarum rerum peritissimo audisse se, D. Basilius testatur, Echinum, quum ventorum marisque perturbationem præsensisset, calculum haud exiguum correptum subijsse, seseque sub ipso, tanquam anchorâ, stabiliuisse. Addit Pierius Valerianus Hieroglyphicor. lib. 28. cap. 76. Nautas, simul ac eos id factitare conspiciunt, naues iactis anchoris infrænare, tanquam si præsignificatæ tempestatis futuram sentiant violentiam: atque admirari D. Ambros. in Hexamero lib. 5. cap. 9. quo ingenio ista collegerit Echinus, quo doctore perceperit; quis ei fuerit auguriorum interpres? falli sæpe homines aëre perturbato, quod plerumque res sine tempestate succedat; non falli Echinum, & homini rationis participi, documētò esse. Vnde animali tam exiguo tanta scientia, vt non modò quæ futura est, ventorum procellam præuideat: verùm etiam quâ ratione impendenti periculo, obuiandum sit, reipsâ commonstret, non suis se librans viribus, sed alieno stabiliens & regens pondere?

Echinus, præsentit tempestatē.

Magicam propè vim torpedinis, etiam ex ijs quæ crusta intecta sunt genere non est qui non demiretur: vim namque quandam ex se emittit, inquit Athenæus lib. 7. cap. 31. vel per ligna ac tridentes, quæ, manus habentium, obstupescere facit; &, vt alij tradunt, etiam totum corpus. Hanc Ægyptij, multorum assertoris hieroglyphicum esse voluerunt, teste Valeriano lib. 30. cap. 2. siue, quod pisciculis natandi adhuc, & emergendi imperitis, eos ad se recipiens, opem ferat; id quod præcipuè in proprio eius fœtu obseruatum est, quem & emittit, & intra se recipit, adeò vt grandis torpedo visa sit interdum octogintà fœtus intra se habere: siue quod vnà cum alijs piscibus in verriculo deprehensa, omnes plerumque sospitet, manibus, ac pedibus, penitus obtorpescentibus illis, qui verriculum educere tentarint per retia namque in funes quantumuis longos, dilapsum quod effudit virus

Torpedinis vis mira.

Fœtus suos ore fouet.

Seruat alios.

rus, ad manus vsque, totumque corpus piscantium irrepit; atque venationem irritam facit. Pisciculos sibi venatur in cibum, inquit Athenæus, vbi eos attigerit, ac immobiles, ob torporem fecerit.

Echeneis testudinis pes in naui, tardat nauigationem.

Neque Echeneis, quæ Latinis remora minorem admirationem facit, quæ non maioris ferè, quàm pedalis magnitudinis; non vt testudinis pes, nauigijs importatus, nauigationis tarditatem, infert: sed naues ipsas attactu solo sistit, ac velut anchorâ infrænat, non retinendo, sed infra, carinæ, tenuibus pinnis adhærendo: adeò vt licet ruant venti, sæuiant procellæ; vires tamen frangat furentes, & quos non anchorarum irreuocabilia pondera, non innexa vincula, irati maris impetus frænant, solus Echeneis, nullo suo labore rumpat, & mundi rabiem domet.

Remora sistit naues.

Quamuis laxato ventorum carcere, puppi,
Æolus incumbat, Cæruleusque Deus;
Antè exarmati, vires, iramque remittent,
Quàm rapiant puppes, quas Echeneis adit.

Polypus pedes suos vorat.

Polypi quoque natura mira. Hunc, si cibo eguerit, proprijs flagellis, siue pedibus vesci: proditum est, vnde illud Alcæi, apud Athenæum, lib. 7. cap. 31. ἐδω δ' ἐμαυτὸν ὡς πολύπους, *Ipsum me comedo vt polypus.* Plinius tamen lib. 9. cap. 29. Aristotelem secutus: Diphilus quoque quem citat Athenæus, istud pro absurdo habent: verba Diphili sunt, *Polypus omnes cirros integros habent, non edit seipsum, ô amicissime; quod quidem absurdum est, sed à congris insequentibus pedibus mutilatur.* Est autem ipsi cum congris, murænisque certamen assiduum, à quibus interceptus, pedibus truncatur, qui tamen recrescant. Sed hanc opinationem, plurium auctoritate fretus, refellit Pierius Valerianus Hieroglyphicorum lib. 27. cap. 18. & meritò: nam quidquid sit de continuâ eius cum murænis, congrisve pugnâ: quid, quæso, absurdi est, si premente fame, cirros suos polypus edat, quum ex solâ carnium auiditate, quibus Cercopitecus edendo adsueuerit, ipse sibimet totam caudam abrodere, visus fuerit? id quod & in Cynocephalo à se conspectum, Valerianus tradit. Cæterùm, fama est illum, si timoris & incolumitatis caussâ aufugerit, colorem demutare, ijsque locis & saxis, in quibus latuerit, simillimum referre, ita Theognis in Elegijs.

Colorem vt mutet.

Polypodis mores imitabere, qui quibus hæret
Saxis, vt vult, fit protinus assimilis.

Caussam huiusce demutationis tradit Valerianus lib. 27. hieroglyph. cap. 21. nimirum, quòd caro eius exossis, porosissima sit, & transmeatibus aptissima; quare quum pauore aliquo consternatur, totâ vi sensibili sese colligente; veluti in formidine, gelidus circa præcordia sanguis, coit in homine; reliquum corpus mirâ quadam raritate perspicuum, tùm maximè rarefit, & transmeabile apparet; vnde ceu vitrum quoddam nitidum, cum cui adhæserit, petræ colorem reddit, præter album, inquit Valerian. propter aliquam omninò crassitiem, quæ suppositum inumbrat corpus. Subiectæ autem rei ita adhærescit, Diuo Nazianzeno teste, vt si quis eum extrahere velit, dilaceret citiùs quàm diuellat; quam ob tenacitatem, Veneri sacrum illum facere: admotâ tamen pulicariâ herba, protinus resilire dicitur, quòd eius odorem ferre non possit: aquâ itidem dulci superinfusâ, quòd dulcia auersetur, gaudeat amaritudine, testatur Athenæus, quòd, si quis in os cauernæ illius sa-

Mutationis caussa.

Tenaciter hæret. Veneri sacer. Pulicaria herba elicit illum. Aqua dulci.

lem consperserit, statim exeat. Eum autem ramis oleaginis mirificè delectari, argumento est, quod si quis oleæ ramum in mare, vbi polypodes fuerint, demiserit, inquit Athenæus, ac aliquantulum detinuerit quotcunque voluerit, nullo labore extrahet, circa ramum implicitos. Pisciculorum denique, quos ad se mentito colore traxit, exhausto sanguine plenus, castigatos remittit, & inter sugendum, nisi quiescant; verberat vnde pedes eius, flagella nuncupati: ob quod Ion tragicus in Phœnice, visus est dicere, & saxatilem cirris prægrandibus odi mutantem Polypum cutem.

Sale. Ramis ... tur.

Sanguinem pisciculorum haurit.

Quid Scarus? quem solum inter pisces ruminare scribit Aristoteles, quem solum ex piscibus non dormire tradit Athenæus lib. 7. cap. 33. quod illi accidit fortasse ob timorem, quare nunquam noctu capitur: quem apud Ælianum legas captiuum, simul ac extra nassam, caudam protulerit, à socijs, mordicus apprehensâ caudâ, foras extrahi: si verè caput protulerit, adesse qui porrectâ caudâ, euadendi ansam præbeat.

Scarus ruminat non dormit.

Vt è nassa euadat.

Quid sine bile Hepatus, vt testatur Eubulus in Laconicis apud Athenæum,

Hepatus sine bile.

Habere ne bilem putet me, sed velut
Hæc Hepato refert.

Hunc Hegesander binis lapillis in capite præditum testatur, colore quidem, ac splendore, conchylijs: figurâ verò, rhombis quàm simillibus.

Quid Amia? quid Scolopendra? quarum in euadendis periculis ea calliditas est, vt prior, à piscatoribus capta, abroso funiculo, diffugiat; posterior quàm longissimè potest, porrecta, hami deuorati lineam abrodit, & donec eum reijciat, interiora sua foras euomit, dein recipit intro, ac valet eâ quâ priùs salubritate, inquit Pier. Valer. lib. 30. cap. 10.

Amia, Scolopendra rodunt ... euadant.

Quid Thunnus, à currendo, & ab impetu dictus? Est enim impetuosum animal, atque certis anni temporibus asilo agitatur; sic enim Aristoteles, Thunni & Gladij, agitantur asilo circa canis exortum, habent enim vtrique per id tempus, sub pinnâ, ceu vermiculum, quem asilum vocant, effigie Scorpionis, magnitudine aranei. Extra mare transmigrat, terram sinistro spectans latere; in portum verò regrediens, dextro: fortasse, quod læuo oculo hebetiùs, dextro clariùs videat.

Thunnus asilo agitatur.

Quid Pastinacæ piscis venenum, quod lethali ictu, in sui raptorem, spinâ, quam in caudâ habet, inspirat? huius aculeo si quis frondentem arborem pupugerit, haud ita post, illa defrondescit, atque veluti vrentibus solis ardoribus percussa, prorsus exarescit.

Pastinaca.

Quid Sepiæ atque Loligines, quæ partus suos ore suo excipiunt, fouent, & emittunt, vt, propterea à quibusdam proditum sit, eas ore parere?

Sepiæ, & Loligines.

Quid inter maris immensi miracula, Miluus piscis? hic tranquillis noctibus adeo relucet, vt ex ore ignem, flammamque euomere, atque eiaculari possit credi, quâ ex caussâ Plinio, lucerna, dicitur, inquit Pier. Valer. lib. 3. Collectaneorum: de quo fortè Nazianzenus ἐν ἑκοβιχῆς παρθένοις.

Miluus ... eis ardet.

Ἰχθὺς δ' ἔμπυρός ἐστι, καὶ οὐ πυρὶ δάμναται ἀλλὰ,
Ἔμπυρος, αἰθόμενος δὲ μέσης διαλάμπεται ἅλμης.
Piscis verò est igneus, qui non domatur ab insido igne,
Igneus, ardens autem per medium mare refulget.

Innumera sunt alia aquarum admiranda, quæ non pertinaces flectant animos, ad vnius Numinis suscipiendam notitiam, cuius vi, ita vniformiter difformiter, ista, & sunt, & consistunt.

Terra,

Terra, manifestat Deum.

5. Terra admiranda.

IAm si cogitationem nostram ad terram ipsam, quæ pedibus nostris substrata est, contulerimus, nihil ad vtilitatem vberius, ad varietatem distinctius, ad contemplationem mirabilius, occurret. Et vt præteream montium, collium, nemorum, plantarum, stirpium, segetum, arborumque cum iucundissimâ specie & varietate multitudinem, quæ omnia tellus, laxato sinu, ceu mater charissima, in humanos effundit vsus, sicut eam appellat Lucretius lib. 2. in Polyanthea Nani: sic procinens:

Vnde alma liquentes
Humorum guttas mater cùm terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta;
Et genus humanum parit omnia secla ferarum,
Pabula quum præbet, quibus omnes corpora pascant,
Et dulcem ducant vitam, prolemque propagent.
Quapropter meritò maternum nomen adepta est.

Vt, inquam, istâ sileam, nunquid mirabile perpendenti videbitur, tantam molem in aëre pendulam, amictam nubibus, nullâ aliâ basi, vel fundamento, quàm imperio, & præcepto diuino insistere, atque fulciri? namque vt Manilius:

Est igitur tellus mediam sortita cauernam
Aëris, & toto pariter sublata profundo:
Nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem
Vndique surgentem pariter, pariterque cadentem.

Iob. 38.

Super quo bases illius fundatæ sunt, inquit Dominus; Iob cap. 38. *Aut quis dimisit lapidem angularem eius?* Optimè, vt cætera D. Basilius: *Percontantibus super quæ re ingens hoc terræ pondus formatum est, dicere oportet, In manu Dei sunt fines terræ.* Ille est, qui grauitatem terræ, tanquam basim, quâ nititur, solidauit: quò pertinet illud Vatis Regij psal. 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam:* Nam quis horum opifex; si non ratio illa præstantissima, cuncta suis legibus continens, quam tanta ipsa elementorum necessitudo, tantaque effectuũ diuersitas, testatur?

Gemmarum vires, opificem Deum demonstrant.

6. Gemmarũ miranda.

NIhil de marmorum crustis; nihil de mineralium opulentiâ; gratissima terræ viscera, quæ ipsa copiosè & liberaliter ad hominum ministeria, fundit: nihil de florum varijs aspectuque gratissimis coloribus; nihil de herbarum, plantarum, radicum, arbustorum, vi medicâ nunc disputo. Ad gemmarum quarundam vires transeo, quæ Numen aliquod summum manifesto testantur indicio. Quis enim Sapphiro vim eam indidit, quâ ardentes febrium flammas, arteriæ cordis pulsatili adalligatas temperet? Hunc Dioscorides tradit veneno inimicari, vt, si araneus cum Sapphiro, vasi fuerit impositus, crepet medius, venenumque inefficax fiat. Quis Smaragdo è collo pensili hemitritæi fugandi potestatem dedit, atque ab epilepsiâ præseruandi vt propterea puerorum collo appendi iubeatur? Vnde Amethystus ad ventriculi os adpensus ab ebrietate liberat? Cuius virtute Hiacinthus si viginti duorum granorum pondo fuerit, digito aut collo gestatus, aëris noxas fugat, & ne quis pestilentiâ regionis malè feriatur, vetat? Quis Bezaricos lapides aduersus externa, internaque venena, vi præstãtissimâ, potẽtissimâque imbuit? Meruere illi ab excellẽti virtute, nomẽ etiã excellẽs: Nam quum in Perside, vbi Bezarici palmares habentur, quorũ comparatione, Indici sunt secundarij, Mexicani verò, nullius planè virtutis, Petro Teixera auctore lib. 1. Regum Persarum cap. 33. quum, inquam, in Perside, quod nos generica voce lapidem dicimus, *Sangh* appelletur; Arabicè *ager*; non communi vocabulo, sed per excellentiam, nomenclaturâ, *Pazahar*, insigniuntur, quod est, *antidotum*, siue aduersus omne venenum munimentum, id quod Arabes, quæ litera P carent, per B exprimunt *Bazahar* dicẽtes: Quidni etiam ab Hebræo פזר *pazar* deriuari dixero, quod est *dispergere, dissipare*; sicut videre est Psal. 53. & Prouerb. cap. 11. quod hi lapilli omne virus dispergant, dissipentque.

Sapphirus. Smaragdus. Amethystus. Hiacinthus. Bezarici lapides.

Bezarici lapides vt generentur.

Eruuntur autem illi ex arietum, caprarumque visceribus, non omnium, neque omni in loco, quòd pascua nonnulla, eorum generationi materiam subministrent, qualis est herba quædam croco non absimilis in Schabanon, Persidis tractu frequens, è cuius pastu, summæ virtutis Bezarici procreantur; qui, vt maiores, minorésve sint, ex arietum dolore, leuitate aut tarditate cognoscitur: quotquot verò constitutum à Rege Persarum, pondus attigerint, per Præfectos, regijs thesauris inferuntur. Indicos porrò, è pascuis *Vaccarum*, quam vocant, insulæ, generari tradunt in Caprarum stomacho, ita copiosè vt tredecim in vnâ quandoque reperiantur; at nulli prorsus in vllâ, si ad alia pascua transmigrarint.

Oleum è rupe stillans.

Non minoris fecerim rupem illam Schabanon Prouinciæ, è cuius fissurâ stillat liquor mirificus, qui à Persis *mumu bi Kony*, id est, *mumia pretiosa è terra orta* appellatur. Miranda prorsus illius aduersus venena, virtus; & fracturas qualcunque, internarum, externarúmve corporis partium, solidandi vis. Illius beneficio, Persæ, reges suos sanos & incolumes præstari dictitant. Colligitur totus Regi fideliter, singulo quoque anno, ad quinque circiter vncias: cuius modicum confœderatis Regibus, ingentis muneris loco, distribuit. Huic accedit alius quidam liquor ex bituminis genere, qui in Moxulpatan Indiæ colligitur, ad multa perutilis: hunc Mauri Orientales *Pazar Kony* appellant, id est, *antidotus è terrâ ortâ*.

Terra sigillata.

His adde, terram Lemniam, quam, sigillatam dicunt, cuius vis aduersus pestilentiam, catarrhosque omnes, præstantissima, vti testatur Petrus Belon. lib. 1. obseruat. singular. cap. 22. eruitur autem multis ceremonijs è Lemno insulâ, quotannis semel tantùm, die ad hoc dedicatâ, quæ est sexta Augusti. Belon. cap. 23.

Redeo ad gemmas. Quis non suspexerit opificem aliquam rerum omnium naturam, quę hystricis lapidis efficaciam, non modò aduersus morbi contagia, verumetiam aduersus quodcunque infirmitatis genus, considerarit? tutò is cuicunque traditur, præterquam grauidis, quibus ob lapidis illius amariciem, periculum subesse potest. Adamantes, qui ex Bisnagâ, vel Narsingâ, afferuntur, rupibus auelli; qui verò ex Malacâ, piscatione haberi traduntur. Piscandi ratio ea est: fluuij *Laue* (quod etiam regni nomen est) accolæ, quo tempore præruptis aquarum molibus, è rupe decidentibus, fluuius intumescit, è designato loco, illi sese immergunt, atque in imum delati, dimidiam nucis Indicæ concham, quâ ceu nassâ, vel reticulo vtuntur, per rapidissimi torrentis natatus, arenâ opplent, ac pectori, ne effluat, suffigunt; quod diuellere nefas, postquam emerserint, nisi coram Præfecto è Regijs, qui eam fluminis oram, ad quam vrinatores huiusmodi emergere solent, bis mille circiter passibus ab immersionis loco, percurrunt, atque adamantum prædam, quanta illa fuerit, vili dato venatoribus pretio, tollunt, Regi deferendam. Eos autem è natiuis rupibus, ab aqua-

Adamantes piscatione haberi.

rum torrentium impetu in fluuium rapi, manifestum est.

Ex se inuicem generantur.

Sed mirum planè, quod Franciscus Ruel. lib. 1. de gemmis, tradit; vidisse se adamantes, qui alios ex se etiam definitis effundant temporibus, ita vt illis primùm aggesta moles extuberare incipiat, maturescat, & excitata recens gemma decidat. Neque minus mirabile, tantæ duritiei gemmam, è rore cæli coalescere. Auctor mihi nobilis Anglus in suo Itinerario Hierosolymitano ms. anno redemptionis humanæ 1355. cap. 26. qui adamantes, roris cælestis beneficio generari, concipi, & inuicem parturire asserit: id quod se in Indiæ partibus experientia ipsâ consecutum, testatur: vbi auulsam a rupe particulam, adamantibus, mare & famina insignitam, in hortulum transtulit, atque crebro Maij rore irrigauit, vnde mox paruulus Adamas, ex illis genitus, natusque sit, & ad debitam quantitatem adoleuerit.

Ex rore geniti.

Vniones, nō generari ex rore.

Similem ex rore genituram ad margaritas, frustrà traduxisse videtur vulgaris opinio. Quâ enim ratione ostrea motus expers, & conchilij sui grauata pondere, maris superficiem adeat cæli rorem exceptura? aut quæ per medios sali gurgites via, per quam ros purus, ostreæ sub vndis salsis hærenti, illabatur? Refragatur etiam experientia, quoniam conchilia altiùs profundo immersa, plures, grandiores, grauioresque margaritas proferunt, quàm quæ ad extimam alti faciem propiùs accedunt. Quod si ea, à rore concipere indubitatum foret, accedente vi actiuâ solis, efficaciùs in minus remotum agente, quàm in distans longiùs, & ipso rore puriùs respectiuè influente, maiores vtique grauioresque vniones, illa edere foret necessum. Accedit piscationis, & exsiccationis peritos, ex ipso conchilio extuberantes margaritas, praua quadam temporis, aut materiæ, aut naturæ affectione imperfectas ac rudes scalpris exculpere, quæ vbi politæ, atque formatæ fuerint, sponte suâ deciduis pretio & virtute æquentur. Quare eas ex ipsius Conchilij naturâ generari, verosimilius, siquidem ipsum colore referunt; & lacera ostreæ caro, quâ parte extuberant; quis, vndéve earum sit ortus, satis indicat: & asserit Athenæus lib. 3. cap. 8.

Sed ex conchilij naturâ.

Carbunculi gemmarum primi.

Principatum habent Carbunculi, inquit Plin. lib. 37. cap. 7. à similitudine ignium appellati, quum ipsi non sentiant ignes: ob id à quibusdam Apyroti vocati: Traduntur in Sapphiri venis generari; vnde Sapphirus carbunculi mater vocatur Isa. cap. 54. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, fundabo te in Sapphiris.* 70. *Ego præparabo tibi carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua Sapphirum.* Ad Ecclesiam fit sermo, cui Deus Pater Carbunculum Christum præparauit: vti enim Carbunculus super omnes alios lapides, velut carbo ignitus irradiat, ita vt tenebras noctis vincat, venâque lacteâ cinctus est, vti Plinius ait, ita Dei verbum vena lacteâ humanitatis suæ cinctum, peccati tenebras diuinitatis suæ fulgore discussit, vicit: & in sapphiris fundatus est, siue, vt 70. fundamenta eius Sapphirus; gemma gemmarum, cærulea, lucida, cælo similis, refulgente in medio stellâ decorâ; virgo Mater; quæ innocentiæ & puritatis dono conspicua, atque originali iustitiæ nouum sidus refulgens; conceptionis filij Dei in vtero fundamentum fuit. Quid de variâ carbunculorum metamorphosi dicam quos Siren. lib. 4. de fato, cap. 8. vidisse se scribit, qui ad lunæ motum variè colorem demutarent, Leonisque X. Pontificis fuisse

Isa. 54.

Christus carbūculus

Sapphirus virgo mater.

crediti sunt.

Selenites.

Selenitem lapidem ferunt Lunæ motum & figuram imitari, quòd eius candor, ad Lunæ incrementa atque decrementa, augeatur, & minuatur; collo gestatus, lunarem efficit spiritum. Porrò gemmas ab astrorum influxu regi, atque vim concipere præsertim si ad certos eorum aspectus effigiatæ fuerint, opinio peruetus. Namque Ptolomæus, Ioanne à Porta lib. de miraculis rerum naturalium referente, testatur, huius mundi figuras, cælestibus aspectibus subijci, ad quos, compositis, & efformatis imaginibus, veteres Sophi mira operabantur. Quare Forj hyrius opinatur, imaginem conflari posse, quum Lunæ Serpentis signum ingreditur, aut illud benignè respicit, quæ sit præsentissimi in serpentum venena remedij. Quanquam enim gemmæ cælestibus muneribus capiundis duriores videantur, vbi tamen accepere, tenaciùs & diutius retinent, quod Iamblicho etiam placuit. Ego tamen non video, quæ tanta vis possit esse astri in hæc inferiora influentis, vt effigiatis ad illius intuitum iconibus, peculiarem, eisque inhærentem indat virtutem. Quare præstigiarum atque offuciarum plena hæc & dæmonis maleficio fieri potiùs putarim, aut fabulose narrari: Quale illud de lapide in Mahumetis fano, Mecchæ siue Medinæ, asseruato, qui ab Adamo communi generis humani parente, e paradiso terrestri falsò asportatus creditur, & tandem in Ismaelis Abrahæ filij potestatem veniens, Mecchæ illatus; Lycius est peccatorum: nugantibus fabulosa superstitione Mauris, eum lapidem, qui naturâ suâ cādidissimus est, ad hominis peccatoris contactum, atro inficí colore, quemadmodum tradidit Petrus Teixera lib. 2. de Regib. Persarum cap. 35.

Imagines ad astrorum aspectus alicuius virtutis formari superstitiosum.

Lapis Lydius peccatorum fabulosus.

Sardius.

Sardius fulgore rubeo clarus, accendit gaudium, & timorem repellit, acuit mentem, audaciam nutrit, maleficijs resistit. Onichinus ignei coloris, venis cingentibus albis, in quo imagines cursæ, velut in speculis concauis videntur, noxios effectus habet, nam tristitiam, timorem, & lites accendit, in præsentiâ tamen Sardij, nihil nocet. Achates, fulmini resistit, tempestatem sedat, simulacra monstrat somniorum contra venenum prodest, pericula vincit. Berillus viridis est subpallescens, oculos humidos sanat, honorem diligit coniugalem, teste Dioscoride. Chrysolitus interdiu aurei coloris, noctu, ignei; gestatus contra dæmones valet. Ligurius medij coloris inter aureum & argenteum, in arenis ex vrinâ lincis condensatâ gignitur, paleas attrahit, sicut magnes ferrum, discoloratis prodest, venenum indicat. Topazius ex aureo & cælesti commixtum colorem habens, ante solem positus, super alias gemmas lucet; valet contra phrenesim, & morbum lunaticum. Iaspis viridis & venis plenus, tot habere dicitur virtutes, quot venas. Asbestum lapidem prætereo, qui semel accensus nunquam extinguitur, ob quod impij carnifices, Christiani nominis virtutem in ignibus extinguendis metuentes, quum D. Georgium ignibus tradidissent, ne conceptus semel ignis extingui posset, cum hoc lapide obruerunt; sed frustrà; diuinitus enim factum est, vt ignis extingueretur, & insignis Athleta Christi, ne vel in capillo læsus appareret; vt tradit Metaphrastes in encomio huius Sancti, apud Lipomanum tomo 7. Aprilis 23. & refert Matthæus Caniculariυm tomo 1. titulo [illegible]. Pyriten etiam Persicum taceo, qui manum vehementer se prementem adurit. Non refero coralium amoliendis periculis

Onichinus.

Achates.

Berillus.

Chrisolitus.

Ligurius.

Topazius.

Iaspis.

Asbestus lapis accensus non extinguitur.

D. Georgius.

Pyrrhites.

Coralium.

riculis & fascinationibus oportunum, quod sub aquâ molle est, extra durescit, vt canit Ouid. lib. 15. Metamorphoseon.

Sic & coralium, quo primùm contigit auras
Tempore, durescit, mollis fuit herba sub vndis.

Aëtites Chalcedonius.

Non Aëtitem, singulare prægnantibus, ne arbortiantur præsidium: non Calcedonium, phantasticis melancholiæ illusionibus fugandis perutilem: non Alectoreum; non Boracem, non Draconitem, non Geranitem, non Corneolum: non denique Chelidonium, Heliotropium innumerosque alios insignis energiæ lapides, tum ad venena pellenda, tum ad sanguinis fluorem aliasque ægritudines compescendas, idoneos; quos omnes, tanquam sigilla diuinæ suæ in homines bonitatis, esse voluit Deus.

CAPVT IX.

Cæli & Angeli, mentem diuinam rerum effectricem ostendunt.

I.

Iam, si suspicimus magni cælestia mundi
Templa super, stellisque micantibus æthera fixum,

Cæli, qui limitatam restrictamque naturam, ipsâ etiam hominis naturâ imperfectiorem, motus denique ac reuolutiones definitas habent: quia non proprij, sed substratarum rerum commodi caussâ, quibus lumen & motum conferunt, perpetuâ ratione circumferuntur; intellectum diuinum indicant summâ ratione vigentem, omnibusque imperantem; id quod cecinit Psaltes regius psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, siue enim oculos in cælum sursum, siue in terram deorsum verteret, sancto admirationis, & amoris poculo ebrius, totus abripiebatur, & absorptus maximè consideratione ordinis, magnitudinis, pulchritudinis, celeritatis, constantisque motus cælestium orbium, cum tantâ varietate, quanta in eis cernitur, adsurgebat in Dei laudes. *Cæli enarrant gloriam Dei*, enarrant, & enarrare faciunt, quotquot sui iustos spectatores habent. Est enim Chaldaicè, *Qui suspiciunt cælos, enarrant gloriam Domini*. Extendit namque Dominus cælum sicut pellem psal. 103. hoc est velut membranam, in quâ sui notitiam descripsit: in hac, velut in tabulis se legere Iacob dixit, quę filijs prędicabat; sicut ex Origene refert Euseb. de præparat. lib. 6. cap. 7. Nec defuere, qui se ideò natos dixerunt, vt cælum suspicerent, vnde Deum ipsum cognoscerent. hinc Athenagoras, Illud maximum, acceptissimumque sacrificium arbitramur, inquit, quis tetenderit cælum, & in orbem reduxerit, considerare. Quare Isa. cap. 40. *Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc.*

Cælorum vox qualis.

Ps. 18.

Psal. 103.

Isa. 40.

E maximis quippe diuini Numinis mirabilibus, est cælum, quod tanquam elementorum elementarumve rerum aureis renidens gemmis lacunar factum in intelligentiâ, Deique digito expolitum, antiqui, Deorum domicilium, animarumque nostrarum receptaculum, appellarunt. Ita magnum, vt ex Astronomorum sententiâ, sol qui fons caloris & luminis, terræ manifque globi magnitudinem centies sexagies sexies contineat, minimumque firmaméti astrum, quod nostris [illegible] potest, vniuersam terram [illegible] partibus superet [illegible] sint, [illegible] septuaginta, vel nonaginta, [illegible] partibus eamdem excedant.

Cælum Deorum domiciliũ.

Sol maior orbe terræ, 166.

Ita præcipiti versatur motu, vt Sol cum suo orbe, vnius horæ spatio, supra centum myriades, siue decies centena millia miliariorum conficiat; & stellæ, quæ circa æquinoctialem videntur, singulis horis supra quadraginta milliones, siue quater mille myriades miliariorum emetiantur.

Vna hora quot milliaria conficiat.

Ita pulchrum, vt qui vinci illius astri speciem, intelligentiâ fuerit consecutus, cuncta quæ pedibus nostris substernuntur, ne quidem flocci faciat, aut minutulo empsitarit. Ita speciosis ac venustis adornatum luminibus, vt Heroas mirâ quadam Apotheosi in sidera transformari, quidam cogitarint: vnde Ouid. lib. 1. de Arte:

Cæli pulchritudo.

Munus habe cælum, cælo spectabile sidus.

Et in eandem sententiam Claudianus lib. 1. de Consulatu Honorij, cecinit:

Machina laxatur cæli, rutilæque patescunt
Sponte fores, Arctoa parat conuexa Bootes,
Australes reserat portas succinctus Orion,
Inuitantque nouum sidus, pendentque vicissim
Quas partes velit ille sequi, quibus esse sodalis
Dignetur stellis, aut quâ regione moueri.

Ita instructum, vt vario astrorum influxu, fossilium, metallorum, gemmarum, plantarum, arborum, virgultorum, auium, piscium, terræque animantium copiâ, cum omni varietate, nostra hæc locupletet: adeò, vt nonnulli stellas humano generi beneficas, pro Dijs colendas decreuerint. Verùm illi, extimæ rerum faciei inhærentes, inquisitionem suam, stellarum aspectu terminarunt: neque enim voluntariè mouentur, sed necessariò, atque præstitutis legibus, officijsque deseruiunt, sicut Lactant. inquit lib. 2. cap. 5. vnde etiam Ouid. lib. 1. Metamorph.

Stellæ pro Dijs habitæ

Tot numero, talique Deus simulacra figurâ,
Imposuit cælo, perque atras sparsa tenebras,
Clara pruinosæ iussit dare lumina terræ.

Ita denique sonorum, vt consonantium inter se corporum & astrorum harmonia, excogitabiles vocum, atque instrumentorum symphoniæ deseruientium, excedat numeros. De hoc orbium cælestium concentu Licentius Poëta, apud D. August. epist. 39.

Cælorum concentus.

Queis numerum dedit ille sonis, mundumque Tonanti
Differuit canere, & pariles agitare choreas.

Verùm si ita est, si concinunt orbes, cur concentum non percipimus auditu? Dicerent Pythagorei caussam esse fragorem nimium, quo obstupuerunt atque obsurduerunt aures nostræ, vt discernere non valeant: non secus ac Lunæ montium accolæ, ex graui atque continuo aquarum & torrentium præruptè defluentium tremitu, tanquam ab acri & iugi celensmate, surdi esse feruntur: Sed hoc absurdum videtur, fictitiumque; dari harmoniam & concentum qui non aliquando audiatur. Quare fortè meliùs: Non propterea minorem esse, aut nullam cælorum musicam, quia sensu externo concentus ille non sentitur: quandoquidem sonus harmonicus proba sit, & praxis Musices, non autem illius essentia: sed eam esse talem qualem Orlandi musicam appellamus, quæ Orlandi libris continetur, licet per vocum sonantium discrimina, auribus nostris non inferatur: quemadmodum quoque Philosophiam Platonis, & Apellis tabulas dicimus, quamuis neque hæ videantur, neque illa legatur.

Cur non auditur?

Numeris sonoris constat, velut musica in libris.

Quid

Quid autem non mirabile? quid non stupendum statim occurrit, cæruleæ isti testudini, cæli laquearibus istis, oculos & animum tantisper aduertenti? saxeus sit, & apathes omnino, qui non statim intelligat, vim quandam esse incorpoream, quæ cælestibus præsideat orbibus, quæ illos regat, quæ tam incredibili pernicitate illos torqueat, quæ stellis micantibus, & infernè influentibus, illos insignierit: cui & parent omnia, vt rerum Domino. Rectè admodum Tullius lib. 2. de Naturâ Deor. *Et quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, quum cælū conspexerimus, cælestiaque contemplati fuimus, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, à quo hæc regantur?*

Angeli.

2. Angeli, lumine & tenebris discernuntur.

INtelligentiarum quoque limitata virtus & natura, satis ostendit, aliquem vnum constitui debere, cuius virtute omnes contineantur: & hic est earum Opifex Deus, quem ex earundem intelligentiarum effectis, manifestiùs cognoscimus. Nam quùm lumine & tenebris discernantur, fit, vt duplex sit earum genus, quæ Spiritus ab omni materiæ concretione liberi, appellātur: bonarum vnum; malarum alterum; duplex quoque studium. Bonis, bono nostro, summæque hominis fælicitati apprimè studentibus: malis autem, hominum perditioni sedulò inuigilantibus, quam peruersæ iniquitatis suggestione, personarum ementitâ fraude, oraculorum è saxeis, ligneisque simulacris prodeuntium illusionibus, moliuntur; alijsque innumeris artibus & techenis, citò credulos, in errorem, & animæ suæ perniciem inducunt: ideoque dæmones appellantur, quos omnes malos esse dicit Porphyrius, & ab his omne malum: quapropter, bonos Spiritus, dæmonum nomine indigitari, nefas.

Dæmones omnes mali sunt.

Insidiantur homini.

Tam pronæ autem nequitiæ, tamque fallacis fallaciæ sunt Spiritus illi nequam, vt sanctissimis quibuscunque viris illusisse, aut illudere voluisse, plenæ sint historiæ: Narrat Cassianus de Monacho Mesopotamæo, quem versutijs suis dæmon ita dementauit, vt, licet annis compluribus ab omni humano semotus consortio, in summâ continentiæ, virtutumque cæterarum laude & famâ præ cæteris vixisset, circumuentus tamen Dæmonis offucijs, Angelicam speciem suis in apparitionibus incauto obtrudentis, ad Iudaismum & circuncisionem declinarit. Credebat enim versipelli simplex, non falsis sæpiuscule reuelationibus, atque illius coram se coruscantis luce delinitus, vt iam illum, non veteratorem, non tenebrarum, sed cæli ac luminis Spiritum esse, firmissimè teneret: quod vbi persuasum est, tum obijcere leuiter credulo, suspectas Apostolorū, Martyrum, Christianique cœtus imagines, facie luridâ, tristitiâ abiectas, ærumnis, loci miseriarum & perditionis, confectas: Contrà verò Iudaici populi speciem aspectu iucundissimam, vt sibi videre videretur hanc recutitam gentem, atque omnis perfidiæ ream, cum Patriarcharum Prophetarumque choro, ingenti lumine ac decore fulgidam, sidereis altè in sedibus gestientem: vnde ad suprema quasi iam euectus hoc chasmate palatia, in errorem corruet, absque remedio. Quam non infamiam veterator illo Diuæ Chunigundi Henrici primi Imperatoris vxori suscitauerat singulo quoque manè sub nobilis adolescentis personatâ effigie, ex arcanis penetralibus virginis & vxoris, ad alicuius semper aspectum sese proripiens, nisi illa innocentiam calcatis ardentibus prunis, comprobasset?

Monachus decipitur, & Iudæus.

S. Chunigūdi alludit.

Homini nocent vt Deo aduersētur.

Similia quum agunt Dæmones quam habent caussam, nisi quòd Numen aliquod supremum offenderint, illius imperium detrectantes, ob quod extorres cælo, transfugæ, in creaturam Deo charissimam, illectamentis fallacibus, figuris ementitis, præstigijs veteratorijs, immanissimè desæuiant, vt quas in Deum gerunt inimicitias perennent? Ideò enim ipsi, vt inquit Proclus lib. de animâ & dæmone: *ad deteriorem curam nos mouent:* Et, vt habet Iamblichus lib. de mysterijs, *passionibus & prauitate pleni, per ipsam cognationem malos ad se trahunt Spiritus, quibus mox occupati, ad omnem iniquitatem inde iterum incitantur.*

3. Dæmones esse, Peripatetici negarunt.

Ex his, falsam esse Peripateticorum opinionē, dæmones non esse dicentium, patet: aiebant enim illi, vt quam conceperant homines de dæmonibus sententiam conuellerent; manifestaturos sese, si essent, ijs qui id inficiarentur: sin mali essent, graui pœna in incredulos & cōtemptores sui, animaduersuros. Sunt namque eiusmodi Spiritus, & illis affectus nocendi quàm maximus: at verò, quòd non tantùm obesse valeant, quantùm volunt, ideò fit, quia cùm à seipsis velint, non amplius tamen valēt, quàm quod concesserit Deus: aliàs autem, nisi vi diuinâ coercerentur, toti, in totius generis humani perniciem, effunderentur. Is itaque qui mari posuit terminos suos qui preteriri non poterunt, truculentam dęmonum rabiem, potestatis suę freno coërcet.

CAPVT X.

Corporis humani structura Numen esse docet.

1. Seminis virtus formatrix mira.

IAm verò vt ad animantium me genus conuertam: Quis non à supereminenti quâdam virtute vim illam semini inditam fatebitur, quâ corpus effingitur, formatur, & in organa distribuitur, tam multiplici varietate, & figurarum distinctione? Quis torno caput in sphęram rotauit? quis figulus brachia, ceu ansas deduxit & extendit? quis aurifaber pupillæ oculorum receptacula excauauit? quis neruos flexiles tetendit? Ista Hippocratem ad Numinis intelligentiam perduxere, cuius opificio animantum generationes fieri lib. de vsu partium, confessus est.

Hominis structura mira.

Sed vt multiplices, variasque animantium species, quę terras, quę maria, quę aëra complent: Quid non mirabile in viuentium pręstātissimo, & ex concretis palmari? quę eius pars, quę non eminentis cuiusdam diuinitatis, sit insignita vestigio? vt non immeritò Trismegistus in Pimandro, Tatium filium in Dei cognitionem, singularum humani corporis partium consideratione, erexerit: *Age*, inquit, *Fili, circumspice humani corporis opificium, cuius admonitione perdisce, quis tam pulchræ imaginis conditor, quis oculorum pictor, quis nares auresque tornauit, quis labia distendit oris, quis neruos tetendit, atque ligauit; quis irrigauit venas, quis ossa congessit solida, quis carnem pelliculâ tenui circumtexit, quis digitos articulosque discreuit, quis fundamenta pedum extendit, quis perforauit poros, atque meatus aperuit, quis splenem coëgit, atque compressit; quis pyramidem impressit cordi figuram, quis iecoris porrò texit fibras, quis pulmonum sculpsit fistulas, quis aluo capacem amplitudinem tradidit, quis honoranda corporis membra in propatulo figurauit, quis obscæna in obscuro prorsus abdidit, eaque aspectu cernentium voluit secreta iacere? Vide quot diuinæ artis opera in vnâ materiâ demonstrantur, singulaque pulchra, rectèque dimensa, necnon proprijs inuicem officijs differentia. Quisnam singula finxit? Nonne hæc solus ipse inuisibilis Deus, cuncta propriâ voluntate molitus est?*

Neque

Hominis structura, Dei liber est.

Neque ille solùm, sed nouissimè Andreas Laurētij quoque Historiæ anatomicæ lib. 1. cap. 6. Atheos ad Dei immortalis cognitionem, ab inspectâ humani corporis fabricâ, quam veterum quidam, Dei librum appellarunt, vocat: in eâ quippe, lucet admirabilis Dei potentia, incredibilis eius sapientia, & infinita bonitas.

Potētia Dei in hominis structura lucet.

Potentiam, inquit, *quis non ex eo iudicet, quod ex tantillo semine, cuius partes videntur homogeneæ, & guttulis aliquot sanguinis, tam varias partes effinxerit, ossa plusquam ducenta, cartilagines plures, ligamenta quamplurima, membranas penè innumeras, arteriarum tubos, venarum myriades, neruorum plusquam triginta paria, musculos ferè quadringentos, viscera denique omnia delineauerit? Incredibilis vero sapientia, in mirabili totius & tam dissimilium partium artificio, apparet.*

Lucet & sapientia.

Elegans totius structuræ artificium.

Ingredere tu quisquis es, etiam Athee: ingredere, quæso, sacram Palladis arcem (cerebrum hominis intelligo) & regiæ illius domus columnas, & concamerata inuolucra, superbi ædificij ingentem molem, suffulcientia, atria, sinus quatuor, speculum lucidum, plexus arteriolarum labyrintheos, venarum mirabiles ductus, Cerebri elices, & aquæductus, neruorum innumeras scaturigines, medullæ illius albæ, quam Sapiens in Ecclesiaste funem vocat argenteum, miram fœcunditatem contemplare. Hinc in ἡλίου πύλας *solis portas, & fenestras animi (oculos dico) mentis aciem intende, crystalli fulgentis nitorem, humorum aquei & vitrei puritatem, tunicarum contextum, musculorum in oculis versandis miram volubilitatem intuere: Auris internæ artificium, labyrinthum, cochleis, fenestellis, tympano, tribus ossiculis, stapede, incude, & malleolo, musculis exiguis, neruo auditorio, ductu cartilagineo tam affabrè concinnatā. Linguæ pusilli corpusculi, quod benedicit Domino, & maledicit hominibus, quod anguillæ & murenæ in modum, tam varijs motibus agitatur, vires, structuram, musculos, carnem propriam, membranam, neruos, frenum conspice. Cordis sinus duos, auriculas totidem, quatuor insignia vasa,*

Hippocrat. libello de corde.

quæ (vt ait Hippocrates) sunt velut πηγαὶ καὶ ποταμοὶ φύσιος ἀνθρώπου. *id est, fontes humanæ naturæ, & flumina quibus totum corpus irrigatur: ostiola vndecim. Hepatis mirabiles plexus, arteriarum & venarum diuortia omnia, partium denique animalium, vitalium & naturaliū mirabilem structuram conspice; an non etiam inuitus exclamabis? O architectum admirabilem! ô opificem inimitabilem! & cum veridico Prophetâ hymnum Creatori canes? Confitebor tibi Domine, quia tuæ sapientiæ magnitudinem declarasti in mei corporis fabricâ.* Planè enim cum eodem Vate exclamare possimus Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam.*

Psal. 138.

Ex me, inquit, id est, ex ijs quæ sunt in me, siue ex humani corporis formatione, manifestū fit, quàm mirabilis sit scientia & sapientia Dei: ita explicant Dionys. epist. 5. Nazian. orat. 1. de Theolog. Basilius lib. 9. & 10. in Hexa. & alij. *Deum nostr quærebat humilis Dauid*, inquit D. August. tom. 6. Concione ad Catechumenos, cap. 6. *considerauit enim quid in seipso ageretur: considerauit animam suam, inspexit fabricam, discussit se intus quid esset, & ex quâ parte illam tam pulchram molem gubernaret: atque in vasculo luteo quomodo habitaret anima plena tantis thesauris sapientiæ & scientiæ & prudentiæ: vbi illic essent tanta, tam pretiosa, tam grandia: quæ loca anima obtineret, in qua nullus esset locus: atque ex vno fonte, quomodo procederent singulæ virtutes sine diminutione & exeuntis & profundentis. Vidit hæc, considerauit hæc, voluit, nec valuit comprehendere se, & exclamauit Deo dicens: Mirificata est scientia tua ex me, inualuit, & non potero ad illam. Hoc fuit dicere: Quando te possum comprehendere tam magnum, qui meipsum non valeo explicare extremum & paruum.* Introspice te Athee, & per scientiam de teipso, ascende, & stimulare magis ad scientiam de Deo. Deique sapiētiam mirabilem prædica, & in tuâ angustiâ exclama, *Mirificata est scientia tua ex me, inualuit, & non potero ad illam.* Rursum D. August. lib. 15. de Trinit. cap. 7. *Ex me quippe intelligo quàm sit mirabilis & incomprehensibilis scientia tua, quâ me fecisti: quando nec meipsum comprehendere valeo quem fecisti: & tamen in meditatione mea exardescit ignis, vt quæram faciem tuam semper.* Prosequitur Andreas.

Bonitas Dei lucet in fabrica corporis.

Postremo infinita Dei bonitas in hoc artificio lucet, qui singulis partibus tam bene prouidit, vt qualibet suum habeat peculiarem vsum: omnes vero tantâ conspiratione ita sint aptæ connexæque, vt mutuas sibi tradant operas, & earum vnâ affectâ, reliquæ statim in illius συμπάθειαν *trahantur. Hanc partium societatem ita indicauit Hippocrates libello de alimento,* σύμπνοια μία, σύῤῥοια μία, συμπαθέα πάντα, *conspiratio vna, confluxus vnus, consentientia omnia. Admiranda igitur hæc, in structura corporis, Dei opera, sunt velut magistri muti, libri vulgaris Theologiæ, & Doctores sapientiæ diuinæ.*

Structura corporis humani sapiētiæ liber.

2. Facierum dissimilitudo mirabilis.

Denique verò, quid in vniuersâ rerum naturâ mirabilius, quàm in summâ hominum inter se similitudine, summam dissimilitudinem intueri? neque admiramur, quia familiare est, qui nisi insolita admirari consueuimus, sicut aduertit D. August. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 8. Formantur omnium ac singulorum vultus eodem modo & proportione simili; neque tamen eodem prorsus se habent modo, cùm ne vnus quidem ex infinitâ prope hominum multitudine, alteri planè sit similis. Id quod suspicit Arnobius in suis contra gentes Commentarijs, tanquam diuinæ sapientiæ atque potentiæ effectum singularem, eâ ratione rebus humanis prouidentis, ne qua fraus familiarium consuetudini irreperet, ne vice amici, hostis susciperetur: & pro nocente, innocens tractaretur; vtque etiam homicidia, adulteria, & seditiones, quæ ex mutuæ notitiæ defectu accidere possent, impedirentur; atque scelerati plectendi, dignoscerentur.

Hominum omnium ortus ab vno parente. Cur?

Omnino autem mirabile, à primo totius humani generis satore & seminio, quod vnicum esse voluit Deus, vt nos vniuersim omnes, tanquam vnius parentis filios, mutuus ligaret amor, compaginaret caritas, vti significauit D. Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 2. tot, tamque varijs ac differētibus modis dissimilem nasci progeniem; vt hi proceræ sint atque portentosæ magnitudinis, velut gigantes, & qui æmulantur. Æneid. 3.

Gigantes.

Ætneos fratres cælo capita alta ferentes.

Nani.

Illi depressæ staturæ atque humilis; veluti nani & pygmæi, quos Plin. lib. 7. cap. 2. ternos dodrantes dicit non excedere. Hi corpulenti euadant, lacertosi, torosi, fortes, ac robusti,

Robusti quidam: alij infirmi.

Et quibus est durum corpus, patiensque laborum.

Illi exangues, infirmi semper ac exucci corporis, & qui

Vix habeant tenuem, quæ tegat ossa cutem.

Hi ingenij acuti, illi obtusi.

Hi præstanti sint ingenio, solertes, industrij: obtusioris illi ingenij, socordes, hebetes, ignaui. Hi consilio valeant & prudentiâ, illi viribus & robore præstent, vt seruiant hi, illi imperent: *animi namque imperio, corporis seruitio magis vtimur*, inquit Sallust. in coniurat. Catilinæ. Vt si validioribus compacti toris, infirmioribus insultare voluerint, illis dici possit, quod Vlysses Aiaci lib. 13. Metamorph. super arma Achillis contentione motâ.

tibi dextera bello
Vtilis, ingenium est quod eget moderamine nostro.
Tu vires sine mente geris; mihi cura futuri:
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides. Tu tantùm corpore prodes,
Nos animo; quantoque ratem qui temperat anteit,
Tantum ego te supero.

3. Varietas in hominibus, seruit decori vniuersi.

Neque hanc naturæ diuersitatem in quibusdam tātùm particularibus deprehenderis, verumetiā in populis, regnis, & nationibus: & hanc contentionem in ijs esse voluit Deus, vt quemadmodum

modum elementa concordi vinculata dissidio conseruantur; ita & quæ ex ijs concreta sunt, in ipsum totum conspirantia, antithesi constarent, seruarenturque. Hinc Septentrionales populi, corpore multùm, mentis acumine, atque intelligentiâ, minùs valent. Meridionales pusillo infirmi corpore, ingenij viuacitate excellunt. Medij populi, temperatam, tum ingenij, tum corporis habitudinem sortiuntur: Aquilonaribus ingenio præstant, à quibus vincuntur corpulentiâ: Australibus corporatiores sunt, à quibus ingenij præstantiâ superantur. Namque velut in reliquis animantibus, prævalida corpora, propter specierum conseruationem, magnâ solertia, atque subtilitate defecta sunt: ita Deus ad hominum societatem, mutuamque dilectionem tuendam, dum vnus altero se indigere intelligit, ingenia magna, magnis cum viribus sociare noluit. Præterquam quòd in hac triplici naturę serie, triplicis humanæ sortis status splendor effulgeat. Australes namque, vt pote præcellentis atque perspicacis ingenij, vitę contemplatiuæ sunt idonei: vnde ab his scientiæ naturales, Metaphysicæ, & aliæ quæ in contemplatione positæ sunt, emanârunt. Boreales, quorum in manibus defixum ingenium, vitæ actiuæ & illiberali sunt apti: ab his tormenta bellica, machinæ, instrumentaque fabrilis artis plurima, quæ ad vitam mechanicam spectant; potentissimique omnium exercitûs prodiere. Nationes mediæ, vitam politicam sectantur; à quibus oratoria facultas, iurisprudentia, legum peritia, & maxima totius orbis imperia, duxerunt originem.

Populorum diuersitas.

Viribus magnis non sunt coniuncta ingenia magna.

Australes vitæ contemplatiuæ idonei.

Septentrionales actiuę.

Medij Politicæ.

4.

Mores dissimiles.

Byzantij ebrietate.

Persæ bibacitate gaudent: inter pocula deliberant. Sinenses contrà.

Porrò autem has corporum diuersas habitudines, dissimiles etiam animi mores, teste Galeno, consequuntur. Byzantij ebrietate gaudent, vti inquit Alexander Sardus, de moribus gentium lib. 1. cap. 18. qui ea de caussa hospitibus domos relinquunt, & vxores vt in popinis ipsi versentur: bibacitate Persæ, gloriáque ducunt non inebriari; qui etiam de rebus arduis, nonnisi inter pocula deliberabant: Cilices ieiunijs: Sinenses, teste Ioan. Gonzalez de Mendoza nostro, nihil ita vt vinum, seriç rerum discussioni aduersari censent, apud quos piaculum grande est, Senatorem aut Iudicem, manè vinum bibisse: Plato quoque lib. 2. legum, Magistratibus, toto eo tempore quò magistratu funguntur, Gubernatoribus, atque Iudicibus, munus suum subituris, deliberaturis etiam de rebus non omnino negligendis, vinum penitùs non concederet. Meroitæ ad Nilum nudi ferè sunt, inquit Sardus cap. 19. & Ismaelitæ qui Arabes sunt, pallium tantùm ferunt, & caligas, caput vittis circundant, cætera nudi: Apud Lydos verò & Barbaros omnes ferè alios, nudum conspici, probrum erat. Olim apud Romanos, occurrentes in viâ matronas oblato osculo salutare, vsu receptum fuit: quod nunc maritis ignominiosum est. Quidam tori consortes, mensæ non adhibuerunt ob reuerentiam: alij sine coniugum consortio, se conuiuari posse genialiter, diffidebant. Et cùm Persarum Reges olim ita secum solitariè agerent, vt vix semel quotannis se videndos populo exhiberent, Antiochus Rex, qui & Epiphanes positâ purpurâ, communiter indutus, vrbem frequenter obibat, aucupans occursantium familiaritatem. Innumeri sunt eiusmodi mores, atque consuetudines diuersæ, quarum si ratio expetatur, ad Opificis primùm sapientiam, potentiam, & bonitatem remitto, quæ ampliùs in hac varietate, quàm in vllâ re aliâ splendent: ornatur enim illâ vniuersum mirificè, quod ideò κοσμος Græcis; Latinis mundus, id est ornatus: vt enim pulchrior, venustiorque ea oratio est, teste D. Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei. cap. 18. quæ antitheses habet, ita mundus contrarijs constans, robustioris est venustatis: adeò vt propterea cœlum hoc spectabile, stellis disparibus, atque dissimilibus radiare, aulamque suam cælestem inæqualibus, in meritis & gloriâ sanctis, ædificare constituerit Deus.

Nudi, qui.

Nudum cōspici probrosum.

Osculum matronis offerunt Romani.

Nunc is mos damnatus.

Cum vxoribus non conuiuari, & contra.

Varietatis morum ratio in Deum refertur.

5.

In cælum, clima, & astra.

Altera propria & peculiaris caussa huiusce dissimilitudinis, est cælum, clima, patria, astrorum influentiæ differentes, quæ non solùm corpus, sed animum etiam per quandam redūdantiam mouent: ita Vegetius, *Et plaga cæli*, inquit, *non solùm ad robur corporum, sed etiam animorum facit. Athenis tenue cælum, & ex quo etiam acutiores putantur Attici, crassum Thebes, itaque pingues Thebani & valentes.* Plinius quoque lib. 2. naturalis historiæ cap. 78. totidem verbis. Contexenda sunt his cælestibus nexa caussis. Namque Æthiopes vicini sideris vapore torreri, adustisque similes gigni, barba & capillo vibrato non est dubium. Et aduersâ plagâ mundi atque glaciali, candidâ cute esse gentes, flauis promissas crinibus, truces verò ex cæli rigore, has & illas mobilitates habentes. Ipsoque crinium argumento, illis in supera succum reuocari, naturâ vaporis: his in inferas partes depelli, humore deciduo. Hîc graues feras, illîc varias effigies animalium prouenire, & maximè alitum, & in multas figuras gigni volucres. Corporum autem proceritatem vtrobique, illîc ignium nisu, hîc humoris alimento. Medio verò terræ, salubris vtrimque mistura, fertilis ad omnia tractus, modicus corporum habitus. Magna & in calore temperies. Ritus molles, sensus liquidus, ingenia fœcunda, totiusque naturæ capacia. Ijsdem imperia, quæ nunquam extimis gentibus fuerint: sicut ne illæ quidem his paruerint, auulsæ, ac pro immanitate naturæ vrgentis illas solitariæ. Hæc ille.

Verùm, qui stabit liberum hominis arbitriū, si astra in corpus pariter, & in animum influant? Respondeo inclinationem quandam ad benè, vel malè agendum, ab astris esse, non coactionem, aut violentiam, id quod non ignorauit Socrates, quem cùm Zophyrus, ex physionomiâ, lubricum iudicasset, atque Alcibiades hoc iudicium risu excepisset; omnino, inquit, talis eram, nisi me Philosophia correxisset. Huc spectat, quod Plato dixit, armis aureis aduersus fortunam pugnandum esse, hóc est, prudentiâ, Iustitiâ, sanctitate, vt quod Deo debitum est & proximo, persoluamus.

Ab astris inclinatio est nō coactio.

Lubricitas Socrati iudicata.

Tertia caussa est, educationis differentia; facit enim ea, vt natura mutetur, id quod Lycurgus duorum catulorum exemplo, quorum alter ollis & culinæ assuetus, alter verò insectandis feris; quamuis eodem fœtu geniti essent, in contraria studia ferebantur, Lacedæmonas docuit. Exemplo etiam nobis sint Esau & Iacob eodem partu fusi, quorum diuersa vitæ institutio, diuersos generauit adfectus.

Educatio mores mutat.

Quarta caussa est, cibariorum diuersitas, ita enim Hippocrates lib. de aëre, locis, & aquis & Cardanus lib. 18. de variet. cap. 40 lacte caprino nutritum, luxuriosum fieri scribit. Illud compertum est, cibis, atque edulijs vim inesse, quâ vel ad bonum vel ad malum inclinamur: rectè Terentius, sine Cerere & Baccho friget Venus. & Menander, *Merum copiosum parum cogit sapere*: contrà verò frugalitas est magistra sapientum optimorumque consiliorum, sicut Sophocles, asseruit: Athenæus Dipnosophista lib. 2. cap. 3. ex Cratino scribit, Venerem cùm Phaonem amaret,

Cibi quoque.

maret, inter pulchras lactucas illum abscondisse. Adonim quoque ab apro interemptum, vnde Poëtæ allegoriam huiusmodi sumpserint, quòd ij qui sæpiùs lactucis vtuntur, minùs idonei fiant ad res venereas: Et Ouid. lib. de remed. vtendum consulit, lactucis, ruta, herbisque similibus.

Lactucæ aduersantur Veneri.

6. Alias insuper mutationis morum & affectuum rationes addere possumus, veluti conuersationem, exercitium, exempla, consuetudinem, Principum, religionis, & populorum ipsam mutationem, aliaque quæ humanam vitam intercidunt. De conuersatione Ouid. lib. 2. de remed.

Conuersatio mores mutat.

Dum spectant oculi læsos læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

Et Seneca lib. 3. de irâ cap. 8. *Sumuntur à conuersantibus mores: & vt quædam in contactos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem vini traxit: impudicorum cœtus, fortem quoque & siliceum virum emollit; auaritia in proximos virus suum transtulit.* Iuuen. quoque satyra 2.

Grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci:
Vuaque conspectâ liuorem ducit ab vuâ.

Pergit Seneca: *Eadem ex diuerso ratio virtutum est, vt omne quod secum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit vtilis regio, & salubrius cælum; quàm animis parum firmis, in turbâ meliorum versari. Quæ res quantum possit, intelliges, si videris feras quoque conuictu nostro mansuescere, nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est. Retunditur omnis asperitas, paulatimque inter placida dediscitur.* Hoc est quod cecinit Psaltes regius ps. 17. *Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris*: quod quanquam de Deo dictum velint interpretes, qui se erga electos, hoc est splendore virtutis eximios, etiam se electum, id est, eximium & magnificum remuneratorem ostendit: peruersum verò apud eos qui sua voluntate, antè fuerint peruersi, iuxta illud Leuit. 26. *Si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedam,* vt nimirum talis esse videatur, qualis est peruersa iniquorum voluntas: ad Ethicum documentum tamen, multi ex Patribus retulerunt, vt tales illi effici dicantur, quales cum quibus habitant & versantur.

Ps. 17. *Leuit. 26.*

Exercitatio.

Exercitationes inquit Seneca epist. 15. quarum labor spiritum exhaurit, & inhabilem intentioni ac studijs acrioribus reddit, subtilitatem animi impediunt, quare literato viro, occupationem exercendi lacertos, & dilatandi ceruicem, ac latera firmandi, minimè conuenire scribit, quam in militiæ duce, laudat Claudian. 1. in Consulat. Honorij Augusti.

Sed noua per duros instruxit membra labores,
Et crudâ teneras exercuit indole vires:
Frigora sæua pati, grauibus non cedere nimbis,
Æstiuum tolerare iubar, transnare sonoras
Torrentum furias, adscensu vincere montes,
Planitiem cursu, valles & concaua saltu.
Nec non in clypeo vigiles perducere noctes,
In galeâ potare niues, nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes baleari spargere fundâ.

Exempla.

Magna etiam immutandi efficacia exemplis inest. Seneca epist. 7. *Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Vtique quò maior est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est. Nihil verò est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem faciliùs vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior? imò verò crudelior, & inhumanior, quia inter homines fui.* Et quia plus exempla quàm præcepta mouent, facilior est per ea, in alienos mores transitus: *quia homines ampliùs oculis quàm auribus credunt*, inquit Seneca epist. 6. *deinde, quia longum est iter per præcepta, breue & efficax per exempla.* Hamus enim sunt & esca illecebræ, quibus capiuntur animi. 1. Reg. 4. quòd adiuratus à Saüle populus, ne gustaret panem, antequam victoriâ potiretur; pro facinore heroico reputatur, quòd *non manducauerit vniuersus populus eius*, istúdne adeò excelsi animi factum? omninò sanè, quia prouocatus prandentium exemplo, non acquieuit populus, sic enim legunt 70. *non gustauit vniuersus populus panem, & omnis terra prandebat.* Rectè D. Chrysost. Hom. 14. ad populum. *Vidisti quanta vertigo? nam & fames, & labor, & tempus (omnis enim*, inquit, *terra prandebat) tunc ad præuaricationem impellebat*: magnum quippe est, non capi malorum exemplis.

1. Reg. 4.

Consuetudo.

Noui quoque adfectus ex consuetudine illabuntur, veluti namque compediti, primò ægrè ferunt onera, & impedimenta crurum: deinde vbi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facilè, veluti scribit Seneca lib. de tranquillitate animi cap. 10. ita quæsiti vsu mores, naturam demutant. Galenus lib. de aëre, locis & aquis, scribit; prænobilem quandam familiam, quò cæteras splendore nobilitatis anteire dignosceretur, pro insigni, caput impensè acutum, accepisse: obstetrices porrò atque nutrices, Cerea infantium inflecti capita, manibus ac fasciolis in eam figuram formare consuesse, vnde pòst in naturam abeunte consuetudine, sponte suâ omnes ex eâ familiâ, acuminato capite nascerentur. Meminit Aristoteles cuiusdam puellæ, quæ à teneris venenum obsonata, veneno vixit. Alterius etiam mentionem facit Albertus Magnus, quæ ab infantiâ araneas captare ac deuorare consueuerit, quarum venatione deinceps victitarit. Et Ioannes Huart, lib. de examine ingeniorum, cap. 12. causam inquirens tantæ peruersitatis Israëlitarum, quum à patribus sanctissimis, Deoque gratissimis essent oriundi: eam in consuetudinem, quam cum Ægyptijs aliquot sæculorum decursu habuere, refundit. Qualis denique Princeps, talis & populus, dum pro se quisque aut morum, aut religionis imitatione, placere studet; & quamuis nullus locus est vsquam definitus, in quo omnes aut improbi gignantur, aut probi, sicut Epicharmus inquit: informantur tamen lutei, & velut Chamæleon, aut Polypus, ex aliorum contubernio & inspiratione colorem induimus.

Caput acutum nobilitatis insigne. *Consuetudo in naturam abit.* *Araneis puella vixit.* *Israëlitę cur mali?*

7. Sed vt ad institutum reuertar: Non solùm ea, quam cernimus, apta humani corporis partium dispositio atque symmetria, in formatricē causam referenda est: sed multò magis interna illa atque occulta humanis obtutibus substantia, à quâ & corporum formæ spectabiles, & color, & decus, & species, proficiscuntur, quæ tantò mirabilior, pulchriórve est, quantò eminentius istorum homo in se rationes complectitur. Inest animæ vegetanti recondita ac latens ratio structuræ arborum, stirpium, virgultorum, herbarum, florum, iuxta cuiusque speciem & formam. Inest animæ sentienti ratio fabricæ corporis animantis occulta, necnon etiam sensuum, imaginationum, appetitus sensitiui, instinctuum, operationúmve quarumcunque. Et quàm mira omnia! Quanta visûs in momento emetitur spatia? quid non attingit radio? quid non perlustrat acie? quas non rerum formas apprehendit, & in se exprimit! *Auditum animantibus natura dedit,* inquit Aristot. lib. 3. de Animâ, *vt aliquid sibi ipsa significent*: & quàm ille acutus in talpis quanquam sub terrâ degentibus? vis odoratus, in canibus & vulturibus maxima. Aranea præpollet tactu. Acceptas à sensibus rerum formas & figuras, ima-

Interna constitutio hominis mira.

imaginatrix potentia versat, & componit: appetitus ad conuenientia trahit, fugit contraria: motrix facultas, quãto impete vel muscas ipsas liquidum per aëra rapit in volucribus? sua cuique virtuti obiecta adscripta sunt, operationes propriæ, peculiarésve agẽdi modi sunt attributi. Horum autem omnium ratio, mensura, modus, in animabus istis, ab oculis nostris secreta latét. Anima rationalis, istas habet tributarias, cui præterea inest intelligendi, reminiscendi, amplectendi, detrectandique facultas: animã vegetatrici, & sensitiuã

Pulchrior, & tantum Domino minor, illius vnus
Antè decor, quantum præcedit clara minores
Luna faces, quantumque alios premit Hesperus ignes.

Intellectus. quemadmodum Statius Papin. 2. syluar. cecinit. Intellectu, corporeas incorporeásve substantias concipit, atque inuisibiles, spiritualésve rerum format imagines: versatur enim ille circa intellectibilium entium principia, inquit Aristoteles lib. 1. Magnor. moralium cap. 34. &, vt ait Plato, dialogo 8. cap. 16. *Infinitam virtutem in se habet, quã nec humana, nec diuina respiciens satiatur, nisi infinitum Deum capiat, qui capacitatem eius ab ipso manantem, impleat infinitam.* Necnon etiam reconditos diuinæ scripturæ sensus peruadit tantò puriùs, tantoque sublimiùs, quantò anima virtutum tapetijs exornata fuerit: quæ intelligentia consequitur, ad praxim ordinat, vti monet Iacobus Billius in Anthologia sacrã.

Scriptorum Domini plenè videt omne profundum,
Implet qui factis cognita verba pijs.
Nam nimis à sensu doctrinæ denius errat,
Si quæ curauit scire, fugit facere.

Memoria. Memoriæ facultate duplici, tãquam duabus manibus, apprehendit & retinet, necnon etiam seposita præteritarum rerum simulacra, tanquam ex penu deprompta, profert. Voluntate vtitur vt vult, quæ quum relicto superiore ad inferiora se conuertit, inquit D. Augustinus, efficitur mala, nõ quia malum est quò se conuertit, sed quia peruersa est ipsa conuersio: vnde illa sibi quem volet vitæ scopum constituet. Ex quo consequitur animam rationalem, longè altioris esse ordinis quàm sint aliorum viuentium animæ, siue arborum, siue animantium, quum non modò rationem totius fabricæ corporis & sensuum in se contineat: sed etiam istarum facultatum diuinarum, quæ nonnisi à diuiniori quadam mente, & fabricatrice caussã, sicut & alia omnia esse possunt, in quam quoque referãtur: veluti præterea diuersa hominum studia, atque impar in rebus constantia. Videre enim est, plerosque asperas quæstiones & equuleos tolerare, qui ad bellum ignaui: fugit pedester è prælio Sarmata, quo equite nil generosius: & vt latè suprà diffeuimus, hi acris sunt ingenij, at corpore tenues, illi viribus & toris præstant, ingenio parùm, adeò verum illud,

Studia hominum varia.

Ingenio pollet cui vim natura negauit.

Ad Sapientiæ & sciẽtiæ inquisitionem animum hi applicant; illi ad Martis obeunda munera, vt nimirum pace & bello ciuitates protegantur. Hi naturæ largitione opulenti, id quod alij Mercurialibus artibus assequuntur. Hi eruditione insignes euadunt, at opibus destituti sunt, quibus abundant inertes: & tandẽ vt hoc Persiano vtar,

Mille hominum species, & rerum discolor vsus
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.
Mercibus hic Italis mutat sub Sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
Hic satur irriguo mauult turgescere somno.
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In venerem est putris.

Atque ista sunt eiusmodi, vt si intellecta placeãt, si delectent, in ijs non immoretur mortalis homo, sed cogitationem & amorem in omnium artificem retorqueat; qui de nobis antequam essemus, cogitauit, vt plasmaret nos, opus suũ, bono nostro, opus mirabile, Creatoris simulacrum, expressam diuinæ mentis similitudinem: vt si in factura humanis tradita vsibus, opificem (vt par est) veneremur, æternorum bonorum fiamus participes.

CAPVT XI.

Deum orbis Celeustem, ex rerum ordine haberi.

EMicat etiam in totius vniuersi pulchritudine, omniumque rerum quæ in eo sunt ordine & connexione mirabili dius Celeustes, siue totius fabricæ moderator Deus: sic enim Plato in symposio dixit, ex pulchritudine rerum creatarum, pulchritudinem quandam admirandam diuinæ naturæ de repente conspici: & Magnus Areopagita lib. de diuinis nominibus cap. 7. Deum cognosci ex creaturarum omnium ordinatissimã dispositione. *Quis enim*, inquit D. Damascenus lib. 1. de fide orthodoxã cap. 3. *ea quæ in cælo, & quæ in terrã, & quæ in aquis degunt, imò etiam quæ his priora sunt, cælum & terram, & aëra, ignis etiam & aquæ naturam certo ordine collocauit? Quis hæc iunxit & separauit? Quis motum his attulit? quis hæc perpetuo & nullã re impeditò cursu versat? An non eorum artifex & fabricator, quique omnibus rebus rationem modumque posuit, quo vniuersum hoc voluitur & gubernatur? Iam quis horum artifex? nonne is qui ea procurauit, atque in ortum produxit? nec enim casui ac fortunæ talem vim, facultatemque tribuemus.*

I. Pulchritudo vniuersi, Deum esse docet.

Ordo itaque rerum pulcherrimus aptaque cõstitutio, non naturæ quæ in sui conseruationem, propriumque commodum nititur: non fortunæ cuius euentus, inconstantia, & perturbatio, bono ordini & moderationi aduersantur: non atomis errantibus tribuendus est: idque ita manifestum atque palpabile, vt ignorari nõ possit, *non sine aliquo custode tantum opus stare*, inquit Seneca lib. de prouidentia cap. 1. *ne hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse*, velut delirauit Epicurus, quem explodens Manilius, inquit,

Ordo rerum non temerè constitut.

Mundum diuino numine verti,
Atque ipsum esse Deum; nec forte coisse magistrã,
Vt voluit credi qui primus mœnia mundi
Seminibus struxit minimis, inque illa resoluit.

Prosequitur Seneca. *Et quæ casus incitat, sæpè turbari, & citò arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio, tantum rerum terrã marique gestantem, tantum clarissimorum luminum & ex dispositione lucentium: non esse materiæ errantis hunc ordinem: neque quæ temerè coierant, tantã arte pendere, vt terrarum grauissimum pondus sedeat immotum, & circa se properãtis cæli fugam spectet; vt infusa vallibus maria molliant terras, nec vllum incrementum fluminum sentiant, vt ex minimis seminibus nascantur ingentia.* Quis enim artifices quos ignoramus, vti ait Procopius Gazæus in Exod. cognoscimus ex operibus, philosophiæ aduersarium est dicere, mundum à casu cœpisse, aut æternum esse, aut res semper eodem quo nũc modo, se habuisse. Namque sicut scripsit Plato in Timæo. & Clem. Alexandrin. lib. 5. Stromatum, quæ ex partium differentiã constant; non fortuitò, sed ab aliquo sentiente & efficiente, suum esse sortiuntur: exempli gratiã; si arboris caudicem, terræ imis defixum radicibus, quanquam exutum ramis, quisquã viderit, facilè adducetur vt credat eò loci adoleuisse, atque inesse à naturã, quia vnum in se est, neque vllã partium compositione constans, vniusque & eiusdem materiæ. E diuerso autem, si pyramidem æqualis formæ ac figuræ conspexerit ex

Non ex atomis.

Mundus non est æternus.

Est factus.

ære, plumbo, ferro, saxis, ligno ædificatam; ecquis illi persuadeat, fortuitò & naturaliter in hunc modum adunatam coaluisse, in tanta partium inter se distinctarum multiplicitate compositâ? Orbem videmus hunc ex elementis quatuor, eorundemque pugnantibus qualitatibus coalescere: & quisquam erit adeò perfrictæ frōtis, & mentis peruersæ, vt cogitare audeat mundum ex se genitum instar fungi, & æternum esse? & credere tot, tantasque cum mirabili varietate orbis partes, ad vnius mundi constitutionem casu incidisse? Quis istud de palatio quodam aut magnificis ædibus, citra vesaniæ notam suspicari audeat? Pulchrè Zaleucus apud Ioan. Stobæū cap. 44. *Omnes qui vrbem ac regionem inhabitant, persuasos esse oportet, existimareque Deos esse, quod manifestum sit ex cœli & totius mundi inspectione, rerumque in ipsis dispositione pulcherrimâ & ordine. Haud enim fortuita aut humana huiusmodi opera, cogitare conuenit.* Sicut enim domus sine artifice, vt inquit Euseb. Cæsarien. lib. 7. de præparat euangel. cap. 2. & pannus sine texente fieri non potest, ita vniuersum hoc, sine auctore, vnde Philosophorum princeps Aristoteles lib. de mundo, *Omnium*, inquit, *quæ rerum natura complectitur, conseruator est Deus, & quæcunque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium idem genitor est.*

Deus omnia ordinat & conseruat.

Artifex cognoscitur ex operibus.

Quòd si visâ Archimedis sphærâ, quam ex ære ad orbium cælestium exemplar concinnauerat, opus esse iudicabatur excellentis ingenij; quanto conuenientiùs visâ globi ipsius calescentis formâ, rerum connexione & ordine, dicemus hæc à prouidentiâ diuinâ fieri & gubernari? rectè Theophilus lib. 1. aduersus Autolicū. *Quemadmodum si quis cernat nauem suis armamentis instructam mare sulcare, & in portum appellere, certò creditur aliquē à quo gubernetur in eâ esse Nauarchum. Sic qui mundi administrationem spectat, Deum esse qui dirigit, moderetur, satis videt.* & Tertullianus, *Deus vnus est qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione quâ disposuit, virtute quâ posuit de nihilo expressit, in ornamentum maiestatis suæ. Itaque istiusmodi ordo*, ait D. Athanas. lib. de humanitate verbi, *documento est, non sponte res creatas prodijsse, sed causam effectricem præcessisse, ex quâ dispositorem, auctoremque omnium intelligas.* Sicut enim citharæ concentus, inquit D. Nazianzenus orat. 2. de Theologia ordinatissimè & pulcherrimè constitutus, sine auctore & artifice intelligi nequit: ita neque huius vniuersi aptissima constitutio sine Deo: *quonam q; pacto*, inquit Philosophus, *ordo erit, non existente aliquo perpetuo, separato, & permanente?*

Ex naui sulcante maria Nauarchus.

Citharœdus ex sono citharæ.

2.

Sap. 11.

Non ergo ista temerario caussarum fluxere cōcursu, non cœco naturæ ductu, sed potiùs ab efficiente Sapientiâ, quæ omnia operata est, *in pondere, numero, & mensura.* Sap. cap. 11. atque disposuit. Habent enim certa ac definita principia, virtutes cuiusque operationi aptissimas, ac proprio naturæ motu feruntur in finem sibi ab eorū Architecto constitutum: sic vt hæc tria naturæ vincula, principium, virtus, & finis, respondeant his tribus, ponderi, numero, & mensuræ: aut pondus speciem significabit: numerus terminum: ordo mensuram. Siue denique cum D. Augustino lib. 4. de Gen. ad literam. pondus substantiam, numerus virtutem; mensura effectum denotabit. Et hæc sunt quæ ad humani cordis aures vociferantur mundum esse expressionem quandam præstantissimæ mentis. Hæc sunt quæ in animum demissa, nisi caute Marpesia pertinaciùs obduruerit, aut illi Hylas inclametur, in agniti Conditoris amorem humanos adfectus mouent. Hæc sunt quibus tanquam vehiculis, ad diuinitatis cognitionem peruenere gentium Sophi, quā si factis comprobassent & custodissent, non excidissent à præstituto hominis fine. Viderunt ergo, inquit D. Augustinus, quo veniendum esset, sed ingrati ei qui illis præstitit vt viderent, sibi voluerunt tribuere quod videbant, & facti superbi, amiserunt & id quod videbant. Quorū nos instructi ruinâ, acceptæ diuinitùs gratiæ, & cognitionis earum rerum, quarum ignoratio æternis nos addicit pœnis; notitia verò cum praxi illius æternis aptat gaudijs, non referemus gloriam Deo? Pulchrè admodum D. Bernardus sermone 13. in Cant. *Quod si copiæ aquarum secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, vt inde rursus ad visus vsusque nostros, ingi & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spirituales riui, vt ornamentium rigare non desinant proprio fonti sine fraude & intermissione reddantur? Ad locum vnde exeunt, flumina reuertantur gratiarum, vt iterum fluant: remittatur ad suum principium cæleste profluuium, quò vberiùs terræ refundatur.* Ista qui in animum demiserit, continuò ad ratiocinantis animæ radium, & ens nobilissimum cognoscet, à quo pendent omnia, & in ipsum omnia sua, cum laude, referet.

Pondus, numerus, & mensura, quid?

Philosophi exciderunt à Deo.

Laus Deo ex eius notitia referenda.

CAPVT XII.

A creaturâ vsque ad fidem Creatoris ascendere, Christianum est.

1. Fides quid.

Sapienter admodum D. Paulus fidem appellauit substantiam & fundamentum earum rerum quas in futura vita nos habituros speramus, argumentum sine conuictionem non apparentium

— Quæ nunc prensa fide, sed in æthere quondam
Præsenti intuitu gens fortunata tenebit.

Quemadmodum enim aut iactis aut erutis fundamentis, ædificij moles, aut sistitur, aut conuellitur: ita fide stat Christi Ecclesia, stat & homo, eius autem defectu corruit, siquidem oporteat accedentem ad Deum, credere, quia est, ad Heb. 11. Quare meritò fatuam esse dixero omnem sapientiam, quæ huic fundamento non innititur: qualis illa Ethnicorum, qui quum sibi sapere & suopte ingenio Deum scire viderentur, ab ipsâ quæ verè dicitur sapientiâ, exciderūt: & obscuratum est insipiens cor eorum. Rom. 1. *Appetitus namque vanitatis*, inquit Doctor mellifluus epist. 18. ad Petrum Diaconum, *est contemptus veritatis, & contemptus veritatis, caussa nostræ cæcitatis.* Ab ipsâ igitur veritate, cui per cognitionem & amorem adhærere debuerant, per amorem vanitatis defluentes, vanitati similes facti sunt. *Et quid vanius quàm diligere vanitatem? & quid iniquius quàm contemnere veritatem? quid ergo iustius quàm contemptoribus substrahi & ipsam cognitionem?* inquit D. Bernardus. Quis porrò picturam in manu exprimat? ita neque scientiam, quæ veluti quædam pictura est, in animo expresseris, nisi fidem, tanquam solidum quidpiam, ei substraueris. Id quod D. Bernardo interprete Oseas Propheta cap. 10. dicere visus est, sic fatus: *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, & tunc demum illuminate vobis lumen scientiæ:* ita legit D. Ber. serm. 37. in Cant. & addit, *Vltimam posuit scientiam tanquam picturam, quæ statum habere nequeat super inane: & inde illa duo præmisit, & subiecit illi, tanquam si solidum aliquid picturæ substerneret.*

Ecclesia in fide fundata.

Hebr. 11.

Sapientia Ethnicorum insipientia est.

Rom. 1.

Scientia fide stabilitur.

Oseæ 10.

Inde est, quòd mundi Sapientes illo destituti fundamento, quàquam rationis ductu per creaturarum gradus ad Numinis notitiam conscenderint, tamen veluti nauis vacua & inanis sine Celeusta, omni vento per vndabundi maris spatia circūmagitur, impelliturque, ita eorum vaga mens, quam pondus & saburra fidei non stabiliuit. Non enim Deum, quem cognouerāt, glorificauerunt, aut illi gratias egerunt, sed creaturarum specie delectati, quasi pleniori scientiæ & sapientiæ

Sapientum sæculi error.

sapientiæ haustu saturati forent, omnem disquirendæ veritatis curam abjicientes, ad fabulas conuersi sunt. Enimuerò (inquit Plutarchus in Coriolano) vt decus & honor maturiùs collatus in iuuenes, leui tantùm gloriæ cupiditate affectos, ardorem eum extinguit, sitiique statim expletâ satietatem adfert; eadem autem grauis & constantis ingenij iuuenibus tributa, augent apud eos studium gloriæ, auræque instar afflantis impellunt ad honestatem persequendam: ita, illi earum rerum quæ obtutibus nostris obuersantur notitiâ quam adfectabant, inaniter expleti, non suspirarunt ad ipsam veritatem, neque illam per desiderium quæsiuerunt; multoque minùs ex rerum substratarum perspectione, & scientiæ quæ in Deo, & nusquam extra ipsum est, indipiscendæ spe, quasi quodam silicis & igniarij attritu amoris flammas in solam & summam veritatem, excusserunt.

2. Christianus Philosophus adhæret Deo.

Alter Christianus Philosophus, qui ceu heliotropium, & flores quidam alij suo ingenio semper ad Solem, sic rationem ad Deum suique originem obuersam habet, non modò per cognitionem, sed & per amorem adhærens veritati; vt adhærendo illi qui semper & beatè est, semper & esse, & beatè esse possit, inquit D. Bernardus epist. 18. ad Petrum Diaconum. Cuius Philosophiæ non ignaræ fuerunt Heroidæ præstantissimæ, Margareta Nauarrorum Regina, & Bona Sabaudiensis, Ioannis Galeatij Mediolanensium Ducis mater; quarum prior apud Claudiū Paradinum in symbolis heroicis, floris calthæ symbolum, cui cum Sole, calore, imitatione, natura, tanta affinitas atque consensus, quanta vix vlli rei præterea, vsurpauit: gyrat enim ad Solis flexum; atque ad eiusdem ortum & occasum, ascensum & declinationem, pandit sese, & contrahit: eum, inquam, florem assumpsit cum hac epigraphe, *Non inferiora secutus*, vt se totis animi præcordijs cælestia meditari, cogitatus omnes, adfectus, vota & acta Soli iustitiæ Deo accepta referre, atque commendata facere, significaret. Altera verò apud Gabrielem Symeonem Florentinum in suis etiam symbolis, marito orbata, numisma cudi iussit, Phœnicis imagine, cum hac inscriptione, *Sola facta solum Deum sequor*: insinuare volens, quòd ceu Phœnix, quæ in orbe vnica & sola esse fingitur, in coniugalem solitudinem mariti morte redacta, totam se soli Deo deuoueret, in quo solo viueret, cui soli iugiter adhæresceret.

Margareta Regina, Bona Sabaudien. Heroinæ.

Amor in Deum.

Cognitio Dei virtutis parens.

Ita enim Diuini Numinis existimatio, non ea quam se ex creaturis indeptos gloriabantur superbè mundi sapientes, sed ea quæ cum certitudine fidei coniuncta est, orbis vinculum, omnisque virtutis parens atque effectrix habetur: ad quam etiam it Christianus per ea quæ hominis adspectui peruia esse voluit opifex Deus, dicente Iob. cap. 12. *Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cæli & indicabunt tibi: loquere terræ & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Sicut enim qui atrium domus cuiuspiam ingressus, illicò calorem experitur, vltrà progressus & in ipsis penetralibus constitutus, maiorem atque maiorem æstum vsque ad sudoris excussionem sentit; extemplò iudicat, aut calorem, aut ignem, quem tamen non videt, huius effectus esse caussam: ita homini Christiano, credendus ex creaturarum sensu qui non videtur Deus: Propterea enim psal. 103. *Confessionem & decorem induis, amictus lumine sicut vestimento*, inquit Propheta Regius. Ecquæ autem illa Dei tui vestimenta, cui adhærere, & in quo spem tuam ponere tibi bonum est, ô vates sancte? quæ illa confessio? quis decor? quod lumen in quo tanquam in veste suâ agnoscitur Deus? Christopolitanus Antistes in psalm. 103. per *Confessionem*, primam Cælestium Spirituum Hierarchiam vult intelligi, quæ confessioni & laudi diuinæ deseruiat. Per *Decorem*, secundam Hierarchiam, quæ ad Dei & vniuersi decorem ordinata sit, cuius ordines ad generale totius vniuersi regimen decreti, tanquam consiliarij adsistunt Deo, non quod eorū egeat consilijs Deus; *Quis enim consiliarius eius fuit*: Isa. 40. Sed quia sic esse vult illos quibus & sapientiam & bonitatem suam communicet. Per *Lumen*, tertiam accipit Hierarchiam, quæ ad hominis & totius mundanæ molis illuminationem, per astrorum, cælorúmve circumlationem sit constituta. His autem Hierarchijs amictum tanquam vestimento Deum, quia illi semper adsistant: vnde mos fluxerit pingendi Deum Cherubinis, Seraphinis, alijsque Angelorum ordinibus amictum. Benè istud quidem. Sed ad propositum nostrum conuenientiùs, amictus lumine sicut vestimento dicitur Deus, quia tum demum visibili ornatu prodire cœperit, ex quo in mundi ipsius opificio, insignia sua produxit, quibus nunc, quoties oculos huc atque illuc circumferimus, decorus apparet, & confessione laudis ab omni creaturâ circundatur.

Iob. 12.

Psalm. 103.

Deus cognoscitur ex veste.

Hierarchiæ tres, Confessio, decor, lumen.

Isa. 40.

Vestes Dei, tres Hierarchiæ Angel.

Vestimentum Dei sunt creaturæ.

Illa sunt vestimenta, ex quibus, & in quibus creditur Deus humanis rebus interesse, qua mortalibus spectanda proposuisse parùm profuerat, nisi vlteriùs inquirendi studium ingenerarent, & ad virtutum prouocarent actiones. Quare quemadmodum visus & anima, ita intelligentia ijs rebus considerandis adhibenda est, quæ cum delectatione ad ipsum bonum inuestigandum & appetendum mentem excitent. Quod creditum, est basis & fundamentum fidei articulorum, quo posito, quidquid superædificatum fuerit, adhæresci, & in vitæ spiritualis munimen consurgit. Namque veluti in aquâ, vt inquit Plutarchus in Philopœmene, vbi primùm exigua quædam & non multa corpora subsiderunt, statim quæ deinde ad ea quæ primò inhæsere, defluunt, ipsa quoque vnâ figuntur, solidúmque ea ratione aggerem mutuò constituunt: ita in fluido aquarum vitę nostræ decursu, vbi primùm hic articulus animo insederit, adfigentur defluentes & subsidentes aliæ virtutes, vnaque firmissimum aggerem aduersus inimicas potestates efficient. Quare quemadmodum in fundamento cælestis illius ciuitatis, Apoc. cap. 20. primum locum Iaspis obtinet, lapis admirandæ virtutis, quique vim habet singularem oculos suo aspectu recreandi: ita in hominis mente Numinis conceptio Iaspis est, vitæ atque intellectualis ædificij firmamentum & substructio, oculos muniens ab errore, reficiensque iucundissimâ sui contemplatione.

Deum esse credere est basis totius Religionis Christianæ.

Apoc. 20. Iaspis.

3.

Quod si quæsieris, qui Philosophus Christianus, habens euidentiam illius veritatis quod Deus sit vti diximus, fide etiam idipsum credere queat, quandoquidem fides sit argumentum non apparentium, euidentia siue demonstratio, eorum quæ apparent & videntur? Quod respondeatur, paratum est, Posse Christianum, non obstante euidentiâ ex motiuo naturali, credere Deum esse ex motiuo supernaturali, firmiùs certiùsque quàm per suam scientiam: diuersa namque motiua sufficiunt ad actus specie diuersos: & certitudo hæc maior est, non quæ ex claritate & euidentiâ demonstrationis fit, sed quæ ex motiuo obscuro accedente voluntate; quod est primæ veritatis testimonium: vnde licet in Logicis argumentum sit ratio rei dubiæ faciens fidem, & ibi ratio creet fidem, in Theologicis tamen,

Fides Intell. creat rationem.

men, fides creat rationem, quâ credenda probantur; & certitudo naturalis roboratur per fidem. Terminantur itaque fides & scientia ad idem obiectum materiale, non formale: Adhæc licet lumen scientiæ sub ratione naturali, Deum esse demonstret, pertinet nihilominus ad fidem, propterea quòd ex eius negatione euidenter sequatur negatio alicuius veritatis, quæ ad fidem pertinet.

Capitis 12. §. 1.

Aliter Philosophi, aliter Christiani Diuina cognoscunt.

1.

Philosophi facti terrenis addicti.

Ex his autem quantùm intersit cognitionis Philosophorum mundi huius, & Philosophorum Dei, perspicuum fit. Illi namque ab inuento & cognito Conditore per visibilia, ad ipsa visibilia relapsi, veritatem in iniquitate detinuerunt: sicut enim expolita speculi facies, muscas non diu absque lapsu admittit, vt ait Plutarchus, scabris autem & asperis tenaciùs hærent: ita illi à lucidissimo Diuinitatis speculo exciderunt, vt corruptibilibus adhærerent, id quod Claudius Paradinus in symbolis Heroicis, hoc versu expressit.

Muscæ non hærent speculo.

Labuntur nitidis, scabrisque tenaciùs hærent.

Hi verò veritati cognitæ per operationem adhærentes, nesciunt casum, in quem tamen si malitiâ suâ inciderint, iam non credunt, D. Augustino teste sermone 243. de tempore, in hæc verba, *Certum est enim quia non credit Deum esse, qui in tenebris & in occulto præsente Deo facit, quæ publicè facere præsentibus hominibus pertimescit. Nescit infelix, quia vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terrâ memoriam eorum.* Quare rectè admodum Seneca epist. 83. *Sic certe viuendum est tanquam in conspectu viuamus; sic cogitandum tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit, & potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil Deo clusum est. Interest animis nostris, & cogitationibus mediis interuenit.*

Peccans non credit Deum esse.

Viuendum vt sis.

Illi spectabilis mundi mensâ delectati, regias conditoris dapes non attenderunt, & ad siliquas & glandes consedentes, ad filiorum obsonia non anhelarunt. Hi indagantis & sagacis rationis aurâ, ab imis ad superna prouecti, ex magnitudine eorum quæ sensui substernuntur, quanta sint illa solida, æterna, incommutabilia, secum voluunt, & quæ fluxa, quæ caduca sunt, fastidientes, gustant quàm suauis sit Dominus. Non secus enim ac qui palatium regis ingressus, videns mensam paratam instructamque coram mulionibus, & infimæ sortis famulis, secum mirabundus agitat, quàm opipara esse debeat mensa cui Rex & Regina cum filijs accumbunt: ita Christianus animus præsentem bonorum speciem considerans, sursum euehitur ad æstimanda futuræ gloriæ præmia, quorum indicium quoddam habet à creaturâ extra aulam regiam summi Imperatoris proiectâ.

Christianus quæ sursum sunt quærit.

2.

Sunt namque creaturæ Creatoris voces, vti diximus, tùm ad eam nostri portionem quæ ratione viget, erigendam, tùm ad illam quæ rationis expers est, dirigendam. Quò fit, vt quemadmodum grex ouium articulatam vocem quæ sit alicuius substantiæ non percipit, mouetur autem aut sistitur ad opilionis arbitrium sono fistulæ, aut manuum vel oris sibilo: ita bruta animæ nostræ pars, quæ ad pastum proiecta rationis incapax (dummodo tamen rationi subseruiat) ad sonum & inarticulatas creaturarum voces, à mente regitur. Non itaque voce & sono contentus viuas, ô homo, non vmbrâ sagineris: sed ad illum recurre cuius est vox illa sonora, nempe Deum. Verissimum enim illud est, quod Lactantius Firmianus lib. 1. Institutionum cap. 20. ait, *Qui vmbras atque imagines virtutum consectantur, ea ipsa quæ vera sunt, tenere non possunt*: & istud est quod dixit Propheta psal. 75. *nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis.* Æsopico cani similes, qui dimisso ex ore vero pane, vt vmbram illius in leuore aquæ expressam apprehenderet, vtrumque perdidit. Rectè autem *viri diuitiarum*, quia non Domini illarum, sed serui; non possessores sed mancipia, vt qui possideantur, non possideant, illi absimiles qui dicebat,

Vox creaturæ, vox Dei.

Psalm. 75.

Diuites apprehenduntur vacui.

Et mihi res, non me rebus submittere conor.

Pulchrè quoque: *nihil inuenerunt in manibus suis.* Quia vt Iob 21. dicitur, *non sunt in manu eorum bona sua*, hoc est, D. Gregorio interprete, lib. 15. moral. cap. 21. non ea sub mentis dominio premunt, sed miserandâ seruitute ab ijs capiuntur. Quapropter, *Diues cùm dormierit*, inquit idem Gregor. cap. 27. *nihil secum auferet, aperiet oculos suos, & nihil inueniet*, quia vel somnus ipse ex manibus eius exsufflabit omnia, cuius rei ea ratio est, quia nihil Dei manibus commiserit, nihil in eis deposuerit, vt tali custode dormiret securus: quia vbi ille est, ibi locus nullus est furi, inquit D. Chrysologus serm. 25. *Nihil inuenerunt in manibus suis*, inquit D. August. in eum Psalmum, *quia nihil posuerunt in manu Christi.*

Iob. 21.

Illâ nos voce, illo creaturarum sono tenues auium cordis nostri meatus sine tumultu penetrante, eramus ab errore reuocandi, vt ad illum postliminio transferremur, à quo serpentis sibilo nostrâ voluntate seducti aberrauimus deuij. Ita enim teste D. Chrysostomo homil. 8. in epist. ad Roman. *Deus diabolum habitare voluit tanquam prædonem quendam ac tyrannum, qui nisi quem apprehenderit inermem, & solitarium in suas speluncas descendentem, accedere sanè non sustinet: nisi nos per desertum locum iter facientes viderit, appropinquare non audet. Desertus autem locus diaboli, nihil aliud est nisi peccatum. Opus est ergo nobis fidei scuto, salutis galeâ, spiritus gladio, non vt ne malum aliquod patiamur tantum, sed vt illius caput irruere volentis obtruncemus. Serpentis formam gerit, deorsum trahitur, ab inferiori loco depugnat, id est, à rebus quæ infra nos sunt, à voluptate, diuitijs, secularibus rebus. Si quem viderit volatu ad cœlum ferri, primo saltu eousque contingere haud quaquam potest: deinde id aggressus celeriter labetur, neque enim pedes habet, ne formides; non alas, ne terreare: super terram trahitur ijs quæ intra sunt adhærescens.* Per peccatorum ergo deserta ad sibilantis serpentis speluncam deflexinus: & velut is, qui per densa syluarum errantem amicum, voce tamen personantem, rectà persequi non potest, quòd implicati arborum rami, & flexuosi semitarum sinus, aspectum eius sustulerint; ita nos, quos insolitus error à Deo seiunxit, & in exilium amandauit, sensuum septis impedimentum adferentibus, apertè Deum videre non possumus, qui propterea inter opaca nemorum ambulare dicitur ad auram post meridiem, & clamare, vt vocis illius sono excitati non desistamus ab inquisitione Numinis & Conditoris nostri, ad cuius voluntatis imperium, animi nostri sensa & consilia destinemus.

Serpentis sibilo voluntariè seducti sumus.

Reuocamur voce Dei.

Gen. 3.

Cur enim hanc vocem vociferatus est Deus, de quâ Genesis 3. *vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, vbi es*: nisi quia iam deuiauerat homo, & in errore deprehensus voci creaturarum adhærebat, non agnoscens Creatorem, quem se latere posse putabat? Nisi quia admonebatur vt seipsum intueretur, & noua Creatoris voce traheretur ad contemplationem suæ calamitatis & miseriæ, vt finitate rerum omnium perspectâ,

...requireret Deum, ad quem ab errore reuocatus recurreret, substantiam, non substantiæ vocem?

3. Magneti occulta virtus inest, quâ ferrum pellit, quâ ferrum trahit: si quæ intercepta rupibus ex eo lapide constantibus nauis fuerit, vltrò citroque agitata, cui pareat virtuti, non satis constat: ita cælum magnes est, quod se spectantes, ad affectum cælestium trahit: & terra magnes est, quæ opulentiâ sua in sui amorem pellicit quotquot sui miratores habet. Hinc à cælo, illinc à terrâ tracti æstuant animi mortalium, sæpiusque ad placita terræ electione propria deuoluuntur. Sicut enim ferro consumens quædam rubigo per naturam agnata est, ligno, excedens caries & teredo; ita in nobis internæ sunt, & adnatæ caussæ pereundi. Etiam quoque ab hoc errore, facturæ suæ vocibus nos reuocat Deus, vt quoniam animæ magnes in cælo, cui est affinis, corporis verò in terra cui ipsum cognatum est: terra ex partium hominis dissociatione quod suum est recipiente; procuret homo, quod cæli est, & à cælo trahitur, cælo reddere.

Cælum est Magnes. Terra est magnes.

Hominis officium.

Sed heu hominum genus! labuntur etiam ipsi nitidis; scabrisque tenaciùs hærent. Quotus enim quisque mortalium cælestia, terrenaque iuxta appensa æquâ lance trutinat? Quis non fugacem hanc rerum vmbram in pretio ponit, & stabile, æternum, & solidum bonum in minimis habet? Quis non ad vocis illectamenta pronus & facilis, & ad ipsam veritatem asper & rigidus? insterandum!

Homo vt decipitur.

An sapit is, pressus qui fluctibus arripit algam,
Nec solidis nixus littora tuta petit?
Haud magnè ille sapit qui vitæ in fluctibus hæsit
Præponit solidis fluxa, miserque perit.
Vt fugias igitur tanti discrimina ponti,
Nec caput ista minax obruat vnda tuum;
Spemque, fidemque, Magnesque, teneas, fluxa omnia linquens,
Has nihil in tabulas vlla procella potest.

Inquit Iacobus Bilsius in Anthologiâ sacrâ. Ita est, sed quid? vento atque aura sibilantis creaturæ palatur homo miser, pro quo dixit Iob. cap. 7. *Ventus est vita mea.* quia & vento fugacior, & vento inanior: Neque etiam puro oculo Dei creaturas intuetur, ideoque minus appropinquat Deo: namque vt D. Basilius in Psalm. 45. inquit; *Velus omnis euenire solet; vt internalla remota breuem faciant visibilium comprehensionem; propinquitates vero ac vicinitates intuentium, otiosè ac distinctè notitiam visibilium præbent; ita & in contemplationibus puris is, qui per bona opera sese Deo familiarem ac propinquû non reddat, ipsius opera puris mentis oculis videre non poterit: idcircò venite, appropinquate, & sic videte opera Domini.* Huiusce porrò erroris caussa, ignoratio sui est, quam proprij quoque officij, atque ipsiusmet Dei ignorantia consequitur.

Iob. 7.

Capitis 12. §. 2.

Cognata sunt, nosse se, nosse Deum.

Scientiam cælestium terrestriumque rerum, inquit D. August. lib. 4. de Trinit. in principio, magni æstimare solet genus humanum, in quo profectò meliores sunt qui huic scientiæ præponunt, *nosse semetipsos*: id quod Thales apud Maximum sermone de cognitione sui, difficile esse dixit, sed beatum: ideoque laudabilior est animus cui nota infirmitas sua, ad quam discutiendam hortatur Poeta Horatius lib. 1. sermonum 3.

1. Nosse se, difficile sed beatum.

Denique teipsum
Concute, nam tibi quod vitiorum inseuerit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis vrenda filix innascitur agris.
Nec te quæsieris extrà.

Laudabilior est, inquam, quàm qui eâ non perspectâ, vias siderum scrutatur, etiam cognituus, aut qui iam cognitus tenet, id quod nec salutem significatur, nec damnationem habet si nesciatur, inquit mellifluus Bernardus serm. 37. in Cant. Ignorans ipse quâ viâ ingrediatur ad salutem & firmitatem suam. *Satis enim est Christiano*, inquit D. August. Enchiridij cap. 9. *rerum creatarum caussam, siue cælestium, siue terrestrium, siue visibilium, siue inuisibilium, nonnisi bonitatem credere Creatoris, qui vnus & verus est Deus: nullamque esse naturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso.* Huius viæ ignara sponsa in Canticis cap. 1. excluditur sponsi palatio, & ad vestigia non gregis dilecti Sponsi, sed gregum suorum remittitur, *O si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos.*

Ignorantia Mathematices, non animum lædit.

Deum esse rerum caussam, scire satis.

Cant. 1.

Poterat omninò eam Sponsus grauioribus reprehensionis epithetis stringere, eius quoque ingratitudinem, incivilitatem, peruicaciam increpare, nec facit, sed ait, *ô pulchra*, terrori imperij blandum & suaue coniungens nomen, ac si diceret, *casta & veneranda*, inquit Psellus: siue vt Origines homil. 2. in Cant. ò bona inter mulieres, omnium gloria mulierum: vt ex hac gratâ compellatione, quanti referat nosse se, intelligatur: & ipsa ad tuendum decorem animetur: quandoquidem non ad naturæ vel fortunæ bona respiciat Deus, non formæ elegantiam attendat, non Regum potentiam, non Magistratuum auctoritatem, non Iudicum æquitatem, non Monachorum ieiunia, non chameunias, non castitatem: non Virginum puritatem; imò nec ipsam gratiam, quæ aliàs hominem diuinæ naturæ participem efficere solet, si teipsum ignorauerit. Summa namque totius Philosophiæ est, *Cognitio sui*: immò teste D. Chrysostomo, ibi est plenitudo gratiæ, vt se in omnibus vnusquisque cognoscat. Hinc est quod Dominus ad summos amplissimosque honores euehat cognoscentes se, id quod Saülem alloquens profitetur, *Nonne enim*, inquit, *cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es?* 1. Reg. 15. Ecce vt ad pedes suos humili cognitione sui inclinatum erigat, & in caput constituat Deus.

Bona naturæ non attendit Deus.

Cognitio sui plenitudo gratiæ.

1. Reg. 15.

Virgines erant etiam illæ, in quarum lampadibus non inerat oleum; virgines erant, & nihilominus à nuptiarum excluduntur conuiuio: non illis referatæ fores, non illis ad Sponsum patens ianua, quia priùs non introgressæ sunt per propriæ cognitionis ianuam: non erat illis oleum ad cuius flammantis splendorem se discuterent, extinguebantur lampades ne se viderent. Quantus decor, quanta pulchritudo, quanta species suauitatis in Angelo, qui propter pulchritudinis elegantiam *signaculum similitudinis*, appellatur, Ezechiel. cap. 28. quasi totius pulchritudinis & elegantiæ expressiorem similitudinem in Angelo, tanquam pharmacotheca in pixide obsignasset Dominus; vnde illam pro arbitrio suo desumeret alijs creaturis communicandam, & tamen, inquit D. Bernardus homil. 1. de Aduentu, *Irreparabiliter cecidit, quia deerat illi cognitio sui*: id quod satis Scriptura expressit ibidem dicens, *perdidisti in decore tuo sapientiam*: quia vt ipse sibi esset, nosse se noluit, noluit Deum decoris auctorem profiteri, vt suum illum faceret; ideoque factus est ignorans, non in decore, sed in suo decore: id quod D. Bernardus adnotauit sermone 74. in Cant. vbi infit, *Quis ille tam noxius tamque perniciosus decor? Tu ne, Planctus audi. Primatus præpositi. Denique si aduertisti, non in decore, sed in*

Virgines fatuæ sine oleo.

Ezechiel 28.

Lucifer ignorans se cecidit.

suo decore, dictus est ille perdidisse sapientiam. Quantæ apud Deum existimationis & gratiæ Iechonias? excutietur ab illâ si se ignorauerit. Hierem. cap. 22. *Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in dexterâ meâ, euellam eum.* Tanti est apud Regem annulus, quo aut capitalis sanctionis edicta, aut sacratiora quædam obsignat, vt eum digito semper circumferat, euellet nihilominus animam Deus, quæ à gratiâ velut à digito Spiritus sancti portatur, si se non cognouerit, licet ægrè id facturus sit, non secus ac Rex pius & misericors annulum luctabundus submouet, capitis sententiam confirmaturus. Quãti decoris sponsa? quantæque apud Sponsum auctoritatis? Columbam eam vocat, sponsam, dilectam, sine rugâ, sine maculâ, totam pulchram, electam suam, sororem: & tamen quanquam diuino munere has omnes elegantias sit consecuta, eijcitur è cellarijs regijs. *Egredere & abi post vestigia gregum tuorum.* quasi qui ab eo, quod vnum est & bonum, nempe, Deo, egreditur, ante omnia declinet ad multitudinem, multitudini se committat, atque conformet illius adsuescens consuetudini; quò fit, vt inter hœdos necessariò inueniatur: qui tamen si se intueretur, & multitudinis errores expenderet aliorum improbitate, tanquam pædagogo, non vteretur: rectè Nyssenus homil. 2. in Cantica. *Qui ergo non ex ipsis rebus discernit id quod bonum est, & honestum, ab eo quod est malum, sed sequens vestigia eorum qui præcesserunt, præteritam vitæ consuetudinem* (malam scilicet parentum, vel præeuntis multitudinis) *adsciscit sibi pro vitæ magistrâ: sæpè fallitur tempore discretionis, & impudens hædus pro oue efficitur. Qui autem ad id quod est proprium humanæ naturæ: hoc autem est ratio, despicit quidem rationis expertem consuetudinem: nullum autem bonum eliget quod non adferat lucrum animæ.* & non abit post vestigia gregum suorum.

Iere. 22.

Ignorantem sui proijcit Deus.

Qui seipsum nouit, greges post se habet, & eos ducit: qui se ignorat, sequitur à tergo greges suos, quorum & ipse pars est, hic desideriorum suorum ouis est, & ab illis regitur: ille pastor suarum cupiditatum & illas regit. *Abi post vestigia gregum*, inquit, *non gregis*, quasi dicat, exi tu in vestigia gregum, non eas in societatem gregis, à quâ excidisti. Non curiosus sui, multos secum abducit greges, & sequitur, quamuis diuersa sint cuiusque gregis pascua.

> ——— *pascuntur & arbuta passim*
> *Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem,*
> *Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.*

Veluti cecinit Maro 4. Georgicon. sequitur, inquam, Greges, quos præire foret conuenientiùs, quia, vt habet D. Prosper Aquitanicus in sententijs. *Melior caussa est eorum, qui diabolum persequentem fugiunt, quàm qui præeuntem sequuntur: quia vtiliùs est eum hostem habere, quàm principem*: sequitur donec præcipitetur in profundum calamitatis, ærumnarum & miseriæ, ab irâ, ab inuidiâ, à superbiâ, à libidine, ab importunis cupiditatum gregibus, quorum insistit vestigijs.

Diabolum habere persequentem meliùs, quàm ducem.

2.

Suspectus quisque sit sibi.

Benè admodum Chilo apud Laërtium lib. 1. cap. 4. Stobæum serm. 9. & Maximum serm. 59. vt quisque semetipsum suspectum habeat monet, φύλαξαι inquit ἑαυτόν: *caue tibi ipsi*, siue *à te ipso*, siue *obserua teipsum*, quia nemo sit magis homini hostis quàm homo ipse sibi, dum libidinem, dum iram, dum ambitionem, aliasque perturbationes & cupiditates adhibet in consilium, ignorans sui. *Ab homine homini quotidianum periculum*, inquit Seneca epist. 103. *Aduersus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur antequam surgat: crepant ædificia antequam corruant: prænuntiat fumus incendium: subita est ex homine pernicies, & eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit.* Notum etiam illud Plautinianum, *Homo homini lupus*: quidni etiam sibi ipsi polypus? scitè Anacharsis Scytha qui interrogatus, τί ἐστι τὸ πολέμιον ἀνθρώποις; αὐτοὶ, ἔφη ἑαυτοῖς. *Quid hominibus maximè infestum esset? Ipsi*, inquit, *sibiipsis.* Quare animæ sibiipsi infestæ, seque ipsam deserenti, ait Sponsus, *Egredere & abi*: Non satis est egredi; sed procul etiam abeundum est animæ, cui iam per conditionis suæ ignorantiam, ab aspectu Sponsi egressæ, dicitur, *egredere*; & voce terroris atque formidinis compellitur egredi, quæ iam egrediebatur, arceturque non à penetralibus tantùm, sed ab ipsâ etiam summi Imperatoris arce, vt abeat. Quid terribilius priuato dici potest ab irato Principe, quàm vt domo suâ exeat? vti admonet D. Bernard. serm. 35. in Cantica: & tamen hoc animæ ignoranti se dicit Deus, *& abi.* Quò iam abeat nisi post cupiditates suas, à ianuâ cæli ad portas inferi? & ipsæ cupiditates omnes *sunt portæ inferi*, vt habet D. Prosper Aquitanicus, *per quas itur in mortem; cuius dominatum subit, qui adeptum se ad perfruendum lætatur, quod perditè concupiuit.* Ad quem remitteris, ô anima, egressa à te, egressa à Deo tuo? *Pasce*, inquit, *hædos tuos*; non iam formosi pecoris custos, sed olentis; non dux ouium, sed hædorum sequax: pasce tuarum cupiditatum greges, ad quarum ductum, hœdo similis efficeris. *Pasce hædos tuos, non quomodo Petro dictum est, oues meas*, inquit D. Augustinus serm. 62. de verbis Domini. *Petro dicitur, oues meas: ignoranti se dicitur, hædos tuos: hîc oues, ibi hœdi; hîc meas, ibi tuos.*

Homo sibi inimicus.

Egredi à Deo, pessimum est.

Ecce autem vti quoque fiat hœdus cum hœdis. Pascitur cicutâ hædus, quæ alijs animantibus est venenum: sic desiderijs & cupiditatibus suis saginatur qui se ignorat; à quibus tanquam à mortiferâ vi abstinet, qui se cognoscit. Quin etiam scarabæo, alijsque brutis, quorum viuit moribus, similis euadit. Scarabæum turpis hominis hieroglyphicum esse tradit Pierius Valerianus lib. 8. Hieroglyphicorum cap. de Scarabæo, quem Ælianus lib. 8 historiæ animalium, & Aristoteles lib. de admira. auscult. è retrimentis equinis nasci, illis ali, illis viuere tradunt, inter odoratos autem flores emori. Plinius lib. 11. cap. 20. ex asinorum corpore exanimato reparari scribit. Transtulit ad symbolum Claudius Paradinus in heroicis, efformatâ rosâ flore, cum insidente scarabæo, additâ hac epigraphe *Turpibus exitium.* Ita videns turpes & ignorantes sui, quos non delectat pietatis & optimarum rerum studium, amare libentiùs per cæna & volutabra impietatum inquinari, ali recrementis & sordibus inferni, in quibus, si de illis agatur, vanissimè docti; si de rebus optimis, turpissimè sunt ignari: & tanquam cœcus qui in profluentem lapsus, aquæ quidem experitur qualitatem, cæterùm turbidáne sit an limpida, in orientísne, an in occiduas decurrat plagas, non discernit; in profundum iniquitatis demersi ita cœcutiunt, vt cæli decorem, barathri horrorem, vitæ suæ ortum, atque communem interitum, non queant dispicere. Sequuntur illi vestigia gregum suorum, & vultum illum humanum, qui ornatus est & decor vniuersi, deformant, obliterantes in se imaginem Dei, vt Scarabæi, aut cuiusuis alterius animalis sordidi, induant effigiem: quò fit, vt hominum effigies habeant, animos ferarum, quemadmodum dixit Seneca epist. 103. Lyricus quoque Poëta conqueritur.

Cicuta vescuntur hœdi.

Peccator hœdo similis.

Scarabæo.

Nascitur ex equino stercore.

Corpore asinino.

Natura.

Peccator est cœcus.

prī-

φεῦ, πῶς πονηρόν ἐστιν ἀνθρώπων φύσις
τὸ σύμολον. οὐ γὰρ ἄν ποτ᾽ ἐδεήθη νόμου.
οἴει τί τῶν ἄλλων διαφέρειν θηρίων
ἄνθρωπον; οὐδὲ μικρόν, ἀλλὰ σχήματι.
πλάγιά τι τἄλλα, τοῦτο δ᾽ ὀρθὸν θηρίον;

Est animo fera.

Heu quàm mala, atque depr[a]uata prorsus est
Natura nostra! neque aliter lege erat opus.
Putásne tu interesse inter hominem, & feram?
Nec pauxillum, nisi in figurâ corporis.
Curuantur aliæ, inambulat rectâ hæc fera.

Sed & Epictetus dixit quosdam hominum lupis similes esse, infidos, insidiatores, noxios; alios leonibus agrestes, feroces, immanes; plerosque vulpeculis, detractores & fraudulentos: quæ caussa est, vt ad puram Numinis cognitionem accedere non valeant, nullâ aliâ existente viâ, nullâ aliâ patente ad eam ianuâ, quàm per notitiam sui. Id quod Tullius intellexisse videtur, quum 1. de legib. inquit: *Qui seipsum nôrit, primò se aliquid sentiet habere diuinum; tantoque munere Deorum aliquid faciet & sentiet:* quoniam, sicut adserit D. Basilius apud Maximum ser. de cognitione sui, *accurata cognitio tuiipsius, sufficienter te veluti manu deducet ad notionem Dei.*

Cognitio sui in Deum tendit.

Quemadmodum enim, vti tradit Aristoteles, picta leonis imago spectari potest, & vt imago est, & vt res est: & quum vt imago spectatur, non in ea sistitur intuentis consideratio, sed magis per eam in Leonem extenditur: quum autem consideratur vt res, color eius, delineatio, & adumbratio attenditur, & an leoni sit similis cogitatur: ita se supra se reflectens homo, agnoscit colores originis suæ, & in animâ immortali, lineamenta immortalis Dei, ad cuius similitudinem dum se factum cogitat, porrigit sese, neque sistitur in se, sed in eum extenditur cuius imaginem gerit: atque ita fit, vt quemadmodum impressio quæ fi[t] in oculo à re visâ, non videtur, sed magis res à quâ impressa est species in oculo (aspiciens enim in rem aliquam, non id quod habet in oculo, sed rem illam videt per illud) ita in se ipsum intuens homo, non semetipsum propriè videat, sed Deum cuius est imago & similitudo. Quod quid aliud est, quàm naturæ suæ dignitatem, quæ nobis diuino munere tributa est, perspectâ habere? scire quibus subijci debeat quisque, & quibus imperare? quod qui ignorarit, viriumque suarum rationem haud posuerit, expenderitque, è gradu deijcietur neque dignitatem tuebitur.

Hominem mutat in Deum.

Porrò autem, nihil ita hominem in formam filiorum Dei, cuius iacturam peccati demerito fecimus, conuertit; vt crebrò obuersans oculis, diuina animæ, ac terrea corporis nostri origo: quare monet D. Gregor. Nazian.

Te nosc[e], & quæ tibi sit cælestis orig[o],
Sic facilis venies ad decus archetypum.

3.

Hominis origo duplex.

Quum enim duplici homo constet origine, cælesti ex Dei halitu, terrena ex limo terræ: quod olim Philosophus quidam morti proximus, ef formatis duobus circulis, o, o. meditandum tradidit, ex quibus intellexere illi, corporis in terram, vnde sumptum est, regressum, velut circulus in idem punctum vnde cœptus est, redit: animæ itidem in Deum, vnde inspirata est, recessum, quod Ecclesiastes cap. 12. indicauit dicens, *reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad eum qui dedit illum.* Quicunque ob oculos ista crebrò habuerit, atque in se praua & curua corrigenda, affectus tumidos extenuandos, viles & depressos attollendos viderit, in alium hominem habitumque ibit: ita de se Seneca epist. 6. *Intelligo, Lucili, non emendari me tantùm, sed transfigurari: nec hoc promitto iam aut spero, nihil in me superesse,*

quod mutandum sit. Quidni multa habeam quæ debeant corrigi, quæ extenuari, quæ attolli? Et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Multum istud quidem, & ad animorum, hominisque interni mutationem stimulus, sed non ipsa demutatio est, quia *Qui Philosophiam didicit,* inquit Seneca epist. 94. *& facienda, ac vitanda percepit, nondum sapiens est, nisi in ea, quæ didicit, animus eius transfiguratus est*: atque ea quidem erit prima hominis transfiguratio, per quã illi via ad transfigurationem in filium Dei, recepta per charitatem imagine & similitudine, quæ ei ex peccato perierat; trinæque diuinæ operationis euidentiâ, vt scribit Rupertus in illa Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Velut enim Pater æternus cognoscendo & comprehendendo se, figuram substantiæ suæ generat, Verbum, ita homo, perfectâ suimet notitiâ, similem Dei figuram & imaginem, quam ab exordio sortitus est, exprimit.

Cognoscere & castigare defectus suos, immutari est.

Ex cognitione sui generatur imago Dei. Gen. 1.

2.

Nosse se difficile.

Plurimi quidem negotij multaque operæ est, nosse seipsum; at laudis & gloriæ plenum: nam cùm cognitio sui, sit perfecta quædam & exquisita corporis & animæ notitia, perfectionum etiam & imperfectionum, hanc consequi planè arduum est: quare D. Basilius Homilia 9. in Hexameron, inquit, *Difficillimum esse omnium vt etur, seipsum cognoscere. non solùm enim oculus ea quæ sunt foris conspiciens, in seipsum cernendum non vtitur facultate videndi; sed ipsa mens etiam nostra, peracutè prospiciens alienos errores tarda est & cunctatior ad proprios defectus suos cognoscendos.* Hinc Plato, quanquam subtilissimi vir ingenij, & diuinarum humanarumque scientiarum adeò peritus, vt diuinus meruerit appellari; de seipso in Phædro ait, *nondum possum meipsum iuxta Delphicam inscriptionem cognoscere*, & interrogatus, quid fac[i]lius, quidvè difficilius foret, respondit, *alios comprehendere & seipsum cognoscere.* Et præter Thaletem in principio commemoratum, Demonax apud D. Basilium homil. 27. in Hexam. Chilo quoque apud Stobæum, siue auctoris sententia fuerit, siue vt Clearchus vult, dictatam diuinitùs acceperit, interrogatus quid esset difficillimum, respondit, seipsum agnoscere: *Vnumquemque enim multa ex cæco sui amore sibi attribuere.* Sed & Ion apud Plutarchum, *Hoc verbum quidem, haud magnum*, inquit, *res verò, quantum Deorum solus nouit Iupiter.* Quapropter rectè D. Basilius homil. 14. *Excellentis quadam opus est sapientiâ, per quam nostrum quilibet, quicunque ille sit, se cognoscat.* Nam quum anima non aliter se, quàm cætera cognoscat, Philosopho teste, cætera autem per species à phantasmatibus acceptas intelligat, sui ipsa speciem habere non potest, cùm ea nonnisi ex re sensibili, elici valeat vti docet D. Tho. 1. part. quæst. 8. art. 2. vbi ait, quòd quamdiu anima est corpori vnita, intelligit conuertendo se ad phantasmata, & ideò nec seipsam possit intelligere, nisi in quantum fit actu intelligens per speciem à phantasmatibus abstractam: id quod etiam Scotus in 2. sentent. dist. 3. quæst. 8. explicat in hunc modum: intellectus noster pro statu isto, non est aptus moueri immediatè nisi ab aliquo imaginabili vel sensibili extrà priùs moueatur. Verùm quid ita? fortè propter peccatum, sicut Diuus August. lib. 15. de Trinitate capite vltimo, docere videtur: *Hoc tibi fecit infirmitas*, inquit, *& quæ caussa infirmitatis nisi iniquitas?* Itaque animæ formam vmbratilem mentis oculis lustramus, ait Plato lib. 6. de republicâ, sicut pueri qui in aquis corporum effigies aspiciunt, & contemplantur. Hinc illa Diui Bernardi querimonia, sermone de carne, cute, & ossibus;

Anima vt se cognoscat.

Sed miranda prorsus & miseranda humanarum conditio animarum, quæ licet tam multa foris ingenij viuacitate percipiant, nulla tamen perspicuitate semetipsas, sicut sunt, nosse aut cogitare sufficiant; sed egent omnino figuris & ænigmatibus quibusdam corporearum similitud.num, vt ex visibilibus, & exterioribus, possint vel aliquatenus inuisibilia, atque interna conijcere.

4. Animæ excellentia ex eius operatione colligitur.

Quod ergo possumus, est, ex hominis operationibus iudicare, animam excellentem aliquā esse substantiam & immortalem, cùm mortalis natura in tam varias res attollere sese non possit, vt cælorum motus, astrorum reuolutiones, ortum & occasum Solis & Lunæ, aliaque eiusmodi attendat, sicut anima humana: de quâ pariter iudicamus, sicut ex relicto lumine post Solis occasum, de illius splendore, quem tamen non videmus: vnde D. Thomas lib. 2. contra gentes cap. 1. *Ex modo enim operationis & speciei, mensura & qualitas virtutis pensatur: virtus verò rei naturam monstrat: secundum hoc enim, vnumquodque natum est operari, quod actu talem naturam sortitur.* Nam cùm potentiæ & agendi facultates, sint idem re cum principali agente, vel saltem ab eius substantiâ dimanent, sunt indices discrepantiæ, quâ rerum formæ & naturæ discernũtur: vt prætereà multiplicem illā ac sublimem animę vim, quâ intelligit, contemplatur, meditatur, & argumētatur.

Operationes naturam rei indicant.

Possumus præterea communem nostrum ortum atque interitum cognoscere, si nosipsos ad propriam incudem reuocauerimus, quâ cogitatione armati, sensuum illecebras animo aspernabimur, & in eum in quem facti sumus finem adspirantes, mentis cogitatus extendemus. Sed paucos reperias sui ita memores, vt abiectâ vel contemptâ sensibilium curâ, seipsos curent. Messalam Coruinum oratorem memorat Plinius lib. 7. naturalis historiæ cap. 24. ex ægritudine, seruorum etiam, sui verò nominis cepisse obliuionem. Quanta ægritudo animi humani esse debet, qui vtriusque nominis sui oblitus, nempe, quod homo ex humo sit, & quod ἄνθρωπος vt ait Plato, id est, *sursum inspector*, vt si vellet, ex propriæ originis humili & operosâ recordatione, cælo infunderetur, ad ea quæ ipsum non tangunt consectanda, deorsum agitur? vt non immeritò Propheta Iob cap. 7. Psaltes regius ps. 8. quamuis scirent hominem ab אדמה *adama*, id est, *terra*, dictum אדם *Adam*, id est, homo, אנוש *enos* tamen appellarint, id est, *obliuiosum*, immemorem sui, siue obliuiscentem, sicut interpretatur Eusebius lib. 11. de pręparat. Euangelicā. cap. 4. qui si mentis oculos in se reflecteret memor sui, cum Iobo exclamaret, *Quid est* אנוש *enos, homo, quia magnificas eum*? & cum Psalmista, *Quid est* אנוש *homo, quod memor es eius*? & videret se miserum, ærumnosum, ægrotantem, insanabilem, semper dolentem, quæ omnia, nomine *Enos* significantur, & cum Dauide, qui partâ victoriâ, vt vult Guilielmus Scéprius, in seipsum intrans, atque miseriam propriam considerans, illam Deo adscripsit; quanta sibi sit ex Deo magnificentia, qui non obliuiscitur, obliuiscentē sui; quamque à suâ dignitate alienum sit, seipsum deserere, intelligeret, seque ipsum, & Creatorem suum in seipso, tanquam in tabellâ videret.

Iob 7.
Ps. 8.
Homo Enos dictus, id est, obliuiscens.

Est enim cognitio sui totius Philosophię summa, necessaria & vnica ad veram sapientiam, & Dei cognitionem via: indicauit Demonax, qui apud Stobæum interrogatus serm. 21. quando cœpisset philosophari, *tum*, inquit, *quum cognoscere meipsum incepi.* Hoc pulcherrimum est iter ad sapientiam. *Nosces autem teipsum*, inquit Menander, *si negotia inspexeris tua, & quid faciendum tibi*: sic enim non deerrabis aliquando extra viam, stultorum more, sed in alto & recto Sapiens eris.

Cognitio sui, vna est ad sapientiam via.

Dispicere vnde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

5. Cognitio sui & Dei simul sunt.

Nam quum cognationem non paruam inter se habeant cognitio Dei & sui, ex huius intelligentiā perficimur, sistimur ex alterius. id quod eleganter ab Augustino proditum, Soliloquior. c. 5. *Nunc igitur Domine, illuminasti me lux, vt viderem te, vidi, & cognoui me.* Nusquam enim meliùs quàm in Deo nos ipsos cognoscimus, nusquam puriùs, quàm in sua origine hauritur aqua. quare qui se nouit Deum videt, qui Deum videt se cognoscit. Agap. ad Iustinian. *Diuinum hoc & primum hominibus præceptum discimus, vt noscat quisque seipsum. Nam qui se nouit, Deum cognoscet, qui Deū nouerit, Deo assimilabitur. Similis autem fiet Deo, qui Deo dignus fuerit. Deo autem dignus fit, qui nihil indignum Deo committit: sed cogitat res diuinas, & quæ cogitat loquitur, & quæ loquitur facit.* In hanc quoque sententiam Clemens Alexandr. lib. 3. Pædag. cap. 3. totidem verbis, *si quis seipsum norit, Deum noscit, quod si Deum noscit ei assimilabitur, non aurum gestans, nec talarem vestem gerens, sed benefaciens, & quàm paucissimis fieri potest indigens.* Ecce vt propria cognitio nos in Dei trāsformet imaginem: quare D. Ambros. serm. 10. in psal. 118. animam ad hanc disciplinam capessendam hortatur, *Cognosce te, anima*, inquit, *quia non de terrâ, non de luto es, quia insufflauit in te Deus, & fecit animam viuentem, opus es magnificum Dei generatione inspiratum. Sæcularia te non moueant, & mundana non teneant, terrestria non morentur; ad illum totâ intentione festina, ex cuius inspiratione consistis.* & rectè sanè hortatur, quia vt D. Bernardus serm. 37. in Cant. inquit, *Nemo absque sui cognitione saluatur, de quâ nimirum mater salutis humilitas oritur, & timor Domini, qui & ipse, sicut est initium sapientiæ, ita & salutis. Quid si ignoras Deum? poteritne spes esse salutis cum Dei ignorantiâ? Ne hoc quidem. Non enim potes aut amare quem nescias, aut habere quem non amaueris. Noueris proinde te, vt Deum timeas: noueris ipsum, vt æquè ipsum diligas.* Ita est, qui nescius est sui, nescius est Dei: cognosce te, & Deum cognosces. Ex tui cognitione officium, præstantiamque tuam intelliges: ex Dei cognitione, ne propriæ excellentiæ opinione efferaris, atque te à superioris iussu liberum arbitreris. Deum esse intelliges, actionum omnium cogitatuumque iudicem strictissimum, & remuneratorem locupletissimum, quem non tam scientiâ quàm amore haberi, senties: Insipida namque & sicca est omnis cognitio Dei, quam non consequitur gustus & amor, quò spectat illud, *Animalis homo non percipit, quæ spiritus Dei sunt.* 1. Cor. 2. & illud Seruatoris nostri ad Petrum Matth. 15. *Non sapis ea quæ Dei sunt: sed ea quæ hominum.* Tam ergo vtraque ignorantia cauenda est tibi, vti D. Bernardus tradit, quàm sine timore & amore Dei, salus esse non potest.

Cognitione sui homo fit similis Deo.

Anima ex Dei flatu.

Timor initium salutis.

Ignorans se, ignorat Deum.

Scientia Dei sine amore eius, vana.

1. Cor. 2.
Matth. 15.

Capitis 12. §. 3.

Paruam esse Dei cognitionem, quam non comitatur amor.

1. Spiritus sancti calor hominem mouet.

CVm itaque nulla scientia præstantior meliorque sit illâ quâ semetipsum cognoscit homo, qui euigilauit in Deum, vti inquit D. August. lib. 4. de Trinitate, Spiritus sancti calore excitatur, atque in eius amore coram se viluit, eoque sibi lucente, attendit in se, inuenitque se, atque suam ægritudinem, morbosque animam miserè fodicantes intuens, flere dulce habet, eumque deprecari, vt etiam atque etiam misereatur, donec exuat totam miseriam: & precari cum fiduciâ, iam accepto pignore salutis per eius vnicum saluatorem hominis

&

& illuminatorem. Hunc ita agentem, & dolentem, ſcientia non inflat, quia charitas ædificat. Eſt namque ſcientia ſicut vinum, inquit D. Ambroſius, quod ſi purum bibitur, quantò recentius, ſuauiúſve fuerit, tantò ſubtiliùs hominem inebriat: ita planè ſcientia, quantò perfectior ſubtiliórve fuerit, tantò obnubilat animum, & ſtuporem affert menti. niſi amore diuino corrigatur. Qui correxerit (vt ex D. Auguſtino proſequar) præpoſuit ſcientiam ſcientiæ, præpoſuit ſcire infirmitatem ſuam magis, quàm ſcire mundi mœnia, fundamenta terrarum, & faſtigia cælorum. Et hanc apponendo ſcientiam, appoſuit & dolorem: dolorem peregrinationis ſuæ ex deſiderio patriæ ſuæ, & conditoris eius beati Dei ſui. Ita ferè D. Auguſtinus lib. 14. de Ciuitate Dei. cap. 8.

Scientia eſt vinum.

Corrigenda charitate.

Quòd ſi Alcibiades, quum ſibi beatus videbatur, Socrate diſputante, & ei quàm miſer, quamque vanus ac ſtultus eſſet, demonſtrante, in lacrymas ſolutus fleuerit: quòd ſi poſtquam Alcibiadi perſuaſiſſet Socrates, vt habet Tullius lib. 4. Tuſculanarũ, eum nihil hominis eſſe, nec quidquam inter Alcibiadem ſummo loco natum & quemuis baiulum intereſſe, lacrymans Socrati ſupplex factus ſit, vt ſibi virtutem traderet, turpitudinemque depelleret. Quid non aget? quos gemitus, & quæ ſuſpiria non emittet is, qui ad radiantis in mente ſuâ Numinis ſplendorem, inuenit ſe, & videt ſe nihil eſſe in ſe, neque vllibi aliquid eſſe, quàm in Deo cognito; vt ea ſibi notitia tradatur, in quâ aliquid ſit? Quid enim eſt homo, niſi quod innotuiſt; ei? Ignorantia Dei facit vt nihil ſit homo, Diuo Bernardo interprete, epiſt. 18. ad Petrum Diaconum: notitia Dei, cauſſa eſt vt aliquid ſit homo, *fieri namque non poteſt quâdam diuinâ prouidentiâ vt religioſis animis, ſeipſos & Deum ſuum, id eſt veritatem, piè, caſtè, diligenter quærentibus, inueniendi facultates deſint*: inquit D. Auguſt. de quantit. animæ. c. 14.

Alcibiadis lacrymæ ex amore ſcientiæ.

Homo eſt, quod Deus in eo eſt.

Quærere autem parùm eſt, niſi inueniatur: eſt & inuenire parùm, niſi cognoſcatur: & parùm cognoſcere, niſi ametur. Quæſierunt Ethnicorum multi, nec inuenerunt, quia malè quæſierunt: quærebant in huius mundi formâ ſpectabili, in quam oculos conijcientes, non ſunt vltrà progreſſi, ſed hæſere in ijs quæ appetitum veritatis excitant, non ſedant; & ſolem, lunam, ſtellas, aut quidpiam aliud viſibilis ſubſtantiæ, Deos putauerunt. De quibus Sapientiæ cap. 13. *Vani ſunt omnes homines in quibus non eſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, nec operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex, quorum ſi ſpecie delectati Deos putauerunt, ſciant quantò his Dominator ſpecioſior eſt. Speciei enim generator hæc conſtituit. Aut ſi virtutem, & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui fecit hæc, fortior eſt illis.* Vani ſunt, inquit, omnes homines, quia naturalium rerum inueſtigationi inſiſtentes, finem in quem ordinati ſunt, qui eſt Deum cognoſcere & colere, non ſunt conſecuti: vanum enim eſt, inquit Philoſophus, quod ordinatum ad aliquid ſicut ad finem, non poteſt illud attingere: non habent illi ſcientiam Dei, quæ eſt timor & reuerentia Dei: de quibus Baruch. 3. *Quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam.* Ita Propheta de mundi huius prudentibus.

2. Quatuor gradus quærentium Deum.

Viſibilia nõ ſedant appetitum veritatis.

Sap. 13.

Scientia Dei eſt timor & reuerentia. Baruch. 3.

Quæſierunt & inuenerunt alij, ſed non cognouerunt. Inuenerunt à viſibilibus ad inuiſibilia mente contendentes, quia, vt inquit Apoſtolus Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, oculo mentis conſpiciuntur. Inuenerunt, ſed quia eum non cognouerunt, non ſicut Deum glorificauerunt: in quæ verba D. Auguſtinus lib. de ſpiritu & literâ cap. 12. & ſerm. 55. de verbis Domini. *Vide quomodo non eos dixerit ignaros veritatis, ſed quòd veritatem in iniquitate detinuerunt, quia occurrebat, animo vt quæreretur, vnde illis eſſe potuerit cognitio veritatis, quibus Deus legem non dederat. Neque hoc tacuit vnde habere potuerint. Per viſibilia namque creaturæ perueniſſe eos dixit ad intelligentiam inuiſibilis creatoris: quoniam reuera ſicut magna ingenia quærere perſtiterunt, ſic inuenire potuerunt.* In quibus D. Auguſtini verbis, non alio ſenſu dicuntur veritatis cognitionem habuiſſe, quàm vt ſignificetur illos quærendo, ad illam veniſſe, & inueniſſe. Quemadmodum enim rerum viſibilium pulchritudo ſenſibilem oculum, ſic earundem cognitio, mentem ad veritatis permanentis inquiſitionem pertrahit: non autem vt veritatem agnouiſſe putentur obſequio, à quâ, tanquam ſi non inueniſſent, defecerunt. Ideoque euanuerunt etiam illi, quanquam prudenter ſapientes videri & haberi vellent, quia, *vbi non eſt æternæ & incommutabilis veritatis agnitio*, inquit ad noſtram mentem D. Auguſt. ſuper cap. 14. epiſt. ad Rom. *Falſa eſt virtus etiam in optimis moribus.*

Rom. 1.

Virtus ſine Deo nulla eſt.

Inuenerunt & cognouerunt alij, quia inuiſibilis Dei virtutem, à quâ velut à principio cuncta procedunt, & diuinitatem tanquam vltimum finem, in quem omnia tendunt, perſpectã habuerunt, ſed non amauerunt: quibus proinde accidit idem quod accendenti lampadem, nec oleum infundenti: accendebantur enim ad Numinis cognitionem ex creaturarum conſideratione intellecti, ſed charitatis incentiua non habebant, ideoque ab ipsâ cognitione exciderunt, *& obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Quare obſcuratum? quia vnctionis oleum & veræ ſcientiæ lumen, quibus perficitur erudiens nos charitas, nõ habuerunt: ſicut enim, inquit D. Tho. lect. 7. in 1. cap. ad Rom. qui oculos corporales à ſole materiali auertit, obſcuritatem corporalem incurrit, ita ille qui à Deo auertitur de ſeipſo præſumens, & non de Deo, ſpiritualiter obſcuratur: hinc inſipientia cordis, hinc ſtultitia ſapientiam ſibi à ſeipſo adſcribentis. Videbat Balaam Propheta viſiones Dei, & in viſione ſuâ cœcus erat. Num. 24. *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus eſt oculus, dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Quomodo autem cœcus, & videns? rationem reddit Rupert. lib. 2. de proceſſ. Spiritus ſancti cap. 11. *Non enim in corde per dilectionem ſapiebat ea quæ Domini ſunt, quamuis ore per ſcientiam proferat ea.*

Rom. 1.

Charitas oleo & lumine perficitur.

Sapiens ſæculi cœcus eſt.

Num. 24.

Vanum eſt ſcientiæ lumen, quod oleo charitatis non perfunditur: pleroſque videas ex illis qui ſapientes dici volunt, odio, aut inuidiâ in fratrem ſuum ita occœcari, vt quamuis eum proſcindant calumnijs, onerent opprobrijs, per ora hominum traducant, probroſum reddant, eiuſq; vitæ inſidientur immanes honoricidæ, nullo tamen ſe aduerſantis conſcientiæ ſtimulo agitatos profiteantur: & quò illi tendunt? nempe quò is, de quo D. Chryſoſt. Homil. de eruditione diſciplinæ, *Qui fratrem ſuum odit, in tenebris ambulat, ipſo ſcelere obcæcatus. Vadit enim neſciens in gehennam ignis, & præceps fertur ad pœnam, ſeparatus à lumine Chriſti.* Ecquod autem lumen Chriſti, niſi charitas per quam ſapit quicunque benè ſapit? rectè D. Laurent. Iuſtinianus in faſciculo amoris cap. 6. *Quicunque ardenter Deum amat, ſapit*: hinc eſt quod Dominus Matth. 22. interrogatus de primo & maximo legis mandato, reſpondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nulla ibi de cognitione Dei mentio, quâ tamen *nihil melius eſt*, inquit D. Auguſt. ſerm. 111. de tempore, *quia nihil beatius eſt, & ipſa vera beatitudo eſt*: vnde dixit Sapiens cap. 15.

Scientia ſine charitate vana eſt.

Odium fratris, ſapientes excœcat.

Amans Dei ſapit.

Cognitione Dei nihil beatius.

Noſſe

Sap. 15.

Nosse enim te (ô Deus) consummata iustitia est, & scire iustitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis: & Seruator noster Christus ad Patrem Ioan. cap. 17.

Ioan. 17.

Hæc est autem vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Sed cur nihil de cognitione Dei à Christo ibi traditum, quandoquidem accedentem ad Deum per amorem, oporteat credere quia est? Respondet D. Chrisost. homil. 26. ex varijs.

Cognoscere Deum humanæ naturæ propriũ.

Non dixit, cognosces Deum Dominum tuum, sed diliges, quoniam cognoscere verum Deum, penè proprium est humanæ naturæ: diligere autem eum, religiosi cordis est & recti. Et quicunque dilexerit Deum ex toto corde, non est possibile vt non perueniat ad Filij eius agnitionem. Ipsa enim dilectio Dei quæ in eo habetur, illuminat eum.

Dilectio Dei docet.

Hoc enim charitatis est proprium, vt, licet ipsa sit in voluntate, scientia autem in intellectu, & voluntas ab intellectu potiùs, quàm intellectus à voluntate moueatur; intellectum nihilominus illuminet ad scientiam, quod D. Ioannes epist. 1. cap. 2. expressit his verbis,

1. Ioan. 2.

vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia. Et Dominus de Spiritu Sancto, qui charitas est, *ille vos docebit omnia.* Oleum est in lampade cordis nostri accensum, dilectio Dei vngit voluntatem, intellectum illustrat scientiâ, & illâ scientiâ, quâ beatus fit, qui Deum cognoscit.

Diligere Deum perfectio scientiæ est.

Hæc est vera sapientia, quæ ex propriæ conditionis notitiâ orta, illam eamdem perficit & complet: quia notitiam sui puram habet nemo, nisi qui Dei faciem priùs contemplatus fuerit, & reuerberante Numinis majestate, ad se de nouo inspiciendum descenderit. Ita initiaris in cognitione tui ad sapientiam, consummaris & perficeris in cognitione Dei; & ista cognitio, non est sine amore. *Nec amor sine spe est*, inquit D. August. Enchridij cap. 8. *nec sine amore spes, neque vtrumque sine fide.* Acquiritur recessu à peccatis, atque mandatorum diuinorum obseruantiâ, plenitudo autem legis, dilectio: *Et nunc Israël*, inquit Propheta sanctus Deuter. cap. 10.

Deuter. 10.

Quid petit Dominus tuus à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, custodiasque mandata Domini, quæ ego hódie præcipio.

Cognoscens se Deum reueretur & timet.

Hoc qui sibi persuasum habuerit, propositâ sibi Diuinæ Majestatis, quam reueretur, quam timet, quam amat, præsentiâ; atque districtâ datorum & acceptorum ratione: ijs quæ vsibus humanis adscripta sunt, vtetur vt depositis, ac demùm repetendis: & quemadmodum famulus sub domini aspectum, non exultabit immodicè, neque bona illius dilapidabit: ita cùm vniuersi partes Numinis formam quandam adumbrent, ad obiectum tantæ magnitudinis in ijs expressæ, timebit in hoc rerum vsu, aliter de domini sui peculio statuere, quàm quod ipse decreuerit; augustiorem Dei dominatum suis ceruicibus imminere intelligens, ab imperandi libidine animum reuocabit, atque mente pauidus, debiliores non concutiet, in sinum suum priùs inspuet, quàm aliena iudicet; seipsum excutiet, si fortè vitium de quo queritur, in seipso inueniat: vt ad exemplarium holocausti turturis, cuius caput in sinum detorquebatur Leuit. cap. 1. contorto in pectus & animum vultu, holocaustum fit & oblatio suauissimi odoris Domino. Si quid prætera graue ac molestum incurrerit, ferendo non deficiet, sed collectis fortiter animis, feret tantò animosiùs, quantò amplissimum remuneratorem Deum cogitabit, ad quem omnia sua referat. Ista operatur dilectio: indeque fit, vt quemadmodum flammeus Solis nitor, sanum oculum ad se pertrahit; sic Dei cognitio, sanam mentem per charitatem naturaliter ad se trahat.

Cognitio Dei sanam mentem ad se trahit.

5\. Cognitio Dei sine eius amore, non prodest.

Nostra igitur interest, si Deum cognoscimus, eundem amare, quoniam cognitio sine charitate, inquit D. August. tractatu 2. in Epist. D. Ioannis: saluos non facit, scientia inflat, charitas ædificat. Quid autem prodest nobis si rerum omnium naturas subtiliter inuestigemus, efficaciter comprehendamus, & nosmetipsos non intelligamus? intelligendo nos, veritatem æternam & incommutabilem non agnoscamus? cognoscendo, non amauerimus? si confiteri vultis & non amare, incipitis Dæmonibus similes esse. Sed quomodo poterimus amare Deum, si amamus mundum? si amamus mundum, separat nos à charitate Dei. Duo sunt amores, mundi, & Dei: si mundi amor habitat, non est quà intret amor Dei, recedat amor mundi, & inhabitet amor Dei: melior accipiat locum. Cùm exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem diuinum, & incipiet habitare iam charitas, de quâ nihil mali potest procedere. Ecce quasi agrum inuenit corda hominum, sed quomodo inuenit? si syluam inuenit, exstirpat; si agrum purgatum inuenit, plantat; plantare ibi vult arborem, charitatem: & quam syluam vult extirpare? amorem mundi: *Nulla sine Deo mens bona est*, inquit Seneca epist. 73.

Amores duo.

Semina diuina in nobis.

Semina in corporibus humanis diuina dispersa sunt; quæ si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt, & paria his ex quibus orta sunt, surgunt: si malus, non aliter quàm humus sterilis ac palustris, necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus. Amor Dei facit, vt boni cultores simus seminum virtutis, quæ iacta sunt in nobis à verâ cognitione Dei. Cognoscam ergo ego te, amor meus, sicut ego cognitus sum à te. Inueni me & cognoui te, quoniam illuminasti me; sed qualiter cognoui te? Cognoui te in te; cognoui te, non sicut tibi es, sed cognoui te sicut mihi es, & non sine te, sed in te, quia tu es lux quæ illuminasti me. Sicut enim tibi es, soli tibi cognitus es: sicut mihi es secundum gratiam tuam, & mihi cognitus es. Cognoui te, quoniam Deus meus es tu, & in manibus tuis sortes meæ. Ita ferè D. Augustinus lib. de spiritu & animâ, cap. 51. & lib. Soliloquiorum. cap. 31.

CAPVT XIII.

Quis insipiens negauit Deum esse?

1\. Deus nunquam latuit.

QVamquam verissimum sit Deum latuisse nunquam, sed ab ipso mundi primordio cum ipsis rebus in hominum cognitionem deuenisse, id quod ostendit Tertull. aduersus Marcionem lib. 1. vbi ait, *Siquidem à primordio rerum, conditor earum cum ipsis pariter compertus est, ipsis ad hoc prolatis, vt Deus cognosceretur.* Neque eam Numinis notitiam à Moisis, Scriptorum antiquissimi prophetiâ esse, sed ab ipsâ naturâ esse luculenter indicat: *nec enim si aliquantò posterior Moises, primus videtur in templo literarum suarum Deum mundi dedicasse, idcirco à Pentateucho natales agnitionis supputabuntur, cùm totus Moisi stylus notitiam Creatoris non instituat, sed à primordio enarret, à Paradiso & Adam, non ab Ægypto & Moise recensendam.*

Cognitio Dei ab ipsa rerum natura est.

Quare ipsi etiam idololatræ, in excogitatâ Deorum suorum caligine, ad rationis igniculos, etiam ipsius veri Dei habuere conscientiam. *Denique*, inquit Tertull. *maior popularitas generis humani, ne nominis quidem Moisi compotes, nedum instrumenti; Deum Moisi tamen nôrant, etiam tantâ idololatriâ dominationem obumbrante, seorsum tamen illum quasi proprio nomine Deum perhibent, & Deum Deorum, & si Deus dederit, & quod Deo placet, & Deo commendo.*

Vide

Vide an nouerint quem omnia posse testantur. Nec hoc vlli Moisi libris debent. Ante anima quàm prophetia. Animæ enim à primordio, conscientia Dei, dos est: eadem nec alia in Aegyptijs, & in Syris, & in Ponticis. Iudæorum enim Deum, dicunt animæ Deum. Nunquam ergo Deus latuit, defuit nunquam: semper intelligitur, semper auditur, semper conspicitur: *habet Deus testimonia, totum hoc quod sumus, & in quo sumus.* Huc spectat, quod scribit Seneca epist. 117. *Multum dare solemus præsumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tamquam Deos esse, inter alia sic colligimus, quòd omnibus de Dijs opinio insita est.*

Præcepta hominum opinio, fidem facit.

Nihilominus tamen malum! nimis compertum est id quod Ciceronianus ille Cotta dicit: multas se arbitrari gentes sic immanitate efferatas, vt apud eas nulla Deorum suspicio sit: siquidem tanta fuit quorundam iudicij peruersitas, tanta morum corruptio, vt naturæ principia in seipsis obruentes, omnem ratiocinandi modum compresserint, vbi quicunque illa seruauit integra, siue Turca, siue barbarus, Deum esse cognoscit: quod quidem homini est proprium: ita enim Tullius 1. de legibus: *Ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei.* Quo sapientis hominis dicto insinuatur, eos non inter homines, sed inter bruta potiùs animantia numerandos, qui quod Deus sit, scire nolunt, insipiente illo deteriores, de quo Vates Regius Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, quia tam atrocem blasphemiam ore proferre erubuit reclamante ei omni creaturâ & ipsum lucidissimi mendacij arguente, quæ altis quasi vocibus clamat, *ipse fecit nos & non ipsi nos, quoniam Rex omnis terræ Deus*: Ps. 46. non quemodo quarumdam Prouinciarum certa quædam numina, vt Paphi, Venus; Cretæ, Iupiter: in Thracia Mars; sed terræ totius Rex & Deus.

Ps. 13.

Ps. 46.

2. Insipiens negans Deû, quis? Nabuchodonosor.

Verum enimuerò quis ille insipiens, qui dixit in corde suo, non est Deus? An fortè Chaldæi: An Nabuchodonosor, cuius mentis oculos ita offuderat detestandæ caligo superbiæ, vt Solem Deum, in animâ suâ radiantem non intelligeret? nam cùm expeditiùs per meditatos animæ rationalis gradus, ascensiones in Deum disponere potuisset, vsque ad intellectum inuisibilium eius, quàm per ipsas creaturas alias, quandoquidem nullus creatæ substantiæ gradus, quæ lunari subest globo, Deo sit vicinior, quàm rationalis animæ, quæ ad Conditoris sui facta est imaginem: ex omni interea cognoscendæ veritatis gradu, quæ Græcis ἀλήθεια, ὡς τὸ μὴ λήθειν, quod non lateat, sitque omnibus nota, suâ se deiecit arrogantia. Inde illi tumentes tumorum fluctus, quibus statuæ aureæ, quam fabricatus fuerat, cultum exercentes, visus est obruere Daniel. cap. 3. *Quis est Deus qui eripiet vos de manu mea?* Paris impietatis fuit Holophernes blasphemus in Deum, qui Nabuchodonosorianę militiæ Præfectus, auditis encomijs, quæ ad Dei cælestis potentiæ commendationem liberè detonauerat Achior, Iudith. cap. 6. respondit, *quoniam prophetasti nobis dicens, quod gens Israël defendatur à Deo suo, vt ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cùm percusserimus eos omnes sicut hominem vnum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis.*

Daniel. 3.

Iudith. 6.

4. Reg. 19. Sennacherib.

Sennacherib quoque Assyriorum Rex, lib 4. Reg. cap. 19. multa in Iudæorum Deum verborum portenta euomuit, quasi is Iudæos non magis tutari, tuerive posset, quàm reliquas gentes, Dij earum. Ita vniuersim Chaldæi dixere, Deum Israël non esse verum Deum, quòd Iacobi progeniem ex eorum manibus eripere nequiret. An ergo iste est insipiens, imprudens, stultus, nebulo, sicut reddunt alij, qui dixit in corde suo non est Deus? siue vt Chaldaicus interpres habet, *non est potestas Dei in terrâ*: Ita opinatur Rabbi Salomon, apud nostrum Iacobum de Valentiâ Antistitem Christopolitanum.

Iudæi.

Nunquid verò populus Iudæorum quoque insipiens iste est, qui dixit in corde suo, quòd Christus non est Deus, sicut interpretatur Cassiodorus? vtrùm autem non modo Hebræa gens huius notetur insipientiæ, verumetiam gentiles, & Philosophi nonnulli, qui Deum esse creatorem mundi, iustum iudicem, atque operum remuneratorem, negauere? finxeruntque nullam inesse Deo humanarum actionum prouidentiâ, neque vnicum sed plures Deos constituerunt, vniuersi curam in plures partiti? Ita intelligit D. August. in Psal. 13. ait namque, *Nec ipsi enim sacrilegi & detestandi quidam Philosophi, qui peruersa & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere, non est Deus: ideo ergo dixit in corde suo, quia hoc nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare.*

Gentiles. Philosophi.

3. Adam insipiens negans Deum.

Non defuere tamen qui insipientem istum dicerent fuisse illum *in quo omnes peccauerunt*, vt ait Apostolus Rom. 4. qui omniscientiæ similitudinis pulsatus appetentia, in insipientiam prolapsus est. Insipiens ergo ille qui dixit in corde suo non est Deus, primus hominum est, innuente Apostolo, per quem, & cuius peccato omnes nos corrupti sumus. Sed, nunquid sciuit Adam Deum esse Creatorem rerum omnium & gubernatorem, cuius munere tantam sit scientiam consecutus, vt rebus conditis nomina, ex naturæ cuiusque proprietate imponeret, quibus à Deo commissus gubernator, imperaret? Nunquid verum cum diuinam vim negasse ex scripturâ testari in adferri potest? immò post peccatum fugit à facie Dei, & istâ fuga confessus est Deum quem timere incipiebat. quomodo ergo negasse perhibetur?

Quomodo?

Negatio duplex directa & indirecta.

Promptum est quod respondeatur. Dupliciter namque Dei existentia negatur, directè primùm & assertiuè; & hoc modo non negauit Protoplastus Deum esse, quem creatorem vt vniuersi Dominum cognouit. Secundò indirectè & dubitatiuè, atque ita negauit, arbitratus nempe quædam inesse Deo, quæ Diuinæ Maiestati, & Sapientiæ aduersantur, & quæ legitimâ consequentiæ necessarium esse tollunt: id quod tribus modis accidere potest. aut cogitando Deum esse mendacem, promereque non facturum id quod comminatus fuerat, *In quacunque horâ comederitis morte moriemini.* Aut præterea inuidiæ stimulis impelli, quod vereretur Protoplastum habere in sapientiâ æqualem. Aut deinque imaginando Deum esse finitum, cùm reipsâ, plasma nobile manuum Dei, factori suo æquari præsumeret. Quare Deum esse negauit, tentatoris suggestionem suasum machinam entis nequissimæ, qui stellatoris suis incautum circumueniens, veritatem ipsam mendacij insimulauit dicens, *Nequaquam moriemini*: atque infinitatem ipsam, finitudinis metâ descripsit, nullisque egentem omnipotentiam beneficam, inuidiæ furijs agi, insinuauit, quum dixit, *Scit enim Deus quòd in quacunque horâ comederitis ex eo, aperientur oculi vestri.* ecce inuidiam quam in Deo criminatur serpens inuidus: *Et eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*: ecce terminos quibus circumscribit interminatam Dei scientiam, vt ad illam præsumat ascendere natura finita. Atque his in animum demissis, dixit homo in corde suo, negatione indirectâ, non est Deus.

Gen. 2.

4. Deum negantes in

Triplex itaque insipientium ordo, existentiæ Diuini Numinis veritatem labefactauit: Pro-

quadruplici sunt genere.

toplastus indirectè, dubitando de primâ veritate, infinitaque eius sapientiâ. Iudaicus populus apertè, negando Christum esse Deum & Messiam in lege promissum. Populus quoque gentilis & Philosophi, negantes vnitatem & singularitatem, prouidentiam & iustitiam Dei. Quartum addere possumus, eorum scilicet, qui fide initiati, moribus sunt extranei, qui excusso legis Diuinæ fræno, præcipites in scelera, nullâ legum, nullâ Dei reuerentiâ, ruunt: non enim creditur Deus si non timetur. *Quando autem magis creditur, nisi quum magis timetur?* inquit Tertull. lib. de fugâ. Tales Israëlitas fuisse sentio, de quibus præcipuè Psalmographus toto illo Psalmo 13. vbi ipsius quoque Saulis velocis ad effundendum sanguinem, mentionem facit, vt propterea insipiens Isacidum genus appellet Propheta, quòd Deum non esse fingat in corde suo, ex quâ fictione ad labem & eluuiem humani generis, malorum atque infortuniorum imbres oriantur. Dicit autem non esse Deum, quamuis de Deo aliquid sentiat: quia quantus sit ille Deus, non demittit in cor, neque tantæ celsitudinis rationem habet, quam soluto cupiditatum suarum grege irreuerenter habet, petulanterque offendit: neque Majestatem Diuinam attendit, à quâ pro leuidensæ munere sustinet separari: de quo queritur Dominus, Ierem. cap. 4. *Stultus populus meus, me non cognouit.* Hoc est, non benè sentit de me, nec sibi persuadet, quis, qualis, quantúsve sim; neque pluris me facit, aut magis comminationibus meis terretur, aut prouocatur promissis, quàm si nullam omnino mei notitiam haberet.

Deus creditur quum timetur.

Ierem. 4.

Iste est impiorum adfectus, quo iugiter, quasi voluntarijs offusi tenebris, Deum nec vident, nec sentiunt, eundem iudicantes nec sentire nec videre quæ ipsi faciunt. Quò fit, vt in demortuâ ex peccati iaculis animâ, extincta Diuinitatis semina circumferentes, insipientes, atque imprudentes fiunt, *quia non intelligunt in quo malo sint*, inquit D. August. in Psal. 48. nec bonum iam quod quærant, agnoscunt: *quantò enim magis malis adhærent*, inquit D. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 15. *tantò minus intelligunt bona quæ perdunt. Lux veritatis quum habita negligitur, amissa non requiritur; & quum ab actu repellitur, fugit à sensu: vt cuius quasi species in opere contemnitur, eius per recordationem iam nec terga videantur.* Ista hactenus, de quibus recurret postea mentio §. 5.

Capitis 13. §. 1.

Qui, & cur Athei quidam?

1\. Palpabiliùs, directèque magis Gentiles quidam & Philosophi, proximeque his accedentes Politici, Deum esse negarunt, quàm aut περιτόπλαστοι, aut Iudæi, aut peccatores, quos rete Ecclesiæ cum bonis comprehensos habet. Inprimis autem in eam deuolutus est caliginem Diagoras Milesius cognomento ἄθεος, cuius meminit D. August. lib. contra literas Petiliani capite 21. & complures alij, passim obuij, veluti Theodorus quidam Cyrenaicus, ἄθεος primùm, dein θεὸς dictus, sophista arrogantissimus pariter & impudentissimus: nam quum se in literis reliquos anteire videret, ausus fuit se Deum profiteri, & tyranni instar, cælos, eiectis Dijs, inuadere: quem propterea mortuum scribit Athenæus Dipnosophista lib. 13. cap. 34. & Diagoram relegatum, perijsse naufragio. Euemerus quoque Messenius, de quo Euseb. lib. 2. de præparat. Euangel. Bion Boristhenites, Cambises Persarum Rex, omnem religionem, humandorum corporum ritum, Diuinitatem quoque ipsam contemptui, derisuique habuit. Tantæ etiam impietatis fuit Cleops Ægypti Rex, vt templa omnia occludi iusserit, ne quis libaret, aut sacrificaret, quo in facto ἄθεον se comprobauit: nam qui negat Diuinitatem, aufert ex consequenti omnem sacrificij religionem, teste Iamblicho, qui ait, *Nisi Diuina sint, vbique tollitur sacrificij virtus, quæ in quadam Deorum ad homines communione consistit.* Aufert & iustitiam, & ab humanæ vitæ societate, securitatem. Non hîc prætereunda videtur abominanda hominum quorundam, atque detestanda peruersitas, Nannes Grossus, de quo Ioan. Baptista, Gellus, Dialog. 2. Chimærico del Botaio; & Lucas Orafus, Florentini homines; alioqui ingeniosi & faceti, ἀθεΐαν professi, quum extremis vitæ appropinquarent, vnus eorum Crucifixi imaginem, cui se commendaret, sibi adferri curauit, sed nullius alterius quàm Donatelli manibus elaboratam, & hoc solo contentus, cessit è vitâ: alter verò se potentiori commendatum voluit, siue Deus is fuerit, siue Dæmon, addito hoc epiphonemate horrendo, *Chi piu può, piu tiri. Qui plus potest plus auferat.*

Athei qui?

Quid Cyclopas memorem tantæ impietatis, vt nec legibus, nec ciuili disciplinâ, nec Deorum religione gubernentur? adeò vt in diuerbium abierit κυκλώπειος βίος, *Cyclopica vita*, pro vitâ ferâ, ac omnino barbarâ. Non tacuit illud Homerus Odyss. 9. ex personâ Polyphemi canens.

> Νήπιός εἰς ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,
> ὅς με θεοὺς κέλεαι, ἢ δειδίμεν, ἢ ἀλέασθαι,
> οὐ γὰρ κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν
> οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπειὴ πολὺ φέρτεροί εἰμεν.
> *Stultus es, ô hospes, qui longè aduenisti,*
> *Qui me Deos iubes siue timere atque obseruare:*
> *Non enim Cyclopes Iouem à caprâ nutritum curant,*
> *Neque Deos beatos, quoniã multò præstantiores sumus.*

Adsidet quod de alio quodam Cyclope cecinit Euripides:

> Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω, ξένε,
> οὐδ' οἶδ' ὅτι Ζεύς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός.
> *Atqui, hospes, fulmen Iouis non horreo,*
> *Neque me, Iouem præstantiorem habeo Deum.*

Benè illi quidem si istud de falsis Dijs, cùm & mortales fuerint illi, & mortalium facinorosissimi, quique vt nequam homines pro suis sceleribus puniti sunt, vt habet D. Clemens Recognitionum lib. 10. & non de vero Numine, à cuius cognitione per vitæ insolentiam, toto cælo aberrauerant. Et quid Lucianum Sophistam omnium Numinum irrisorem, atque Christiani nominis hostem acerrimum? Quid Anastasium Imperatorem ἀπόθεον, innumerosque alios referam, qui apertè Dei naturam è suis cordibus expunxerunt? Et cur hoc?

2\. Est quod inquiramus. Abeuntis machinæ forma, ardorque illaqueantis ad interitum substantiæ; ita plerosque dementauit, vt in alteram, quàm quod creati sunt, naturam degenerantes, relictis salutaribus ad noxia consectanda, beluino quasi spiritu raperentur, cucurbitulæ medicæ non absimiles, quam ventosam appellant, de quâ, significatio est apud Claudium Paradinum in symbolis heroicis, *alor noxio:* siquidem prauum dumtaxat sanguinem eliciat, ac depascatur: ita enim animi nequam, nisi quod improbum est quærunt, ac continent, atque instar araneæ,

Atheismi origo.

Athei cur Deum negant.

arante, quod bonum est subiectæ naturæ, suopte arbitrio malum faciunt. Inde est, vt nil præter corpus, & ea quæ corporis sunt, turpi epithymiâ spirantes, per animi insolentiam, temeritatemque, dicant, *quis est Deus?* qui si se rectè nossent, vt inquit Fulgosius lib. 4. cap. 2. animam, atque corpus, vt æquum & bonum est, diligerent, neque quod vni est impartiendum, alteri donarent: sed ignorant se, corporique totum, animo nihil tribuunt, & ad factoris sui facti imaginem, nihil minùs quàm tantæ in se Majestatis defendunt dignitatem; comparatique iumentis insipientibus, nihil spiritale aut æternum elaborant; sed instar beluini spiritus, qui vt est à corpore, ita cum corpore dissoluitur, quia, vt rectè D. Bernard. epist. 104. *Brutus spiritus non viuit, nisi quamdiu viuificat: & vno eodemque momento viuificare pariter desinit, & viuere.* Solis corporalibus & temporalibus contenti, nec spe nec metu futurorum tanguntur. Ignorantes enim se, Dei timorem non habent in se: non humilitatem, non Deum. *Quemadmodum enim,* inquit D. Bernard. serm. 37. in Cant. *ex notitiâ tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitiâ, Dei itidem amor: sic è contrario de ignorantiâ tui, superbia, ac de ignorantiâ Dei venit desperatio.* Itaque vt nihil non libeat, quod animo adlubescit, & ne volutabris cœni carnalis & temporalis demersi, redarguentis conscientiæ aculeos sentiant, omnem prorsus tollunt Diuinitatem, quam si ponerent, animo concuti ac formidare necessarium esse viderunt.

Ex Cicerone.

Istorum meminit Tullius in libris de naturâ Deor. apud quem ratio cur isti Deum esse inficiati sint, hæc est: Si dicimus, inquiunt, Deum esse, intolerabile super nos pondus tollimus; quoniam si Deus est, sapiens, potens, bonus, & iustus est, ergo rationem exiget ab homine omnium peccatorum, & ea vlciscetur: homo verò semper timens & pauidus erit hoc credens: ergo vt liberè viuat, credat Deum non esse. Ecce vt primò, Dei cultum auertunt, qui est Deum credere, detrectantque illi reddere majestatem suam, reddere bonitatem, sine quâ majestas nulla est; & recusant scire, Deum esse, qui præsidet mundo, qui vniuersa vt sua temperat, sicut loquitur Seneca epist 95. qui humani generis tutelam gerit, curiosus singulorum, qui legum Diuinarum transgressores coërcet & plectit.

Atheorum asserta duo.

Duo autem sunt, quæ isti ἀκόθεοι afferunt, quorum vnum verissimum est, alterum verò falsissimum. Veritati planè aduersatur Deum non esse, quem testantur vniuersa, quem manifestè loquitur figmentum cordis humani: verissimum autem est, quòd qui Deum esse credit, pondus super se tollat, oporteatque ipsum iugi pauore iudiciorum diuinorum agitari: sicut de se testatur totius patientiæ atque fortitudinis insigne exemplarium Iob sanctissimus cap. 31. *Semper enim,* inquit, *quasi tumentes super me fluctus Deum timui, & pondus eius ferre non potui:* hoc sensu: quemadmodum, fluctibus, mortem quam deferunt, interminantibus, quæ charissima, pretiosissimaque habent nauigantes, & pro quibus longâ institutâ velificatione laborarunt, studio vitæ, tanquam si sordes essent, in mare exonerant: ita ego timore Dei, & vitæ melioris amore, omnem temporalium curam abieci, & pondus iudiciorum diuinorum animo recogitans, imparem me vidi, qui tantam majestatem, tantamque scrutinij, atque iudicij diuini seueritatem, ferre valeam, aut effugere.

Iob. 31.

Ita etiam D. Hieronymus qui ad singula pauidus, terribilem illam tubam in omni actione suâ, audire sibi videbatur rauco strepitu ista concrepantem, *Surgite mortui venite ad iudicium.* Quare apposité D. Bernardus serm. 36. paruorum: *Cui ergo, nec iustitiam sapit Deus per timorem; nec misericordiam per amorem, is planè dicit in corde suo, non est Deus. Deum enim non putat, quem nec iustum, nec pium putat.* Aut igitur illis negandus fuit Deus, ne in summâ vitæ libertate quam sibi descripserant, metu exanimarentur: aut certè timendus, si confiterentur, sed tùm fræna cupiditatibus & epithymiæ iniicienda. Deum enim qui admittit, & timendum negat, ipsum quod admittit, negat. Hinc illud Tertulliani lib. præscriptionum aduersus hæreticos: *Negant Deum timendum; itaque libera sunt illis omnia & soluta: vbi autem Deus non timetur, nisi vbi non est? vbi Deus non est, nec veritas vlla est: vbi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est. At vbi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ: vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura sollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio moderata, & Ecclesia vnita, & Dei omnia.*

Timor iudicij diuini.

3. Timor Dei

Est namque timor Dei fundamentum & firmamentum spei & fidei, sicut probat Cyprianus lib. 3. ad Quirinum can. 20. veteris instrumenti testimonijs, quibus timere Deum initium sapientiæ esse dicitur; & beatus pronuntiatur, qui veretur omnia per metum: & Deus super trementes sermones suos, respicere memoratur: psal. 110. Eccl. 1. quapropter timere Deum, semen iustitiæ est, prouerb. 15. Sed & ipse metus Deum facere perhibetur, vt quidam ad rem satis, sed impiè dixit, *Primus in orbe Deos fecit timor,* quasi non antè extitisset Deus: nisi timor sit caussa colendi Deum, qui & ipse timor est, vnde dixit Iacob Labano Gen. 31. *Nisi Deus Patris mei Abraham, & Timor Isaac adfuisset mihi:* id est. Deus Isaac. Quid? quod Bion ἄθεος, tandem longâ confectus ægritudine, mortis timore, & sanitatis recuperandæ amore, Deos esse confessus est, quibus tùm opus haberet? vt tradit Laërt. lib. 4. Quò verum fit, quod habet Seneca lib. 8. controuersiar. controu. 1. *Magis Deos miseri, quàm beati colunt.* Isti ergo, ne pauore & metu consternati à placitis visibilium auocarentur, Deum negare maluerunt quàm timere.

Timor nomen est Dei, Gen. 3.

Assyrij verò vt se Dei leuarent onere, quia grauiùs putabant parere Deo immortali, quàm homini mortali, libenter dictis Memrodi Regis eos ad contemptum Dei, & humanarum virium fiduciam traducentis, audientes, turrim editissimam admoliri cœpere, quam aquæ cataclysmi, si quas Deus deinceps immitteret, excedere vel obruere non valerent; atque ita pondus Diuinæ Majestatis & Iustitiæ ferre non volentes, imò ne valentes quidem etsi vellent, Deum abnegarunt: negandi ratio; diuina iudicia, quæ dùm effugere se posse putant, incurrunt, Domino meritas arrogantiæ pœnas irrogante.

Assyrij vt Athei facti sint.

4. Deum negantibus, benè esse.

Omnino autem, & sibi bene esse adfirmant alij, quum Numen negarint: sic de Selio Martialis:

Nullos esse Deos, inane cælum
Affirmat Selius, probatque quod se
Factum, dum negat hoc, videt beatum.

Hac se populus Hebræus impietate muniebat aduersus Ieremiam, idololatriam increpantem cap 44. *Sermonem Dei non audiemus,* aiebant illi,

Ierem. 44

illi, sed sacrificabimus Reginæ cæli, sicut fecimus nos & patres nostri, & benè nobis fuit, quia malum non vidimus, Reginæ cæli, inquiunt, sacrificabimus.

Regina cæli, quæ?

Quæ illa? *Hebraicè* למלכת *limlecheth*, id est, *machinæ*, vel, *exercitui cælesti*. Stellarum nempe ordinibus, quarum influxu benefico, terra suos fructus profert. Nisi per Reginam cæli, insignem quandam stellam intelligi dixeris cum Hebræis, sic vulgò appellatam, quod quasi Regina sit inter alia sidera, & sidus Veneris esse creditur, interdum ferè sub noctis crepusculum dilucidum, & dicitur Hesperus: interdum manè & stella matutina indigitatur: verùm, cur non potiùs Lunam intelligimus quæ Ouidio, *Siderum Regina bicornis?* Adoratam namque Lunam etiam ante legis scriptæ tempora, protrita obseruatio est, quam firmant iusti Iob verba innocentiam suam apud Dominum allegantis cap. 31. *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Vbi non frustrà est osculi mentio, cùm manum osculari, sit idololatriam committere. Mos utique fuit, quorundam idololatrarum, auctore Apuleio lib. 4. substernere pollici indicem dexteræ manus, & eo ritu manum ipsam, falsos Deos reuerenter salutando, exosculari: quem ritum ipse Iob, iniquitatem maximam, & negationem contra altissimum vocat, cùm suo æuo eiusmodi instituto, Sol, & Luna, à quibusdam adorarentur: Ab hac porrò iniquitate se immunem fatetur, à quâ tam aberat, quàm qui maximè. Neque tantùm propriæ manus osculo, sed etiam ipsius figuarij genuum & pedum tactu, osculoque, idololatriam admitti tradit Arnobius lib. 6. contra gentes. Supplicantes enim genua Deorum contingebant; pedes etiam quandoque ipsos, & plantas, & vestigia comprehendebant, & sæpè osculabantur, hinc Prudentius contra Iudæos.

Iob 31.

Osculari manum idololatria est.

Item genua & pedes simulacra tangere.

Augustum caput ante pedes curuare Mineruæ
Fictilis, & soleas Iunonis lambere, plantis
Herculis aduolui, genua incuruare Dianæ:

Contingendorum autem genuum ceremoniâ, vitam humanam siue Deo, siue homini subijci, ex eo intelligi potest quod scribit Plinius lib. 11. cap. 45. ijsdem verbis. Hominis genibus quædam & religio inest, obseruatione gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc, vt aras, adorant; fortassis quia inest ijs vitalitas. Namque in ipsâ vtriusque genu commissurâ, dextrâ læuâque à priore parte gemina quædam buccarum inanitas inest: quâ perfossâ, ceu iugulo, spiritus fugit. Hæc ille: & de manuum osculo. Inest & alijs partibus quædam religio: sicut dextra osculis auersa appetitur; in fide porrigitur Antiquis Græciæ in supplicando, mentum attingere mos erat. Istud etiam aduertendum, *Iunonis soleas lambere*, cui simile quod Apuleius Milesiâ 6. *Tunc Psyche pedes eius aduoluta, & vbere fletu rigans Deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis.* Et Milesiâ 11. *Exin gaudio delibuti populares, thallos, verbenas, corollas ferentes, exosculatis vestigijs Deæ, quæ gradibus hærebant, argento formata, ad suos discedunt lares.* Sic aliquando in supplicatione humanâ, Ammianus Marcellinus lib. 17. *Manus ad dimicandum aptatas, armorum abiecto munimine, pone terga vinxerunt: restareque solam salutem contemplantes, in precibus effusi sunt vestigijs Augusti Clementis.*

Vide cap. 29 n. 4.

Ita ergo Iudæi, meliùs, feliciùsque secum agi arbitrabantur quum Lunam colerent, quàm si Deum. Simile est quod de eodem populo legitur lib. 1. Machab. cap. 1. *In diebus illis exierunt ex filijs Israël filij iniqui, & suaserunt multis dicentes, eamus & disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala.* Ad hanc impietatem accessere Romani, qui, quòd vrbem suam diripi atque vastari viderent, Christicolas validis clamoribus insectantes, Romam perire vociferabantur, ex quo spretis Deorum sacris, vnius Christi sacrum inualuerat: inde natum illud Porphyrij *Nunc verò mirantur, si tam multis annis peste Ciuitas vexatur, cùm & Æsculapius, & alij Dij longè absint ab eâ: posteà enim quàm Iesus colitur, nil vtilitatis à Dijs consequi possumus.* Ita ille. Sed quàm vanè? quàm impiè? & istud est, quod Africano Doctori Magno Augustino, libros de Ciuitate Dei conscribendi argumentum dedit. Nunc autem quàm ingrata Conditori & Liberatori Deo Isacidarum gens, quæ excusso à præcordijs suis Numinis timore, tanquam à ceruicibus iugo graui, *negauerunt Deum*, inquit Propheta Ieremias cap. 5. *& dixerunt, non est ipse, nec veniet super nos malum, gladium & famem non videbimus.* Horrendam blasphemiam! non talis est qualis figuratur Deus. Comminatur? minæ sunt leues, non parturient? timorem incutit? isti sunt crepitacula, sonus euanescit cum aurâ. Intentat malum? *non est ipse, nec veniet super nos malum.* O cæcitatem, & in cæcitate peruicaciam!

1. Machab. 1.

Ethnicorum querimonia contra Christianos.

Ierem. 5.

Capitis 13. §. 2.

Athei humanâ & diuinâ ordinatione puniti.

1.

IN huiusce impietatis reos, ne ipsa latiùs serperet, atque in plurimorum perniciem vulgaretur, humanâ, diuinâque dispositione, sæuitum quandoque est: Philosophi ex Atticâ regione relegati. Optimi etiam in moribus Romani, inquit Athenæus Dipnosophista lib. 13. cap. 34. Sophistas è Româ eiecerunt, veluti qui iuuenes corrumperent. Postea nescio quo pacto in Ciuitatem iterum exceperunt. Anaxippi in Sophistas telum.

Philosophi ciuitatibus pulsi.

Hei mihi philosophari, atqui Philosophi
Sermone solo sunt sapientes, cæteris
In rebus esse noui ego stultissimos.

Protagoras ille Abderites Sophista quum libri sui exordio, Numenne esset, in dubium reuocasset dicens, *De Dijs neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere.* Atheniensium iussu, vrbe atque agro exterminatus est, libri eius palam combusti, interfectori assignata perpetrati facinoris pecunia è publico. Sapientia is dicebatur: sed stultitiam ex eo quis colligat, quòd Deos negauit, inquit Laertius lib. 9. Iidem Athenienses, captâ Melo, vnâ ex Cycladibus Insulâ, eademque propter ἀθεΐαν deletâ, Diagoram lyricum Poetam seruatum, Athenas perduxerunt, ibi, cùm vel patriæ vitio, vel suopte ingenio Atheus esset, Atheniensium sacrorum mysteria vsque adeò contempsit, vt complures à religione auerterit: quam ob rem ab Atheniensibus proscriptus est, eiusque proscriptio areæ columnæ affixa, additumque talentum in præmium si quis hominem interfecisset, meminit Aristophanes in auibus.

Punitio Atheorum ab hominibus.

Ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον
Λαμβάνειν τάλαντον.

Si quis è vobis Diagoram Melium interfecerit
Præmium feret talentum.

Quo supplicij genere, si in horum reliquias, si in titiones inferni fumigantes, Atheos nostros principio animaduersum fuisset, non ita validis alis obstreperent modò, in infinitarum animarum ruinam eas expandentes.

2. Punitio à Deo.

Sed & diuinitùs pœna quoque Atheis decreta. Sennacherib veri Numinis calumniatus potentiam, centum octoginta quinque millibus è suo exercitu, vnâ nocte ab Angelo interfectis, fugâ elapsus, Niniue, in fano Misrochi Dei sui adgeniculatus, à proprijs liberis interfectus est. Philippus Strozza, qui seipso teste, ἄθεος, necnon Petrus Pomponatus, sese proprijs manibus confoderunt: neque enim crudeliori manu, anima quæ tantùm ipsis pro sale in corpore, extingui potuit, quàm illâ quâ ex corde suo Diuinitatis sensum expunxerant. Quum Anastasius Imperator ἄθεος Paulo Diacono lib. 14. referente, immissis diuinitus somnijs ad pœnitentiam inuitaretur, cælestia interim atque terribilia præsagia contemptui haberet; scribit Zonaras, dormienti terribilem adstitisse virum, qui librum in manu tenens, hisce verbis ipsum compellarit: *Ecce Imperator* ob κακοπιστίαν & peruersitatem fidei tuæ, *annos quatuordecim vitæ tuæ deleo.* Contrà actum est cum Sedechia fideli, cuius anni, ob animi in Deum sinceritatem protracti sunt: idem enim iustissimus mundi Gubernator & Iudex, sicut nullum malum impunitum relinquit, & mala culpæ, malis pœnæ compensat & ordinat; ita etiam fidei puritatem, & ea quæ ipsam comitantur opera affluenter remunerat. Sed quid de Luciano Sophistâ, qui Suida teste, quòd quotidie Deum vt vanum irrideret, à canibus, ob impietatem, miserè discerptus & laceratus est? Quid de Pherecide Syro, de quo Ælianus variæ hist. lib. 4. qui omnium hominum miserrimè, toto corpore à pediculis exeso atque consumpto, vitam exegit? cuius quidem quum fœda turpisque facies euasisset, abstinebat à familiarium consortio, eosque fugiebat: quòd si quis accederet & rogaret quomodo haberet, immisso per ianuæ foramen digito qui prorsus emarcuerat, respondebat, ita totum corpus suum habere; dignum Atheo supplicium. Fama est in Delo hanc ei phtiriasim Numinis irâ obtigisse: nam quum multa quondam cum discipulis suis sedens de propriâ sapientiâ iactitaret, tum præcipuè illud, quòd etiamsi nulli Deo rem sacram faceret, se nihilò iucundiùs aut tristiùs vitam agere, quàm qui Hecatombas sacrificarent, Numinis indignatione punitus est. Quid de Caluino Atheorum nostræ ætatis coriphæo, qui ex ignoratione Dei in desperationem adductus, ad dæmonum inuocationem, quam ageret, exspirauit? Nouiomagum Belgij oppidum Rheno adsitum sub rebellium Prouinciarum ditione est, quid de illius quondam gubernatore proferam? is nouissimè anno superiori, millesimo sexcentesimo vicesimo quinto, quum in Deum & Sanctos iniurius, & contemptor Diuinitatis, sacras Sanctorum imagines, in foro palàm concremasset, Diui Martini equestri statuæ, quæ cæteris eminebat, per irrisionem demandans, vt suos curaret, alioquin fore vt ipse incendio periret: eamque flammæ intactam præteriissent, domum reuersus, diuinâ vi mox phrenitide correptus, miserandum in modum interijt. Extra gradum & lineas eo, si singulos, quos vltor, etsi fugientes, adinuenit Deus, in digitos mittere velim: quare pedem in viam retraho, qui in semitam ad colligenda Atheorum impiorum flagra digressus.

Prodigijs Anastasius Imperator ab impietate frustrà reuocatur.

Vita eius abbreuiatur.

Canes Lucianum lacerant.

Phtiriasi perit Pherecides.

Caluinus desperans moritur.

Furore percitus Nouiomagi gubernator.

Capitis 13. §. 3.

Athei sunt qui rebus conditis aut non prospectum à Deo, aut malè prospectum volunt.

1. Illi, quibus veritatis lux non præiuit in suâ palpabundi caligine cælos suspectantes, innumerabiliumque stellarum sine vllâ erratione motum aduertentes, Numen aliquod intellexerunt, cuius consilio & voluntate, ista condita sint & regantur. Verùm desultu quodam mentis, ex sublunarium inconstantiâ atque instabilitate quam cernebant, nullam esse mentem quæ ipsis prospectum vellet, impiè deinceps iudicarunt, omnia incertis fortunæ casibus agi blaterantes.

Fortuitò impelli omnia.

Democritus, inconstantem, corruptibilem, mortalemque rerum naturam indignam ferebat, cui aduerteret aut consuleret Deus, plenissimum autem regimen, caussis secundis datum. Verùm age, ô Democrite, Si res istæ dignæ habitæ sunt quas opifex Dei formaret manus, cur earundem curam projiciet? cur non mereantur ab auctore suo, qui eas vt sunt esse voluit, conseruari? An suâ magnitudine & majestate indigna fecit Deus? sed nec astra ipsa (caussas secundas, illa, appellat Democritus) intellectu & cognitione agunt: quî ergo cætera in suos fines dirigant? quî actiones eorum naturales moderentur? Neque cur frondescat arbor, cur floreat, fructuque grauetur, nouit: ab intelligente & dirigente naturâ id habet. Tu denique, Epicure, Deum inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, & ne cuiquam metuendus esset, proiecisti extra mundum. Hunc igitur ingenti quodam & inexplicabili muro septum, diuisumque à contactu & conspectu mortalium, non habes quare verearis, nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est. In medio interuallo huius & alterius cæli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum supra se, circaque se cadentium, euitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus, istud Seneca lib. 4. de beneficijs cap. 19. ex Epicuri mente, qui Deum quidem esse ait, sed quasi Endymionis somno sopitum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, nihilque curantem, & negligentem nostri, extra mundos, quos ipse infinitos constituebat, sibi agere. De quo Quintilianus lib. 7. cap. 4. Epicurus Deo humanam formam, locumque inter mundos dedit. Quasi qui

Prouidentia Dei negatur, vt non timeatur.

Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur irâ.

Ipsis Heroibus conditione inferior, quos cælo receptos, & nostra despicere, & vota supplicum exaudire, Poëtæ canunt: veluti Ouid. lib. 4. de Ponto epist. 9.

Beati audiunt preces.

Tu certè scis hæc, superis adscite, videsque
Cæsar, vt est oculis subdita terra tuis.
Tu nostras audis, inter conuexa locatus
Sidera, sollicito quas damus ore preces.

Ita ergo, dixit *impius in corde suo, non requiret*, inquit Psalmographus ps. 9. scelera nempe mea non discutiet Deus, vt vindicet, quem nec verum, nec iustum, nec prouidum esse arbitror: quomodo alius cecinit,

Ps. 9.

Omnis enim per se Diuûm natura necesse est
Immortali æuo summâ cum pace, fruatur,

Semota à nostris rebus, seiunctaque longè:
Nam priuata dolore omni, priuata periclis
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec benè pro meritis capitur nec tangitur irâ.

Thren. 3.

Alius quoque apud Ieremiam Threnor. cap. 3. *Ex ore altissimi non egredientur nec mala, nec bona.* O insanabile delirantis impietatis cacoëthes! Talthybius Græcorum præco apud Euripidem in Hecubâ, de Dei prouidentiâ ambigit.

ὦ ζεῦ, τί λέξω; πότερα σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν,
Ἢ δόξαν ἄλλως τὴν δὲ κεκτῆσθαι μάτην
Ψευδῆ, δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος;
Τύχην δὲ πάντα τἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν;
O Iupiter, quid dicam? vtrum te homines respicere,
Aut opinionem aliàs hanc habere frustra
Falsò, qui existimant Deorum esse genus?
Fortunam verò omnia quæ apud mortales sunt administrare?

Deus sine prouidentia nullus est.

Neque autem illi minùs Deum negant, qui eum humana curare nolunt, quàm qui apertè: quare non dissimulanter Tullius lib. 1. de Naturâ Deorum: *Si talis est Deus, vt nullâ gratiâ, nullâ hominum charitate moueatur, valeat.* Vlysses itidem, apud Euripidem in Cyclope, vt mortem, quam se illi pro hospitalitatis munere illaturum minabatur Polyphemus, auerteret à se, ad Iouem conuersus ait:

Ζεῦ ξένι' ὅρα τάδε. εἰ γὰρ αὐτὰ μὴ βλέπεις
Ἄλλως νομίζῃ Ζεύς, τὸ μηδὲν ὢν θεός.
Iupiter, hospitalia hæc vide. Si enim hæc non videris,
Frustrà crederis Iupiter, nihili existens Deus.

Putauerunt hi non esse Deum nisi rebus humanis prospiciat. Quò fit vt nihil absurdius ab Epicuro, Epicureique gregis hominibus dici possit: nihil quod magis iram diuinam prouocet, quàm si neges ei prouidentiam. Nam si talis est Deus, qualem ipsum Epicurus fingit, non vtique Deus est, sed inane monstrum, inquit Polydorus Virgilius lib. 1. de inuentione rerum cap. 1. quale ipsum etiam esse voluit Plinius Secundus, lib. 2. cap. 7. qui agnitæ diuinitati derogauit, eidem humanarum rerum prouidentiam abrogans: quale etiam Creon apud Euripidem, qui, quòd Deus à quoquam lædi non possit, nullius rei curiosum putauit.

Θεοὺς μιαίνειν οὔτις ἀνθρώπων σθένει.
Violare Diuos, nemo quit mortalium.

2. Fortunæ adscribunt omnia quidam.

Alij alijs conturbati argumentis; tum hoc præcipuè, quòd rebus humanis multa interueniant, secus ac diuinæ bonitati & sapientiæ cõuenire, existimari possit, humanarum rerum procurationem, diuino Numini denegarunt, de quibus Iuuenalis.

Sunt in fortunæ qui casibus omnia ponant,
Et mundum credant nullo rectore moueri,
Naturâ voluente vices, & lucis, & anni.

Etenim ita statuebant: si curiosus esset rerum nostrarum Deus, bonis viris bene esset, malis, malè; sed contra est, florent facinorosi, improbi, sacrilegi, calumniatores, hominum furacissimi, & qui ad omnem nequitiam prompti: premitur innocens paupertate, calamitate, inimicitijs, inuidiâ, odio, impugnatione, iniurijs: Id quod improbis æquè ac probis admirationem mouet. Diogenes Cynicus Harpalum tradit, qui felix eâ ætate prædo habebatur, contra Deos testimonium dicere solitum, quòd in illâ fortunâ tamdiu viueret. Chremylas autem apud Aristophanem, quum pius ac iustus esset, graui interim paupertate affligeretur, atque fortunam experiretur nouercam, quam impij, & virtutum Deorumque contemptores, matrem benignam haberent: ad Apollinem vt caussam nouercantis fortunæ suscitaretur, perrexit Iason apud Senecam Tragœdum, quum Medeam discerptis filijs, pharmaceutriæ artibus, liquidum per aëra euolantem videret: Deum tanta facinora negligere, questus est, dicens,

Testare nullos esse, quà veheris Deos.

Meliùs Heraclitum Tarentinum dixisse ferunt, quum in casâ quadam furnariâ diuertisset, *Introite, sunt hic etiam Dij.* Hoc enim sentiebat, nihil in naturâ rerum tam minutum, tamque vile aut abiectum, quod non præsentiâ Numinis impleretur. Nulla non interea occasio ad suscipiendam impietatem idonea videtur. Mors præmatura amicum sustulit, cui diutiùs conuiuere dulce admodum futurum erat; iniustitia inuenitur, & negatur Deus: sic Ouid. de Tibulli morte.

Deum esse negat quis.

Cùm rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso:
Sollicitor nullos esse putare Deos.
Viue pius, moriere pius: cole sacra, colentem
Mors grauis, & templis, in caua busta trahet.

Reliquerat amicam amator, indignatur illa tristis & gemens, Propertius.

Et queritur nullos esse, relicta, Deos.

Cupidum & libidinosum adolescentem fefellerat lasciua mulier, & ille impatiens doli, ita fatur apud Ouidium,

Esse Deos credamne? fidem iurata fefellit,
Et manet, in solito, qui fuit, ore decor.

Scilicet, nisi in scelestos, mox vt patratum est scelus, fulminet Deus, è mente suâ & orbe illum proijcit impius. Proijciétne etiam, quum lethali morsu vipera incolumis, virus infudit corporibus? aut quum succo medicato sublatus est quispiam, nisi herbarum nocentium fibræ illicò tabuerint? Dei prouidentiæ munus est, inhonesta æquè ac honesta; stuprum, æquè ac castimoniæ exempla, permitteret & malis in bonum vti. Eapropter si viros probos iniquioribus fortunæ telis impeti videris, nihil vacilles, hos in amicis Deus habet, discipuli eius sunt, æmulatoresque & vera progenies, quos parens ille magnificus, inquit Seneca lib. de prouidentiâ cap. 1. virtutum non lenis exactor, sicut seueri patres, duriùs educat. Sic vulnera viti offeruntur vt prosint, non vt noceant. Isa. 3. *Decaluabit Dominus verticem Filiarum Sion:* vbi capillaturæ aureæ filiarum Sion luxuries, ibi à falce putatoriâ Dei, pro capillitio, caluaria pro sarmentis igni addicendis, pampini fructu gloriæ graues. Drogo Hostiensis lib. de Sacramento Passionis. *Decaluabit verticem filiarum Sion, inquit, & faciet ibi Caluariæ locum, vt ibi figatur gloriosa Christi Crux, vbi sedem sibi superbia locauerat.* Vbi namque Iudæorum superbia trophæum sibi erexisse putauit, ibi arbor humilitatis, vitæ fructus facit. *Itaque, inquit Seneca, cùm videris bonos viros acceptosque Dijs, laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere: cogita filiorum nos modestiâ delectari, vernularum licentiâ: illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat, Bonum virum in delicijs non habet: experitur, indurat, sibi illum præparat.* Sibi & oculis suis, dignum namque spectaculum ad quod respiciat intentus

Prouidentia Dei mala permittit.

Deus quos amat, duriùs habet.

Isa. 3.

Probi cur affligantur.

tus operi suo Deus, vir fortis cum malâ fortunâ compositus. Quare viri boni quædam dura patiantur? inquit Seneca, eiusdem lib. cap. 6. *vt etiam alios pati doceant: nati sunt in exemplar. Puta itaque Deum dicere: Quid habetis, quòd de me queri poßitis vos, quibus recta placuerunt? Alijs bona falsa circumdedi, & animos inanes, velut longo fallacique somnio lusi, auro illos, argento & ebore ornaui: intus boni nihil est. Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non quà occurrant, sed quà latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent & imponunt: cùm aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc apparet quantum altæ ac veræ fœditatis, alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: quantò magis versaueritis, & vndique inspexeritis, meliora, maioraque. Permisi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire. Non fulgetis extrinsecus: bona vestra introrsus obuersa sunt.* Et mox: *At multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu.* Quia non expediebat vos istis subducere, *animos vestros aduersus omnia armaui. Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper viuit, quàm natus est.* Democritus diuitias proiecit, fratribus reliquit, onus illas bonæ mentis existimans: *Prorsus enim ad viuendum, vt ad natandum, ille melior*, inquit Apuleius, *qui onere liberior.* Contemnite dolorem: aut soluetur, aut soluet. Contemnite fortunam: nullum illi telum quo feriat animum; contemnite mortem, quæ vos aut finit, aut transfert: Hominem impuratum, & rapacem non vlciscitur Deus? patientia est, non impotentia, quod dissimulat, quod toleret, quod non mox vt peccatum est sumat pœnas; id quod te in resipiscentiam, non in contemptum trahere debet.

Fortuna in animum nihil potest.

Capitis 13. §. 4.

Qui Deum auctorem mali facit, negat.

1. Athei sunt vt liberius peccent.

IN similem impietatis abyssum prolapsi sunt Athei nostri impiati, vt Diuinitatem contemnerent, quâ contemptâ, à castris Christi profugi, liberiùs licentiùsve, perditæ voluntatis suæ designationes, & machinamenta exequerentur: inductis præsertim in suam peruicaciam, ijs, qui suâ quâ pollebant auctoritate, peruersitatis efficientiæ deseruirent: atque ita in omnem nequitiam, proscriptis à corde suo Dei iudicijs, soluerentur. In hac naui stigmaticus ille Caluinus insignem nauauit operam quum dixit, Deum æqualiter boni ac mali auctorem esse, virtutis & vitij: ipsùmque hominem Deo volente & iubente peccare. Quòd si ita est, vti blateras, Caluine, si Deus opera mala impiorum operatur, nec ipsi ea deuitare possint, vide in quem rhombum impingas: aut enim omnia opera nostra erunt bona; aut Deus erit caussa malorum præcipua, illique soli ea imputabuntur: aut dandum erit aliquod principium malum, à quo omnia mala proficiscantur.

Deum non esse mali auctorem.

Inprimis autem, quidquid operatur Deus, bonum est. Absurdissimè ergo dixeris malum opus peccatoris, esse bonum; nam si malum est, bonum non est: nec malum est, si Dei opus est, quia à summo bono, nonnisi bonum est: quapropter omnia bona vt sint oportet, si à Deo sunt; aut mala si quæ sunt, Deo auctore non sunt, quia eius quod non est, Deus creator dici nequit: *Omne autem vitium priuatione boni censetur*, inquit D. Gregor. Nyssen. Catechef. maior. cap. 7. *non quòd per se sit, aut in hypostasi consideretur: nullum enim malum exceptâ voluntate, per se constat: sed quia bonum non est ita denominatur. Quod autem non est, minimè subsistit; nec eius quod minimè subsistit creator dici potest. Quare Deus auctor malorum non est, quippe qui fecerit ea quæ sunt, non autem ea quæ non sunt, qui visum & non cæcitatem creauerit, qui virtutem, non eius priuationem fecerit.* Mala igitur non sunt opera impiorum, si illa operatur Deus, quæ nec ipsi vitare possunt.

Præterea, nunquid potest Deus, à lege & regulâ bonorum, quæ Deus ipse est, deficere? potestne suæ ipsius voluntati aduersari? Si Pictoris vel Antiquarij manus, esset regula benè pingendi vel scribendi, bonum esset, quidquid ab ijs aut pingeretur aut scriberetur: cùm ergò Deus, totius bonitatis, tanquam graphices elaboratissimæ, lex & regula sit: rationi refragatur ea censeri mala, quæ præcipuè operatur, nemine sibi cooperante, qui ea subterfugere aut impedire valeat: nam quæ sic operatur Deus, conformia sunt regulæ suæ; mala igitur nostra, Deo vt agenti præcipuo imputari non possunt: in quam rem scitè Homerus Odyssea. 14.

> οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,
> ἀλλὰ δίκην τίουσι, ϗ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.
> *Non quidem impia opera Dij beati amant,*
> *Sed ius colunt, & pia opera hominum.*

Denique verò si quæ præcipit aut consulit Deus, longissimè à peccato absunt, quomodo possunt inter peccata reponi, (sicut argumentatur Andreas Vega lib. 2. de naturæ & legis imbecillitate capite 15.) illa, ad quæ Deus non tantùm hortatur & instigat, sed etiam adigit & impellit? Diuus Iacobus Epistolæ suæ cap. 1. ipsâ Dei bonitate admonitus dicit; *Nemo quùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Et tu Caluine dicis impudenter, Deum esse auctorem mali & vitij, neque solùm tentare, sed etiam velle & iubere malum; & voluntati, vt illud faciat, necessitatem inferre?

Iacob. 1.

Manichæi vt eam contradictionem à suis ceruicibus remouerent, malum aliquod principium esse, commenti sunt, à quo vniuersa mala essent; & aliud bonum, à quo bona. Neque enim mala, à bono & totius bonitatis normâ esse, imaginari vnquam potuerunt. Eâ de caussâ D. Augustinus, sicut ipsemet testatur lib. 1. de libero arbitrio, cap. 2. illorum se tradidit errori. Erat quippe magna illius in Deum religio & pietas, quare tantam impietatem, vt malorum auctor esset, illi tribuere non est ausus, vnum quoddam peruersum principium admittere, sanius dijudicans, quàm in totius boni inexhaustum pelagus, mala refundere. Et quidem illi adhæsit errori, donec illucente & irradiante diuinitùs sapientiâ, didicit vniuersa nostra peccata, in nostras ipsorum voluntates esse referenda.

2. Aliquod principium malum dixerunt Manichæi.

D. August. cur Manichæis adhæsit.

Impiè itaque Caluinus qui inflatis buccis orthodoxos arguens, istud sacræ paginæ Exod. 4. & aliàs sæpè: *Ego indurabo cor eius*, scilicet Pharaonis, in hunc sensum interpretantes, permittam indurari retrahendo gratiam, non immittendo malitiam, inquit, omninò liberè fatendum est Deum, vt boni, sic etiã mali auctorem,

Caluini impietas.

Exod. 4.

& quosdam creasse vt damnentur. In quibus verbis, prӕterquam quòd insignem Creatori irroget iniuriam, qui quantum in se est, vult omnes homines saluos fieri. *Diligis omnia quæ sunt*, inquit Sapien. capite 11. *& nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Amans enim fecit quæ fecit, & quæ antequam faceret amauit, non ergo peccatum facit, quia illud odit, prohibet, & punit. Deus ergo bona facit & ordinat, vt ait D. Gregor. lib. 18. Moral. mala non facit, sed ab iniquis facta, ne inordinatè veniant, ipse disponit: qui gratiam non priùs retrahit ab homine, quàm ille reiecerit; qui media vnicuique ad salutem sufficientia contulit, sacri cruoris sui merito vitam nostram operans: vt si illa nobis, vitio nostro, non profuerint, experiamur vel inuiti, quod ait per Ozeam cap. 13. *Perditio tua ex te Israël*, quoniam damnatio ex nobis est, sed ex Deo tantùm auxilium nostrum: prӕter insignem, inquam, Creatori impactam iniuriam, ἄθεος factus est. D. Basilio iudice, qui ante annos mille trecentos, similiter sentientes, Atheos pronuntiauit, Homil. Quod Deus non sit auctor malorum: audi sententiam. *Stultus*, inquit, *& verè à sensu alienus est, qui dixerit, non est Deus: similis item huic est, nec quidquam in stultitia differt, qui Deum malorum caussam esse dicit. Parque priori scelus existimauerim, quoniam ambo, bonum Deum similiter negant. Alter quidem non esse omnino dicit, alter verò non bonum esse affirmat. Si enim est malorum caussa, non bonus est. Si non bonus, neque Deus: ita vtrobique est negatio Dei.* Quare nihil tam fatuum, nihil tam furiosum quàm Deum malorum auctorem esse, debacchari. *Multi dicunt*, inquit Dauid psal. 4. *Quis ostendit nobis bona?* Respondet autem illorum stultitiæ, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Insinuans animæ nostræ propriam inesse naturam rationalem, à cuius lumine doceamur, Deum esse, cumque omnipotentem, malorum auersorem, & bonorum largitorem: adeò vt degener sit omninò qui aliter senserit, & ex eorum numero, qui cùm stulti sint, insigniter, latèque ex flumine Cesco vrbis Siciliæ, quod in verbo Cesco apud Suidam ἀνὸς dicitur, ebiberint, alios tamen stultos putant, inquit Petrus Gregorius, syntagmatis iuris, lib. 10. cap. 5. num. 11. seque solos sapientes, contra c. *ne innitaris, de constitut.* minimam nec scintillam mentis habentes, nec se, nec alios cognoscentes. Et cùm nihil norint, omnia tamen superbè iudicant. Et dum vitant ita stulti vitia, in contraria currunt: insanabiles certè, cùm non sentiant morbum, nec erubescant; sed furore prӕterea correpti, illo qui Ciceroni 3. Tusculanar. *Est mentis ad omnia cæcitas*, Ethnicorum instar, qui Deos suos criminosos fecere, vt pudor hominibus peccandi demeretur (inquit Seneca lib. de beatâ vitâ, cap. 26.) si tales Deos credidissent: criminum suorum auctorem Deum esse volunt, quò humanos errores alant. Quid enim aliud est vitia incendere, vt ait Seneca de breuitate vitæ, cap. 16. quàm auctores illos inscribere Deos, & dare morbo, exemplo Diuinitatis, excusatam licentiam? Qui tamen ipsis etiam Philosophorum sententijs conuincuntur, quibus si auscultarent, saniùs de diuinâ bonitate sentirent. Etenim protrita obseruatio est Socratem dicere solitum, Deos omnium optimos & felicissimos esse, ad quorum similitudinem, quò quisque propiùs accederet, hoc & meliorem & beatiorem fore. Platonem quoque lib. de legibus: Bonum quidem Deum, & quidem Deum caussam bonorum, malorum autem omnium non caussam. Euripidem verò, apud Iustin. Martyr. lib. de Monarchia. *Si malum Dei faciunt, non sunt Dei.* Tritum etiam illud Senecæ epist. 95. *Errat si quis putat Deos nocere velle, non possunt: nec accipere iniuriam queunt, nec facere: lædere enim, lædique coniunctum est.* Item. *Hi nec dant malũ, nec habent.* Et alibi. *Dij immortales, nec volunt obesse nec possunt, natura enim illis mitis & placida est, tam longè remota ab alienâ iniuriâ, quàm à suâ.* Adde ex Iamblicho lib. de mysterijs: *Voluntas boni in Deo, Dijsque qui sunt bonitates, excellentior est, ideoque liberior quàm vita nostra electiua circa bonum.* Et. *Dij propter liberam voluntatem boni, actionemque perennem atque perfectam, omnibus benè faciunt, quum primùm ad illos sunt inuocando conuersi.* Ita hi, & sexcenti alij de Deo, quem pluralitatis nomine, vulgum sequuti, compellarunt.

Sap. 11.

Amauit Deus creata antequam essent.

Mala benè disponit.

Oseæ 13

Stultus quis?

Ps. 4.

Cescus fluuius ἀνὸς.

Furor quid sit.

Hæretici furiosi sunt.

3.

Deus optimus & felicissimus.

Mala non potest facere.

Benefacit omnibus.

4.

Non itaque à Deo, qui fons bonitatis, sed à nobis ipsis est, quòd deficimus, quòd erramus, quòd perimus: hoc enim nostri arbitrij est. *Fieri namque non potest*, inquit D. August. ad art. 14. ex sibi falsò impositis, *vt per quem à peccatis surgitur, per eum in peccata decidatur. Si à Deo receditur, & ad peccatum transitur, nihil ibi Deus malæ tentationem immittit. A Deo est, quòd statur; & non est ab illo quòd ruitur.* Stat autem semper ad ostium Deus, vocat vt venias, pulsat vt aperias, allicit vt introeas, instigat vt bonum facias, hortatur vt perseueres, iuuat vt vincas, vincit tecum, vt te solum coronet: & ore sacrilego, Deum auctorem mali effutire non horres, scelus! graphicè te graphijs suis confodit D. August. serm. 88. de tempore: *Quid est*, inquit, *quod dixit Deus, ego indurabo cor Pharaonis? nisi cùm absuerit ei gratia mea, ob duret illum iniquitas sua.* Viden vt peccator, non Deo agente, sed iustè permittente, peccati falláciâ induratur? audi eundem lib. 83. quæst. q. 3. *Deo auctore aut volente, nemo fit deterior*, inquit: & lib. 2. de peccator. merit. cap. 5. *Ad peccandum non adiuuamur à Deo, sed vt iusta omni ex parte agamus.* Taceo in eam sententiam D. Ioan. Damascen. lib. 4. de fid. orthod. cap. 20. longamque procerum orthodoxorum seriem. Receptissima namque est D. Fulgentij lib. 1. ad Monimum sententia, quæ sic habet, *Deus non est auctor eius, cuius est vltor*: quam disticho expressit Vecinus.

Malum ex nobis est.

Deus indurat, quomodo?

Deo auctore nemo fit deterior.

Deus non est auctor eius cuius est vltor.

Non Deus est auctor culpæ, sed criminis vltor:
Promeritis iustus præmia iusta dabit.

Flagitiorum verò est vindex grauissimus: ecquis autem nisi prorsus immanis & barbarus, ea puniat & plectat in altero, quorum ipsemet auctor sit? ad quæ hortamentis suis adegerit? impulerit? ad quæ opem & auxilium præbuerit? Huc reuoco quod D. Gregor. Moral. lib. 29. cap. 21. *Dominus auctor est naturæ non culpæ:* quò spectat illud Minutij Felicis in Octauio, *in nobis non genitura plectitur, sed ingenij natura punitur.*

5.

Sanè autem, si illius impietatis assertores, effrænem peccandi licentiam vel modico rationis vsu infrænassent, non ita impiè de summo bono, opinari eos contigisset: sed quid? vanitatis atque superbiæ impulsi flatibus, Deo & Ecclesiæ eius sanctæ iniurij, potiùs duxerunt, insolentis laxare fræna licentiæ, ac pro suis viribus religionem euertere quippe cui semper temeritati & improbitati aduersaria. Quamobrè veluti pueris speciem Solis in limpida aspicientibus atque demirantibus, si quis aquam concitauerit, aut cœno infecerit, solem puerorum aspectibus eripiet: ita illi flagitiosâ vitâ turbatio-nũ impetu, ad facto dictúve turpia declinantes,

Religio improbitati & temeritati aduersaria.

Peccatum tollit sensum Dei.

Diui-

Diuinitatis characteres in suâ mente expressos, obscurarunt, & nolentes diuinam sollicitudinem, & in sollicitudine puritatem, & in puritate summam bonitatē, ex boni naturâ cognoscere, *declinauerunt, inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Et cum insipiente & insano dixerunt *Non est Deus*: ita abyssus prauæ mentis, abyssum inuocat iniquitatis: & animæ quæ ob peruersam educationem à superno munere decidunt, vti ait Proclus lib. de animâ & dæmone, alioquin amatoriam nactæ naturam, simulacris pulchritudinis incidentes, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur, & amant, passionem propriam ignorantes, atque ita, munus amoris in peruersum incidens susceptaculum, vitam efficit intemperatam, & tyrannicam, qualem eos agere contingit, qui æternitatis memoriam in seipsis obliterarunt.

Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Capitis 13. §. 5.

Etiam Christiani in hac Atheorum impietate, quomodo?

1\. NVnc ad eos, quos Diui Petri nauis & fides tenet, censenturque Christiani, quibus si dixero, atque adductis rationibus persuadere moliar, Non esse Deum; non tantùm dicentis fidem eleuabunt, sed & horrebunt blasphemiam, non adhærebunt suadenti, quia Deum esse adeò manifestum est, vt cum Diuo August. tract. 19. in Ioan. *difficilius facilius dubitarem me viuere, quàm viuere illam infinitam bonitatem quæ cuncta gubernat.* Horrebunt ad vocem impiam, quam insanus ipse verbo proferre exhorruit, sed *dixit in corde suo, non est Deus.* Intolerabilem quippe blasphemiam, visceribus suis recondendam, non proferendam censuit. Audeo tamen ego, audeo voce hac graui, cordium aures percutere, *non est Deus,* nec blasphemus sum; *non est Deus,* nec insipiens sum. Nunquid ita est Creator mi? nunquid ita agunt illi, qui fideles tui dicuntur, ac si non esses, qui es Deus?

Deum esse manifestius est, quàm nos viuere.

Christiani quomodo sint sine Deo.

> *Quique aliàs fœdare fauos, non fingere docti*
> *Pimpleas, viuunt, fuci vt inter apes?*

Si quis, patrato homicidio, securus forum inambulet, nullius se subducat aspectui, quis non diceret nullum esse legum timorem, nullam Principis reuerentiam, obdormiscere leges, quæ facinorosis suas decernunt pœnas? ita fidelis, qui non sic agit, non sic loquitur, quasi inspectorem & auditorem habeat omnium Iudicem Deum, qui desiderijs & cupiditatibus suis obtemperat, qui in alienas fortunas inuolat, qui dente inuido proximi famam mandit, qui pro suâ libidine omnia gerit, nec vindicis Dei timore abstrahitur à noxâ, nec ad bonum ducitur amore: dicit. *non est Deus. At is quidem penitus insipiens est,* inquit D. Bernard. paruorum serm. 36. *cui nec timorem Dei sapit, nec amorem.* O animæ miseræ! ô miseriam animarum! quibus meliùs esset non esse, quàm sic esse. Efficax & pium Epicteti dogma, *Dei statuâ, aut simulacro præsente, non ausis tale aliquid facere, qualia facis: ipso autem Deo intrinsecus præsente, & omnia inspiciente & audiente, non verecundaris hæc cogitare, hæc agere, ô ignare naturæ tuæ, & Dijs infeste?*

Malè agens Deo infestus est.

2\. Differt Deus indignationis suæ telo insipientem confodere, patienter differt, & expectat si quando vias suas pessimas corrigat: tantùm abest, securus sibi videtur, & è scalis deiectus, in cœno gaudens volutatur. *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala,* inquit Ecclesiastes cap. 8. id quod expendens Catena Græc. ait, *Quoniam Dei prouidentia propter immensam in tolerandis malis clementiam, non statim in improbos grassetur; nec pœnas illicò scelerum expetat, idcirco vir nequam, quasi sit impunè laturus, peccandi sibi licentiam diutiùs persuadet.* Et quia vulneratus non respirat ad sanitatem, fomenta vulnerum suorum quærit, à quibus delectabiliter perfricatus, solatium experitur: fit tamen vulnus in vulnere, & illa vulnerum societate, crudescunt vulnera vsque ad regionem mortis. Quid mirum? Psal. 9. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius omni tempore, auferentur iudicia tua à facie eius.* Quia enim Dei conspectum se subterfugisse putat & cum senibus illis inueteratis dierum malorum Dan. 13. declinauit oculos vt non videat cælum, id est, Deum; aut cum Caino, impietatis auertentis se à Deo parente, egressus est à facie Domini, scelus pro decoro habet, nec vltrice veretur manus. Id quod fit Satanæ versutia, qui quemadmodum altores bombycum, tympana & cymbala, dum cælum tonat, pulsant, ne asperiori sono tonitrui terrefacti emoriantur, ita humanarum, brutarum, inquam, voluptatum, atque delectationum musicâ blandiente, auertit sonum strepentis tonitrui iudiciorum diuinorum, ne peccator terrore illius pauefactus, moriatur vitijs, vti deinceps virtuti viuat. Pulsantur etiam tympana illecebrarum, strepunt voluptates, ne peccator idoli Moloch sacris intentus, grauissimos damnatorum cruciatus, horrendissimosque eiulatus persentiscat, & moueatur.

Patientia Dei abutuntur peccatores.

Eccles. 8.

Pruritus in vulnere vulnus.

Ps. 9.

Dan. 13.

Cain impietatis parens.

Bombyces, tonitru ne moriantur.

3\. Quantæ mortalium tenebræ? & quanti heu! in istis tenebris casus? benè Saluianus lib. 4. *Non sufficiunt enim multis consuetudinarij reatus, non sufficiunt lites, non rapinæ, non calumniæ, non sufficiunt vinolentiæ, non sufficiunt commessationes, non sufficiunt falsitates, non sufficiunt periuria, non sufficiunt adulteria, non sufficiunt homicidia, non sufficiunt denique cuncta ista, etsi atrocitate inhumanissima, re tamen ipsâ ad humanas iniurias pertinentia, nisi blasphemiæ furiosarum mentium, manus iniiciant etiam in Deum. Posuerunt enim, sicut de impijs scriptum est, in cælum os suum, & lingua eorum transiuit super terram* (psalm. 72.) *& dixerunt, Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Et illud, non videbit, nec intelliget Deus Iacob.* Quanta miseria nescientis Deum? Quòd si Mitylenenses, cùm maris imperium tenerent, socijs qui defecerunt, hanc pœnam imposuere, vt liberos suos non docerent literas, nec artes liberales, omnium suppliciorum hoc grauissimum iudicantes in inscitiâ & ignorantia liberalium artium vitam transigere, vt habet Ælian. lib. 2. variar. hist. quantò acerbior vindicta est homini rem Christianam profitenti, prudentiæ Numinis ignoratio, atque in ea caligine ac tenebrâ commorari? Rectè Cyrill. Alexan. lib. 1. in Isa. orat. 5. in cap. 9. *Si commoratus fueris in mundo, tanquam qui noctu ambulant, & in omnem foueam ruunt; & ad quemuis lapidem impingunt, habitas in regione mortis, quia adinstar mortuorum non vides lucem illam spiritualem; sed vndique circumfusam habes caliginem; quia Deum nescire, qui naturâ est & verè Deus, imitatio quodammodo est, & vmbra mortis.* Vt enim corporum formas vmbra imitatur; sic mortis vinculis in animi caligine adstrictus tenetur insipiens, & Diuinitatis lucem è medio tollit, impingens ad omnem creaturarum lapidem, & quid nisi casus & ruina sperabitur? Serpentem ferunt non fieri draconem nisi serpentes ederit: symbolū habet Claudius Paradinus in Heroicis, draconis serpentem deuo-

Tenebræ vitæ.

Ps. 72.

Ignorantia suppliciorum grauissimū.

Serpens fit draco esu serpentum.

Diuites sunt dracones.

deuorantis, cum hac epigraphe, *Vnius compendium, alterius dispendium*, id quod diuitibus applicat, qui damno alterius, & veluti ex alieno ære conflatâ potentiâ, opulentiores euadunt. *Quotus quisque enim iuxta diuitem pauper*, inquit D. Saluian. lib. 4. *aut intactus, aut tutus est? Siquidem persuasionibus præpotentum, aut sua homines imbecilli, aut etiam seipsos cum suis pariter amittunt, vt non immeritò de vtrisque personis sacer sermo testetur, sic dicens: Venatio leonis onager in eremo, sic pascua sunt diuitum pauperes.* Eccl. 13. *Quamuis tyrannidem hanc non pauperes tantum, sed penè vniuersitas patiatur generis humani. Quid est omnium aliud dignitas sublimium, quàm præscriptio ciuitatum; aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quàm præda? Nulla siquidem maior paupérculorum est depopulatio, quàm potestas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, nisi vt cunctorum vastatione satietur. Quo quid esse indignius, aut iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum pretia quas non emunt, commercia nesciunt, & solutionem sciunt. Vt pauci illustrentur, mundus euertitur, vnius honor, orbis excidium est.* Hæc Saluianus. Quapropter peccatoribus & iniustis rectè istud de dracone tribuero, qui peccatum velut serpentem edunt, à quo fugiendum monent sacræ literæ, sicut à facie colubri: & fiunt dracones aduersus Deum, sed in proximo ruina est; cecidit draco, nec inuentus est amplius locus eius in cælo. *Intelligite hac qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Ps. 49. Attende & vide, fidelis, peccator, quem longa peccandi consuetudo amentem fecit, cuive perspicaces oculos intelligentiæ eruit, dispice tandem, quem serpentem serpens mordeas, à qua aspide aspis sumas venenum: ingredere animum tuum, atque illius perpende studia, quæ si auaritiæ, luxuriæ, ingluuiei, gastrimargiæ, superbiæ, vindictæ, inuidiæ, atque similibus furijs applicata perspexeris: intellige quia periculosâ obliuione lethæâ, exulat non solùm à memoriâ; sed prorsus ab animâ tuâ, per peccatum, Deus; eoque te insipientiæ esse adductum, vt dicas, non est Deus, nihilo stolidior idololatris, de quibus Sibylla,

Eccl. 13.

Dignitas sublimium prædatio pauperum.

Peccator est draco.

Ps. 49.

Peccator idololatra est.

> ἡμεῖς δ' ἀθανάτοιο τρίβους, πεπλανήμενοι ἦμεν
> ἔργα δὲ χειροποίητα γεραίρομεν ἄφρονι μύθῳ
> εἴδωλα.
> *Ast immortalique viâ deflexímus ipsi,*
> *Quæque manu fecit, stulto veneramur honore*
> *Idola.*

Id enim cuique suus Deus est, quod dedicato adfectu sibi efformarit, præque omnibus rebus charius habuerit: ita Iacob. Billius in Anthologiâ sacrâ.

> *Lurconi venter Deus est, & nummus auaro.*
> *Et cui sunt veneris gaudia prima, Venus.*
> *Huic honor, & vero Deus est pro Numine, fama,*
> *Quem famæ exstimulat non satianda fames.*
> *Cui nimio Christus studij vilescit amore,*
> *An non is studium Numinis instar habet?*
> *Denique quod Christo quisquam plus quærit, amatque,*
> *Nonne sibi summum Numen id esse putat?*

Vt namque D. Augustinus ait in Psal. 13. *Ipsæ sunt affectiones quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, vt possit etiam dicere imprudens in corde suo, non est Deus.* Intellige ergo imprudens & impudens, periculum in quo versaris, & de quo te longanimis & misericors pater admonet, vt resipiscas, vt purgeris, vt illumineris; nequando te per Angelos malos iustitiæ suæ vindices ac ministros rapiat, & non sit qui eripiat, quia nemo est, qui de manu eius possit eruere. Audi de tui similibus Apostolum disserentem ad Ephes. 2. *Eratis illo tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & sine Deo in hoc mundo.* Quinam autem sint sine Deo, explicat ad Tit. 3. *Eramus enim aliquando & nos insipientes, & increduli, errantes; seruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malitiâ & inuidiâ agentes, odibiles, odientes inuicem*: quibus in verbis tam intellectiuæ quàm volitiuæ potentiæ defectus eorum notat, vt qui sapientiâ & fide carentes, increduli, in varios errores, falsum pro vero tenentes, inciderint: vt qui adfectus sui malitiâ voluptatibus carnalium delectationum, luxuriæ, & gulæ, desiderijsque quorumlibet aliorum vitiorum, vt sunt, ambitio, auaritia & huiusmodi, seruierint, sicut D. Tho. in eum locum adnotauit.

4.

Ephes. 2.

Ad Tit. 3.

Quare teipsum discute, videbis quæ te premant vincula, & ingemisce, vt soluantur, vt à Deo soluantur. Biantis illud. *Contemplare velut in speculo tuas actiones, vt honestas quidem magis ornes, turpes verò abscondas*: lacrymis tuis abscondas, & tergas, vt cum Deo redeas in gratiam.

Actiones honestæ ornandæ.

> *I lacrymans, guttisque humecta grandibus ora.*

Nam quem peccando negasti, ignorasti, ingemiscendo agnoscis, peccata desertorem faciunt, lacrymæ & contritio amicum. *Atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei, cognitio tui; & ex imagine suâ quæ in te renouatur, ipse videbitur.* inquit D. Bernard. serm. 36. in Cant. Et hoc ipsum est, quod vt facias monet D. August. in psal. 48. *Tu verò intellige, inquit, in quo malo sis modò, & prospice vt in bonus sis in posterùm. Intelligendo in quo malo sis, non eris insipiens, prospiciendo tibi in futurum, non eris imprudens.* Atque ita fiet, vt quem peccando perdideras, resipiscendo inuenias: in hanc palæstram te vocat Deus. Sed proh dolor! quotusquisque nostrum non est reliquis barbaris vtcunque, & incultis gentibus improbior, qui Deum ipsum, incredibili pietate singulis expositum, inuitum & nolentem in perniciem nostram, non aliter quàm Thessalæ mulieres lunam, è cælo deducentes, excitamus? *Deus enim vocat nos ad pænitentiam*, inquit D. Saluianus lib. 5. de prouidentiâ: *sed nos thesaurizamus iram: Deus nos inuitat ad veniam, sed nos quotidie cumulamus offensam. Vim Deo facimus iniquitatibus nostris, ipsi in nos iram Diuinitatis armamus. Cogimus ad vlciscendas criminum nostrorum immanitates nolentem Deum: Propè est vt eum non permittamus vt parcat. Nam cùm in eum, nullum vnquam iniustitiæ signum cadere, aut apparere possit, sic agimus, vt si enormitates nostrorum scelerum non vlciscitur, iniustus esse videatur.*

Lacrymis homo redit in Dei gratiam.

Cognitio sui.

Peccatis nostris Deum cogimus vt vindicet.

Non abs re miratur Persius satyrâ 4.

5.

> *Vt nemo in sese tentat descendere, nemo:*
> *Sed præcedenti spectatur mantica, tergo.*

Nam quotus etiam, quisque, perpendit animò, sese in alienis, quæ in anteriorem manticam reijcit oculatum: in proprijs verò, quæ in posteriorem demittit, lumine cassum? nemo se suorum flagitiorum labe sentit pollui. Quid interim aliud est cunctorum negotiatorum vita, *quàm fraus atque periurium?* inquit Saluianus lib. 3. de vero iudicio & prouidentiâ. *Quid aliud est curialium, quàm iniquitas? Quid aliud officialium, quàm calumnia? Quid aliud militantium, quàm rapina?* & tamen ista sibi condonant, quæ in alijs deprehensa, reprehenderint. Saluianus. *Hic est, inquit enim, eorum actus, quæ & professio, ac per hoc nihil mirum est, si agant, quod prof.*

Peccatis suis se deteriorem nemo sentit. Mercatorum periuria. Militum rapina.

profitentur: quasi verò aut agere vllum Deus res malas velit, aut profiteri, aut nulla sit penitus Sacræ Maiestatis offensa, si maximum scelus minores videantur agere personæ, præsertim quum in hac hominum multitudine, quò maior est peccantium turba, eò maior est Diuinitatis iniuria. Tales verò, omnino priùs est interire, quàm corrigi: non priùs ipsos, quàm in ipsis vitia non esse. Tanta animorum, vel potiùs peccatorum cæcitas est, vt cum absque dubio nullus perire velit, nullus tamen id agat ne pereat.

Peccatorum cæcitas.

6.

Auaræ ambitionis atheismus.

Potestas auara.

Nihil vspiam auarâ potestate deteriùs.

> *Vir enim qui pecuniæ fuerit inops,*
> *Manuque potens agere, non continebit se,*
> *Sed possidentium opes rapere solet.*

Diuitum ambitio, & peccatum.

Inquit Euripides in Theseo, nempe verò, vt quantò potentior est, tantò euadat ditior, & quantò ditior fuerit, tantò ambitiosiùs seueriùsque imperet, atque miserorum opes exhauriat: quo sanè nihil sceleratius esse potest, siquidem posthabito Numinis metu, pauperes suis remedijs perimit, & hoc quid aliud est, quàm reipsâ Diuinitatis sensum è mente suâ expunxisse? *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum.* Si te ambitio tenet, si te coquit ardor nummi, si per fas nefasque corradis & congregas vnde aduersus infirmiores sine vllâ repugnatione præualeas, ac benè rectèque agentibus præceptâ auctoritate contradicas: si ad maiora commoda ex peiori semper actione peruenias, vt vnde viam vitæ deseris, inde ad tempus felicior viuas, atque omne quod adlubescit, quodque appetieris, consequaris: si neque timore vllo vltricis Majestatis Dei concuteris: apertè dicis, *Non est Deus.* Namque dum istos animi tui adfectus sequeris, dum istarum perturbationum vinculis innexus sapiens tibi videri cupis, ais quod stultissimè dictum legimus apud Euripidem in Cyclope.

Diuitiæ, Deus habentur.

> ὁ πλοῦτος, ἀνθρώπισκε, τοῖς σοφοῖς θεός.
> *Ipse diuitiæ, ô homuncio, sapientibus Deus.*

Et quod Menander,

> *Epicharmus quidem Deos esse dicit*
> *Ventos, Solem, terram, aquam, ignem, stellas.*
> *Ego autem vtiles esse Deos arbitror, argentum nostrum & aurum.*
> *Nam illos si collocaueris in domum,*
> *Pete quidquid voles, assequeris omnia,*
> *Agrum, domos, seruos, argentea pocula,*
> *Amicos, iudices, testes, largire solùm.*
> *Sic enim vel ipsos Deos habebis ministros.*

Diuitum maledictio.

Vnde fit vt cum insipiente eam maledictionem, & execrationem incurras, de quâ apud Iob Prophetam temperantissimum cap. 5. *Ego vidi stultum firmâ radice, & maledixi pulchritudini eius statim.* Ad quæ verba D. Gregorius lib. 6. Moralium cap. 3. *Quasi firmâ radice stultus in terrâ figitur, qui totus desiderijs in terreno amore solidatur: vnde & primus Cain Ciuitatem in terrâ construxisse dicitur, vt apertè monstraretur, quia ipse in terrâ fundamentum posuit, qui à soliditate cælestis Patriæ alienus fuit.* Meliùs, ah meliùs Euripides apud Stobæum cap. 93.

Diuitias sapiens contemnit.

> *Ne Plutum mihi nominaueris, haud magni facio illum Deum.*
> *Quem vel pessimus quisque facilè sibi adsciscit.*

Diuitiæ enim apud sapientem virum, in seruitute sunt, apud stultum in imperio, inquit Seneca lib. de vitâ beatâ cap. 26.

7.

Diuitiarum pondus graue.

Porrò autem, quàm graue diuitiarum pondus, quod animum terræ adfixum premit, & vsque ad inferni ima deprimit? *Camelus vnum solum pondus habet*, inquit D. Bernard. *Diues duo, vnum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur: aliud velit nolit, moriens retinet, nisi ante mortem deponat.* Rectè Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Vbi Apostolus non damnat diuitias. *Aurum enim & argentum*, inquit D. Bernard. *& cætera huiusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt nec mala, vsus tamen horum bonus, abusio mala.* Vt secundum D. Ambrosium lib. 8. super Lucam, *Diuites discant, non in facultatibus crimen haberi, sed in his qui vti nesciunt. Nam diuitiæ vt impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis.* Hinc illa Diui August. super psal. 5. commonitio: *Hoc attendite ne passim diuites reprehendatis: & rursum ne de paupertate & egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de diuitijs, quantò magis non est præsumendum de paupertate? Pauper vlcerosus non habens escam, non ipsam vestem, ablatus est ab Angelo in sinum Abrahæ. Vides quis sublatus est, non vides quò sublatus est. In sinum Abrahæ. Lege Scripturam, & inuenies diuitem Abraham. Sublatus est ergo in sinum diuitis pauper: an potiùs ambo diuites Deo, ambo à cupiditate pauperes?* id quod eleganter etiam prosecutus est Rabanus super illud Matth. 28. *Homo quidam diues ab Arimathiâ.* Vbi inquit: *Magnæ dignitatis fuit apud sæculum, sed maioris meriti apud Deum, quia non erat diues diuitiarum amore, sed tantummodo possessione. Ideò diuites non excluduntur à discipulatu nostri Saluatoris. Iste enim diues erat, & discipulus, quia non pecuniæ amator, sed ipsius distributor.* Quapropter, Augustinus ad Probam ait: *Sufficientiam vitæ non indecenter vult, quisquis eam vult, & non ampliùs. Quæ quidem non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis, vt non inconueniens eis cum quibus viuendum est.* Horum ergo Apostolus stringit cupiditatem, qui non quod necessitati competit, sed quod voluptati & excessui adlubescit malis artibus etiam comparare moliuntur. Atque ita, quia vt Menander inquit, *Cæcæ sunt diuitiæ, ac se inspicientes excæcant*, Plutoni, cui velut talpæ oculis capti regna cessere infera, vbi nulla lux, ad cuius radios veritatem dispiciant, sese totos consecrant, ob idque, *incidunt in tentationem.* Cùm enim, vt Ecclesiastici 10. dicitur. *Nihil iniquius quàm amare pecuniam.* Illex est scelerum amor ille. Hinc Plato, *Si vir iniustus & promptus ad cupiendum, diues fit, & pecuniam expendere valeas, procliuis erit ad peccandum.* Vt propterea Euripides in Phaëtonte dixerit.

1. Timoth. 6.

Diuitiæ nec bonæ sunt nec malæ.

Diuites etiam discipuli sunt Christi.

Abundantiæ desiderium malum est.

Diuitiæ sunt cæcæ.

Eccli. 10.

Illices scelerum.

> *Res mala, sed innata diuitibus est.*
> *Improbè viuere. Quænam huius rei caussa est?*
> *An quia cæcæ diuitiæ ipsis conuersantur;*
> *Mentem quoque cæcam habent propter fortunam?*

Seneca quoque epist. 28. *Diuitiæ inflant animos, superbiam pariunt, inuidiam parant, & eò vsque mentem alienant, vt famâ pecuniæ, nos, etiam nocitura, delectent.* Quia enim, vt Isocrates Parænesi ad Demonicum, inquit, πλοῦτος γὰρ κακίας μᾶλλον ἢ καλοκἀγαθίας ὑπηρέτης ἐστίν: ἐξουσίαν μὲν τῇ ῥᾳθυμίᾳ παρασκευάζων: ἐπὶ δὲ τὰς ἡδονὰς τοὺς νέους παρακαλῶν: *Diuitiæ verò, vitiorum magis, quàm virtutis ministræ sunt, cùm quòd ignauiæ facultatem offerunt, tùm quòd adolescentes ad voluptates inuitant*: nihil non illis peruium: nihil clusum est, quod auro argentoque non pateat, nihil occultum quod non, pecuniâ indagante, sit cognitum, commit-

Vitiorum ministræ.

committitur cædes lucri gratiâ, spoliantur templa, amicitia violatur, fides negligitur lucro perfidiam gignente, produntur patriæ: in summâ, nihil non malorum perpetratur. Adde Chry. lib. quod nemo læditur nisi à seipso. *Diuitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor iniustus, arrogantia superba, omnisque irrationalis motus.* D. Augustinum quoque serm. 29. vbi ait: *Morbus diuitiarum est superbia. Nam grandis animus est, qui inter diuitias isto morbo non tentatur: maior animus diuitias suas vincens contemnendo. Magnus est ergo diues, qui non se ideò magnum putat quia diues est. Superbus qui & egenus est, in carne crepat, in corde mendicat, inflatus est non plenus.* Et hinc incidit in laqueum diaboli, quo inuoluitur; quia ad ea reddenda quæ abstulit, væcors est: Prouerb. 21. *Qui congregat thesauros linguâ mendacij, vanus & excors est.* Atque ab eo quod perfectum est deficiens, corde in diuersa desideria trahitur, quæ cùm vtilitatis nihil adferant, noceant verò quamplurimùm, sicut fatentur illi, Sap. 5. *Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis?* mergunt hominem in abyssum mortis & pœnarum. Oseæ 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* quia enim *Perfectio hominis est, quod cor eius congregetur in vnum, quia quanto aliquid est magis vnum, tanto est Deo similius, qui verè vnus est*, vt inquit D. Tho. in cap. 6. epist. 1. ad Timoth. qui cor suum in diuersa distraxerit, interitui est proximus.

Prouerb. 21.

Sap. 5.

Ose. 10.

Perfectio hominis.

8. Pecunia vnde dicta?

Quanta demum seruitus eorum, quos nummi cura flagellat? Non sine causâ pecuniam à pecore, siue à pecu dictam ferunt, non modò quia antiquis omne patrimonium pecudibus ferè constaret, & qui nunc multorum aureorum millium diues appellatur, olim diceretur

Quàm diues pecoris, niuei quàm lactis abundans.

Vt est apud Maronem Eclo. 2. pretiaque rerum in pecore penderentur; neque etiam quòd pecunia nomen sortita sit à notâ pecudis, sicut scribit Plin. lib. 33. cap. 3. eò quòd primùm æs notâ pecudis signatum fuerit; atque in numis signum ouis, suis, bouisque conspectum tradat Plutarchus in Publicolâ: quò spectat illud Rabbi Salomonis, primam legis naturæ monetam in Abrahæ familiâ auream fuisse, ouis, siue arietis signo notatam, in libertatis Isaac, & arietis in locum eius suffecti & immolati, iudicium. Sed eò vel maximè à pecore dictum opinari mihi liceat, quò, quantâ curâ, quantâve sollicitudine

Pastoris officium.

Non expleturas cogat auarus opes,

significetur. Quemadmodum enim opilionis est inuigilare pecori, noctes anxias atque insomnes ducere, à grege lupum arcere etiam cum vitæ periculo, gregem quoque recensere,

Et totis armenta sequi pascentia campis.

Vt habet Manilius lib. 4. Silius quoque Italicus lib. 7.

——— Errantes dumosa per auia tauros,
Argutâ reuocans ad roscida pascua, cannâ.

Cuius si vigilias, labores, anxietates, curas, sollicitudines, timores, pericula, æquâ lance expenderis, merum pecoris sui mancipium esse dices. Ita auarus, auri, argentive intractabile mancipium, animi sui neglecto cultu, atente semper fauce gazis inhiat, non expletur adeptis, conflictatur ereptis, non prodit in publicum furis externi aut vernaculi metu, sæpiùs recenset inquietus ac vigil, ne quid depereat: etenim *Auri custos, scrutator argenti securitatem non habet, nescit quietem: & cui deest securitas, quies perit: pœnâ diues est ille, non censu*, inquit Petrus Rauennas in quodam sermone. Quòd si dolosi spes affulserit nummi, tanquam accipiter auidus inuolat, atque suas immitis in alieno sanguine cruentat manus, non vnius sceleris reus: Quis enim diuitum horret crimina? vti Saluian. ait lib. 3. de vero iudicio & prouident. aut si horrent, paucissimi euitant. *In alijs quippe horrent, quod in se admittunt, mirum in modum & accusatores eorundem criminum, & excusatores. Execrantur publicè, quod occultè agunt; ac per hoc damnare se cæteros putant, ipsos se magis propriâ animaduersione condemnant.* Et quantùm eroditur seruandi sollicitudine? *Ista quæ sic petimus*, inquit Seneca, epist. 60. *tanquam datura lætitiam, ac voluptatem, caussæ dolorum sunt.* Hinc D. Hieron. *Qui diuitiarum seruus est, diuitias custodit vt seruus.* Ouid. 3. Metamorphos.

Auaritia malum inquietum.

Auarus.

Et tenuant vigiles, corpus miserabile, curæ.

Et Propert. lib. 3.

Ergo sollicitæ tu caussa pecunia vitæ es
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Quantum seruitutis onus? Assume pondus iudiciorum diuinorum, nouissimæ sententiæ, supplicij æterni, vt hoc eruditus pondere, iniustitiæ tuæ pondus sentias, quod te diuinæ Iustitiæ obnoxium facit: & cùm te imparem compereris, excutias sollicitarum onus graue diuitiarum, quod te delectabiliter premit, atque ita, intolerabili ponderi diuini iudicij subtraharis, ne te irreparabiliter conflagrationi addicat æternæ: veræ namque diuitiæ, vti D. Bernard. ait, non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat.

Virtutes sunt veræ diuitiæ.

Adhærentium creaturæ per alia vitia, atheismus.

9. Timor humanus in atheismum vergit.

AD vos me conuerto, qui potentiorum familiæ, non verecundamini in illorum mores, & scelera transire, qui humanam reformidantes offensam, in diuinam faciles homini tyranno placere præeligitis cum displicentiâ ipsius Dei, quàm Deo placere cum displicentiâ creaturæ: qui in omnem efformati nequitiam, non æquales modo ijs quibus palpamini, sed etiam superiores videri vultis, ad plausum insanæ mentis. *Nam aut plurimi tales sunt*, inquit D. Saluian. lib. 6. de vero iud. & prouid. *aut certè, quod non minùs criminosum est, cupiunt tales esse, & laborant actu malorum operum non impares videri: ac per hoc etiam si minora mala faciunt, quia minus possunt, non minus tamen mali sunt, quia nollent minus esse si possent. Denique quod vnum possunt, vel voto tales sunt, ac voluntate non cedunt, & in quantum facultas suppetit, superare contendunt. Est enim, licet in dissimillimis rebus hæc illorum æmulatio quæ bonorum, vt sicut boni optant cunctos honestate mentium vincere, sic mali cupiant prauitate superare. Nam sicut hæc bonorum gloria est, vt quotidie meliores sint, sic malorum omnium, vt deteriores: & sicut optimi cupiunt virtutum vniuersarum culmen ascendere, sic pessimi optant palmas sibi vniuersorum scelerum vendicare.* Quibus proinde grauius videtur cum Assyrijs, parere Deo, quàm homini, qui eos à veri Dei cultu auocat, & suo exemplo ad illicita voluptatum trahit, cui interea timore, vel etiam animi propensione, obsecundare delectat. Nunquid autem istud est inaniter meticulosos, Ieroboam à verâ Numinis religione populum auocantem, atque ad idola transferentem sequi? Numquid hoc est Membrod impietati adhærescere, atque plus humanæ facultati, siue potiùs imbecillitati tribuere, quàm virtuti diuinæ? Eequid porrò aliud est, quàm virtutis & immortalitatis negligentem, manus inferre Diuinitati, illius iudicia nihil vereri? meliùs tandem, meliùs: *Si amor*

Palpones, potentium vitia æmulantur.

Timor Dei infrænat cupiditates.

Dei te tenere non potest, inquit Hugo lib. 3. de anima, *saltem teneat, & terreat timor Iudicis, metus gehenna, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, sulphur fœtens, flamma tartarea, & omnia mala.* Fugit ouis tremebunda veniente lupo: abscondit se columba tremens, viso accipitre,

Currit & auditis territa dama lupis:
Atque lepus, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullos audet dare corpore motus.

Et tu homuncio, qui velut auis, quam inanis fundæ sonus territat, non ad ictum tantùm, sed etiam ad strepitum excitaris, Pisandro timidior, *Si videbas furem; currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Psal. 49. pari cum illis studio, fidei & religionis violans integritatem, non tantùm mundani timoris, sed etiam flagitij vel in toto, vel in portione reus. Siccine verò te humanus constrauit timor, vt ante tubam trepidans, timeas vbi non est timor, signaque summi Imperatoris deseras? Si timendum est, Dei caussâ timendum est: *Tutissima res est*, inquit Seneca, *nil timere præter Deum.* Extra Deum quæ caussa iusti timoris? hoc vnum timendum est, ne Deo sis inuisus, ne pericliteris, ne ab eius amicitiâ excludaris. Time Deum, qui super omnes est, inquit D. August. & hominem non formidabis: Et. de verbis Domini: *Quid times hominem homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem.* Rectè Aristoteles in libello de virtutib. *Ignauiæ autem est, quouis metu facilè percelli, & mortis maximè, & noxarum corporis: & arbitrari præstabiliùs esse quomodocunque seruari, quàm pulchrè mortem obire. Comitatur autem ignauiam, mollities, effœminatio, torpor, vitæ studium*: quas pestes, nisi ab animo excluseris, timetur homo & contemnitur Deus. Vnde D. Chrysost. serm. de Ioan. Bapt. *Facilè deuiat à iustitiâ, qui in caussis non Deum sed homines pertimescit: hic timor peccandi facultatem differre potest, voluntatem auferre non potest. Solus est Dei timor qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, & omnibus bonis tribuit facultatem.* Hanc si abiecisti, iam sine Deo es in hoc mundo, alienatus à Christo, atque in lacrymabilem peccati seruitutem incidisti: namque vt D. Gregorius inquit, *Ignorat gratiam libertatis, quem ligat seruitus timoris*, quò pertinet istud Antisthenis Philosophi.

Ps. 49.

Timor qualis esse debet.

Timor seruos facit.

ὅστις δ' ἑτέρους δέδοικε, δοῦλος ὢν λέληθεν ἑαυτόν.
Quisquis alios metuit, seruus est, licet nesciat.

Et quid agis interim hac pressus seruitute, quid machinaris, quid moliris, nisi turrim Babylonicam damnationis tuæ, indignationis diuinæ, confusionis, & dispersionis æternæ in terram eorum qui proscripti sunt à familiâ Dei? ô miseriam!

10.

Irreligiosi, & impatientes vt sint Athei.

Quò illi qui nihil pietati tribuunt, & nihilominus sibi benè esse dicunt, malè verò quum pietatem sectantur? quò illi qui prosperis insolentiores, mox franguntur aduersis? Nunquid ad Reginæ cœli sacra conuersi, dæmonijs immolant? Hinc tymbades, siue striges, hinc veneficia, sortilegia, incantationes, maleficia, quibus euertitur orbis, pietas exsibilatur. Plerosque videas in medio cum aduersante fortunâ conflictu, quam hactenus acriter sustinuerint, imò quam penè vicerint, hastam abijcere, & ab imminente capitibus suis coronâ, rapi ad tormenta: tanta est insidiantis fortunæ violentia, quam prosperam non patimur, quam aduersam non toleramus. Narrat D Antoninus 1. parte Histor. titulo 7. cap. 7. §. 7. Decio imperante cuidam Proconsuli in Troade, Christianos tres oblatos fuisse puniendos, Andream, Paulum, & Nicomachum. Proconsul arreptos torqueri iubet. Nicomachus tormentorum vi, ad vitæ metam & certaminis lauream propè adductus, fidem negauit. Christianus fui nunquam, exclamat, quid me torquetis? absistite tormentis: ego dæmonijs sacrifico, ea mihi vobiscum religio est. Nec mora, tormentis absoluitur, sacrificat. Sed ô iudicium Dei? à sacrificio, arripitur à dæmone infelix, atque in terram elisus, linguam suam perfidam deuorans, exspirauit; quo spectaculo puella Dionisia commota; atque ad fidem conuersa, postquam illius perfidiæ infelicitatem exclamasset, reprobasset, passa est martyrium.

Aduersa inconstantem præcipitant.

Nicomachus Idolis sacrificat, & eliditur à diabolo.

11.

Quot autem sunt, qui, cum vitæ huius infortunijs exercentur, non patiuntur naufragium? quot sunt, qui ad calamitates terroresque mortalium, imbelles, & ignaui, non proijciunt fidem, Christum, Ecclesiam, & animas suas, quò temporaliter meliùs molliusque habeant? vbi contrà, magni viri, fideles Dei, gaudent aliquando rebus aduersis, non aliter quàm fortes milites prælijs. Quot sunt, qui temporali incommodo consternati, suis flagitijs imaginem Dei in se deformantes, corrumpunt? nouâ ac perditâ generatione in belluas degenerant? qui Christiani esse dicuntur, & non sunt, qui per turpitudines suas nomen religionis infamant, qui, vt scriptum est, confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cùm sint abominabiles & increduli, ad omne autem opus bonum reprobi, per quos via veritatis blasphematur, & sacrosanctum nomen Domini Dei sacrilegorum hominum maledictione violatur? inquit D. Saluian. lib. 4. de ver. iud. & prouid. Sic autem sacra eloquia hominem qui ad imaginem & similitudinem Dei formatus est, si se peccaminum spurcitiâ dehonestauit, non iam hominem vocant, sed aut serpentem aut viperam, Luc. 3. aut equum adhinnientem fœminis, Ierem. 5. aut mulum, Psal. 31. aut vulpeculam, Luc. 13. Hi quoque Deum negant; sed confringentur tandem capita inimicorum, cùm perambulauerint in delictis suis, in quibus non maior, quàm in belluis cognitio Dei.

Desertores fidei sunt Athei.

Iusti in aduersis gaudent.

Peccata deformant imaginem Dei.

Peccata hominem in beluam transformant.

12.

Vos qui fascinantibus animam voluptatibus, per lubrica vitæ deiecti, volutabri vestri excusationes prætenditis, Deum naturæ auctorem pronunciantes, ob quod voluptates sint naturales, in naturalibus autem non offendi Deum, quapropter iuuentutem in ijs transigendam: quasi verò is qui naturam condidit, crimina non interdixerit. Vos qui virtutem à probro, improbum à probo non discernitis, qui vitæ laborem, studium pietatis, religionis adfectum, corporis macerationem, chameunias, aliaque similia contemnitis, genio indulgendum afferentes, quasi in ventrem nati simus, & abdomini. Athei estis, similes illis, qui apud Euripidem in hæc verba.

Voluptuosi Athei.

Edones Athei.

ἡ γῆ δ' ἀνάγκῃ κἂν θέλῃ, κἂν μὴ θέλῃ
τίκτουσα πόαν, τ' ἀμὰ πιαίνει βοτά·
ἃ ἐγὼ οὔτινι θύω, πλὴν ἐμοί, θεοῖσι δ' οὔ,
καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ, τῇδε δαιμόνων·
ὡς τοὐμπιεῖν γε καὶ φαγεῖν τ' ἐφ' ἡμέραν,
Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι, τοῖσι σώφροσι.
Hæc verò terra ex necessitate, velit, nolitve,
Producit herbam, meaque pinguefacit pecudes,
Quas ego nulli sacrifico nisi mihi, Dijs verò nequaquam,
Et maximo ventri huic Deorum:
Quoniam in edendo & bibendo per integrum diem,

Venter quibusdam Deus.

Iupiter is hominibus est sapientibus.

Quo, quid stultius, quid furiosius dici potest? tantum illi edendi prolubium, tanta illi saginæ cura est, vt non alium sibi proponat quem colat, quem metuat, cui quod possidet, quodque ad delicias & voluptatem apud se depositum habet, acceptum ferat. Nullam ille facit stomachi mensuram, & ad gulam natus, ingurgitat sese, vt

Pinguis aqualiculus propenso sexquipede extet.

Persius.

Venter sentina corporis.

quem velut Deum habet. Itáne ergo sentinam illam corporis, ex quâ totius animi corruptela hauritur, Dei substitues loco?

Quis Cererem & Bacchum, quis nesciat otia caussam
Nequitiæ, & sceleris tela, Cupido, tui?

Inquit Michaël Verinus. Hinc monet Sapiens

Prouerb. 23.

Prouerb. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum, & in commessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur.* Rectè quoque Eusebius, *Crapula corpus pinguefacit, soporem inducit, animi verò quod optimum est, rationem sopit.* Quapropter pessimus vt euadat necesse est; quisquis vile mancipium corporis sui fuerit: quid enim sopitâ ratione, honestatis reliquum sibi faciet, quod sectetur? quid non impurum sectabitur? Verini etiam illud est,

Ventri deditus est mancipium corporis.

Cui nimis est charum corpus, vilescit honestas:
Et ventrem & mentem, nemo replere potest.

Qui amat corpus perdit animi virtutem. Gulæ vitia.

Gulâ virtutes extirpantur, vitiorum fomenta procreantur, carnalis cupiditas accenditur; & decoctor patrimonij, postquam totum abligurierit, inops rerum, sui tantùm sen per similis, inanem mentem habet: sic Euripides, apud Stobæum,

At quicunque vitam sic agunt, vt carnem
Saginent, si destituantur pecunijs,
Mali erunt ciues, necesse est enim eum qui assuetus sit
Ventris ingluuiei, sui similem permanere.

13. Ventris ingluuies Iudam perdidit.

Apostolicæ sobrietatis impatiens proditor, ex furto, furtiuis indulgebat epulis, venter ipsum in perfidiam traxit, proiecit nummos, non malam mentem, & nouo supplicij effectu, suspensus crepuit medius: ita Drogo Hostiensis, lib. de sacram. passionis. *Quia, inquit, per quæ peccauerit homo per hæc punitur, suspensus crepuit medius, plenus erat venter, & ruptus est.* Neque est, quod sibi helluo, de vllâ virtute, quam retinuerit, gratuletur: depopulatur crapula mentem, à quâ abstinendum scribit Apostolus ad Rom. 13. *Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs*: in quæ verba Nicetas in orat. 39. D. Nazian. *Eleganter cum commessationibus & ebrietatibus, cubilia & immunditias coniunxit, ex illis enim hæc nascuntur.* Scitum enim illud, venter satur despumat in libidinem. Huc facit, quod D. Nilus in Ascetico, ait, *Neque verò gula, & ventris ingluuies vitiorum tantum est mater, ac nutrix, verùm omnes aufert virtutes. Eâ enim superante, & dominatum obtinente, modestia, fortitudo, constantia, & reliquæ virtutes concedant, necesse est. Quod Ieremias ostendit: euertit, inquiens, muros Hierusalem per circuitum, Princeps coquorum Babylonis,* Ierem. 52. Expugnat & euertit omnes animæ muros, hoc est, virtutes, gastrimargia: quibus exutus homo Atheus, cùm suibus ad pastum ablegandus potiùs, quàm inter homines recensendus.

Rom. 13.

Ventrem libido sequitur.

Gula virtutes necat.

Ierem. 15.

Ebriosorum Atheismus.

14. Edones quidam, alij bibones.

AD vinosum hominem venio, non enim omnium gentium est, esculentis farcire ventrem simul & poculentis: cùm aliæ atque aliæ, aliter atque aliter ament, hæ obsonia, illæ mera. Qualis autem sese offert vini bibulus? Insanâ ebrietate prostratus, aduersus respicit stantes, quos integros videre nequit, quia, ceu Dionysius iunior Siciliæ tyrannus, apud Athenæum lib. 10. cap. 11. quem Arist. in Syracusiorum Repub. narrat continuè ebrium fuisse, ac aliquando per dies nonaginta, quare obtusioris luminis oculos habebat; hebetioris est luminis; longo sermone superflua verba emittit, & vana dicta componit, malè clamans, & benè sibi sonans, inquit D. Augustinus ad sacras Virgines. *Adijce*, inquit Seneca epist. 83. *illam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: stomachi tormenta, cùm efferuescit merum, ac viscera ipsa distendit* Expressit etiam Critias apud Athenæum lib. 10. cap. 11. agens de vini studiosis.

Ebrij hominis status.

Ebriosi parum vident.

Hoc potu linguam soluunt in turpia verba,
Hoc etiam potu corpora debilitant.
Inuaditque oculos cæcâ caligine nubes.
Curas lethæo pocula more fugant.
Mens fit hebes, seruosque capit lasciuia multa,
Ac impensa grauis multa domum aggreditur.

Ebrietatis vitia.

Extende in plures dies illum ebrij habitum: *quid turpius ebrioso*, inquit D. Innocentius de vilitate conditionis humanæ, *cui fœtor in ore, tremor in corpore? qui promit stulta, prodit occulta, cui mens alienatur, facies transformatur?* Antiochum Regem, qui vocatus fuit illustris, narrat ex Ptolemæo Euergete Athenæus lib. 10. cap. 12. ad Indicas commessationes ebrietatesque conuersum, multa absumsisse: coronatum rosis sæpiùs circumisse, percussisseque sequentes se lapidibus, quos sub alâ habebat: & ex Polybio, qui eum, non illustrem, sed insanum appellat, cum abiectissimis quibusque etiam bibisse, atque in conuiuijs multa indecenter, multa cum mimis, ad lusum, ad saltum, ad tripudium, iocosque, quasi vnus ex illis esset, peregisse, ita vt omnes verecundiâ caperentur: ad res huiusmodi, miseros inducente stupore illo, qui ex ebrietate nascitur: & dubitabis in voluntariâ hac insaniâ, de proculcatâ religione Numinis? nunquid de mentis stultitiâ, quâ laboratum est ab Atheis? *Perspicuum est*, inquit D. Hieron. cap. 44. in Ezechiel. *ebrietate & sicera statum mentis euerti: & non plenè nos sapere, quando vini satietate animus occupatur.* Quod si in semel ebrio istud eueniat, quid in continuò ebrijs? hos, etiam cùm vinum decoxerint, si tamen aliquando decoquant, quæ abeuntes à se per ebrietatem, sæua designarunt: vbi redierint, eadem moliri videas, manente insaniendi consuetudine. Pulchrè Seneca, epist. 83. *Ferè vinolentiam crudelitas sequitur; violatur enim exasperaturque sanitas mentis. Quemadmodum difficilos faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radij Solis offensionem: ita ebrietates continuæ efferant animos. Nam cùm sæpè apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta, etiam sine illo valent.*

Antiochus Illustris, insanus ob ebrietatem dictus.

Ebrietate efferantur animi.

Nec est quod bibo quispiam adferat, se nihil minus quàm de negando Diuinitatem cogitare. Cur itaque Atheus sit? quid mali patrat, si festiuâ se bibendi voluptate exhilaret? si se inuitat largiùs? vina homini ad hilaritatem data. Vin scire quid agat? præterquam quòd fortasse vxoris & liberorum substantiâ & sanguine sese ingurgitat, præter dilapidata, pauperum egenorumve debita subsidia, præter innumera alia incommoda, quæ Philocothonistam grauant; venter illi Deus est, atque pro suâ virili, quiescere facit dies festos Dei à terrâ, idolomaniæ

Peccatum mortale est participatio idololatriæ.

niæ reus; siquidem omne peccatum mortale, participatio quædam fit idololatriæ. Vinum bonum est, fateor, sed moderatum. Quod intellexit Callisthenes Sophista, qui quum poculum meri repudiasset, interrogatus cur non biberet, respondit, non desidero, ô Alexander, vt bibendo Æsculapium desiderem. Est enim ebrietas multorum malorum metropolis, vti Athenæus inquit lib. 10. cap. 15. Et vt quædam paucis persequar: compertum satis, ebrietate substantiam (vti monuimus) dissipari, corpus eneruari, libidinem inflammari, mentem alienari, pacem tolli, secretum manifestari, iram Dei prouocari, cæ̨que sacris diuino cultui ferijs, animam turpiùs inquinari, quàm externâ, illicitâ tamen manuum operatione. Vt propterea D. August. ad sacras Virgines scribens, appellarit ebrietatem flagitiorum omnium matrem, culparumq́ue materiam, radicem criminum, originem vitiorum, turbationem capitis, subuersionem sensus, tempestatem linguæ, procellam corporis, naufragium castitatis, amissionem temporis, insaniam voluntariam, ignominiosum languorem, turpitudinem morum, dedecus vitæ, honestatis infamiam, animæq́ue corruptelam.

Ebrietas malorum omnium metropolis.

15. *Ebrietate familia exhauritur. Prou. 23.*

Quòd autem res familiaris ebrietate dissipetur, in manifesto est, Prouerb. 23. *Vacantes potibus & dantes symbola consumentur.* Et Diogenes, ædes hominis vino deditissimi videns ex ianuæ inscriptione, venales esse: minimè dubitabam, inquit, quòd vini crapulâ excusâ, facilè domum euomeres.

Eneruatur corpus. Prou. 11.

Quòd illa corpus eneruet, indicatur Prouerb. cap. 11. *Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur*, significat & Plautus in Pseudolo.

> *Magnum hoc vitium est vino,*
> *Pedes captat primùm, luctator dolosus est.*

Eleganter D. Hilarius in Ps. 125. *Quid infelicius ebrietatis dominatu, ventri vltra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, & mortem quandam naturæ incolumi imperare!* Neque eneruat solum vinibibulum, sed etiam occidit, testis Athenæus lib. 10. cap. 12. vbi narrat, quòd ex ijs qui vinum biberunt in meri certamine, quod constituerat Alexander, triginta quinque continuò ob frigus interierint, ac sex pauco interuallo posito in tentorijs animam efflarint. De Arcadione itidem bibace, qui extinctus est, vino spiritum strangulante.

Ebrietas mortem adfert.

> *Dum magni calicis ebibit ille merum.*

16. *Libidinem accendit. Ephes. 5.*

Quòd rabidâ vini auiditate libido accendatur, cùm sacræ, tum profanæ literæ tradunt. Prouerb. 20. *Luxuriosa res vinum.* Hinc Apostolus ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* D. August. in epist. ad quendam Comitem, *Ebrietas est fomes libidinis, quò per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit.* D. Hieron. super epist. ad Titum. *In vino luxuria est: & vbicunque saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur.* Hinc eleganter Aristophanes apud Athenæum lib. 10. cap. 15. vinum lac Veneris appellauit, quòd multum nonnulli bibentes, illegitimæ rei venereæ desiderium concipiant.

Vinum lac Veneris.

> *Bibentibusq́ue dulce vinum, lac Veneris.* Inquit.

Et Propertius lib. 2.

> *Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,*
> *Vino sæpè suum nescit amica virum.*

Eccl. 26.

Quia vt habetur Ecclesiast. 26. *Mulier ebriosa, ira magna, & contumelia, & turpitudo illius non tegetur.* Reuera enim ebrietas in vtroque sexu, cuncta mala appetit, D. Augustino teste, & nefanda committit. Propterea, vini vsus Romanis fœminis ignotus fuit, inquit Valer. Maximus lib. 3. de moralib. dictis & factis Romanorum, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit. Quæcunque enim fœmina vini vsum appetit immoderatè, & virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit: Athenæus verò lib. 10. cap. 9 in hunc modum, Apud Romanos, neque domesticus bibebat vinũ, neque fœmina libera, neque ex liberis iuuenes qui trigesimum annum non attigissent. Apud Locros qui magis vergunt ad Zephyrum, Zaleuci lege, si quis vinum sine Medici imperio medicamenti gratiâ bibisset, capitis damnabatur. Apud Massilienses, lex alia fœminas aquam bibere iubebat. Et cap. 11. apud Indos Regi non licebat fieri ebrium: id quod apud Persas vno die Regi concessum, nempe quum Soli sacrificant. Et cap. 12. Sanxit Plato diuinissimus, ne pueri vinum omninò gustent ad annum vsque decimum octauum, non enim ignem in ignem inferre conuenit. At vinum moderatè bibere vsque ad annum trigesimum postea conuenit, iuuenibusq́ue ab ebrietate, viniq́ue copiâ omnino est abstinendum. Cum verò, qui iam annum quadragesimum pertransiuit, ac in conuiuijs versatur aliquando, cùm reliquos Deos, tum ipsum Bacchum, in senium, expiationem & disciplinam vocare oportet, quippe qui austeritatis senectutis, auxilium ac medicinam, vinum nobis sit elargitus; ita vt iuuenes nos iterum faciat, malorumq́ue præbeat obliuionem. Hæc ille hinc quibusdam, vinum lac senum, dicitur.

Vinum bibere, quibus prohibitum. Mulieribus.

Iuuenibus ante tricesimum annũ Locrensibus

Indorum & Persarum Regibus. Pueris ante 18. an.

Vinum quibus concessum.

Vinum lac senum.

17. *Osee 4. Ebriositas mentem alienat.*

Mentem alienat ebrietas, Oseæ cap. 4. *Fornicatio, & vinum & ebrietas, auferunt cor.* Vinum namque & mulieres excœcant cor. Virg. in Epigram.

> *Vno namque modo vina, Venusq́ue nocent.*

Et pari modo mentem funestant atque decipiunt gloss. in §. erat de successio. sublat. quæ fieb. per bono. vendit. apud Iustinia. lib. 3. tit. 13. Hinc D. August. in quodam serm. *Ebrietas est blandus Dæmon, dulce venenum, suaue peccatum, quam qui habet, seipsum non habet: quam qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum.* Vt enim aqua aduersatur igni: sic immoderatus vini potus rationem extinguit temperantem. Non insulsè Sthenelus Poeta apud Athenæum lib. 10. cap. 9.

> *Pocula vel mentem capiunt prudentibus omnem.*

Vbi enim regnat ebrietas, inquit Petrus Rauennas in quodam serm. ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deuiant, iudicia subuertuntur. D. August. ad sacras Virgin. *In ebrijs non ratio vlla, non vllum vitæ gerendæ consilium, nec vlla artium, nec gestorum, nec lectionum memoria, aut industriæ prouidentia est.* Idcirco Hesiodus dixit in Diebus, inquit Athenæus cap. 9.

> *Si quis multa bibit, fiunt insania vina:*
> *Illa pedes, mentemq́ue ligant, linguamq́ue, manusq́ue.*

Et Theognis de eo, qui modum bibendi excesserit.

> *Sed quicunque modum superauerit, ille nec vltra*
> *Consilij compos, is neque mentis erit.*
> *Plurima nugatur ieiunis turpia, & idem*
> *Turpe nihil cernit quod temulentus agit.*
> *Vt fueris prudens & blandus, talia noscens*
> *Plus æquo caueas ipse bibisse meri.*
> *Surge priusquam tu iam ceperis ebrius esse:*
> *Nec teneat ventris te grauis imperium.*

Pittacus quoque hortatur Periandrum Corinthium, non ebrium fieri, neque lasciuire, ne noscaris,

noscaris, inquit, cuiusmodi sis, sed nec qualem te esse simules: nam speculum æreum formæ, vinum mentis est index. Quamobrem scitè à quibusdam pronunciatum vinum non habere gubernacula.

Vinum mentis Index.

18. Ebrietas ruit in iurgia. *Eccli. 31.*

Rixas ferit tumultuosa ebrietas. Ecclesiastici cap. 31. *Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Est enim ipsa mater litium, furoris parens, petulantiæ administra, inuitatus hostis, rabies voluntaria: quâ, cùm superne multus influxerit imber, efferantur animi, ac veluti mare Libycum Boreâ vel Noto, turbantur, concitanturque. *Assumit ebrius inter pocula, iniusta certamina*, inquit D. August. ad sacr. Virg. *& nullis existentibus causis asperam excitat rixam, quia interponendo verba vana, aliorum sana dicta non patitur audire; sed in contumeliam erigitur conuiuarum, & proximorum crimina.* Etiam in cædes ruit. *Refer Alexandri Macedonis exemplum*, inquit Seneca epist. 83. *qui Clitum carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit: & intellecto facinore, mori voluit, certè debuit.* Cambyses Persarum Rex, cùm à Prexaspe Satrapa audiuisset, Persas de eo propter temulentiam malè loqui: irâ percitus, Prexaspis filium pocillatorem in medium produci iussit, & arcum intendens, sagittâ cor eius transfixit. Conuersus inde ad Prexaspem: abi, inquit, & Persis refer, vel temulentum Regem munere suo probè functum, filijque tui cor medium non frustrato ictu fixisse, auctor Herodotus lib. 3. vt omittam inter vina haustusque æquales, rabidæ mulieris furias, quæ Diui Baptistæ caput à puellâ saltatrice postulari iussit, non iam sitiens vinum, vino saturata, sed sanguinem. Matth 14. *Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis.* Inter meraciora pocula, cruorem innocentis postulat, vt ferali potu diluat merum, animum exsatiet furentem: verùm quo auctore, id patras mulier? illo nempe, per quem sæuijt etiam in innocentem prima mulier. Id quod præclarè prosequitur Diuus Chrysologus serm. 174. *Serpens tunc latebat in femina, quæ reptans gressibus flexuosis, lethale toto corpore virus effudit, vt discumbentium mentes furor, venenum corpora sauciaret: homines verterentur in bestias, nec vino iam tales, sed sanguine potarentur.* Quid quod nec à seipso ebrius contineat manus? Cleomenem namque Lacedæmonium scribit Herodotus, seipsum cultro, ob ebrietatem excidisse; ita prosilit ad iurgia, ad cædes ebrietas, vitia suscitat. C. sexto die, & cap. tumultuoso. 35. distin. Quare rectè Seneca, epistola eadem: *Omne vitium ebrietas, & incendit & detegit, obstantem malis conatibus verecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi, quàm bonâ voluntate, prohibitis abstinent. Vbi possedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit. Tunc libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis quantum petierint, sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat: tunc petulans, non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido: omne vitium detegitur & prodit.*

Cædes alio rum.

Et suipsius.

19. Ebrietas prodit arcanum. *Prou. 31.*

Eadem vinolentia prodit arcanum. Prouerb. cap. 31. *Nullum secretum est vbi regnat ebrietas.* D. Augustinus ad sacr. Virgin. *Ebrius vultu deiecto supinus accumbit, & sui omnino nescius spectaculum se conuiuio præbet, & dum nihil consequitur sanum, nullo alio cogente præter vinum, cordis sui arcana patefacit, & amicorum sibi commissa secreta in medium prodit.* Non est animus in suâ potestate, ebrietate deuinctus: humanæ societatis vinculum, amicitiæ nodum Herculeum, solatij asylum, lydium sinceritatis cordium, animorum vnionem, fidem arcanorum, fidelitatem, euertit, abrumpit, soluit: & plenus rimarum hac atque illac perfluit (vti sonat Terentianum) nullius tenax secreti, quod tamen, vt non inquirendum, ita non aperiendum, vbi quis sibi commissum admiserit, monet Horat. epistolar. 1.

Secretum nec inquirendum, nec vulgandum.

Arcanum ne tu scrutaberis illius vnquam,
Commissumque teges, & vino tortus, & irâ.

Nam, quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, inquit Seneca, epist. 83. aliàs lib. 10. epist. 84. *& omne quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eiectat: sic vino exæstuante, quidquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne secretum quidem: quod suum, alienumque est, pariter effundunt:* vnde Horatius lib. 1. Epistolar.

Quid non ebrietas designat? operta recludit.
Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem.

20. *Isa. 5.* Ebrietas irā Dei prouocat.

Irritat quoque ebrietas animum vindicis Dei. Isa. cap. 5. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.* D. August. lib. de pœnitent. *Ebriosus non absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à Deo, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutibus, confunditur à Dæmonibus, conculcatur ab hominibus.* Hugo quoque de S. Victore. *Ebrietas iudicium rationis offuscat, contentiones & bella procurat, robur & naturalem virtutem eneruat: infirmitatem generat, mortem naturalem adducit* (diximus suprà, etiam, violentam) *rebus temporalibus spoliat, & quod deterius est, diuinam maledictionem inducit.* Ecce quanta ebrietatis mala, quæ & Lucretius lib. 1. commemorat.

Ebrietatis mala. *Vide infrà cap. 35.*

Consequitur grauitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua: madet mens:
Nant oculi; clamor, singultus, iurgia gliscunt.
Et iam cætera de genere hoc quæcunque sequuntur.
Cur ea sunt? nisi quod vehemens violentia vini
Conturbare animum consueuit, corpore in ipso?

Atque ita conturbare, vt, D. Chrysost. teste Homil. 58. in Matth. sues ex hominibus faciat, dæmoniacos, imprudentes, ac furiosos quoque, quod peius est; nisi quod dæmoniacos miseramur, ebriosos verò bestijs ipsis peiores, quòd suâ sponte furorem attraxerint, auersamur. His adde quod eleganter Seneca suprà. *Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicosasque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia, patefecit: hæc contumacissimos, & iugum recusantes, in alienum egit arbitrium; hæc inuictos acie, mero domuit. Alexandrum, tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas, victâ temporum, locorumque difficultate, transierat; tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tuta m dimiserunt: intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus, condidit:* Scribit enim Athenæus lib. 10. cap. 11. quòd cùm Alexander expetito poculo bicongio, Proteam Macedonem bibens prouocasset, ac ille, applaudentibus reliquis bibisset, pòst verò exiguo tempore interposito, idem poculum Proteam expetiuisse, Regemque prouocasse, quod capiens Alexander, egregiè quidem bibit, sed poculo ex manibus demisso in puluinar decubuit, quâ etiam ex re mortuus est. Et refert Plutarchus in Alexandro. Prosequitur Seneca. *Quæ gloria est capere multum? Cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno, ac vomitantes recusauerint, cùm superstes toti conuiuio fueris, cùm omnes viceris virtute magnificâ, & nemo tam vini capax fuerit; vinceris à dolio. M. Antonium magnum virum & ingenij nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana traiecit, quàm ebrietas, nec minor vino, Cleopatræ amor? Hæc illum res, hostem*

Alexandrum mag. occidit.

Ebrietas M. Antonium perdidit.

hostem Reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cùm capita Principum Ciuitatis cenanti referrentur, cùm inter apparatissimas epulas luxusque regales, ora ac manus proscriptorum recognosceret, cùm vino grauis, sitiret tamen sanguinem. Omitto quod Saluianus lib. 6. de iud. & prouid. scribit. Treuiris ebrietate concidisse omnia; atque rabidâ vini auiditate eò peruentum esse, vt Principes vrbis ipsius, ne tunc quidem de conuiuijs surgerent, cùm iam vrbem hostis intraret. Deo volente manifestare cur perirent, cùm, per quam rem, ad perditionem vltimam venerant, eam ipsam agerent cùm perirent: eoque tandem deuolutos, *vt compleretur in eis dictum illud sermonis sacri.* Eccli. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt à Deo. Nam dum bibunt, ludunt, mœchantur, insaniunt, Christum negare cœperunt. Et miramur post omnia ista, si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tantò antè mentibus corruerunt? Nemo itaque vrbem illam excidio suo tantùm perisse credat. Vbi enim talia acta sunt, priùs iam perierant, quàm perirent.* Innumera alia animarum vincula prætereo, quibus per rectæ rationis inopiam fatiscentes, atque iam traditâ dexterâ hostili potentiæ deditæ, vinciuntur, irretiuntur, perduntur: & miseris, nihil reliquum est sperandæ salutis, nisi epithymiæ, cupiditatumque suarum perturbationes, in saniorem adductæ sententiam, reliquum fecerint. Ecquis enim cum Deo in gratiam redeat, vt beatarum mentium sedibus inferatur, eiusmodi animæ fascinis insigniter deformatus, & turpiter onustus?

Et Treuirim Ciuitatem.

Eccli. 19.

> *Prouida supremi sic stat sententia Patris,*
> *Non scandat cælos criminis vlla nota.*
> *Et quod, ne purgata priùs sint crimina, nulli*
> *In superas ædes scandere posse datur.*

Inquit Billius, verum enim est, quod cecinit Michaël Verinus.

Virtus æternos facit.

> *Sola potest homines æternos reddere virtus:*
> *Huic soli è cunctis non libitina nocet.*

Ierem. 2.

Quare, *scito, & vide*, inquit Ieremias cap. 2. *quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te*, quasi dicat, intelligite insipientes corde, & stulti aliquando sapite, qui idololatriæ vestræ peccatis, ad vltimum iracundiæ Deum prouocatis, ponite vobis speculum, constituite vobis amaritudines, considerate, & perpendite animo, idolomaniæ vestræ noxas; quia reliquistis Deum venam aquarum viuentium, & timorem eius abiecistis; ideoque arentes, & languidi in acerbissimos inferni cruciatus incurretis, quod summum malum est, & amarities animæ. Scitote, quia exacerbatis impuritatibus vestris Deum, & ad puniendum trahitis inuitum. *Cumque eius naturæ sit mens Dei atque maiestas*, inquit Saluian. lib. 4. de iud. & prouid. *vt nulla iracundiæ passione moueatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, vt per nos cogatur irasci. Vim, vt ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ. Cumque eius benignitatis sit, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare.* Istud si vel ad scintillulam rationis aduertitis, *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ps. 4. Vt quid vmbram ita studiosè apprehendere contenditis? vt quid mendacijs pascimini rerum sæcularium, quæ felicitatis speciem habent, rem non habent? vt quid cor aggrauatis, & deprimitis vsque ad inferni profunda, velut tartari victimam? Michaël Verinus.

Ps. 4.

> *Quid lætare miser? nescis post gaudia vitæ*
> *Perpetuos luctus mortis adesse tibi?*

Graue cor vana sectatur, perituris adhæret, sensibili delectatur, at quia temporaria est, & quæ mox interit sensuum delectatio, mendacium est, nihil est, nomen est, & non res: quare Chrysost. in Psal. 4. *Vanum est, quod est inane, quando nomen quidem fuerit, res nequaquam: nomen diuitiarum, res autem minimè: & nomen gloriæ, res verò minimè: nomen potentiæ, & remanet solum nomen. Quis est ergo adeò excors, vt quærat nomina quæ rebus destituta sunt? & persequatur inania, quæ oportet fugere?* Excutite aggrauans peccatum: redite ad cor insipientes corde, atque animi vestri sensa & actiones, meliori sententiâ & operatione corrigite.

Cor graue sensibilibus delectatur.

Sensibilium inanitas.

CAPVT XIV.

De Deo vno.

Diuinæ naturæ singularitatem ex rerum gubernatione colligi.

1. QVanquam ex superioribus satis constet, omnem prorsus hominem, si imperturbatæ mentis sit, Diuini Numinis naturam & existentiam, propriæ facultatis vi consequi: non tamen inde singularem Dei essentiam probari, quibusdam videri posset, quòd nimirum, in singulis rerum factarum ordinibus, pro cuiusque speciei varietate, non modò in vno, sed etiam in pluribus principijs, mentem sistere valeamus: eaque ratione gentes Numinum pluralitatem comminiscantur: vt Bacchum vini auctorem,

Dij plures, quomodo asserti.

> *Hoc quia pampineis victor iuga flectit habenis.*

Cererem frumenti,

> *Hoc quia flaua comas frugum mitissima mater.*

Atque ita de reliquis. Hæretici autem ex bonorum malorumque genere, duo principia confinxerint, atque adeò Deos binos. Ita Gnostici, hoc est, Scientes, qui potiùs ignorantes dicendi sunt, inquit D. Irenæus lib. 1. de hæresib. cap. 24. quorum magister Carpocrates, duo Numina esse putauerunt, vnum bonum & alterum malum; teste D. August. lib. de hæresib. cap. 6. Epiphanio hæresi 33. & 36. & Irenæo lib. 3. cap. 18. quum ait, eos plures Deos confinxisse. Apelles similiter, & ab eo dicti Apellitæ, teste Eusebio lib. 5. historiar. cap. 13. Manichæi apud D. Augustinum lib. de hæresib cap. 46. Cerdon quoque & Marcion, duos Deos posuerunt, vnum bonum, Patrem Christi; alterum iustum seu seuerum, Creatorem mundi appellantes: ita Diui, Irenæus lib. 1. cap. 28. & 29. & D. August. lib. de hæresib. cap. 21. necnon etiam Theodoretus hæreticarum fabularum lib. 1. Valentinus denique, qui & ipse Gnosticorum Princeps Irenæo, vti refert Beatus Rhenanus in adnotationibus ad librum Tertulliani aduersus Valentinianos, censuit duo esse principia rerum, duos nempe Deos, quorum vnum vocauit Profundum; alterum Silentium, ex quibus triginta Æones processerint, relati eo in libro à Tertulliano; propter quos, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. illum triginta Deorum prædicatorem, siue potiùs triginta criminum, vt inquit Tertullianus, esse dixit. Hunc secutus est Secundus, teste Epiphanio hæresi 32.

Principia fictæ Numina duo, qui dicant.

Silentium & profundum, principia duo.

Dij triginta. 30. crimina.

2. Sed, ô Hæretici, si duo sunt Dij: aut æquales sunt, aut inæquales, viribus, potentiâ, consilio: si dicitis æquales, atque vnus vnum quid iubeat, alter verò eius contrarium, cui Domino parendum est? vtrum autem sicut non esset, vera inter Deos vniuersalis prouidentiæ vnio, nisi

omnes pariter essent vbique præsentes, sicut loquitur Iamblichus lib. de mysterijs; ita non futuri sint æqui rerum procuratores, nisi in imperandis, vetandísque, pari voluntatum vnione consenserint? Ast, vbi tunc boni, & mali Numinis discrimen, placidi & seueri, si pariter in volitione conuenerint? vbi libera vtriusque actio si ex necessitate alter in alterius sensum commigret, nec dissentire valeat? quisque igitur res suo diriget arbitrio, & pugna sequetur. Veluti quum

Deorum pugna.

Iupiter in Troiam, pro Troia stabat Apollo:
AEqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Et apud Homerum Iliad. 20.

τόσσος ἄρα κτύπος, ὦρτο θεῶν ἔριδι ξυνιόντων.
ἤτοι μὲν γὰρ ἔναντα Ποσειδάωνος ἄνακτος,
ἵστατ' Ἀπόλλων Φοῖβος ἔχων ἰὰ πτερόεντα·
ἄντα δ' Ἐνυαλίοιο θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη·
Ἥρῃ δ' ἀντέστη χρυσηλάκατος κελαδεινὴ
Ἄρτεμις ἰοχέαιρα κασιγνήτη Ἑκάτοιο·
Λητοῖ δ' ἀντέστη σῶκος ἐριούνιος Ἑρμῆς.

Tantus erat motus Diuis certantibus ortus,
Contra Neptunum nam stabat Phœbus Apollo,
Tela tenens, contra Martem, Dea Cæsia Pallas.
Iunoni obstabat gestans de more pharetram
Ex auro, nitidi Phœbi germana Diana,
Latonam contra stabat Cyllenius heros.

Sin inæquales esse dixeritis, iam qui minor est, Deus non erit, qui summus est, ac proinde vnus est. Denique, si duo sunt, vtique mens est vtrique infinita, atque adeò, omne quod sciri potest, suâ vterque cognitione & intelligentiâ consequetur: quare alter alterum intelliget, & intelligendo amabit. Verùm quâ mente Deo tribuetis, vt à rebus à se diuersis, veri cognitionem emendicet? Deus enim, quum intelligit (semper autem in actu intelligendi est) non egreditur à se ad aliud, sed in seipso omnia contemplatur: nam cùm sit caussa effectrix omnium, se suamque virtutem videns, quæ ab hac virtute fieri possunt, cognoscit; sic autem non videret Deus aliud sibi æquale Numen, quia videlicet illud in suâ virtute effectiuâ includi videret, quod Numinis dignitati repugnat: ita ferè Scot. in 1. dist. 2. quæst. 3 Ideoque statuimus illud ens quod est per se necessarium, esse fontem & caussam efficientem rerum creatarum, ac proinde vnicum tantùm, in eodem semper statu & habitu permanens; quemadmodum asseuerauit Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, totidem verbis, *Quod in eodem similique habitu ac statu semper est, cæterisque omnibus caussa sint, caussa est, id, inquam, est Deus.* Vnus rerum Pater, vnus qui cuncta ministrat, sicut cecinit Boëtius lib. 3.

Deus intelligit omnia in se.

Ens per se necessariũ, caussa est effectrix rerum.

Et qui perpetuâ mundum ratione gubernat,
Terrarum, cœlique sator, qui tempus ab æuo
Ire iubet, stabilísque manens, dat cuncta moueri.
Principium, Rector, Dux, Semita, Terminus idem.

Et hæc vnitas Deitatis, non personarum diuinarum est vnitas, sed essentiæ, quæ in tribus personis vna est & impartibilis, cum eisdem identitatem habens quàm maximam, id quod non ignoratum à Proclo lib. de Animâ & Dæmone, vbi ait, *Constat enim essentiæ prorsus indiuisibilis, æternum esse bonum, diuisibilis verò, bonum quoque in tempore, motuque versari.*

Essentia Dei est indiuisibilis.

3. Et hæc quoque Dei natura singularis, cognosci potest ex totius vniuersi pulchritudine, mirabilique conditorum connexione, ordine, atque gubernatione. Ita enim Sapientiæ 13.

Sap. 13.

A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit, horum Creator videri. Creauit illis scientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorum. Eccli. 17. Neque enim vnquam ita cœcutierunt idololatræ, quin ex vniformi gubernatione rerum, vnum aliquem supremum Deum agnouerint, etiam in magnâ Deorum, quos sibi formabant, multitudine: eumque Iouem maximum appellarunt, cælicolumque Regem superum, de quo cecinit Horat. lib. 3. Od. 4.

Eccli. 17.

Deus vnus ex rerum gubernatione cognoscitur.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & Vrbes, Regnaque tristia,
Diuosque, mortalesque turmas,
Imperio regit vnus æquo.

Incredibilis namque mundi magnitudo, quanta sit Dei supremi maiestas, testatur: nam si minima stellarum firmamenti, quas cernimus, maior est vniuerso terrarum orbe, quantâ magnitudine cælos præditos esse oportet, & ipsum supremum quod omnia complectitur? Deus autem implet & continet omnia, à nullo contentus: Vnde Iamblichus lib. de mysterijs, *Dij ex hoc maximè omnia continent, quòd nusquam continentur.*

Magnitudo mundi symbolum Dei.

Præterea, vnitas operum Dei, eum esse singularem ostendit: siquidem omnes omninò creaturæ vnicum & singularem mundum efficiunt, non autem plures, quia plures esse noluit Conditor Deus, ne plures esse Deos cogitaret homo, qui mundos plures, tanquam habitationis, & potentiæ, dominatusque sui regios exædificassent. *Itaque exceptis paucis*, inquit D. August. tract. 106, in Ioan. *in quibus natura nimium deprauata est, vniuersum genus humanum Deum huius mundi fatetur auctorem.* & Lactantius Firmianus lib. 1. Institut. cap. 3. *Nemo est quidem qui sapiat, rationeque secum putet, qui non vnum esse intelligat, qui & condidit omnia, & eadem quæ condidit, virtute moderetur.* Hinc est quod Sissenij vnitatem adorarent, quia, vt Trismegistus philosophatur, ἡ μονὰς ῥίζα τῶν ἁπάντων, *vnitas radix omnium rerum.*

4. Mundi cur non plures.

Vnitas adorata est radix rerum.

Nec est quod quis dicat: benè quidem vnum omnium gubernatorem esse, at non vnicum conditorem: quippe quòd singulorum effectuum per se sumpta consideratio, non vnum eundemque factorem decernat: nonnisi namque ab eo, à quo tam ampla, tam varia, tamque mirabilis hæc rerum series ordinatissima, summo consilio & potentiâ constituta est, administrari potest. Sap. 6. *Quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de omnibus.* Ps. 66. *Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terrâ dirigis.* Nullius extimescit potentiam, per quam ab æquâ gubernatione impediatur, sicut nec figulus opus suum veretur, sed ducit vt vult, & vt placuerit, conterit. Ipsa veritas quoque apud Isaiam, de se testificatur. cap. 44. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos, solus stabiliens terram, & nullus mecum.* Conuertere enim & euertere creaturas, solus potest, atque æquali imperio gubernare. Neque enim fieri potest, inquit Lactant. lib. 1. instit. cap. 2. quin id quod mirabili ratione constat, *consilio aliquo maiori sit instructum*: quibus verbis eleganter indicat, ex gubernatione, procreationem colligi; ideò enim mirabili modo & ratione constat, & mirâ rerum connexione, & successionum ordine conseruatur, quia opifex sapientissimus ita instruxit, sicut tali moderationi conueniebat. Non solùm ergo mundi gubernator vnus, ex eo quem cernimus, rerum & temporum connexo ordine, verùm etiam vnus

Sap. 6.

Psal. 66.

Isa. 44.

vnus & idem eiusdem effector habetur. *Si quis igitur concipiat animo*, inquit Lactant. lib. 1. instit. cap 3. *quanta sit diuini huius operis immensitas, quum antea nihil esset, tamen virtute atque consilio Dei ex nihilo esse conflatam, quod opus nisi ab vno inchoari perficique non potuit, iam intelliget multò faciliùs ab vno regi, quod est ab vno conflatum.* Vnde Boetius lib 4.

Sedet interea conditor altus,
Rerumque regens flectit habenas,
Rex & Dominus, fons & origo,
Lex, & sapiens arbiter æqui.

5. *Gubernatores orbis duo, non subalternati esse non possunt.*

Instabit Gentilis quispiam, non esse Deum vnum naturâ & entitate, sed consensione: at hac etiam ratione, plurium gubernationem vnius consensione voluntatis, oportet admittere. Si ita est, ô Ethnice, illimitatæ Dei virtuti limites præfixisti: nam si plures partiantur orbem, inquit Lactantius, minùs certè opum, minùs virium singuli habebunt, cùm intra præscriptam portionem se quisque contineat, id quod in imperij humani formâ videre est. Quis enim non potentissimum iudicet eum, qui totius orbis summam tenet? sin autem orbis regimen in plures Monarchas distribueris, virtutem & potentiam vnius distraxisti, neque perfecta erit plurium virtus. Virtutis namque perfectæ, natura, inquit Lactantius, non potest esse nisi in eo, in quo totum est, non in eo in quo pars exigua de toto est: summa autem æterni atque incommutabilis Dei potestas, diuidi nequit, siquidem id quod diuisionem capit, etiam interitum capiat, necesse est.

Diuisio, interitus causa.

Denique illa voluntatum consensio, non sic duratura est, quin aliquando diffideant, finitæ enim sunt, atque adeò finitæ entitatis & substantiæ: in dissidio autem non erit constans rerum moderatio: dissidium verò facit natura differens, motus enim & actiones sunt differentes, propter differentias naturarum, non è conuerso, inquit Iamblichus, lib. de mysterijs. Alter quoque alterius egebit auxilio, quòd singuli, inquit Lactantius, sine auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum sustinere non possint. Quapropter in hoc naturæ imperio, nisi vnus fuerit, ad quem totius summæ cura referatur, vniuersa soluentur, & corruent.

Naturarum differentia, dissidium parit.

Verùm, inquies, præsunt singuli partibus singulis, sed vnus est eximius. Ergo, non illi Dij, sed satellites & ministri. Dij namque non sunt, quos parere vni summo, necessitas cogit. Sicut itaque in vno corpore vna mens, non singulæ mentes, quæ singulos sensus & adfectus regant, iræ, lætitiæ, cupiditatis, metus, miserationis, &c. Ita vnus regit omnia & singula Deus, meliùs, ornatiùsque, quàm si plures essent rerum moderatores: vnde rectè Iustinus Martyr orat. exhortatoriâ ad Gentes, principatum plurium, bellis, & dissidijs expositum esse dixit: vnius verò imperium ab his incommodis liberum: & D. Athanas. orat. contra Idola. *Vbi Princeps non est, ibi disturbatio nascitur.*

Principatus plurium, bellis patet.

Capitis 14. §. 1.

Deus vnus, sacris profanisq; testimonijs comprobatur.

1. *Sap. 12.*

VT à singularitate diuinæ naturæ, ad vnius & solius Numinis comprobationem accedamus. Elegantissimè, dictum, Sapientiæ cap. 12. *Non est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium*: sicut enim, vnicus & solus est, penes quem summum totius vniuersi imperium, ita solum & vnicum summum bonum est, à quo non est prouocatio ac melius, quæ si daretur, non esset summum bonum in iudicijs suis Deus: ita stabiliuit Sapiens. Theologorum autem etiam est illud, *In omni genere entis, est inuenire vnum summum.* Atqui semen est naturæ, vnicuique rei inditum: hinc inter apes, Rex vnus: inter grues in volatu, dux vnus: inter quadrupedia, primas tenet Leo: inter volucres Aquila: inter aquatilia, Cete: in vno corpore, vnicum caput est; in naui Nauclerus vnus: in exercitu, vnicus Imperator: nam si in vno exercitu, tot fuerint Imperatores, inquit Lactantius, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ, nec instrui poterit acies vnoquoque periculum recusante, nec regi facilè aut temperari, quòd suis proprijs consilijs vtantur omnes, quorum diuersitate plus noceant, quàm prosint. Sic inter luminaria cæli, Sol vnus, qui vnici Dei argumentum, radijs suis omnia lustrat, sicut Deus: inter Angelorum ordines, Seraphim: inter Angelos, spectatâ eorum creatione & conditione, Lucifer: inter Apostolos, Diuus Petrus, penes quem primarius totius Ecclesiæ principatus: inter Prophetas Domini, Moises: inter homines, Christus: inter mulieres, Virgo Virginum Dei sacratissima, atque superexcellentissima mater superbenedicta: in orbe vniuerso, vnicus Monarcha, qui omnia complectatur & comprehendat, incomplexus ipse & incomprehensus; à quo omnia, qui principium sine principio, vnicus Deus & Dominus, sicut vnica Fides est, vnum Baptisma, vnica sponsa Ecclesia; de quo Trismegistus in Pimandro, *Deus est monas*, id est, *vnitas*, omnium principium radix & origo, sicut cecinit Prudentius;

Deus vnus & summum bonum.

Vnum summum datur in vnoquoque genere.

Sol, est argumentum Dei.

Virgo mater summa est inter mulieres.

Deus est monas.

Hic est quem Sabaoth Deum vocamus,
Expers principij, carensque fine,
Rerum conditor & repertor orbis,
Fons vitæ liquidâ fluens ab arce,
Infusor fidei, sator pudoris.

Quem vnum mundi opificem, quemadmodum mundus vnus est, dixit Plato: quem vnicum Socrates perhibuit, quâ de caussâ ab Anyto & Melito in vincula coniectus, cùm ab eâ sententiâ, quam mordicus tenebat, reuocare se nollet, tandem haustâ cicutâ mori compulsus est, vt scribunt, Iustinus, Apuleius, Gellius, & alij. Quem vnicum triplici ratione probare connituntur Platonici apud Cæl. Rodiginum lib. 22. variar. Lection. cap 4. Primò, quia est summè vnitas: nam si quodlibet summum est vnicum, quid magis vnicum est, quàm summa vnitas? Est etiam vnus, quia est veritas, summa enim veritas vna est: nam si duæ summæ veritates esse dicantur, aut vna earum habet quidquid habet altera, aut non: si prius datur, vna est, non duæ; si alterum, neutra est summa, deest enim isti illud veritatis, quod in illâ est, & illi, quòd in istâ. Tertiò vnus est Deus, quia summa est bonitas, summa quippe bonitas, quidquid reperiri vsquam potest boni, complectitur. Quod si duas induxeris bonitates summas, quidquid boni est in vnâ, est & in alterâ, alioqui neutra esset summa, & secundum boni ipsius naturam, vnum sunt, non duo: neque est aliquid aliud illis admixtum, præter bonitatis naturam, quia aliàs summæ non essent, sed inquinatæ, vnum itaque sunt omninò. Hæc ibi.

Socrates quia vnum Deum confessus est, moritur.

Deum vnum esse vt probent Platonici.

2\. Quia iam in eâ ratiocinatione, tria transcendentia memorantur, quæ respectu entis, se habent ad modum passionis eius: vt illa de Deo dicantur, videndum est. Inprimis ergo, vnum dicitur de Deo, aut adfirmatiuè aut exclusiuè, sicut docent Theologi cum Suario lib. 1. de essentia Dei cap. 6. Priori modo Deus est vnus, quia ens, quia indiuisus in se, aliàs, non esset ens; & ab alijs necessariò distinctus, quia est proprium & particulare ens; aliàs, omnia alia essent Deus, vt lapis, ignis, & cætera huiusmodi. Addit Doctor Angelicus primâ part. quæst. 11. art. 4. Deum esse maximè vnum, quia maximè simplex, summæ indiuisionis, à creatis infinitè distans, distinctus ab illis secundum entitatem suam.

Vnum quomodo dicatur de Deo.

Deus est maximè vnus.

De qualibet tamen re etiam affirmamus vnum, siue res aliæ similes sint, siue non sint, quia per hanc adfirmationem, non negamus esse alia similia, sed negamus diuisionem ab ipsâ re, quæ dicitur vna, & ponimus diuisionem ab alijs. Quanquam nec ipsa res, quæ sic dicitur vna, summam in se vnitatem habeat, quod exemplo Solis ostendit D. Bernardus lib. 5. de Consideratione. *Sol, inquit, vnus est inter cætera, quod nihil eius, aut ipsi simile alibi reperitur; at vnus non est sibi: cùm distinctionem admittat substantiæ & accidentis: neque hanc vnitatem nanciscitur substantiâ propriâ, sed creatione diuinâ. Cæterum Deus vnus inter cætera, nullus illi æquiparabilis, vnus sibi, absque accidente substantialiter existens, non alterius molitione conditus.*

Res qualibet est vna.

Sol vnus vt dicatur.

3\. Posteriori modo hîc, Deus dicitur vnus, quia præter illum, nullus est verus Deus, nec esse potest. Circa hanc veritatem errarunt, qui plures Deos inuexerunt. Est autem fidei, diuinam naturam veram, vnam, & per essentiam multiplicari non posse, ideoque vnum tantùm esse Deũ: Quem vnum esse, & non plures, tot, tantisque sacrarum literarum monumentis persuademur, inquit Genebrardus vir doctissimus lib. 2. de Trinit. vt pluribus & simplicioribus verbis nemo adfirmare valeat, solem meridie lucere. Nam Moises decalogum Dei digito ac virtute exaratum, populo proponens, prima Dei verba fuisse ait: Exod. cap. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, non erunt tibi Dij alieni coram me.* Et Deut. cap. 4. *Vt scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter vnum:* & paulò pòst, *Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus est Deus in cælo sursum, & in terrâ deorsum, & non sit alius.* Rex & Propheta identidem psal. 17. *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum?* ex quo efficitur, Deum verum nonnisi vnum, & solum esse. Quod asserit idem Propheta psalm. 82. *Tu solus altissimus super omnem terram, magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Quem prædicauit Isaias, apud quem Dominus ipse cap. 47. *Ego sum primus & nouissimus, & præter me non est Deus.* Sexcentisque alijs in locis Dei vnitas signatur: vnde etiam Apostolus 1. ad Corinth. cap. 8. *Scimus quia nullus est Deus nisi vnus.* Et ad Ephes. 4. *Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis,* in quibus verbis Dei vnitatem, & dignitatẽ significauit, quemadmodũ D. Tho. in eum locũ leẽt 2. vnitatẽ naturæ, quum dixit *vnus Deus.* Ita enim Deut. 6. *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est:* quod à Scribâ sic explicatũ legimus, apud Matth. cap. 12. *Quia vnus est Deus & non est alius præter eum;* cui explicationi, vt potè prudenti, annuit Christus, vnde Euangelista subdit, *videns Iesus, quòd sapienter respondisset.* Dignitatem verò in his, *Qui est super omnes;* postquam enim cum naturæ vnitate, coniunxit quod naturale est Diuinitati, beneuolentiam scilicet, & diuinam in nos pietatem, Patrem omnium, illum appellans, quemadmodum & Isaiæ 63. *Tu Domine Pater noster & Redemptor noster.* Et Malachiæ 2. *Nunquid non Pater vnus omnium nostrum, nunquid non Deus creauit nos?* Dignitatem primùm ex altitudine Diuinitatis commendat, dicens, *Qui est super omnes gentes:* Sicut & psal. 112. *Excelsus super omnes gentes Dominus.* Tùm ex potestatis amplitudine, in his, *Per omnia:* implet enim cælum & terram. Ierem. 23. & omnia subiecta sunt sub pedibus eius. Psal. 8. cum potestatis plenitudine: tum denique ex largitate gratiæ, dicens, *In omnibus vobis,* scilicet, per gratiam, sicut & Ierem. 4. *Tu autem in nobis es Domine.* Et vt Senecæ ad Lucillum verba assumam, *Propè Deus est, tecum est, intus est. Ita dico Lucili sacer inter nos spiritus sedet, malorum, bonorumque nostrorum obseruator & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat.*

Deus vt vnus sit.

Exod. 20. *Deuter. 4.* *Psal. 17.* *Ps. 82.* *Isa. 47.* *1. Cor. 8.* *Ephes. 4.* *Deuter. 6.* *Matth. 12.*

Deus est pater omnium. *Isa. 63.* *Malach. 2.* *Ps. 112.* *Ierem. 23.* *Psal. 8.* *Ierem. 4.*

4\. Propter hanc vnitatem diuinam, Dominus regnum cælorum perhibuit simile Patri-familias, homini regi, non autem simile Patribus-familias, aut hominibus regibus; vt omnes nouerint, vnicum esse Deum, sicut & vnicũ est regnum nobis conferendum. Similiter autem, vnicam vineam dixit, vt sciant omnes vnicam esse pariter Ecclesiam, sicut aduertit Ioannes Suarez tractatu 6. in cap. 26. D. Matthæi: vnitate communitatis, quia non est aliquid vnum, sicut simplex; sed sicut compositum ex diuersis partibus, sicut Ciuitas; in quâ, ad hoc vt sit vna, quatuor debent esse communia, inquit D. Tho. Gubernator vnus, Lex vna, Insignia eadem, & finis idem. Quæ omnia secundum Apostolum, sunt in Ecclesiâ: nempe Gubernator & Dux vnus Christus, *vnus Dominus*, non plures, à quibus pro voluntatum diuersitate dissidere nos oporteat: Zachar. 14. *In illâ die erit Dominus vnus, & nomen eius vnum.* Vna lex, nempe fidei, siue ipsa pro re creditâ accipiatur, vt quum dicitur, *hæc est Fides Catholica vt credamus, &c.* siue pro habitu fidei quo creditur in corde, qui vnus est specie, non numero, quia idem in corde omnium esse debet: sicut plurium voluntatum cõsensio, dicitur vna voluntas. Eadem insignia, nempe Sacramenta: & finis idem, scilicet Deus ipse, Filius enim ducit nos ad Patrem.

Regnum cælorum simile Regi non Regibus.

Ecclesia vna est.

Ciuitas vt sit vna quatuor requiruntur.

Zachar. 14.

Accedit Patrum auctoritas. D. enim Dionysius Areopagita lib. de Diuin. Nominib. cap. 2. ita infit, *In omnibus ferè libris sacris, aduertimus Diuinitatem sanctè prædicari, vt singularem quidem & vnicam, ob simplicitatem, atque vnitatem excellentis illius indiuidui, ex quo, veluti viuificâ virtute, in vnum tendimus.* Diuus Gregor. Nazianzen. in Epistolâ ad Euagrium. *Indiuidua summi Numinis natura est.* Diuus Augustinus lib. 1. contra Maxim. & lib. de fide ad Petrum. Fulgent. cap. 1. *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnum sunt, propter indiuiduam, eandemque naturam.* Irenæus præterea, aduersus hæreses lib. 1. cap. 2. alijque omnes,

Diuinitas est singularis.

Vnâ voce Deum fatentur vnum
In triplici virtute suâ. Qui temperat orbem
Terrarum, Dominus Deusque rerum.

5\. Verùm quia sacra Prophetarum testimonia, Sanctorumque Patrum auctoritas, fidem non faciunt apud eos, qui sacros codices reijciunt, vt sunt Pagani. Præterquam quod rationes hoc ipsum demonstrent, quæ sumuntur ex summâ simplicitate, infinitate, perfectione, primâ omnium rerum efficientiâ, seu ratione primi principij, & finis vltimi, quas producunt Patres & Scholastici, inter quos Okam & Gabriel Biel, malè docuerunt, solâ fide id constare. Esto enim, apud eos qui

Deum esse singularem non tantùm fide sed ratione etiam habetur.

sacra

sacræ Scripturæ credunt, omnino sit extra controuersiam, vt inquit D. Damascen. lib. 1. de fide, cap. 5. At, verum etiam illud est Tertulliani lib. 1. contra Marcion. cap. 3. *Deus si non vnus est, non est.* Alijs tamen præterea rationibus, tum Poëtarum Philosophorumque testimonijs, quos ipsi Pagani suspiciunt & venerantur, quod agimus, conuincendum est.

Vnicus est Deus aut nullus.

Ratio itaque hoc efficere videtur, si rerum vniuersitatis genus triplex esse aduerterimus: temporale, videlicet, perpetuum, & æternum. Temporale, est rerum quæ interitui sunt obnoxiæ, vt stirpium, plantarum, animalium, cæterorumque huiusmodi. Perpetuum, conuenit Spiritibus immortalibus, & sphæris æthereis, quæ cœperunt esse, desinent nunquam. Æternum, quod sine principio, sine fine, sine mutatione, quod est Dei. Esse corporum nostrorum, temporale est: esse animæ nostræ, perpetuum: solus Deus æternus. Tempus perpetuâ circumuolutione agitur; quod fuit, non ampliùs est; quod præsens est, pennâ fugit irreuocabili; quod futurum est, non est. Vnde Ouid. 15. Metamorph.

Ratione conuincitur. Vniuersitatis genus triplex.

Temporis inconstantia.

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen, neque enim consistere flumen,
Nec leuis hora potest, sed vt vnda impellitur vndâ,
Vrgeturque prior veniente, vrgetque priorem.
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur:
Et noua sunt semper: nam quod fuit antè relictum est,
Fitque quod haud fuerat, momentaq; cuncta nouantur.

Æternitas, quæ Boëtio est interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio; mutationem nescit, esse habet permanens: quod fuit aut futurum nobis est, illi semper præsens est, fuisse aut futurum esse nullum admittit, & est ipse Deus vnus & simplicissimus. Sedulius.

Æternitas quid sit.

——— *tempora summus*
Cernens cuncta Deus, præsentia, prisca, futura,
Semper adest, semperque fuit, semperque manebit.

Deinde, etsi duo quæ à seipsis sint omni seclusâ productione, dari omnino non possunt: sed neque duo dederis quorum vnum ab altero procedat in naturâ & essentiâ distinctum, quæ sint æqualia in perfectione naturæ. Quare euidens fit Deum esse vnum, quia debet esse ens necessarium & summum, ita vt non possit habere superum. Addamus & rationem finis vltimi rerum omnium, qui vnus esse debet, cùm nemo duobus Dominis seruire queat, hoc est, in duos fines totales actus suos dirigere: Finis ergò iste Deus est, à quo omnia fluxere, & ad quem propterea referuntur: vnde ait, *Ego sum* α *&* ω. principium & finis conditorum. Quid? quod super omnia diligendus est? ferimur enim naturaliter in bonum & pulchrum, quibus, si summa fuerint, summum debemus amoris affectum. Hinc Origen. *Vnusquisque quod præ cæteris colit, quod super omnia miratur & diligit, hoc ei Deus est. Si quid illud est, quod in dilectionis laude præponderat, hoc tibi Deus est.* Hinc Proclus lib. de Animâ & Dæmone. *Exercitus Heroum, vnà cum Dæmonibus, & Angelis, circa pulchritudinem debacchatur:* at nisi vnus Deus fuerit summè pulcher & bonus, non poterit sic diligi. Si namque duos esse dicimus, tunc ambo, vel æquè diligendi, & sic neuter super omnia diligetur: vel non æquè, & sic solus erit Deus super omnia diligendus. Non ignorauit Scriba apud Matth. cap. 12. hanc consecutionem: vnde sapienter præmisit, non esse nisi vnum Deum, vt concluderet, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Apoc. 1.

Quod amat quis super omnia, hoc illi Deus.

Matth. 12.

Ad extremum, nisi vna præesset omnibus ratio, quæ leges modosque rebus constituisset, non ea partium consensione, aptaque dispositione, quâ nunc in vniuersi formam conspirarunt, mutuò conuenirent, sicut ait Trismegistus in Pimandro: hæc autem in vnum congredi, absque summâ congregantis virtute, non possunt; talem igitur aliquem esse oportet, ac penitùs vnum: nam si duo vel plures essent, cùm tam varij, tamque multiplices sint rerum motus, plurium, differentiumque voluntatum concursu, rerum aptissimus ordo solueretur potiùs, quàm stabiliretur, seruaretúrque. Atque ita ratio, vnam indiuiduamque esse Numinis naturam conuincit.

6.

Sed hoc etiam affirmant Poëtæ, qui quamuis gentium Deos suis carminibus celebrarint, natalitios eorundem, mortisque dies, atque libidines retulerint, vt hinc intelligas vulgi corruptelâ Deos appellari, qui apud tartara excruciati, dæmonum premuntur imperijs: ab vno tamen spiritu, siue mente, cuncta contineri simul & regi cecinerunt. Orpheus Poëtarum antiquissimus, cum eo in libro qui testamenta inscribitur, trecentos & sexaginta Deos induxisset, eiusce rei pœnitentia ductus, Deum vnum, verum, & magnum confessus est, quem πρωτόγονον, id est, *primogenitum appellauit*, quòd ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso cuncta generata sint. Ita Lactant. lib. 1. institut. cap. 5. & Clem. Alexandrin. Epistolâ exhortatoriâ ad gentes. Eundem etiam φάνητα nominauit, quòd quum adhuc nihil rerum esset, primus ex infinito apparuerit, extiteritque: non quòd ex aëre immenso, subtilissimoque natus sit, sicut ipse vult, non valens Numinis originem sine origine, naturamque non ex præexistente naturâ genitam, animò concipere. Infit enim,

Dij plures ex vulgi corruptelâ.

Deus πρωτόγονος.

πρωτόγονον φαέθων, περιμήκεος ἠέρος υἱός.
Principio genitus Phaëton, longo aëre natus.

Deum ex aëre natum dixit Orpheus.

Sed quod à se existens, in rebus à se conditis, impresso vestigio, apparere voluerit. Atque ita, naturâ duce, intellexit esse præstantissimam potentiam, cæli & terræ conditricem, veluti apud Iustinum Martyrem in lib. de Monarchiâ, apertè cecinit, ad Musæum.

Tu quem Luna suis tenerum finibus tulit, audi,
Musæe, effabor nam vera tibi: caue, ne te
Decipiant, mentemque tuam, mala quæ ante probasti.
Fige Dei in verbum tua lumina, in hocque quiesce.
Flecte ratem mentis, stabilisque hanc dirige cursu,
Qui regit imperio cuncta, hunc respice solum.
Vnus is est, per se extitit, omnia condidit vnus,
Est in eis ipse, ast hominum nec cernitur vlli,
Cùm tamen assiduè cuncta videantur ab ipso.

Accedit Menander in Diphilo.

Qui Dominus est verè semper omnium
Et pater, hic vnus semper colendus est
Qui tanta protulit, & inuenit bona.

Sophocles quoque.

Est vnus, est verè profectò vnus Deus
Polumque fabricauit, & longum solum,
Pulchrum tumoremque maris, vimque flatuum.
Mortalium ast errantes corde plurimi,
Extruximus nos solatia cladium:
Deorum imagines, saxeas, æneas,
Aut fabrefactas auro, vel eburneas.
Eisque sacra præclara, atque festos dies
Quando afficimus, sic nos putamus pios.

Hanc enim acceptam ab ipsâ ratione vnius & veri Dei cognitionem, diffiteri non potuit, etiam in vulgari plurium Numinum opinione fluctuans. Euripides denique in Bellerophonte.

Videte

Deus vindex scelerum.

Videte qui Deum non esse ducitis,
Errore non candidè ducti duplici.
Namque est Deus. quod si quis agat malè
Malus, si præteritum tempus sarciat.
Is namque postero pœnas dabit tempore.

Neque hoc dissimulauit Ouidius 1. Metamorphoseon, Deum nempe esse vnum mundi fabricatorem, atque omnium rerum, quæ in eo sunt, opificem.

Ille opifex rerum mundi melioris origo.

Non Virgilius, qui mundum à summo Deo instructum, ab eodem etiam regi asserit: neque enim vlla potestas est, quæ quod fecit, non regat.

Principio cælum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Nempe continens omnia Deus, nusquam contentus, summaque ratione ea quæ fecit, moderans. Et ne Homerum præteream; is Iliade octauâ vni primoque Deo quem Iouis nomine intelligit, omnium potestatem potentiamque, per aureum illum funem & catenam tribuit: sic enim cum Dijs reliquis loquentem inducit.

Catena aurea Iouis.

εἰδ' ἄγε πειρήσασθε θεοὶ, ἵνα εἴδετε πάντες
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες
Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι.
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
Ζῆν' ὕπατον μήστωρ', οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε·
Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι,
Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ' αὐτῇ τε θαλάσσῃ·
Σειρὴν μέν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον Οὐλύμποιο
Δησαίμην, τὰ δέ κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο.
Τόσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ θεῶν, περί τ' εἰμ' ἀνθρώπων.

Quin agite, periculum facite Dij; vt cognoscatis omnes.
Catenam auream de cælo suspendentes.
Omnes appendamini Dij, omnesque Deæ:
At non trahetis de cælo in terram
Iouem summum sapientissimum, etiam si valdè multum laboraueritis.
Sed quando iam & ego lubens volam trahere,
Cum ipsâ terrâ traham, ipsoque mari,
Catenam ipsam dein ad summitatem Olympi
Religabo, illâ verò suspensâ, omnia pendebunt.
Tantùm ego super Deos, sum, & super homines.

7.

Qui Deum vnicum esse cognouerint.

Plures adferre possem, nisi me reuocarent Philosophi, qui eandem veritatem consecuti, suis literarum monumentis inscriptam reliquerunt. Siquidem antiquiores illorum, Deum, *ipsum vnum*, vocabant, Eugubino teste lib. 3. de perenni Philosophiá cap. 2. Socrates, quem Apollo Delphicus, Dæmon versutissimus, vt virum optimum vel inani sapientiæ fuco inficeret, vel saltem præclaro testimonio eum sibi conciliaret, omnium mortalium sapientissimum esse respondit Deum vnicum esse, professus est. Pythagoras, Deum esse spiritum dixit, qui per omnes terræ partes diffunditur, & quo viuunt omnia; &, ὁ μὲν θεὸς εἷς, *Deus quidem vnus est*, inquit. Plato, quia multorum administratio omnibus in rebus debilis fit ac infirma, monarchicum regimen, omnium Philosophorum consensu, præfert cæteris, sicut & Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 10. vnamque diuinam Monarchiam confitetur, Deum verò non rationem, non fatalem necessitatem, non legem diuinam, aut spiritum, sed sicuti est, bonum, & iustum, potentem super omnia, & facientem iudicium, sicut ait Comicus:

Socrates iudicio Apollinis, sapientissimus.

Monarchia prælata.

Deus, quid sit.

Index.

Ἄξει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην.

Adducit ad supplicium Numen improbos.

Qualem etiam descripsit Philemon apud Iustinum Martyrem lib. de Monarch.

Sperásne mortuos semel Nicostrate,
Qui omni in voluptate suos duxerint dies,
Et terram operturam per cuncta tempora,
Quasi latentes effugisse eos Deum?
Iustitiæ aspectus cernit omnia.
Si namque iustus idem consequetur, & malus,
Misceto cuncta, furator, spolia, rape:
Ne erra: manet te iudicium apud inferos,
Quod post Deus faciet rector omnium,
Cuius timendum nomen est, quod nec nominauerim.

Nomen Dei timendum, & innominatum.

Aristoteles, vnam mentem mundo præesse testatur lib. de mundo, cap. 6. *Quod in naui est gubernator*, inquit, *quod in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu Imperator, hoc idem in mundo est Deus, nisi quòd in illis principatus est laboriosus, perturbatus, & anxius: in Deo verò est facilis, ordinatus, & tranquillus.* Quo spectat etiam, quod 1. Metaphysic. ait. *Nec multorum principatus bonus est, sed Princeps vnus, vnumque principium, quod quidem Deus est*: & alibi: *Entia disponi malè nolunt, pluralitas Principum mala, vnus ergo Princeps, id est, Deus*: & istud est, quod dixit Plato in Timæo. *Est igitur meâ sententiâ, primum constituendum, quod sit quod semper est, neque vllum habet ortum*; quodque Homerus pronuntiauit Iliad. 2.

Rex vnus.

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεύς.

Non bonum multorum principatus, vnus Princeps esto
Vnus Rex.

Thales Milesius, è septem Græciæ Sapientibus vnus, Deum esse dixit antiquissimum entium, ingenitum & æternum, cur ita? ὅτι ἀγένητος, inquit, *quia nusquam esse cæpit*. Anthistenes, multos quidem esse populares Deos, qui Nationibus, Regnis & Prouincijs præsint, vnum tamen naturalem, id est, summæ totius artificem. Iamblichus, *Quæ apud nos sunt*, inquit, *fieri formarivè nequeunt, nisi vna quædam virtus opifex, & specierum participatio per omnia diffundatur.* Et apertiùs in his. *Proprietas Deorum est vnitas, permanentia in seipsis, immobilis motionum caussa, prouidentia eminens, nihilque commune habens cum ijs quibus prouideat: atque hæc proprietas in eis secundum essentiam, & virtutem, actionemque seruatur.* Quod si numerum pluratiuum correxeris, nihil Christianius ab eo dici potuit: Tullius, nihil Deo excellentius esse profitetur, à quo reguntur vniuersa. *Est*, inquit, *spiritus liber ab omni hominis cognitione & consortio separatus, sciens & gubernans omnia.* His accedit Sibyllæ testimonium: auctor Fenestella de xv. viris, restituto Capitolio C. Curionem Cos. retulisse ad Senatum, vt legati Erithras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita, Romam deferrent, è quibus desumpta hæc de Deo testimonia.

Deus ingenitus.

Dij populares nationum præsides.

Vnitas est proprietas Dei.

εἷς θεὸς, ὃς μόνος ἐστὶν, ὑπερμεγέθης, ἀγένητος, παντοκράτωρ.

Vnus Deus, qui solus est, excedens omnem magnitudinem, increatus,
Omnipotens. Item.

εἷς μόνος εἰμὶ θεὸς· καὶ οὐκ ἔστι θεὸς ἄλλος.

Solus enim Deus sum: & non est Deus alius.

Aliàs. εἷς δὲ θεὸς μόνος ἐστὶ. Sibylla.

Quin & Apuleius ipse, homo à nostrâ Religione alienus, Aristoteli non dissimilia fatur, quæ tamen ex Hebræorum fontibus, quorundam sententiá, hausit. Ait enim. *Quod in triremi gubernator ac nauclerus, in curru rector, choragus in comædijs exhibendis, præcentor in choris: Agonotheta seu remunerator in obeundis certaminibus, Consul inter ciues,*

Deus

Dux in exercitu, comes in suscipiendis, propulsandisque periculis, hoc est in mundo Deus. Et vt verbo dicam, illos altissimos viros error iste non tenuit, vt existimarent, Deos esse, Martem, Mercurium, Herculem, Dianam, Latonam, cæterosque, quos varium vulgus venerabatur. *Ne hoc quidem crediderunt*, inquit Seneca Natural. quæstionum lib. 2. cap. 45. *Iouem, qualem in Capitolio, cæterisque ædibus colimus, mittere manu fulmina, sed eundem quem nos Iouem intelligunt, custodem rectoremque vniuersi, animum ac spiritum, mundani huius operis Dominum & artificem, cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum. Vis illum prouidentiam dicere? rectè dices. Est enim cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi suâ. Idem Etruscis quoque visum est: & ideò fulmina à Ioue mitti dixerunt, quia sine illo nihil geritur.* Sic ille. Qui alio sensu quàm à Platone negatum est, Deum & fatum dici, & spiritum, rationemque pronuntiat: Itaque omnium consensione *Est vnus Deus altissimus, qui omnia propter seipsum operatus est.* Prouerb. 16. Quem summo ingenio viri attigerunt, ac propè tenuerunt, inquit Lactantius, nisi eos fucata prauis opinionibus consuetudo retrorsum rapuisset, quâ & Deos alios esse opinabantur, & ea quæ in vsum hominis Deus fecit, tanquam sensu prædita essent, pro Dijs habenda & colenda credebant.

Deos plures esse non putarunt sapientes.

Iupiter non alius est, quàm verus Deus.

Dei nomina.

Prou. 16.

Capitis 14. §. 2.

Quomodo Theologus probet Deum esse vnum?

1. Vnum est proprietas entis.

CVm Deus sit ens, vnum autem sit proprietas cum ente conuertibilis, dubitari non potest, quin Deus sit vnus, sicut supra §. 1. num. 2. ostendimus, prout vnus dicit proprietatem entis, quia omne ens, est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: & sub hac ratione vnius, etiamsi plures essent Dij, veritatem tamen semper haberet hæc propositio, Deus est vnus: veluti vera est hæc, homo est vnus, quanquam plures dentur homines, quia est indiuisus in se, & diuisus à qualibet aliâ specie entis. Namque vti D. Dionys. Areopag. Diuinorum Nominum, cap. 2. inquit, non est multitudo quæ non participet alicubi vnum, sed quod est multa partibus, vnum est toto; quod est multa accidentibus, vnum est subiecto: quod est multa numero, vnum est specie: quod est multa speciebus, vnum est genere: quod est multa processionibus, id est, caussalitatibus, vnum est principio. Hinc est, quòd cùm D. Tho. 1. parte, q. 11. art. 1. constituisset, vnum nihil addere enti, nisi negationem diuisionis, quam omne ens participat (nam si simplex fuerit, est indiuisum, quia à seipso separari non potest: si compositum, est etiam indiuisum, quia partes diuisæ non constituunt totum: quò fit, vt esse cuiuslibet rei, in indiuisione positum sit; vnumquodque verò dum appetit suum esse, suam appetat indiuisionem) posteà tamen art. 2. ait, vnum non sic opponi multis, quin etiam de illis prædicetur: nam quod est multa simpliciter, est vnum secundum quid: veluti multi homines, multi milites, multa indiuidua, vnus numerus, vnus exercitus, vna sunt species: & contrà, quod est vnum simpliciter, est multa secundum quid: sicut homo, secundum quid est multa, qui simpliciter est quid vnum; siue partes ex quibus componitur, spectes, siue accidentia. Sed hic non est propositæ quæstionis sensus, an scilicet Deus hac ratione vnus esse probetur; ita vt nihil sit in illo, quod non sit ipse Deus formaliter vel denominatiuè, totaliter vel partialiter; quod est cuilibet enti commune. Sed sensus est, quomodo vnicus numero comprobetur, sic vt plures Dij eiusdem speciei, solo numero differentes, dari non possunt.

Multa sunt vnum.

Esse rerum est esse indiuisum.

Homo est secundum quid multa.

Vnicus Deus numero.

2. Dico ergo, Deum esse vnicum: insaniant Idololatræ, siue triginta Deorum millia, quæ in orbe terrarum habita fuisse memoriæ prodidit Hesiodus, siue trecentos Ioues suscipiant, quos Tertullianus à M. Varrone enumeratos scribit. Insaniat licet Manichæus cum suis duobus rerum principijs, bono, & malo rumpantur Hæretici, qui ex personarum pluralitate, plures Deos inuexerunt. Hoc enim quod dicimus, testantur Scripturæ quas §. superiore adduximus: & definiuit Lateranense Concilium, capitulo *Firmiter. Credimus & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus.* Probatque inprimis optima ratio D. Thomæ: quia nempe indiuiduatio alicuius, non potest esse communis pluribus, vnde quamuis homo, sit terminus communis, homo tamen indiuiduatus, puta Socrates, non est cõmunis pluribus: sed natura diuina, & indiuiduatio naturæ diuinæ, sunt vnum & idem, Deus enim est sua essentia: ergo impossibile est vt natura diuina sit communis pluribus Dijs: maior est manifesta, indiuiduatio namque, siue hæcceitas cuiusque, est id quo aliquid est indiuisum à se, & diuisum à quocunque alio, diuisione vltimâ, ac proinde, est prorsus incommunicabilis: vnde si Petrus esset homo per idem, per quod est Petrus: sicuti non potest esse multiplex in esse Petri, ita non possent esse plures homines. Optima hæc est ratio, suppositâ verâ Philosophiâ de distinctione graduum Metaphysicorum, & de naturis à parte rei vniuersalibus. Est & altera eiusdem Doctoris Angelici ratio, quia scilicet Deus est perfectionis infinitæ, includens in se omnem perfectionem in latitudine entis possibilem, at tale ens, non potest esse nisi vnum, ergo. maior patet Baruch. 3. *Magnus est, & non habet finem excelsus & immensus.* Psal. 144. *Magnitudinis eius non est finis*, hoc est, Deus ita magnus in suâ perfectione est, vt finem, seu terminum suæ perfectionis non habeat. Probatur minor: quia si essent duo, in aliquo differrent, quod esset alterius perfectio, ergo vnum haberet perfectionem, quàm alterum non haberet, atque ita non erunt duo, sed vnum. Nec dici potest, eiusmodi perfectionem, in vno futuram formaliter, in altero verò eminenter: nam si in altero sit eminenter, iam eo ipso, illud, altero erit perfectius.

Deorum triginta millia.

Ioues 300.

Indiuiduatio non potest esse communis.

Baruch. 3. Ps. 144.

Probatur 3. Quia ordo multorum ad inuicem, est propter ordinẽ eorum ad aliquid aliud, atque omnes partes vniuersi sunt ordinatæ ad inuicem, ergo oportet eas habere ordinem ad aliquid aliud, quod erit Deus. Maior patet inductione: ordo enim partium domus ad inuicem, est propter ordinem earum ad vnum patrem familias: & partium Ciuitatis, Prouinciæ, aut Regni, propter ordinem ad vnum Principem: & ordo partium exercitus, propter ordinem ad vnum Ducem: & partium corporis inter se, propter subordinationem ad vnum caput: & sic de cæteris: Minor verò patet experientia: videmus enim partes huius vniuersi miro modo conspirare in bonum ipsius: longè autem satius est dicere, hunc ordinem ab vno, quàm à multis pendere: quia,

Ordo multorum refertur ad vnum.

quia, vt inquit Arist. 12. Metaph. in fine, entia nolunt malè gubernari, malè autem gubernarentur, si plurium principatui subiecta essent: quare vnus sit Princeps absolutus, non plures.

Probatur 4. Quia cùm Deus sit ens à se necessarium: si dentur duo Dij, conuenient saltem in specie infimâ: nam si tantùm genere conuenirent, vnus non contineret perfectionem specificam alterius, sed tantùm genericam, ergo non includeret omnem rationem entis: nec formaliter quia specie differrent; nec eminenter, quia vnus non posset alterum producere, cùm vterque sit ens à se necessarium: si igitur conueniunt specie, iam differunt per aliquam differentiam, quæ factura sit compositionem cum eo in quo conueniunt; quæ autem composita sunt, non possunt esse à se. Patet ex Arist. 8. Metaphys. vbi non aliam caussam quærendam docet, cur ex duobus fiat vnum, quàm quia, vnum, est potentia, alterum actus, ex his enim duobus fiet vnum totum absque aliâ caussâ, nisi, inquit Arist. aliquid fuerit ex potentiâ in actum mouens, nempe caussa efficiens. Denique si sunt duo Dij differentes numero solo, oportet eos habere materiam: vbi enim multa numero sunt, ibi materia est, ex Arist. 12. Metaph. Sunt & aliæ rationes quæ à Theologis afferuntur, quas, quia supra tetigimus, ne actum agamus, hic non recensendas duxi.

CAPVT XV.

De Deo vero.

Deus verus, & eius veritas.

1.

DEus est vnus, quia est summa veritas, quæ vna est. Hoc Platonicorum dictum, de quâ veritate accipiendū est? Constat apud Philosophos & Theologos, veritatem analogicè dici, de veritate prout est in rebus ipsis, & prout est in cognitione intellectus, aut sensus, & prout est in enuntiationibus. Veritas in rebus, consistit in conformitate cuiusque entis ad suam mensuram, siue ad regulam artis, per quam est condita. Quæ in intellectu est, in conformitate cognitionis ad rem cognitam, est posita, ita vt res ipsæ, sint mensuræ veritatis in intellectu, saltem speculatiuo; nam practicus intellectus est mensura veritatis, quæ est in rebus, quatenus sunt effectus artis. Duplex autem ea est, vna ex simplici apprehensione rei, vt ipsa se habet: ex compositione & diuisione alia, quando res, aut sic, aut aliter se habere indicatur. Sensus etiam rem, prout se habet, cognoscit, ideoque in eius cognitione, simplicis apprehensionis veritas admittenda est, quòd conformitatem habeat in re cognitâ, tanquam in veritatis mensurâ: vnde quoque falli dicitur aut non falli. Enuntiationis autem veritas, in conformitate signi ad rem signatam, posita est, namque enuntiatio illa veritatem habet, quæ vero mentis conceptui respondet, qui quidem attingat rem, prout se habet.

Veritas analogicè dicitur.

Veritas triplex.

Intellectus practicus, est mensura artefactorū.

Sensus cognoscit.

2.

Moralem hanc appellant, quæ in nobis virtutem quandam significat, quia inclinamur semper ad dicendum verum: homo enim, etiam post lapsum communem, boni, veriq́ue cupidine agitatur: *nam veri & boni inest illi appetitus, licet longè debilior quàm priùs,* inquit Iustinianus, de casto connubio, cap. 4. Rectrices siquidem animæ potentiæ duæ, naturaliter in sua obiecta feruntur, teste Philosopho, 3. Ethic. cap. 4. Voluntas, nimirum, in bonum, intellectus in verum: vt Plato propterea dixerit, animam esse veritatem ipsam, aut illi summè similem. An quia animæ essentia constans & perpetua? quod enim constans perpetuumq́ue est, simplex verumq́ue est: hinc Tullius lib. 1. Officior. *Quod verum, simplex, sincerumq́ue est, id naturæ hominis accommodatissimum.* Vt propterea D. Bernard. serm. de gradib. humil. dicat, *Non amat veritas angulos, non ei diuersoria placent. In medio stat, communi vitæ disciplinâ, communibus studijs delectatur.* Palàm enim ipsa proferri vult.

Veritas moralis.

Homo inclinatur ad verum.

Anima est veritas.

Pythagoras autem, Æliano teste, lib. 12. var. histor. hæc duo hominibus diuinitùs data longè pulcherrima, dixit, veritatem amplecti, & beneficijs operam dare, addiq́ue, vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse: quare apud Stobæum interrogatus, Quid Deo simile facerent homines? respondit, quum veritatem exercent. Cæterùm Magi, maximum Deorum, quem Oromagden ipsi vocant, corpore quidem asserunt esse luci similem, animâ verò, veritati: hanc cæli ciuem esse, & solam frui conuictu Deorum, affirmauit quidam. Est quippe res pulcherrima veritas, ac eam inter Deos maximi fieri indicauit Homerus hisce versibus Iliad. 1.

Homini duo diuinitus data.

Magi Oromagden Deum, ex luce & veritate, fingūt.

Veritas, est ciuis magni fit apud Deos.

> τοῦτ' γὰρ ἐξ ἐμέθεν γε μετ' ἀθανάτοισι μέγιστον
> τέκμωρ. οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν,
> οὐδ' ἀτελεύτητον γ' δ', τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.
>
> *Hoc enim ex me inter immortales maximum*
> *Signum. Non enim meum reuocabile, neque fallax,*
> *Neque vanum quodcunque capite annuero.*

Hanc quoque veritatem Trismegistus, virtutem esse absolutissimam, pronuntiauit, ipsumq́ue summum bonum, quod nec à materiâ turbatur, neque corpore circumdatur, nudum, conspicuum, augustum, mutationis, & alterationis expers bonum. Quare quemadmodum lapis Lydius aurum indicat: ita hominum virtus & omnipotens sapientia, veritas est.

Veritas est virtus absolutissima.

Hominem indicat.

3.

Huic autem virtuti, quâ ad veritatis enuntiationem inclinamur, cum proportione quadam respondet attributum diuinum, quo, non solùm diuina voluntas inclinatur, sed etiam quantùm ad specificationem determinatur ad dicendum verum: ita vt si loqui velit Deus, nonnisi verum eloqui possit: ideoque prima veritas in dicendo, à Theologis appellatur, quâ sub ratione, est fidei obiectum: quia nempe, sicut vera lux, inquit D. Fulgentius, epist. 7. ad Venantium, nullatenus obscuratur, ita nunquam veritas æterna mentitur: quare à psalmographo, & alibi passim, Deus veritatis dicitur, vt psal. 30. *Redemisti nos Domine Deus veritatis*, id est, qui mentiri non potest: & Ioan. 14. *Spiritus veritatis*, id est, infallibilis Doctor veritatis, quam hominum cordibus infundit.

Veritas locutionis Deo tribuitur.

Psal. 30.

Ioan. 14.

Nam quod hunc locum spectat, triplex est veritas, quam nobis locutus est Deus. Primò, res ipsa per vmbras & figuras significata, de quâ veritate, dicit Ecclesia, vmbram fugat veritas: & D. August. super Ioan. *Veritas panis est, mentes reficit, nec deficit, mutat vescentem, nec ipsa in vescentem mutatur.* Secundò, promissorum complementum, cuius veritatis est illud apud Psaltem Regium psal. 88. *Neque nocebo in veritate mea*: siue, vt alij legunt, *nec mentiar in veritatem meam*: id est, non falsam faciam veritatem meam. nihil moliar contra fidem datam, quia sum verax.

Veritas triplex locutionis diuinæ.

Ps. 88.

Apolli-

Apollinarius, οὐδ' ἐν ἀληθείῃ ἄδικόν τι πρήσσω τελέσω. *In ipsamet veritate, nihil iniustum faciam.* Tertiò, Diuinorum cognitio ad salutem necessaria: pro quâ veritate dicit Dominus Ioan. 19. *Veni vt testimonium perhibeam veritati.* Et hæ veritates, quæ priùs veteris Legis velamento obductæ fuerunt, ad ipsiusmet *Veritatis*, quæ est *Verbum Patris*, in terras aduentum, emicuere, sicut loquitur Diuus Euangelista Epist. 1. Canonicâ, *Lex per Moisen data est, gratia & veritas per Iesum Christum.*

Ioan. 19.

Epist. 1. Ioan.

Itaque hæc veritas moralis, præsupponit veritatem locutionis, quæ est illius obiectum, de quâ nemini dubitare licet, quin sit in Deo, seu potiùs à Deo, quia est in *Verbo* æterno eius, quod Apostolus ad Ephes. 1. *Verbum veritatis* nominat: *quum suscepistis*, inquit, *Verbum veritatis*: & ad Galat. 5. *Quis vos impediuit obedire veritati?* Ita ergo Euangelium, ea quæ sub vmbris & figuris obscura latebant, explicat: & quæ promissionis verbum futura decreuit, exhibet; atque etiam diuinorum notitiam absolutam, quæ æternæ saluti promerendæ necessaria sit, confert. De hac veritate videtur esse illud D. Augustini, in Epistolam ad Galat. *Veritas propter seipsam diligenda est, non propter hominem, aut propter Angelum per quem annuntiatur, qui enim propter annuntiatores diligit, potest etiam mendacia diligere, si quæ fortè ipsi sua protulerint.* Vincit autem hæc veritas omnia, atque se per seipsam tuetur, vt propterea de eâ rectè dixerimus, quod Seneca, *Magna est vis veritatis, quæ contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, & contra fictas hominum insidias, facilè se per seipsam defendit.* Et hæc quanquam ita sint, non tamen eo respicit illa Platonicorum de veritate consideratio.

Ephes. 1.

Galat. 5.

Euangelium explicat figuras Legis.

4. Neque etiam de veritate in cognoscendo, siue cognitionis, quæ prioribus veritatibus supponitur, accipienda est, ista Platonicorum ratiocinatio. Supponitur autem hæc præcedentibus, quòd nemo ex propriâ voluntate & intentione loqui possit, nisi illud quod loquitur, cognoscat. Huiusce autem veritatis inuestigandæ, diiudicandæque, graue fuit inter Philosophos dissidium, vt constat ex Arist. lib. 4. Metaphysic. cap. 5. & 6. Quidam enim eorum, veritatem inaccessam & incomprehensam: alij eandem esse in promptu, contendebant: nonnulli, eam sensu; plerique phantasiâ, quidam intellectu, alij omnibus istis modis reperiri & æstimari posse arbitrabantur. Leucippus verò & Democritus, id verum esse censuerunt, quod verum esse appareret. Sed hoc quàm sit absurdum, ex eo colligi potest, quod ex eâ veri apparentiâ, quod verum est, falsum iudicaretur, & esset tale: & quod falsum est, pro vero se ingereret, his atque alijs, pro cuiusque rei formis & imaginibus quas sibi repræsentant, aliter atque aliter res ipsas figurantibus.

Veritas cognitionis.

De eâ Philosophorum dissidium.

Verum censeri, quod tale apparet.

Est tamen hæc veritas cognitionis in Deo, certa & infallibilis, atque æterna, quâ res omnes, prout se habent, intellectu suo attingit, & cum illis, quasi cum mensurâ suâ conuenit. Non enim res ipsæ sunt mensura veritatis in intellectu diuino existentis, sed potiùs ipsa cognitio diuina, quæ rei vnicuique suæ entitatis mensuram diuisit, radix est totius veri, & regula veritatis in ipsis rebus existentis, veluti regula quæ est in mente artificis creati, est mensura veritatis artefactorum.

Est in Deo.

Res non sunt mensura veritatis cognitionis diuinæ.

5. Restat ergo vt de veritate rei, discursus ille Platonicus intelligatur, quæ transcendentalis appellari solet, secundum quam, verum cum ente conuertitur: enti enim cuicunque creato, competit verum esse, quatenus hoc vnumquodque est, quod arti diuinæ & regulæ, quâ conditum est, conformatur: à Suario lib. 1. de essentia Dei cap. 7. alijsque Theologis. *Veritas* in essendo appellatur. Est autem hæc fidei nostræ, tanquam ex Iouis tabulis assertio, *Deum esse verum*, habereque proinde illam veritatem, etiam ante omnem intellectus operationem siue creati, siue increati. Veritas enim diuini esse, non est posita in aliquâ denominatione, à cognitione verâ, quam Deus habuit sui esse, quia licet veri Numinis rationem habere nequeat, quin se verum Numen esse cognoscat, quoniam ista cognitio sit de essentiâ & substantiâ veri Dei, tamen præcisè, hoc ens, non est verus Deus, quia se videt verum Deum, sed ideò se videt verum Deum, quia reuera est verus Deus: habet ergo ex se, & naturâ suâ, quod sit verus Deus: vnde verum supra ens, nihil addit reale intrinsecum, sed solùm ipsam entitatem rei significat, cum quodam modo concipiendi illam, qui fit cum quadam reflexione supra ipsius rei cognitionem. Ita veritas Dei, connotat aliquo modo talem cognitionem directè verò & in se, non est aliud, præter entitatem rei. Quare D. Thomas 1. part. quæst. 16. art. 6. ait, Deum non solùm habere veritatem in essendo, sed esse ipsammet veritatem summam & maximam: quia & est suum esse, & in illo habet summam necessitatem essendi: Est sua summa veritas, & maxima quæ concipi potest: huc spectat quod Iamblichus lib. de Mysterijs: *Sicut lumen naturaliter & assiduè sequitur solem, sic veritas Deum.* Discrimen est, quod lumen est Solis accidens, veritas verò, essentia ipsius Dei. vnde de se, veritas ait, Ioan 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et 1. Ioan. 5. dicitur, *Spiritus est qui testificatur, quia Christus est veritas*: quod & Trismegistus filio quærenti, quamnam diceret esse primam veritatem, respondit, *vnum & solum illum, qui non est ex materiâ, qui corpore non continetur, sine colore, figurâ, mutationi & alterationi nulli obnoxium, semper existentem.* Accommodatissimè D. Augustinus tract. 39. in Ioan. *Filius veritas, Pater verax; non ab eâ veritate verax est, cuius partem cepit, sed quam totam genuit.* Hæc est veritas, de quâ dicere possumus quod habet Seneca Epistola 79. *Veritas in omnem partem sui, semper eadem est*, quia vti inquit D. August. in psal. 30. *Veritas est Deus, veritas nec quadra est, nec rotunda, nec longa; vbique præsens est, si cordis oculus ad eam pateat.* Ens itaque increatum veritate transcendentali *Verum* dici potest, quia absolutissimè est illud, quod diuinus intellectus comprehendit, ad rationem veræ Deitatis pertinere, quamuis hic interim neque mensura sit aliqua propriè, neque etiam ars aliqua, à quâ fiat.

Veritas rei.

Deus habet ex se quod sit verus Deus.

Veritas naturalis Dei.

Ioan. 14. 1. Ioan. 5.

Pater verax veritate quâ genuit.

Veritas semper eadem.

Capitis 15. §. vnicus.

Inductio ad amplectendam veritatem.

NVnc autem vt beati simus, in eam veritatem intendamus oportet, quæ, sicut Sol solus & vnus est, ita simplex, & vnica est: eò autem quisque beatior erit, quò puriores cordis oculos ad eam direxerit: quemadmodum enim Solare iubar, imbecillus ac impotens oculus nequit intueri, sic infirma mens & inualida, veritatem conspectare non potest. *Cùm enim sint tres gradus, seu status veritatis*, vt ait D. Bernard. de grad. humil. *ad primum ascendimus per laborem humilitatis: ad secundum, per affectum compassionis: ad tertium per excessum contemplationis. In primo veritas reperitur seuera, in secundo pia, in tertio pura. Ad primum*

1.

Oculo puro in veritatem intendendû.

Veritatis status tres.

ratio ducit, quâ nos discutimus: ad secundum affectus producit, quo alijs miseremur: ad tertium puritas rapit, quâ ad inuisibilia subleuamur. Præclarissimè Diuus August. lib. 2. de libero arbit. cap. 13. *Quemadmodum illi qui in luce Solis eligunt quod libenter aspiciant, & eo aspectu lætificantur: in quibus si qui fortè fuerint vegetioribus, sanisque & fortissimis oculis præditi, nihil libentiùs quàm ipsum Solem contuentur, qui etiam cætera, quibus infirmiores oculi delectantur, illustrat. Sic fortis acies mentis illustrata, cùm multa vera & incommutabilia conspexerit, dirigit se in ipsam veritatem, quâ cuncta monstrantur, eique inhærens, tanquam obliuiscitur cætera, & in illâ simul omnibus fruitur. Quidquid enim iucundum est in cæteris veris, ipsâ vtique veritate, iucundum est.* Hæc autem summa veritas, summum hominis bonum est, quod qui consecutus fuerit, dimittet nunquam inuitus, quia firma ac stabilis est illius possessio: inde est, quod cum securitate teneri possit, inamissibilique (nisi tu ipse iacturam feceris) animum perfundat iucunditate. Diuus Augustinus ibidem, *Nullâ re fruitur anima cum libertate, nisi quâ fruitur cum securitate: nemo autem securus est in ijs bonis, quæ potest inuitus amittere: veritatem autem, atque sapientiam, nemo amittit inuitus. Non enim locis separari ab eâ quisquam potest: sed ea quæ dicitur à veritate atque sapientiâ separatio, peruersa voluntas est, quâ inferiora diliguntur:* quare quemadmodum speculum non reddit imaginem, nisi vitro substernas aurum, aut æs, aut stannum, aut simile quid solidum, quod imaginem non sinat perfluere; ita nonnisi in animis solidis, & verâ virtute nixis, relucet imago veri. D. August. lib. 7. Confess. *O æterna veritas: Deus vera & summa vita, in quo, & à quo, & per quem sunt omnia quæ beata sunt. Deus à quo auerti, cadere: in quem conuerti, resurgere: in quo manere, consistere est. Deus à quo exire, mori: & in quem redire, reuiuiscere; & in quo habitare, viuere est. Deus quem nemo amittit, nisi deceptus, quem nemo quærit nisi admonitus, quem nemo inuenit, nisi purgatus.* Ratio autem quâ tenetur veritas, nec dimittitur, cuius possessione homo beatus est, interioris hominis est conuenientia, testatur D. August. lib. de verâ religione cap. 39. vbi totidem verbis infit, *Quære in corporis voluptate quod teneat, nihil aliud inuenies quàm conuenientiam: nam si resistentia pariant dolorem, conuenientia pariunt voluptatem. Recognosce ergo quæ sit summa conuenientia, noli foras ire, in teipsum redi; in interiore homine habitat veritas: & si tuam naturam mutabilem inueneris, transcende & teipsum. Sed memento, quum te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere: illuc ergo tende, vnde ipsum rationis lumen accenditur. Quo enim peruenit omnis bonus ratiocinator nisi ad veritatem? cùm ad seipsam veritas vtique ratiocinando non perueniat, sed, quod ratiocinantes appetunt, ipsa sit: vide ibi conuenientiam, quâ superior esse non possit, & ipse conueni cum eâ. Confitere te non esse quod ipsa est, siquidem se ipsa non quærit, tu autem ad ipsam quærendo venisti, non locorum spatio, sed mentis affectu: vt ipse interior homo cum suo inhabitatore, non infimâ & carnali, sed summâ & spiritali voluptate conueniat.*

Veritas, res iucundas esse, facit.

2. Veritas summum hominis bonum.

Securitas vbi optima.

Veritas Deus vita est.

Homo interior conueniens cum veritate, tenet eam.

Resistentia pariunt dolorem.

Ad veritatem, nitendum.

3. Animus liber cum veritate conuenit.

Itaque solus animus liber, & omni deorsum trahente animi adfectu vacuus, ad veritatem ire, & cum illa conuenire potest. Sicut autem is qui sibi oculos effodit, atque eruit, vt deinceps aliquid videat, fieri non potest, sic qui sese vltrò tenebris animam obscurantibus dedidere, spiritus veritatis, quæ lumen est mentis, capaces non sunt: vnde idem Doctor sanctus lib. de agone Christiano cap. 13. cuius ego te sententijs ad veritatis amplexum excitare volui. *Errat autem, inquit, quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cùm adhuc nequiter viuat. Nequitia est autem, mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt, pro magno habere, & ea concupiscere, & pro his laborare vt acquirantur, & lætari quum abundauerint, & timere ne pereant, & contristari quum pereunt. Talis vita, non potest puram illam & sinceram, & incommutabilem videre veritatem, & inhærere illi, & in æternum non moueri. Quare sicut in cognitione cauendus est error, ita in actione cauenda est nequitia.* Neque enim minùs in hac mortali vitâ, ipsâ veritate potiri possumus, quàm hoc soluti corpore, in amplissimis cæli theatris, eadem indeptâ frui: quanquam ibi sine periculo, hîc periculosiùs: ibi pleniùs, hîc ex parte. Quâ de re Philosophantem Senecam audiamus, ait enim Epist. 79. *Tunc animus noster habebit quod congratuletur sibi, quum emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit, & redditus cœlo suo fuerit, quum receperit locum, quem occupauit sorte nascendi. Sursum vocant illum initia sua: erit autem illic etiam antequam hac custodia exsoluatur, cùm vitia disiecerit, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit: hoc nos oportet agere, Lucille carissime, in hoc ire impetu toto; licet pauci sciant, licet nemo videat.* I nunc, sectare fallacia in quibus veritas non est; vbi subsistes? nusquam certè teipsum, nisi in veritate inuenies: in fallacibus & mendacijs, non te inuenisti, sed perdidisti. Hoc ergo conare quanto potes boni adfectus motu, hoc effice, vt veritati summæ adhæreas semper, neque vnquam dimittas, vt animus tuus qui scintilla illius est, ad eam redeat. In animum demitte, quod Lactant. lib. 5. institut. *Qui veritati studet, abijciat inimicas & anxias voluptates, quæ animam sibi vinciunt: præferat vera falsis, æterna breuibus, vtilia iucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi quod iustè, quod piè fieri videas: nihil auditu suaue, nisi quod animum meliorem, teque reddat.* Et hæc est ad æternos veritatis amplexus, via.

Nequitia est mundum diligere.

Veritate æterna vt potiri quis possit in hac vitâ.

In veritate inuenitur homo, in mendacio perditur.

Animus noster est scintilla veritatis.

CAPVT XVI.

De Deo bono.

Vt Deus bonus dicatur.

1. TErtium est quod Platonici asserunt, videlicet, Vnus est Deus, quia summa est bonitas; & quidem omni omnium omnino rerum bonitate, perfectissimâ, atque rectitudine, completissimâ. Tripliciter autem Deus dici potest bonus. Primò: perfectione sui esse: id enim solidum existimandum est, cui nihil decedere; id perfectum, cui nihil potest accedere, inquit Lactant. lib. 1. Instit. cap. 3. Aristoteles verò lib. 5. Metaphysic. *Perfectum est, cui nihil deest, bonum igitur est, quod in suo esse perfectum est.* id est, quod habet, quidquid ad sui esse complementum, desiderari potest, quo sensu dixit Lactantius ibidem: *Deus qui est æterna mens, ex omni vtique parte, perfectæ consummatæque virtutis est.* Ac sic quidem, Deus bonus est, imò summè bonus, quia apud D. Luc. cap. 18. dicitur, *Nemo bonus nisi solus Deus.* Nec quisquam illi similis est; vnde exclamat Propheta psalm. 34. *Domine quis similis tibi?* quasi dicat, nullus: quâ etiam ratione *Altissimus* appellatur, qui cùm sit æterna mens, ex omni vtique parte, perfectæ, consummatæque virtutis est: ita Philosophabatur Plato in Timæo, *Deus est summum bonum, supra omnem substantiam, omnemque naturam, quod cuncta expetunt, cùm ipse sit plenè perfectionis, nullius societatis indigus.*

Deus dicitur bonus tripliciter.

Luc. 18.

Ps. 34.

Deum cuncta expetunt.

Hæc autem singularis essentia Dei, in eo sita est, quòd ipse sit bonus per essentiam: ita Diuus Thomas, quare Dominus in Exodo, se *Omne bonum* appellauit: omnis quippe omnino perfectio,

Deus est omne bonum.

fectio, vt perfectio est, illi necessariò & per essentiam suam, est debita, illique conuenit: ait enim apud Matth. cap. 19. *Quid me interrogas de bono? vnus est bonus, Deus.* Bonus igitur est, non ex effectu, sed causâ; non in gradu, sed immensitate; non ex accidente, sed substantiâ, seu eo quod est & subsistit: namque vti Iacobus Billius in Anthologiâ sacrâ cecinit,

Ex substantiâ bonus. Sine mensura.

Sine mensurâ.

In Deitate gradus, mensura, & tempora non sunt,
Et quod idem est, maius non habet, atque minus,
Corporeæ longè moles, formæque recedant,
Virtus summa, caret finibus & spatijs.
Quod Pater, hoc simul est Verbum Patris, hoc vtriusque
Spiritus, hic Deus est vnus, & vna fides.

2. Deus bonus omnis perfectionis possessione.

Secundò bonus est Deus, omnis perfectionis sibi conuenientis, & à seipso amabilis, possessione: vnde necessariò sui amore capitur, & hoc pacto, ens dicitur bonum, quia alicui conueniens. Neque verò suum sibi tantùm bonum est, sed eodem quasi modo, creaturarum summum bonum est, quamuis non omnium. Eodem modo, dicit enim Propheta Regius psal. 72. *Quàm bonus Israël Deus*, non cuiuis; sed, *his qui recto sunt corde*, quasi dicat, inquit de Valentiâ Episcopus Christopolitanus in Psalmos, quòd, quidquid Deus agit vel permittit, semper cedit in vtilitatem, meritum, & gloriam eorum, qui recto sunt corde: quod enim hos puniat Deus, illos inultos relinquat, quòd his benè sit, probis malè, hoc in piorum bonum fit, vt pœnæ terrore admoniti, iustitiam Dei metuant, & misericordiam & prouidentiam eius videntes, eam laudent, & admirentur. Nam vt Plato ait: *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur*, inquit Seneca lib. 1. de ira, cap. 16. *Non enim perpetrati mali causâ pœnas dat (quippe factum infectum neutiquam reddetur:)* inquit Plato lib. 11. de Legib. *sed vt in futurum tempus, & ille ipse qui deliquit, & ij qui pœnas dantem spectarunt, in totum iniustitiam oderint, aut certè leuentur, minuanturque mali huius partes.* Atque ita Deus semper est illis bonus & misericors; vnde Threnor. cap. 3. dicitur, *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Quanquam etiam hîc, pro liberali & benefico accipi videatur, quod sic quoque tamen conueniens est creaturæ: ita D. Dionysius intelligendus, quum ait, *Deum esse omnium bonum, sicut ex quo omnia subsistunt.* Denique, quòd finis sit vltimus in quem recurrunt omnia, est quoque summum bonum eorum qui ordinantur in finem, proindeque beatitudo obiectiua creaturæ rationalis, quapropter vt beata esse possit, illi admodum est conueniens.

Ps. 72.

Pœnas ne peccetur, irrogandæ sunt.

Tertiò. Thren. 3.

Bonus, beneficum significat.

Deus bonus, quia est finis vltimus.

Creaturæ in Deum tendunt velut lineæ in punctum.

Quia verò rationis expertes creaturæ, ad modum creaturæ, ratione præditæ, hoc bono frui nequeunt, quantum fas ipsis est, in illud nihilominus quodammodò tendunt: & pro naturæ suæ conditione, vt finem, atque bonum suum, illud appetunt: ita Doctor Angelicus 1. part. quæst. 6. art. 1. Cuncta itaque quæ per amplissimas orbium cælestium, terræque plagas, longè lateque dispersa videmus, in vnitatem, veluti lineæ à puncto exeuntes, & in idem reuertentes, demùm incidunt, omniumque compendium, monade constituitur: sicut enim punctum insecabile terminat varios linearum exitus, ita Deus impartibilis, rerum ordines, & respectus claudit.

3. Deus bonus operatione. Ps. 144.

Tertiò, summè bonus est operationis rectitudine, *Fidelis*, inquit Dauid psal. 144. *Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Hæc enim bonitas, etiam sanctitas appellatur, & fidelitati coniungitur, quia, vt ait D. Hilarius, verborum fides fortè nutaret, nisi sanctitas operibus esset admixta. Atque ita sanctitas in operibus, fidem confirmat in verbis, vt de Sancti fide in promissis non ambigas, cuius sanctitate vtaris in rebus. Et psal. 118. *Bonus es tu, & in bonitate tuâ doce me iustificationes tuas.* & psal. 106. *Confitemini Domino quoniam bonus*: bonus vtique, siue sanctus in omnibus operibus suis, quæ misericordiâ & bonitate sunt plena: quod intelligens Plato in Timæo dixit, caritatem Dei, fuisse caussam factionis mundi, atque rerum omnium originis.

Bonitas idem quod sanctitas.

Ps. 118.

Ps. 106.

Mundi creationis caussa.

Bonitas moralis & transcendentalis.

Veruntamen hæc bonitas, non est transcendentalis, quæ tribuatur Deo vt enti, sed moralis siue actualis, quæ in bonorum operum exercitio continetur, estque altiori modo & ratione in Deo, quàm in homine. Primam autem vel secundam bonitatem, aut etiam vtramque simul, transcendentalem esse dicimus, quâ Deus ipse est suamet bonitas, & summum creaturarum bonum. Id enim summum bonum est, vt ait D. Anselmus in Monologio cap. 1. quod per se eminet alijs, ita vt nec par habeat, nec præstantius: atqui 1. Reg. cap. 2. *Non est sanctus vt est Deus, neque enim est alius extra te.* Bonum summum igitur ipse est, & fons totius boni. In quem proinde mentis nostræ oculos intendere, tantò rectiùs est, quantò studiosiùs benignìùsque, nostro omnium bono, bonus ipse, terram stabili firmitate suspendit, eamque varijs atque multiplicibus rerum speciebus exornauit: cælum distinxit astris fulgentibus, solemque, singulare Diuinæ Majestatis argumentum, accendit; quo subiecta terræ moles, è tenebrarum eruta caligine, suis hilaresceret fœtibus: terris maria circumfudit, ne conuerterentur illas obruere, flumina sempiterno lapsu fluere præcepit,

Bonum summum. 1. Reg. 2.

Mundus à bonitate conditus.

Iussit & extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes.

Et quod amplius meliusque est, cælestis machinæ supremæ, ratiocinantis animæ sedem, habitationemque esse decreuit; vbi se inueniret creatura vnde defluxit, & pleno haustu pectoris, fonte Diuinitatis, fonte omnis boni, in suâ origine adimpleretur, quæ per excurrentes in humanis nostris boni riuulos, vagabunda, siti arescebat, & in suâ ariditate, non secus ac Ceruus, venantium insidias, latratusque canum, cursu elapsus, arente fauce desiderans ad fontes aquarum,

Homo in Deo inuenitur.

Per iuga, per syluas, dumosaque saxa vagatur.

Fontem viuum & fortem Deum expectabat, ad satietatem refrigerij, & ad securitatem æternitatis vitæ, ad quam suspirabat die ac nocte.

Felix, autem, qui potuerit boni
Fontem visere lucidum.

Capitis 16. §. 1.

Bonitas transcendens est Deo propriissima.

1. Cvm Deus sit perfectus modò perfectissimò & diuino, non qualitate, sed essentiâ: modus autem ille in bono ipso positus sit, indeque summa efficiatur bonitas, cuius essentia nihil mali prorsus admittat, nihil excludat boni, idque non solùm secundùm creaturarum bonum, sed quòd vnicum ac summum bonum

sit

in essentiâ, omnis boni tam naturæ, quàm gratiæ principium, quod liberali, voluntariaque sui diffusione, sese rebus creatis communicauit: manifestum fit Diuinam Bonitatem dupliciter considerari, nimirum, & vt transcendens est, & vt virtus est, siue Metaphysicè, & moraliter, quomodo bonum in communi consideratum, Metaphysicè sumitur, & est illa proprietas entis, quam considerat Metaphysicus, & moraliter, qualis est illa rectitudo operationum liberarum, quas considerat Philosophus moralis, vt, videlicet, sunt conformes legi æternæ, & naturali: Bonitas itaque transcendens quæ est passio entis, Deo conuenit, cui nomen boni ita est proprium, vt dicat Dominus, *Nemo bonus nisi solus Deus.* Proprietas enim entis, cum ente conuertitur, estque idem cum ente secundùm se, secundùm nos autem, siue secundum rationem, diuersum: bonum enim dicitur, quod omnia appetunt 1. Ethic. 1. Omne autem appetibile in tantum est appetibile, in quantum est perfectum, perfectum autem vnumquodque in tantum est, in quantum est actu, esse autem actu, est esse ens simpliciter, & non secundum quid: ergo à primo ad vltimum, in tantum aliquid est bonum in quantum est ens. Quia tamen ratio boni superaddit enti rationem appetibilis, quæ secundum nos non includitur in conceptu entis, idcircò rectè dicitur bonum differre secundum rationem ab ente. Quod ergo Boëtius dicit, in rebus aliud esse quod sint, aliud quod bona sint, non agit ibi de bonitate omni enti intrinsecâ, sed de bonitate quæ vnicuique rei superadditur per sua accidentia: substantia enim, est simpliciter, id est, sine addito, per suum esse substantiale, non est tamen simpliciter, id est, omni modo: nempe secundum esse accidentale, quod ei superaddi potest, ac proinde non est bona simpliciter, id est, omni modo: est tamen bona simpliciter, id est, sine addito. Deus autem, cuius essentia bonitas est, simpliciter, absolutè, & omni modo bonus est.

Bonitas Dei dupliciter consideratur.

Bonitas transcendentalis Deo conuenit.

Bene esse aliud est quam esse.

Substantia non est omni modo bona.

2\. Cùm verò, ratio boni in sui diffusione, communicationeque consistat, idque quadruplici caussæ genere, quorum vnum satis sit ad hoc, vt bonum sui diffusiuum dicatur. Sub genere primùm caussæ finalis, quatenus motione metaphoricâ allicit appetitum: sub genere caussæ efficientis, quatenus aliud quippiam efficit vti lux lucem iussit de tenebris splendescere: sub genere caussæ formalis, prout alteri sese tribuit, ipsum actuando & perficiendo, quo modo forma se materiæ communicat. Quò pertinet ea communicatio, quâ in incarnati verbi mysterio, personalitas filij, assumptæ humanitati diuinitus tributa est. Sub genere caussæ materialis, prout se alteri dat, sustinendo, fouendoque illud, quod est proprium materiæ respectu formæ; & subiecti, quorum susceptiuum est accidentium comparatione. Cùm inquam bonum sit sui diffusiuum, Deus verò sit absolutissimè summum bonum, absque perfectissimâ, longeque præstantiori, quàm in vnoquoque genere, sui diffusione, communicationeque intelligi nequit: Quare seipsum in seipso ab æterno, nullo prorsus sui à seipso exitu, diffudit: eaque diffusio summa actualis, & intima communicatio, est vnius & eiusdem substantiæ; per quam diffusionem, vna Persona Diuina indeficienter se communicat alijs Personis, non contingenter, sed necessariò, ita vt non possit non se communicare, alioqui non esset bonus per essentiam.

Bonum est sui diffusiuum in quadruplici genere caussæ.

Deus sine sui diffusione intelligi nequit.

Et hæc communicatio fit per intellectum generantem, & voluntatem spirantem. Contemplans namque seipsum in suo intellectu Deus Pater, generat Filium sibi similem, perfectissimum totius suæ essentiæ comprehensæ conceptum, quem dum amat genitum, & genitus amat genitorem, spirat vterque consubstantialem sibi amorem. Amat enim se Deus necessariò; veluti is qui in speculum intuetur, sui in eo producit imaginem, illique iam productæ afficitur. Dispar tamen est producentium ratio: nam quod in Deo, tanquam in diuinæ essentiæ speculo repræsentatur, vita est, & imago consubstantialis Patri: quod autem in speculo, similitudo inanimis.

Diffusio æterna Dei.

3\. Nec est quod quis adferat diffusionem temporalem, vt necessitatem excludat æternæ: exigua namque pro tanti boni immensitate esset temporalis ista in creaturas diffusio, nisi naturam substantiamque suam in seipso continuò diffunderet: ex quâ diffusione, vnius & eiusdem cum Patre substantiæ, generatur Filius, & producitur Spiritus Sanctus, sic vt ab inuicem soli hypostasi discernantur: impartibilis enim est essentiâ Trinitatis, sicut cecinit Diuus Gregorius Nazianzen. lib. de principijs: carmine 3.

Essentia Trinitatis insecabilis.

Nec Monas est expers numeri (námque in tribus illa
Consistit:) varia nec rursus honore colenda est
Sancta Trias: Diuina etenim Natura secari
Respuit. In Deitate Monas dumtaxat: in illis,
Ex quibus est, rursum tria conspiciantur oportet.
Quisque trium Deus est vnus, quum nomine de vno
Verba facis: rursus Deus vnus originis expers,
Vnde fluunt Deitatis opes, Scriptura Sacrata
Quum tria commemorat.

Seipsis autem, sicut est vna essentia, vnum summum creaturarum bonum constituunt, in quod, vt in obiectum suæ beatitudinis cognitum tendant ratione præditæ, & quod rationis expertes, non secundum se, sed secundum quasdam participationes bonitatis eius appetant: inanimata verò & cognitione carentia, appetitu innato, dum scilicet appetunt suas perfectiones, instigata ad hoc, ab ipso fonte suarum perfectionum: atque ita vnumquodque naturæ suæ conuenienter. Quo fit vt dum vnumquodque suam perfectionem appetit, Deum appetat tanquam caussam exemplarem, & efficientem, & finalem suæ perfectionis, quæ est similitudo quædam, & participatio diuini esse.

Creaturæ vt in Deum tendant.

Capitis 16. §. 2.

Bonitas vt virtus, in Deo, misericordia dicitur.

1\. Quemadmodum diximus Deum esse summè bonum bonitate Metaphysicâ, quia continet omnem bonitatem quæ est in creaturâ: ita debet dici summè bonus moraliter, quia ab eo, omnis creata rectitudo & excellentia, quæ sanctitas dicitur, originem habet: vnde quod de bono dicitur esse sui diffusiuum, id maximè Deo conuenit, non modò sub Metaphysicæ, sed etiam sub moralis bonitatis consideratione. Sicut autem bonitas moralis creata, non est aliqua peculiaris virtus, sed est omnium virtutum aggregatio: ita bonitas moralis

Bonitas moralis est omnis virtus.

ralis increata, non est aliquod peculiare attributum, sed est ipsa diuina voluntas, quatenus opera recta & honesta, cuiuscunque virtutis illa sint, operatur.

Est voluntas diuina.

Quia verò diuina voluntas, tota in hominem effusa videtur, neque aliud spectare, quàm, vt homo à suâ subleuetur miseria, diuinam bonitatem, misericordiæ nomine insignimus, quæ sese in omnibus Dei operibus spectabilem exhibuit, sicut cecinit Propheta Regius: *Misericordiâ Domini plena est terra.* Psalm. 32. Est tamen etiam misericordia ipsiusmet Dei essentia, quæ sicut vna est in tribus personis, ita Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vna est misericordia: proprio nihilominus quasi nomine, filius, misericordia dicitur, id quod eleganter prosequitur Diuus Bernardus, serm. 5. in Natali Domini: *suscepimus*, inquit, *Deus misericordiam tuam, in medio templi tui, inquit Simeon, quando infantulum Iesum amplectebatur. Siquidem ipse est de quo legimus,* psal. 102. *Misericordia Domini ab æterno. Alioquin, quid coæternum Patri, nisi Filius & Spiritus sanctus? & vterque quidem non tam misericors, quàm ipsa verè misericordia. Nihilominus etiam Pater misericordia est, atque hi tres, nonnisi vna misericordia, sicut vna Essentia, vna Sapientia, vna Diuinitas, vna Majestas. In eo autem quod Pater misericordiarum dicitur Deus, quis non videat velut proprio nomine filium designari? Et benè dicitur, misericordiarum Pater, cui proprium est misereri semper, & parcere.*

Ps. 32. Misericordia est Dei essentia.

Ps. 102.

Filius Dei proprie misericordia appellatur.

2. Misericordia quid?

Sed ad misericordiam quæ virtus est. Quid autem illa? Isidorus lib. 3. de summo bono, cap. 64. *Misericordia*, inquit, *à compatiendo alienæ miseriæ vocabulum sortita est.* Vnde Diuus Ioannes Damascen. lib. 2. fid. cap. 14. ait, *Misericordia, est tristitia in alienis malis.* Verùm quia non satis est infirmo, aut egeno, si quis ægritudini aut necessitati eius compatiatur, nisi æger, aut alienæ opis indigus, ex eâ compassione etiam opem & leuamen sentiat, & adferat qui potest: Diuus August. lib. 9. de Ciuitate Dei, cap. 5. sic definit, *Misericordia, est alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, quâ vtique si possumus, subuenire compellimur.* Eadem planè ratione, ex Peripateticorum sententiâ dixit Tullius lib. 4. Tusculanar. quæst. Misericordiam vtilem esse ad opem ferendam, & calamitates hominum subleuandas, quare virtutem esse adfirmant illi.

Misericordia est virtus Peripateticis, vitium Stoicis.

At Stoici, non virtutem, sed animi vitium esse volunt, contra quos disceptat pluribus in locis Diuus Augustinus, veluti lib. 9. de Ciuit. Dei, cap. 5. & lib. de morib. Ecclesiæ Catholicæ, cap. 27. Ideoque Seneca Stoicorum sectæ studiosior, lib. 2. de Clementiâ, ait misericordiam inter vitia numerari, miseriæ esse vicinam, habereque aliquid & trahere ex ea, velut infirmi oculi, qui, ad lippientis adspectum, & ipsi suffunduntur, atque adeò esse vitium, cuius contraria virtus sit Clementia: finitione autem illam complectitur in hunc modum. *Misericordia est ægritudo animi, ob alienarum miseriarum speciem,* aut sic, *est tristitia ex alienis malis suscepta, quæ accidere immerentibus credit.*

Est ægritudo, inquis, siue tristitia, & benè, nisi eiusmodi ægritudinem, quæ est animi compassio ex alterius miseriâ, in sapientem virum, diceres non cadere, in quem vitium non cadit, misericordiam inter vitia reponens. Vt propterea Tullius Oratio. pro Murena, conceptis hisce verbis Stoicos irrideat. *Sceleratus & nefarius fueris, si quidquam misericordia adductus feceris;* Hoc enim quis sapiens, quis cerebri purgatioris suspicabitur fore? id quod tamen ex eorum opinione, legitimâ ratiocinatione sequitur: dogma enim illorum est, inquit Lipsius in Commentario cap. 5. lib. de Clementia: Ἐλεήμονας τε μὴ εἶναι (τοὺς σοφοὺς) συγγνώμην τε ἔχειν μηδενί. μὴ γὰρ παριέναι τὰς ἐκ τοῦ νόμου ἐπιβαλλούσας κολάσεις. *Misericordes non esse sapientes, neque veniam cuiquam dare: non enim omittere pœnas legibus constitutas.*

Stoicorum dogma de misericordia.

Misericordia, inquis, est ægritudo & tristitia: nec malè, nisi diceres vitandam, cauendamque misericordiam, ceu animi vitium quoddam, ne, sicut per speciem seueritatis in crudelitatem, quæ nihil est aliud quàm atrocitas animi in exigendis pœnis, incidere quis potest: ita per speciem clementiæ, quæ est animi inclinatio ad lenitatem in pœnâ exigendâ, labamur in misericordiam. *Irasci namque vt corrigatur quis*, inquit Magnus Augustinus lib. 9. de Ciuit. Dei. cap. 5. *Contristari pro afflicto vt liberetur, timere periclitanti ne pereat, nescio vtrum quisquam, sana consideratione reprehendat.* Item, *longè melius, & humanius, & piorum sensibus accommodatius, in Cæsaris laude locutus est Cicero, vbi ait: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior, misericordiâ est*: quod Ciceronis dictum orat. pro Ligario repetit idem August. lib. contra Adamantum: *Benigni quippe principis est*, inquit Cass. in Epist. *ad clementiæ commodum transferre terminos æquitatum, quando sola est misericordia, cui omnes virtutes honorabili et cedere non recusant.*

Misericordiæ laudata.

Sed nolunt Stoici perturbari alienâ miseriâ sapientem, cui serena mens: nec quidquam incidere possit, quod illam obducat. Sed quanto honestiùs, inquit D. August. lib. de Moribus Ecclesiæ, cap. 7. *Misericordiâ perturbaremur hominis liberandi, quam timore naufragij?* Item, *Stulti verò sunt, qui misericordiam quasi vitium deuitant, quia officio satis moueri nequeunt, si nec perturbatione commoueantur: congelascunt potiùs rigore inhumanitatis, quàm rationis tranquillitate serenantur.*

3. Sapiens non perturbatus.

Præclarè contra hanc Stoicorum ἀπάθειαν, Herodes Atticus vir Consularis, apud Aul. Gellium disseruit. Noct. Atticar. lib. 19. cap. 12. dicebat enim, nullum vsquam hominem, qui secundum naturam sentiret & saperet, affectionibus istis animi, quas πάθη appellabat, ægritudinis, cupiditatis, timoris, iræ, voluptatis, carere, & vacare totis posse, & omnino non dolere. Atque si possit etiam obniti vt totis careret, non ex re id esse melius, quoniam langueret animus & torperet, adfectionum quarundam adminiculis, vt necessario plurimùm imperio, priuatus. Sensus enim istos motusque animi, qui cùm immoderatiores sunt, vitia fiunt, innexos, implicatosque esse vigoribus quibusdam mentium, & alacritatibus. Ac proptereà, si omninò omnes eos imperitiùs conuellamus, periculum esse, ne eis adhærentes, bonas quoque & vtiles animi indoles amittamus. Moderandos esse igitur, & scitè considerateque purgandos: vt ea tantùm quæ aliena sunt, contraque naturam videntur, & cum pernicie agnata sunt, detrahantur; ne profectò accidat, quod rei rusticæ imperito, qui mercatus fundum, oleâ atque vite consitum, videns fortè vicinum rubos latè atque altè obortos excidentem, fraxinos ad summum propè verticem deputantem, soboles vitium è radicibus caudicum super terram fusas reuellentem, stolones in pomis aut in oleis proceros, atque decerpros amputantem, percontatus cur tantam ligni ac frondiû cædem faceret? atque is respondisset, vt ager mundus purusque fiat, eiusque arbor atque vitis fœcundior: discessit gratias agens & lætus tanquam

Affectiones animi suas bonas.

Moderandæ

quam adeptus rei rusticæ disciplinam: Tum falcem ac securim capiens, homo miser, rudis colendi insolens, imperitè, vites suas sibi omnes & oleas detruncauit, comasque arborum lætissimas, vberrimosque vitium palmites decidit: & frutera atque virgulta simul omnia, pomis, frugibúsve gignendis felicia, cum sentibus & rubis purificandi agri gratiâ conuulsit, malâ mercede doctus, audaciam fiduciamque peccandi imitatione falsâ eruditus. Sic enim istos Apathiæ sectatores, qui videri se esse tranquillos & intrepidos, & immobiles volunt, dum nihil cupiunt, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent, omnibus vehementioribus animi officijs amputatis; in corpore ignauæ & quasi eneruatæ vitæ consenescere. Hæc ille.

Misericordia etiam in affectu, sine affectu consistit.

Diui interea Augustini sententia est, misericordiam constare etiam in illis, qui misericordiæ non habent affectum, sed tantùm effectum. Quanquam enim nemo ignoret appellatam misericordiam, quod miserum cor faciat condolescentis alieno malo, vt inquit contra Adamantum D. Augustinus: ab illo malo liberum esse oportet illum qui præbet ea, quibus humanæ vitæ incommodis resistitur, & misericors vocatur, licet animi dolore non perturbetur. Et de Morib. Ecclesiæ Catholicæ cap. 27. ait Diuus August. *Et quis non concedat ab omni miseriâ liberum esse debere sapientem, quum subuenit inopi, quum esurienti cibum præbet, potumque sitienti, quum vestit nudum, quum peregrinum tecto recipit, quum oppressum liberat, quum denique humanitatem suam vsque ad sepulturam porrigit mortuorum? Etiamsi id faciat mente tranquillâ, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est: huic enim nihil obest nomen, cùm absit miseria.*

Est igitur misericordia virtus, communi omnium Peripateticorum, rectéque sentientium consensione, siue eam appellaueris clementiam, siue bonitatem.

Capitis 16. §. 3.

Quomodo sit in Deo misericordia.

1\. Deum non tangi misericordiâ, Stoicorum dogma.

MAlè Luc. Apuleius de Deo Socratis, qui Stoicorum rigidam sententiam secutus dixit, Deum nullâ misericordiâ contingi, quasi temporalis sit aliqua adfectio, à quâ mentem illam immutabilem, liberam esse oporteat, & non in æternum sit misericordia eius, sicut vaticinatur Psalmographus. Vt autem nouerimus, quomodo sit in Deo misericordia sine cordis miseriâ, quum in illâ suâ æternâ tranquillitate semper serenus, nullâ perturbatione mutetur. Misericordiæ vocabulum dupliciter accipi scribunt Theologi. Primò pro affectione appetitus sensitiui, habente tristitiam ex alienâ miseriâ, atque impellente ad eam subleuandam: quæ posterior conditio, misericordiam à compassione secernit, vtpote, & quæ de præteritâ iam miseriâ esse possit; & sine impulsu sit, ad leuamen ferendum. Secundò pro virtute morali, quæ affectionem eiusmodi dirigit & moderatur: quæ virtus quanquam sit in appetitu sensitiuo, velut in subiecto proprio, correspondentem tamen habet sibi voluntatem, alienam miseriam subleuandi. Materiale primum illud quod in misericordia est, vocant alij; posterius verò formale; vt materiale sit illa animi tristitia, siue compassio, quam de alterius miseriâ & necessitate habemus, quâ in significatione locutus videtur D.

Misericordiæ vox dupliciter accipitur.

Gregorius in moralib. quum inquit: *Misericordia, à misero corde vocata est, eo quòd vnusquisque intuetur quempiam miserum: & ei compatiens de dolore, animus tangitur: ipse cor miserum facit, vt eum à miseriâ liberet, cui intendit.* Diuus Augustinus quoque, *Misericordia est animi condolentis affectus, cum additamento beneficij, vt compatiatur proximo, & largiatur de proprio.* Sub hac ratione, non est in Deo misericordia secundum se, quia imperfectionem includit, sed tantum secundum effectum subleuandi miserias, & creaturarum defectus, iuxta illud psal. 35. *Homines & iumenta saluabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Diuina namque prouidentia ad creaturas vsque irrationales descendit, suâ eas munerans munificentiâ, vt seruentur incolumes, quemadmodum optatiuè interpretatur Apollinarius.

Misericordia vnde dicta.

Ps. 35.

τετραπόδων ἀγέλας μερόπων θ᾽ ἅμα φῦλα σαώσεις.

Quadrupedum greges, mortaliumque simul genera seruas.

2\. Misericordia est verè Dei propria.

Formale verò, sit voluntas subleuandi miseriam alienam, & sic est in Deo: imò est virtus eius propria, secundum omnem perfectionem suam, quia & ipse solus, omnem miseriam subleuare potest, solusque est extra omnem miseriam, & quia summè bonus, inclinatur ad benè faciendum. Hinc diues in misericordiâ dicitur Deus, ad Ephes. 2. Quia eam habet infinitam (inquit D. Tho. lect. 2. in eum locum) & indeficientem, quod non habet homo. In tribus namque homo cum termino & limitatione miseretur: temporalium primo bonorum largitione; & hæc misericordia est finita, limites propriæ facultatis non excedens. De quâ Tob. 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors.* Deus autem Diues est in omnes qui inuocant illum. Ad Rom. 10. Secundò, est finita hominis misericordia, quia non remittit nisi offensam propriam, in quo etiam modus esse debet, vt nimirum non sic passim remittat, vt is cui remittitur, fiat procacior, & ad iterandas offensas pronior & facilior. Eccli. 8. *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo, filij hominum perpetrant mala.* Deo autem nihil nocere potest, & ideò potest omnem offensam remittere. Iob. 35. *Si peccaueris, quid ei nocebis? item, Si iustè egeris, quid donabis ei?* Tertiò, homo miseretur pœnam remittendo, & in hoc etiam modus seruandus est, ne quid scilicet contra legis superioris iustitiam faciat: Deus autem cùm nullâ superioris lege teneatur, omnium pœnam remittere potest. Iob. 34. *Quem constituit alium super terram, & quem posuit super orbem, quem fabricatus est:* Atque ita misericordia Dei est infinita, quia non coarctatur angustijs diuitiarum, neque timore nocumenti restringitur, neque superioris lege coërcetur: psal. 85. *Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ.* Et psal. 102. *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors.* Item, *quoniam secundum altitudinem cæli à terrâ corroborauit misericordiam suam super timentes se.* Porrò hanc misericordiam Dei, Philo lib. quod Deus sit immortalis, exponens illud psal. 110. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, non immeritò, iustitiâ ipsâ antiquiorem esse pronuntiauit, quod & Psaltes Regius asseruit psal. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*, vel *in omnia opera eius*, sicut legit & interpretatur D. Augustinus. Verba Philonis sunt: *Nam si Deus iudicaret mortalem sine misericordiâ, vtrum ferret calculum, cùm nemo à natiuitate ad obitum vsque sine culpâ*

Ephes. 2. Est infinita.

Tob. 4.

Rom. 10.

Eccli. 8.

Iob. 35.

Iob. 34.

Ps. 85.

Ps. 102.

Ps. 110.

Ps. 144.

peruenerit

Misericordia est antiquior iustitia.

percurrat vitæ spatium, sed aliquando sponte cadat, aliquando fallente vestigio: antiquior enim est apud eum misericordia, quàm iustitia. Et quid mirum si antiquior, quandoquidem, vti D. Bernard. inquit serm. 5. in Natali Domini: *Miserendi caussam & originem sumit ex proprio, iudicandi vel vlciscendi, magis ex nostro?*

3. Misericordia Dei exoratur Deus.

Misericordia itaque in Deo, non secundum adfectus infirmitatem consideranda est, vt docet D. Tho. 1. part. quæst. 21. art. 3. sed tantùm secundum effectus, & inclinationem voluntatis eius, quâ gaudet, etiam suâ ipsius misericordiâ exoratus (neque enim ita nos vnquam viuimus, vt exorare mereamur) miseriam repellere, & defectum tollere, quod regium, diuinumque est planè, sicut canit Ouid. lib. 2. de Ponto, Eleg. 9.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis.

Quam doctrinam ita illustrat D. Bernard. serm. 2. in Cant. *Deus, inquit, verè est impassibilis, sed non incompassibilis*: hoc est, tristitiæ subijci nequit, vt alienæ miseriæ, calamitatisvè particeps fiat; sed miseretur afflictorum. Sap. 5. *Quoniam gratia Dei & misericordia est in sanctos eius, & respectus in electos eius*: eisque subuenire desiderat, absque eò, quod ex illorum pœnâ crucietur. Quemadmodum enim Angelis nomina passionum ex humanæ locutionis consuetudine, tribuuntur, propter quandam operum similitudinem, non propter adfectuum infirmitatem, vt loquitur D. Augustinus lib. 2. de Ciuit. Dei. cap. 5. puniunt enim illi sine irâ, quos accipiunt æternâ Dei lege puniendos, & miseris, sine miseriæ compassione subueniunt, & sine timore periclitantibus eis quos diligunt, opitulantur: ita in Deo, potest esse misericordia sine cordis miseriâ, sicut zelus sine tabe, & animi cruciatu; ira, absque vllâ turbulentæ passionis agitatione.

Sap. 5.

Capitis 16. §. 4.

Misericordiam in Deo, esse singularem.

1. Misericordia hominis & Dei, vt differant.

Ex dictis duplicem habeo misericordiam, vnam, quæ cum tristitiâ alterius miseriæ coniuncta est: & hæc est hominis: alteram sine eâ, & hæc est Dei. Quanquam tamen & illam hominis misericordiam, à tristitiâ, siue cordis dolore, facilè quis vindicarit; vt si misericordiam inde sic dictam cogitauerimus, quod cordatis hominibus, aliena miseria cordi sit, cui alacriter, & hilariter subuenire festinent, sicut iubet Apostolus ad Rom. 12. *Vt qui miseretur, in hilaritate miseratur*: quo quidem, non cordis tristitia indicatur, sed benignitatis & clementiæ opus ex amore profectum, quod misero hilariter exhibetur. Et hoc roborari potest ex illo Eccli. 18. *Miseratio hominis circa proximum suum; misericordia autem Dei, super omnem carnem.* Nam cùm misericordia & miseratio, secundum Hugonem, differant, sicut fons & riuulus, quidni purus à puro fonte decurrat riuulus? Quidni illa quæ in homine est diuinæ misericordiæ participatio, remota quoque sit ab omni ægritudine? quidni etiam sicut clementis Dei misericordia, ex amore dimanat, ita & hominis? Certè fauet Hebræa vox רחם *racham, quæ, misericordiam significat, & diligere, &, moueri amore, vnde* רחום *rachum, misericors, &* רחם *racham*, auis quædam, sic dicta, quod שמרחם על פנין *semrachem al banain*, id est, misericors sit erga pullos suos, quòd illos amet, quam Iudæi *ègesler* & *aizel* vocant, & Leuitici cap. 11. versio nostra *porphyrio*. Non igitur vllam animi tristitiam, non dolorem, non ægritudinem, sed amorem potiùs & cordis propensionem, siue ipsum etiam amoris effectum, suâ notatione & etymologiâ, misericordia significat; & est in homine tanquam riuulus, in Deo autem tanquam fons, proindeque etiam in eo purior: atque inter quatuor, quæ illi præcipuè ex infinitarum virtutum numero tribuuntur, potissima; quæ sunt, omnipotentia, quam in mundialis fabricæ molitione declarauit: sapientia, quam in eiusdem administratione: iustitia, quam in nouissimo Iudicij die ostensurus est: & misericordia cæteris eminentior, & locupletior, quam in omnem creaturam iugiter exercet, & incomprehensibili ratione, in sacrosanctâ Passione suâ, & hominis, inferni tyranno obærati, redemptione, manifestauit. Cùm enim defectus aliquis, semper esse possit ratio miserendi, sicut Docet D. Tho. 2. 2. quæst. 30. art. 2. vel quatenus quis alterius malum vt suum reputat, propter vnionem amoris; vel quia possibile est ipsum quoque similia pati, siquidem Diuo Augustino teste, nihil ad misericordiam sic inclinat, sicut proprij periculi consideratio. Deus miseretur nostri, in quantum creatura est aliquid sui, seu potiùs, tanquam aliquid ad se pertinens, sicut ad Creatorem: inde autem facta est admirabilior diuina misericordia, quòd humanam carnem Deus assumere voluerit, & passibilis fieri, vt in eo quoque verificaretur, quod similia patiens misereretur nostri. Idcirco namque, Diuo Bernardo teste, tractat. de gradib. humilitatis, cap. 2. *Pati voluit, vt compati sciret, miser fieri, vt misereri disceret: vt quemadmodo (sicut de ipso scriptum est) didicit ex his quæ passus est, obedientiam: ita & misericordiam disceret: non quod antè misereri nesciret, cuius misericordia ab æterno, & vsque in æternum: sed quod natura sciebat ab æterno, temporali didicit experimento.* Item. *Beatus quippe Deus, Beatus Dei Filius, in eâ formâ quâ non rapinam arbitratus est esse se æqualem Patri, procul dubio impassibilis, priusquam se exinanisset formam serui accipiens, sicut miseriam & subiectionis expertus non erat, sic misericordiam vel obedientiam nonnouerat experimento. Sciebat quidem per naturam, non autem sciebat per experientiam. At, vbi minoratus est, non solùm à seipso, sed etiam paulò minus ab Angelis (qui & ipsi impassibiles sunt per gratiam, non per naturam) vsque ad illam formam, in quâ pati, & subijci posset, quod vtique (sicut dictum est) in suâ non posset, & in passione expertus est misericordiam, & in subiectione obedientiam. Per quam tamen experientiam, non illi (vt dixi) scientia, sed nobis fiducia creuit, dum ex hoc misero genere cognitionis, is, à quo longè errauerámus, factus est propior nobis.* Vbi deinceps docet, omninò fatendum esse Dei filium, sicut esse in tempore cœpit ex carne, sic carnis quoque miserias scire cœpisse, illo dumtaxat modo cognitionis, quem docet defectio carnis. Quod vtique genus scientiæ, Protoplasti sapientiùs feliciusque nescirent, quando id attingere, nisi stultè, misereque non poterant. Sed Plasmator eorum Deus requirens quod perierat, opus suum, miseratus, prosecutus est, descendens & ipse misericorditer, quò illi ceciderant miserabiliter. Voluit experiri in se, quod illi faciendo contra se meritò paterentur: non simili quidem curiositate, sed mirabili charitate.

Rom. 12.

Eccli. 18.

Attributa Dei potissima quatuor.

Misericordiæ motiuum est defectus.

Deus pati voluit vt sciret compati.

Non vt miser cum miseris remaneret: sed vt misericors factus, miseros liberaret. Factus, inquam, misericors, non illâ misericordiâ, quam felix manens habuit ab æterno; sed quam mediante miseriâ, reperit in habitu nostro. Ista Doctor mellifluus.

2.

Deus dicitur Pater misericordiarum.

Eapropter, licet multis nominibus innominabilis Deus, hoc tamen præcipuo nomine, quasi omnium Dominiorum suorum titulo honoratiore appellari gaudet, *Pater misericordiarum.* Quare misericordiarum? An propter præuenientem & subsequentem misericordiam Trinitatis? *Misericordia enim subsequitur ad custodiam,* inquit Cassio. in psal. *sed præcedit ad gratiam conferendam: nam si solùm sequeretur, nemo donatam perciperet: si tantùm præcederet, nullus posset collatam seruare. Grauiores enim sunt insidiæ, quas à tergo Diabolus parat; & nisi misericordia subsequatur, facillimè fragilitas humana decipitur: tunc enim quando se quis vitium transisse credit, in cautata magis ignoratione decipitur.* Sed in filio suo ipsam quoque duplicem commendat misericordiam Apostolus. 2. Corinth. 1. (inquit D. Bern. serm. 5. in Natali Domini) appellans illum Patrem, non vnius tantùm misericordiæ, sed misericordiarum: & Deum, non vnius, sed totius consolationis, qui consolatur nos, non in vna, hac vel illâ, sed in omni tribulatione nostrâ: miseria enim nostra multiplex est, ideò quærit multitudinem miserationum: præcipuè verò inter cæteras, in illâ, quæ ex peccato est: quanquam enim culpa, ex eo quod voluntaria sit, non misericordiam, sed indignationem magis prouocet; quia tamen ipsa aliquo modo pœna esse potest, in quantum scilicet coniunctum quidpiam illi est, quod peccantis voluntati aduersetur; sic mouere ad misericordiam potest: atque ita nos peccantibus compatimur & miseremur, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 30. art. 1. ad 1. vera namque iustitia, non habet indignationem sed compassionem, inquit D. Greg. homil. 34. in Euangelia. & Dominus Iesus Matth. cap. 9. *Videns turbas misertus est eis, quia erant vexati, & iacentes, sicut oues non habentes Pastorem.* Deus autem ipse solus est, qui suâ misericordiâ, omnem peccati miseriam auferre potest: quare D. Bernard. serm. 2. de septem panibus, sicut multam in se agnoscit miseriam, ita & multiplicem prodit misericordiam, septem in se videns misericordias Domini, quas in se quisque facilè sit inuenturus: quarum prima est, quâ adhuc in sæculo positus à multis peccatis custoditus est; non quod ea sit prima inter omnes, quas in se præterea expertus est; sed quòd prima sit inter septem quas ibi enumerat: poterat autem in plura incidisse peccata, nisi omnipotens eum pietas præseruasset. Secunda verò, quæ explicari sermone non potest, quàm benigna, quàm liberalis, quamque gratuita sit: *Ego,* inquit, *peccabam, & tu dissimulabas. Non continebam à sceleribus, & tu à verberibus abstinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine, pietatem tuam. Sed quid prodesset expectatio, nisi sequeretur pœnitudo? Cumului esset damnationis, dicente Domino: hæc fecisti, & tacui,* psal. 49. Tertiâ, quòd visitauit cor eius, & immutauit, vt amara fierent, quæ priùs erant malè dulcia. Quarta, quod pœnitentem misericorditer susceperit, vt in eorum numero inueniretur, de quibus dicitur psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Quinta, per quam ei virtus deinceps continendi, & emendatiùs viuendi, est præstita, ne recidiuum pateretur, & esset nouissimus error peior priore: non enim humanę virtutis, sed Diuinæ, susceptum semel peccati iugum excutere. His quinque miserationibus à malo liberatus, duas alias commemorat, in quibus virtus ei tradita sit, per quam adimpleret quod scriptum est psal. 36. *Declina à malo, & fac bonum. Ita duæ sunt,* inquit, *gratia promerendi, quâ videlicet munus bonæ conuersationis indulget. Et spes obtinendi, quâ donat homini indigno & peccatori, de suâ toties expertâ bonitate, vsque ad cælestia speranda, præsumere.* Ecce multiplicem misericordiam, ceu multiplex medicamentum, curandis nostris vulneribus, curandæ nostræ miseriæ adhibitum, & alias præterea Domini misericordias prætereaim, ob quas Pater misericordiarum appellatur.

Cassiodorus. Misericordia præcedens & subsequens.

2. Cor. 1.

Miseria hominum multiplex.

Culpa vt moueat misericord.

Matth. 9.

Misericordiæ partes septem.

Ps. 49.

Ps. 31.

Ps. 36.

3.

Christus est misericordiarum Pater.

Sed nunquid etiam ipse Dei Filius *Pater misericordiarum,* propter duplicem substantiam, quâ subsistit humana conditio? cùm enim vtraque sit tam misera quàm est, non incongruè duplex hominum dicitur esse miseria, licet sit multiplex in vtraque, siquidem & corporis, & cordis nostri tribulationes multiplicatæ sunt: sed ab vtrisque necessitatibus eruit, qui totum hominem saluum fecit.

Quum ergo vnus ille & vnicus Dei filius, etiam nunc venerit propter animas, tollere peccata mundi, & secundò propter corpora sit venturus, vt ea exsuscitet & configuret corpori claritatis suæ: non incongruum fortassè videbitur, vt in eo quod Patrem misericordiarum benedicimus, duplicem hanc misericordiam confiteamur. Suscipiens enim humanæ naturæ corpus simul & animam, non modò semel consolamini, sed *Consolamini, consolamini dicit Dominus Deus vester:* vt videlicet certi simus, quod vtrumque sit saluaturus, qui neutrum suscipere est dedignatus. Rectè igitur, non Pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, quanquam tamen non minùs iustus sit quàm misericors, cui misericordia & iudicium decantatur: *Quoniam misericordia, tunc est verè misericordia,* inquit D. Chrysost. super Matth. *si sic facta sit, vt iustitia per eam non contemnatur. Si autem contemptâ iustitiâ, misericordia obseruatur, ipsa misericordia, non est misericordia, sed fatuitas. Iustitia enim sine misericordiâ, non est iustitia, sed crudelitas: sicut & misericordia sine iustitiâ, non est misericordia, sed fatuitas.* Non, inquam, Pater iudiciorum dicitur, sed *Pater misericordiarum,* inquit Diuus Bernardus serm. 5. de Natali Domini, non modò, quod Pater videatur potiùs misereri, quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum miseretur timentium se, sed eò magis, quòd illi proprium sit misereri. *Ex se enim sumit materiam, & velut quoddam Seminarium miserendi,* inquit Diuus Bernard. *Nam quod iudicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, vt longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur.* Id quod etiam tradidit D. Saluianus lib. 1. de Iudicio & Prouidentiâ Dei, explicans illa Gen. 8. *Clamor Sodomorum & Gomorræ multiplicatus est. Pulchrè,* inquit, *clamorem dixit in se habere peccata. Grandis absque dubio peccantium clamor est, qui à terrâ ascendit ad cælum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? Scilicet, quia cædi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei, peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus, quàm inuitus puniat etiam grauissimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorum ad se ascenderit: hoc est dicere, misericordia quidem mea mihi suadet vt parcam, sed tamen peccatorum clamor cogit vt puniam.* Verè itaque Dominus, Pater misericordiarum, quia psal. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.*

Isa. 40.

Misericordia sine iustitia, fatuitas est.

Peccata nostra prouocant & cogunt Deum vt puniat.

Gen. 8.

Peccata clamant.

Ps. 144.

4.

Misericordia namque Domini, est quasi sal

Misericordia Domini sali comparatur.

sal omnium Diuinorum operum, atque eorundem ornatus & liquamentum, insipida sunt omnino, nisi hoc sale condiantur. Miserationes autem hic, sunt diuinæ misericordiæ effectus, quos etsi in veteri Instrumento frequenter, veluti in eductione Populi Israelitici ex Ægypto, & aliàs sæpè, mirabiliùs tamen in Incarnatione, atque sacratissimâ Passione ostendit, in quâ nos atro serpentis infectos veneno, in quâ, etiam ingratos, & secum non commorantes, sacri sui pectoris largè fuso cruore, instar Pellicani, restituit. Pellicanum ferunt, Barthelomeus Anglus lib. 12. & alij, pullos suos, morsu serpentis semimortuos, proprij pectoris rostro effossi cruore, sanare: illos autem ingratos, parentem deserere, vno excepto, qui tanquam pro accepto beneficio gratiam referens, in parentis solatium & societatem, nidum non relinquit: ita abeunt à parentis omnium misericordiâ multi, quos tamen suâ passione & morte, quos suâ incarnatione, complexus est, in quâ superexaltat misericordia iudicium, sapientiam, iustitiam, atque omnipotentiam in se continens. Sicut enim elementa, teste Philosopho, duabus adfecta sunt qualitatibus; vnâ in esse remisso, alterâ intensè: ita in esse intenso habet Deus misericordiam. *Super omnia opera eius*: Magnum quidem ex abysso nihili mundum eruere; magnum, ipsum iam conflatum & constitutum gubernare; magnum nullo repugnante, iustitiam exercere; sed (vt ait Diuus Augustinus in Ioannem) maius opus fuit humanum genus iustificare, quàm mundum creare: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Id quod dupliciter accipi potest ex Genebrardo, primò, vt miserationes eius, sint maiores cunctis eius operibus; fecerit itaque cælum, terram, maria, & quæcunque per vasta mundi excurrunt spatia, maius quidpiam fecit, nempe, misericordiam. Secundò, vt erga omnia opera sua misericordiam exerceat: quod non sic accipiendum est, quasi super omnes virtutes appareat, quomodo oleo reliquis infuso liquoribus & supernatanti comparatur: sed quia omnium Dei operum regimen, administrationemque habet, vt in illis reluceat gloria Diuinitatis: vnde fit, vt Eccli. 35. dicatur, *Misericordia Dei, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* Cùm enim nubes quædam sint, quæ in ventos & tempestates conuersæ, extirpant arbores, fruges vredine, greges fulmine percutiunt: aliæ, niue, grandine, fulgure, fulmine, calamitate sint graues: speciosa est misericordia Dei, sicut nubes pluuiæ, quæ desuper cribratæ, guttatim distillant, atque

Miserationes Dei vt Pelicanus pullos a morsu serpentis curat.

Elementorum qualitates duæ.

Ps. 144.

Eccli. 35.

Nubes sunt misericordia Dei.

> *Frugiferum reddunt fusæ, mortalibus orbem,*
> *Iupiter vitalibus quoties rigat imbribus agros.*

Nulla namque Regio est, nulla terræ ora, nulla plaga, nullus orbis situs, qui non ab hoc fonte, è Dei præcordijs manante, irroretur, irrigeturque: & quod grandius est. *Fulgura in pluuiam fecit.* Psalm. 134. Iram Diuinam nostris prouocatam sceleribus, in aquas [illegible]tens clementiæ, vt quod inurit iudicium, extinguat misericordia. Et quia totum irrigat orbem & regit, nubes appellatur, numero pluratiuo, non riuulus, non fons, non puteus, quòd riuuli, putei, vel fontis aquæ plantarum radicibus infundantur solùm: at stillantes cæli pluuiæ, & radicem, & truncum, & ramos, folia, flores, & fructus rigant; ita

Ps. 134.

Aqua pluuia fertilior.

nihil reliquum est in rerum naturâ, quod non benefico diuinæ misericordiæ rore perfundatur. Quod si ita est (sicut verè est) si nihil ita magnum, nihil ita exiguum, nihil ita despectum sit in rerum vniuersitate, quod non sentiat misericordiam Dei: quantò ampliùs homo ipse, cuius, quantò maior est indigentia, tantò affluentior est in illum diuina bonitas, & misericordia?

Capitis 16. §. 5.

De præueniente Dei misericordiâ.

QVia verò in homine præcipuè relucet Dei misericordia, propter quem ipsa etiam alijs Dei operibus communicatur: illam quæ hominem respicit, ita partimur, vt vna dicatur præueniens; altera subsequens, quam distinctionem indicauit Cassiodorus §. præcedenti citatus. num. 2. Et apertè tradidit Vates Regius, vt quum psal. 58. de præueniente, sic fatur, *Misericordia eius præueniet me.* Et psalm. 20. *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et de subsequente psalm. 22. *Misericordia eius subsequetur me.* Præueniente misericordiâ, expectatur homo vt resipiscat, expectatur, vt à peccato resurgat, cuius effectus gratia, excitatus, vocatur, vt miris & certis modis operetur: misericordiâ verò subsequente, gratiam iustificationis accipit, item perseuerantiam, aliaque dona Dei, ad semel indeptam iustitiam conseruandam, idonea. Præuenit enim vt sanemur, sicut ait Diuus August. lib. de natur. & gratiâ, cap. 31. subsequitur vt sanati vegetemur: præuenit vt vocemur, subsequitur vt glorificemur: præuenit vt piè viuamus, subsequitur, vt cum Deo semper viuamus: Ad præuenientem spectat quælibet excitans & operans, ex qua iustificationis nostræ sumitur exordium; ad subsequentem verò, cooperans, adiuuans, & concomitans.

I. Misericordia duplex, præueniens & subsequens.

Ps. 58.

Ps. 20.

Ps. 22.

Vtraque autem, tum in iustorum præseruatione & custodiâ, tum in peccatorum iustificatione cernitur, quia, vt inquit Diuus Augustinus lib. de Spiritu & Animâ, *Proni sumus ad malum, & si misericordia Dei non teneret nos, in omne vitium possemus cadere, nec inde surgere, nisi misericordia Dei subsequeretur, quæ nos subleuaret. Hoc benè cognoscebat Propheta quum dicebat, Domine misericordia tua ante oculos meos est, quæ me custodiat: & misericordia tua subsequetur me, quæ me erigat.* Horum autem respectu, misericordiam in tres gradus diuidit Sanctus Bernard. iuxta triplicem peccati gradum; in paruam videlicet, in mediocrem, & magnam. Parua, est expectatio ad pœnitentiam, ac pœnæ peccatis infligendæ dilatio: quæ quidem non in se, sed aliarum comparatione parua est: alioquin magna profectò est expectatio Domini. Angelum namque peccantem præcipitio elisit: & hominem ipsum, decretas leges transgredientem, paradiso exegit: at nunc, expectat, dissimulat, sustinet, vsque ad senectam & senium. Veruntamen hæc sola, salutem non operatur, imò verò damnationis iudicium accumulat, vnde peccatori contemnenti, neque eam misericordiæ vocem audire volenti, dicetur, *Hæc fecisti & tacui.* Psalm. 49. Peccator enim euacuans in se Dei misericordiam, atque thesauros eius contemnens, suos sibi thesauros

Misericordiæ gradus tres, parua, mediocris, magna.

Ps. 49.

Thesauri peccatoris ira Dei. Rom. 2.

thesauros irarum Dei, in suam accumulat perniciem, sicut Apostolus loquitur ad Rom. 2. *Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Quis autem scindet duritiam istam & conteret, nisi is, qui in suæ Passionis sacramento petras scidit Christus Iesus? Quis dabit pœnitens cor, nisi is à quo omne datum optimum? & hæc est secunda misericordia, quam mediocrem appellat Diuus Bernard. quæ facit ne prima sit otiosa, & cedat in damnationem mortis; dando scilicet pœnitentiam, sine quâ expectatio non prodest, sed obest plurimum.

2. Misericordiæ præuenientis filiæ quatuor.

Magna autem misericordia est, quæ grauioribus peccatis est necessaria; onus namque peccati semel susceptum deponere, non humanæ potestatis est, sed diuinæ, quæ quatuor filiarum huius misericordiæ ministerio, id efficit; quarum prima est, amaritudinis immissio: *1.* piè namque illam immittit Dominus; vt mentem hominis occupans, expellat perniciosam peccati delectationem: perniciosam, inquam;

——— Hulat enim rari, summique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo,
Plus aloës quàm mellis habet.

Ebrietas hilaris insania.

Vt canit Iuuenalis satyr. 6. & quæ sicut ebrietas hilarem vnius horæ insaniam, longi temporis tædio pensat, mordacibus pœnæ stimulis, animum diutiùs excruciat. Alterum misericordiæ seminium est, subtractio opportunitatis: *2.* quando nimirum infirmitatem nostram tentari non patitur Deus, ne succumbat exposita. Tertium, virtutis, roborisque ad resistendum oblatio: *3.* vt peccator tentationis congressum persentiscens, eam viriliter expugnet, & sub iugum mittat. Quartum sanitas adfectionis, quâ, *4.* tentatio prorsus tollitur, vt non solùm non consentiatur, sed nec sentiatur: quando videlicet tentamenta sua fortissimo bellatori, ludus sunt, & vmbra certaminis.

3.

Et hi quidem misericordiæ gradus, tùm ad præuenientis, tum ad subsequentis misericordiæ effectus spectant. Et vt de præueniente misericordiâ nostra primùm instituatur oratio, nemo est qui illam non experiatur & sentiat, quantumuis etiam à sanitate suscipiendâ sit alienus, *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* inquit Apostolus ad Rom. 11. & Iob. 41. *Quis antè dedit mihi vt reddam ei?* in quæ verba Diuus Greg. 33. Moral. cap. 26. vel 25. *Nemo*, inquit, *vt diuina illum gratia subsequatur, priùs aliquid contulit Deo, nam si nos Deum benè operando præuenimus, vbi est quod Propheta ait, misericordia eius præueniet me?* & Diuus Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianor. cap. 9. *Auertat Deus*, inquit, *vt in donis eius nos priores faciamus; posteriorem ipsum; quoniam misericordia eius præueniet me: & ipse est, cui fideliter; veraciterque cantatur: Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Psalm. 20. Verè enim dulcis præuenientis misericordiæ Dei benedictio, quæ facit vt opera nostra, vitæ saporem habeant, cùm aliàs ipsa opera moraliter etiam bona, quæ fiunt naturæ viribus, cum generali concursu Numinis, vt auctor est naturæ, & prima vniuersalis caussa, per se non sint meritoria, neque dispositiones ad iustificationem, à quâ toto distant ordine: sed perinde habeantur, quoad hoc, ac si forent mala; licet quia in se bona sunt, pœnæ euadant reatum. Verè meritoque dulcior hæc misericordia, atque ad animi palatum dulcissima, quia, vt inquit Diuus Bernardus serm. 39. ex paruis: *Non immeritò dulcitèr sapit ea, quæ non modò immeritos, sed & malè meritos præuenit: vt, dùm adhuc filij sumus iræ, & operamur opera mortis, ipse cogites super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imò & impetentibus: non inuocantibus, sed prouocantibus: non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Meritò proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ præuenit* Quia, vt Arausicanum Concil. cap. 14. habet, *Nullus miser de quacunque miseriâ liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur; sicut dicit Psalmista Psalm. 78. citò anticipet nos misericordia tua, Domine.* Et illud, *Deus meus misericordia eius præuenit me.* Nemo itaque est quem non præueniat misericordia: quia Deus prior diligit. 1. Ioan. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Prior eligit. Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Prior vocat, 2. ad Timoth. 1. *Nos liberauit & vocauit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra.* Prior occupat, Isa. 60. *Et occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.* Prior pulsat, concutit, terret: Cant. 5. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Nimirum, cor, viscera, præcordiâ animæ per ventrem significata, ad tactum necessarium præuenientis misericordiæ, mouentur, ad opera salutis præstanda, ita Camerarius lib. 1. de Gratiâ, & lib. arbit. cap. 4. vbi inquit. Quid igitur ponere manum, quid tangere, aliud est, quàm à Deo solo moueri? Quid illud intremuit, nisi Pauli motum designaret, quando timens & tremens respondit: Domine quid vis me facere? ad quem Dominus, surge, & vade. Surrexit autem Paulus adiutus, non solùm corpore, sed etiam animo, motum commonstrans, quomodo alter aperuerit dilecto; libero nimirum arbitrio à Dei gratiâ moto, atque adiuto. Ita vt nec solus homo, sed vterque in solidum, id ipsum agat. Sic tamen totum homo, quia totum à gratiâ habet: Hæc ille. Tria namque sunt quæ ad peccatoris iustificationem concurrunt, misericordiâ, quæ præuenit, quæ Deo ita est propria, vt libertas humana nullam prorsus in eâ partem habeat, neque consensum, neque cooperationem: ad hunc spectant, prædestinatio, electio, vocatio, pulsatio, cohortatio, inspiratio, & cætera huiusmodi. Misericordia quæ subsequitur: per quam producuntur qualitates supernaturales, gratiæ scilicet & virtutum, quibus completur nostra iustificatio. Verùm quia natura nostra, ad præcellentes adeò qualitates pertingere nequit, sed homo earum respectu, se passiuè habet: inter hæc opera, quibus inchoatur & perficitur nostra iustificatio, alia media tertij generis, sunt necessaria, quæ Deus in nobis non operatur sine nobis, nisi præbeamus assensum. Cuiusmodi sunt, fides, spes, charitas, pœnitentia: Hæc enim dona, Deus nonnisi ope suâ dispositis, vocationique eius libenter obtemperantibus, elargiri consueuit. Ista sunt sine quibus terra nostra fructum salutis dare non potest. Neque enim aut inchoare bonum, donec à misericordiâ præueniamur, aut bonum suscipere, nisi à subsequente misericordiâ adiuuemur, aut agere bonum donec eâdem impleamur vllo modo possumus. Ex quo patet, tantam esse misericordiæ præuenientis necessitatem, vt nisi homini mortali eam conferat Deus, in æternâ iaceat miseriâ, irreuocabiliter à se, vtpote

Misericordiam Dei omnes sentiunt.

Rom. 11. Iob. 41.

Ps. 20.

Opera moraliter bona viribus naturæ facta nil prosunt ad vitam.

Ps. 78.

1. Io. 4.

Io. 15.

2. Timoth. 1.

Isa. 60.

Cant. 5.

Venter animæ cor significat.

Opus bonum à Deo est & homine.

Ad iustificationem tria opera concurrunt.

4. Misericordia præueniens necessaria.

pote

pote qui suis viribus è luto profundi, in quo non est illius misericordiæ substantia, emergere nequeat; & solùm reuocabiliter ab ea, de quâ Psalmista, *Misericordia eius præueniet me*, quod optatiuè expressit Apollinarius,

Ps. 54.

ἀμφιβάλοι μ' ἔλεητὺς ὑπὶ φθαμένη βασιλῆος.
Circundet me misericordia præueniens Regis.

Scilicet, vt homo, qui sibi relictus, extra septa legis æternæ, vagus, & errans, ferarum omnium, siue peccatorum, animam miserabiliter infestantium, patebat aditibus, deinceps muro salutis cinctus, soli pateat regi, mittenti manum suam per foramen, ad cuius tactum, turbentur & contremiscant interiora cordis, corporeus peregrinetur adfectus, & forma veteris hominis exolescat, ad diuinioris influxum: surgat, & aperiat dilecto suo manum virtutis suæ mittenti, vocantique & excitanti respondeat. Illa est namque misericordia, quæ ad opus bonum substrata, liberum excitat, moueíque arbitrium, vt benè operetur: quia cùm nihil boni ex nobis ipsis habere possimus, nisi hoc ipsum à Domino acceperimus, ideò *Antequam aliquid boni ego faciam, misericordia eius præueniet me*, inquit D. August. Quid enim per nos ipsos possumus, nisi peccatum? & sanè nobis solis illud tribuitur: operis autem boni, quod etiam libero arbitrio nostro operante fit, auctor est Deus, potiùs quàm nos, sine vt caussa vniuersalis, cum omni caussâ secundâ concurrens: siue vt auxilium speciale conferens. Hinc D. August. lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. cap. 9. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.* Et auertat hanc amentiam à nobis, vt in donis eius nos priores faciamus, posteriorem ipsum; quoniam misericordia eius præueniet me: & si non præuenit nos; non solùm non perficitur quod præcipit, sed nec inchoatur ex nobis; & vt inchoemus dictum est, misericordia eius præueniet me: vt perficiamus, dictum est, misericordia eius subsequetur me.

Operis boni auctor Deus.

5. Inter septem enumeratos misericordiæ gradus, siue effectus septem, quorum quidē duo ad præuenientem misericordiam pertinēt, ad subsequentem reliqui: primus & capitalis misericordiæ præuenientis effectus est, dilatio vindictæ in peccata exercendæ, temporisque ad resipiscendum concessio, quæ ideò mortalibus benignè tribuitur, vt cùm critici dies aduenerint, minùs inueniat quod plectat Deus, in ijs, qui hoc dono benè vsi fuerint. Neque enim statim vt admissum est facinus, sequitur vltor à tergo Deus, vt effusum in suas cupiditates deleat, aut curuatum frangat, sed dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam: flagra prædicit, & Cometarum portentis Magnatum funera prænuntiat, vt erudiantur, vt conuertantur, & appropinquent Deo, & Deus illis. O altitudinem huius misericordiæ Dei, quæ fulgura in pluuias facit; flagra conuertit in munera, & delicias animæ!

E septem effectib. misericord. duo ad præuenientem spectant.

Quanti faceres, si quis te in procinctu dimicationis vltimæ, articuli cuiuspiam admoneret, in quo de capite tuo ageretur? aut idem ipse, qui tibi perniciem machinatur, priusquam eam inferret, acerbitatis suæ virus apud te euomeret? nunquid caueres? nunquid beneficij loco reponeres? Ingruentem peccatori calamitatem, prædicit, ac præmonet Deus; nec expergisceris? Zachar. cap. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, inquit Dominus, *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Non enim satis est peccatorem auertere se à peccato, vt appropinquet Deo, nisi ipse Deus conuertatur ad illum. Quare Ierem. 31. *Conuerte me Domine, & conuertar, quia tu Dominus Deus. Postquam enim conuertisti me, egi pænitentiam: postquam ostendisti mihi percussi femur meum, confusus sum, & erubui.* In tenebris quippe continuò versari necesse est illum, ad quem non conuertitur Dominus, quem non respicit Deus. Luc. 22. *Et conuersus Dominus respexit Petrum: & recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat: quia priusquam Gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras Petrus, fleuit amarè.* Conuersus est, vt Dominus obiurgans seruum, respexit vt Deus absoluens reum, ex oculo præuenientis misericordiæ, radium misit gratiæ in cor eius, vt quod negationis glacies constrinxerat, in contritionis lacrymas resolueret. Eleganter Diuus Ambros. in Euang. Luc cap. 22. *Quos Iesus respicit, plorant delictum. Negauit enim primò Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus: negauit secundò, & non fleuit, adhuc non respexerat Dominus: negauit & tertiò, respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit.* Et subdit. *Respice ergo Domine Iesu, vt sciamus nostrum deflere peccatum, lauare delictum.* quia, vt inquit D. August. lib. 5. Confess. cap. 2. *Oculum tuum non excludit cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum; sed soluis eam cùm voles, aut miserans, aut vindicans: & non est qui se abscondat à calore tuo.* Qui hoc intelligit, perspectâ peccati miseriâ, atque consideratâ pœnarum grauitate, quas licet commeruerit, necdum tamen, patienter tolerante Dei misericordiâ, experientiâ tolerauit, conuertatur ad oculum misericordiæ diuinæ, & illius imploret aspectum, vt ad radios tantæ claritatis, tantique feruoris, discutiantur tenebræ, & liquescat animi rigor. Clamet cum Propheta Regio ps. 118. *Aspice in me, & miserere mei*: prouocans ab oculo iustitiæ, quem iam timere incipit reus, & quo iratus Deus peccatores respicit. Ps. 33. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terrâ memoriam eorum.* Ad oculum misericordiæ, qui Petrum, non ad iudicium & pœnam respexit, sed ad pœnitentiam; prior eum diligendo, vt ipse redamando, trinam negationem, amaritudine lachrymarum ablueret, impleretque Propheticum illud Ps. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei quia non custodierunt legem tuam.* Agricolam siquidem agebant Petri oculi, atque incisis lacrymarum venis ora sulcantes, plurimo imbre pectus impluebant, quò, quæ priùs arida fuerat animæ illius terra, in multam pœnitentiæ, aliarumque virtutum segetem assurgeret: Ouid. 6. Metam.

Zachar. 1. Conuersio hominis.

Ierem. 31.

Luc. 22. Respicere Dei est animum ad se conuertere.

Ps. 118.

Ps. 33.

Ps. 118.

Oculi D. Petri, agricolæ fuerūt.

Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis.

Alter præuenientis misericordiæ effectus, est reuocatio benigna dispersorum à facie persequentis peccati, quæ & trahit, adducit, conuerti facit delinquentem ab errore viæ suæ, quod fit sacris inspiramentis ad spem excitando, minis terrendo, conscientiæ pauorem immittendo. Hunc adfectum comparat Dominus gallinæ in pullos suos adfectui. Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, & noluisti?* Sicut gallina, inquit, quæ viso insidiatore miluo, pullis suis timens, eos ad alarum suarum perfugium prouocat. Diuus August. de quæst. Euangel. apud D. Tho. in catenâ: *Hoc enim genus animantis, magnum affectum in filios habet, ita vt eorum infirmitate affecta, infirmetur & ipsa. Et quod difficile in cæteris animantibus inuenies, alis suis filios protegens, contra miluum pugnat:* sic

Reuocatio peccatoris, est misericordia.

Matth. 23.

Gallinæ affectus in pullos suos.

ratio ducit, quâ nos discutimus: ad secundum affectus producit, quo alijs miseremur: ad tertium pariter rapit, quâ ad inuisibilia subleuamur. Præclarissimè Diuus August. lib. 2. de libero arbit. cap. 13. *Quemadmodum illi qui in luce Solis eligunt quod libenter aspiciant, & eo aspectu lætificantur: in quibus si qui fortè fuerint vegetioribus, sanisque & fortissimis oculis præditi, nihil libentiùs quàm ipsum Solem contuentur, qui etiam cætera, quibus infirmiores oculi delectantur, illustrat. Sic fortis acies mentis illustrata, cùm multa vera & incommutabilia conspexerit, dirigit se in ipsam veritatem, quâ cuncta monstrantur, eique inhærens, tanquam obliuiscitur cætera, & in illâ simul omnibus fruitur. Quidquid enim iucundum est in cæteris veris, ipsâ vtique veritate, iucundum est.* Hæc autem summa veritas, summum hominis bonum est, quod qui consecutus fuerit, dimittet nunquam inuitus, quia firma ac stabilis est illius possessio: inde est, quod cum securitate teneri possit, inamissibilique (nisi tu ipse iacturam feceris) animum perfundat iucunditate. Diuus Augustinus ibidem, *Nullâ re fruitur anima cum libertate, nisi quâ fruitur cum securitate: nemo autem securus est in ijs bonis, quæ potest inuitus amittere: veritatem autem, atque sapientiam, nemo amittit inuitus. Non enim locis separari ab eâ quisquam potest: sed ea quæ dicitur à veritate atque sapientiâ separatio, peruersa voluntas est, quâ inferiora diliguntur:* quare quemadmodum speculum non reddit imaginem, nisi vitro substernas aurum, aut æs, aut stannum, aut simile quid solidum, quod imaginem non sinat perfluere; ita nonnisi in animis solidis, & verâ virtute nixis, relucet imago veri. D. August. lib. 7. Confess. O æterna veritas: *Deus vera & summa vita, in quo, & à quo, & per quem sunt omnia quæ beata sunt. Deus à quo auerti, cadere: in quem conuerti, resurgere: in quo manere, consistere est. Deus à quo exire, mori: & in quem redire, reuiuiscere; & in quo habitare, viuere est. Deus quem nemo amittit, nisi deceptus, quem nemo quærit nisi admonitus, quem nemo inuenit, nisi purgatus.* Ratio autem quâ tenetur veritas, nec dimittitur, cuius possessione homo beatus est, interioris hominis est conuenientia, testatur D. August. lib. de verâ religione cap. 39. vbi totidem verbis infit, *Quære in corporis voluptate quod teneas, nihil aliud inuenies quàm conuenientiam: nam si resistentia pariunt dolorem, conuenientia pariunt voluptatem. Recognosce ergo quæ sit summa conuenientia, noli foras ire, in teipsum redi; in interiore homine habitat veritas: & si tuam naturam mutabilem inueneris, transcende & teipsum. Sed memento, quum te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere: illuc ergo tende, vnde ipsum rationis lumen accenditur. Quo enim peruenit omnis bonus ratiocinator nisi ad veritatem? cùm ad seipsam veritas vtique ratiocinando non perueniat, sed, quod ratiocinantes appetunt, ipsa sit: vide ibi conuenientiam, quâ superior esse non possit, & ipse conueni cum eâ. Confitere te non esse quod ipsa est, siquidem se ipsa non quærit, tu autem ad ipsam quærendo venisti, non locorum spatio, sed mentis affectu: vt ipse interior homo cum suo inhabitatore, non infimâ & carnali, sed summâ & spiritali voluptate conueniat.*

Veritas, res iucundas esse, facit.

2\. Veritas summum hominis bonum.

Securitas vbi optima.

Veritas Deus vita est.

Homo interior conueniens cum veritate, tenet eam.

Resistentia pariunt dolorem.

Ad veritatem, nitendum.

Itaque solus animus liber, & omni deorsum trahente animi adfectu vacuus, ad veritatem ire, & cum illa conuenire potest. Sicut autem is qui sibi oculos effodit, atque eruit, vt deinceps aliquid videat, fieri non potest, sic qui sese vltrò tenebris animam obscurantibus dedidere, spiritus veritatis, quæ lumen est mentis, capaces non sunt: vnde idem Doctor sanctus lib. de agone Christiano cap. 13. cuius ego te sententijs ad veritatis amplexum excitare volui. *Errat autem,* inquit, *quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cùm adhuc nequiter viuat. Nequitia est autem, mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt, pro magno habere, & ea concupiscere, & pro his laborare vt acquirantur, & lætari quum abundauerint, & timere ne pereant, & contristari quum pereunt. Talis vita, non potest puram illam & sinceram, & incommutabilem videre veritatem, & inhærere illi, & in æternum non moueri. Quare sicut in cognitione cauendus est error, ita in actione cauenda est nequitia.* Neque enim minùs in hac mortali vitâ, ipsâ veritate potiri possumus, quàm hoc soluti corpore, in amplissimis cæli theatris, eadem indeptâ frui: quanquam ibi sine periculo, hîc periculosiùs: ibi pleniùs, hîc ex parte. Quâ de re Philosophantem Senecam audiamus, ait enim Epist. 79. *Tunc animus noster habebit quod congratuletur sibi, quum emissus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit, & redditus cælo suo fuerit, quum receperit locum, quem occupauit sorte nascendi. Sursum vocant illum initia sua: erit autem illic etiam antequam hac custodia exsoluatur, cùm vitia disiecerit, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit: hoc nos oportet agere, Lucille carissime, in hoc ire impetu toto; licet pauci sciant, licet nemo videat.* I nunc, sectare fallacia in quibus veritas non est; vbi subsistes? nusquam certè teipsum, nisi in veritate inuenies: in fallacibus & mendacijs, non te inuenisti, sed perdidisti. Hoc ergo conare quanto potes boni adfectus motu, hoc effice, vt veritati summæ adhæreas semper, neque vnquam dimittas, vt animus tuus qui scintilla illius est, ad eam redeat. In animum demitte, quod Lactant. lib. 5. instituit *Qui veritati studet, abijciat inimicas & anxias voluptates, quæ animam sibi vinciunt: præferat vera falsis, æterna breuibus, vtilia iucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi quod iustè, quod piè fieri videas: nihil auditu suaue, nisi quod animam meliorem, teque reddat.* Et hæc est ad æternos veritatis amplexus, via.

3\. Animus liber cum veritate conuenit.

Nequitia est mundum diligere.

Veritate æterna vt potiri quis possit in hac vitâ.

In veritate inuenitur homo, in mendacio perditur.

Animus noster est scintilla veritatis.

CAPVT XVI.

De Deo bono.

Vt Deus bonus dicatur.

TErtium est quod Platonici asserunt, videlicet, Vnus est Deus, quia summa est bonitas; & quidem omni omnium omnino rerum bonitate, perfectissimâ, atque rectitudine, completissimâ. Tripliciter autem Deus dici potest bonus. Primò, perfectione sui esse: id enim solidum existimandum est, cui nihil decedere; id perfectum, cui nihil potest accedere, inquit Lactant. lib. 1. Instit. cap. 3. Aristoteles verò lib. 5. Metaphysic. *Perfectum est, cui nihil deest, bonum igitur est, quod in suo esse perfectum est,* id est, quod habet, quidquid ad sui esse complementum, desiderari potest, quo sensu dixit Lactantius ibidem: *Deus qui est æterna mens, ex omni vtique parte, perfecta consummatæque virtutis est.* Ac sic quidem, Deus bonus est, imò summè bonus, quia apud D. Luc. cap. 18. dicitur, *Nemo bonus nisi solus Deus* Nec quisquam illi similis est; vnde exclamat Propheta psalm. 34. *Domine quis similis tibi?* quasi dicat, nullus: quâ etiam ratione *Altissimus* appellatur, qui cùm sit æterna mens, ex omni vtique parte, perfectæ, consummatæque virtutis est: ita Philosophabatur Plato in Timæo, *Deus est summum bonum, supra omnem substantiam, omnemque naturam, quod cuncta expetunt, cùm ipse sit plenus perfectionis, nullius societatis indigus.*

Hæc autem singularis essentia Dei, in eo sita est, quòd ipse sit bonus per essentiam: ita Diuus Thomas, quare Dominus in Exodo. se *Omne bonum* appellauit: omnis quippe omnino perfectio,

1\.

Deus dicitur bonus tripliciter.

Luc. 18.

Ps. 34.

Deum cuncta expetunt.

Deus est omne bonum.

fectiô, vt perfectio est, illi necessariò & per essentiam suam, est debita, illique conuenit: ait enim apud Matth. cap. 19. *Quid me interrogas de bono? vnus est bonus, Deus.* Bonus igitur est, non ex effectu, sed caussâ; non in gradu, sed immensitate; non ex accidente, sed substantiâ, seu eo quod est & subsistit: namque vti Iacobus Billius in Anthologiâ sacrâ cecinit,

Ex substantiâ bonus. Sine mensurâ.

> *In Deitate gradus, mensura, & tempora non sunt,*
> *Et quod idem est, maius non habet, atque minus.*
> *Corporeæ longè moles, formæque recedant,*
> *Virtus summa, caret finibus & spatijs.*
> *Quod Pater, hoc simul est Verbum Patris, hoc vtriusque*
> *Spiritus, hic Deus est vnus, & vna fides.*

Sine mensurâ.

2. Deus bonus omnis perfectionis possessione.

Secundò bonus est Deus, omnis perfectionis sibi conuenientis, & à seipso amabilis, possessione: vnde necessariò sui amore capitur, & hoc pacto, ens dicitur bonum, quia alicui conueniens. Neque verò suum sibi tantùm bonum est, sed eodem quasi modo, creaturarum summum bonum est, quamuis non omnium. Eodem modo, dicit enim Propheta Regius psal. 72. *Quàm bonus Israël Deus, non cuiuis; sed, his qui recto sunt corde,* quasi dicat, inquit de Valentiâ Episcopus Christopolitanus in Psalmos, quòd, quidquid Deus agit vel permittit, semper cedit in vtilitatem, meritum, & gloriam eorum, qui recto sunt corde: quod enim hos puniat Deus, illos inultos relinquat, quòd his benè sit, probis malè, hoc in piorum bonum fit, vt pœnæ terrore admoniti, iustitiam Dei metuant, & misericordiam & prouidentiam eius videntes, eam laudent, & admirentur. Nam vt Plato ait: *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur,* inquit Seneca lib. 1. de ira, cap. 16. *Non enim perpetrati mali caussâ pœnas dat (quippe factum infectum nequiquam reddetur:) inquit Plato lib. 11. de Legib. sed vt in futurum tempus, & ille ipse qui deliquit, & ij qui pœnas dantem spectarunt, in totum iniustitiam oderint, aut certè leuentur, minuantúrque mali huius partes.* Atque ita Deus semper est illis bonus & misericors; vnde Threnor. cap. 3. dicitur, *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Quanquam etiam hic, pro liberali & benefico accipi videatur, quod sic quoque tamen conueniens est creaturæ: ita D. Dionysius intelligendus; cùm ait, *Deum esse omnium bonum, sicut ex quo omnia subsistant.* Denique, quòd finis sit vltimus in quem recurrunt omnia, est quoque summum bonum eorum qui ordinantur in finem, proindeque beatitudo obiectiua creaturæ rationalis, quapropter vt beata esse possit, illi admodum est conueniens.

Ps. 72.

Pœnas ne peccetur, irrogandas esse.

Item. Thren. 3.

Bonus, beneficum significat.

Deus bonus, quia est finis vltimus.

Quia verò rationis expertes creaturæ, ad modum creaturæ, ratione præditæ, hoc bono frui nequeunt, quantum fas ipsis est, in illud nihilominus quodammodo tendunt: & pro naturæ suæ conditione, vt finem, atque bonum suum, illud appetunt: ita Doctor Angelicus 1. part. quæst. 6. art. 1. Cuncta itaque quæ per amplissimos orbium cælestium, terræque plagas, longè latéque dispersa videmus, in vnitatem, veluti lineæ à puncto exeuntes, & in idem reuertentes, demùm incidunt, omniumque compendium, monade constituitur: sicut enim punctum insecabile terminat varios linearum exitus, ita Deus impartibilis, rerum ordines, & respectus claudit.

Creaturæ in Deum tendunt velut lineæ in punctum.

3. Deus bonus operatione. Ps. 144.

Tertiò, summè bonus est operationis rectitudine, *Fidelis,* inquit Dauid psal. 144. *Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Hæc enim bonitas, etiam sanctitas appellatur, & fidelitati coniungitur, quia, vt ait D. Hilarius, verborum fides fortè nutaret, nisi sanctitas operibus esset admixta. Atque ita sanctitas in operibus, fidem confirmat in verbis, vt de Sancti fide in promissis non ambigas, cuius sanctitate vtaris in rebus. Et psal. 118. *Bonus es tu, & in bonitate tuâ doce me iustificationes tuas.* & psal. 106. *Confitemini Domino quoniam bonus:* bonus vtique; siue sanctus in omnibus operibus suis, quæ misericordiâ & bonitate sunt plena: quod intelligens Plato in Timæo dixit, caritatem Dei, fuisse caussam factionis mundi, atque rerum omnium originis.

Bonitas idem quod sanctitas.

Ps. 118.

Ps. 106.

Mundi creationis caussa.

Veruntamen hæc bonitas, non est transcendentalis, quæ tribuatur Deo vt enti, sed moralis siue actualis, quæ in bonorum operum exercitio continetur, estque altiori modo & ratione in Deo, quàm in homine. Primam autem vel secundam bonitatem, aut etiam vtramque simul, transcendentalem esse dicimus, quâ Deus ipse est suamet bonitas, & summum creaturarum bonum. Id enim summum bonum est, vt ait D. Anselmus in Monologio cap. 1. quod per se eminet alijs, ita vt nec par habeat, nec præstantius: atqui 1. Reg. cap. 2. *Non est sanctus vt est Deus, neque enim est alius extra te.* Bonum summum igitur ipse est, & fons totius boni. In quem proinde mentis nostræ oculos intendere, tantò rectiùs est, quantò studiosiùs benigniùsque, nostro omnium bono, bonus ipse, terram stabili firmitate suspendit, eamque varijs atque multiplicibus rerum speciebus exornauit: cælum distinxit astris fulgentibus, Solemque, singulare Diuinæ Majestatis argumentum, accendit; quo subiecta terræ moles, è tenebrarum eruta caligine, suis hilaresceret fœtibus: terris maria circumfudit, ne conuerterentur illas obruere, flumina sempiterno lapsu fluere præcepit,

Bonitas moralis & transcendentalis.

Bonum summum.

1. Reg. 2.

Mundus à bonitate conditus.

> *Iussit & extendi campos, subsidere valles,*
> *Fronde tegi syluas, lapidosos surgere montes.*

Et quod amplius meliusque est, cælestis machinæ supremæ, ratiocinantis animæ sedem, habitationemque esse decreuit; vbi se inueniret creatura vnde defluxit, & pleno haustu pectoris, fonte Diuinitatis, fonte omnis boni, in suâ origine adimpleretur, quæ per excurrentes in humanis nostris boni riuulos, vagabunda, siti arescebat, & in suâ ariditate, non secus ac Ceruus, venantium insidias, latratusque canum, cursu elapsus, arente fauce desiderans ad fontes aquarum,

Homo in Deo inuenitur.

> *Per iuga, per syluas, dumosaque saxa vagatur.*

Fontem viuum & fortem Deum expetebat, ad satietatem refrigerij, & ad securitatem æternitatis vitæ, ad quam suspirabat die ac nocte.

> *Felix, autem, qui poterit boni*
> *Fontem visere lucidum.*

Capitis 16. §. 1.

Bonitas transcendens est Deo proprijssima.

1\. CVm Deus sit perfectus modò perfectissimò & diuino, non qualitate, sed essentiâ: modus autem ille in bono ipso positus sit, indeque summa efficiatur bonitas, cuius essentia nihil mali prorsus admittat, nihil excludat boni, idque non solùm secundùm creaturarum bonum, sed quòd vnicum ac summum bonum sit

in essentiâ, omnis boni tam naturæ, quàm gratiæ principium, quod liberali, voluntariaque sui diffusione, sese rebus creatis communicauit: manifestum fit Diuinam Bonitatem dupliciter considerari, nimirum, & vt transcendens est, & vt virtus est, siue Metaphysicè, & moraliter, quomodo bonum in communi consideratum, Metaphysicè sumitur, & est illa proprietas entis, quam considerat Metaphysicus, & moraliter, qualis est illa rectitudo operationum liberarum, quas considerat Philosophus moralis, vt, videlicet, sunt conformes legi æternæ, & naturali: Bonitas itaque transcendens quæ est passio entis, Deo conuenit, cui nomen boni ita est proprium, vt dicat Dominus, *Nemo bonus nisi solus Deus.* Proprietas enim entis, cum ente conuertitur, estque idem cum ente secundùm se, secundùm nos autem, siue secundum rationem, diuersum: bonum enim dicitur, quod omnia appetunt 1. Ethic. 1. Omne autem appetibile in tantum est appetibile, in quantum est perfectum, perfectum autem vnumquodque in tantum est, in quantum est actu, esse autem actu, est esse ens simpliciter, & non secundum quid: ergo à primo ad vltimum, in tantum aliquid est bonum in quantum est ens. Quia tamen ratio boni superaddit enti rationem appetibilis, quæ secundum nos non includitur in conceptu entis, idcircò rectè dicitur bonum differre secundum rationem ab ente. Quod ergo Boëtius dicit, in rebus aliud esse quod sint, aliud quod bona sint, non agit ibi de bonitate omni enti intrinsecâ, sed de bonitate quæ vnicuique rei superadditur per sua accidentia: substantia enim, est simpliciter, id est, sine addito, per suum esse substantiale, non est tamen simpliciter, id est, omni modo: nempe secundum esse accidentale, quod ei superaddi potest, ac proinde non est bona simpliciter, id est, omni modo: est tamen bona simpliciter, id est, sine addito. Deus autem, cuius essentia bonitas est, simpliciter, absolutè, & omni modo bonus est.

Bonitas Dei dupliciter cōsideratur.

Bonitas trāscendentalis Deo conuenit.

Bonè esse aliud est quam esse.

Substantia non est omni modo bona.

2. Cùm verò, ratio boni in sui diffusione, communicationeque consistat, idque quadruplici caussæ genere, quorum vnum satis sit ad hoc, vt bonum sui diffusiuum dicatur. Sub genere primùm caussæ finalis, quatenus motione metaphoricâ allicit appetitum: sub genere caussæ efficientis, quatenus aliud quippiam efficit vti lux lucem iussit de tenebris splendescere: sub genere caussæ formalis, prout alteri sese tribuit, ipsum actuando & perficiendo, quo modo forma se materiæ communicat. Quò pertinet ea communicatio, quâ in incarnati verbi mysterio, personalitas filij, assumptæ humanitati diuinitus tributa est. Sub genere caussæ materialis, prout se alteri dat, sustinendo, fouendoque illud, quod est proprium materiæ respectu formæ; & subiecti, quorum susceptiuum est accidentium comparatione. Cùm inquam bonum sit sui diffusiuum, Deus verò sit absolutissimè summum bonum, absque perfectissimâ, longeque præstantiori, quàm in vnoquoque genere, sui diffusione, communicationeque intelligi nequit: Quare seipsum in seipso ab æterno, nullo prorsus sui à seipso exitu, diffudit: eaque diffusio summa actualis, & intima communicatio, est vnius & eiusdem substantiæ; per quam diffusionem, vna Persona Diuina indeficienter se communicat alijs Personis, non contingenter, sed necessariò, ita vt non possit non se communicare, alioqui non esset bonus per essentiam.

Bonum est sui diffusiuū in quadruplici genere causæ.

Deus sine sui diffusione intelligi nequit.

Et hæc communicatio fit per intellectum generantem, & voluntatem spirantem. Contemplans namque seipsum in suo intellectu Deus Pater, generat Filium sibi similem, perfectissimum totius suæ essentiæ comprehensæ conceptum, quem dum amat genitum, & genitus amat genitorem, spirat vterque consubstantialem sibi amorem. Amat enim se Deus necessariò, veluti is qui in speculum intuetur, sui in eo producit imaginem, illique iam productæ afficitur. Dispar tamen est producentium ratio: nam quod in Deo, tanquam in diuinæ essentiæ speculo repræsentatur, vita est, & imago consubstantialis Patri: quod autem in speculo, similitudo inanimis.

Diffusio intima Dei.

3. Nec est quod quis adferat diffusionem temporalem, vt necessitatem excludat æternæ: exigua namque pro tanti boni immensitate esset temporalis ista in creaturas diffusio, nisi naturam substantiamque suam in seipso continuò diffunderet: ex quâ diffusione, vnius & eiusdem cum Patre substantiæ, generatur Filius, & producitur Spiritus Sanctus, sic vt ab inuicem solâ hypostasi discernantur: impartibilis enim est essentia Trinitatis, sicut cecinit Diuus Gregorius Nazianzen. lib. de principijs: carmine 3.

Essentia Trinitatis insecabilis.

Nec Monas est expers numeri (námque in tribus illa
Consistit:) varioque rursus honore colenda est
Sancta Trias: Diuina etenim Natura secari
Respuit. In Deitate Monas dumtaxat: in illis,
Ex quibus est, rursum tria conspiciantur oportet.
Quique trium Deus est vnus, quum nonnisi de vno
Verba facis: rursus Deus vnus originis expers,
Vnde fluunt Deitatis opes, Scriptura Sacrata
Quum tria commemorat.

Seipsis autem, sicut est vna essentia, vnum summum creaturarum bonum constituunt, in quod, vt in obiectum suæ beatitudinis cognitum tendant ratione præditæ, & quod rationis expertes, non secundum se, sed secundum quasdam participationes bonitatis eius appetant: inanimata verò & cognitione carentia, appetitu innato, dum scilicet appetunt suas perfectiones, instigata ad hoc, ab ipso fonte suarum perfectionum: atque ita vnumquodque naturæ suæ conuenienter. Quo fit vt dum vnumquodque suam perfectionem appetit, Deum appetat tanquam caussam exemplarem, & efficientem, & finalem suæ perfectionis, quæ est similitudo quædam, & participatio diuini esse.

Creaturæ in Deum tendant.

Capitis 16. §. 2.

Bonitas vt virtus, in Deo, misericordia dicitur.

1. Quemadmodum diximus Deum esse summè bonum bonitate Metaphysicâ, quia continet omnem bonitatem quæ est in creaturâ: ita debet dici summè bonus moraliter, quia ab eo, omnis creata rectitudo & excellentia, quæ sanctitas dicitur, originem habet: vnde quod de bono dicitur esse sui diffusiuum, id maximè Deo conuenit, non modò sub Metaphysicæ, sed etiam sub moralis bonitatis consideratione. Sicut autem bonitas moralis creata, non est aliqua peculiaris virtus, sed est omnium virtutum aggregatio: ita bonitas moralis

Bonitas moralis est omnis virtus.

ralis increata, non est aliquod peculiare attributum, sed est ipsa diuina voluntas, quatenus opera recta & honesta, cuiuscunque virtutis illa sint, operatur.

Et voluntas diuina.

Quia verò diuina voluntas, tota in hominem effusa videtur, neque aliud spectare, quàm, vt homo à suâ subleuetur miseria, diuinam bonitatem, misericordiæ nomine insignimus, quæ sese in omnibus Dei operibus spectabilem exhibuit, sicut cecinit Propheta Regius: *Misericordiâ Domini plena est terra.* Psalm. 32. Est tamen etiam misericordia ipsiusmet Dei essentia, quæ sicut vna est in tribus personis, ita Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vna est misericordia: proprio nihilominus quasi nomine, filius, misericordia dicitur, id quod eleganter prosequitur Diuus Bernardus, serm. 5. in Natali Domini: *Suscepimus*, inquit, *Deus misericordiam tuam, in medio templi tui, inquit Simeon, quando infantulum Iesum amplectebatur. Siquidem ipse est de quo legimus*, psal. 102. *Misericordia Domini ab æterno. Alioquin, quid coæternum Patri, nisi Filius & Spiritus sanctus? & vterque quidem non tam misericors, quàm ipsa verè misericordia. Nihilominus etiam Pater misericordia est; atque hi tres, nonnisi vna misericordia, sicut vna Essentia, vna Sapientia, vna Diuinitas, vna Majestas. In eo autem quod Pater misericordiarum dicitur Deus, quis non videat velut proprio nomine filium designari? Et benè dicitur, misericordiarum Pater, cui proprium est misereri semper, & parcere.*

Ps. 32.
Misericordia est Dei essentia.
Ps. 102.
Filius Dei propriè misericordia appellatur.

Sed ad misericordiam quæ virtus est. Quid autem illa? Isidorus lib. 3. de summo bono, cap. 64. *Misericordia*, inquit, *à compatiendo alienæ miseriæ vocabulum sortita est.* Vnde Diuus Ioannes Damascen. lib. 2. fid. cap. 14. ait, *Misericordia, est tristitia in alienis malis.* Verùm quia non satis est infirmo, aut egeno, si quis ægritudini aut necessitati eius compatiatur, nisi æger, aut alienæ opis indigus, ex eâ compassione etiam opem & leuamen sentiat, & adferat qui potest: Diuus August. lib. 9. de Ciuitate Dei, cap. 5. sic definit, *Misericordia, est alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, quâ vtique si possumus, subuenire compellimur.* Eadem planè ratione, ex Peripateticorum sententiâ dixit Tullius lib. 4. Tusculanar. quæst. Misericordiam vtilem esse ad opem ferendam, & calamitates hominum subleuandas, quare virtutem esse adfirmant illi.

2.
Misericordia quid?
Misericordia est virtus Peripateticis, vitium Stoicis.

At Stoici, non virtutem, sed animi vitium esse volunt, contra quos disceptat pluribus in locis Diuus Augustinus, veluti lib. 9. de Ciuit. Dei, cap. 5. & lib. de morib. Ecclesiæ Catholicæ, cap. 27. Ideoque Seneca Stoicorum sectæ studiosior, lib. 2. de Clementiâ, ait misericordiam inter vitia numerari, miseriæ esse vicinam, habereque aliquid & trahere ex ea, velut infirmi oculi, qui, ad lippientis adspectum, & ipsi suffunduntur, atque adeò esse vitium, cuius contraria virtus sit Clementia: finitione autem illam complectitur in hunc modum. *Misericordia est ægritudo animi, ob alienarum miseriarum speciem*, aut sic, *est tristitia ex alienis malis suscepta, quæ accidere immerentibus credit.*

Est ægritudo, inquis, siue tristitia, & benè, nisi eiusmodi ægritudinem, quæ est animi compassio ex alterius miseriâ, in sapientem virum, diceres non cadere, in quem vitium non cadit, misericordiam inter vitia reponens. Vt propterea Tullius Oratio. pro Murena, conceptis hisce verbis Stoicos irrideat. *Scelestus & nefarius fueris, si quidquam misericordia adductus feceris*; Hoc enim quis sapiens, quis cerebri purgatioris suspicabitur fore? id quod tamen ex eorum opinione, legitimâ ratiocinatione sequitur: dogma enim illorum est, inquit Lipsius in Commentario cap. 5. lib. de Clementia: Ἐλεήμονας τε μὴ εἶναι (τοὺς σοφοὺς) συγγνώμην τε ἔχειν μηδενί. μὴ γὰρ παριέναι τὰς ἐκ τοῦ νόμου ἐπιβαλλούσας κολάσεις. *Misericordes non esse sapientes, neque veniam cuiquam dare: non enim omittere pœnas legibus constitutas.*

Stoicorum dogma de misericordia.

Misericordia, inquis, est ægritudo & tristitia: nec malè, nisi diceres vitandam, cauendamque misericordiam, ceu animi vitium quoddam, ne, sicut per speciem seueritatis in crudelitatem, quæ nihil est aliud quàm atrocitas animi in exigendis pœnis, incidere quis potest: ita per speciem clementiæ, quæ est animi inclinatio ad lenitatem in pœnâ exigendâ, labamur in misericordiam. *Irasci namque vt corrigatur qui*, inquit Magnus Augustinus lib. 9. de Ciuit. Dei. cap. 5. *Contristari pro afflicto vt liberetur, timere periclitanti ne pereat, nescio vtrum quisquam sanâ consideratione reprehendat.* Item, *longè meliùs, & humaniùs, & piorum sensibus accommodatiùs, in Cæsaris laude locutus est Cicero, vbi ait: Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior, misericordiâ est*: quod Ciceronis dictum orat. pro Ligario repetit idem August. lib. contra Adamantum: *Benigni quippe Principis est*, inquit Cass. in Epist. *ad clementiæ commodum transferre terminos æquitatum, quando sola est misericordia, cui omnes virtutes honorabili cedere non recusant.*

Misericordiæ laudata.

Sed nolunt Stoici perturbari alienâ miseriâ sapientem, cui serena mens: nec quidquam incidere possit, quod illam obducat. Sed quanto honestiùs, inquit D. August. lib. de Moribus Ecclesiæ, cap. 7. *Misericordiâ perturbaremur hominis liberandi, quam timore naufragii?* Item, *Stulti verò sunt, quum misericordiam quasi vitium deuitant, quià officio satis moueri nequeunt, si nec perturbatione commouentur: congelascunt potiùs rigore inhumanitatis, quàm rationis tranquillitate serenantur.*

3.
Sapiens non perturbatus.

Præclarè contra hanc Stoicorum ἀπάθειαν, Herodes Atticus vir Consularis, apud Aul. Gellium disseruit. Noct. Atticar. lib. 19. cap. 12. dicebat enim, nullum vsquam hominem, qui secundum naturam sentiret & saperet, affectionibus istis animi, quas πάθη appellabat, ægritudinis, cupiditatis, timoris, iræ, voluptatis, carere, & vacare totis posse, & omnino non dolere. Atque si possit etiam obniti vt totis careret, non ex re id esse meliùs, quoniam langueret animus & torperet, adfectionum quarundam adminiculis, vt necessario plurimùm imperio, priuatus. Sensus enim istos motusque animi, qui cùm immoderatiores sunt, vitia fiunt, innexos, implicatosque esse vigoribus quibusdam mentium, & alacritatibus. Ac proptereà, si omninò omnes eos imperitiùs conuellamus, periculum esse, ne eis adhærentes, bonas quoque & vtiles animi indoles amittamus. Moderandos esse igitur, & scitè considerateque purgandos: vt ea tantùm quæ aliena sunt, contraque naturam videntur, & cum pernicie agnata sunt, detrahantur; ne profectò accidat, quod rei rusticæ imperito, qui mercatus fundum, oleâ atque vite consitum, videns fortè vicinum rubos latè atque altè obortos excidentem, fraxinos ad summum prope verticem deputantem, soboles vitium è radicibus caudicum super terram fusas reuellentem, stolones in pomis aut in oleis proceros, atque derectos amputantem, percontatus cur tantam ligni ac frondiū cædem faceret? atque is respondisset, vt ager mundus purusque fiat, eiusque arbor atque vitis fœcundior: discessit gratias agens & lætus tan-

Affectiones animi sunt bonæ.
Moderanda.

quam adeptus rei rusticæ disciplinam: Tum falcem ac securim capiens, homo miser, rudis colendi insolens, imperitè, vites suas sibi omnes & oleas detruncauit, comasque arborum lætissimas, vberrimosque vitum palmites decidit: & fruteta atque virgulta simul omnia, pomis, frugibusue gignendis felicia, cum sentibus & rubis purificandi agri gratiâ conuulsit, malâ mercede doctus, audaciam fiduciamque peccandi imitatione falsâ eruditus. Sic enim istos Apathiæ sectatores, qui videri se esse tranquillos & intrepidos, & immobiles volunt, dum nihil capiunt, nihil dolent, nihil irascuntur, nihil gaudent, omnibus vehementioribus animi officijs amputatis; in corpore ignauæ & quasi eneruatæ vitæ consenescere. Hæc ille.

Misericordia etiam in affectu, sine affectu consistit.

Diui interea Augustini sententia est, misericordiam constare etiam in illis, qui misericordiæ non habent affectum, sed tantùm effectum. Quanquam enim nemo ignoret appellatam misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis alieno malo, vt inquit contra Adamantum D. Augustinus: ab illo malo liberum esse oportet illum qui præbet ea, quibus humanæ vitæ incommodis resistitur, & misericors vocatur, licet animi dolore non perturbetur. Et de Morib. Ecclesiæ Catholicæ cap. 27. ait Diuus August. *Et quis non concedat ab omni miseriâ liberum esse debere sapientem, quum subuenit inopi, quum esurienti cibum præbet, potumque sitienti, quum vestit nudum, quum peregrinum tecto recipit, quum oppressum liberat, quum denique humanitatem suam vsque ad sepulturam porrigit mortuorum? Etiamsi id faciat mente tranquillâ, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est: huic enim nihil obest nomen, cùm absit miseria.*

Est igitur misericordia virtus, communi omnium Peripateticorum, recteque sentientium consensione, siue eam appellaueris clementiam, siue bonitatem.

Capitis 16. §. 3.

Quomodo sit in Deo misericordia.

1.

Deum non tangi misericordiâ, Stoicorum dogma.

MAlè Luc. Apuleius de Deo Socratis, qui Stoicorum rigidam sententiam secutus dixit, Deum nullâ misericordiâ contingi, quasi temporalis sit aliqua adfectio, à quâ mentem illam immutabilem, liberam esse oporteat, & non in æternum sit misericordia eius, sicut vaticinatur Psalmographus. Vt autem nouerimus, quomodo sit in Deo misericordia sine cordis miseriâ, quum in illâ suâ æternâ tranquillitate semper serenus, nullâ perturbatione mutetur.

Misericordiæ vox dupliciter accipitur.

Misericordiæ vocabulum dupliciter accipi scribunt Theologi. Primò pro affectione appetitus sensitiui, habente tristitiam ex alienâ miseriâ, atque impellente ad eam subleuandam: quæ posterior conditio, misericordiam à compassione secernit, vtpote, & quæ de præteritâ iam miseriâ esse possit; & sine impulsu sit, ad leuamen ferendum. Secundò pro virtute morali, quæ affectionem eiusmodi dirigit & moderatur: quæ virtus quanquam sit in appetitu sensitiuo, velut in subiecto proprio, correspondentem tamen habet sibi voluntatem, alienam miseriam subleuandi. Materiale primum illud quod in misericordia est, vocant alij; posterius verò formale; vt materiale sit illa animi tristitia, siue compassio, quam de alterius miseriâ & necessitate habemus, quâ in significatione locutus videtur D.

Misericordia vnde dicta.

Gregorius in moralib. quum inquit: *Misericordia, à misero corde vocata est, eò quòd vnusquisque intuetur quempiam miserum: & ei compatiens de dolore, animus tangitur: ipse cor miserum facit, vt eum à miseriâ liberet, cui intendit.* Diuus Augustinus quoque, *Misericordia est animi condolentis affectus, cum additamento beneficij, vt compatiatur proximo, & largiatur de proprio.* Sub hac ratione, non est in Deo misericordia secundum se, quia imperfectionem includit, sed tantum secundum effectum subleuandi miserias, & creaturarum defectus, iuxta illud psal. 35. *Homines & iumenta saluabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Diuina namque prouidentia ad creaturas vsque irrationales descendit, suâ eas munerans munificentiâ, vt seruentur incolumes, quemadmodum optatiuè interpretatur Apollinarius.

Ps. 35.

τετραπόδων ἀγέλας μερόπων θ' ἅμα φῦλα σαώσεις.

Quadrupedum greges, mortaliumque simul genera serues.

2.

Misericordia est virtus Dei propria.

Formale verò, sit voluntas subleuandi miseriam alienam, & sic est in Deo: imò est virtus eius propria, secundum omnem perfectionem suam, quia & ipse solus, omnem miseriam subleuare potest, solusque est extra omnem miseriam, & quia summè bonus, inclinatur ad benè faciendum. Hinc diues in misericordiâ dicitur Deus, ad Ephes. 2. Quia eam habet infinitam (inquit D. Tho. lect. 2. in eum locum) & indeficientem, quod non habet homo. In tribus namque homo cum termino & limitatione miseretur: temporalium primo bonorum largitione; & hæc misericordia est finita, limites propriæ facultatis non excedens. De quâ Tob. 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors.* Deus autem Diues est in omnes qui inuocant illum. Ad Rom. 10. Secundò, est finita hominis misericordia, quia non remittit nisi offensam propriam, in quo etiam modus esse debet, vt nimirum non sic passim remittat, vt is cui remittitur, fiat procacior, & ad iterandas offensas pronior & facilior. Eccli. 8. *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo, filij hominum perpetrant mala.* Deo autem nihil nocere potest, & ideò potest omnem offensam remittere. Iob. 35. *Si peccaueris, quid ei nocebis? item, Si iustè egeris, quid donabis ei?* Tertiò, homo miseretur pœnam remittendo, & in hoc etiam modus seruandus est, ne quid scilicet contra legis superioris iustitiam faciat: Deus autem cùm nullâ superioris lege teneatur, omnium pœnam remittere potest. Iob. 34. *Quem constituit alium super terram, & quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Atque ita misericordia Dei est infinita, quia non coarctatur angustijs diuitiarum, neque timore nocumenti restringitur, neque superioris lege coërcetur: ps. 85. *Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ.* Et psal. 102. *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors.* Item, *quoniam secundum altitudinem cæli à terrâ corroborauit misericordiam suam super timentes se.* Porrò hanc misericordiam Dei, Philo lib. quod Deus sit immortalis, exponens illud psal. 110. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, non immeritò, iustitiâ ipsâ antiquiorem esse pronuntiauit, quod & Psaltes Regius asseruit psal. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*, vel *in omnia opera eius*, sicut legit & interpretatur D. Augustinus. Verba Philonis sunt: *Nam si Deus iudicaret mortalem sine misericordiâ, atrum ferret calculum, cùm nemo à natiuitate ad obitum vsque sine culpâ perseuerct*

Ephes. 2. Est infinita.

Tob. 4.

Rom. 10.

Eccli. 8.

Iob. 35.

Iob. 34.

Ps. 85.

Ps. 102.

Ps. 110.

Ps. 144.

Misericordia est antiquior iustitia.

perecurrat vitæ spatium, sed aliquando sponte cadat, aliquando fallente vestigio: antiquior enim est apud eum misericordia, quàm iustitia. Et quid mirum si antiquior, quandoquidem, vti D. Bernard. inquit serm. 5. in Natali Domini: *Miserendi causam & originem sumit ex proprio, iudicandi vel vlciscendi, magis ex nostro?*

3. Misericordia Dei exoratus Deus.

Misericordia itaque in Deo, non secundum adfectus infirmitatem consideranda est, vt docet D. Tho. 1. part. quæst. 21. art. 3. sed tantùm secundum effectus, & inclinationem voluntatis eius, quâ gaudet, etiam suâ ipsius misericordiâ exoratus (neque enim ita nos vnquam viuimus, vt exorare mereamur) miseriam repellere, & defectum tollere, quod regium, diuinúmque est planè, sicut canit Ouid. lib. 2. de Ponto, Eleg. 9.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis.

Quam doctrinam ita illustrat D. Bernard. serm. 2. in Cant. *Deus, inquit, verè est impassibilis, sed non incompassibilis*: hoc est, tristitiæ subijci nequit, vt alienæ miseriæ, calamitatisvè particeps fiat; sed miseretur afflictorum. Sap. 5. *Quoniam gratia Dei & misericordia est in sanctos eius; & respectus in electos eius*: eisque subuenire desiderat, absque eo, quod ex illorum pœnâ crucietur. Quemadmodum enim Angelis nomina passionum ex humanæ locutionis consuetudine, tribuuntur, propter quandam operum similitudinem, non propter adfectuum infirmitatem, vt loquitur D. Augustinus lib. 2. de Ciuit. Dei. cap. 5. puniunt enim illi sine irâ, quos accipiunt æternâ Dei lege puniendos, & miseris, sine miseriæ compassione subueniunt, & sine timore periclitantibus eis quos diligunt, opitulantur: ita in Deo, potest esse misericordia sine cordis miseriâ, sicut zelus sine rabie, & animi cruciatu; ira, absque vllâ turbulentæ passionis agitatione.

Sap. 5.

Capitis 16. §. 4.

Misericordiam in Deo, esse singularem.

1. Misericordia hominis & Dei, vt differant.

EX dictis duplicem habeo misericordiam, vnam, quæ cum tristitiâ alterius miseriæ coniuncta est: & hæc est hominis: alteram sine eâ, & hæc est Dei. Quanquam tamen & illam hominis misericordiam, à tristitiâ, siue cordis dolore, facilè quis vindicarit; vt si misericordiam inde sic dictam cogitauerimus, quod cordatis hominibus, aliena miseria cordi sit, cui alacriter, & hilariter subuenire festinent, sicut iubet Apostolus ad Rom. 12. *Vt qui miseretur, in hilaritate misereatur*: quo quidem, non cordis tristitia indicatur, sed benignitatis & clementiæ opus ex amore profectum, quod misero hilariter exhibetur. Et hoc roborari potest ex illo Eccli. 18. *Miseratio hominis circa proximum suum; misericordia autem Dei, super omnem carnem.* Nam cùm misericordia & miseratio, secundum Hugonem, differant, sicut fons & riuulus, quidni purus à puro fonte decurrat riuulus? Quidni illa quæ in homine est diuinæ misericordiæ participatio, remota quoque sit ab omni ægritudine? quidni etiam sicut clementis Dei misericordia, ex amore dimanat, ita & hominis? Certè fauet Hebræa vox רחם *racham, quæ, misericordiam significat, & diligere, & moueri amore, vnde* רחום *rachum, misericors, &* רחם *racham*, auis quædam, sic dicta, quod שמרחם על בניו *semrachem al benaiu*, id est, misericors sit erga pullos suos, quòd illos amet, quam Iudæi *eg.ester* & *aizel* vocant, & Leuitici cap. 11. versio nostra *porphyrio*. Non igitur vllam animi tristitiam, non dolorem, non ægritudinem, sed amorem potiùs & cordis propensionem, siue ipsum etiam amoris effectum, suâ notatione & etymologiâ, misericordia significat; & est in homine tanquam riuulus, in Deo autem tanquam fons, proindeque etiam in eo purior: atque inter quatuor, quæ illi præcipuè ex infinitarum virtutum numero tribuuntur, potissima; quæ sunt, omnipotentia, quam in mundialis fabricæ molitione declarauit: sapientia, quam in eiusdem administratione: iustitia, quam in nouissimo Iudicij die ostensurus est: & misericordia cæteris eminentior, & locupletior, quam in omnem creaturam iugiter exercet, & incomprehensibili ratione, in sacrosanctâ Passione suâ, & hominis, inferni tyranno obærati, redemptione, manifestauit. Cùm enim defectus aliquis, semper esse possit ratio miserendi, sicut Docet D. Tho. 2. 2. quæst. 30. art. 2. vel quatenus quis alterius malum vt suum reputat, propter vnionem amoris; vel quia possibile est ipsum quoque similia pati, siquidem Diuo Augustino teste, nihil ad misericordiam sic inclinat, sicut proprij periculi consideratio. Deus miseretur nostri, in quantum creatura est aliquid sui, seu potiùs, tanquam aliquid ad se pertinens, sicut ad Creatorem: inde autem facta est admirabilior diuina misericordia, quòd humanam carnem Deus assumere voluerit, & passibilis fieri, vt in eo quoque verificaretur, quod similia patiens misereretur nostri. Idcirco namque, Diuo Bernardo teste, tractat. de gradib. humilitatis, cap. 2. *Pati voluit, vt compati sciret, miser fieri, vt misereri disceret: vt quemadmodum (sicut de ipso scriptum est) didicit ex his quæ passus est, obedientiam; ita & misericordiam disceret: non quod antè misereri nesciret, cuius misericordia ab æterno, & vsque in æternum: sed quod natura sciebat ab æterno, temporali didicit experimento.* Item. *Beatus quippe Deus, Beatus Dei Filius, in eâ formâ quâ non rapinam arbitratus est esse se æqualem Patri, procul dubio impassibilis, priusquam se exinanisset formam serui accipiens, sicut miseriam & subiectionem expertus non erat, sic misericordiam vel obedientiam non nouerat experimento. Sciebat quidem per naturam, non autem sciebat per experientiam. At, vbi minoratus est, non solùm à seipso, sed etiam paulò minus ab Angelis (qui & ipsi impassibiles sunt per gratiam, non per naturam) vsque ad illam formam, in quâ pati, & subijci posset, quod vtique (sicut dictum est) in suâ non posset, & in passione expertus est misericordiam, & in subiectione obedientiam. Per quam tamen experientiam, non illi (vt dixi) scientia, sed nobis fiducia creuit, dum ex hoc misero genere cognitionis, is, à quo longè errauerimus, factus est propior nobis.* Vbi deinceps docet, omninò fatendum esse Dei filium, sicut esse in tempore cœpit ex carne, sic carnis quoque miserias scire cœpisse, illi duntaxat modo cognitionis, quem docet defectio carnis. Quod vtique genus scientiæ, Protoplasti sapientiùs feliciúsque nescirent, quando id attingere, nisi stultè, miseréque non poterant. Sed Plasmator eorum Deus requirens quod perierat, opus suum, miseratus, prosecutus est, descendens & ipse misericorditer, quò illi ceciderant miserabiliter. Voluit experiri in se, quod illi faciendo contra se meritò paterentur: non simili quidem curiositate, sed mirabili charitate.

Attributa Dei potissima quatuor.

Misericordiæ motiuû est defectus.

Deus pati voluit vt sciret compati.

Rom. 12.

Eccli. 18.

Non vt miser cum miseris remaneret: sed vt misericors factus, miseros liberaret. Factus, inquam, misericors, non illâ misericordiâ, quam felix manens habuit ab æterno; sed quam mediante miseriâ, reperit in habitu nostro. Ista Doctor mellifluus.

2.

Deus dicitur Pater misericordiarum.

Eapropter, licet multis nominibus innominabilis Deus, hoc tamen præcipuo nomine, quasi omnium Dominiorum suorum titulo honoratiore appellari gaudet, *Pater misericordiarum.* Quare misericordiarum? An propter præuenientem & subsequentem misericordiam Trinitatis? *Misericordia enim subsequitur ad custodiam,* inquit Cassio. in psal. *sed præcedit ad gratiam conferendam: nam si solùm sequeretur, nemo donatam perciperet: si tantùm præcederet, nullus posset collatam seruare. Grauiores enim sunt insidiæ, quas à tergo Diabolus parat; & nisi misericordia subsequatur, facillimè fragilitas humana decipitur: tunc enim quando se quis vitium transisse credit, in cautata magis ignoratione decipitur.* Sed in filio suo ipsam quoque duplicem commendat misericordiam Apostolus. 2. Corinth. 1. (inquit D. Bern. serm. 5. in Natali Domini) appellans illum Patrem, non vnius tantùm misericordiæ, sed misericordiarum: & Deum, non vnius, sed totius consolationis, qui consolatur nos, non in vna, hac vel illâ, sed in omni tribulatione nostrâ: miseria enim nostra multiplex est, ideò quærit multitudinem miserationum: præcipuè verò inter cæteras, in illâ quæ ex peccato est: quanquam enim culpa, ex eo quod voluntaria sit; non misericordiam, sed indignationem magis prouocet, quia tamen ipsa aliquo modo pœna esse potest, in quantum scilicet coniunctum quidpiam illi est, quod peccantis voluntati aduersetur; sic mouere ad misericordiam potest: atque ita nos peccantibus compatimur & miseremur, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 30. art. 1. ad 1. vera namque iustitia, non habet indignationem sed compassionem, inquit D. Greg. homil. 34. in Euangelia. & Dominus Iesus Matth. cap. 9. *Videns turbas misertus est eis, quia erant vexati, & iacentes, sicut oues non habentes Pastorem.* Deus autem ipse solus est, qui suâ misericordiâ, omnem peccati miseriam auferre potest: quare D. Bernard. serm. 2. de septem panibus, sicut multam in se agnoscit miseriam, ita & multiplicem prodit misericordiam, septem in se videns misericordias Domini, quas in se quisque facilè sit inuenturus: quarum prima est, quâ adhuc in sęculo positus à multis peccatis custoditus est; non quod ea sit prima inter omnes, quas in se præterea expertus est; sed quòd prima sit inter septem quas ibi enumerat: poterat autem in plura incidisse peccata, nisi omnipotens eum pietas præseruasset. Secunda verò, quæ explicari sermone non potest, quàm benigna, quàm liberalis, quamque gratuita sit: *Ego,* inquit, *peccabam, & tu dissimulabas. Non continebam à sceleribus, & tu à verberibus abstinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine, pietatem tuam. Sed quid prodesset expectatio, nisi sequeretur pænitudo? Cumulus esset damnationis, dicente Domino: hæc fecisti, & tacui,* psal. 49. Tertia, quòd visitauit cor eius, & immutauit, vt amara fierent, quæ priùs erant malè dulcia. Quarta, quod pœnitentem misericorditer susceperit, vt in eorum numero inueniretur, de quibus dicitur psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Quinta, per quam ei virtus deinceps continendi, & emendatiùs viuendi, est præstita, ne recidiuum pateretur, & esset nouissimus error peior priore: non enim humanę virtutis, sed Diuinæ, susceptum semel peccati iugum excutere. His quinque miserationibus à malo liberatus, duas alias commemorat, in quibus virtus ei tradita sit, per quam adimpleret quod scriptum est psal. 36. *Declina à malo, & fac bonum. Hæ duæ sunt,* inquit, *gratia promerendi, quâ videlicet munus bonæ conuersationis indulget. Et spes obtinendi, quâ donat homini indigno & peccatori, de sua toties expertâ bonitate, vsque ad cælestia speranda, præsumere.* Ecce multiplicem misericordiam, ceu multiplex medicamentum, curandis nostris vulneribus, curandæ nostræ miseriæ adhibitum, vt alias præterea Domini misericordias prætermittam, ob quas Pater misericordiarum appellatur.

Cassiodorus. *Misericordia præcedens & subsequens.* — *2. Cor. 1.* — *Miseria hominis multiplex.* — *Culpa vt moueat misericordiã.* — *Matth. 9.* — *Misericordiæ partes septem.* — *Ps. 49.* — *Ps. 31.* — *Ps. 36.*

3.

Christus est misericordiarum Pater.

Sed nunquid etiam ipse Dei Filius *Pater misericordiarum,* propter duplicem substantiam, quâ subsistit humana conditio? cùm enim vtraque sit tam misera quàm est, non incongruè duplex hominum dicitur esse miseria, licet sit multiplex in vtraque, siquidem & corporis, & cordis nostri tribulationes multiplicatæ sunt: sed ab vtrisque necessitatibus eruit, qui totum hominem saluum fecit.

Quum ergo vnus ille & vnicus Dei filius, etiam nunc venerit propter animas, tollere peccata mundi, & secundò propter corpora sit venturus, vt ea exsuscitet & configuret corpori claritatis suæ: non incongruum fortasse videbitur, vt in eo quod Patrem misericordiarum benedicimus, duplicem hanc misericordiam confiteamur. Suscipiens enim humanæ naturæ corpus simul & animam, non modò semel consolamini, sed *Consolamini, consolamini dicit Dominus Deus vester:* vt videlicet certi simus, quod vtrumque sit saluaturus, qui neutrum suscipere est dedignatus. Rectè igitur; non Pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, quanquam tamen non minùs iustus sit quàm misericors, cui misericordia & iudicium decantatur: *Quoniam misericordia, tunc est verè misericordia,* inquit D. Chrysost. super Matth. *si sic facta sit, vt iustitia per eam non contemnatur. Si autem contemptâ iustitiâ, misericordia obseruetur, ipsa misericordia, non est misericordia, sed fatuitas. Iustitia enim sine misericordiâ, non est iustitia, sed crudelitas: sicut & misericordia sine iustitiâ, non est misericordia, sed fatuitas.* Non, inquam, Pater iudiciorum dicitur, sed *Pater misericordiarum,* inquit Diuus Bernardus serm. 5. de Natali Domini, non modò, quod Pater videatur potiùs misereri, quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum miseretur timentium se, sed eò magis, quòd illi proprium sit misereri. *Ex se enim sumit materiam, & velut quoddam Seminarium miserendi,* inquit Diuus Bernard. *Nam quod iudicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, vt longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur.* Id quod etiam tradidit D. Saluianus lib. 1. de Iudicio & Prouidentiâ Dei, explicans illa Gen. 8. *Clamor Sodomorum & Gomorrę multiplicatus est. Pulchrè,* inquit, *clamorem dixit in se habere peccata. Grandis absque dubio peccantium clamor est, qui à terrâ ascendit ad cælum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? Scilicet, quia cæli aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pæna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei, peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus, quàm inuitus puniat etiam grauissimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorum ad se ascenderit: hoc est dicere, misericordia quidem mea mihi suadet vt parcam, sed tamen peccatorum clamor cogit vt puniam.* Verè itaque Dominus, Pater misericordiarum, quia psal. 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.*

Isa. 40. — *Misericordia sine iustitia, nulla est.* — *Peccata nostra prouocant & cogunt Deum vt puniat.* — *Gen. 8.* — *Peccata clamant.* — *Ps. 144.*

4.

Misericordia namque Domini, est quasi

Misericordia Domini sali comparatur.

sal omnium Diuinorum operum, atque eorundem ornatus & liquamentum, insipida sunt omnino, nisi hoc sale condiantur. Miserationes autem hic, sunt diuinæ misericordiæ effectus, quos etsi in veteri Instrumento frequenter, veluti in eductione Populi Israelitici ex Ægypto, & aliàs sæpè, mirabiliùs tamen in Incarnatione, atque sacratissima Passione ostendit, in qua nos atro serpentis infectos veneno, in qua, etiam ingratos, & secum non commorantes, sacri sui pectoris largè suso cruore, instar Pellicani, restituit. Pellicanum ferunt, Bartholomeus Anglus lib. 12. & alij, pullos suos, morsu serpentis semimortuos, proprij pectoris rostro effossi cruore, sanare: illos autem ingratos, parentem deserere, vno excepto, qui tanquam pro accepto beneficio gratiam referens, in parentis solatium & societatem, nidum non relinquit: ita abeunt à parentis omnium misericordia multi, quos tamen sua passione & morte, quos sua incarnatione, complexus est, in qua superexaltat misericordia iudicium, sapientiam, iustitiam, atque omnipotentiam in se continens. Sicut enim elementa, teste Philosopho, duabus affecta sunt qualitatibus, vna in esse remisso, altera intensè: ita in esse intenso habet Deus misericordiam. *Super omnia opera eius*: Magnum quidem ex abysso nihili mundum eruere; magnum, ipsum iam conflatum & conditutum gubernare; magnum nullo repugnante, iustitiam exercere; sed (vt ait Diuus Augustinus in Ioannem) maius opus fuit humanum genus iustificare, quàm mundum creare: *Miserationes eius super omnia opera eius*. Id quod dupliciter accipi potest ex Genebrardo, primò, vt miserationes eius, sint maiores cunctis eius operibus; fecerit itaque cælum, terram, maria, & quæcunque per vasta mundi excurrunt spatia, maius quidpiam fecit, nempe, misericordiam. Secundò, vt erga omnia opera sua misericordiam exerceat: quod non sic accipiendum est, quasi super omnes virtutes appareat, quomodo oleo reliquis infuso liquoribus & supernatanti comparatur: sed quia omnium Dei operum regimen, administrationemque habet, vt in illis reluceat gloria Diuinitatis: vnde fit, vt Eccli. 35. dicatur, *Misericordia Dei, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis*. Cùm enim nubes quædam sint, quæ in ventos & tempestates conuersæ, extirpant arbores, fruges vredine, greges fulmine percutiunt: aliæ, niue, grandine, fulgure, fulmine, calamitate sint graues: speciosa est misericordia Dei, sicut nubes pluuiæ, quæ desuper cribratæ, guttatim distillant, atque

Miserationes Dei, vt Pellicanus pullos à morsu serpentis curat.

Elementorum qualitates duæ.

Ps. 144.

Eccli. 35.

Nubes sunt misericordia Dei.

Frugiferum reddunt fusæ, mortalibus orbem,
Iupiter vtilibus quoties rigat imbribus agros.

Nulla namque Regio est, nulla terræ ora, nulla plaga, nullus orbis situs, qui non ab hoc fonte, è Dei præcordijs manante, irroretur, irrigeturque: & quod grandius est. *Fulgura in pluuias facit*. Psalm. 134. Iram Diuinam nostris prouocatam sceleribus, in aquas vertens clementiæ, vt quod inurit iudicium, extinguat misericordia. Et quia totum irrigat orbem & regit, nubes appellatur, numero plurατiuo, non riuulus, non fons, non puteus, quòd riuuli, putei, vel fontis aquæ plantarum radicibus infundantur solùm: at stillantes cæli pluuiæ, & radicem, & truncum, & ramos, folia, flores, & fructus rigant; ita

Ps. 134.

Aqua pluuia fertilior.

nihil reliquum est in rerum natura, quod non benefico diuinæ misericordiæ rore perfundatur. Quod si ita est (sicut verè est) si nihil ita magnum, nihil ita exiguum, nihil ita despectum sit in rerum vniuersitate, quod non sentiat misericordiam Dei: quantò ampliùs homo ipse, cuius, quantò maior est indigentia, tantò affluentior est in illum diuina bonitas, & misericordia?

Capitis 16. §. 5.

De præueniente Dei misericordia.

1. Misericordia duplex, præueniens & subsequens.

QVia verò in homine præcipuè relucet Dei misericordia, propter quem ipsa etiam alijs Dei operibus communicatur: illam quæ hominem respicit, ita partimur, vt vna dicatur præueniens; altera subsequens, quam distinctionem indicauit Cassiodorus §. præcedenti citatus. num. 2. Et apertè tradidit Vates Regius, vt quum psal. 58. de præueniente, sic fatur, *Misericordia eius præueniet me*. Et psalm. 20. *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Et de subsequente psalm. 22. *Misericordia eius subsequetur me*. Præueniente misericordia, expectatur homo vt resipiscat, expectatur, vt à peccato resurgat, cuius effectus gratia, excitatus, vocatur, vt miris & certis modis operetur: misericordia verò subsequente, gratiam iustificationis accipit, item perseuerantiam, aliaque dona Dei, ad semel adeptam iustitiam conseruandam, idonea. Præuenit enim vt sanemur, sicut ait Diuus August. lib. de natur. & gratia, cap. 31. subsequitur vt sanati vegetemur: præuenit vt vocemur, subsequitur vt glorificemur: præuenit vt piè viuamus, subsequitur, vt cum Deo semper viuamus: Ad præuenientem spectat qualibet excitans & operans, ex qua iustificationis nostræ sumitur exordium; ad subsequentem verò, cooperans, adiuuans, & concomitans.

Ps. 58.

Ps. 20.

Ps. 22.

Vtraque autem, tum in iustorum præseruatione & custodia, tum in peccatorum iustificatione cernitur, quia, vt inquit Diuus Augustinus lib. de Spiritu & Anima, *Proni sumus ad malum, & si misericordia Dei non teneret nos, in omne vitium possemus cadere, nec inde surgere, nisi misericordia Dei subsequeretur, quæ nos subleuaret. Hoc benè cognoscebat Propheta quum dicebat, Domine misericordia tua ante oculos meos est, quæ me custodiat: & misericordia tua subsequetur me, quæ me erigat.* Horum autem respectu, misericordiam in tres gradus diuidit Sanctus Bernard. iuxta triplicem peccati gradum; in paruam videlicet, in mediocrem, & magnam. Parua, est expectatio ad pœnitentiam, ac pœnæ peccatis infligendæ dilatio: quæ quidem non in se, sed aliarum comparatione parua est: alioquin magna profectò est expectatio Domini. Angelum namque peccantem præcipitio elisit: & hominem ipsum, decretas leges transgredientem, paradiso exegit: at nunc, expectat, dissimulat, sustinet, vsque ad senectam & senium. Veruntamen hæc sola, salutem non operatur, imò verò damnationis iudicium accumulat, vnde peccatori contemnenti, neque eam misericordiæ vocem audire volenti, dicetur, *Hæc fecisti & tacui*. Psalm. 49. Peccator enim euacuans in se Dei misericordiam, atque thesauros eius contemnens, suos sibi thesauros

Misericordiæ gradus tres, parua, mediocris, magna.

Ps. 49.

Thesauri peccatoris ira Dei.
Rom. 2.

thesauros irarum Dei, in suam accumulat perniciem, sicut Apostolus loquitur ad Rom. 2. *Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Quis autem scindet duritiam istam & conteret, nisi is, qui in suæ Passionis sacramento petras scidit Christus Iesus? Quis dabit pœnitens cor, nisi is à quo omne datum optimum? & hæc est secunda misericordia, quam mediocrem appellat Diuus Bernard. quæ facit ne prima sit otiosa, & cedat in damnationem mortis; dando scilicet pœnitentiam, sine quâ expectatio non prodest, sed obest plurimum.

2.
Misericordiæ præuenientis filiæ quatuor.
1.

Magna autem misericordia est, quæ grauioribus peccatis est necessaria; onus namque peccati semel susceptum deponere, non humanæ potestatis est, sed diuinæ, quæ quatuor filiarum huius misericordiæ ministerio, id efficit; quarum prima est, amaritudinis immissio: piè namque illam immittit Dominus; vt mentem hominis occupans, expellat perniciosam peccati delectationem: perniciosam, inquam;

——— Huius enim rari, summique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo,
Plus aloës quàm mellis habet.

Ebrietas hilaris insania.

Vt canit Iuuenalis satyr. 6. & quæ sicut ebrietas hilarem vnius horæ insaniam, longi temporis tædio pensat, mordacibus pœnæ stimulis, animum diutiùs excruciat. Alterum misericordiæ seminium est, subtractio opportunitatis: quando nimirum infirmitatem nostram tentari non patitur Deus, ne succumbat exposita. Tertium, virtutis, roborisque ad resistendum oblatio: vt peccator tentationis congressum persentiscens, eam viriliter expugnet, & sub iugum mittat. Quartum sanitas adfectionis, quâ, tentatio prorsus tollitur, vt non solùm non consentiatur, sed nec sentiatur: quando videlicet tentamenta sua fortissimo bellatori, ludus sunt, & vmbra certaminis.

2.
3.
4.

3.

Et hi quidem misericordiæ gradus, tùm ad præuenientis, tum ad subsequentis misericordiæ effectus spectant. Et vt de præueniente misericordiâ nostra primùm instituatur oratio, nemo est qui illam non experiatur & sentiat, quantumuis etiam à sanitate suscipiendâ sit alienus, *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* inquit Apostolus ad Rom. 11. & Iob. 41. *Quis antè dedit mihi vt reddam ei?* in quæ verba Diuus Greg. 33. Moral. cap. 20. vel 25. *Nemo,* inquit, *vt diuina illum gratia subsequatur, priùs aliquid contulit Deo, nam si nos Deum benè operando præuenimus, vbi est quod Propheta ait, misericordia eius præueniet me?* & Diuus Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianor. cap. 9. *Auertat Deus,* inquit, *vt in donis eius nos priores faciamus, posteriorem ipsum, quoniam misericordia eius præueniet me: & ipse est, cui fideliter; veraciterque cantatur: Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Psalm. 20. Verè enim dulcis præuenientis misericordiæ Dei benedictio, quæ facit vt opera nostra, vitæ saporem habeant, cùm alias ipsa opera moraliter etiam bona, quæ fiunt naturæ viribus, cum generali concursu Numinis, vt auctor est naturæ, & prima vniuersalis caussa, per se non sint meritoria, neque dispositiones ad iustificationem, à quâ toto distant ordine: sed perinde habeantur, quoad hoc, ac si forent mala; licet quia in se bona sunt, pœnæ euadant reatum. Verè meritoque dulcior hæc misericordia, atque ad animi palatum dulcissima, quia, vt inquit Diuus Bernardus serm. 39. ex paruis: *Non immeritò dulcius sapit ea, quæ non modò immeritos, sed & malè meritos præuenit: vt dum adhuc filij summus iræ, & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imò & impetentibus: non inuocantibus, sed prouocantibus: non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Meritò proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ præuenit.* Quia, vt Arausicanum Concil. cap. 14. habet, *Nullus miser de quacunque miseriâ liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur; sicut dixit Psalmista Psalm. 78. Citò anticipet nos misericordia tua, Domine.* Et illud, *Deus meus misericordia eius præuenit me.* Nemo itaque est quem non præueniat misericordia: quia Deus prior diligit. 1. Ioan. 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Prior eligit. Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Prior vocat, 2. ad Timoth. 1. *Nos liberauit & vocauit vocatione suâ sanctâ, non secundum opera nostra.* Prior occupat, Isa. 60. *Et occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.* Prior pulsat, concutit, terret: Cant. 5. *Dilectus meus, misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Nimirum, cor, viscera, præcordia animæ per ventrem significata, ad tactum necessarium præuenientis misericordiæ, mouentur, ad opera salutis præstanda, ita Camerarius lib. 1. de Gratiâ, & lib. arbit. cap. 4. vbi inquit. Quid igitur ponere manum, quid tangere, aliud est, quàm à Deo solo moueri? Quid illud intremuit, nisi Pauli motum designaret, quando timens & tremens respondit: Domine quid vis me facere? ad quem Dominus, surge, & vade. Surrexit autem Paulus adiutus, non solùm corpore, sed etiam animo, motum commonstrans, quomodo aliter aperuerit dilecto; libero nimirum arbitrio à Dei gratiâ moto, atque adiuto. Ita vt nec solus homo, sed vterque in solidum, id ipsum agat. Sic tamen totum homo, quia totum à gratiâ habet: Hæc ille. Tria namque sunt quæ ad peccatoris iustificationem concurrunt, misericordia, quæ præuenit, quæ Deo ita est propria, vt libertas humana nullam prorsus in eâ partem habeat, neque consensum, neque cooperationem: ad hunc spectant, prædestinatio, electio, vocatio, pulsatio, cohortatio, inspiratio, & cætera huiusmodi. Misericordia quæ subsequitur: per quam producuntur qualitates supernaturales, gratiæ scilicet & virtutum, quibus completur nostra iustificatio. Verùm quia natura nostra, ad præcellentes adeò qualitates pertingere nequit, sed homo earum respectu, se passiuè habet: inter hæc opera, quibus inchoatur & perficitur nostra iustificatio, alia media tertij generis, sunt necessaria, quæ Deus in nobis non operatur sine nobis, nisi præbeamus assensum. Cuiusmodi sunt, fides, spes, charitas, pœnitentia: Hæc enim dona, Deus nonnisi ope suâ dispositis, vocationique eius libenter obtemperantibus, elargiri consueuit. Ista sunt sine quibus terra nostra fructum salutis dare non potest. Neque enim aut inchoare bonum, donec à misericordiâ præueniamur, aut bonum suscipere, nisi à subsequente misericordiâ adiuuemur, aut agere bonum donec eâdem impleamur vllo modo possumus. Ex quo patet, tantam esse misericordiæ præuenientis necessitatem, vt nisi homini mortali eam conferat Deus, in æternâ iaceat miseriâ, irreuocabiliter à se, vt. pota

Misericordiam Dei omnes sentiunt.
Rom. 11.
Iob. 41.
Ps. 20.
Opera moraliter bona viribus naturæ facta nil prosunt ad vitam.
Ps. 78.
1. Io. 4.
Io. 15.
2. Timoth. 1.
Isa. 60.
Cant. 5.
Venter pro animæ corde significatur.
Opus bonum à Deo est & homine.
Ad iustificationem tria opera concurrunt.
4.
Misericordia præueniens necessaria.

pote qui suis viribus è luto profundi, in quo non est illius misericordiæ substantia, emergere nequeat; & solùm reuocabiliter ab ea, de quâ Psalmista, *Misericordia eius præueniet me*, quod optatiuè expressit Apollinarius,

Ps. 54.

ἀμφιβάλοι μ' ἔλεος ὑποφθαμένη βασιλῆος.
Circundet me misericordia præueniens Regis.

Scilicet, vt homo, qui sibi relictus, extra septa legis æternæ, vagus, & errans, ferarum omnium, siue peccatorum, animam miserabiliter infestantium, patebat aditibus, deinceps muro salutis cinctus, soli pateat regi, mittenti manum suam per foramen, ad cuius tactum, turbentur & contremiscant interiora cordis, corporeus peregrinetur adfectus, & forma veteris hominis exolescat, ad diuinioris influxum: surgat, & aperiat dilecto suo, manum virtutis suæ mittenti, vocantique & excitanti respondeat. Illa est namque misericordia, quæ ad opus bonum substrata, liberum excitat, mouetque arbitrium, vt benè operetur: quia cùm nihil boni ex nobis ipsis habere possimus, nisi hoc ipsum à Domino acceperimus, ideò *Antequam aliquid boni ego faciam, misericordia eius præueniet me*, inquit D. August. Quid enim per nos ipsos possumus, nisi peccatum? & sanè nobis solis illud tribuitur: operis autem boni, quod etiam libero arbitrio nostro operante fit, auctor est Deus, potiùs quàm nos, siue vt caussa vniuersalis, cum omni caussâ secundâ concurrens: siue vt auxilium speciale conferens. Hinc D. August. lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. cap. 9. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.* Et auertat hanc amentiam à nobis, vt in donis eius nos priores faciamus, posteriorem ipsum; quoniam misericordia eius præueniet me: & si non præuenit nos; non solùm non perficitur quod præcipit, sed nec inchoatur ex nobis; & vt inchoemus dictum est, misericordia eius præueniet me: vt perficiamus, dictum est, misericordia eius subsequetur me.

Operis boni auctor Deus.

5.

Inter autem enumeratos misericordiæ gradus, siue effectus septem, quorum quidē duo ad præuenientem misericordiam pertinēt, ad subsequentem reliqui: primus & capitalis misericordiæ præuenientis effectus est, dilatio vindictæ in peccata exercendæ, temporisque ad resipiscendum concessio, quæ ideò mortalibus benignè tribuitur, vt cùm critici dies aduenerint, minùs inueniat quod plectat Deus, in iis, qui hoc dono benè vsi fuerint. Neque enim statim vt admissum est facinus, sequitur vltor à tergo Deus, vt effusum in suas cupiditates deleat, aut curuatum frangat, sed dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam: flagra prædicit, & Cometarum portentis Magnatum funera prænuntiat, vt erudiantur, vt conuertantur, & appropinquent Deo, & Deus illis. O altitudinem huius misericordiæ Dei, quæ fulgura in pluuias facit; flagra conuertit in munera, & delicias animæ!

E septem effectib. misericord. duo ad præuenientem spectant.

Quanti faceres, si quis te in procinctu dimicationis vltimæ, articuli cuiuspiam admoneret, in quo de capite tuo ageretur? aut idem ipse, qui tibi perniciem machinatur, priusquam eam inferret, acerbitatis suæ virus apud te euomeret? nunquid caueres? nunquid beneficij loco reponeres? Ingruentem peccatori calamitatem, prædicit, ac præmonet Deus; nec expergisceris? Zachar. cap. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, inquit Dominus, *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Non enim satis est peccatorem auertere se à peccato, vt appropinquet Deo, nisi ipse Deus conuertatur ad illum. Quare Ierem. 31. *Conuerte me Domine, & conuertar, quia tu Dominus Deus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: postquam ostendisti mihi percussi femur meum, confusus sum, & erubui.* In tenebris quippe continuò versari necesse est illum, ad quem non conuertitur Dominus, quem non respicit Deus. Luc. 22. *Et conuersus Dominus, respexit Petrum: & recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat: quia priusquam Gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras Petrus, fleuit amarè.* Conuersus est, vt Dominus obiurgans seruum, respexit vt Deus absoluens reum, ex oculo præuenientis misericordiæ, radium misit gratiæ in cor eius, vt quod negationis glacies constrinxerat, in contritionis lacrymas resolueret. Eleganter Diuus Ambros. in Euang. Luc cap. 22. *Quos Iesus respicit, plorant delictum. Negauit enim primò Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus: negauit secundò, & non fleuit, adhuc non respexerat Dominus: negauit & tertiò, respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit.* Et subdit. *Respice ergo Domine Iesu, vt sciamus nostrum deflere peccatum, lauare delictum.* quia, vt inquit D. August. lib. 5. Confess. cap. 1. *Oculum tuum non excludit cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum; sed soluis eam cùm voles, aut miserans, aut vindicans: & non est qui se abscondat à calore tuo.* Qui hoc intelligit, perspectâ peccati miseriâ, atque consideratâ pœnarum grauitate, quas licet commeruerit, necdum tamen, patienter tolerante Dei misericordiâ, experientiâ tolerauit, conuertatur ad oculum misericordiæ diuinæ, & illius imploret aspectum, vt ad radios tantæ claritatis, tantique feruoris, discutiantur tenebræ, & liquescat animi rigor. Clamet cum Propheta Regio ps. 118. *Aspice in me, & miserere mei*: prouocans ab oculo iustitiæ, quem iam timere incipit reus; & quo iratus Deus peccatores respicit. Ps. 33. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terrâ memoriam eorum.* Ad oculum misericordiæ, qui Petrum, non ad iudicium & pœnam respexit, sed ad pœnitentiam; prior eum diligendo; vt ipse redamando, trinam negationem, amaritudine lachrymarum ablueret, impleretque Propheticum illud Ps. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei quia non custodierunt legem tuam.* Agricolam siquidem agebant Petri oculi, atque incisis lacrymarum venis ora sulcantes, plurimo imbre pectus impluebant, quò, quæ priùs arida fuerat animæ illius terra, in multam pœnitentiæ, aliarumque virtutum segetem assurgeret: Ouid. 6. Metam.

Zachar. 1. Conuersio hominis.

Ierem. 31.

Luc. 22. Respicere Dei est animum ad se conuertere.

Ps. 118.

Ps. 33.

Ps. 118.

Oculi D. Petri, agricolæ fuerūt.

Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis.

Alter præuenientis misericordiæ effectus, est reuocatio benigna dispersorum à facie persequentis peccati, quæ & trahit, adducit, conuerti facit delinquentem ab errore viæ suæ, quod fit sacris inspiramentis ad spem excitando, minis terrendo, conscientiæ pauorem immittendo. Hunc adfectum comparat Dominus gallinæ in pullos suos adfectui. Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, & noluisti?* Sicut gallina, inquit, quæ viso insidiatore miluo, pullis suis timens, eos ad alarum suarum perfugium prouocat. Diuus August. de quæst. Euangel. apud D. Tho. in catenâ: *Hoc enim genus animantis, magnum affectum in filios habet, ita vt eorum infirmitate affecta, infirmetur & ipsa. Et quod difficile in cæteris animantibus inuenies, alis suis filios protegens, contra miluum pugnat:* sic

Reuocatio peccatoris, est misericordia.

Matth. 23.

Gallinæ affectus in pullos suos.

Lachrymæ salutares.

llatricem, vt contremiscat, & rumpatur ad lacrymarum profluuium, sine quibus seruari vix quisquam potest, vt salutis nostræ pondus operemur: inquit enim Vates sacer, psal. 31. ita legente Diuo Hieronymo, epistola ad Rusticum. *Veruntamen nisi in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.* In quem locum Doctor Sanctus: *Vide quanta magnitudo sit fletuum, vt aquarum diluuio comparetur; quos qui habuerit, & dixerit cum Ieremiâ.* Thren. 2. *Non sileat pupilla oculi mei; statim in illo complebitur, misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax, osculatæ sunt:* psal. 48. *Et si te iustitia & veritas seruauerint, misericordia & pax prouocent ad salutem.* Hæc ille. Possumus & illud aquarum diluuium, misericordias Domini appellare, quibus electorum animis impluit Deus, vt admisso diuinæ largitatis rore, fœtus virtutum concipiant, qui adolescant, & crescant vsque ad conspectum & possessionem Dei. Quemadmodum enim ex terræ vaporibus, vi Solis sursum illectis, nubes conflantur, densanturque, quæ in terram defluentes illam humectant, idoneamque educandis stirpibus reddunt, donec fructus suos protulerint: ita calor munificus amoris diuini, piorum lacrymas & desideria, ad se trahit, vsque ad thronum Dei, vbi in misericordiarum nubes conuertuntur, vt rursum defluant, & animam humectent, ad messem vsque virtutum in gloriâ, quò non pertingitur, nisi in eiusmodi aquarum diluuio.

Ps. 31. Thren. 2. Ps. 48. Nubes à terræ vaporibus.

Capitis 16. §. 6.

Misericordiæ Diuinæ subsequentis effectus.

1. Misericordiæ subsequentis effectus.

IAm verò, vt de subsequente misericordiâ dicamus: illa est, quâ Deus volenti bonum quod adspirauit animæ fine nobis, cooperatur vt perficiat: inspirat enim, animam præueniens, vti D. Thomas inquit, vt efficiatur, iuuat subsequens. Et D. August. de gratiâ & libero arbit. cap. 17. *Ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Illa est quæ volentem adiuuat vt perficiat, operantem subsequitur vt perseueret. D. August. Enchirid. cap. 32. *Nolentem præuenit vt velit, volentem subsequitur ne frustra velit:* quod & D. Gregor. homil. 9. in Ezechiel. *Nos præuenit vt velimus, & volentes subsequitur, ne inaniter velimus.* Illa est, quâ de bono in melius prouehimur. D. August. suprà cap. 17. *Sine illo operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Præueniente excitamur & operamur, subsequente adiuuamur & cooperamur. *Haymo, præcedit misericordia conferendo gratiam, subsequitur ad hanc seruandam & custodiendam:* præcedit misericordia, vt ex misericordiâ subsequatur iustitia, quæ perseueret, vsque ad conspectum Dei. Hoc postulat Ecclesia, *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, &c.* Item. *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper & præueniat & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos.* Hoc Dauid. ps. 22. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ,* quod sic Apollinarius:

Ps. 22.

> Σὸν δ᾽ ἐμπεδίως ἐλεημοσύνη με διώκοι
> *Tua perpetuò misericordia me persequatur.*

Persequatur, inquit, scilicet, donec fugientem, errantem, deuium, perquisierit: donec comprehendat quos æterno decreto saluandos nouit. Persequatur, non tantùm nolentes, sed etiam renitentes, donec compellat intrare. Luc. 14. *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Quanquam enim Deus, ad ingressum domus suæ, nullius cogat arbitrium: ita tamen suauiter agit cum peccatore, vt suadere; ita fortiter, vt eum cogere videatur, atque per vim in viam salutis adigere; quomodo Respublica nefarios coërcitione ad officium redire compellit. Quod eleganter prosequitur D. August. epist. 48. ad Vincentium, totidem verbis. *Putas neminem debere cogi ad iustitiam, cùm legas Patrem-familias dixisse seruis, Quoscunque inueneritis, cogite intrare? Cùm legas etiam ipsum primò Saulum, postea Paulum ad cognoscendam, & tenendam veritatem, magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum? Ille enim cælesti prostratus lumine, lucem istam quæ oculis capitur, subitò amissam non recuperauit, donec sanctæ incorporaretur Ecclesiæ. Et putas nullam vim adhibendam esse homini, vt ab erroris pernicie liberetur, cùm ipsum Deum, quo nemo nos vtilius diligit, certissimis exemplis hoc facere videas, & Christum audias dicentem, Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit, quod fit in cordibus omnium, qui se ad eum diuinæ iracundiæ timore conuertunt, & noueris aliquando furem auertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquando Pastorem flagello ad gregem pecora errantia reuocare?* Compelle, Domine, nostras rebelles ad te compelle voluntates, vt purgato affectu, in viam salutis redeant, quos prauus abstulit error.

Luc. 14. Lib. arbitr. non cogit Deus.

2. Misericordiæ huius effectus quinque numerantur, quemadmodum §. superiori, numero 5. indicatum est: scilicet, peccatorum ad Deum redeuntium beneuola susceptio: iniquitatum obliuio, quum illæ peccanti displicuerint: animæ, dignitatis pristinæ restitutio: eiusdem frequens visitatio: legumque & mandatorum præscriptio, per quæ in officio peccatores contineantur.

Primò igitur, peccatores cum maximâ beneuolentiâ recipit Dei misericordia, vbi illi ad se redierint, sicut diuina testantur eloquia, psal. 102. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Patris siquidem amor in filios, radius est diuini in nos amoris: Non potest non misereri pater pignoris sui, paterna non patitur pietas, prolem suam afflictam, & egenam intueri, quin succurrat: ita Deus, qui neque vt pater tantùm, vel mater, sed his ardore pietatis maiore, nos suscipit. Vnde apud Isaiam cap. 49. dicit Dominus: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui,* scilicet,

Peccatores recipit Deus. Ps. 102. Isa. 49.

> *Corde exire vetant selectæ prolis amorem.*

Patent materna viscera pignori suo, atque ita patent, vt in dubium verti possit: an queat illius non misereri, quòd matris in gnatos misericordia, naturæ opus esse videatur potiùs, quàm voluntatis liberæ; vnde amat prolem suam magis quàm pater, quia vtero gestauit, quia conceptionis ægritudines, vteri & partus dolores tolerauit; qui quantò acutiores fuere, tantò illius in sobolem (vt quidam volunt) increbrescit affectus, quia denique & lactauit. Sed quid istud ad Dei in nos amorem, qui maternum in filios multis parazangis exuperat? *Pater misericordiarum* appellatur 2. ad Cor. 1. qui alibi Dominator orbis terrarum & Dominus, non autem cæli & terræ pater. Cur ita, nisi quia licet mundum, ex amore crearit, liberè tamen creauit, voluntate fecit, non naturâ? quod autem miseretur, ita promptum, paratumque est, vt non voluntatis, sed naturæ esse videatur: quod D. Anselmus indicauit, quum dixit. *Ipse dico, Pater misericordiarum, quia ex visceribus eius proueniunt in nos misericordiæ eius:* velut ipse vnigenitus Dei, è paternis

Mater plus amat prolem, quàm pater.

paternis visceribus naturâ & necessitate procedit, qui & ipse misericordia, qui & ipse Patris viscera, in quibus visitauit nos oriens ex alto paternæ misericordiæ, virginis filius.

Quid? non amaret plusquam mater hominem Deus, qui adfectum amoris, in suam sobolem maternis insculpsit visceribus? Pulchrè Saluianus lib. de vero iudicio & prouidentiâ, quatro. *Quæ recondunt apes, quum fundamina mellis ponunt, vel quum è floribus natos legunt, qua causa vel thymo, nisi studio & cupiditate mellis, vel flosculis quibusdam, nisi futuræ sotolis, charitate, lætantur? Deus ergo qui etiam minimis animantibus hunc affectum proprij operis inseruit, se tantummodo solum creaturarum suarum amore priuauit? Præsertim cùm omnis in nos rerum bonarum amor, ex illius bono amore descenderit. Ipse enim est fons & origo cunctorum: & quia in ipso (vt scriptum est, Act. 17.) Viuimus & mouemur & sumus, ab ipso vtique affectum omnem, quo pignora nostra amamus, accepimus. Totus namque mundus, & totum humanum genus, pignus est Creatoris sui. Et ideò ex hoc quoque affectu, quo amare fecit pignera nostra, intelligere nos voluit, quantum ipse amaret pignora sua. Sicut enim, vt legimus, inuisibilia eius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: ita amorem erga nos suum, per eum quem nobis erga nostros dedit amorem, voluit intelligi. Et sicut omnem, vt scriptum est, Paternitatem in cælo & in terrâ, à seipso voluit nominari, sic à nobis Patris in se affectum voluit cognosci. Et quid dicam Patris? imò benignissimi Patris. Probat quippe hoc vox Saluatoris in Euangelio dicentis* (Ioan. 5.) *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret pro mundi salute. Sed & Apostolus dixit:* (Rom. 8.) *Deus, inquit, Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo, nobis omnia donauit? Hoc est ergo illud, quod suprà dixi, quia plus nos amat Deus, quàm Filium Pater. Euidens quippe res est, quod super affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos, Filio suo non pepercit. Et quid plus addo & hoc Filio iusto, & hoc Filio vnigenito, & hoc Filio Deo. Et quid dici amplius potest? & hoc pro nobis, id est pro malis, pro iniquis, pro impijssimis.* Quàm mirabilis? quàm inæstimabilis, misericordis in hominem pietas Dei? & quàm incomprehensibilis eius amor? Nos plus amat etiam, quàm filium mater, vt dixi. Quia non tantùm modico temporis decursu, hominem portat infantulum in suo vtero, veluti mater suum, sed totâ eius vitâ, in omni ætate, infantem, adultum & senem, pro quo, vt eum luci parturiat suæ, acerbissimos mortis dolores perpessus est. Isa. 46. *Audite Domus Israël, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à vulua mea, vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo. Ego ipse*, inquit, quia solius id Dei.

Mundus & homo, pignus est Dei.

Ioan. 3.

Rom. 8.

Isa. 46.

3. Quanquam enim misericordiam Moisi commendarit, atque adfectum amoris in filios Israël, non tamen illi, vt matri locutus est, sed tantùm vt nutrici, non iussit vt portaret in vtero sicut mater, sed in sinu, sicut nutrix. Numer. cap. 11. *Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantē.* Ista est inter diuinam & humanam misericordiam differentia, quòd illa, visceribus suis, per quæ orabat Zacharias Luc. 1. recondat amatum, & protegat, hæc, quantumuis sinu foueat, palam tamen gerat externis expositum iniurijs. Et ne qua fortasse subrepat cogitatio, quòd obliuiscatur misereri Deus, quod non recordetur pignoris sui, scriptum est, Isa. 49. *Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Quod sic 70. reddiderunt, *Ecce super manus meas depinxi muros tuos.* In quo, super omnem misericordiam, & humanum amorem, suam misericordiam, suum in nos amorem extollit Deus: nam quis filius in matris se descriptum manibus inuenit? quis inuiolabiles, & firmos protectionis suæ muros? stabili nos charactere, stylo clauorum, nos suis manibus inscripsit, vt nullo non tempore, nos in suis vulneribus legeret, nos portaret, nos protegeret, atque firmo & stabili passionis suæ muro circundatos, securos redderet, quod asseruit D. Cyrill. Alexandrinus, lib. 4. in Isa. orat. 4. *Itaque Christi Passio, inquit, & pretiosa Crux, & manuum ipsius affixio, securitas fuit, & murus inaccessus, & infractus, his qui in ipso crediderunt.* Intra vulnerum suorum receptacula, intra vteri sui sinus, nos gestat Deus: non sic homo, non sic mater infantem.

Numer. 11.

Humana misericordia vt differt a diuina.

Isa. 49.

Manibus Christi inscribimur.

Egesippus excidij Hierosolymitani lib. 5. cap. 9. & D. Hieronymus, epist. ad Fabiolam, quatuor colores indumenti Principis Sacerdotum, quo vtebatur quando maxima celebritas erat festorum dierum, quatuor comparant elementis, è quibus omnis creatura visibilis conflatur: byssum terræ, vnde oritur: purpuram mari, vnde accipitur: hyacinthum aëri, ex coloris similitudine: coccum, igni & ætheri: additque Egesippus, in templo Salomonis fuisse peripetasma pretiosum & maximum, cocco & hyacintho, byssoque intextum & purpurâ, non otiosâ materiâ tantæ diuersitatis, sed cuius species materiam rerum latentium significaret, eò quod eius esset templum, qui cælo, aëri, terræ & mari, quasi creator elementorum, dominaretur, atque omnia solus regeret & gubernaret. Æquum igitur fuit, vt Summus Pontifex templum Creatoris, & Gubernatoris omnium, pro populo supplicaturus ingrediens, omnium creaturarum typum portaret in vestibus suis, quo indicaretur, cuncta indigere misericordiâ Dei: cui quum sacrificaret Pontifex, expiaretur vniuersalis conditio, vt non pro liberis, ac parentibus & propinquis, sed pro cuncta creatura, quasi totum mundum induisset, & voce & habitu precaretur. Ecce autem vt exterius populi typum gerit Pontifex, solus Deus in vtero, vulnerum suorum, & in vtero, illi vbera suaui turgentia succo.

Indumenti Pontificij colores 4.

Vbera quæ potent auidi lactantia nati.

Vbera Dei.

Vbera meliora vini, fragrantia vnguentis optimis: Cant. 1. quia efficaciores illius amores ad lætificandum & inebriandum, quàm vinum optimum: inquit Ludouicus Soto-maior ibi. Quia cor eius, quod sub pectore, sub mamillis latet, & quod mentis & rationis sedes existimatur, per vbera significatum, Consilijs optimis plenum, vtpote in quo thesauri sapientiæ & scientiæ, reconditi.

Cant. 1.

Cor sub vberibus mentis sedes.

*Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus
Idque situm mediâ regione in pectoris hæret.*

Plenum misericordiâ, plenum clementiâ, quasi lacteâ quadam vbertate in modum vberum, quæ multo lacte distenta sunt, iugiter manat, implens & reficiens mortale genus. Ad hæc vbera hominem portat, vt exhilaretur misericordiâ, inebrietur amore. Imò totus in vbera conuersus est, instar Rumini Gentilium Dei, vt facilè sit cuiuis volenti, in papulas incidere. Dicit enim Dominus apud Isaiam cap. 66. *Ad vbera mea portabimini, & super genua blandientur vobis. Quod si cui mater blandiatur, ita consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini.* Diuus Bernardus serm. 9. in Cant. *Duo sponsi vbera, duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini Iesu, longanimitas videlicet in exspectando, & in donando facilitas. Et audi, quia non sit hoc inuentum meum. Legis profectò de longanimitate* (Rom. 2.) *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?*

Ruminus.

Isa. 66.

Vbera sponsi, quid?

Rom. 2.

Item, an ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam vltionis in contemnente, vt quandoque exhibeat gratiam remissionis à pœnitente: non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ponamus exempla & de altero vbere, quod dictum est remittendi facilitas. Lege & de ipsa: Quacunque horâ ingemuerit peccator, peccatum suum remittetur ei. Et de benigno vberum suorum fluxu, apud Oseam, cap. 2. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem,* intra pectoris sui ducit arcana, vt corde ad cor loquatur, quos potat vberibus consolationum, quas infundere paratior est, quàm nos suscipere. Quod Lucæ 15. patet, vbi filius prodigus, dissipata liberi arbitrij per illius abusum, substantiâ, ad Patrem, quasi lento gradu, venire dicitur, Pater autem præpropero ad Filium accurrere. *Cùm autem longe adhuc esset, vidit illum Pater suus, & misericordia motus est, & accurrit.* Necdum ille paternę domus terebat limina, necdum fores pulsabat, imò nec festinabat appropinquare, longè adhuc erat, sat fuit Patri vt ad se venientem videret, & moueretur misericordiâ. D. Chrysolog. serm. 2. *Apud Patrem non intercedit extraneus, intus est in Patris pectore, qui intercedit, & exorat affectus.* Suâ misericordiâ exoratur: gradum accelerat, vt succurrat, brachia pandit, vt suscipiat, quasi vereatur ne ille, mutato consilio, retrò ferat pedem. O vbera misericordiæ! Quonam properas Domine? quo cursu festinus anhelo, aduolas;

Tenuia vix summo vestigia puluere signant?

Cursu citato in meum gnatum feror. Quid? in illum qui luxuriâ diffluens prodegit substantiam suam? Et illa caussa est, cur pernici volatu in illum tendo: vadam, & opitulabor ei. Quid si te iterum ingratus abiecerit? Si tua beneficia contempserit? ne sic quidem ab eo recedam, expellat licet: gnatus enim meus est, & corculum meum, à quo si pulsus abscessero, non recedet oculus meus, intendam in illum post me respiciens, vt si ingemuerit, occurram velociùs. Satis est misericordiarum Patri, vt vel conuersionis indicium agnoscat in peccatore, quo sic in collum eius irruens, excutiat graue peccati iugum. *Accurrens cecidit super collum eius*, velut ignis in stuppam aridam quam facilè incendit, quia pronior & ad misericordiam & ad bonum nostrum Deus, quàm nos ipsi. Accurrit paternâ pietate victus, non filij precibus: & occurrit miseriæ, non soli, sed illi, quæ cum pœnitentiâ coniuncta est.

4. Verùm, numquid famelicum Filium, sublestum, atque defectum viribus, incumbens collo grauat Pater? Onus quidem perdita super collum Dei, onus est æthnâ grauius, & crux cruce molestior: at Deus super collum peccatoris, iugum est suaue, iugum est leue, ipsum alarum suarum tegmine subleuans. D. Chrysologus, *Cecidit super collum eius, vt erigeret sic iacentem. Cecidit super collum eius, vt amoris onere, onus tolleret peccatorum: videtis quia Filius inuatur ipsius Patris onere, non grauatur.*

Pari modo accurrit ad animam, illius miserescens, quam Dæmonis operâ conspurcatam, & peccati fœditate sordidam, è cœno videt surgere, & dicere cum Psalte Regio psal. 62. *Sitiuit anima mea ad te, quàm multipliciter caro mea? in terrâ deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* In quem locum D. Hieronimus epist. ad Rusticum. *Quanquam enim te sitierit anima mea, tamen multò te plus carnis meæ labore quæsiui, & tibi in sancto apparere non potui, nisi priùs in terrâ desertâ à vitijs, & inuiâ aduersarijs potestatibus, & absque humore & rheumatè vllius libidinis, commoratus fuero, vt dilectam suam mundet sancti. sicque.* Accurrit, vt tardanti subsidium præbeat, infirmo suppetias ferat: vt si fortè prior consuetudo mala trahat, qua D. Augustinus impeditum se fatetur, tantum, quantum cuiuis cordato ex hac verborum instantia conijcere fas est, lib. 8. Confess. cap. 12. *Quamdiu, quamdiu? cras? & cras? quare non modò? quare non hac horâ finis turpitudinis meæ?* si quoque ferrea voluntas liget, vt idem Doctor sanctissimus loquitur; si voluptates à tergo vellicent: si maligni spiritus renitantur: si via grauis, aspera, & laboriosa videatur, sit præsidio volenti vias Domini, & præ infirmitate, currere non valenti.

5. Secundò, obliuiscitur peccatorum Deus, si illa peccatori displicent, nec addit vt requirat ea. Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Cadent in spongiam misericordiæ, quemadmodum Dauidis ipsius peccatum, vt primùm illi displicere cœpit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. Concurrit cum culpæ confessione, pœnæ absolutio: expungitur peccatum cùm placere desinit, & elutum lacrymis, quasi non fuisset, decretorius dies non requirit. Idcircò Pater, quem suscipit prodigum, non interrogat, neque anteactorum rationem exigit, cur nempe ita detrita veste ad se lacer redeat? cur macie confectus mortuo, quàm viuo similior appareat? cur depositam in libertatis suæ arbitrio substantiam dilapidarit? cur vitam voluptatum cœno coinquinarit. Non ista mouet benignus Pater, non inquirit, vt arguat, vt terreat, vt puniat: quod si aliquando puniat, *Tanta est misericordia Dei*, inquit Saluianus lib. 5. de vero iudicio & prouid. *vt & si nos vult pati aliqua de piaculis nostris, nolit tamen cuncta tolerare: quia castigat malos, non reddit mala: agnoscere nos peccata nostra mauult, quàm sustinere: scilicet, vt & pijs ac salubribus flagellis, ostendat nobis quæ ferre meruimus, sed tamen non inferat quæ meremur.* Nouit enim ipse figmentum nostrum, scit ista infirmitatis fuisse conditionis nostræ, quæ cùm animæ displicere occœperint, quasi eorum non meminisset, quasi nil patratum perperam fuisset, proferri stolam primam iubet, quia charitas operit multitudinem peccatorum. ps. 31. *Beati quorum tecta sunt peccata*: scilicet primâ charitatis stolâ, siue meritis & iustitiâ Christi, per quam reparatur prima innocentia. *O charitas patiens; sed & compatiens,* exclamat D. Bernardus serm. 4. feriæ 4 Dominicæ Pass. *Charitas patiens est, iustitia: charitas benigna est, cumulus est.* Charitas patiens, ad pœnitentiam adducit; benigna charitas, quos tolerat, amat, & tam ardenter amat, vt peccatorum prorsus non meminerit, quia veluti Sol per mediam nubem validiores demittit caloris radios, ita amor post aliquod dissidium & interruptionem, animam ardentiori ferit radio, quo exterminat obliteratque rigorem peccati. Meminit Cæsarius adolescentis, qui Parisijs operam nauans literis, omni se addixit nequitiæ, vitam grauissimis sceleribus commaculans, ac tandem inspirante Deo scelera sua sacramentaliter expiare designauit; quare exomologesim facturus, Sacerdoti adgeniculatur, coram quo positus, commissa sua exprimere, præ confusione erubescit. Pudorem omnem prudens Confessarius, multis tentat excutere, sed frustra: tandem salutari inito consilio iubet vt scelera sua scriptis exaret, quo peracto, hortatur mansuetè, vt ea ore suo proferat: illo autem præ erubescentia & contritione, non audente effari, Confessarius cœpit præsenti & audienti prælegere, defluebant autem ex oculis pœnitentis lacryma-

Ose. 2.

Deus paratior est dare quàm nos accipere.

Luc. 15.

Misericordiâ suâ exoratur Deus.

Peccator grauis est Deo.

Ps. 62.

Pœnitentes iuuat Deus.

Ezechiel.

Peccatorum obliuiscitur Deus.

2. Reg. 12.

Stola prima.

Ps. 31.

Similitudo.

Pœnitentiæ & lacrymarum vis magna.

lacrymarum riuuli, & suspiriorum flammæ è pectore euomebantur: quibus perlectis, consulendum interea Superiorem de eius licentiâ, duxit Confessarius, super pœnitentiâ iniungendâ, multa enim atrocia & enormia erant crimina. Scriptum ergo coram superiore explicatur: ô rem miram! ex tot inscriptis ac antea perlectis sceleribus, ne quidem character vnius, vel apex apparet: nam Deus, lacrymis, & pœnitentiâ adolescentis, necnon suâ misericordi pietate, mendas pridem in chartâ exaratas, deleuerat, eluueratque, *purgationem peccatorum per semetipsum faciens.* Ad Hebr. 1. Hoc est quod scriptum legimus apud Isaiam cap. 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Quasi dicat, etsi dibapha Tyria, siue purpura Tyria bis tincta elui nullâ arte possit, vt ad primigenium redeat colorem,

Nec amissos colores,
Lana refert medicata fuco.

Peccata tamen vestra, quæ propter atrocitatem, infecta sanguine vindictam prouocante rubent, sic vt dilui posse desperetur, ad niuis nihilominus, & innocentiæ candorem reducentur, *qualem nullus fullo facere potest super terram.* Veruntamen aquis priùs immergenda sunt, lauanda, & emundanda, vnde præmittitur *Lauamini.* Et additur, *mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Quia, vt inquit D. Gregorius 3. parte Pastoralis, admonitione 31. *Lauantur nec mundi sunt, qui commissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt.* Vel etiam sic, Si peccata vestra Christi sanguine purpurascunt, albescent vt nix; hæc enim vis est sanguinis, vt eo intincta cùm lauantur, candidiora, mundioraque fiant, vnde Psalmographus, *niue dealbabuntur in Selmon,* psal. 67. & *ambulabunt mecum in albis.* Apoc. 3. dealbandæ sunt enim stolæ Sanctorum in sanguine agni, vt aulæ cælestis curiales fieri mereantur. Sed cur in Selmon? Arnobius locum esse putauit Selmon, in quo purificabantur proselyti, vel ij, qui se grauioribus peccatorum pollutionibus inquinatos fatebantur. Sed veriùs est montem esse Ephraim, iuxta traiectum Iordanis, qui vmbrosus, & caliginosus quasi צלם *tselem*, ab vmbrâ, Selmon sit cognominatus, ad differentiam Libani montis, qui iugi renidet albedine, quia

Fert ibi perpetuas obruta terra niues.

Vnde לבנון *libanon, Libanus, à* לבן *laban*, quod est *albus, candidus,* nomen habet, quia ille mons semper est candidus propter colorem niuium ibi existentium, inquit Abulensis 1. Paralip. cap. 12. quæst. 11. cuius tamen candoris dignitatem, consequitur niue aspersus Selmon: Gentiles atro hoc, & caliginoso monte significare voluit Præcentor Regius, qui à peccatorum tenebris nigricantes, & vmbrosi, superueniente niue candoris æterni à baptismali gratiâ, aliorumque Sacramentorum arcanis virtutibus, dealbantur sicut Selmon, & fiunt sicut Libanus iustorum. Peccatores quoque qui in iniquitatum suarum vmbri, & fumo atri, & veluti צלמות id est, *vmbra mortis*, siue sepulcra quædam animæ demortuæ, infunduntur, mundantur, & dealbantur niue pœnitentiæ, & eum quidem in modum, vt nulla caliginis, siue peccatorum vmbra superesse videatur, cuius meminisci velit Deus.

6. Tertiò, reponit peccatorem in pristino honoris gradu, testatur Isa. cap. 1. *Quiescite,* inquit, *agere peruersè, discite benè facere: quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me.* Quasi dicat, si fecistis quæ commeruere iustitiam, & flagra ideò experti estis, facite quæ promereantur misericordiam; & nisi experiamini vos, priorem apud me honoris gradum, imò etiam maiorem, quoniam superabundat gratia, vbi abundauit delictum, adeptos fuisse, disceptate mecum, exprobrate mihi. Reuocat fornicariam ciuitatem, & animam peccatricem à vijs suis pessimis, & post fornicationes suas, si ad cor redierint, & diuinam opem inuocarint, virgines appellat, Ierem. 3. *Ergo saltem amodo, voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Ecce vt virgineam sedem, prostituta, Deo miserente, recuperet. *Reuersio planè ista ad Dominum, quantum ad qualitatem meritorum pertinet; hoc est de corruptâ, integram fieri, de prostitutâ virginem reparari:* inquit Petrus Damianus epist. 38. vera namque pœnitentia, fractam virginitatis coronam redintegrat, quod in Dauide significatum, cui post adulterium consenescenti, adolescentula virgo in connubium data. Bachiario interprete lib. de recipiendis lapsis, vbi sic ait, *David cum in adolescentiâ suâ, cùm adulterâ deprehensus sit, in senectute cum virgine inuenitur, vt intelligamus; quod post peccatum, longa castitas, imitatrix est virginitatis.* Ideò reuertenti filio, pater, stolam primam citò proferri iubet, vt in quo fuerat honoris gradu ante insolentiam vitæ, post pœnitentiam, restituatur, neque restituatur tantùm, sed etiam præ reliquis filijs, festiuo vituli saginati conuiuio honoretur: citò, inquit proferte stolam primam, interea quò amplexu meo pœnitentis maculas tego, abstergo, ne videantur, redeat primæ illius innocentiæ status. Amor enim Dei impatiens est moræ, ideoque statim atque culpa remissa est, infunditur gratia: neque locum vllum habet apud eum regula, quæ apud homines est, vt qui semel est malus, semper talis præsumatur: abluit enim sic malum Deus, vt nullum illius appareat vestigium; ita exaltat pœnitentem; vt integrum semper statum seruasse videatur. D. Ambros. serm. 30. *Hæc est virtus Christi Domini, vt quamuis peccator, qui eius vndâ ablutus fuerit, denuò in virginem reparatus, non meminerit ante quod fecerit, & rediuiuâ natiuitate infantia, innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat, fitque virgo Fide Christi, qui fuerat adulter; corruptione peccati.* Non sic est in humanis, vbi quum quis ob delictum decretas legibus pœnas subijt, iustitiæ, & aduersariæ parti fecit satis: hæret tamen cicatrix infamiæ, nec gaudet, vt priùs, honoratorum contubernio. Et Reges ipsi, si quempiam gradu, ob crimen, mouerint, non eodem pòst reponunt, quantumlibet gratiæ fuerit promeritus. Benigniùs itaque agit Deus cum homine, quem etiam post lapsum, si reuertitur, donis & gratijs cumulat abundantiùs, & inter honoratos habet loco maiori, quàm si nunquam peccasset, adgratulantibus & exultantibus de tanto beneficio, ipsismet beatis Spiritibus, quia *Gaudium est Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15.

7. Quartò, visitat pœnitentes suos Deus, varijsque sollicitudinis suæ donis afficit, in ipsam eorum vtilitatem: quare prospera immittit, vt eos ad benefactoris sui amorem prouocet: aduersa, vt corrigat, & à peccatis abstrahat. Aduersa enim sicut & prospera, ex Dei sunt misericordiâ, vt proinde sapientissimè Diuus Augustinus, prospera donum esse dixerit miserentis Dei, aduersa, donum esse Dei corripientis. Scriptum est enim Abacuc, 3. *Cùm iratus fueris, misericordiæ*

Margin notes: Heb. 1. — Isa. 1. — Peccata dealbantur. — Marc. 9. — Isa. 1. — Ps. 67. — Apoc. 3. — Selmon. — Isa. 1. — Peccatorhonoribus restituitur. — Ierem. 3. — Meretrix vt virgo fiat. — David. — Castitas virginitatis æmula. — Luc. 15. — Aduersis exercentur boni — Abacuc. 3.

ricordia recordaberis. Varijs ærumnis & pœnis temporalibus conseruantur iusti, ne cadant: qui iam ceciderunt, releuantur, inquit Petrus Gregor. synt. iuris lib. 31. cap. 4. n. 4. non enim aduersa infert Deus, vt opprimat, vt conuellat, vt dissipet, sed vt moueat, excitet & subleuet, sicut à vento & imbre commotus excrescit ignis,

Scilicet exiguo percussus fulminis ictu,
Fortior vt possis cladibus esse fuit.

Stimulos admonet animis, inquit Seneca lib. de prouidentiâ cap. 4. *Calamitas, virtutis occasio est. Illos meritò quis dixerit miseros, qui nimiâ felicitate torpescunt, quos, velut in mari lento, tranquillitas detinet. Quidquid illis inciderit, nouum veniet. Magis vigent sana inexpertos: graue est teneræ ceruici iugum. Ad suspicionem vulneris tiro pallescit; audaciter Veteranus cruorem suum spectat, qui scit se sæpè vicisse post sanguinem.*

Felicitas nimia est miseria.

Specillo tentatur vulnus, non ad cruciatum, sed ad medelam: assulæ, siue spatulæ crurifragio, non ad rigorem & molestiam, sed ad consolidationem adhibentur: arbori incuruatæ, stipes, non ad ruptionem, sed ad erectionem maritatur. Temperat enim sagittas iustitiæ, misericordiâ, ne feriant vt acinaces; sed pungant vt scalprum venam, ad morbidi sanguinis emissum. Quò fit vt quæ à corripiente misericordia vulnera infliguntur, medicinæ cedant animorum, & instar æreæ Achillis hastæ, percutiendo sanent: Aristoteles siquidem auctor est, teste Macrobio lib. 7. Saturnalium, cap. 16. in fine, vulnera quæ ex æreo mucrone fiunt, minùs esse noxia, quàm quæ ex ferreo, faciliusque curari, quia inest, inquit, æri vis quædam remedialis & siccifica, quam demittit in vulnere.

Æreus Achillis gladius.

Scilicet ex ipso recipit mucrone salutem,
Quisquis Achillæo vulnus ab ense tulit.

Exemplo sit Telephus Mysorum Rex, qui læsus ab Achille,

——— *quâ cuspide vulnus*
Senserat, hac ipsâ cuspide sensit opem.

De quo Claudianus.

Sanus Achillæis remeauit Telephus herbis
Cuius pertulerat vires, & sensit ab vno
Lethalem placidamque manum, medicina per hostem
Contigit, & pepulit, quos fecerat ipse dolores.

Quare Diuus Gregorius, *Anima miro modo viuificatur ex vulnere, quæ priùs mortua iacebat in salute.* Memini me de quodam legere, cuius alter oculorum (fortè ab vngue) densâ obductus caligine, nil videbat: casu bacillo icitur, & in cauo recessu conchæ suæ sese contrahit, ita vt perfundatus putetur: ibi interea purulenta sanies oritur copiosè, quâ expurgata, sanatur inflictum vulnus, simulque excidit omnis oculi caligo, & visus restituitur. Cæcam cupiditatibus animam percutit Deus: inde pus doloris oritur, à quo ipsa depurgatur, & animæ oculus suæ integritati restituitur.

Caliginosus oculus vulnere curatur.

Huiusmodi ergo percussiones, successusque rerum præposteri, bono hominis fiunt, vt sciat, nonnisi Per petricosam, scruposamque viam, accessum in cælum dari: nouerit etiam, fortunarum famæque iacturam, plerumque Deum permittere, vt qui ea patitur, in odium peccati, quod infamiæ, infortuniorumque caussa est, concitetur. Ne verò grauiùs, periculosiusque homo in cursu deficiat, miscet læta tristibus Deus, aduersis prospera, vt quæ ex animi sententiâ acciderunt in humanis, æternorum excitent desiderium, quæ verò aduersa, inferni horrorem. Itaque nemini mirum debet videri, inquit Lactant. lib. 5. institut. cap. 24. si pro nostris delictis castigamur à Deo, imò verò quum vexamur, ac premimur, tunc maximè gratias agamus indulgentissimo Patri, qui corruptelam nostram non patitur longiùs procedere.

Tristia lætis cur miscet Deus.

8. Quintò & postremò, leges mandataque præscribit, tanquam suæ familiæ filijs, vt ex eorum obseruantiâ, meritum promoueatur peccatoris: Sacramenta quoque confert ad gratiæ incrementa. Quinetiam ipse Deus nobis eam meruit gratiam & gloriam, effusissimo sacri sui cruoris fluxu, vt propterea Apostolus ad Ephes. 2. eum in misericordiâ diuitem appellârit, non quia pauper sit in potentiâ, sapientiâ, & iustitia, est enim in illis æqualiter diues, sed quia mirum in modum, mirabili liberalitate, misericordiam mundo patefecit, atque thesauros eius summâ largitate in hominem effudit, eum vocando in admirabile lumen suum, eum sanctificando. Theodoret. ibi, *Non enim propter optimam nostram vitam vocati sumus, sed propter eius qui nos seruauit charitatem.* Ad cuius ortum, superabundarunt in nobis dona Dei, psalm. 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis*, quem locum explicans Gillibertus Abbas serm. 16. in Cantica, sic scribit, *Verè abundans pax, quæ non est data ad mensuram. Quomodo non abundans pax, quæ remittit offensam, & insuper cumulauit gratiam? Erat homini primo in paradiso pax, vt non possit inuitus abduci, sed non erat virtus, per quam velles reduci. Erat gratia, vt posset non exire, sed non erat, vt posset, cùm velles, redire. Modò pax vberior in gratiâ Christi, quæ post iteratos excessus, vltrò offertur, & pœnitentes non repudiat, sed reuocat. Benè pax abundans, quæ nullâ potest exhauriri iniuriâ, paratior ad veniam, quàm ad vindictam.* Hinc etiam Diuus Anselmus *Ostendit donationem beneficiorum suorum abundanter diuitem & copiosam*: scilicet, quando ad emundationem & sanctificationem nostram per sanguinolentos corporis sui canales, effudit viscera misericordiæ suæ, leges & sacramenta præscripsit, quibus à mortuis excitati, liberaliter viueremus. Aut enim quid caussa est, cur quum nos, vnicâ sacri sui cruoris guttulâ, vnicâ lacrymulâ, vnico suspirio, ex Ægyptiacâ seruitute redimere potuisset, pati tamen grauiora voluit, & omnem omninò cruorem, etiam post intemerati spiritus ex vmbraculo corporis emissionem, percusso latere, & in modum vasis alicuius euerso, funditùs effundere? Ne guttulam quidem, quin omnem profunderet, reseruauit; non modò vt sufficientem nostri redimiam æterno Patri appenderet, sed vt superabundantem persolueret, mareque immensum nobis abluendis, hostibus verò & peccati ministris, tanquam Ægyptijs quibusdam, erythræi maris vorticibus, demergendis, excitaret: atque sic, dona in nos sua indebita largitate conferret, sicut ait D. August. lib. 1. de Trinit. cap. 20.

Leges Deus suæ præscribit familiæ.

Ephes. 2.

Psal. 71.

Lacrymâ vnicâ potuimus redimi.

Liberalitas Christi.

Habes autem hos omnes misericordiæ subsequentis effectus in prodigo. Quid enim est occursus & amplexus Patris, quàm beneuola peccatoris ad se, & ad Deum redeuntis susceptio? Quid osculum, nisi amicitiæ symbolum, & inimicitiarum obliuio? namque

Olli permulcens genitor caput, oscula libat.

Quid vestimenta, nisi pristini honoris, dignitatisque

Aduersa & prosp. ra sunt epulæ.

tatisque restitutio? Quid conuiuium, nisi immensæ largitatis dona? aduersæ enim res, & prosperæ, epulæ sunt mortalium, quibus aut exhilaratur animus, aut veluti medicinâ & catapotijs emendatur. Quid denique vitulus saginatus, nisi mandata diuina? fert iugum mandatorum vitulus, & mactatur; voluntas scilicet nostra, per mandatorum Diuinorum obseruantiam, obedientiamque, quâ sese, vt par est, subijcit Creatori: Quemadmodum enim decet, vt iumenta nobis obsequantur; ita rationem nostram Deo obtemperare oportet, vt cæsâ voluntate nostrâ, tanquam vitulo saginato, gratum Superis instruatur epulum.

Capitis 16. §. 7.

Ad misericordiæ Diuinæ amplexus vt sit confugiendum.

1\.

HÆ sunt Diuinæ bonitates, quibus iustificatur peccator, ex meritis Christi, qui factus est nobis misericordia, ædificata in cælis, sicut Regio Vati est indicatum psal. 88. *Quoniam dixisti, in æternum misericordia ædificabitur in cælis.* Messias videlicet, qui assumptâ carnis nostræ trabeâ, ædificatus in hominem, scalarum vice nobis factus est, per quas in cælum imus, vbi nulla deinceps misericordia, quia nulla ibi miseria. Omnis autem nostra felicitas & beatitudo, per Iesum Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris. 1. Ioan. 2. Quapropter noluit sibi formidolosum Iudicis tribunal in terris construi, sed propitiatorium, & illud quidem supra ipsius arcæ verticem, non infra illam, vt quoniam in ea decreta, & sanctiones Diuinæ, & iudicia aduersus prævaricatores constituta, adseruabantur, superexaltaret misericordia iudicium, sicut scriptum est, Iacobi 2. Venit enim in mundum Dei Filius, non vt iudicet, sed vt saluetur mundus per ipsum, Ioan. 3. Propterea non solùm formam serui accepit vt subesset, inquit Diuus Bernard. sed etiam mali serui, vt vapularet, serui peccati, vt pœnam lueret, cùm culpam non haberet.

Ps. 88.

Christus est nobis scala in cælum.

1\. Io. 2.

Iac. 2.

Ioan. 3.

Magna profectò, & admiranda est Dei misericordia, nullo vnquam oris atque adfectus conamine, quantumcunque laboratū sit, dignè satis explicanda. Verè enim miserationes eius super omnia opera eius, qui de thesauris misericordiæ suæ, nos indignos vel ipsius Solis aspectu, tot tantisque beneficijs cumulat, vt infensissimos nominis sui hostes, non modò æternæ damnationi eripiat: *Ante fores gehennæ stat misericordia*, inquit D. Aug. lib. 50. homil. hom. 39. *& neminem permittit in carcerem mitti*; sed etiam exaltet supra iudicium, sicut explicat Syriaca versio istud Iacobi 2. *Exultati estis per misericordiam super iudicium*, misericordiâ eleuante hominem & attollente ipsum in iudicio, vt liberatus glorificetur: quâ in re tanquam victrix misericordia, saltem quantum in se est, inquit Caietanus, exultat & gloriatur aduersus iudicium, sicut monet textus Græcus κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, *contra gloriatur misericordia iudicium*, quæ tanta est in clementissimo omnium Patre & Deo, vt si quando grauiùs in peccantem animaduertere compellatur, emendet potiùs quàm plectat, ampliùs desiderans, vt flagellorum stimulis excitatus homo, in suorum erudiatur cognitione peccatorum, & ad Deum reuertatur, quàm quòd, olim promeritas peccatorum pœnas, sustineat.

Salutem hominum vult Deus.

2\.

Hinc est quod Diuinæ Majestatis solium in misericordiâ præparari dixit, Isaias cap. 16. *Præparabitur in misericordiâ solium eius*: iustitiam enim pro tribunali sedentis Dei, præcedit misericordia delens peccata, quæ, duo efficit, auctore Abulense in cap. 18. Matth. quæst. 140. tom. 5. primum est remissio peccatorum, quam non ex debito, sed ex misericordiâ Dei consequimur: secundum est, vita æterna, quâ digni efficimur per gratiam, quæ nobis à Deo confertur. Quos quidem effectus, ad duplicem alij reuocant misericordiam, quarum prior sit terrestris, posterior cœlestis, ex D. August. in psal. 135. vt terrestris sit illa, quâ homines à peccatis abluuntur nos in certam animæ ruinam trahentibus: cælestis autem, quâ à peccatis securi, ita felices euadunt, vt æternæ beatitudinis participes effecti, nulli deinceps vnquam possint subiacere miseriæ. Præcedit, inquam, misericordia faciem Dei, tanquam solem, roscidum cæli iubar,

Isa. 16.

Misericordia cælestis & terrestris.

> ——— *quum praua lucis*
> *Tradendum Phœbo Pallantias inficit orbem.*

Ait enim Propheta Regius psalm. 88. *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam*, primùm misericordia, deinde veritas siue iustitia, vt non sequatur iustitia, nisi præcesserit misericordia, tanquam Antesignanus Regem; Præfectus mansionum, exercitum; Armiger Ducem; vt quæ prænuncia sit Dei præsentiæ, mansiones superas designet electis, & clypeo munita, gladio sese opponat iustitiæ, priusquam feriat, ideò præparabitur in misericordiâ solium eius, solium Dei, atque etiam solium ipsius iustitiæ Dei in misericordiâ præparabitur, vt nihil contra reum statuat, quod non mitigarit, quod non tranquillarit sedes misericordiæ, nihil decernatur acerbius, quod non sapiat misericordiam: nullum sit peccatum, vel in ipsis damnatis, quod non leuiori sensus cruciatu, ex Christi meritis & misericordiâ plectatur, quàm quod fuerint promeriti, & istud est, quod scriptum legimus psal. 114. *Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur*, in quæ verba D. Ambros. de obitu Theodosij, *Bis misericordiam posuit, semel iustitiam: in medio iustitia est, gemino septo inclusa*, ne si soluta vinclis sit misericordiæ vtrimque eam cingentibus, antè scilicet præuentione, & pòst, subsecutione, peccatores pro meritis disperdat. Est enim misericors Dominus nobis in hac mortali vitâ degentibus, eò quòd infirmitates nostræ remedium capiant, est retributor iustus bonorum & malorum, siue hic, siue in futuro animorum nostrorum statu, & vtrobique Deus noster miseretur, etiam inferorum, quos æternis solâ suâ culpâ, addictos supplicijs, vtpote qui suis iniquitatibus vim Deo fecerint, atque in seipsos iram Diuinitatis armarint: coëgerint ad vlciscendum criminum suorum immanitates nolentem Deum, vt D. Saluian. loquitur, mitiùs habet, quàm digni sint.

Ps. 88.

Ps. 114.

3\.

O misericordia mea, Deus meus! Ecquod illud solium, quod tibi præparatum est in misericordiâ? ecquod illud solium, ex quo agnosceris misericors, clemens, & patiens, ante criticum diem, velut ex fulgente aurorâ dies?

> *Clarum priusquam Phœbus attollat diem?*

Ecquod illud solium, ad quod se recipientes, etiam grauissimis peccatorum saucij vulneribus, pharmacotheon inueniunt? Intende animum

Solium Dei in misericordia, crux.

mum in Christi Crucem, Christiane, illa, illa est solium præparatum in misericordiâ, illa est sedes misericordiæ, sedes Filij Dei, illa est misericordia ipsa, quæ sedes est iustitiæ. *O admirabilis potentia Crucis!* exclamat D. Leo. serm. 8. de Passio. *ô ineffabilis gloria Passionis, in quâ & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est Crucifixi! Traxisti enim Domine, omnia ad te, & cum expandisses totâ die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ Maiestatis tuæ sensum, totus mundus accepit.* Si sedet pro tribunali iustitia, sedes eius misericordia est. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis*, psalm. 71. germinabit, florebit in regali throno misericordiæ, quę Crux Domini est, iustitia, pro nostrâ iustitiâ: *Qualis est ista iustitia*, inquit D. Chrysost. *nisi vt Dominus carne indutâ, & hominem oculis humanis demonstrares, & Diuinitatem occultares? Quanta iustitia, vt traderet se pro omnibus hominibus, & pro Ecclesiâ vbique diffusâ? Quanta iustitia, nisi vt omnia toleraret iniusta, ex improbitate Iudæorum, & suam iustitiam demonstraret ferocitati eorum! Ecce orta est in diebus iustitia. Quæ iustitia pietati coniuncta est, tolerantiæ conglutinata. Nulli malum pro malo reddere, cum omnibus hominibus pacem habere, pro inimicis orare.* O floridam iustitiam ex calyce misericordiæ germinantem! ô misericordiam, ô Crucem Domini, ex quâ abundantia pacis nostrę est! illa, illa est propitiatorium peccatorum.

Ps. 71.

Exod. 25.

Exodi 25. Fecit Moises propitiatorium de auro mundissimo, inquit sermo Diuinus, cuius latera duo stipabant Cherubim; *Cherub vnus in latere vno, & alter in altero*, passisque alis vtrumque latus propitiatorij tegebant, in quod versis vultibus, se mutuò erant prospectantes. Schema erat Dei, quò significabatur, quàm parata sit ad miserendum voluntatis, cùm nollet contractis siue collectis alis adstare Sanctos, quibus equorum vice, quum humanæ necessitati succurrendum foret, vteretur; *Ascendit super cherubim & volauit*, inquit Fatidicus Rex psal. 17. ne vel minima mora promptitudini eius interponeretur, quãta alis explicandis ad adscensum, requiri videbatur. Schema erat Verbi Diuini, in propitiatorium, per incarnationem, ex auro immensæ charitatis exædificati, atque inter alas Crucis positi, in quarum vmbrâ, seu velamento, sperare se, & benedicere, dixit Vates Sanctus psal. 62. *Et in velamento alarum tuarum sperabo.* Symmachus leget καὶ σκεπόμενος ἐν ταῖς πτέρυξί σου εὐφήμουν. *Et tectus in alis tuis benedicebam*: nec iniuriâ, quum alæ Christi in cruce extenti, brachia, significent; sicut visum est Philoni Carpathio in Cant. quorum vigore eruendus, atque redimendus erat homo ex iniquâ seruitute; & in promissionis terram, in regionem viuentium adducendus in brachio excelso Exod. 6. *Manu forti, & brachio extento* Deuter 5. Verbi nimirum incarnati manu, & sacrosanctæ Crucis brachio. Expansis enim alis est Crux, & qui in illâ tãquam in propitiatorio, paratissimus ad omnium amplexum, ceruicem laciatam tenella inclinans ad oscula, ad quæ, quantumcunque grauibus & multiplicibus obstrictos sceleribus, admittit benignissimè, recipit suauissimè. Aut cur illi patentes vlnæ? cur inflexum caput? cur punctum latus, & per ipsas vulneris fibras, cor emicans, tanquam ardens carbunculus, nisi quia illius amoris deflagrantes ignibus, quos philtro ebria Dei hominis præcordia euomunt,

Ps. 17.

Ps. 62.

Exod. 6.
Deut. 5.

Excipit amplexu, feliciaque oscula iungit?

4. Suscipe Crucem, Christiane, figura tibi in eâ Dei Filium, intentis in te oculis, intentis in te auribus, vt te seruet, vt te audiat, vt tibi obediat: dicit enim Spiritus Sanctus psalm. 32. *Oculi Domini super timentes eum, vt eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* In quæ verba Diuus Saluianus Massiliensis lib. de vero iudicio & prouidentiâ Dei secundo. *Ecce cur aspicere iustos homines Deus dicitur, vtique vt conseruet, vt protegat. Aspectus enim Diuinitatis propitiæ, murus est conseruationis humanæ. Nam & alibi idem Diuinus Spiritus Sanctus*, psal. 33. *Oculi, inquit, Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vide quâ benignitate agere cum suis Deus Scriptura dicit. In hoc siquidem quod ait, oculos Domini super iustos esse, affectus aspicientis ostenditur. In hoc autem quod aures in precibus paratas, semper exaudientis largitas demonstratur. Quamuis per id quod dicit, diuinas aures in precibus esse iustorum, non audientia tantùm Dei, sed quædam quasi obedientia Dei designetur. Quomodo enim in precibus iustorum diuinæ aures sunt? Quomodo? nisi vt semper audiant, nisi vt semper exaudiant, nisi vt promptè audita tribuant, nisi vt citiò exaudita concedant? Semper ergo ad audiendas Sanctorum preces, paratæ Domini nostri aures, semper attentæ sunt. Quàm beati essemus omnes, si quàm promptam erga nos Dei audientiam legimus; tam promptè ipsi Deum audire vellemus.* Sed forsitan dices, non sum iustus, non sum sanctus, vt in me intendat Christus. Si suspiras, si respicis Dei filium, iustus es: agnosce igitur thronum misericordiæ, iniquitatum tuarum propitiatorium, miseriæ leuamen tuæ, & ingemisce, vt flammis amoris inde exuberantibus, accendaris, suscipiaris ad amplexus, admittaris ad oscula. *Suspice Deum tuum factum hominem*, inquit Diuus Bernard. serm. 4. de Passio. Domini *vt tangeretur etiam misericordiâ tui vt homo, vt cruciettur miseriâ tuâ. Vide nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, flagellis cæsus est, spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobrijs saturatus: omnium tamen dolorum immemor: Ignosce, ait, illis. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc multæ misericordiæ cordis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exultationis, hinc sanguinis guttæ decurrentis in terram. Misericordiæ Domini, multæ, sed miseriæ Domini multæ, vincéntne miseriæ misericordias; an misericordiæ miserias superabunt? vincant misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, vincat sapientia malitiam. Magna enim illorum iniquitas. Sed nunquid non maior pietas tua Domine?* & rursum, *Quomodo potabis Domine, desiderantes te oleo voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifigentes te, oleo misericordiæ tuæ? Ignosce illis.* Quid si illi respexissent? quid si resipuissent ab insanâ mente? quos non amplexus, quæ non basia labellis confessionis excepissent? Magna Dei misericordia, quæ etiam aduersantibus sibi est placida, atque ipsum propitiat Patrem. Magna Dei misericordia, cuius inexhausto pelago fretus homo, suauiter omnem ætatem degit. Cùm enim omne bonum suum siue temporale, siue spirituale à Diuinâ expectet manu, quàm tristem, quàm proiectam, quàm desperatam vitam ageret, peccatorum suorum, quorum configitur aculeis, conscius, nisi hac misericordiâ securus, speraretque remedium? Quare scitè admodum Diuus Gregorius, lib. 2. Moral. *Est magnum animi turbati solatium, vt homo pulsatus vitijs, quum se quasi nudari virtutibus conspicit, ad solam Diuinæ misericordiæ spem recurrat.*

Ps. 32.

Psal 33.

Christus cur factus homo.

Misericordia est halitus vitæ.

5. Non sine caussa factum arbitror, quod Moises Exodi 34. nomen Dei tetragrammaton, multis vocibus misericordiam significantibus, interposito quasi vallo, munierit, priusquam ad pauca vocabula, iustitiam indicantia, descenderet; ait enim, *Dominator Dominus Deus*, quod & Hebraicè יְהוָה יְהוָה אֵל, *Iehoua, Iehoua,*

Exod. 34.

bona, el. Misericors & clemens, patiens & multæ miserationis & verax: qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata: sequuntur iustitiæ vocabula; *nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem Patrum Filijs ac Nepotibus in tertiam & quartam progeniem:* quæ tamen Diuus Hieronymus Ezechiel. cap. 18. non iustitiæ modò, sed etiam misericordiæ tribuenda censet, dicens, *Non seueritatis est tram tenere vsque ad tertiam & quartam generationem, sed signum misericordiæ pœnam differre peccati: quando enim Moises dicit Exodi 34. Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ miserationis, & infert, reddens iniquitatem Patrum super Filios, & Filios eorum: hoc indicat, quòd tanta sit misericordia, vt non statim puniat, sed sententiam differat puniendi.* Miserationis siquidem diuinæ est, ægritudinem, paupertatem, mortem, & similes angustias seu exercitia bonorum, dispensari à Deo, quibus castigantur delinquentes & corriguntur, ne in æternum pereant. cap. sunt plures, de pœniten. dist. 3. § auctoritas. & can. quid ergo. 23. quæst. 5. Ideoque mirum videri non debet, si nonnunquam maiorum suorum pœnas temporales luant, successores; qui quamuis sine culpâ sint, non tamen sine causâ affliguntur: can. qui in aliquo 51. dist. & hæc pœna iusta est: imò quemadmodum præstantior meliorque medicus & medicina censentur, quibus anteuertuntur morbi & præcauentur, ijs quibus sanentur, quòd, quamuis vtrumque bonum sit, melius fuerit non ægrotare quàm curari, ita maior misericordia; meliorque est, quæ lapsum pœnâ præuertit, illâ, quæ subsequitur ad exemplum puniens. Quapropter grandi beneficio Gen. 9. Sodomitarum pueri, supplicio ignis & sulphuris extriti sunt ex hoc sæculo; ne, si deliquissent, pœnâ cruciarentur æternâ. Iustus quoque iniquorum pœnis misericordiùs inuoluitur, & hinc præcoci morte rapitur, ne malitia mutet eius intellectum, Sapien. 4. Sic Deus Exod. 20. dicitur visitare peccata parentum, in multam ex ijs descendentem progeniem, *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem Patrum in Filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Quòd quidem reipsâ manifestauit, quando ob Heli peccatum, quòd filios non reprehendisset aliquando, renuntiatum est illi per Prophetam, *Ecce dies veniunt, ait Dominus, & præcidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, vt non sit senex in domo tuâ, omnibus diebus.* 1. Reg. 2. Quando peccati Dauidis pœna translata est in posteros. 2. Reg. 12. *Quamobrem non recedet gladius de domo tuâ in æternum.* Et quando Achabo conuerso ad pœnitentiam 4. Reg. 21. pœna eius peccati, posteritati illius reseruata est. can. illud. §. fin. & can. Achab. & can. talis. de pœnit. dist. 5. haud secus, ac in iure gentium & ciuili, aliquando ob crimina quædam atrocia, extenditur pœna in proximos, & filios, de quibus metuitur, ne Patrum scelera imitentur, quibus proinde occasio subtrahitur; veluti in crimine læsæ Majestatis. l. quisquis ad l. Iul. Majest. C. & in crimine hæreseos. can. quæro ego. §. verum, & §. seq. 6. q. 1. & quibusdam alijs.

Sine culpâ puniuntur quidam, non sine causâ.

Exod. 20.

1. Reg. 2.

2. Reg. 12.

Filij pœnâ Patrum plectuntur.

6. Verùm esto. pœna illa quam pro Patribus subeunt Filij, etiam iustitiæ tribuatur, quemadmodum ex illo Exod. 20. licet colligere, vbi quum additur, *Et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea,* aperta fit iustitiæ & misericordiæ distinctio. Nullâ tamen virtute, Christi caput ornatiùs fulgere, quàm misericordiâ, indicauit Moises: vt quemadmodum principibus, nullum diadema præstantius clementiâ, quâ venustantur, frontem serenant, dignitatem tuentur, morumque comitate exornantur: hominum externorum, & subditorum oculis ita gratâ, vt solo aspectu, inire gratiam ab omnibus facilè possint: ita sanctum Dei nomen; nulla virtus gratior, nulla gemma splendidior, nullum diadema, vel stemma nobilius, cum summâ suauitate adornaret, quàm misericordia: quâ de satis gloriatur, Exod. 22. *Si clamauerit ad me, exaudiam eum quia misericors sum.*

Clementia Diadema præcipuum Dei.

Exod. 22.

Illustris olim fuit Roma Misericordiæ templo, quod Romulus, teste Diuo Augustino lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 13. facinorosorum receptui ædificauerat, vnde auelli, & ad pœnas rapi nemo posset, quò factum est, vt è vicinis Ciuitatibus flagitiosorum confluente copiâ, Roma augeretur. Athenæ quoque simili Asylo insignes fuere, quod ab Herculis nepotibus, iniurias eorum quos viuens læserat, metuentibus, erectum est. Constitutâ Ciuitate gloriæ, quam hominum stirps electorum, impletura esset, cùm multi præuiderentur ad vmbram delectabilium vitæ commissuri, vnde meritò ab æterna Sanctorum habitatione expellendi; & indelebilibus supplicijs afficiendi forent: infinitæ pietatis & misericordiæ Asylum constituit Deus, Crucem illam palmarem, ipsâ gemmatam misericordiâ, ad quam delinquentes, & grauissimis obstricti sceleribus, confluerent & seruarentur, in æterna tabernacula, in Ciuitatem Sanctorum transferendi. Sacrarium adeò firmum ac liberum, vt nulla inimicorum persequentium atque insectantium vis, eò se recipientes abstrahere possit. Eò confugerat Apostolus quum dixit ad Rom. 8. *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Vbi Theodoretus, per profundum gehennam intelligit, & per altitudinem regnum. quasi dicat, inquit D. Tho. nec si à regno decidere me necesse sit, aut etiam in gehennam trahi pro Christo, auellar à Crucis amplexu, ab osculo dependentis misericordiæ, sic

Templum misericordiæ.

Asylum Athenis.

Crux asylum misericordiæ.

Rom. 8.

Constantia Christiani.

Ausus & amplecti, colloque infusus amantis
Oscula per longas iungere pressa moras.

Vti cecinit Ouid. Epist. 2. Huc, huc nos quoque aduolantes, quò digni Apostolicis tabernaculis habeamur, vt loquitur ibi D. Theodoretus, vt Catulliano hoc versu vtar.

——— nihil timemus
Non incendia, non graues ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.

Nam si non perterruit armato exercitu, nec horribili vultu suo; quo omnibus mortem minabatur Sylla, Quintum Mutium Scæuolam augurem, cùm à Senatu efflagitaret, vt Marius hostis iudicaretur: qui perterritis omnibus Patribus, solus dicere ausus est, Non prætermittam, Sylla, studio longioris senectutis, vt Marium Patriæ hostem iudicem, à quo Vrbs nostra, & omnis Italia seruata est; vti totidem verbis refert Franciscus Patricius Senensis lib. 5. de Regno, tit. 4. futurúsne quispiam est, qui Crucem, quâ ipse, quâ vniuersus orbis, seruatus est, ob breuem ætatis, rerumq; caducarum morulam,

Q. Mut. Scæuolæ constantia.

moralam, à corde proscribat suo? Quisquam erit tam corneâ fibrâ, tam duris praecordijs, tam immanis sibi, vt peccatorum suorum sagittis confixus, non consulat sorti suae? non recurrat ad thronum gratiae Dei, vt misericordiam consequatur? non petat vulnerum suorum medelam, vnde sola peti potest? Capras, auditum, in Cretâ feras, inquit Tullius lib. 1. de natura Deorum, quum venenatis sagittis confixae forent, dictamnum quaerere, cuius herbae pastu, sagittae exciderent è corpore, & confirmat Virgilius lib. 12. Aeneidos.

Capra dictamno vulnera curant.

Dictamnum genitrix Cretaeâ carpit ab Idâ,
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, quum tergo volucres haesere sagittae.

Lacerti.

Asserit & Ioan. Rauisius Textor, in Epitome cornucopiae, Lacertos cum serpentibus dimicaturos, dictamno se refouere. Norunt bruta animantia, salutis suae remedia, & illa expetunt: nouit peccator pharmacoteon plagarum suarum, quas insecutor inflixit hostis, nouit vnde vires suas refoueat in tartareum serpentem praeliaturus, neque expetet? neque crucis adibit signarium? neque admittet remedium;

Saucius ingenti venantum vulnere pectus?

7. Desperatio vnde?

Sed ô crimen! ô facinus! Plerosque videas, sicut ex ignorantiâ sui in superbiam, ita ex ignoratione Dei in desperationem venire, qui in profundum peccatorum delapsi, minimè iam vt consolationem recipiant emersuri, suae salutis immemores, horrendum clamant, *maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Gen. 4. *Hebraicè, quàm vt parcas.* Maior est indignatio Omnipotentis, quàm vt misereatur mei: vt quid non opitulaturum inuocabo? vt quid implacabilem deprecabor? & cum Hercule de enormibus suis peccatis, ad quae etiam Sol expallescere, & terra contremiscere posset, dicunt, apud Euripidem in Hercule furente.

Gen. 4.

ἐς τοῦτο δ' ἥξειν συμφορᾶς οἶμαί ποτε,
φωνὴν γὰρ ἥσει χθὼν ἀπεννέπουσά με
μὴ θιγγάνειν γῆς, καὶ θάλασσα μὴ περᾶν,
πηγαί τε ποταμῶν, καὶ τὸν ἁρματήλατον
Ἰξίον' ἐν δεσμοῖσιν ἐκμιμήσομαι.

Ad hoc venturum me calamitatis puto olim;
Vocem edet tellus, interdicens mihi
Non attingere terram, & mare non transire,
Fontesque fluminum; & ipsum qui rotatur
Ixionem in vinculis imitabor.

Isti sunt questus eorum, qui nihil de Diuinâ bonitate, nihil de Diuinâ misericordiâ quanta illa sit, & quàm maior quantauis iniquitate, perceperunt; quive saluti suae diffidentes, in sordibus, lamentis, luctuque iacent, & *haec insanabilis fractura, & pessima plaga.* Ierem. 30. Adeóne verò desperatae res tuae, & immedicabile vulnus, vt omnem remedij spem abieceris? vt inexhaustos Diuinae misericordiae thesauros, illi curando non sufficere arbitreris? vbi animus tuus? vbi mens & ratio tua? ô peccator? Iam audisse & intellexisse debueras, quod scriptum est Gen. 32. minores nos esse cunctis miserationibus Dei. Et Sapien. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter paenitentiam.* Profectò ignoras, quàm sit bonus Deus, Deus, quàm suauis & mitis, & quàm multus ad ignoscendum. Pulchrè D. Bernardus serm. 38. in Cant. *Ego autem dico omnes ignorare Deum qui nolunt conuerti ad Deum. Neque enim ob aliud procul dubio renuunt, nisi quia grauem & seuerum imaginantur, qui pius est; durum, & implacabilem, qui misericors est; ferum & terribilem, qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse. Quid timetis modicae fidei, vt peccata nolit remittere? Sed affixit ea cruci cum suis manibus! Quòd teneri & delicati estis? Sed ipse nouit figmentum nostrum. Quòd malè assueti & ligati consuetudine peccandi? Sed Dominus soluit compeditos. Fortene irritatus immanitate & multitudine criminum, cunctetur porrigere manum adiutorij? Sed vbi abundauit delictum, superabundare & gratia consueuit. An de vestimento solliciti estis, vel cibo, caeterisque corpori vestro necessarijs, & propterea cunctamini relinquere vestra? Sed scit quia his omnibus indigetis. Quid vultis amplius? Quid iam impedit à salute? Sed hoc est, quod dico Deum ignoratis.* Quod si eius notitiam quantulamcunque admitteret homo, quanquam obriguisset atque adeò obduruisset, vt nullus in eo vitae sensus reliquus esse videretur; ad oberrantem illius praecordia, diuini splendoris scintillulam, protinus incalesceret, atque mollesceret, non secus ac durata per hiemem glacies, Sole calente liquefit. Sed non credit. Da credentem. *Quis desperet vltra,* inquit Diuus Bernard. serm. 1. de Conuers. Sancti Pauli, *pro magnitudine cuiuslibet criminis, quando quidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum & caedis in discipulos Domini, subitò factum vas electionis? Quid dicas iniquitatis pondere pressus, Assurgere iam ad meliora studia non valeo: quando in ipso itinere quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto pectore virus efflabat persecutor crudelissimus, in fidelissimum repentè mutatus est praedicatorem?*

Ignorant Deum qui conuerti nolunt.

Ierem. 30.

Gen. 32.

Sap. 11.

8.

Verùm, insipienter facturum argues, qui glaream decoxerit in palmentum, qui saxa ab arbore, à saxis poma decerpere voluerit: ita qui ab indurato flexibile quidpiam expectarit, aut à Pharaone obedientiam, quem tamen proximè tangebant admiranda Dei. Non sapienter quidem facere videretur, qui ex arenti pumice liquorem; è rigenti glacie, flammam; è canescentibus iugi niue rupibus fruges speraret, nisi possibilium iuxta & admirabilium auctor Deus, quae humano sensu paradoxa iudicantur, multis argumentis, operabilia esse comprobaret: tum vt suam vnius potentiam, quâ id valet, quod nec ipsa cogitatione mens humana consequi potest, tum vt etiam bonitatem suam, quâ diues est in omnes, insolito ac insolenti rerum euentu, necessitati cuiusque cumulatissimè prouidens, manifestum faciat. Illius proinde est, educere mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo; illius conuertere montes in stagna aquarum, & rupes in fontes aquarum: illius glebreta cordium infrugifera, in stirpes, fructusque mutare: illius è concretâ animorum glacie, ingentes flammas excitare, aliósque inexpectatos munificentiae suae effectus generi mortalium exhibere, in quibus diuinam veneremur manum. Vt quid igitur calumniaris iustitiae occultae, qui gratiam debueras misericordiae manifestae. Non calumniamur Solem, qui cùm suâ luce peruadat omnia, si quod tamen impedimentum oppositum inuenerit, tenebrosi corporis vmbras, non discutit. Sic si ad miserationes Diuinas rigidus steterit Pharao, occultae fuit iustitiae Dei, quia enim obduratus erat fallaciâ peccati, lumini gratiae obstaculum posuit, ne misericordiam inueniret. *Non punit Deus in peccatore peccata,* inquit D. Fulgentius, *si peccatoris ceruix non fuerit indurata.*

Deo nihil impossibile, in iustificatione peccatoris.

Induratos punit Deus.

Quare tu ostende te tuam sentire infirmitatem, ostende te tuum agnoscere periculum, & expectanti

expectanti misericordiæ Dei, fenestram aperuisti, ad cuius viuificum radium incalescis, & compunctus corde, æstuantibus iam in te charitatis affectibus, inuocabis Dei misericordiam cum Dauide psl. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Flectitur enim ad pias voces Deus, atque aditum in cor rimatur. Hinc Ezechiel. 18. inquit, quacunque horâ ingemuerit peccator, *Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor;* & rursus Matth. 9. *Misericordiam volo & non sacrificium: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Sanabiles enim fecit omnes Nationes; nullumque vitium, nullum peccatum incurabile est, nisi aditum misericordiæ illius percluseris. Amalechites ille 2. Reg. 1. Quia desperare maluit de Percussi Saulis vitâ, quam illi consulere. *Stans super eum, occidi illum,* inquit, *sciebam enim quod viuere non posset post ruinam.* Quia morti illum eripere remedijs non studuit, sed iugulauit, & ipse pro mercede interfectus est. Bachiarius epist. de recipiendis lapsis: *Illum Dauid statim morte damnauit, cum percussum ab hoste desperasset esse victurum; & eum sublatâ spei fiduciâ iugulasset.* De peccatoris vitâ desperandum nunquam, cui spiranti, semper adspirat misericordia Dei.

Ps. 50.

Ezech. 18.

Matth. 9.

2. Reg. 1.

9. *Musica placatur Theodosius.*

Theodosius Imperator, cùm symphoniaci pueri ad mensam adhiberi soliti, & à Flauiano Episcopo Antiocheno instructi, carmina quædam luctuosa, & ad commiserationem mouendam idonea, quibus Antiocheni in suis supplicationibus vtebantur, cecinissent: ita commotus fuisse, traditur à Nicephoro lib. 12. cap. 43. vt quum phialam manibus teneret, lachrymis abstinere non potuerit: atque eâ ratione, vrbi, cui grauissime succensebat ob negatum tributum, & per seditionem deiectam vxoris Placillæ statuam, reconciliatus sit. Quantò magis ipsissima bonitas Deus, gemitibus ad se redeuntis animæ commouetur ad misericordiam, eique reconciliatur, cui meritò succensere poterat? *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis,* Abacuc. 3. Frænum est iræ atque furoris Dei, misericordia, si modò bono voluntatis adfectu adeatur. Hoc fræno, sacro hoc carmine, Venceslaus IV. Boëmorum Rex, seipsum in puniendis delictis retinere solebat. *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis,* auctor Dubrauius, lib. 18. Theatri vitæ humanæ, citatus, ad imitationem Dei, qui non modò ponit iram, sed etiam quantumuis tardè ad se venientes, muneribus suis donat. Id quod eleganter prosequitur D. Cyprian. serm. de cœna Domini, totidem verbis. *In eodem articulo temporis, cum iam anima festinet ad exitum, & egrediens ad labia spirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur: nec serum est, quod verum: & quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à veniâ.* Quantumcunque ergò vitijs irretitus fueris, quantumcunque Deum tibi offensum habueris, quantumcunque consumpto patrimonio, à creatore tuo & patre recesseris; quantumcunque indebita postularis, propitiabis illum tibi, placidumque reddes, si ad misericordiæ anchoram, quæ spes est, confugeris: quâ etiam in principe homine agnitâ, se retentum ne interiret, testatur Ouid. 1. de Ponto.

Habacuc. 3.

Me quoque conantem gladio finire dolorem
Arguit, iniectâ continuitque manu.
Quid facis? heu! lacrymis opus est, non sanguine, dixit,
Sæpè per has flecti Principis ira solet.
Quamuis est igitur meritis indebita nostris:
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Gemitu, suspirio; prece, atque piæ voluntatis desiderio, flectitur Deus & occurrit misericors. Vix pedem extra orbitam mouerat Dauid, atque opem imploratam sentiens, dixit, psal. 93. *Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine, adiuuabat me.* Vix profundo abripiebatur D. Petrus, & desideratam subleuantis Christi manum ne mergeretur, sensit. Et vidua Euangelica Luc. 18. Iudicem iniquitatis, *qui Deum non timebat, & homines non reuerebatur,* suâ euicit prece, vindictamque de suo aduersario obtinuit. Quid rogatus non conferat sanctus, bonus, & misericors Pater? *Quamobrem suadeo vobis amici mei,* inquit D. Bernard. serm. 11. in Cant. *reflectere interdum pedem à molestâ, & anxiâ recordatione viarum vestrarum, & euadere in itinera planiora serenioris memoriæ beneficiorum Dei, vt qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis. Volo vos experiri illud quod S. Propheta consulit dicens, delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et quidem necessarius dolor pro peccatis, sed si non sit continuus sanè interpoletur lætiori recordatione Diuinæ benignitatis; ne fortè præ tristitiâ induretur cor, & desperatione plus pereat.* Age itaque, & è lamentis, luctu, & tenebris surgens, ad vitam tende: adeas thronum gratiæ & misericordiæ Dei, adeas propitiabile solium, & sanctuarium Dei, quò tibi aditus ad cælum pateat: *Misericordia,* inquit D. Chrysost. in Matth. *est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum: hæc est quæ iustos probat, Sanctos roborat, Dei cultores ostentat.* Hæc est quæ portas cæli reserat, iustos coronat. Non abs re oleaginæ erant portæ Templi Salomonici, per quas ad Oraculum dabatur ingressus. 3. Regum 6. Oleaginea est enim cæli ianua, ex oleâ misericordiæ compacta; & nisi per hanc, certa ad superos via.

Ps. 93.

Luc. 18.

10.

Interea tamen, impensiori curâ cauendum est, ne ad sacrarium misericordiæ perfugi, illâ abutamur: ne simus mali, quia bonus est Deus: verendum enim est, ne inde nobis iram & mortem accersamus, vnde gratiam & vitam eramus conciliaturi. *Deus enim,* inquit D. Clemens Recognitionum lib. 4. *non solùm bonus, sed & iustus est: nam si semper bonus sit, & nunquam iustus, vt reddat vnicuique pro gestis suis, bonum inuenietur iniustum. Iniustum namque est, si ita apud eum habeatur impius, sicut & pius.* Id quod futurum arbitrabantur illi, qui apud Micheam Prophetam cap. 2. non ferebant sacros Dei Vates, supplicia peccatis debita nuntiare, quòd alienum à summâ Dei misericordiâ arbitrarentur, in peccatores ob delicta sæuire: quos reprehendens, simulq; verba illorum adducens, ait Propheta. *Ne loquamini loquentes,* repetitione vocis, loquelæ eorum vanitatem significans. *Non stillabit super istos, non comprehendet confusio, dicit domus Iacob.* Quod ex Hebræo textu ad verbum sic redditur, *Ne stilletis, stillabunt, non stillabunt istis, non comprehendat ignominias! ô dicta domus Iacob, nunquid abbreuiatus est spiritus Domini?* quasi opprobrantes, facere Prophetas derediculum, quum maledictionem, & furorem Domini super iniquos stillaturum pronuntiabant, ac si esset immisericors, id quod sanè temerariæ præsumptionis est, vnde vrget Propheta. *O dicta domus Iacob, nunquid abbreuiatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes eius?* quasi dicat, nunquid minus est iustus Deus, quàm quum in sceleratos irascebatur furor eius? quod si tolerat, si te expectat vt conuertaris, si dissimulat peccata propter pœnitentiam, *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Theodoret. *Vos, inquit, qui alios punitis, vestram autem iniquitatem videre non vultis, existimatis fore, vt Diuinum Iudicium effugiatis? Sed hæc non ita habent: Sustinet enim, & diutur-*

Michæas 2.

nâ lenitate viuit, illam expectans pœnitentiam. Multiplicat pœnæ reatum, qui nihil prorsus Diuinæ Iustitiæ tribuens, superbè de misericordiâ præsumit. *O superba præsumptio*, exclamat Diuus Bernard. de 12. gradibus humilitatis. *præsumptuosa superbia, quæ non solum Angelos Deo voluit adæquare, sed homines præsumpsit ceisi are. Porrò quos erexit, depressit: & quos exaltauit, humiliauit.* Catul. Elegia 3.

Atqui nec Diuis homines componier æquum est.

Et nos exclamemus, ô superba præsumptio, ô præsumptuosa superbia, quæ tenax misericordiæ fugientis, exosa iustitiam, Deum mutilat; veritatis eius detruncans pedem, hominesque cum malis meritis deificare præsumit. Pedes Domini sunt, misericordia & veritas: sine veritate, misericordia non est misericordia, sed ruina; felix mens, cui Dominus vtrumque infixerit pedem. Porrò ista præsumptio Angelorum multitudinem flammis tartari addixit: saporem generis humani ærumnosum reddidit: diluuium terræ induxit: Pentapolim vindicibus flammis deleuit: Quid plura commemorem? quotquot temerariâ expectatione beatitudinis, absque gratiâ & meritis sibi gloriam arrogarunt, quotquot diuinâ abeuntes bonitate, dum in spurcitijs ducunt dies suos, æternum sibi deberi regnum, sine pœnitentiâ putauerunt, barathri ignibus cremandos tradidit. Nihil namque perniciosius in vitâ mortalium haberi potest, quàm ea apprehensio misericordiæ Dei, quæ cum obliuione eiusdem iustitiæ, coniuncta est, quia, vt ait D. Greg. Moral. cap. 31. *Dei misericordia, obliuisci eum dicitur, qui Iustitiæ Dei fuerit oblitus: quia quisquis eum nunc iustum non timet, postea inuenire non valet misericordem.* Etenim, vt scriptum est psal. 146. *Beneplacitum est Deo super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Vbi, timor, & spes, sunt vestigia, sunt pedes Dei, quos amplecti, quos osculari debet mortalis homo, ille iudicij, ista misericordiæ repræsentans imaginem.

Pedes Dei, misericordia & veritas.

Ps. 146.

Vtrumque apprehendens Propheta Regius, & quasi pedes, quibus graditur Deus, quandò misericordia & veritas obuiant sibi, amplexans, cecinit psal. 100. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*; non solùm misericordiam, ne præsumptione pulsetur, non solùm iudicium, ne desperatione agitetur, sed *misericordiam*, inquit, *& iudicium*, quia si bonus est, vtique etiam iustus est Deus. Curramus & nos ad vtriusque pedis amplexus & oscula, tantùm curemus vt neutro fraudemur illorum. Pulchrè D. Bernard. serm. 6. super Cant. quâ istud fiat, docet; totidem verbis, *Porrò enim si iam dolore peccati & iudicij timore compungeris, veritatis iudicijque vestigio labia impressisti. Quod si timorem doloremque Diuinæ intuitu Bonitatis, & spe consequendæ indulgentiæ temperas, etiam misericordiæ pedem amplecti te noueris. Alioquin alterum sine altero osculari non expedit, quia & recordatio solius iudicij in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assentatio, pessimam generat securitatem.* Atque sibimet exemplum proponens addit, quod si quando miserationis oblitus stimulante consciêntiâ, iudicio paulò diutiùs inhæreret mox metu incredibili ac miserabili confusione deiectus, & tenebroso circumfusus horrore, hoc solum palpitans de profundis clamabat *Quis nouit potestatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam dinumerare*, ps. 89. Quod si eo relicto, pedem misericordiæ plus tenere contingeret, tantâ è contrario incuria & negligentiâ dissoluebatur, vt confestim & oratio tepidior & actio pigrior, & risus promptior, & sermo incautior, & omnis denique vtriusque hominis status inconstantior appareret. Proindeque magistrâ doctus experientiâ, non iudicium iam solum, aut solam misericordiam, sed misericordiam & iudicium, cantaret Domino. *Cantabiles mihi erunt ambæ pariter in loco peregrinationis meæ: quousque misericordiâ superexaltatâ iudicio, miseria conticescat, ac sola cantet tibi de cætero gloria mea & non compungar.* Hoc Doctor Mellifluus, ad instructionem nostram, vt facinorum nostrorum conscij, non solius iustitiæ pedem, cum Caino & Iudâ, adeamus, perituri: non solius misericordiæ, per incuriam & negligentiam, cum eluuione deletis, facturi naufragium: sed cum peccatrice, vtrumque simul amplectamur, vtrique adhæreamus conuersi in toto corde ad Dominum, secundum illud eiusdem Beati serm. 2. in capite ieiunij, *Totum cor in quatuor affectionibus est: & de his accipiendum puto, quod dicitur, vt in toto corde tuo conuertaris ad Dominum. Conuertatur proinde amor tuus, vt nihil omnino diligas nisi ipsum; aut certè propter ipsum. Conuertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum: sic & gaudium tuum & tristitia æquè conuertantur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si non nisi secundum eum doleas, & læteris.*

Ps. 100.

Ps. 89.

CAPVT XVII.

De Deo, quid sit?

Actiones hominis circa Diuina, quales?

AD Diuina, mente, animoque contendenti, duo occurrunt, circa quæ intellectus & voluntas versetur, cognitio nimirum, & amor: & hæc gratuito Numinis munere, intellectuali creaturæ tributa. Auctor D. August lib. 1. de Fide ad Petrum cap. 3. seu potiùs Fulgent. quum inquit, *Deus quippe diligendi ac cognoscendi se, nonnisi Angelis & hominibus indidit facultatem, quibus propter arbitrij libertatem (quæ maximè debuit intellectuali creaturæ, Creatoris benignitate conferri) ita cognoscendi ac diligendi se facultatem, voluntatemque donauit, vt eam vnusquisque & habere posset & perdere. Si quis tamen eam sponte perderet, suo eam deinceps arbitrio resumere non valeret: vt illius esset sanctæ cogitationis initia, gratuitæ dono bonitatis denuò reuocandis, quibus vellet, infundere, cuius fuit in ipso creationis exordio, nullis præcedentibus meritis, spiritus & corpora, locis & affectionibus, prout ipse sapiens voluit, congruè & mirabiliter ordinare.* Et lib. de diligendo Deo cap. 2. *Homo creatus est*, inquit, *vt Deum intelligeret, intelligendo amaret, & amato frueretur.* Diuino igitur munere fit, vt homo Deum cognoscat & diligat, etiā post ipsas mentem excæcantes peccati tenebras, internumque affectum suffocantes: siquidem nec Diabolus, nec aliquis Angelorum eius, post lucis plenitudinem acceptam, atque mentis peruicaciâ repudiatam, ex quo, ruinæ illius merito, in hanc inferiorem detrusi sunt caliginem, bonam posuit, aut poterit resumere voluntatem, quam Diabolus suâ sponte perdidit. Voluntas etiam humana, post inextricabilem protoplasmatis errorem, in quem nos omnes, impegimus, neque bona fit, neque spiritualis, nisi diuina nos & præuerterit, & præparauerit gratia, vnde bonam & spiritualem in nobis voluntatem formare valeamus.

1. Intellectus & voluntas, circa cognitionem & amorem versantur.

Hominis officium erga Deum.

Angelus cecidit irreparabiliter.

Cognitionis porrò duplex est genus, vnum, An sit Deus, quod negauit pessima quorundam impietas: alterum, quid sit Deus. Horum primum, non magno discitur negotio, quando vel ipse Caligula Imperator, cælo minax, quòd histrionibus suis importunè pluuium esset, fulguris coruscantis terrore consternatus, obuolutâ veste, turpiter se sub lecticâ abdidit, teste Suetonio cap. 51. eâ actione, Numen aliquod esse, professus, quod vereretur, velut fulgurum, fulminum, tonitruorum, pluuiarumque auctorem.

2. Cognitio duplex.

Athei coguntur fateri Deum

Et nos, docente mundo didicimus, qui, vt Filius, de Patre; vt opus, docuit nos de artifice vno, vero, bono, à quo cætera instituta sunt, ipse à nullo præterquam à se, ne vltra de institutore requiramus. Ita itèm ab antiquis, per mentis suæ conceptionum gradus ad vnicum principium, siue vnitatem quæ excellentissimæ simplicitatis suæ merito, supereminet omnia: ita itum ad veritatem primam, quæ producendo, dat esse omnibus: ita itum ad bonitatem summam, quæ producta ad se reuocando, præstat & benè esse.

Deus quid sit sciri non potest.

Secundum verò, non solùm difficile est discere, sed etiam impossibile: si enim intellectus noster ad manifestissima naturæ sic se habet, quemadmodum oculus noctuæ ad ferientes Solis radios, quomodo ad splendicantes Dei formas non conniuebit? quomodo lumen inaccessum, irrepercussâ mentis acie penetrabit? Notissima in natura dicuntur: non ea quæ prima sunt intelligendi principia, & primæ animi conceptiones appellantur, de quibus nemo dubitat; non ea quæ sensibus naturaliter sunt cognita: sed primæ & vniuersalissimæ caussæ efficientes, quales sunt substantiæ cælestium orbium motrices, quæ cùm primæ sint in ordine agendi, & mouendi, primò notæ esse deberent. Si ergo istæ substantiæ intelligentes, valdè sunt à nostrâ cogitatione separatæ, quòd sensuum nostrorum vim excedant: quantò magis illa diuina immensaque substantia, quæ ab omni motu tam actiuè quàm passiuè per applicationem virtutis, sequestrata est, nostræ cognitionis mensum excedet? Quapropter gentium Doctor, eam, quam de substantiâ Dei notitiam habere possumus odori comparauit. 2. Cor. 2. *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos, in omni loco.*

Notissima naturæ, quæ?

2. Cor. 2. Odor notitiæ Dei, quid?

Quanquam enim Glossa per odorem notitiæ Dei, filium intelligat Dei, ex Patris notitiâ genitum, quem Apostoli crucifixum, & ex mortuis rediuiuum, prædicantes, manifestabant in omni loco: Sotomaior autem in 1. cap. Cantic. famam doctrinæ & miraculorum Christi, quæ breuissimo tempore, per vniuersum orbem instar vnguenti odoratissimi, est diffusa: Theodoretus tamen, odorem illum notitiæ, pro eâ quam de Deo cognitionem habemus accepit: *Odorem autem cognitionis appellauit*, inquit, *præsentem cognitionem, nos duo simul docens, & quod ea sit perfectæ cognitionis parua pars, & quod illa quidem nunc latet, in tempore autem apparebit, instar incensi aut suffitus, qui sæpè in aliquo thalamo igni admotus, etiam foras suauem odorem emittit. Qui autem sunt eius participes, illum quidem non vident, odore tamen fruuntur.* Addit autem D. Thomas lectione 3. ad differentiam eius notitiæ de Deo, quam aliæ faciunt scientiæ, & quam facit fides, odorem notitiæ appellari? *Nam notitia de Deo, quæ habetur per alias scientias*, inquit, *illuminat intellectum, solùm ostendens quod Deus est caussa prima, quod est vnus & sapiens, &c. Sed notitia de Deo quæ habetur per fidem, & illuminat intellectum, & delectat affectum, quia non solùm dicit quod Deus est prima caussa, sed quòd est Saluator noster, quod est redemptor, & quod diligit nos, quod est incarnatus pro nobis, quæ omnia, affectum inflammant. Et ideò dicendum, quòd odorem notitiæ suæ, id est, notitiam suæ suauitatis credenti per nos in omni loco manifestat, quia iste odor, longè lateque diffunditur.* Eccli. 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Sed Theophylactus, ad argumentum nostrum perquam accommodatè ait enim, *Vnguentum pretiosum est cognitio Dei; imò non ipsum tantummodo aroma vel vnguentum cunctis hominibus manifestamus, sed fragrantiam etiam ipsius. Etenim præsens cognitio non est admodum perspicua, sed per speculum & in ænigmate. Perinde igitur, vt qui fragrantiam olfacit, vnguentum alicubi esse positum nouit, quanam autem sit, quoad essentiam non nouit: sic & nos, quod Deus sit, nemo non nouit, quid verò sit quoad substantiam, non porrò.*

Cognitio Dei est vnguentum.

Hoc autem nos solatur quàm maximè, quòd non altam mysteriorum, atque arcanorum suorum scientiam, à nobis exigat Deus, cui satis est, & ad animarum nostrarum beatitatem satis, si humilem, si modestam, si simplicem eorum notitiam habuerimus. Audite Tertullianum lib. de Præscriptione aduersus hæreticos. cap. 7. & 8. *Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat: Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderint qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum Christianismum protulerunt: Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum; nec inquisitione post Euangelium. Cùm credimus, nihil desideramus vltra credere. Hoc enim priùs credimus, non esse quod vltrà credere debeamus.* Vbi, eam quam profitemur Christi doctrinam, non Academicam, non Peripateticam, non Stoicam esse, non de porticu Zenonis prodire, scribit; sed de porticu Salomonis, in quâ post Christum sæpè Apostoli conuenerant, vt Ioan. 10. & Actor. 3. & 5. qui & docuit Sap. 1. *Sentite de Domino in bonitate & simplicitate cordis, quærite illum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem ijs qui fidem habent in illum.* Hanc autem simplicem & modestam cognitionem, fidem appellamus, quam Euseb. Emissenus serm. 2. de symbolo, ianuam domicilij diuini nuncupauit. Cyrillus lib. 4. in Ioan cap. 9. Ecclesiæ Catholicæ vestibulum; pro quo citat Chrysologus psal. 99. *Introite portas eius in confessione.*

Humilitas & modestia in inquisitione Dei.

Sap. 1.

Fides, simplex est cognitio.

Ps. 99.

Hæc fides, donum Dei est, & virtus infusa animæ, vnde Apostolus Ephes. 2. *Gratiâ Dei salui facti estis per fidem, non ex vobis, Dei enim donum:* res autem fidei sunt, quæ ingenij & rationis nostræ vires ita superant, vt humanâ ratione non possint omninò doceri, quare sobriè & cum diuino lumine, de illis agendum: vtpote quæ non humanâ ratione, aut inuentione, sed Deo reuelanti, siue primæ veritatis infallibilis auctoritati nitatur. D. Basilius de piâ ac verâ fide. sermo. *Fides est eorum quæ dicta sunt assentiens approbatio sine vllâ hæsitatione cum animi persuasione de eorum veritate, quæ Dei munere sunt prædicata.* Credimus enim, solùm, quia Deus reuelauit, neque rationes aut demonstrationes vllas fidei nostræ exposcimus, quando & de eâ disputare, publicè potissimùm, sit prohibitum, *l. nemo. 4. de summa Trinit. c. maiore. dist. 24. q. 1.* Quamuis enim inter pios, tum discendi, tum propriæ interpretationis eruendæ caussâ, tum denique ad conuincendos errores, dubia mouere vsu receptum sit: reuocare tamen in dubium, quæ principali maiorum auctoritate decreta sunt, sacrilegum est. *l. 2. de crimine sacrileg.* & temeritatis plenum. Meminit istius legis Galenus lib. 2. de different. pulsuum, quum inquit. *Lex Christianorum & Mosaicorum, non liceat de eâ disputare, eam enim sine rationibus, & demonstrationibus adipiscebantur.* Nam si Pythagoræi non disputabant de his, quæ à Pythagorâ erant asserta, sed illis sufficiebat αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit*: si denique multa credimus, quorum nec euidentiam, nec certitudinem, neque infallibilem auctoritatem habemus: cur non ijs potiùs assentiemur quæ ad animarum nostrarum salutem, nobis Deus per Ecclesiam credenda proposuit? Pulchrè Clem. Alexand. lib. 2. Stromatum. *Absurdum autem fuerit Pythagoræ quidem sectatores, recusatis eorum quæ quærebantur demonstrationibus, illud,* ipse dixit, *fidem facere arbitrari,*

Fides quid sit?

De fide disputare, prohibitum.

Galenus.

Pythagoræi non disputant, sed credunt.

Credendâ, non rationes exigendæ.

ri, & ad ea quæ audierant confirmanda, hanc vocem satis esse ducere: eos autem qui contemplandi tenentur desiderio, fide digno magistro, soli seruatori Deo fidem non habere: aggredientes eorum quæ dicuntur, probationes exigere. Maioribus autem nostris, etiam nullâ ratione redditâ, inquit Petrus Gregor. Syntagmatis Iuris vniuersi lib. 2. cap. 2. numero 6. rationis est credere, refert Lactant. lib. 2. de origine error. cap. 7. & Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Noli verbis contendere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Vbi D. Theodoretus, *Oportet enim simpliciter credere, & non dare maledicti occasionem, si de ijs disputetur, & ex contentione, ijs qui audierunt, detrimentum adferre.* Diuus Augustinus, excussâ Manichæorum hæresi, D. Ambrosij concionibus assiduus interfuit, quem lætus audiebat quidem, sed tamen omni conatu reluctabatur credere, *Tenebam enim cor meum ab omni assensione, timens præcipitium, & suspendio magis necabar. Volebam enim eorum quæ non viderem, ita me certum fieri, vt certus essem quòd septem & tria, decem sint*, inquit ipse, Confess. l. 6. c. 5. deinde, *Et sanari credendo poteram, vt purgatior acies mentis meæ dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam semper manentem & ex nullo deficientem. Sed sicut euenire assolet, vt malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere: ita erat valetudo animæ meæ, quæ vtique nisi credendo sanari non poterat, & ne falsa crederet, curari recusabat, resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confecisti, & aspersisti super morbos orbis terrarum, & tantam illis auctoritatem tribuisti.* Ita suspensus hærebat, quoad tandem ipse secum reputare cœpit, quàm multa tum ab alijs, tum ab humanarum rerum Scriptoribus accepta crederentur, quorum demonstratio nulla esset: quæ nisi crederentur, vita hominum summâ perplexitate repleretur: Quo argumento vsus, etiam sacris literis, sine contentiosâ disputatione, fidem adhiberi posse censuit, præsertim, cùm & auctoritas illarum apud omnes, summa esset, & humillimo orationis stylo diuina misteria cótinerent, omniaque ad honestatem vitæ, Deique gloriam referrent; atque ita sensim ad credulitatem piè traductus est: sic enim ipse testatur, cap. 6. *Deinde paulatim tu Domine, manu mitissimâ & misericordissimâ pertractans, & componens cor meum, consideranti quàm innumerabilia crederem quæ non viderem, neque cùm gererentur, adfuissem, sicut tam multa in historiâ gentium, tam multa de locis atque Vrbibus, quæ non viderem, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus alijs, atque alijs, quæ nisi crederentur, omninò in hac vita nihil ageremus. Postremò quàm inconcussè fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem. Persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent, esse culpandos: nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent: vnde scis illos libros vnius veri & veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos?* & infrà; *Ideoque cùm essemus infirmi ad inueniendam liquidâ ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset auctoritate sanctarum literarum, iam credere cœpissem, nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes iam terras auctoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.*

Ecclesia est columna veritatis.

Et hæc fides Catholica, siue vnitas fidei, res est præcipua in Ecclesiâ, cum quâ sentiendum est Catholico, nec ab eâ discedendum, ne fiant schismata cap. quis nesciat. 11. dist. vtpote quæ sit columna & firmamentum veritatis. 1. Timoth. 3. *Nec crederem*, inquit D. August. ad Paulum, *Euangelio nisi ad hoc Ecclesiæ auctoritas me compelleret*: ad cuius quoque interpretationem, se refert D. Chrysost. 1. ad Corinth. 15. Per quam & D. Basilius lib. de Spiritu Sancto, impugnat

1. Timoth. 3.

Eunominianos. Nulla porrò machina efficacior in Ecclesia Dei, hac simplici, modestaque notitiâ, quæ fides nostra est, ad reuellendas hæreses, hæreticosque confutandos. Narrant Socrates lib. 1. hist. cap. 5. & Sozomenus lib. 1. cap. 18. quòd quum Arriani, disputationis subtilitate, & inanis Philosophiæ typho Catholicis insultarent, ab illiterato Catholico, solis fidei firmamentis innitenti, conuictos obmutuisse: ô captiuati intellectus vim in obsequium fidei! ô simplicitatis fidei potentiam! ô simplicem notitiam!

Fides nostra conuincit Hæreticos.

4.

Cognitionem hanc sequitur amor: amorem, operatio. Cognitio namque illa siue credulitas, quâ quæ fidei sunt tenemus, radix est amoris Dei, multorumque bonorum. quod D. Augustinus lib. 7. Confess. cap. 10. insinuauit, vbi Deum alloquens ait. *Et cùm te primùm cognoui, tu assumpsisti me, vt viderem. Et reuerberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer, & contremui amore, & horrore; & inueni longè me esse à te in regione dissimilitudinis, tanquàm si audirem vocem tuam de excelso, Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me.* D. autem Gregor. homil. 17. in Ezechiel. docet manifestè, explicans illa Ezechiel. 40. *Et fenestras obliquas in thalamis.* Infit enim. *In fenestris obliquis, pars illa per quam lumen intrat, angusta est, sed pars interior, quæ lumen suscipit, lata. Quia mentes contemplantium quamuis aliquid tenuiter de vero lumine videant, in semetipsis tamen magnâ amplitudine dilatantur. Exiguum valde est, quod de æternitate contemplantes vident, sed ex ipso exiguo, laxatur sinus mentium in augmento feruoris, & amoris.* Hinc est quod D. Augustinus Soliloquiorum cap. 34. magis, ac magis cognitionis illius lumine illustrari petebat, quò arderet amore vehementiùs. *Ecce*, inquit, *video lumen cœli, interlucet oculis mentis meæ radius desuper à facie luminis tui, & lætificat omnia ossa mea. O si perficeretur in me! Auge quæso luminis auctor, auge quæso, quod interlucet in me. Dilatetur obsecro, dilatetur ex te.* Et per amorem dilatari sentiens exclamat, *Quid est hoc, quod sentio? Quis est ignis qui calefacit cor meum? O ignis qui semper ardes & nunquam extingueris, accende me! O lux quæ semper luces, & nunquam obfuscaris, illumina me! O vtinam arderem ex te! ignis sancte, quàm dulciter ardes, quàm secretè luces, quàm desideranter aduris! Væ illis, qui non ardent ex te! Væ illis, qui non illuminantur ex te! O lumen veridicum, illuminans omnem mundum, cuius lux implet mundum!* Et vt bona aliqua quæ ex eâ credulitate, siue Diuinorum cognitione proficiscuntur, commemorem: illa interiorem hominem innouari; atque decorari scribit Origenes, homil. 3. expositionis 2. in Cantica. in illa Cant. 1. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi.* Infit enim. *Bonus ergo & decorus dicitur dilectus, & quantò magis inspici poterit oculis spiritalibus; tantò speciosior inuenitur, & pulchrior. Quia non solùm illius species & pulchritudo mirabilis apparebit, verùm & inspicienti, atque intuenti eum, decus ingens, & species formæ noua ac mirabilis orietur; secundùm illud quod Apostolus verbi Dei intuens pulchritudinem, dicit 2. Cor. 5. licet is qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* D. Basilius homil. 15. ex varijs, quæ est de fide, ait, quòd quantò quis magis ad ipsius Dei notitiam accedere videbitur, tantò maiorem sentiet infirmitatem suam, *Talis erat Abraham, talis Moises*, inquit, *Quando enim Deum videre, quantum fas erat homini, potuerunt, tunc maximè vterque se humilem, tenuemque putauit, Abraham se terram ac cinerem nominans. Moises verò se linguâ balbum, ac sermone tardum appellans. Videbat enim se rerum cogitatarum magnitudini, nequaquam linguæ debilitate, posse respondere.* Quod & de Isaiâ scribit Origen. homil. 4. in cap. 6. Isaiæ. explicans illa: *Væ mihi quia vir pollutus labijs ego sum.*

Ezech. 40.

Cant. 1.

2. Cor. 5.

Humiliatur homo cognoscens Deum.

Isa. 6.

ait autem: *Antequam videas visionem, non confiteris te esse miserum, ô Isaia? Non ait, quamdiu vixit Ozias, neque in sensum meum venit, quia miser essem. Incipio autem nosse, quia miser sum quando video visionem moriente mihi Ozia Rege leproso, & dico, Miser ego, nunc incipio & ego, confiteri Domino, & compungor videns visionem Dei.* Inde religionem nasci dicit D. Hieron. lib. 7. in cap. 19. Isaiæ, explicans illa: *Et cognoscent Ægyptij Dominum in die illâ, & colent eum in hostijs & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent. Postquam, inquit, cognouerint Ægyptij Dominum, colent eum in hostijs spiritualibus, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent, & dicent cum Dauid.* psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus,* &, psal. 120. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Inde cordis compunctio, inde affectuum carnalium mortificatio, & prius quidem tradit D. Hieron. in cap. 31. Ieremiæ, explicans illa: *Postquam cognoui*, vel, vt nostra lectio habet, *postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* ait enim. *Postquam ostendisti mihi tui notitiam, siue, cognoui te, percussi femur meum. Quod dolentis & plangentis, & super errore pristino plorantis, indicium est, vt femur manu percutiat, & stultum se antè fuisse fateatur.* Posterius autem D. August. lib. 2. de Trinitate, explicans illud Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet. Hoc dixit Dominus, ait, quia nunc quando Deum spiritualiter intelligimus, intantum carnalibus affectibus morimur, vt mortuum nobis hunc mundum deputantes, nos quoque ipsi, huic mundo moriamur.* Inde gaudium animæ, & mentis iubilum. D. Gregor. lib. 24. Moral. cap. 5. explicans illud Iob. 33. *Et videbit faciem eius in iubilo. Modò explicat Iob, inquit, quomodo Deus, dum innotescit, exhilarat: iubilum namque dicitur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri; & tamen quibusdam motibus proditur.* Inde omnis nostra beatitudo. D. August. lib. 5. Confess. cap. 4. loquens de Astrorum cognitione. *Nunquid Domine Deus veritatis, quisquis nouit illa, ipse placet tibi? Infelix enim homo, qui scit, te autem nescit, beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui verò & te, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te, sicut Deum glorificet, & gratias agat, & non euanescat in cogitationibus suis.* Vana siquidem est diuinorum cognitio, quæ nihil adfectui, nihil operationi tribuit, imò nec cognitio quidem est, sed potiùs ignoratio: *Ego autem dico,* inquit D. Bernard. serm. 38. in Cant. *omnes ignorare Deum, qui nolunt conuerti ad Deum.* Conuertamur igitur ad illum, vt cognoscamus, amore conuertamur; ne, si ab eo nos auerterimus, cognitionem, quæcunque illa sit, in nobis extinguamus.

(Marginalia: Isa. 19. — Ps. 50. — Ps. 120. — Ierem. 31. — Exod. 33. — Iob. 33.)

5. Nihil facilius quàm amare.

Scienti autem, quid faciliùs, quàm se per amorem conuertere? Si diceres mihi non possum ieiunare, aut orare, inquit D. August. ego facilè credam; Si autem dicas, non possum amare, non credam, quia illud maximè positum est in voluntate cuiusque. Quare non est vnde se diluant mundi Philosophi, qui omne studium suum in Diuinorum inquisitione collocantes, ad amorem nihil contulerunt: qui si illa, quæ naturâ duce perceperunt, amore defendissent, eandem quam nos sequimur doctrinam, comprehensâ veritate, tenuissent, operatione tenuissent: ita ferè Lactantius Firmianus. Sed quia Deo ingrati, sicut ait D. Ambros. lib. 1. de vocat. gentium. cap. 2. non confessi sunt illum sibi esse huius facultatis auctorem, in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem, suis studijs atque rationibus propinquassent, euanuerunt in cogitationibus suis: & quod illuminante Dei gratiâ inuenerant, occæcante superbiâ, perdiderunt; relapsi à supernâ luce, ad tenebras suas, hoc est, ab incommutabili atque æterno bono, ad commutabilem, corruptibilemque naturam: & quæsitæ veritatis ignari, sicut ab ignorantiâ cœperunt, ita ignorantiâ finierunt. Nec desunt tamen qui fide & altissimarum rerum scientiâ illustrati, hoc diuino munere, in insipientiâ cordis sui, non ad veritatem, sed ad vanitatem vtantur, quod quia dolendum est, exclamat Richard. de Sancto Victore in quodam serm. *O quanti veritatem quærunt, non in veritate, sed in vanitate; quæsitam inueniunt, non ad veritatem, sed ad vanitatem: &, quod miserum est, in verbis vitæ, lucra mortis negotiantur.* Meliùs sanè, meliùs Cornelius ille Centurio. Act. 10. qui creaturis docentibus, ad illustrantis, & collucentis gratiæ faciem, vnius & veri Numinis intellectum consecutus, in amorem & operationem, ad eiusdem lucis Diuinæ adspectum, direxit; notitiam & adfectum, donans gratiæ: quemadmodum in hanc sententiam dogmatizat Diuus Augustinus lib. 1. de prædest. Sanctorum, cap. 7. dicens: *Quidquid igitur, & antequam in Christum crederet, & quum credidisset, benè operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.* Pro quo etiam dixisse videtur egregius & Regius Vates, psal. 36. *Apud Dominum*, siue, *à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet*: in quem Psalmum homil. 4. Origenes: *Non sufficit homini volenti illud iter incedere, sola propositi sui voluntas, nisi & Dominus direxerit gressus eius: quia frequenter accidit iter agentibus, vt ambulent, quod iter tamen rectum tenere non possunt; sed decedant in aliquos errores, quia à Domino non diriguntur gressus eorum. Et cùm à Domino gressus directi fuerint, tunc viam eius volet. Cupiet enim, qui à Deo dirigitur, Christum, & desiderabit permanere semper in Christo.* Sine errore igitur, initur via, non ex hominis proposito, sed ex directione Dei: viam enim bonam, etsi velit homo, tenere tamen rectam ex se non potest: quare, & quod velit bonam, & quod rectam teneat, gratiæ dandum est, non naturæ. Festiuè Æsopus; qui, quum fortè aliquo missus ab hero, apparitoribus in viâ quærentibus, quò tenderet, respondit hoc se nescire. Quo responso Magistratus, violari suam dignitatem iniquius ferens, hominem in carcerem detrudi iussit: atque ille denuò: hoc ipsum quia nesciebam, rectè initio, nescire me, dixisse videor. Nescit homo vias suas, directore eget. Solus ille nouit suas, qui Io. 8. obijcientibus testimonium ipsius de seipso non esse verum, respondit, *Verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, & quo vado.* Qui ergo dedit Centurioni vt vellet, volentem & disponentem viam suam, direxit, quia Prouerb. 16. *Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius.* Direxit, inquam, animam ad sua flexibilem Deus, vt habitâ Diuinitatis perspectione, quanta humanitùs Deo auctore haberi potest, renderet in amorem, progrederetur ad operationem, vnde ait: *viam eius volet*, hoc est, eleemosynas illius; reliquosque cognitionis & amoris fœtus, gratos, acceptosque habuit.

(Marginalia: Ps. 36. — Io. 8. — Prou. 16.)

6. Cognitio Dei sine eius amore, inutilis est.

Neque verò te sola ipsius Dei cognitio prouehet, nisi etiam tu te amoris alis commiseris, testes illi qui à supernâ luce, exustis intelligentiæ humanæ alis, quibus præualere cogitarunt percussi resiliere. Deus namque cùm ab humano intellectu pro illius mensurâ capitur, auolat omnino, atque proripit sese, nisi amore teneatur, qui vinculum est & gluten, quo extremè distantia sibi cohærent, Deus & creatura, adeò vt ipsa dicere possit, Cant. 2. *Dilectus meus mihi, &*

Cant. 2.

ergo illi. Ideoque præceptum dilectionis, appellatur maximum, ordine, dignitate; & ipsa dilectio, legis finis, siue plenitudo, quòd per dilectionem lex impleatur, & perficiatur: est namque prima in intentione, quòd in omni nostrâ actione & operatione, amor Dei primùm intendi debeat, qui eas caloris sui virtute sibi incorporet. Maximum est dilectionis præceptum, quia cum maximo peccato, quod est odium Dei, oppositionem habet: maximum est merito, quare Apostolus. 1. Cor. 13. *Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Hoc de cognitione, quæ frustra est, nisi â charitatis flamma accendatur. Et de operatione subdit, *Et si distribuerò in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quantum scilicet ad meritum vitæ æternæ, quæ solis diligentibus Deum repromittitur. Iob. 3. *Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit.* Maximum duratione, quia charitas nunquam excidit, & in cælum vsque, vbi vera & increata charitas est, nos comitatur: hæ omnes & solæ diuitiæ nostræ, hæc omnis nostra opulentia, potentia, & honorum amplitudo, quam cælis inferimus. Maximum necessitate, quia quæcunque alia sine hac, quanquam fortassis esse possint (non enim bene sunt, vt omnino esse possint) prodesse tamen non possunt, cum illâ verò, virtutem habent quàm maximam. Quibus proinde non secus accidit, ac zero, siue litteræ, O, in calculis subducendis, quæ â præfixo numero, & non aliter æstimationem habet, ita nempe silent opera, & motum vitæ nullum habent, nisi â præfixis charitatis gradibus & numeris moueantur. Est & extensione maximum, quia illo, quisquis ex ratione viuit, tenetur: qui verò sol... uerit, vt profanis ardeat amoribus, hominis deseruit officium, diuisus est, & cum desertoribus Angelis portionem habet: sui autem officij admonetur homo quicunque est, quicunque ad quid factus sit, intelligit, & ad lucem adspirat increatam, quum dicitur Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ: hoc est maximum & primum mandatum.* De quo quærebat legis-Doctor, sectâ Pharisæus, quia, vt inquit Origenes: *Cùm ante Saluatoris aduentum legeretur lex: forsitan quærebatur, quod est mandatum magnum in eâ. Neque enim interrogasset hoc Pharisæus, nisi diu apud illos, de hoc quæsitum fuisset, & non inuentum, donec veniens Iesus, hoc doceret.* Ait autem Diuus Chrysostomus super Matth. *Diligere autem Deum ex toto corde; est vt cor tuum non sit inclinatum ad alicuius rei dilectionem magis quàm Dei. Diligere autem Deum in totâ animâ, est certissimum animum habere in veritate, & firmissimum esse in fide. Alius est enim amor cordis, & alius est amor animæ: Amor cordis quodammodo carnalis est: vt etiam carnaliter diligamus Deum; quod facere non possumus, nisi recedamus, ab amore mundialium rerum. Cordis ergo amor, sentitur in corde; amor verò animæ, non sentitur, sed intelligitur, quia in iudicio animæ consistit. Qui enim credit apud Deum esse omne bonum, & nihil boni esse extra ipsum, hic diligit Deum in totâ animâ. Totâ verò mente, diligere Deum, est, vt omnes sensus Deo vacent. Cuius enim intellectus Deo ministrat: cuius sapientia circa Deum est: cuius cogitatio ea quæ Dei sunt tractat: cuius memoria quæ bona sunt recordatur, totâ mente diligit Deum.* Vbi amorem cordis, discernit ab amore mentis & animæ, quòd amor cordis ad affectum spectet, amor verò mentis siue animæ, ad intellectum, est enim amor hic, cognitio Dei: vnde Diuus Gregorius Homil. 27. in Euangelia citatus â Bernardino Rosignolio, De disciplinâ Christianæ perfectionis lib. 5. cap. 21. *Amor ipse*, inquit, *notitia est.* Et Diuus Augustinus lib. 7. Confess. cap. 10. de luce inaccessibili, & incommutabili â qua factus est, ait, *Qui nouit veritatem, nouit eam: & qui nouit eam, nouit æternitatem. Charitas nouit eam;* & rationem reddit alibi, citatus â Richardo cap. 3. de gradibus charitatis, apud eundem Rosignolium. quia, *Amor vehemens, non potest non videre quem amat, quia amor, oculus est, & amare, videre est.* Quod vt accidat, inquit Rosign. ita explicant quidam; Amor est gustatus quidam Spiritus, est igitur cognitio spiritalis; sicut sensus gustatus, & ipse cognitio quædam sensus est: quam ob caussam Psalmographus 33. dixit, *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Vtrumque coniungens, cognitionem, & amorem. In *gustate*, dilectio; in *videte*, cognitio est, quia ad beatitudinem, actus intellectus & voluntatis requiritur: in his enim beatitudo constat, cognoscere & amare, vt ait Hugo de Sancto Victore in cap. 7. Diui Dionysij de Cælesti Hierarch. par. 2. Externa, priùs videnda sunt, quàm gustanda, ne gustata afferant mortem: diuina, oculis clausis, gustari possunt; vnde illiterati & rudes, non habent vnde se excusare possint, si non amore flagrant Dei, qui amor pædagogus est diuinorum: vt propterea rectè Diuus Augustinus dixerit, nihil esse facilius quàm amare, ne quis difficilem putet esse viam ad bonum incommutabile, cuius possidendi caussâ, cùm creati simus, tenemur omnes Deum diligere ex toto corde, id est, ex toto intellectu, inquit Diuus Ambros. lib. de dignitate animæ cap. 2. ex totâ animâ, & ex totâ mente, id est, ex totâ voluntate, & ex totâ memoriâ, aliter explicans sententiam Domini, quàm nos, sed tamen in eodem sensu, *vt quantum intelligitur diligatur*, inquit, *& quantum diligitur, semper in memoriâ habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore eius voluntas, imò nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, quâ semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus, vt sicut non potest esse momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate, & misericordiâ: ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria.* Tenemur nostrum amorem non diuidere; duo enim amores, alter bonus, alter malus; alter dulcis, alter amarus, non se simul capiunt in vno pectore, inquit D. August. in quam sententiam D. Basilius in psal. 44. *Quum ex animâ dicitur, diuisionem in alia, nullam admittet: quantum enim delectationis in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse est vt ei adimas, qui totum est.*

Rectusne sit autem amor; an obliquus; adulterinus an verus, integer an diuisus; produnt fides & actio, operosus est autem amor, & vbi est, otiari nescit. Rectè Diuus Bernard. serm. 24. in Cant. *Inuisibilis animi statum nuntiet fides & actio. Rectum iudica, si fide Catholicum, & iustum opere probaueris: si quò minus, curuum censere non dubites. Sic nempe habes. Gen. 4. Si rectè offers & rectè non diuidis, peccasti. Rectè quidem quodcunque horum offers, rectè autem ab alterutro ea non diuidis. Noli esse rectus oblator, & prauus diuisor. Quum diuidis actum à fide, iniquè diuidis, fidem perimens tuam. Nam fides sine operibus, mortua est. Munus mortuum offers Deo? Si enim quædam animæ fidei, ipsa deuotio est; quid fides quæ non operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime? Benè honoras Deum munere fætido! verè placas tua fidei interfe-*

Dilectionis præceptum est maximũ.

1. Cor. 13.

Iob. 3.

Matth. 22.

Amor cordis.

Amor est notitia.

Ps. 33.

Amores duo.

7.

Amorem qualis sit probant fides & actio.

Gen. 4.

ctor? Quomodo hostia pacifica, vbi sæua discordia est? Non mirum si Cain insurrexerit in fratrem, qui suam prius occiderat fidem. Quid miraris, ô Cain, si ad tua non respicit munera qui te despicit? Nec hoc mirum si non respicit ad te, qui ita diuisus es in te. Si manum deuotioni, quid animum das liuori? Non concilias Deum tibi discors tecum. Non placas, sed peccas: etsi nondum quidem impiè feriendo, sed tamen diuidendo non rectè. Etsi necdum fratricida, iam tamen fideicida teneris. Nunquid rectus vel quando manum porrigis Deo, cuius cor in terram trahit liuor & fraternum odium? Quomodo rectus cuius fides mortua; cuius opus, mors; cuius nulla deuotio, amaritudo multa? Erat quidem in offerente fides, sed non in fide dilectio. Recta oblatio, sed crudelis diuisio. Mors fidei, est separatio charitatis. Credis in Christum, fac Christi opera, vt viuat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio. Non incumbet terrenum opus, quem fides cælestium erigit. Vulnerat cor, amor Dei & ad se rapit; vulnerat cor amor mundi, & illud aufert: intellectum rigat sapientiá amor Dei: intellectum aufert amor mundi. Vnde cui suauis est Deus; desipiunt cætera, & illi suaue est, cetere suauitatibus nugarum: & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium est: eijciente illas Deo, qui vera & summa suauitas est, & pro illis intrante, vt habet Diuus Augustinus, libro nono Confess. capite primo.

Ex his quantò meliùs sit Deum amare, quàm intelligere, facilè dignoscitur, quandoquidem, amando, intelligitur; non enim potest Deus, vt sic dicam, non se cognoscendum exhibere amanti se, vt tot sint gradus cognitionis illius, quot fuerint gradus amoris: intelligendo autem, non semper ametur, & frequentiùs amittatur: amore etenim non intellectu tenetur. Proinde videndum est, ne eum, qui nobis à naturâ tributus est amoris adfectus, à Deo transferamus ad creaturas, nulla enim maior peruersitas, teste Diuo Augustino, quàm frui vtendis, & vti fruendis: Sybaritas tum demum se perituros ex oraculo didicisse legimus, quum maiorem hominibus quàm Dijs honorem detulissent. Accidit vt Sybarita quispiam, seruum loris in agro vehementiùs cæderet; qui quum flagra ex Heri manibus, vt opinabatur, excussurus, ad Numinis aram confugisset, nihilominus persequente Domino cædebatur: ergo vt vidit sibi nihil profuisse Numinis reuerentiam, ad monumentum patris herilis confugit; ac tum primùm religione commotus herus, cædere destitit: quod videns Thamyris, collectis rebus suis, in Peloponnesum demigrauit. Nec perituros putatis eos, qui vni ac vero Numini, omni iure debitum amorem, debitam reuerentiam, debitam religionem ad fabulas conuerterunt? qui peritura perituro sectantur adfectu, vt perituris expleantur, vacui perennibus? Omninò itaque diligamus Deum. 1. Ioan. 4. *Quoniam ipse prior dilexit nos.* Ad quæ verba Alphonsus ab Orosco noster, Canticor. c. 4. *Ecce amor noster, quantus, quantus fuerit, non impenditur, sed rependitur; debitus est, non gratuitus*: reddatur ergo fonti suo, ne separatus ab illo, impuritatem ex mixtione terrenâ contrahat.

Sybaritæ.

1. Io. 4.

Capitis 17. §. 1.

Diuinam naturam cognitionis nostræ modum excedere.

1.

IN gradum redeo. Nunquid verò ita impermeabilis natura Dei, vt quid sit essentialiter Deus, nostrâ cognitione haberi nequeat? Hac in disquisitione, rectè admodum Diuus Basilius lib. 10. contra Eunomium. *Creatura, Deum esse, non quid Deus sit, nobis suggerit.* Proinde, inquit Procopius Gazæus in Exodum: *Qui Deum putat id esse, quod notitiâ assequutus est, is recedens ab eo qui verè vita est, vita expers est.* Huc accedit, quod Diuus Ephram. Paulino discipulo, quem suis studijs noua moliturum præsenserat & recitat Gennadius apud Diuum Hieronymum Tom. 1. in Catalogo Virorum Illustrium: *Vide Pauline, ne te submittas cogitationibus tuis: sed quum te ad purum comprehendisse putaueris Dominum, crede non intellexisse.* Nam si ad Solis adspectum, vti inquit Tertullianus lib. de Trinitate, oculorum nostrorum acies hebetescit, ne orbem ipsum obtutus inspiciat, obuiorum sibi superatus fulgore radiorum: hoc idem mentis acies patitur in cogitatione omni de Deo: & quantò ad considerandum Deum plus intenditur, tantò magis ipsa, cogitationis suæ luce cæcatur. Nemo igitur putet, inquit Anastasius Antiochenus, lib. 1. de rectis dogmatibus fidei, se comprehendere posse eum qui sit incomprehensibilis, neque se inuenturum illum speret, qui nullo apprehenditur loco, inutile siquidem fuerit illum persequi, quem nequeas apprehendere. Nam si, quæ sunt extrema diuini opificij, neutiquam à nobis mortalibus exactè cognoscuntur; Quis enim altitudinem cæli dimensus est? aut quis apprehendit maris profundum? aëris latissimam effusionem? procellosos ventorum impetus? molem pondúsve terræ? quis ingressus thesauros niuis? si, inquam, ista extra perspicientiæ nostræ lineam sunt: quonam pacto hanc creatricem rerum naturam arbitrari posse se comprehendere, non extremæ sit dementiæ? Ita Diuus Chrysostomus Homil. 1. de incomprehensibili Dei naturâ: *Contendere scire, quid incomprehensibilis Deus sit, postremæ esse insaniæ indico. Sapientiam Dei Prophetæ perfectè percipere non valent: quantum ij insaniunt, qui substantiam ipsam suis obijcere rationibus posse arbitrantur? De eâ, quid Dauid Propheta præclarus dicat, audiamus; Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Psal. 138. *vel potiùs altiùs repetamus: Confitebor tibi quoniam terribiliter magnificatus es. Quid, cùm terribiliter dicat, significat? Miramur cum timore magnifica ædificia columnarum; maris vastitatem, immensosque gurgites, sed non sine metu, cùm eius aspicimus altitudinem. Sic & Propheta, cum vastum id, immensumque Diuinæ Sapientiæ mare aspiciat, vertigine quasi tentatus stupescit, ac summo cum timore demirans, recedit, atque exclamat: Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua; ac rursus: Mirabilis facta est scientia tua ex me: Corroborata est, & non potero ad eam. Vide modestiam famuli, nota animi gratitudinem. Gratias, inquit, propterea tibi ago, quod te Dominum habeo incomprehensibilem. Non de substantiâ agit hoc loco, illam enim, vtpote inter omnes constantem, esse incomprehensibilem, omitit. Sed cùm Deum esse vbique cogitaret, hoc retulit, explicauitque*

Quid sit Deus sciri non potest.

Psal.

ne id quidem se intelligere, quomodo fieri possit, vt Deus vbique adsit. Si ascendero in cælum, inquit, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Vides Prophetam id intelligere non valere. Quomodo igitur fieri potest, vt non ad postremum insaniæ sint profecti, qui tantum ab illius gratiâ absunt, quantum quid ipsa Dei substantia sit, curiosè quærunt & perscrutantur? & homil. 2. eiusdem argumenti Cæli, *quod quotidie cernit naturam scire nequis, & inuisibilis Dei substantiam scire, indubiè profiteris?*

2. Sapienter Simonides, qui Cicerone teste lib. 1. de Naturâ Deorum, rogatus ab Hierone tyranno, quidnam esset Deus? deliberandi sibi vnum diem, postulauit: quumque idem ex eo postridie quæreret, biduum petijt: ac quum ita sæpiùs duplicaret, admiransque Hiero, quæreret, cur ita faceret? quia, inquit, quantò diutiùs considero, tantò mihi res videtur obscurior. Cui proinde simile quidpiam accidisse visum est, quod cuidam, primùm sese mari commissuro, his enim ad actam veniens, vela facturus, ingenti murmure tumultuantes Oceani vndas suspicit ac miratur: pôst, vbi velis in ventum datis prouehitur portu, delatus in altum, videns latè effusos maris sinus, insulas, terrásque complectentes, miratur magis: sed quum subtractæ obtutibus vrbes, & insulæ, nihilque præter procellosos & cælo minaces aquarum montes, vastaque aëris spatia occurrit, quantâ admiratione capitur: omnino autem quantò altiùs inter tumentes Oceani fluctus mergitur, tantò liquidi illius elementi fit imperitior, quum neque abyssi profunda rimari, neque ereptos oculis terrarum tractus aut littora discernere, aut in fidas carinarum stationes extendi possit: ita Simonides, quantò Diuinis mergebatur cogitando, tantò ab indagatæ veritatis ignorantiâ absorbebatur. Quod cùm abdita Diuinitatis scrutanti semper vsuuenire soleat, apposité dixit Psaltes Regius psal. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Accedet ad cor excelsum*, inquit Diuus Cyprianus, vel quiuis auctor de operibus cardinalibus. Accedet, Græcè προσελεύσεται, hoc est, ascendet & eleuabitur ad alta & superiora suâ cogitatione, scrutandóve vltra progredietur. *Ad cor secretum accedit homo*, inquit Alphons. ab Orozco, in cap. 6. Canticor. *vbi Diuinitatem summi Numinis totâ sui intellectus indagine contemplatur: tunc exaltatur Deus, tanquam euolans, eò quòd incomprehensibilis est. Accedet ad cognitionem excelsam*, inquit Hugo, cognitionem scilicet Dei quæ captum nostrum superat, & exaltabitur Deus, eleuabitur per immensa infinitatis suæ spatia, quò mens creata, quantumuis explicatis, atque directis cogitationum suarum alis, nequeat pertingere: *Nam rem ipsam planè vt suapte naturâ est*, inquit Diuus Basilius tracta. de verâ fide, *etsi omnes omnium mentes, vnà ad inuestigandum coirent, itemque ad enuntiandum linguæ concurrerent, tamen qui assequi posset, existeret nemo. Illam sanè Scripturæ esse sensum luculenter sapientissimus declarat Salomon dicens*, Ecclesf. 7. *Dixi sapiens efficiar, & ipsa longiùs recessit à me, multò magis, quàm erat. Non quidem quòd reuera illa fugeret, sed quòd ij maximè intelligunt, cum ea, omnem cuiusuis ad ipsam comprehendendum captum exuperet, qui Dei beneficio ampliorem, ipsi, quàm cæteri cognitionem sunt consecuti.*

Ps. 63.

Eccles. 7.

Eiusmodi enim sunt Diuina mysteria, vt quò magis ad illa cognoscenda accessisse tibi videberis, eò mirabilior semper appareat

Mysteria Diuina intelligendo ignorantur.

Deus. *Et exaltabitur Deus*: nouâ semper inquirentis se animum, disquisitionis flammâ accendens, sicut cecinit Diuus Gregorius Nazianzen.

> *Mentis enim cursum celer effugit, vsque propinquæ;*
> *Scilicet vt dulci correpta cupidine, semper*
> *Vlteriùs tendat.*

3. Proindeque sponsus Canticor. 6. curiosam sponsæ indaginem, quam oculis animi in supercælestia intentis instituerat, temperare volens, inquit, *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Hebraicè apud Ariam Montanum, *Auerte oculos tuos è regione meâ*, siue, *ne sint coram me, quia ipsi reddiderunt efferum me*, siue, *extulerunt.* Græcè ἀπόστρεψον ὀφθαλμούς σου ἀπ' ἐναντίον μου, ὅτι αὐτοὶ ἀνεπτέρωσάν με. *Auerte oculos tuos ex aduerso me, quia ipsi me alatum fecerunt*; quam sententiam sic explicat Diuus Gregorius Nazianzen. in Apologetico, citans verba Psalmi 17. *Posuit tenebras latibulum suum. Vix Dei splendorem*, inquit, *capientes, quem abyssus aperit, cuius tenebræ latibulum sunt, quantumcunque percipitur, tantundem semper se subducit, amantesque sui ex eo quod fugit, ac velut iam comprehensus se proripit, ad superna illicit; quò spectat illud Cantic. 6. Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Magnus quoque Gregorius, citatus ab Alphonso ab Orosco c. 6. Cantic. *Sed oculos auertere præcipimur, ne videlicet, aspicere eam sicuti est* (intellige Deitatem) *quantumcunque videamus, arbitremur. Ipsi oculi eum auolare fecerunt, quia quò ampliùs videtur, eo magis inuisibilis esse cognoscitur. A nobis vtique auolat, quia quantumcunque illum mentis apprehensio, incomprehensibiliter super omnem conatum nostrum se exaltat. Oculi mentis, quasi hoc efficiunt, vt auolet, quoniam per hoc tantillum quod videtur, valdè longinquus & auolans à nobis apparet.* In eandem sententiam Diuus Ambrosius lib. de Isaac & animâ cap. 7. inquit, in personâ sponsi. *Auerte oculos tuos à me, & noli contra me intendere deuotione nimiâ, ac fide possibilitatem naturæ, & conditionis propriæ supergressa, quia lucem inaccessibilem è regione intueri, graue est. Auerte igitur oculos tuos à me, eò quòd plenitudinem Diuinitatis, & splendorem veri luminis, sustinere non possis.* Scio equidem oculos primum in amore gradum præstare, & amorem vel maximè conciliare, *Oculi*, enim, vt Propertius lib. 2. Elegiâ 15. infit; *sunt in amore duces*, quod de amore spirituali multò æquiùs dici quàm de prophano, scribit Franciscus Moncæius lib. 2. lucubratione 6. in Cant. vt significet sponsus, inquit ab Orosco, ex aspectu sponsæ, quæ in contemplatione eleuatur, se tanto amore affici, vt impatiens amoris, eam amplius intueri nequeat: vel eius eximiâ pulchritudine sic raptum, vt præ amoris magnitudine à se auolare & quasi peregrinari compellatur, quod insigniter amantium est, & expressit Poëta ad Lycoridem amicam; apud Ludouicum Sotomaior, Cantic. 6.

Cant. 6.

Ps. 17.

Oculi duces amoris.

> *Et vela faciem: me me liquat ipsa videndo,*
> *Et trahis internis ex oculis animam.*

Quasi sponsus diceret, iuxta paraphrasim Petri Mannij: *Antea dixi, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, ibi conquerebar cordis mei direptionem: hic mihi conquerendum est, non de rapinâ vnius membri, sed de toto meipso à te sublato, quem fecisti, vt se derelicto auolaret*: iam enim prorsus sum tuus, qui meus esse desij. Quâ lo-

quendi formulâ vsus est Theocritus, Idyll. 2. in Pharmaceutria, ad Pastorem amantem.

θέστυλι, δειλαία πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι;
Thestyli, quò tibi mens infelix euolat? inquam.

Etsi tamen plurimorum hoc esse interpretamentum cognouerim, nostrum nihilominus, non minùs receptum est, quod præter citatos, tradit Theodoretus in Commentario huius loci, Clemens Alexandri. orat. exhortatoriâ ad gentes. & Philo Iudæus, lib. quod Deus sit immutabilis. Quare, vt nimiam in inquirendo arcana Dei curiositatem reprimi dicamus, quomodo & Prouerb. 25. vbi dicitur, *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloriâ.* In quibus verbis Diuinorum cognitio melli comparatur, quod sobriè sumendum, vt prosit: Hoc dicto sponsi, ad perdicis naturam inspectum videtur. Siquidem marem volunt non procul à nido, matris & pullorum saluti inuigilare, qui si aucupem ad familiare cubile tendere cognouerit, nido appropinquantem, modico eludit volatu, quasi ipse captu facilis, nec ad volandum potens: mox autem, vbi per repetitos volandi saltus, sat procul ab habitaculo instantem abduxit, præpete se pennâ proripit, atque euanescit, ab aucupis obtutu procul. Ad eundem enim modum quum te cogitatu tuo attigisse putabis, quid sit diuinum esse, oculi tui; atque inprimis ille cognitionis, quam te de Diuinis indeptum arbitraris: & curiositatis alter, quâ cogitatus tuos, vltrà ipsa iam cognita (si modò aliquid de Deo perfectè cognitum sit) profers: alæ sunt, quibus à te auolat Deus; quemadmodùm indicauit Clemens Alexan. lib. 2. Stromatum, dicens, *Deus res quædam est captu ac venatu difficilis, semper recedens, atque à persequente, procul se remouens.*

Pro. 25.

Perdix eludit aucupem.

4. Neque tamen interea, insolenter ad hanc rem futurum arbitror, si id quod dicitur, *Et exaltabitur Deus*, sic interpretatus fuero, vt quantò magis intellectus sui neruos, mortalis homo in superexcellentia Diuinitatis intenderit, quantóve illis appropinquauerit, tantò semper maiora, atque maiora videri, vt tum demum illa penitùs se ignorare fateatur, quum se aliquid scire & cognoscere putarit. Cohæret commentarius trium Sanctorum Patrum, iuxta quem sensus horum verborum est: *Ne conerìs me qui substantiam supero, ex substantiâ comprehendere. Quantò enim magis in me comprehendendo laboraueris, tantò longiùs à mentis tuæ oculis incomprehensus auolabo.* Vt si per diffusos æquoris latè fluentis tractus vagans, eminùs insulam conspexeris; illa tuo aspectui ceu colliculus quispiam aut scopulus sese obijciet, vbi verò cominus accesseris, vastam insulam demirabere, quam oculorum intuitu complecti nequeas: ita, diuina intellectui nostro repræsentantur, non sic magna quidem in principio, at vbi disquirendo penitiùs introspexeris, vastitatem humanæ inaccessam intelligentiæ, cognosces.

Secus se res habet in caducis, siquidem illa, principio ampla & magnifica tibi videntur, vbi apprehenderis, parua putantur: haud aliter, quàm si eminus fulgorem quendam latè radiantem ex ædiculâ quadam sese effundere, nocturnus viator conspexeris, magna lux putabitur; at verò, vbi in ædes incideris, tenuis faculæ, siue lucernæ modicum splendorem, per ianuæ rimas radiantem comperies.

Sic beatitatem sese consecuturam sperat adolescentula, si huic nobili adolescenti, nuptui detur: votum consecuta, felicitatem illam in minimis habet: Sic omnia ingeruntur ampla cupienti, quæ habita, minoris æstimantur, adeò nihil est in humanis, quod mortalium animos expleat; nihil ita opinione magnum, quod reipsâ tandem non deprehendatur perexiguum: solus exaltabitur Deus. &, *alta profunditas, quis inueniet eam?* Huc spectat, quod habetur in c. Dum sanctam. in fin. de pœniten. dist. 2. vbi dicitur, *Redemptor noster nobis proficientibus, eò ampliùs nobis exaltatur, quò altius magis & incomprehensibilis esse cognoscitur.*

Eccli. 7.

Capitis 17. §. 2.

Dicine possit & concipi quid sit Deus?

1. Maior itaque est Deus, quàm videri, quàm concipi, quàm dici queat: Si namque multa cognata Numini summo, & vicinam sortita potentiam, obscura sunt, vt inquit Seneca Natural. qq. lib. 7. cap. 31. aut fortassè, quod mireris, oculos nostros implent & effugiunt: siue illis tanta subtilitas est, quantam consequi acies humana non possit: siue in sanctiore secessu maiestas tanta delituit, & regnum suum, id est, se, regit, nec vlli aditum dat; nisi animo. *Quid sit hoc, sine quo nil est, scire non possumus.* Significatur Isaiæ 6. *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem, &c.* interprete Origen. Homil. 1. in Isaiam, *Duabus*, inquit, *velabant faciem, non propriam, sed Dei: duabus alis velabant pedes, non proprios, sed Dei: duabus autem alis volabant. Operiebant faciem Dei; exordium enim Dei, ignotum est: sed & pedes; nouissimum enim quod in Deo nostro est, non comprehenditur. Sola media videntur, ex ijs quæ sunt, intelligo Deum.* In eandem sententiam Diuus Hieron. Epist. 1. ad Damasum Papam. *Velabant faciem non suam sed Dei. Quis enim eius potest scire principium, qui antequam istum conderet mundum, & Angelos, iam in sua erat æternitate? Et duabus velabant pedes, non suos sed Dei: Extrema quippe eius scire quis potest? Priora annuntiate mihi, & nouissima quæ futura sunt, & dicam quia Dij estis, ait Isaias, significans neminem posse, quid ante mundum fuerit, & quid post mundum futurum sit, enarrare. Et duabus volabant. Media tantùm cognoscimus, quæ ex Scripturarum nobis lectione panduntur, quando mundus plasmatus sit, quando lex data, quando diluuium.* Aliter Diuus Chrysostomus homil. 1. in cap. 6. Isaiæ, quanquam non diuerso intellectu, *Duabus enim alis velabant faciem*, inquit, *excludentia radium è throno prodeuntem, eò quòd ferre non possent immensam illius gloriam, simul autem & suam religionem, ac reuerentiam significantia, quam habent erga Dominum. Tali gaudio gaudent illa, tali lætitiâ exultant. Nec solùm facies velant: verùm & pedes. Quamobrem hoc faciunt? Facies quidem meritò velant propter metuendum spectaculum, quodque non possint inaccessam gloriam obtueri. Verùm pedes quare simul velant? Inexplebilem erga Conditorem reuerentiam exhibere student, multamque anxietatem, tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, denique ipsâ statione. Quoniam igitur id quod desiderant, quodque conueniebat, non assequuntur, declarant, eò quod vndique velantur. Nam ita defectum circumtegunt.* & hom. 2. in expositione eiusdem

Isa. 6. Seraphim velant faciem Dei.

Isa. 41.

dem cap. *auerterunt facies, alasque vice murorum obijciunt, non ferentes radios illinc proficiscentes, & tamen id quod apparebat, ad nostram imbecillitatem sese demittebat. Ipsa Seraphim nec demissionem quidem Dei sustinuerunt intueri, & homo ausus est dicere, imò potiùs homo ausus est concipere, quod naturam ipsam summam, possit ad plenum clareque videre: Quid ais: Demissio erat quod videbatur? Erat. Sed Dei. Etenim si Daniel cui multum erat familiaritatis ac fiduciæ apud Deum, non sustinuit Angelum, sese ipsi demittentem videre, sed cecidit, iacuitque pronus, vinculis oculorum illius dissolutis: quid mirum si Seraphim expauefacta sunt, non sustinentia Majestatem illam intueri? Neque enim tantum discriminis est inter Danielem & Angelum, quantum inter Deum, & Virtutes illas.*

2\.

Deus definiri non potest.

Quare meritò Philosophorum nemo, Numinis finitionem dedit. Plato ipse, quem fidei nostræ metas, proximiùs pulsasse tradit Diuus Augustinus, referente Cælio Rhodigino lib. 22. antiquar. lect. cap. 1. περὶ ἀγαθοῦ, hoc est, de ipso bono disserere adortus, dicere quid esset, non est ausus, quoniam humanæ potestatis mensum, tantæ claritatis excedat vis splendida. Thales Milesius, rogatus quid esset Deus, respondit, quod principio & fine caret: ecquis istud quid sit comprehendet? si non comprehenderit, quomodò, quod ignotum est atque interminum, definitionis cancellis coarctabit? Ignoramus interminatam eius naturam, inquit Magnus ille Dionysius Areopagita, cælestis Hierarch. cap. 2. quæ & omnes naturas superat, nec animo cerni, nec ratione comprehendi, nec oratione explicari potest. Quis enim finitæ mentis alueo comprehendat omnia supereminentem, sicut Iambhchus loquitur, majestate augustissimum, virtute incomprehensibilem Deum? Pulchrè Diuus Basilius, Homil. 17. in psal. 115. *Nisi quis mentem, intellectùmve suum modestæ humilitati substrauerit, adeò vt ad Apostoli imitationem secum dicat: Fratres, ego non arbitror me apprehendisse: sed superfluè ad apprehendendam Dei substantiam mentem sustollit, & propriæ cogitationi admetitur arcana nullius creaturæ viribus attingibilia; adde quòd is tantum esse Deum existimat, quantum esse, ipse suâ secum ratiocinatione assequi potuit, sensumque suum prorsus vniuersorum mensuram constituit: is neutiquam recta reputat, quanto sit procliuius mare vniuersum, exigua manus cauo admetiri, quàm vt mens humana, inenarrabilem illam Dei majestatem, queat vlla circumspectione complecti.* Isaias enim ait, cap. 40. *Quis mensus est pugillo aquas?* quasi faciliùs fuerit omnes illas palmo mensurare, aut pugillo omnes continere, quàm Oceani illius infiniti immensitatem, mente comprehendere, nedum verbo effari. *Id enim quod est,* inquit Tertull. lib. de Trinitate, *secundum id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest: nam si quæ præparauit Deus his qui diligunt illum, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec mens ipsa percepit: qualis & quantus est ille ipse qui hæc repromittit, ad quæ intelligenda, & mens hominis, & natura deficit?* Rursum Diuus Augustinus in psal. 35. *Quod si Deus,* inquit, *in cor hominis non ascendit; quid ergo quæris vt ascendat in linguam, quod in cor hominis non ascendit?* Diuum quoque Gregorium proferam lib. 20. Moral. cap. 25. in hunc modum dogmatizantem, *penè omne quod de Deo dicitur, eò ipso iam indignum est, quò potuit dici: nam cuius laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando sufficit loquens lingua?*

Maria faciliùs manus cauo admittere, quàm Deum definire.

Isa. 40.

Euagrium denique legimus apud Nicephorum lib. 6. Histor. tripartitæ cap. 3. qui quum longâ oratione de Deo, atque Sanctissimâ Trinitate disputantes audiuisset, Diuinitatem nequaquam esse definiendam, respondit: omnes enim alias propositiones habere genus quod prædicetur, aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his compositam orationem: sed nihil in sanctâ Trinitate, horum quæ dicta sunt, posse comprehendi: ideoque quod ineffabile est, silentij tantùm oratione esse adorandum. Sic quoque Diuus Dionysius Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. Deum definiri non posse, ait, quoniam definitio comprehendit naturam rei. Quare Diuus Gregorius Nazianzenus Orat. de fide. *Certè hic est Deus,* inquit, *quod quum dicitur, non potest dici: quum æstimatur, non potest æstimari; quum definitur, ipsâ definitione crescit, quem omnia nesciunt, & metuendo sciunt.* Hinc Tertull. lib. de fugâ in persecutione. *Sed quando Deus magis creditur, nisi quum magis timetur?* quasi tum sciatur quid sit Deus, quum timetur, sicut & plenè cognoscitur ab his, à quibus perfectè diligitur, vt inquit Diuus Bernard. serm. 8. in Cant. hoc est, quæ circa ipsum sunt quædam, plus aut minus cognoscantur & sciantur, quum timetur & amatur, non verò quid ipse sit.

Deus accidentia non habet.

Timore Deus cognoscitur & amore.

Quid? Quod Angeli Dei, & homines beati, quanquam cælorum excepti theatris, Deum visibiliter, facie ad faciem contemplentur, & qualis sit, satis videant, quid ipse sit, tamen comprehendere non possunt? Seraphim, qui quasi in Numinis sinu, quantò profundiùs immensum illud Diuinæ essentiæ pelagus penetrant, tantò maiori admiratione affecti, imperuium reuerentur Numen: quantoque maiorem illius notitiam consequuntur, tantò ampliùs incomprehensibilem eius esse naturam dignoscunt. Inde est quod ait Diuus Augustinus lib. 4 de Genesi ad literam, cap. 6. neque Angelis ipsis notam esse Diuinam substantiam, sicut ipsa est sibi. Quamobrem dixit Apostolus Deum habitare lucem inaccessibilem, in quem locum Diuus Chrysostomus Homil. 5. de incomprehensibili Dei naturâ. *Attendas velim diligentiæ Pauli; non enim dicit, qui lux inaccessibilis est, sed qui lucem inaccessibilem habitat: scilicet, vt intelligas, quàm ipse habitans Deus inaccessibilis sit, quando domicilium quod inhabitat inaccessibile est. Nec dicit lucem incomprehensibilem habitat, sed inaccessibilem; quod longè plus quàm incomprehensibile est. Quod enim inquisitum, inuestigatumque comprehendi non potest, id esse incomprehensibile dicimus: quod autem ne inuestigandi quidem vllo pacto operam patitur, & ad quod nemo propiùs accedere potest; id inaccessibile est. Nec dixit Paulus, quòd habitat lucem inaccessibilem hominibus, sed non Angelis: sed absolutè, quòd lucem habitat cunctis creaturis inaccessibilem. Vnde Isaias ait; Vidi Dominum sedentem in solio excelso, & eleuato, & Seraphim stabant iuxta illum. sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant facies suas, & duabus velabant pedes suos. Dic quæso quamobrem alas proponunt, & suas operiunt facies? Quid aliud dixeris causæ quàm splendorem procursantem è solio illo, & fulgur prosiliens ferre nequire? Seraphim stabant iuxta illum; quod loci non significat propinquitatem. Sed cùm Spiritus Sanctus vellet ostendere, illas essentias quanquam Diuinæ substantiæ propiores, non tamen propterea posse prospicere, idcirco dixit: Seraphim stabant iuxta eum, vt ex ipsa loci propinquitate, propiùs quàm nos illas esse ostenderet: Deum namque incom-*

3\.

Angeli, ignorant quid sit Deus.

Inaccessibile, & incomprehensibile vt differant.

Isa. 6.

prehensibilem esse, non pari modo vos atque Angeli nouimus. Quemadmodum lucem radiorum Solis, non tam cæcus, quàm qui videt, esse inaccessibilem nouit: sic naturam Dei inaccessibilem, non eodem nos nouimus modo, quo illæ supernæ virtutes & incorporeæ. Quantum enim inter hominem cæcum, & videntem discriminis est, tantùm illæ à nobis differunt. Sed cur de beatâ illâ substantiâ loquor, quando ne Angeli quidem substantiam homo videre valeat? Sapienter Diuus Ephræm. Syrus, de naturâ Dei curiosè non scrutandâ, totidem verbis. Qui ergo inuisibilem Deitatem, gloriosam & incomprehensibilem te contemplari in illo secreto suo petulanter affirmas; pauca priùs de creaturæ ratione nobis explica: & secundum tuam sapientiam atque intelligentiam ministrorum expone ordines qui iugiter coram Deo adstant. Exhibe nobis, & exprime, ac in lucem profer naturam Angelorum, figuram Cherubim, Seraphim imaginem propriam, Gabrielis faciem, ignem Michaëlis verè flagrantem. Ministri autem Deitatis & Spiritus cùm sint omnes, ignem quo pacto conspiciunt? Lux quippe in circuitu est.

Angeli substantiam homo videre non potest.

Contra eos qui dicunt se nosse quid sit Deus.

Quo item ordine ac modo spiritum ducit administratorius Spiritus? flagrantis ignis vbi sunt oculi? vbi nares, ad requiem spiritus? Quænam illorum sunt staturæ? erectæne, an iustæ, atque honestæ altitudinis ac proceritatis speciem; an globosæ, atque rotundæ? Tractabilésne sunt, an intractabiles? hæc omnia recensle homo temerarie, atque insane: ista expone, quæ nobis sunt ignota: quænam scilicet igneorum spirituum sint alæ; & qui flammantium pedes. Dic, vt illi igneos suos operiant axes, sub igneis alis: & quo pecto inter igneas alas, suam velent faciem, non sustinentes intendere aciem in ignem illum immortalem gloriæ Domini. Si ista te superant, homo ignare atque ingrate, neque inæstimabilis Domini creaturas eloqui vales: ipsum Creatorem quâ temeritate circumscribere conaris? hæc ille. & infrà, credenda esse affirmans quæ de Deo sunt diuinitùs tradita, non curiosiùs rimanda, velùti cœcos coarguit, qui Diuinam naturam scrutantur. Ait enim. Cæterum, dic mihi rursùs, ô infelix: si voluerit cæcus quispiam, qui nunquam Solis radios adspexerit, cum aliquo claris luminibus prædito, de Sole isto visibili, eiusque radijs loqui; contenderitque cœcus ille à natiuitate, Solem ipsum in sublimi cæli regione, extra suos radios, sine luce suum cursum peragere: quis fidem verbis cœci istius habere volet? Nonne potiùs decebat, vt cæcus de lumine audiens ab alio oculis prædito, crederet, certaque fide teneret, Sóli semper suos adesse radios, ipsúmque suâ luce nunquam destitui: cùm hæc præsertim (vt iam diximus) ab ijs, qui viderent ita esse, certâ & indubitatâ ratione probarentur? At si cœcus ille credere ijs quæ dicuntur, recuset; figuram Solis secum in corde infinitis cogitationibus effingit, atque describit, cùm formam veram insignire nequeat, eò quòd splendentem Solem cum radijs suis, oculis corporeis nunquam intueri potuerit; & neque his quidem, qui Solem inspexissent, fidem præstare voluit. Hæc Diuus Ephræm. Ita cœco peiores erimus, si enarranti Verbo, quæ vidit, & Spiritui Sancto in Prophetis & Apostolis loquenti, non crediderimus, Diuinitatem esse incomprehensibilem: &, vt Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autholycum inquit, neque magnitudinem eius comprehendi, nec altitudinem mente capi posse, atque adeò, vti Minutius Felix in Octauio asseruit, incomprehensibilem Deum, quia infinitus est, & immensus, sibi soli, tantus quantus est, notum esse.

Angeli spiritus ignei.

Credenda Dei incomprehensibilitas.

Quanquam verò *Summus Spiritus*, vt inquit Diuus Augustinus, de cognitione veræ vitæ, tract. 5. cap. 7. *sicut à nullo intellectu valet propriè cogitari, ita nullâ definitione poterit propriè definiri, vel determinari:* Quia, tamen, *intellectualis mens eum vtcunque agnoscere anhelat, hæc ænigmatica definitio, ei interim sufficiat. Deus Spiritus, est essentia inuisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, totam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidens: idem ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa iustitia, ipsa æternitas existens, omnem creaturam instar puncti in se continens.*

Capitis 17. §. 3.

Incomprehensibilitas Dei figuris expressa.

ET hanc Diuinæ essentiæ inscrutabilitatem pluribus expressere Veteres. Ægyptij comprimis Crocodili figurâ, quod hoc animantis genus, oculos palpebris, cilijs atque superciliis ita occulat, vt aspicienti se, veriùs somno sopitus, quàm peruigil appareat, cùm tamen cuncta quæ coram sunt, videat acutissimè; cuius oculi propterea Iob. 41. *sicut palpebræ diluculi*, vigiles, scilicet, atque lucidi. Ita Deus cuncta intuens, ipse alijs inuisibilis: cuius decorem, ob demissa in vultum supercilia, tanquam velamento quodam obductum, non videns peccator, quasi etiam ipse non videatur, ait Psalmo 9. *Oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem.* Cùm tamen, intima cordis, penitissimè rimetur, vt propterea Thales Milesius, rogatus num lateret Deum iniustè agens, responderit, ne cogitans quidem. Etenim vbique intuetur cor, inquit Diuus Basilius, & motus explorat, Maiestatis autem eius celsitudinem nulla scientia comprehendit.

1. Incomprehensibilitas Dei Crocodilo significatur.

Iob. 41.

Psal. 9.

Thales.

Idem ipsum eosdem Ægyptios sacratiori symbolo indicasse lego apud Sixtum Senensem Bibliothecæ sacræ lib. 2. & Eusebium lib. 2. præparat. Euangelic. hac inscriptione, videlicet, quam in fanis suis venerandam habebant, *Ego sum quod fuit, quod est, quodque futurum est, velum meum nemo vnquam reuelabit*, quia cùm infra materiam tam arduam longè sit nostra cogitatio, inquit Diuus Basilius Homil. 15. de diuersis, & supra animum hominis, mentísque facultatem, vt ait Zoroaster apud Cyprianum, excogitari, aut intelligi non potest, nedum proferri, inquit Philo Iudæus.

Nec defuere, teste Cathario lib. de Imaginibus Deorum, qui ex alto marmore, Deorum suorum simulachra efformarint, quò inscrutabilem eorum Maiestatem significarent, figmenti obscuritate istud significante. At Plutarchus Solem lucidissimum mundi huius spectabilis astrum, Dei symbolum esse ait, *Sol est exemplum inuisibilis claritatis eius*, inquit, *quò magis Solem intuearis, tum magis obcæcatus, illinc vsque discedas.*

Dei simulachrum marmoreum.

Quemadmodum enim obiecti magnitudo

tudo offendit potentiam, ita si curiosiùs in Solem Diuinitatis, mentis oculos defixeris, verendum vt æterna cœcitate percutiaris. Deus quippe magnus est, vt dicitur Iob. 36. vincens scientiam nostram, neque promptum est cuiquam omnem illius splendorem intueri, namque sicut Orpheus cecinit.

Iob. 36.

——— mortalia lumina nobis,
Et pupæ tenues, caro circum, atque ossa resistunt.

Et vt Solis proprium munus est, lucere & illuminare, non verò comburere, vel corrumpere, & vitiare, vel etiam faciem denigrare aut decolorare, quia vt, habet Quintilianus lib. 5. cap. de argumentis, Sol colorat, sed non vbique qui est coloratus, à Sole est. Nisi fortè per accidens, id est, ratione subiectæ materiæ: ita Solis Diuini, de quo Malachiæ 4. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitia, & sanitas in pennis eius*, hoc est, & salus & vita in radijs eius; proprium officium est, lucere & illuminare; siue conseruare, hoc est, salutem & vitam dare, ex nostro est, quod comburat; & nostrum perdat supercilium, quod eleganter descripsit Diuus Dionysius Areopagita, de Diuinis Nominib. cap. 4. par. 1. totidem verbis, *Profectò liquida Diuinæ bonitatis imago, magnus iste & perlucidus, semperque lucens Sol, omnia quæ haurire ipsum possunt, illuminat, habetque lucem eminenter explicatam: expandens illam super omnem hunc visibilem mundum; supràque, atque infrà, vibrans radios suos, quos, si quid est, quod non hauriat, id non aut imbecillitati, & breuitati luminosæ ipsius distributionis imputandum, sed ijs, quæ percipiendæ luci minùs idonea sunt, neque se ad consortium lucis extendunt. Complura denique eiusmodi pertransiens radios contigua illis illuminat, nihilque visibile est, quod ille non penetret excellente lucis suæ magnitudine. Sed ad ipsam quoque generationem sensibilium corporum confert, ipsaque ad vitam mouet, & nutrit, & auget, & perficit, purgatque ac renouat.* Ita de Sole isto materiali Diuus Dionysius, quatenus imago est Solis illius Diuini & immaterialis, qui propter infinitam suam excellentiam, atque præstantiam, ipsius Solis, quidam Sol est, illustrans sensibilem intelligibilis, & ex inuisibilibus fontibus, splendorem visibilem impartiens, vt inquit Philo de victimis offerendis, citatus à Ludouico Sotomaiore in cap. 1. Cantic. In hunc intueri inoffensâ acie, nemo nisi purus, nisi sanus potest. Diuus Ambrosius lib. de Isaac & anima cap. 8. *Solem nisi sanus & vehemens oculus non aspicit, nec bonum potest videre, nisi anima bona. Fias ergo bonus, qui vult videre ipsum bonum, id est, Deum.* Placent Symbola, etenim qui posuit tenebras latibulum suum: posuit & in Sole tabernaculum suum, amictus lumine sicut vestimento, psal. 103. vtrobique vt se errare nouerit quisquis temerè mucronem mentis, aut in profundam tenebrarum harum caliginem, aut in lucem inaccessam distrinxerit. Neque verò lux & caligo solùm, sed lux & caligo, & nubes, velaria sunt Dei: *Nubes & caligo in circuitu eius*, psal. 96. Intellectus noster, caligo est, nubes sunt oculi, adiri non potest Deus, nisi in intellectus nostri caligine, & oculorum nube, quibus creaturas tanquam amicula Dei multam offundentia nubem, intuemur.

Malach. 4.

2.

Ps. 103.

Luce, caligine, nube velatur Deus.

Ps. 96.

Exemplarium huiusce symboli traditum nobis est: Exodi. cap. 19. vbi, quum in montem igneus descenderet Deus, circumfusa nubes prægrandis & densa, montem illum operuisse dicitur: Ignis enim est Deus, atque ita sibi ipsi lucidus, vt se solus ipse nouerit: ignis est homini, qui radiorum suorum verbere, oculorum aciem ad se intuitore volentium, retundit hebetatque, nubem quoque & tenebras facit. Inde est quod Moises, non in ignem, ne ab igne ex suâ temeritate percuteretur, læderetur que, sed in caliginem cum Deo memoratur ingressus, non enim citra periculum, & obiectos, siue insufflatos oculis pulueres, est inuestigatio sapientiæ illius. Rupem in Cirenaicâ Prouincia Aquilonari, vento sacram tradit Plinius lib. 2. cap. 45. cui eminus cultus & reuerentia, non cominus, quòd pulureâ nube quam eiaculatur propiùs accedentes offundat & excæcet: ita, qui lumen inaccessum Diuinitatis, qui supra igneam Majestatis summæ apertis luminibus temerè intueri volunt, ab imbre fauillarum excœcantur.

Accedit, quod Apocal. 15. legimus impletum fumo templum a majestate & virtute Dei, & nemo poterat introire: quo, imperuiam Dei naturam significari, communis est interpretum consensio: in quam sententiam ibi Ribera, fumus Diuinam præsentiam consequi solet, inquit, vt per eum Diuina natura significetur incomprehensibilis, & à nobis in hac vitâ obscurè cognita: nam quod fumo plenum est, non potest foris videri. Ita quoque apud Isaiam cap. 6. in eadem significatione: *Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, & domus repleta est fumo.* Et fumi caligine Primasius, Ansbertus, & Haymo, indicari tradunt, posse neminem arcana iudiciorum Dei penetrare. Quo referri potest id quod Cato apud Plutarchum in eius vitâ; de Pompeio, quum illi res infeliciter cederent, & ad Cæsarem inclinaret victoria, dicere solebat, *in rebus Diuinis multum esse caliginis*, quòd Pompeio præter ius agenti fuissent omnia prospera, caussam Reipublicæ tuenti, nihil succederet. Nimirùm sanè vindicante Deo sacrilegia, quæ Hierosolymis perpetrarat, ad quod non respexit, neque respicere potuit Cato.

Apoc. 15.

Isa. 6.

Et verò, cur fumo potiùs, quàm cymmerijs, vel Ægyptiacis tenebris, templum dicatur impleri; idcirco etiam factum puta, quòd Diuina natura, non tantùm comprehensionis nostræ metas excedat, sed etiam mentis oculos per temeritudinem scrutantium offendat, quemadmodum fumus corporeos. Eapropter mortalium quilibet memor periculi, memor præsentis naufragij, Icariâ pennâ in ardentem Diuinitatis lucem, minimè feratur: nam si pernici mentis cogitatu, sursum extra te euolaueris, emicat è sublimi ignis, & deflagrationem comminatur. Deorsum quoque vasto gurgite moles aquarum decurrit abyssumi nudatura, ijs qui in Diuina consilia peruadere suâ intelligentiâ præsumunt. Medium igitur teneamus oportet, memores altitudinis Diuinæ, & infirmitatis nostræ, continuò istud Cassiodori mente, animoque voluentes, *Summum genus scientiæ est, scire Deum tanta præstare, quanta humanus sensus non valet attingere*; namque Scripturâ asseuerante Iob. cap. 11. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terrâ mensura eius, & latior mari*: & alibi: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum omnipoten-*

3. Fumo templum impletur, cur?

Iob. 11.

tem

tem reperies? quasi dicat, neque oculis, neque cogitatione penetrare longius altiúsque poteris, quàm in terræ viscera, & cauitates subterraneas, at Deus, suis pedibus longè inferiora, & profundiora terit, & premit. Neque altiùs quam ad supremam Calorum superficiem ascendere poteris, at ille vniuerso orbi eminens, etiam spatia imaginaria implet. Neque interminas Diuinæ Sapientiæ & prouidentiæ dimensiones assequi poteris, quia latior, longiorque omni re spectabili. Pusilla res mundus est, & in illo, quod quærat semper omnis mundus habet: *Rerum natura*, inquit Seneca lib. 7. quæstionum naturalium cap. 31. *Sacra sua, non simul tradit, Initiatos nos credimus: in vestibulo eius hæremus. Illa arcana, non promiscuè nec omnibus patent: reducta, & in interiore sacrario clausa sunt.* Magnum facias mundum. *Quota pars operis tanti nostris oculis committitur? Ipse qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit, deditque circa se, maiorque est pars operis sui, ac melior, effugit oculos, cogitatione visendus est.* Quapropter, si neque altitudinem cæli, neque profunda abyssi, neque effusos maris sinus, neque ipsius continentis extensionem oculis, aut cogitatione penetrare possis; qui poteris eum apprehendere, qui interminus est? qui cognitione tuá assequi longitudinem, latitudinem, sublimitatem, atque profundum illius de quo Hilarius lib. 1. de Trinitate: *Deus est intra & extra*, creaturarum, nempe, vniuersitatem: *supereminens & internus, circumfusus & infusus in omnia*, cuius lumen totum indiuiduè, toti mundo penitùs adest, inquit Iamblichus lib. de Mysterijs, & in se manens, sine mistione, diuisioneque sui; diuersa passim illuminat.

Capitis 17. §. 4.

Vtilem esse & iucundam de Deo inquisitionem.

1\. EX dictis manifestum fit, verum esse quod ait Diuus Augustinus lib. 1. de Trinitate, nihil difficiliùs quàm Dei naturam quæri, nec alicubi, periculosiùs errari, nec fructuosiùs tamen aliquid inueniri. Quibus verbis, cùm & inquirendi difficultate, & erroris periculo inuestigationis studium coërceat, ostendit Deum non esse qui ingenio hæretici fictus, formatusque sit, arbitrantis eum non amplius quidquam posse, quàm quod ipse suâ ratione complecti. Inuentionis etiam vtilitate propositâ, animos nostros ad inquisitionem extimulat. Sed nunquid, *Qui scrutator est Majestatis opprimetur à gloriâ?* Prouerb. 25. omnino, si tanquam prædo irruat, & suis fascibus Majestatem spoliet, non verò si rapiatur ab eâ, & voluntatem eius scrutetur, quam scrutari, laudabile ducit Diuus Bernard. serm. 62. in Cant. explicans illud Prouerb. 25. vbi ait, *Non opprimitur, qui non scrutator est Majestatis, sed voluntatis: nam quod Majestati attinet, interdum quidem & in ipsam intendere audet, sed quasi admirans, non quasi scrutans. Sed & si quando per excessum rapi in illam contingat, digitus Dei est iste, dignanter leuans hominem, non hominis te meritas insolenter Dei alta peruadens. Cùm enim Apostolus raptum se commemoret, vt ausum excuset: quisnam alter præsumat mortalium, huic se Diuinæ Majestatis horrendo scrutinio proprijs intricare conatibus, & importunus contemplator, pauenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde Majestatis tanquam irruptores dici reor, non qui scilicet rapiuntur in eam, sed qui irruunt. Ipsi itaque opprimuntur à gloriâ. Ergo formidolosa scrutatio Majestatis, at voluntatis, tam tuta, quam pia. Quidni totâ diligentiâ scrutando insistem sacramento gloriæ voluntatis, cui mihi parendum per omnia scio?*

Prou. 25.

Scrutari voluntatem diuinam, pium.

Quamuis itaque Diuina essentia, vestigatu, inuentuque sit difficilis, tamen quoad fieri potest, scrutari libet, inquit Philo Iudæus lib. de Monarchiâ. Quare ibidem Diuus Bernard: *Sed hoc quantò difficiliùs cauatur, tantò suauiùs quod inde eruis, sapit. Nec verearis illud quod Scriptura minatur scrutatoribus Majestatis; tantum affer purum & simplicem oculum: non opprimeris à gloriâ, sed admitteris, nisi non Dei, sed tuam quæsieris gloriam. Alioquin suâ quisque opprimitur, non Dei gloriâ, dum procliuis in istam, ad illam leuare ceruicem non sinitur, nimirum grauem cupiditate.*

2\. Operosum itaque sit, atque adeò extra intellectualis creaturæ vim, infinitatis, atque immensitatis Diuinæ profunda scrutari: at iucundum est, etiam ad fulgurantis Numinis radium, quem quæsieris, internoscere, & magis, magisque interea noua disquisitionis face accendi: quandoquidem, & ipsum discendi studium, suam habeat voluptatem, atque lætitiam; nihilque ratiocinantis naturæ genio, ipsâ Diuinorum cognitione conformius; præsertim cùm animæ ipsius essentia, intelligere sit quoddam, sicut docuit Iamblichus lib. de Mysterijs, his verbis: *Intellectus Diuinus dat esse animæ per intelligere suum essentiale, ergo esse animæ, est quoddam intelligere, scilicet Deum vnde dependet: esse nostrum est Deum cognoscere, quia præcipuum esse animæ est intellectus suus.* Non quòd illa quæ à solo purissimo actu penetrabilis est essentia, à quantauis creatâ intellectus magnitudine, vti ipsa est, valeat comprehendi, sed quòd per ignoratam Numinis naturam tentantes discere, & scire quidpiam eorum quæ circa ipsam sunt, diuino munere possimus. Ascendimus enim ad Deum & descendimus, veluti Angeli per scalam Iacob, ita tamen vt ascendentes feramur deorsum, non tam vt communicemus mortalibus, quæ à fonte Diuinitatis hausimus, quàm quia semper maior, sublimiorque videtur in ascensu Deus.

Animæ esse, est intelligere.

Quare videmus & cæcutimus: cognoscimus & ignoramus: istud autem quod intelligentiâ assequimur, inseruit amori, & quod inscij & ignorantes admiramur, æstimationi: vt dum affectus dilectioni intendit, mens ignoratione affecta, animosiùs semper inquirat. Scitè Iustinus Martyr lib. de expositione Fidei, *Neque enim, quia comprehendi omnino non potest, Deus, idcirco de eo planè negligenter quærendum est, consumendumque omne vitæ tempus in otio; sed vnicuique pro eo captu, qui ei à Domino concessus est, studiosè ac diligenter exquirenda comparandaque est scientia: ita tamen vt eum comprehendi non posse, nobis persuadeamus; quamdiu autem contemplando cognoscendoque progredimur, nosmetipsos ei coniungimus.* Atque ita obscurum & perspicuum fit quid sit Deus, vt quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat, inquit Diuus Gregorius Nazian. orat. de Christi Natiuitate; quod enim percipi omnino nequit, id nec sperat quisquam, nec consequi conatur: quatenus autem capi non potest, admirationem sui excitet, atque ex ipsa admiratione vehementiùs appetatur, requiratur impensiùs, ametur ardentiùs. *Enimuero Deus summum lumen est, &*

Deum quid sit, scrutantes, ei coniungantur.

inaccessi-

inaccessibile, quod nec verbis explicari potest; naturam omnem ratione præditam illustrans, hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus, eò se magis contemplandum nobis præbens, quò accuratiùs animos purgauerimus; eò rursus magis amandum, quò magis contemplati fuerimus, eò denique magis cognoscendum, quo maiore ipsius amore arserimus. inquit Diuus Naziam. orat. in sancta lumina.

Paruis magna admetimur.

Fit autem in nostrâ cognitione, vt magnitudinis Diuinæ immensitatem, intellectus nostri alueolo, attemperemus. Astrologos imitamur, qui sphærulæ ambitu, & paucis eius orbiculis, immensa cæli spatia describunt, & metiuntur: aut eos qui in cerâ & tabellis ingentes colossos exprimunt, vt qui Cyclopis in paruulâ tabellâ dormientis magnitudinem, Satyris pollicem eius thyrso metientibus, expressit. Quare rectè Tertullianus lib. de Trinitate sub initium: *Quidquid omninò de illo retuleris, rem aliquam ipsius magis & virtutem, quàm ipsum explicaueris. Quid enim de eo condignè aut dicas; aut sentias, qui omnibus & sermonibus & sensibus maior est? Nisi quod vno modo, & hoc ipsum quomodo possumus, quomodo capimus, quomodo intelligere licet, quid sit Deus, mente capiemus: si cogitauerimus id illum esse, quod, quale, & quantum sit, non possit intelligi: ne in ipsam quidem cogitationem possit venire.* Diuus quoque Bernardus serm. 31. in Cant. *Interim verò tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radij Deitatis, monstrantes quidem quia verè sit, à quo sunt, non tamen quid sit prorsus definientes? Itaque de ipso vides, sed non ipsum:* iterum Tertullianus, *Quid enim de eo (vt iterum repetam) condignè dicas, qui est sublimitate omni sublimior, & altitudine omni altior, & profundo omni profundior, & omni luce lucidior, & omni claritate clarior, omni splendore splendidior, omni robore robustior, omni virtute virtior, omni pulchritudine pulchrior, veritate omni verior, & fortitudine omni fortior, & maiestate omni maior, & omni potentiâ potentior, & omnibus diuitijs ditior, omni prudentiâ prudentior, & omni benignitate benignior, omni bonitate melior, omni iustitiâ iustior, omni clementiâ clementior. Minora enim sint necesse est omnium genera virtutum, eo ipso quo virtutum omnium & Deus & parens est; vt verè dici possit id Deum esse, quod eiusmodi est, cui comparari nihil potest.*

Deus est cui comparari nihil potest.

Nam etsi scriptum sit, *Deus Charitas est*, non ex hoc tamen Dei substantia charitas expressa est. Si legimus quia Deus lux est, non tamen in hoc Dei substantia est: sed totum hoc de Deo dictum est quantum dici potest, inquit Tertull. vt meritò & quando spiritus dictus est, non esse id quod est, dictus sit, sed vt dum mens hominum intelligendo vsque ad ipsum proficit spiritum, conuersa iam ipsa in spiritum, aliud quid amplius per spiritum conijcere, Deum esse, possit.

3. Affirmatione, & negatione cognoscitur quid sit vel non sit Deus.

Quamobrem vt quadantenus in diuinorum cognitionem veniamus, quos in effingendâ imagine Pictor, quoséve Statuarius progressus facit, spectandum est. Vt enim hic, continuâ materiæ detractione, ille colorum plurimâ additione; quam sub arte & manu habet, perficit imaginem: ita nos Dei veri imaginem in animis nostris efformare debemus, vt detractis ijs quæ perfectionis suspectæ sunt, additis autem quæ perfectionis intemeratæ, & longè eminentiori ratione, quàm quod rebus conditis inesse, excogitari potest, ad perfectum deducamus. Non quòd incrementa, decrementáue incommutabilis illius substantiæ & perfectionum eius constituamus: *Hic enim semper sui est similis*, inquit Tertull. lib. de Trinit. *nec se vnquam in aliquas formas vertit aut mutat: ne per immutationem etiam mortalis esse videatur. Immutatio enim conuersionis, portio cuiusdam comprehenditur mortis. Ideò nec adiectio in illo vnquam vllius aut partis, aut honoris accedit: ne quid vnquam perfecto defuisse videatur: nec detrimentum in eo aliquod agitur, ne gradus mortalitatis receptus esse videatur: sed quod est, id semper est, & qui est, semper ipse est, & qualis est, semper talis est. Nam & incrementa originem monstrant, & detrimenta, mortem atque interitum probant.* Sed quòd defœcatas rerum conditarum perfectiones, supereminenti modo, ei qui supra omnem modum est, pro captu nostro tribuamus: nequaquam mentis nostræ sinu finientes, esse illud infinitum, sempiternamque virtutem eius ac Diuinitatem: ne simplicissimæ illius lucis verbere exoculati, ceu tenebriones, exerremus. *Excedit namque supereminentia Deitatis*, inquit D. Prosper Aquitanicus lib. Epigrammaton, *non solùm vsitatam eloquij nostri, sed etiam intelligentiæ facultatem, veriùs enim cogitatur Deus, quàm dicitur; & veriùs est quàm cogitatur. Non parua autem notitiæ pars est, si antequam scire possimus quid sit Deus, possimus scire quid non sit.*

Deus veriùs cogitatur quàm dicitur.

Etenim, vt rectè Diuus Ioan. Damascenus lib. 1. Fidei Orthodoxæ cap. 4. in Deo, impossibile est, quidnam essentiâ suâ, ac naturâ ipsâ sit, dicere, optimumque est, ex omnium rerum sublatione, aut inficiatione orationem habere; quia, vt inquit Diuus Dionysius Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. affirmationes non conueniunt diuinis rebus, nec dignæ sunt Maiestate Dei omnium occultissimi, quia modus cognoscendi per affirmationem, improprius. Quanquam enim, vt habet, Diuus Damascenus suprà, etiam per affirmationem, quædam de Deo dicantur, præcellentis tamen negationis vim habent: vnde etiam Diuus Dionysius ait, Deum cognosci posse per caussalitatem & eminentiam, per remotionem & negationem. Aut enim ex ipsâ rerum molitione per humanæ mentis indaginem, agnoscitur vnica & prima rerum caussa effectrix, exemplaris & finalis, omnia ex nihilo proferens, omnia formans, omnia definitis rationibus describens, omnia ordinans & conseruans: aut etiam ex earum quæ in ipsis sunt rebus conditis perfectionum animaduersione, colligere est, illas ipsas in supremâ rerum caussâ, eminentissimo, ac simplicissimo quodam modo contineri: omnem videlicet magnitudinem, multitudinem, pulchritudinem, mensuram, plenitudinem, potestatem, operationem & ordinem. Quâ de re, optimè Diuus Bonauentura, Itinerarij mentis in Deum cap. 2. *Inde verò omnia in illo esse constat, quòd omnia ab ipso profluxisse conspiciantur, quum & ipsa rerum effectarum nobilitas omnis, eminentiori modo, in earum caussâ esse debeat; vt enim vniuoca caussa formaliter; ita æquiuoca eminenter, omnem sui effectus perfectionem complectitur.* Aut denique discussâ perfectionum quæ in creatis sunt, naturâ; quod impurum; quod, materiatum; quod potentiale, quodque imperfectum habent, procul arceatur, quum ea Creatori tribuuntur: quod fit quum perfectum Deo & facturæ suæ commune, singulare fit Dei, negantis significati additamento, vt si Deum substantiam esse dixerimus, non finitam, non compositam, non mutabilem, sed infinitam, simplicem, immutabilem: habere vim intelligendi, non limitatam, sed illimitatam; potentiam operandi non dependentem ab alio, sed independentem: habere durationem non inchoatam, sed æternam: & his similia. Quas Numinis cognoscendi rationes paucis complexus est Apostolus ad Romanos 1. quum infit, *Inuisibilia enim ipsius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius*

Rom. 1.

&

& Diuinitas, vt τὸ, *inuisibilia*, ad quod quid est Numinis spectet, & inficiatione cognoscitur; τὸ, *sempiterna virtus*, ad effectricem rationem, & per caussalitatem habetur; τὸ, *Diuinitas*, ad caussam finalem, & per excellentiæ eminentiam innotescit. Diuinitatis siquidem nomine, bonum quoddam quod eminentissimè excellentissimèque in Deo est, quodque suo modo vnicuique rerum naturæ communicatum est, importatur. Has cognoscendi Numinis inimus vias, per ea quæ in ipsa creatura reperiuntur, vt quòd sit, quòd auctorem habeat sui, quodque ex nulla præiacente materiâ tanquam sui firmamento, formata sit. Nam quod esse habeat, perfectionem dicit: quod ab opifice sit, caussalitatem: quòd ex nullius substratæ materiæ præsidio effecta sit, imperfectionem. Primum ad viam excellentiæ spectat, per quam Numinis notitia habetur: alterum ad viam efficientiæ, tertium ad viam negationis, quæ imperfectionis remotione continetur; quæ omnia aliquot rationibus prosecutus est D. Tho. 1. part. quæst. 2. art. 3. & lect. 6. in 1. cap ad Romanos. Sed nec propterea ex hac rerum conditarum perspectione habetur quid sit Deus: nam licet inueniri hoc modo possit, intelligi tamen quid sit, non potest. *Siue enim illum dixeris lucem*, inquit Tertull. lib. de Trinit. *creaturam ipsius, magis quàm ipsum dixeris, ipsum non expresseris: siue illum dixeris virtutem, potentiam ipsius magis quàm ipsum dixeris, & deprompseris: siue dixeris Maiestatem, honorem ipsius magis, quàm illum ipsum descripseris.*

Deum quid sit intelligere impossibile.

Huc spectat illud Platonis Θεὸς εὑρεῖν μὲν οὐ ῥᾴδιον, νοῆσαι δὲ ἀδύνατον. *Deum quidem inuenisse, haud facilè est; intellexisse autem, impossibile.* Quare & ipsemet de seipso in Timæo, *Quid Deus sit, non noui, quid non sit, noui: nam scio non esse colorem, neque quidpiam huius generis, sed his præstantiorem esse intelligo.* Vbi colorem adduxisse aduertero, vt quantæuis pulchritudinem, quæ ex aptâ colorum proportione consurgit amabiliter siue quodcunque pulchrum imaginabile significaret, quale non est Deus.

4\.

Philosophorum de Deo sententiæ.

Hinc est quòd alij Philosophi in varias de Deo opiniones distracti, illum sibi quisque prout opportuniùs iudicauit, descripserit. Proclus inprimis lib. de Animâ & Dæmone, in hunc modũ de Deo philosophatur, Sicut materia est informis, sic & Deus, & vtrumque est infinitum penitùs & ignotum: tametsi hæc omnia Deo quidem secundum melius conueniunt; secundum verò deterius, materiæ competunt. Trismegistus, Deum esse sphæram intellectualem, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam.

Deus est sphæra intellectualis.

Thales Milesius, esse mentem quæ ex aqua cuncta formauerit. Pythagoras, esse animum per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo omnia quæ nascerentur animalia, vitam caperent. Anaxagoras, esse infinitam mentem, quæ per seipsam moueretur. Chrysippus, Naturalem vim Diuinâ ratione præditam, Diuinàmque necessitatem. Zenon, Diuinam naturalémque legem: atque ita alij aliter sibi formarunt Deum. *Inuentum enim solummodo Deum*, inquit Tertullianus in Apologetico aduersus gentes, *non vt inuenerant disputauerunt, vt & de qualitate & de naturâ eius disceptent. Alij incorporalem asseuerant, alij corporalem, vt tam Platonici quàm Stoici: alij ex atomis, alij ex numeris, sicut Epicurus & Pythagoras: alij ex igne, qualiter Heraclito visum est; Et Platonici quidem, curantem rerum, contrà Epicurei otiosum & inexercitum, & vt ita dixerim, neminem humanis rebus; positum verò extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc: intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo, intra illud maneat, quod regat.* Quòd cùm ista non sit Deus, quæ illi affirmarunt, rectiùs Plato Deum inficiatione meliùs quàm affirmatione cognosci censuit, quia vt inquit D. Cyprian. siue quiuis alius auctor de operibus Cardinalibus. *Affirmatio de Dei essentiâ in promptu haberi non potest: neque enim diffinibilis est Diuinitas, sed veriùs sinceriùsque remotio indicat negando quid non sit, quàm asserendo quid sit: quoniam quidquid sensui subiacet, illud esse non potest, quod omnem superat intellectum. Quidquid audiri vel videri, vel sciri potest, non conuenit Maiestati: hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum, & caligat affectus.*

Deus inficiatione meliùs quàm affirmatione cognoscitur.

Pulchrè quoque in hanc sententiam Tertull. in Apologetico. *Inuisibilis est, etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur: inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur: adeò verus & tantus est. Cæterùm quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est & oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & sensibus quibus inuenitur. Quod verò immensum est, & sibi soli notum est, hoc quod est, Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita enim vis magnitudinis, & notum hominibus obiecit, & ignotum.* Scilicet vt ex eo quod notum est, vtilitatem; ex eo quod ignotum est, voluptatem capiamus: delectamur enim in illo ignoto in se, & in omnibus alijs à se, cognito, quod est illa omnia & his in infinitum ampliora, quæ verbulo complectitur, vincens scientiam nostram Deus, quando de se ait Exod. cap. 3. *Ego sum qui sum.* Septuaginta ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, *ego sum illud ens*, qui & reddiderunt illud, *Qui est misit me ad vos*, in hunc modum: *illud ens misit me ad vos.* Quæ epigraphe immensitatis Diuinæ, insinuatur, cætera omnia coram Deo, ita esse, ac si non essent: quasi dixerit Deus, tantus sum, vt præter me, nil sit, quod cogitare, quod loqui, quod desiderare, appeti, aut diligere oporteat. Et meritò sanè: nam finge, ô homo, quisquis es, finge nullam à Deo conditam creaturam præter te, quid tunc cogitares? quid animo pertractares? Certè Deum, neque enim quidquam aliud esset, quod cogitare velles: Deum loquereris, Deum desiderares, Deum diligeres. Non minùs ad ista nunc adstringeris, quàm si nihil rerum esset præterea moliminis diuini: tum quia esse animæ tuæ, vt Iamblichus dicebat, est Deum cognoscere; tum quia, quæ extra Deum sunt, ita sunt quasi non sint: facta tamen sunt, vt per illa in summum bonum feramur.

Exod. 3.

Deus semper animo cogitandus.

Capitis 17. §. 5.

Aliquid de Deo scire, & concipere, beatum.

1\.

ET quàm iucundum infundi suauiter in bonum illud æternum, atque ex profunditate illâ increatâ, aliquid irrigantis gratiæ haurire, vnde benè sapiat animæ, prægustatæ beatitatis suauitas! Quæras igitur, ô homo, & requiras, atque quod inueneris, infatigabili animi motu prosequere: oculum ab externis & terrenis rebus prorsus auerte, atque ad intima conuerte, & ad ipsam lucem quæ lux est luminis oculi animæ tuæ, hoc est, intellectus, qui lumen est rationis, quæ oculus est animæ tuæ, vt ipsa non solùm luminosa, sed etiam lumen euadat: Eleganter Plotinus, Ennead. 1. lib. 6. de pulchro. cap. 9. *Si teipsum inspexeris: ac purus iam habitaueris ipse tecum, nihil habens impedimenti, neque rursus habeas aliud quidquam tecum intus admixtum, fige iam prorsus intuitum: Solus namque hic oculus ingentem inspicit pulchritudinem. At verò si fortè oculus, vel sordibus*

Oculus mentis ad intima nostra conuertendus vt intelligat Deum.

bus infectus, necdum purgatus in speculum lucidissimum intendatur, caligabit protinus, nihilque discernet, etiam si quis ipsum speculum demonstrauerit. Oportet enim visurum videndo cognatum, simileque prius effcere, quàm ad spectandum adhibeatur. Neque enim oculus vnquam videret Solem, nisi factus solaris esset. Neque rursus animus, nisi factus sit pulcher, ipsam pulchritudinem intuebitur. Efficiatur ergo Diuinus sive Deiformis quilibet, atque pulcher, si modo Deum sit & pulchritudinem inspecturus. Quanquam enim hic totum assequi nequeas, attingere aliquantulum dabitur. Et hoc quidem beatum, dicente Magno Augustino serm. 38. de verbis Domini: *Attingere aliquantulum te mente Deum, magna beatitudo est: comprehendere autem, omnino impossibile*: ipsa te delectet inquisitio. Quemadmodum enim, vt inquit Philo Iudæus lib. 1. de Monarchia, certò scire non possumus cuiusque stellæ qualis sit essentia, quærimus tamen alacriter, oblectamurque rationibus verosimilibus, propter genuinum discendi desiderium: ad eundem modum, licet illud verum *Ens*, Deum, non valeamus intelligere, debemus indesinenter eum quærere, quando hæc consideratio, vel per seipsam eius inuentionem, res est summè desiderabilis. Nam nec oculis corporis quisquam vertetit vitio, quòd, cùm non possint Solem ipsum fixè obtueri, radiorum ab eo in terram defluentium splendorem extremum aspiciant, præsertim, cùm hoc à naturâ nobis insitum sit, teste Philosopho lib. 1. de Cælo, quòd de magnis & altissimis rebus pauca, & malè scire, delectet magis, quàm de inferioribus scire multa, & certissimè, & lib. 1. de partibus animalium cap. 5. *Res namque illas superiores, inquit, tametsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam, amplius oblectamur.* Quare si tantus scientiæ ardor in Pythagora, Platone, Democrito, Eudoxo, & alijs; vt immensos terræ, marisve tractus magno labore emensi, ad Ægyptios sacerdotes, aliosque famâ percelebres viros accesserint, vt aut docentes humana audirent, aut vt è Mercurij columnis Philosophiam perdiscerent. Quantus ardor noster esse debet? quanta animi contentio? quantum studium, vt non iam ex Mercurij sed ex totius vniuersi columnis. Diuinitatis scientiam adquiramus? & veritatem consequamur, quam qui indeptus sit, beatus est? Audi beatitatem, audi & admitte ad eam prosequendam stimulos, quos tibi Diuus Augustinus lib. 2. de libero arbit. cap. 13. totidem verbis, *An verò clamant homines se beatos esse, quum pulchra corpora magno desiderio concupita, siue coniugum, siue etiam meretricum amplexantur; & nos in amplexu veritatis, & bonitatis, beatos esse dubitabimus? Clamant homines se beatos esse, quum æstu aridis faucibus, ad fontem abundantem, salubremque perueniunt: aut esurientes prandium, cænamve ornatam copiosamque reperiunt; & nos negabimus beatos esse; quum & irrigamur, pascimurque veritate? Solemus audire voces clamantium se beatos, si iaceant in rosis, alijsque floribus, vel etiam vnguentis odoratissimis perfruuntur. Quid fragrantius, quid iucundius inspiratione veritatis? & dubitemus nos, quum illâ inspiremur, dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum, & neruorum, & tibiarum sibi constituunt, & quum ea sibi desunt, se miseros iudicant, quum autem adsunt, efferuntur lætitiâ. Et nos quum mentibus nostris, sine vllo strepitu, vt ita dicam, canorum & facundum silentium quoddam veritatis illabitur, aliam beatam vitam quærimus, & tam certâ & præsente non fruimur? luce auri & argenti, luce gemmarum & aliorum colorum, siue ipsius lucis quæ ad oculos pertinet, siue in ignibus terrenis, siue in stellis & Lunâ & Sole, claritate & iucunditate delectati homines, quum ab istâ lætitiâ, nullis molestijs, nullâ indigentiâ reuocantur, beati sibi videntur, & propter hæc volunt semper viuere: Et nos in luce veritatis beatam vitam eo locare metuimus?* Ista D. Augustinus, qui ideò dixisse videtur, *sine vllo strepitu canorum & facundum silentium veritatis, mentibus nostris illabi*: quia spiritus veritatis assuetior effectio sit, non tam linguæ fibras soluere ad loquelam, quàm easdem infrænare ad silentium. Inde est, quod Moses intra sacrarium Diuinæ veritatis admissus, dicere præsumat. Exod. cap. 4. *ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Habacuc similiter cap. 3 perceptâ prodigiorum veritate, quæ Dominus in Ægypto patrauerat, *Audiui*, inquit, *& conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea*, hoc est, *labia mea penitus obmutuerunt*. Nunquid etiã Zacharias prodromi Seruatoris nostri parens, prolis futuræ veritate afflatus, omnẽ intermisit affatum? Propterea verò dixit Cassianus de ortu & parentibus præcursoris, *Cor nostrum sic creatum est, vt sit in terrâ quoddam armarium, atque repositorium Diuinorum.* Vnde Fatidicus Psaltes, Diuinæ veritatis eloquia sese in corde suo abscondisse memorat psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua.* Et Dominus ipse, cor petit, in quod veritatem influat, non linguam. Prouerb. 23. *Fili præbe mihi cor tuum*, vt sit domicilium arcanorum meorum. Ne verò semel intusa veritas, promiscuè palam efferatur, ait Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum*, vt nihil admittatur extraneum, nihil emittatur inconcessum: sed arcanum sit, atque nonnisi muta cordis voce dispensetur, quod stupere magis fas est, quàm loqui. Id quod à Doctore Gentium Diuo Paulo factitatum legimus, qui ad veritatis penetrale raptus, siue ipsâ conuersionis suæ die, vt placet D. Ioanni Chrysost. siue annis quatuordecim ab illâ, vt vult Baronius, quum descendisset, sese elinguem professus est. 1. Cor. 12. *Et audiui*, inquit, *arcana Dei, quæ non licet homini loqui.* Spiritus namque veritatis, sic labia plerumque obsignat, vt non modò non soluantur ad profana, sed nec etiam ad Diuina: vnde Psaltes Regius psal 38. *Silui à bonis*: relaxantur autem, vbi & quando Spiritus ipse veritatis expedire iudicauerit: atque tunc, *non estis vos qui loquimini*, inquit veritas ipsa Christus, *sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Hoc bono veritatis vt frueretur Diuinus Psaltes, à forensi tumultu procul, sese ad interiora silentij recepit, sicut ait psal. 54. *Expectabam eum qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus & tempestate.* Quomodo, vel vbi expectabas Propheta sancte? attentè, cum cura, præparatione, promptitudine, & alacritate, in cordis silentio secretum veritatis opperiebatur, in animi secessu, & commoratione solitudinis, silenter ipsum delectante expectabat: *Ecce*, inquit, *elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* D. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 12. vel 23. *Qui enim*, inquit, *corpore remotus viuit, & tumultus conuersationis humanæ, desideriorum terrenorum cogitationibus, se inserit, non est in solitudine: si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos terrarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe.* Sed est in solitudine, solus: nec tamen solus, quia cum Deo semper est. Hinc Gregor. 4. Moral. cap. 28. *Fugiens se elongat, qui à turbâ desideriorum temporalium in altum Dei contemplationem se subleuat.* Et hoc est in luce veritatis beatam & solitudinis expertem & inexpertem vitam collocare.

O verè beatam vitam, ad ipsiusmet veritatis radios, in ipsammet semper veritatem ire, nec resilire! Hoc enim, Deum cognoscere est: hoc, mentis oculo attingere: & homo fit beatus.

Deus indesinenter quærendus.

Studium ardens Philosophorum.

Columnæ Mercurij.

Beata vita in Dei complexu.

2.

Exod. 4.

Abacuc. 3.

Spiritus sancti effectus, silentium.

Psal. 118.

Prouerb. 23.

Cant. 8.

D. Pauli raptus.

1. Cor. 12.

Psal. 38.

Matt. 10.

Ps. 54.

Solitudinis bonum.

3.

tus contingendo corde illud quod semper beatum manet, cuius totus deflagrat amore: Ioan. cap. 17. *Quoniam hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum solum, & quem misisti Iesum Christum.* Hilarius lib. 3 de Trinit. citatus à D. Tho. in Catenâ. *Vita est verum nosse, sed solùm hoc non facit vitam. Quid ergo connectitur? & quem misisti Iesum Christum.* Et Diuus Augustinus super Ioan. apud eundem D. Tho. *Porrò, si cognitio Dei est vita æterna tantò magis in vitâ æternâ, quantò magis in hac cognitione proficimus: non autem morietur vita æterna. Tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit.* Inchoamus igitur hanc perpetuam beatitudinem, adhuc in hoc mortali degentes corpore, si viuimus. Vnde enim fit homo viuus, vita perpetua est, inquit Diuus Augustinus serm. 38. de verbis Domini. Vnde fit homo sapiens, sapientia perfecta est, vnde homo fit illuminatus, lumen sempiternum est. Quod si fortassis, ô bone vir, summam illam veritatem mentis oculo attigeris, si ex vestigio cognoueris: neque tamen altare cordis tui, illius amoris ignibus incandescere, atque inflammari sentis: si (quod grauissimum est) atro serpentis percussus veneno friges, riges; perge perge ad creaturarum lucos, in earum siluas abi, & ex illis, ligna cæde, ligna congere ad ignis conceptum: lignum enim est omnis creatura, quo accenditur, ardetque Diuinus amor: ipsa namque Dei beneficium est, semperque Diuinæ bonitatis quidpiam exhibet: siue splendorem, siue decorem; siue virtutem, siue quid eiusmodi consideres, portio quædam ipsius est, & lux de luce, quæ super omnem lucem est, splendor de splendore qui super omnem splendorem, virtus de virtute, quæ supra omnem virtutem est, bonum de perenni fonte bonitatis manans. Instrue aram cordis tui, tantæ Creatoris tui munificentiæ consideratione, multo perfunde lacrymarum imbre: inuoca intus magno adfectu, silenti & canorâ cordis linguâ sonante sine strepitu, & ipse qui ignis consumens est, te inflammabit vt ardeas, vt amore ardeas.

Ioan. 17.

Vita est verum nosse.

Vita beata per veritatem inchoatur.

Creaturæ vt accendant amorem Dei.

Capitis 17. §. 6.

Omnia in Deo esse vnum.

1. QVod si omnis ille circumquaque effusus solis splendor. Diuinâ efficientiâ, intra puncti vnius angustias colligeretur; quî posset in eum ferri oculus corporis? obstaret fulgoris magnitudo, obstaret obiecti forma indiuisibilis. Ita ob excellentem, infinitumque Diuinarum perfectionum gradum, ob earundem indiscretam & impartibilem vnitatem, quæ altissimâ ratione omnem veritatem, bonitatem, pulchritudinem, elegantiamque rerum omnium, in omnes & singulas, visibilis atque inuisibilis mundi, partes, diffusam, ita complectitur, vt propriè cuncta identificentur naturæ; finita mens, omnem in puncto recollectam venustatem atque præstantiam, peruadere non potest. Quod si nonnihil in summam illam vnitatem, quæ Trismegisto, radix est omnium rerum, ἡ μόνας ῥίζα τῶν ἁπάντων. Si in vnicum cæli terræque Phoenicem efferri audeat, non rem ipsam vti est, sed vt ipsa mens valet capere, cuius vmbram, vt summam, consequitur, intelligit; cùm pari se complectantur gradu, essentiæ modus, & cognitionis, qui ad illam consequitur. Inde fit, vt in simplicissimâ simplicitate, & vnitissimâ vnitate multitudinem, in infinitate & eminentiâ Diuinæ essentiæ radicatam fabricetur: non enim valet vnicâ sua expressione ea complecti, quæ in Deo vnum sunt omnino, quòd & limitata sit vis intelligendi creata, & infinita intelligibilitas Essentiæ Diuinæ, cui nullus conceptus creatus adæquari potest.

Cur Diuina intelligere non possimus.

Vnitas radix rerum.

2. Hinc illæ tam negatiuæ, quàm affirmatiuæ Diuinorum denominationes, quas de Deo propriè dici comprimis tradunt Diui, Dionysius Cælest. Hierarch. cap. 2. Basilius lib. 2. contra Eunomium. August. tractatu 23. in Ioan. Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. Doctor Angelicus 1. part. quæst. 13. art. 2. & 12. necnon alij. Nam si Angelorum nonnulli Deum laudent vt Majestatem, alij verò vt bonitatem, &c. quemadmodum ex Diuo Chrysost. docet D. Tho. in 1. dist. 2. quantò potiùs humana mens, mortalibus adhuc irretita nexibus, quod *Vnum* est, (scilicet Deum) vt inquit Diuus Dionysius de Diuinis Nominib. cap. 13. *Quoniam omnia vnitè est, secundum vnicam vnitatis eminentiam,* conceptionum suarum varietate partitur? quando & in illâ simplici multiplicitate, & in multiplici simplicitate, vt loquitur Diuus Augustinus lib. 6. de Trinitate, cap. 14. in quâ Deo, hoc est esse, quod fortem esse, aut iustum, aut sapientem: quando in illa eminentissimâ vnitate, in quâ omnia singulariter congregata sunt, & superunita, vt inquit Diuus Dionys. cap. 13. citato, suarum rationum firmamenta sortitur?

Simplicitatem Diuinam vt partiamur.

3. Quanquam enim in illâ simplicissimâ, summaque naturâ, non est aliud substantia, & aliud charitas, sed substantia ipsa sit charitas, vt inquit lux Doctorum Diuus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. quia non est aliud sapientia eius, aliud essentia, cui hoc est esse, quod sapientem esse, vt ait idem Doctor Augustinus eiusdem lib. cap. 6. Quia tamen creaturis tanquam vehiculis vtimur, quibus nostra cognitio ascendit in Deum, quidquid venustatis, atque decoris, in earum naturis dispersum comperimus, Diuino adscribimus Numini, quod *omnia quidem in seipso præhabet, secundum vnum simplicitatis excessum,* inquit Magnus Dionysius, de Diuinis Nominib. cap. 5. non tamen secundum specificam rationem, secundum quam dixit Tertullianus lib. de Trinit. *Denique si acceperis spiritum substantiam Dei, creaturam feceris Deum, omnis enim spiritus, creatura est:* neque secundum eum modum, quo eiusmodi perfectiones creatis insunt, in quibus aliud est, & aliud, spiritus, substantia, vita, intellectus, voluntas, sapientia, prouidentia, & his affinia. Quoniam *non vsu nostro aliud Deum putare, aliud pulchritudinem eius, atque aliud magnitudinem ipsius, debemus: pulchritudo, & magnitudo Dei, ipse Deus est,* sicut inquit Isidorus lib. 1. de summo bono, sententia 5. & elegantissimè explicat Diuinus Dionysius cap. 5. de Diuinis Nominib. sic fatus: *Non autem aliud esse bonum dicit, & aliud existens, & aliud vitam, aut sapientiam. Sed vnum esse omnes bonos processus, & à nobis laudatas Dei denominationes:* sed secundum generaliorem quandam rationem illa tribuimus Deo, in quo sunt vna eademque res: sicut differit Diuus Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 6. *Deus verò multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dicitur: sed eadem magnitudo eius est quæ sapientia; & eadem bonitas quæ sapientia & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum esse aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.*

Deus non est spiritus specificè.

Multi-

4. Quomodo Deus sit multa.

Multiplicitas igitur, in Deo non est, sed in intelligentis creaturæ intellectu; non in esse, sed in ratione, omnis distantia est posita. Hæc tamen de Deo effamur, siue quæ in nobis & Intelligentijs essentialia concipimus, vt sunt, substantia, spiritus, viuens, intellectualis, quæ Deo secundum rationes genericas conueniunt: siue quæ substantiam spiritualem perficere intelliguntur, cuiusmodi sunt, duratio, præsentia, intellectus; & quæ ad ipsum spectant, vt scientia, sapientia, prudentia, ars: virtutumque intellectualium actus immanentes, vt intellectio, mentis conceptus, idea: quævè actionum immanentium propria sunt, vt euidentia, claritas, certitudo, veritas: voluntas quoque, & quæ ipsius sunt virtutes & actus, videlicet, charitas, iustitia, misericordia, liberalitas, amor, intentio, electio, & cætera huiusmodi; quo spectat etiam prouidentia, & eius pars prædestinatio. Potentia denique, quæ in Deo est omnipotentia.

5. Perfectionis creatæ & increatæ disparitas.

Ista de Deo, sed supereminenti quadam ratione dicuntur, siquidem creatæ, atque increatæ perfectionis, sit ratio dispar. *Quoniam enim bona*, inquit, Diuus Anselmus Monologij cap. 15. *non potest esse iustitia, iustitiam autem habere potest, non enim intelligitur iustus homo, existens iustitia, sed habens iustitiam. Quoniam igitur summa natura, non propriè dicitur iusta, quia habet iustitiam; sed existit iustitia, cùm dicitur iustus, propriè intelligitur existens iustitia, non autem habens iustitiam: quare quum dicitur iustitia, non dicitur qualis est; sed quid est.* Quidquid enim de Deo dicitur, eius substantia dicitur; quæ simplicissimè, atque vnitissimè est omnia. In mundo namque intelligibili, siue primo Archetypo, id est, Deo, omnia vnum sunt, licet in sensili, caducoque mundo, turbatâ multitudine diuidantur, inquit Plato in Sophistâ: effecta namque quæ sunt Dei in Deo sunt, non id quod in seipsis sunt, sed quod idem ipse est, inquit D. Ansel. in Monolog.

6. Perfectiones omnes omnium rerum in vno sunt principio.

Ita ergo virtus omnis atque perfectio, quæ per opificij totius singulares naturas dispersa sunt, vnius virtute principij concluduntur, & longè eminentiori modo, quàm in creaturis reperiantur, in quibus aut decidunt, aut possunt decidere: nunquam autem in Deo, in quo sunt vita. Quemadmodum enim in semine radix, truncus, rami, frondes, flores, fructus: in fontis gremio, riuuli quaquauersum effluentes, numeri multiplices in vnitate, linearum plures desinentiæ in puncto, indiuidua in genere continentur: ita in Deo eminent omnia, quoniam omnium auctor ipse est, id quod paucis & eleganter prosecutus est Diuus Dionys. de Diuin. Nominib. cap. 5. dicens, *In Diuinâ Bonitate sunt omnia immensuratè, & vnitè, sicut in monade, omnis numerus vniformiter est, & in centro omnes lineæ ad se ipsæ; & ad vnum initium, à quo processere, coniunctæ & copulatæ continentur.*

7. Amandus Deus quia omnis boni fons.

Sed quantus hic, ô anima mea, thesaurus! ô si illius desiderio & amore, vt par est, capereris! quos non fragrantissimi amoris ignes tuis in præcordijs suscitaret, quando considerata rei sensibus obiectæ pulchritudo & elegantia, animos nostros accendit? Diuus Augustinus in Manuali, *O immensa bonitas, quæ omnium intellectum excedis. Veniat super me misericordia illa, quæ de tantâ opulentiâ procedit, influat in me quæ profluit de te. Si singula bona, delectabilia sunt, cogita intentè, quàm delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantò differentem, quantò differt à creaturâ Creator. Si enim est bona vita creata, quàm bona est vita creatrix? Si iucunda est salus facta, quàm iucunda est salus quæ fecit omnem salutem? Denique si multæ, & magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus, qualis & quanta est delectatio in eo qui ipsa delectabilia fecit? O, qui hoc bono fruetur, quid illi erit? Quid illi non erit? Certè quidquid voluerit, erit illi, & quidquid noluerit, non erit. Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est.* Finge totius vniuersitatis decorem, omniumque omnino rerum, quas cærulea machinæ huius testudo comprehendit virtutes, in vnâ gemmâ conuenire: solis nimirum huius spectabilis vim splendidam, ac rerum quæ terrâ marique continentur, genitricem, sideream lunæ facem, incrementorum, decrementorumque vicissitudine, temporum & humorum momenta partientem: planetarum reliquorum, vtilem substratis rebus influxum: vario florum colore, pictæ telluris gratam oculis pulchritudinem: herbarum, stirpium, caudicum, vim medicam: omnes & singulas lapillorum omnium qui in pretio sunt mortalibus, proprietates; & aduersus intoxicationes, venenatorum morsus, fascinationes, prauasque tum corporis, tum animi adfectiones, præsidia: si hæc, & his multò ampliora in vno adamante concurrerent, quanti ille pretij? quantæ æstimationis? Et quàm opulentus, quamvè beatus qui illum possideret? ita iudicares: ita sentirent quicunque sanæ mentis.

In Deo ista sunt omnia, non vt qualitates, sed vt essentia: *Quidquid*, enim, *in summo bono est*, inquit Richardus de Sancto Victore lib. 1. de Trinit. cap. 17. *verè & summè vnum est: nec enim ibi aliud, & aliud esse potest; idem ipse est totum quod est.* Et Diuus Gregorius Nyssenus lib. ad Ablauium, *omnem circa essentiam diuersitatem reijcit diuina simplex & variationis inscia natura.* Quàm verè felix, qui illud vnum quod omnia est, quærit? quàm opulentus, quàm diues qui inuenit? & quàm beatus qui possidet, cuius possessio in plenissimâ ratiocinantis naturæ potestate est.

CAPVT XVIII.

Deum non esse corpus.

Vt erratum à quibusdam qui Deum finxerunt corporeum.

1.

Qvemadmodum in fulgentem Solis rotam fixo luminis intuitu, nemo potest intendere, quin fulgoris radio percussus lædatur, sic neque in supereminentem Diuinitatis fulgorem, mentis cogitatum efferre, atque inscrutabilem scrutari substantiam, sano, saluoque animi intuitu, quisquam potest: exemplo sint Philosophi, qui Deum quidem inuenere, sed vnde diuitiarum affatim erant contracturi, inde magis egeni effecti sunt, quia illum, vt inuenerant, non tenuerunt: de qualitate namque eius & naturâ disputaturi, alij incorporalem, alij corporalem asseuerarunt, sicut ex Tertulliano §. 4. num. 4. capitis præcedentis retulimus: alij ex atomis, alij ex numeris, alij ex igne constare dixerunt, atque ita Deum esse corporeum, commenti sunt:

Deum corporeum esse quidixerint.

sunt: cuius etiam impietatis, meritò arguitur Aristoteles, qui 12. Metaphysicor. cap. 7. Deum animal esse, atque adeò corporis mole constitutum existimauit, sic enim ait, φαμὲν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῷον ἀΐδιον ἄριστον. *Dicimus autem Deum esse animal sempiternum optimum*, & eam illius omninò mentem fuisse constat, tum ex Athenagorâ Philosopho Atheniensi, qui in oratione quadam, quam pro Christianis, ad Marcum & Commodum Imperatores habuit, stringit Aristotelem, quòd Deum animal, ex animâ & corpore constitutum putarit: tum ex Galeno de Philosophicâ historiâ, cap. 25. vbi idem, eundem censuisse scribit: vt Iamblichum, non solùm Platonicum, sed etiam, teste Simplicio, diligentem Aristotelis expositorem, prætercam, qui lib. 1. de sectâ Pythagoricâ, affirmat custodiri in arcanis hæc Aristotelis verba, τοῦ λογικοῦ ζῴου τὸ μὲν ἐστὶ θεός, τὸ δὲ ἄνθρωπος, *Animalis rationalis, aliud est Deus, aliud homo.*

2.
Hominis species ei tributa.

Communis hic error Græcorum fuit, qui humanâ effigie in sacris vtentes, nullâ re expressiùs Dei virtutem, quàm hominis naturâ significari existimabant, contrario abs Germanis instituto, qui Cornelio Tacito teste lib. de moribus Germanorum, nec cohibere parietibus Deos, neque in vllam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cælestium, arbitrantur.

Negata.

Quare Empedocles apud Victorium lib. 3 variar. lectionum, cap 10. Homerum, Hesiodumque, necnon & reliquos Poëtas carpit, qui speciem hominis Dijs affingerent, quæ nullo modo, vt ipse docet, illis congruebat, vtpote ab omni humanæ formæ materiâ secretis.

3.
Sadducæi.

Neque gentes solùm, apud quas in ipsâ veri Numinis cognitione, culpabilis eiusdem ignoratio: verùm etiam ex Isacidarùm genere Sadducæi, Patrem & Filium in Diuinis, corporeos opinati sunt, omnem verò spiritum, etiam in seipsis, expunxere, teste Diuo Epiphanio in eorum hæresi: ob cuius erroris immanitatem, tanquam diris deuoti, abs Synagogâ expulsi sunt. Ex ijs verò qui salutaribus Christi mysterijs initiati, Audæus Monachus, vir aliàs religiosus & pius, à quo Audiani, siue Vadiani, qui & Antropomorphitæ apud Diuum Augustinum, Hæresi 50. humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam retulit, humani oris, atque membrorum speciem illi tribuens, sicut apud Epiphanium Hæresi 70. & Theodoretum lib. 4. Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 9. & lib. 4. Hæreticarum Fabularum, titulo de Audianis, videre est: cui errori etiam adhæsere Manichæi, teste Diuo Augustino Hæresi 46. Sed hanc Antropomorphitarum maniam, damnauit Ecclesia: hæreticonque atro signari lapillo voluit Theodosius Imperator in l. Ariani, C. de Hæreticis, & habetur, cap. quidam autem, 24. quæst. 3. Ecquid enim adferri potuit dementiùs de superspirituali & interminatâ Dei substantiâ, quàm quòd quidam illorum, teste Diuo Hieronymo, lib. 1. in Amos cap. 2. Voluere illi Deum in humanæ similitudinis modum, in solio excelso sedere, pedibus in terram fixis ne pendeant, bonæ fragrantiæ odorem naso odorari, oculis videre, manibus operari, auribus audire, ore loqui, denté cibos conterere, atque alijs compositæ naturæ affectionibus teneri. *Constat autem inter illos qui rectè intelligunt*, inquit Diuus Augustinus lib. 2. quæstionum super Exodum, *nullo Deum contineri loco, nec aliquo velut situ corporis membra ponere; sicuti est nostri corporis situs, sedere, iacere, stare, & si quid huiusmodi est: hæc enim sunt nisi corporum, Deus autem spiritus est.*

Audiani.

4.
Operationes hominis duplices.

Quòd si tenebriones illi ad illucentem rationis, quæ in homine est, faculam, imaginationis suæ portenta admouissent; haud dubium, quin tum ex ipsâ operandi ratione, quâ homo à brutis secernitur, tum ex ipsius hominis figmento, intellexissent, puriorem quandam esse naturam, quæ impedimentis non irretita corporis, præstaret reliquas. Cùm enim operationum hominis quædam, obiecta habeant materiata, dependeantque ab organo proprio corporis, vt actiones externorum, internorumque sensuum, veluti visio, auditio, gustatus, tactus, odoratio, imaginatio, & reminiscentia: Aliæ, materialia quædam obiecta sortiantur, & corporeis subiecta affectionibus, cæterùm organo careant corporeo eiusmodi actionum susceptiuo, quales sunt, concupiscibilis, & irascibilis appetitus, & motus concitatiores, qui licet cum corporis motatione, spirituum sanguinisque agitatione fiant, non tamen ab aliquâ præstitutâ corporis parte eliciuntur. Et hæc quidem sensuum appetendi facultas in eo differat à rationali, quòd nullo prærequisito intellectus iudicio, quo ad operandum concitetur, solâ imaginatione duce, in suas actiones erumpat. Aliæ præterea sint, quæ, sicut Philosophus ait, lib. de Somno & Vigiliâ cap. 1. non sunt suppositi, sed potiùs animæ solius, vt intelligere, contemplari, argumentari, naturæ consentanea prosequi, auersari contraria.

Ex his, si sanioris alicuius iudicij scintillâ mouerentur, intelligere poterant diuinioris cuiusdam mentis portionem nunquam interituram, humanos artus informare, per quam, & à solo sensu vigentibus, discernerentur; & ad altiora capessenda, quàm quæ sensibus substrata sunt, conitarentur, spiritualis cuiusdam, ac per se consistentis naturæ, argumento perquam nobili.

5.
Homo ex spiritu & corpore constat.

Sed & ipsa hominis structura, illud ipsum per se satis docet: afflatus enim homo in ipsâ sui conditione, immortalitatis spiraculo, præter corpoream quæ cernitur, spiritualem, quâ viuit & intelligit, substantiam prodit. Etenim, *Cùm verbo artifici visum fuisset ostendere animal vnum ex vtroque*, inquit Diuus Gregorius Nazian. Orat. de Christi Natiuit. *hoc est, ex inuisibili & visibili materiâ, fabricatur nempe hominem: atque à materiâ, quæ priùs iam creata erat, accepto corpore, à se autem spiraculum inserens (quod quidem intellectualem animam, & imaginem Dei Scriptura vocat) veluti secundum quendam & alterum mundum, in paruo magnum, in terrâ constituit Angelum alium, mixtum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectilis mystem, eorum quidem quæ in terrâ sunt, Regem: è cælo autem imperium accipientem, terrenum & cælestem, caducum & immortalem, visibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem & deiectionem, eundem spiritum & carnem: spiritum propter gratiam, carnem ob superbiam: illud, vt maneat, ac suum benefactorem concelebret, hoc vt vexetur, ac vt vexatus commonefiat, & de magnitudine sibi placens erudiatur, ac coërceatur. Animal hic variè gubernatum, atque aliò demigrans, & quod in mysterijs extremum est, animi ad Deum nutu & subiectione, ad Diuinitatem assurgens.* Iam verò, si ex spirituali & corporeâ substantiâ, tertium quoddam

Homo, magnus mundus in paruo.

dam

Spiritus vt detur.

dum coalescat, quamlibet harum in sua specie perfectam esse oportet, ne quæ defectio in rerum naturâ detur, quemadmodum contra Gentes argumentatur Doctor Angelicus, exemplo sint Gryphes, animalia pennata simul, & quadrupedia, omni ex parte leones, alis tantum & facie, aquilis similia, aurita aduncitate rostri, quos apud Scythas aurum eruere memorat Plinius lib. 33. nat. Histor. capite 4. & lib. 7. capite 2. cum Arimaspis Aquilonaribus hominibus, quos vno oculo in fronte mediâ insignes prodit, circa metalla, bellum assiduè gerere, aurum ab hoc volucri ferarum genere ex cuniculis erutum, mirâ cupiditate, & Arimaspis rapientibus, & feris custodientibus: quanquam lib. 10. capite 49. Gryphas fabulosos putet, veluti & Pegasos equino capite volucres: vtut sit, Gryphas, inquam, ferarum volucri genere, quale vulgò traditur, in exemplum proferamus, quos quum ex volatili, quadrupedumque terrestri naturâ accipiamus, non quadrupedia modò, verùm etiam volatilia, suis quæque naturis atque essentijs completa, perfectaque haberi, vniuersi decorem decet: nam si terrestria solùm haberentur, imperfectam, incompletamque vniuersitatis speciem, media hæc volucris natura proderet, partitam solummodò animalis ætherei naturam exhibens.

Griphes.

Bellant cum Arimaspis.

Gryphis natura.

Ita prorsus in homine est, quem cùm ex corpore & spiritu conflatum experiamur, vnamquamque naturam in suâ specie compleri oportet. Sicut ergo corpora cernimus sine spiritu, vt saxa, metalla, & his affinia; alia cum spiritu, vt homines, ipsa decens vniuersi constitutio necessariò postulat vt sint spiritus ab omni prorsus materiæ concretione puri: qui si dentur (sicut reuera dantur) quantis ipsa Diuini Numinis simplicitas creatorum Spirituum puritatem præcurret spatijs? Spiritualis igitur est substantia Dei, magnitudinis, atque circumscriptionis expers: neque verò loco definitur, aut est partibilis, quia quod tale est, corruptionis legibus tenetur: quod quum summi Numinis simplicitati, atque immensitati aduersari, quiuis sanus intelligat, cum Procopio Gazæo in Exodum, errones illi, ita ratiocinari poterant, *Deus non habet figuram, omnis enim figura finita est, seu finem habet: quidquid finitum est, seu finem habet, censetur corpus: omne corpus est compositum, quidquid compositum est, id corruptioni & dissolutioni obnoxium est: cæterùm corruptio, est compositi corporis destructio.* Atque ita inuenissent Deum non esse corporalem, sed incorporeum, qualem profitentur Orthodoxi.

Auctor lib. de Essentiâ Diuinitatis apud Diuum Augustinum Tomo 4. *Incorporeus est quia nullis membrorum lineamentis compositus, sine compassione existit, sicut veritas in Euangelio ait, Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet.* Auctor itidem lib. de Speculo apud eundem Augustinum Tomo 9. cap. 24. totidem verbis: *Decuit igitur te solum vnum & verum Deum non esse corporeum vel passibilem vel palpabilem, nullam tui partem corporeis oculis posse sentiri, nihil de substantiâ tuâ atque naturâ, vllo modo esse violabile aut compositum aut fictum, aut maius aut inferius.* Ad quem Diuus ipse Augustinus lib. 3. Confess. capite 6. *At tu amor meus in quem deficio vt fortis sim; nec ista corpora es quæ videmus, quanquam in cælo, nec ea es quæ non videmus ibi, quia tu ista condidisti; nec in summis tuis conditionibus habes. Quantò ergò longè es à phantasmatibus illis meis, phantasmatibus corporum quæ omnino non sunt, quibus certiores sunt phantasiæ corporum eorum quæ sunt, & eis certiora corpora, quæ tamen non es: sed nec anima es; quæ vita est corporum, ideo melior vita corporum, certiorque quàm corpora. Sed tu vita es animarum, vita vitarum, viuens teipsâ, & non mutaris vita animæ meæ.*

Capitis 18. §. 1.

Humani oris speciem, humanosq; affectus Deo tribui.

1.

QVorsum ergo ad imaginem & similitudinem Dei Homo, si non illi forma illa quam exhibet homo? Quorsum oculi Domini super iustos? Psalm. 33. Quorsum odoratus Dominus Deus odorem bonæ fragrantiæ? Gen. 8. Quorsum tabulæ Mosaicæ, digito Dei inscriptæ? Exod. 31. Quorsum manus valida, & brachium excelsum, quo Israelitæ Ægyptiaco ergastulo memorantur erepti? Exod. 6. Quorsum illud, *os Domini locutum est?* Isa. 1. Vt quid terra scabellum Dei perhibetur, & cælum sedes? Isa. 66. Cur etiam istud. *Inclina ad me aurem tuam & exaudi me?* Psal. 85. Quæ omnia, exemplaria quædam esse videntur earum, quæ in humana formâ sunt, descriptionum. Quorsum denique, humani figmenti affectiones Deo adscriptæ, nisi quia Prototypi formam inuisibilem referat Antityporum formâ visibilis?

Ps. 33. Gen. 8. Exod. 31. Exod. 6. Isa. 1. Isa. 66. Psal. 85.

Ista quidem corporis nostri lineamenta sunt, quibus tamen quum describi mentem increatam legimus, vim efficacem virtutis illius, non habitus aut membra corporis, quibus interminata Diuinæ Majestatis magnitudo includatur, intelligimus. Ita summi ac primi Theologorum proceres, Diuinus ille Areopagita, Magnus Augustinus, Diuus Hieronymus, Tertullianus, & alij. Sic enim Diuus Hieronymus, *Membra humana, sicut & effectus humani, tropicè Deo adscribuntur, non propriè.* Quare Diuinum Numen corporis mole affectum nemo rectè dixerit, quòd humani corporis membra legat, & tactus manus Dei, ad quorum membrorum similitudinem, homo conditus sit. *Non de membris Dei*, inquit Diuus Augustinus Epist. 111. quæ est de videndo Deo, *quæ assiduè Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis huius formam & figuram, nos esse crederet similes Deo: propterea & easdem Scriptura, & alas habere Deum dixit, quas nos vtique non habemus: sicut itaque alas cùm audimus, protectionem intelligimus, sic & cùm audimus manus, operationem intelligere debemus, & quum audimus pedes, præsentationem; & quum audimus oculos, visionem quâ cognoscitur; & quum audimus faciem, notitiam quâ innotescit.*

Deo corporea vt tribuantur.

Manus & pedes Dei quid significent.

Fit autem huiusmodi partium humani corporis descriptionibus, quibus Diuinæ efficaciæ multiplex simplicitas, & simplex multiplicitas demonstratur, vt suis ipsa Majestas Numinis interminatæ magnitudinis campis, non secus atque per multiformes vnius quidem simplicissimæ vniformitatis denominationes, sine vllo fine diffundatur.

2. Adam ad imaginem Dei.

Quare quod Adam ad imaginem & similitudinem Dei compositus: hoc dictum maximè intellectualis naturæ ratione, quæ in Deo tanquam in exemplari supremo: non igitur ad corpus, sed ad animum ista imago & similitudo referenda est; sicut censuere Patres: Basilius Hom. 10. in Genes. August. lib. 6. de Genesi ad literam cap. 12. & 1. de Genesi contra Manichæos cap. 18. lib. de Quantit. animæ cap. 2. & tract. 8. in 1. Epist. Ioan. Theodoretus. Bernardus, & alij.

3. Oculi Dei qui.

Quando verò oculi Dei describuntur, quod omnia videat, exprimitur. Diuus Hieron. Epist. de his quæ Deo in Sacris Literis attribuuntur Tomo 9. *Oculos Deus dicitur habere, pro eo quòd omnia videt, & nil eum latet, in cuius conspectu ait Apostolus, nulla creatura inuisibilis est, omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Diuus Augustinus in Soliloq. *Oculi tui multò lucidiores sunt Sole; circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & in omni loco contemplantur semper bonos & malos. Cùm enim cunctis præsides singula implens, totus vbique præsens, cunctorumque curam agens quæ creasti, quia nihil odisti eorum quæ fecisti, sic gressus meos, semitasque consideras, & die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cæli & terræ oblitus, tantùm me solum consideres, & nihil sit tibi curæ de alijs. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantùm vnum aspicias, neque minuitur si innumera videas, & diuersa. Quia sicut vnum totum simul perfectè consideras, sic singula quælibet licet diuersa, perfectè simul, totaque totus conspicit visu tuus: Sed sicut omnia, sic vnum; & sicut vnum, sic singula; totus simul sine diuisione, aut commutatione, vel diminutione consideras.* De hoc quoque oculo Diuus Gregorius lib. 25. Moral. cap. 4. *Lux æterna, quæ Deus est, quantò immutabiliter fulget, tantò penetrabiliter videt: & neque occulta nescit, quia cuncta penetrat, neque penetrata obliuiscitur, quia incommutabilis durat. Proinde quoties indignum aliquid corde concipimus, toties in luce peccamus, quia ipsa nobis, & non sibi præsentibus, præsto est. Quum verò nos videri non credimus; in Sole clausos oculos tenemus: illum videlicet nobis abscondimus, non nos illi.*

4. Ps. 30.

Aures etiam dantur Deo, quòd omnia audiat, inquit Tertullianus lib. de Trinit. *Non enim*, inquit Diuus Augustinus in Psal. 30. ad illa Psaltis Regij, Inclina ad me aurem tuam, *quasi corporalibus locis Deus ad nos inclinat aurem suam, aut membris istis corporis determinatis finitus est, omnino nihil horum cogitent humana phantasmata. Inclinat tamen aurem suam ad nos Deus, misericordiam reponendo super nos.* Inclinatio igitur ista aurium figurata est, cùm de substantiâ omninò immateriali dicitur. Deus enim non vocis, sed cordis auditor est, sicut & conspector, inquit Tertul. lib. de Oratione. *Dei aures sonum expectant? Quomodo ergo Oratio Ionæ de ventre ceti per tantæ bestiæ viscera ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem ad cælum potuit euadere?*

5. Olfactus quid significet.

Per nares, precum quasi odorum perceptio ostenditur: sic enim dicitur odoratus holocaustum Noah: per huiusmodi enim olfactum, vim eam intelligimus, quâ cogitationem nostram, atque erga se beneuolentiam, gratam acceptamque habet, siquidem nos odorum suauitatem, per hunc sensum percipimus, quâ mirificè delectamur. Pulchrè Philo lib. de victimis. *Non gaudet Deus centenis boum victimis, cùm sit cunctarum rerum Dominus, nec vllius indiget: mauult pias mentes, & viros sanctitatis meditatores, à quibus etiam res vilissimas odoratissima munera libenter accipit, imò etiam si nihil adferant, ipsos complectitur pro victimis optimis, adducentes hymnos in seruatorem suum, partim absque ore linguaque conceptos in animo, & sic quoque penetrantes ad Deum, quanuis minùs non sentiantur humanis auribus. Hæc vera esse testatur etiam lex iubendo poni duo altaria, materiâ, loco, vsuque differentia. Alterum enim è saxis collectitijs impolitis extruitur in atrio iuxta templi vestibulum ad immolandas victimas. Alterum verò aureum situm est post primum velum in penetralibus nemini conspicuum, nisi sacerdotibus, functionis suæ tempore castitatem seruantibus, quod factum est adolendis odoribus: Vnde liquet micam thuris oblatam ab homine pio, Deo gratiorem esse multis hostijs, si offerentis non adsit probitas: quanto enim aurum præstat lapidibus, & adytum vestibulo, tanto acceptior est suffitus gratiarum actionis, quàm mactata victima. Ideò non solùm materiâ, pretio, artificum opere, sanctitate loci, ara hæc augusta facta est, sed & hoc quòd apud eam quotidie sacra exordium sumunt à gratiarum actionibus: non est enim fas immolare foris, priusquam intus primo manè suffitus factus sit. Quo significatur nihil aliud, nisi Deum non delectari victimarum multitudine, sed offerentis bonâ mente, atque puritate spiritus.* Non enim minùs capitur & delectatur Deus, iustorum orationibus, votis, & laudibus, quàm homines suauissimis odoribus perceptis; voluptate perfunduntur: imò multò magis; vt propterea orationes Sanctorum odoramentis designentur: Apoc. cap. 5. & 8. odor enim humilis precationis cælos penetrat.

Altaria duo Templi Salomonici.

Orationes sunt odores.

6. Os Dei.

Sed enim, & os habet Deus, quo docet hominem scientiam, inquit D. Bernard. serm. 4. in Cant. & guttur illius suauissimum Cant. 5. siue vt legit D. Hieron. lib. contra Iulianum, *Guttur eius dulcedines & totus concupiscentia.* Quibus verbis, sponsa, gratiam eloquij & sermonis dilecti sui laudat, quasi dicat, verba gutturis eius dulcia sicut mel. Quia enim guttur instrumentum est loquendi, non inelegantér phrasi Hebraicâ, guttur pro sermone siue eloquio accipitur: *Sed fortè ascendunt cogitationes in corde tuo,* inquit Diuus Bernardus serm. 45. in Cant. *& quæris dubius apud te dicens, quâ ratione verba verbi facta ad animam referuntur? & rursum animæ ad verbum, vt illa audierit vocem loquentis sibi, & perhibentis quòd pulchra sit; vicissimque idem præconium suo mox reddiderit laudatori? Quomodo possunt hæc fieri? nam verbo loquimur, non verbum loquitur. Itemque anima non habet vnde loquatur, nisi os corporis sibi verba formauerit ad loquendum. Benè quæris, sed attende spiritum loqui, & spiritualiter intelligi oportere quæ dicuntur. Quoties proinde audis vel legis verbum atque animam pariter colloqui, & se inuicem intueri, noli tibi imaginari quasi corporeas intercurrere voces, sicut nec corporeas colloquentium apparere imagines. Audi potiùs quid tibi sit in huiusmodi cogitandum. Spiritus est Verbum, Spiritusque anima, & habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentesque indicent. Et Verbi quidem lingua, fauor dignationis eius, animæ verò deuotionis feruor. Elinguis est anima, atque infans, quæ hunc non habet, & non potest ipsi vllatenus sermocinatio esse cum Verbo. Ergo huiuscemodi linguam suam quum Verbum mouet, volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad Diuisionem animæ & spiritus. Et rursum, tùm suam anima mouet, Verbum latere multo minùs poterit, non solùm quia vbique est præsens, sed propter hoc magis, quòd nisi ipso stimulante, deuotionis lingua minimè ad loquendum mouetur.*

Cant. 5.

Verbum vt loquatur.

Animæ & spiritus vt loquantur.

Hebr. 4.

Neque verò vno solùm modo, sed multis loquitur Deus. Diuus Hieronymus Epist. quæ inscribitur, De his quæ Deo in sacris literis tribuuntur. *Loqui Dei, est inuisibiliter sine voce, vel*

quoliues.

quolibet strepitu in mentibus Sanctorum voluntatem suam, atque rectum intellectum inspirare. Quæ locutio Dei, vt quidam volunt, tribus modis accipitur. Primo namque modo per subiectam creaturam, sicut ad Moisen in igne & nube apparuit, vel sicut ad Abraham atque Iacob, & cæteros Sanctos, quibus in Angelis apparuit. Secundo verò modo in somnis, sicut ad Iacob & ad Zachariam Prophetam, & ad Ioseph sponsum Mariæ, & alijs Sanctis quibus secreta reuelare voluit. Tertio autem modo, nec per creaturam inuisibilem, atque hominem, sed occultâ tantùm inspiratione, inuisibiliter corda eorum tangendo afficit, sicut in libro Prophetarum scriptum est, (cùm ipsi prophetæ subitò afflati Spiritu Sancto, exclamant dicentes), hæc dicit Dominus. Idem habet Diuus Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, additque nullam esse animam quamuis peruersam, quæ tamen vllo modo ratiocinari potest, in cuius conscientiâ non loquatur Deus. Quis enim, inquit, scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus?

Dantur & illi manus, quò omnis creaturæ auctor comprobetur. Diuus Hieronymus lib. 18. in cap. 66. Isa. explicans illa, *Et cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis.* Ait. *Manus Domini pro potentiâ eius accipitur, quòd possit Deus omnia facere quæ promittit, iuxta illud quod ex personâ Dei Moises loquitur ad Pharaonem.* Exod. 4. *Nunc mittam manum meam, & percutiam te, & populum tuum interficiam, & deleberis de terrâ.* Et Diuus Bernardus serm. 7. in Cant. binas Dei manus assignat, quarum vna latitudo, altera fortitudo dicatur, quod & tribuat affluenter, & defendat potenter quod dederit. Diuus Ambrosius in psal. 118. serm. 14. Magnam ait esse sapientiæ manum, quæ dextera est, & totam animam complectatur, & longitudo vitæ est: sinistrâ autem diuitias & gloriam contineri: vtraque autem, præsentia & futura comprehendi, vt læua præsentium remuneratrix, dextera futurorum sit: ita enim explicat illud: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2. Vbi Alphonsus ab Orozco noster per læuam Christi humanitatem intelligit, & per dexteram, eius Diuinitatem. Et cap. 1. manum Patris omnipotentis, vnicum eius Filium esse, scribit, per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil.]

Similiter, quum digitus Dei dicitur, significantia quædam voluntatis aperitur, siue etiam diuina virtus significatur: sic enim Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem, *Apud Pharaonem venefici illi adhibiti aduersus Moisen, virtutem Creatoris digitum Dei appellarunt. Digitus Dei est hoc, quòd significarent etiam modicum, validissimam tamen. Hoc & Christus ostendens, commemorator, non obliterator vetustatum, scilicet suarum, virtutem Dei, digitum Dei dixit, non alterius intelligendam, quàm eius, apud quem hoc erat appellata.*

Brachium verò, quòd nulla natura robori virtutis eius resistere, aut repugnare valeat, edicitur: quis enim resistat vnigenito eius Filio & Spiritui Sancto, qui brachia Dei Patris dicuntur, Tomo 4. apud Diuum Augustinum, lib. de essentia Diuinitatis? Ita enim Isaias cap. 5. *Brachia mea populos iudicabunt.* Sed & Diuus Augustinus lib. 1. de Consensu Euangelistar. cap. 31. lib. de vnitate Eccles. cap. 7. & enarrationib. in psal. 43. & 70. brachium Domini singulariter, Christum Dei filium esse dicit, quod patefecit Dominus in conspectu vniuersarum gentium, Isa. 52. quod & potenti suâ virtute, liberationem nostram gratuitam præstitit. Pulchrè admodum de hoc brachio idem sanctissimus Doctor tractatu 53. in Ioan. totidem verbis, explicans illud Isa. 53. *Brachium Domini cui reuelatum est? vbi satis ostendit, inquit, brachium Domini ipsum Filium Dei nuncupatum, non quòd Deus Pater figurâ determinetur carnis humanæ, eique Filius tanquam membrum corporis hæreat: sed quia per ipsum omnia facta sunt, ideo brachium Domini dictum est. Sicut enim tuum brachium, per quod operaris: sic Dei brachium dictum est eius Verbum, quia per Verbum, mundum operatus est. Cur enim homo, vt aliquid operetur, brachium extendit, nisi quia non continuò fit quod dixerit? Si autem tantâ potestate præualeret, vt sine vllo motu corporis sui, quod diceret fieret, brachium eius, verbum eius esset; quia verbum est cogitabile, vel sonabile. Sed Dominus Iesus vnigenitus Dei Patris Filius, sicut non est paterni corporis membrum, ita non est cogitabile, vel sonabile ac transitorium verbum, quia cùm omnia per ipsum facta sunt, Dei verbum erat. Quum ergo audimus brachium Dei Patris esse Dei filium, non nobis obstrepat consuetudo carnalis: sed quantum ille donante possumus, virtutem Dei & sapientiam cogitemus, per quam facta sunt omnia. Tale quippe brachium nec porrectum extenditur, nec collectum contrahitur. Non est enim ipse qui Pater, sed vnum sunt ipse & Pater, & æqualis Patri, vbique totus est sicut Pater, ne aliqua pateat occasio detestabili errori eorum, qui dicunt solum esse Patrem, sed pro diuersitate caussarum ipsum dici Filium, ipsum dici Spiritum Sanctum. Et in his verbis audent dicere, Ecce videtis, quia ipse est Pater, si brachium eius & Filius. Non enim duæ sed vna Persona est homo & brachium eius: non intelligentes, neque aduertentes, quomodo verba de rebus alijs ad res alias transferantur, propter aliquam similitudinem etiam in locutionibus quotidianis de visibilibus & notissimis rebus. Quantò magis vt nobis ineffabilia qualitercunque dicantur, quæ dici sicuti sunt, omnino non possunt? Nam & homo alterum hominem per quem solet agere quidquid agit, brachium suum appellat. Et si ei auferatur, dolens dicit, brachium meum perdidi: & ei qui abstulerit, dicit, brachium meum mihi abstulisti.* Brachium itaque Dei, fortitudinem eius significat, *Idcircò autem Filius Dei Patris, brachium eius dicitur, quia omnis creatura electa ab ipso continetur,* inquit Auctor lib. de essentiâ Diuinitatis apud D. August. vbi & variæ acceptiones manus Domini referuntur.

Pedes autem Deo adscribuntur, eò quòd impleant omnia, nec quidquam sit omninò, quod Numinis præsentiam non sentiat. Diuus Hieronymus, Epist. cui titulus, De his quæ Deo in Sacris Literis tribuuntur. *Pedes Dei, stabilimentum, & virtus eius est, eò quòd vbique præsens est, & vniuersa ei subiecta sunt, ipso dicente per Isa.* cap. 66. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Aliter pedes, Filij Dei, incarnatio intelligitur, quæ Diuinitati subiecta est; tanquam capiti pedes; sicut enim per caput Diuinitas, sic per pedes Humanitas eius exprimitur, de quâ in Exodo scriptum est.* capite 24. *Viderunt Dominum, hoc est Moises, Aaron, & Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus populi: & paulò pòst, Sub pedibus eius, quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi Cælum cùm serenum est. Sicut autem per lapidem Sapphirum, cælestes creaturas, id est Angelos Sanctos: ita per Cælum serenum, Sanctam Electorum Ecclesiam ex hominibus assumptam, figuraliter demonstrare voluit: Super quas duas creaturas, homo assumptus à Filio Dei, in perpetuum regnat. De quo in Psalmo 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius.*

Quam sententiam descripsit Auctor lib. de essentia Diuinitatis, apud Diuum Augustinum Tomo 4. *Et manum igitur habet Deus, quâ dat escam omni carni,* inquit Diuus Bernardus sermone Dei,

Marginalia: Aug. lib. 2. de serm. Dñi in monte. — 4. — 8. — 8. — 9. — Isa. 5. — Isa. 52. — Isa. 53. — Patripassianorum hæresis. — 10. — Isa. 66. — Exod. 24. — Psal. 8. — Manus

sem reperies? quasi dicat, neque oculis, neque cogitatione penetrare longiùs altiùsque poteris, quàm in terræ viscera, & cauitates subterraneas; at Deus, suis pedibus longè inferiora, & profundiora terit, & premit. Neque altiùs quam ad supremam Cælorum superficiem ascendere poteris, at ille vniuerso orbi eminens, etiam spatia imaginaria implet. Neque interminas Diuinæ Sapientiæ & prouidentiæ dimensiones assequi poteris, quia latior, longiorque omni re spectabili. Pusillares mundus est, & in illo, quod quærat semper omnis mundus habet: *Rerum natura*, inquit Seneca lib. 7. quæstionum naturalium cap. 31. *Sacra sua, non simul tradit. Initiatos nos credimus: in vestibulo eius hæremus. Illa arcana, non promiscuè nec omnibus patent: reducta, & in interiore sacrario clausa sunt.* Magnum facias mundum. *Quota pars operis tanti nostris oculis committitur? Ipse qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit, deditque circa se, maiorque est pars operis sui, ac melior, effugit oculos, cogitatione visendus est.* Quapropter, si neque altitudinem cæli, neque profunda abyssi, neque effusos maris sinus, neque ipsius continentis extensionem oculis, aut cogitatione penetrare possis; qui poteris eum apprehendere, qui interminus est? qui cognitione tuâ assequi longitudinem, latitudinem, sublimitatem, atque profundum illius de quo Hilarius lib. 1. de Trinitate: *Deus est intra & extra*, creaturarum, nempe, vniuersitatem: *supereminens & internus, circumfusus & infusus in omnia*, cuius lumen totum indiuiduè, toti mundo penitùs adest, inquit Iamblichus lib. de Mysterijs, & in se manens, sine mistione, diuisioneque sui, diuersa passim illuminat.

Capitis 17. §. 4.

Vtilem esse & iucundam de Deo inquisitionem.

1. EX dictis manifestum fit, verum esse quod ait Diuus Augustinus lib. 1. de Trinitate, nihil difficiliùs quàm Dei naturam quæri, nec alicubi, periculosiùs errari, nec fructuosiùs tamen aliquid inueniri. Quibus verbis, cùm & inquirendi difficultate, & erroris periculo inuestigationis studium coërceat, ostendit Deum non esse qui ingenio hæretici fictus, formatusque sit, arbitrantis eum non amplius quidquam posse, quàm quod ipse suâ ratione complecti. Inuentionis etiam vtilitate propositâ, animos nostros ad inquisitionem exstimulat. Sed nunquid, *qui scrutator est Maiestatis opprimetur à gloria*? Prouerb. 25. omnino, si tanquam prædo irruat, & suis fascibus Maiestatem spoliet, non verò si rapiatur ab eâ, & voluntatem eius scrutetur, quam scrutari, laudabile ducit Diuus Bernard. serm. 62. in Cant. explicans illud Prouerb. 25. vbi ait, *Non opprimitur, qui non scrutator est Maiestatis, sed voluntatis: nam quod Maiestati attinet, interdum quidem & in ipsam intendere audet, sed quasi admirans, non quasi scrutans. Sed & si quando per excessum rapi in illam contingat, digitus Dei est iste, dignanter leuans hominem, non hominis se meritas insolenter Dei alta peruadens. Cùm enim Apostolus raptum se commemoret, vt ausum excuset: quisnam alter præsumat mortalium, huic se Diuinæ Maiestatis horrendo scrutinio proprijs intricare conatibus, & importunus contemplator, pauenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde Maiestatis tanquam irruptores dici reor, non qui scilicet rapiuntur in eam, seu qui irruunt. Ipsi itaque opprimuntur à gloriâ. Ergo formidolosa scrutatio Maiestatis, at voluntatis, tam tuta, quam pia. Quidni totâ diligentiâ scrutando instem sacramento gloriæ voluntatis, cui mihi patendum per omnia scio?* Quamuis itaque Diuina essentia, vestigatu, inuentuque sit difficilis, tamen quoad fieri potest, scrutari libet, inquit Philo Iudæus lib. de Monarchiâ. Quare ibidem Diuus Bernard: *Sed hoc quantò difficiliùs fauatur, tantò suauius quod inde eruis, sapis. Nec verearis illud quod Scriptura minatur scrutatoribus Maiestatis; tantum affer purum & simplicem oculum: non opprimeris à gloriâ, sed admitteris, nisi non Dei, sed tuam quæsieris gloriam. Alioquin suâ quisque opprimitur, non Dei gloriâ, dum proclinis in istam, ad illam leuare ceruicem non sinitur, nimirum grauem cupiditate.*

Operosum itaque sit, atque adeo extra intellectualis creaturæ vim, infinitatis, atque immensitatis Diuinæ profunda scrutari; at iucundum est, etiam ad fulgurantis Numinis radium, quem quæsieris, internoscere, & magis, magisque interea noua disquisitionis face accendi: quandoquidem, & ipsum discendi studium, suam habeat voluptatem, atque lætitiam; nihilque ratiocinantis naturæ genio, ipsâ Diuinorum cognitione conformius; præsertim cùm animæ ipsius essentia, intelligere sit quoddam, sicut docuit Iamblichus lib. de Mysterijs, his verbis: *Intellectus Diuinus dat esse animæ per intelligere suum essentiale, ergo esse animæ, est quoddam intelligere, scilicet Deum vnde dependet: esse nostrum est Deum cognoscere, quia præcipuum esse animæ est intellectus suus.* Non quòd illa quæ à solo purissimo actu penetrabilis est essentia, à quantauis creata intellectus magnitudine, vti ipsa est, valeat comprehendi, sed quòd per ignoratam Numinis naturam tentantes discere, & scire quidpiam eorum quæ circa ipsam sunt, diuino munere possimus. Ascendimus enim ad Deum & descendimus, veluti Angeli per scalam Iacob, ita tamen vt ascendentes feramur deorsum, non tam vt communicemus mortalibus, quæ à fonte Diuinitatis hausimus, quam quia semper maior, sublimiorque videtur in ascensu Deus.

Quare videmus & cæcutimus: cognoscimus & ignoramus: istud autem quod intelligentiâ assequimur, inseruit amori, & quod inscij & ignorantes admiramur, æstimationi: vt dum affectus dilectioni intendit, mens ignoratione affecta, animosiùs semper inquirat. Scitè Iustinus Martyr lib. de expositione Fidei, *Neque enim, quia comprehendi omnino non potest, Deus, idcirco de eo planè negligenter quærendum est, consumendumque omne vitæ tempus in otio; sed vnicuique pro eo captu, qui ei à Domino concessus est, studiosè ac diligenter exquirenda comparandaque est scientia: ita tamen vt eum comprehendi non posse, nobis persuadeamus; quamdiu autem contemplando cognoscendoque progredimur, nosmetipsos ei coniungimus.* Atque ita obscurum & perspicuum fit quid sit Deus, vt quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat, inquit Diuus Gregorius Nazian. orat. de Christi Natiuitate; quod enim percipi omnino nequit, id nec sperat quisquam, nec consequi conatur: quatenus autem capi non potest, admirationem sui excitet, atque ex ipsa admiratione vehementiùs appetatur, requiratur impensiùs, ametur ardentiùs. *Enimuero Deus summum lumen est, & inaccessi-*

Prou. 25.

Scrutari voluntatem diuinam pium.

2.

Animæ esse, est intelligere.

Deum quid sit, scrutantes, ei coniungantur.

inaccessibile, quod nec verbis explicari potest; naturam omnem ratione praeditam illustrans, hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus, eò se magis contemplandum nobis praebens, quò accuratiùs animos purgauerimus; eò rursus magis amandum, quò magis contemplati fuerimus, eò denique magis cognoscendum, quo maiore ipsius amore arserimus; inquit Diuus Nazian. orat. in sancta lumina.

Paruis magna admetimur.

Fit autem in nostrâ cognitione, vt magnitudinis Diuinae immensitatem, intellectus nostri alueolo, attemperemus. Astrologos imitamur, qui sphaerulae ambitu, & paucis eius orbiculis, immensa caeli spatia describunt, & metiuntur: aut eos qui in cerâ & tabellis ingentes colossos exprimunt, vt qui Cyclopis in paruulâ tabellâ dormientis magnitudinem, Satyris pollicem eius thyrso metientibus, expressit. Quare rectè Tertullianus lib. de Trinitate sub initium: *Quidquid omninò de illo retuleris, rem aliquam ipsius magis & virtutem, quàm ipsum explicaueris. Quid enim de eo condignè aut dicas, aut sentias, qui omnibus & sermonibus & sensibus maior est? Nisi quod vno modo, & hoc ipsum quemodo possumus, quomodo capimus, quomodo intelligere licet, quid sit Deus, mente capiemus: si cogitauerimus id illum esse, quod, quale, & quantum sit, non posse intelligi: ne in ipsam quidem cogitationem possit venire.* Diuus quoque Bernardus serm. 31. in Cant. *Interim verò tanta haec formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radij Deitatis, monstrantes quidem quia verè sit, à quo sunt, non tamen quid sit prorsus definientes? Itaque de ipso vides, sed non ipsum:* iterum Tertullianus, *Quid enim de eo (vt iterum repetam) condignè dicas, qui est sublimitate omni sublimior, & altitudine omni altior, & profundo omni profundior, & omni luce lucidior, & omni claritate clarior, omni splendore splendidior, omni robore robustior, omni virtute virtior, omni pulchritudine pulchrior, veritate omni verior, & fortitudine omni fortior, & maiestate omni maior, & omni potentiâ potentior, & omnibus diuitijs ditior, omni prudentiâ prudentior, & omni benignitate benignior, omni bonitate melior, omni iustitiâ iustior, omni clementiâ clementior. Minora enim sint necesse est omnium genera virtutum, eo ipso quo virtutum omnium & Deus & parens est; vt verè dici possit id Deum esse, quod eiusmodi est, cui comparari nihil potest.* Nam etsi scriptum sit, *Deus Charitas est*, non ex hoc tamen Dei substantia charitas expressa est. Si legimus quia Deus lux est, non tamen in hoc Dei substantia est: sed totum hoc de Deo dictum est quantum dici potest, inquit Tertull. vt meritò & quando spiritus dictus est, non esse id quod est. dictus sit, sed vt dum mens hominum intelligendo vsque ad ipsum proficit spiritum, conuersa iam ipsa in spiritum, aliud quid amplius per spiritum conijcere, Deum esse, possit.

Deus est cui comparari nihil potest.

3. Affirmatione, & negatione cognoscitur quid sit vel non sit Deus.

Quamobrem vt quadantenus in diuinorum cognitionem veniamus, quos in effingendâ imagine Pictor, quosvè Statuarius progressus facit, spectandum est. Vt enim hic, continuâ materiae detractione, ille colorum plurimâ additione, quam sub arte & manu habet, perficit imaginem: ita nos Dei veri imaginem in animis nostris efformare debemus, vt detractis ijs quae perfectionis suspectae sunt, additis autem quae perfectionis intemeratae, & longè eminentiori ratione, quàm quod rebus conditis inesse, excogitari potest, ad perfectum deducamus. Non quòd incrementa, decrementáue incommutabilis illius substantiae & perfectionum eius constituamus: *Hic enim semper sui est similis*, inquit Tertull. lib. de Trinit. *nec se vnquam in aliquas formas vertit aut mutat: ne per immutationem etiam mortalis esse videatur. Immutatio enim conuersionis, portio cuiusdam comprehenditur mortis. Ideo nec adiectio in illo vnquam vllius aut partis, aut honoris accedit: ne quid vnquam perfecto adfuisse videatur: nec detrimentum in eo aliquod agitur, ne gradus mortalitatis receptus esse videatur: sed quod est, id semper est, & qui est, semper ipse est, & qualis est, semper talis est. Nam & incrementa originem monstrant, & detrimenta, mortem atque interitum probant.* Sed quòd defoecatas rerum conditarum perfectiones, supereminenti modo, ei qui supra omnem modum est, pro captu nostro tribuamus: nequaquam mentis nostrae sinu finientes, esse illud infinitum, sempiternamque virtutem eius ac Diuinitatem: ne simplicissimae illius lucis verbere exoculati, ceu tenebriones, exerremus. *Excedit namque supereminentia Deitatis*, inquit D. Prosper Aquitanicus lib. Epigrammaton, *non solùm vsitatam eloquij nostri, sed etiam intelligentiae facultatem, veriùs enim cogitatur Deus, quàm dicitur; & veriùs est quàm cogitatur. Non parua autem notitiae pars est, si antequam scire possimus quid sit Deus, possimus scire quid non sit.* Etenim, vt rectè Diuus Ioan. Damascenus lib. 1. Fidei Orthodoxae cap. 4. in Deo, impossibile est, quidnam essentiâ suâ, ac naturâ ipsâ sit, dicere, optimumque est, ex omnium rerum sublatione, aut inficiatione orationem habere; quia, vt inquit Diuus Dionysius Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. affirmationes non conueniunt diuinis rebus, nec dignae sunt Maiestate Dei omnium occultissimi, quia modus cognoscendi per affirmationem, improprius. Quanquam enim, vt habet, Diuus Damascenus suprà, etiam per affirmationem, quaedam de Deo dicantur, praecellentis tamen negationis, vim habent: vnde etiam Diuus Dionysius ait, Deum cognosci posse per caussalitatem & eminentiam, per remotionem & negationem. Aut enim ex ipsâ rerum molitione per humanae mentis indaginem, agnoscitur vnica & prima rerum caussa effectrix, exemplaris & finalis, omnia ex nihilo proferens, omnia formans, omnia definitis rationibus describens, omnia ordinans & conseruans: aut etiam ex earum quae in ipsis sunt rebus conditis perfectionum animaduersione, colligere est, illas ipsas in supremâ rerum caussâ, eminentissimo, ac simplicissimo quodam modo contineri: omnem videlicet magnitudinem, multitudinem, pulchritudinem, mensuram, plenitudinem, potestatem, operationem & ordinem. Quâ de re, optimè Diuus Bonauentura, Itinerarij mentis in Deum cap. 2. *Inde verò omnia in illo esse constat, quòd omnia ab ipso profluxisse conspiciantur, quum & ipsa rerum effectarum nobilitas omnis, eminentiori modo, in earum caussâ esse debeat; vt enim vniuoca caussa formaliter, ita aequiuoca eminenter, omnem sui effectus perfectionem complectitur.* Aut denique discussâ perfectionum quae in creatis sunt, naturâ, quod impurum, quod materiatum, quod potentiale, quodque imperfectum habent, procul arcetur, quum ea Creatori tribuuntur: quod fit quum perfectum Deo & facturae suae commune, singulare fit Dei, negantis significati additamento, vt si Deum substantiam esse dixerimus, non finitam, non compositam, non mutabilem, sed infinitam, simplicem, immutabilem: habere vim intelligendi, non limitatam, sed illimitatam; potentiam operandi non dependentem ab alio, sed independentem: habere durationem non inchoatam, sed aeternam: & his similia. Quas Numinis cognoscendi rationes paucis complexus est Apostolus ad Romanos 1. quum inquit, *Inuisibilia enim ipsius, à creaturâ mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius &*

Deus veriùs cogitatur quam dicitur.

Rom. 1.

& *Diuinitas*, vt τὸ, *inuisibilia*, ad quod quid est Numinis spectet, & inficiatione cognoscitur; τὸ, *sempiterna virtus*, ad efficientem rationem, & per caussalitatem habetur; τὸ, *Diuinitas*, ad caussam finalem, & per excellentiæ eminentiam innotescit. Diuinitatis siquidem nomine, bonum in quoddam quod eminentissimè excellentissimèque in Deo est, quodque suo modo vnicuique rerum naturæ communicatum est, importatur. Has cognoscendi Numinis summus vias, per ea quæ in ipsa creatura reperiuntur, vt quòd sit, quòd auctorem habeat sui, quodque ex nullâ præiacente materiâ tanquam sui firmamento, formata sit. Nam quod esse habeat, perfectionem dicit: quod ab opifice sit, caussalitatem: quòd ex nullius substratæ materiæ præsidio effecta sit, imperfectionem. Primum ad viam excellentiæ spectat, per quam Numinis notitia habetur: alterum ad viam efficientiæ, tertium ad viam negationis, quæ imperfectionis remotione continetur; quæ omnia aliquot rationibus prosecutus est D. Tho. 1. part. quæst. 2. art. 3. & lect. 6. in 1. cap. ad Romanos. Sed nec propterea ex hac rerum conditarum perspectione habetur quid sit Deus: nam licet inueniri hoc modo possit, intelligi tamen quid sit, non potest. *Siue enim illum dixeris lucem*, inquit Tertull. lib. de Trinit. *creaturam ipsius, magis quam ipsum dixeris, ipsum non expresseris: siue illum dixeris virtutem, potentiam ipsius magis quàm ipsum dixeris, & deprompseris: siue dixeris Maiestatem, honorem ipsius magis, quàm illum ipsum descripseris.*

Deum quid sit intelligere impossibile.

Huc spectat illud Platonis Θεὸν εὑρεῖν μὲν οὐ ῥᾴδιον, νοῆσαι δὲ ἀδύνατον. *Deum quidem inuenisse, haud facilè est; intellexisse autem, impossibile.* Quare & ipsemet de seipso in Timæo, *Quid Deus sit, non noui; quid non sit, noui: nam scio non esse colorem, neque quidpiam huius generis, sed his præstantiorem esse intelligo.* Vbi colorem adduxisse aduertero, vt quantæ muis pulchritudinem, quæ ex aptâ colorum proportione consurgit amabiliter, siue quodcunque pulchrum imaginabile significaret, quale non est Deus.

4.

Philosophorum de Deo sententiæ.

Hinc est quòd alij Philosophi in varias de Deo opiniones distracti, illum sibi quisque prout opportuniùs iudicauit, descripserit. Proclus inprimis lib. de Animâ & Dæmone, in hunc modū de Deo philosophatur, Sicut materia est informis, sic & Deus, & vtrumque est infinitum penitùs & ignotum: tametsi hæc omnia Deo quidem secundum melius conueniunt; secundum verò deterius, materiæ competunt. Trismegistus, Deum esse sphæram intellectualem, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam. Thales Milesius, esse mentem quæ ex aqua cuncta formauerit. Pythagoras, esse animum per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo omnia quæ nascerentur animalia, vitam caperent. Anaxagoras, esse infinitam mentem, quæ per seipsam moueretur. Chrysippus, Naturalem vim Diuinâ ratione præditam, Diuinàmque necessitatem. Zenon, Diuinam naturalemque legem: atque ita alij aliter sibi formarunt Deum.

Deus est sphæra intellectualis.

Inuentum enim solummodo Deum, inquit Tertullianus in Apologetico aduersus gentes, *non vt inuenerant disputauerunt, vt & de qualitate & de naturâ eius disceptent. Alij incorporalem asseuerant, alij corporalem, vt tam Platonici quàm Stoici: alij ex atomis, alij ex numeris, sicut Epicurus & Pythagoras; alij ex igne, qualiter Heraclito visum est; Et Platonici quidem, curantem rerum, contrà Epicurei otiosum & inexercitum, & vt ita dixerim, neminem humanis rebus; positum verò extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc: intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo, intra illud maneat, quod regat.* Quòd cùm ista non sit Deus, quæ illi affirmarunt, rectiùs Plato Deum inficiatione meliùs quàm affirmatione cognosci censuit, quia vt inquit D. Cyprian. siue quiuis alius auctor de operibus Cardinalibus. *Affirmatio de Dei essentiâ in promptu haberi non potest: neque enim diffinibilis est Diuinitas, sed veriùs sincerius que remotio indicat negando quid non sit, quàm asserendo quid sit: quoniam quidquid sensui subiacet, illud esse non potest, quod omnem superat intellectum. Quidquid audiri vel videri, vel sciri potest, non conuenit Maiestati: hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum, & caligat affectus.*

Deus inficiatione meliùs quàm affirmatione cognoscitur.

Pulchrè quoque in hanc sententiam Tertull. in Apologetico. *Inuisibilis est, etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur: inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur: adeò verus & tantus est. Cæterùm quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est & oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & sensibus quibus inuenitur. Quod verò immensum est, & sibi soli notum est, hoc quod est, Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita enim vis magnitudinis, & notum hominibus obiicit, & ignotum.* Scilicet vt ex eo quod notum est, vtilitatem; ex eo quod ignotum est, voluptatem capiamus: delectamur enim in illo ignoto in se, & in omnibus alijs à se, cognito, quod est illa omnia & his in infinitum ampliora, quæ verbulo complectitur, vincens scientiam nostram Deus, quando de se ait Exod. cap. 3. *Ego sum qui sum.* Septuaginta Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, *ego sum illud ens*, qui & reddiderunt illud, *Qui est misit me ad vos*, in hunc modum: *illud ens misit me ad vos.* Quæ epigraphe immensitatis Diuinæ, insinuatur, cætera omnia coram Deo, ita esse, ac si non essent: quasi dixerit Deus, tantus sum, vt præter me, nil sit, quod cogitare, quod loqui, quod desiderare, appeti, aut diligere oporteat. Et meritò sanè: nam finge, ô homo, quisquis es, finge nullam à Deo conditam creaturam præter te, quid tunc cogitares? quid animo pertractares? Certè Deum, neque enim quidquam aliud esset, quod cogitare velles: Deum loquereris, Deum desiderares, Deum diligeres. Non minùs ad ista nunc adstringeris, quàm si nihil rerum esset præterea moliminis diuini: tum quia esse animæ tuæ, vt Iamblichus dicebat, est Deum cognoscere; tum quia, quæ extra Deum sunt, ita sunt quasi non sint: facta tamen sunt, vt per illa in summum bonum feramur.

Exod. 3.

Deus semper animo versandus.

Capitis 17. §. 5.

Aliquid de Deo scire, & concipere, beatum.

1.

ET quàm iucundum infundi suauiter in bonum illud æternum, atque ex profunditate illâ increatâ, aliquid irrigantis gratiæ haurire, vnde benè sapiat animæ, prægustatæ beatitatis suauitas! Quæras igitur, ô homo, & requiras, atque quod inueneris, infatigabili animi motu prosequere: oculum ab externis & terrenis rebus prorsus auerte, atque ad intima conuerte, & ad ipsam lucem quæ lux est luminis oculi animæ tuæ, hoc est, intellectus, qui lumen est rationis, quæ oculus est animæ tuæ, vt ipsa non solùm luminosa, sed etiam lumen euadat: Eleganter Plotinus, Ennead. 1. lib. 6. de pulchro. cap. 9. *Si teipsum inspexeris: ac pariter iam habitaueris ipse tecum, nihil habens impedimenti, neque rursus habeas aliud quidquam tecum intus admixtum, fige iam prorsus intuitum: Solus namque hic oculus ingentem inspicit pulchritudinem. At verò si fortè oculus, vel sordibus*

Oculus mentis ad intima nostra conuertendus vt intelligat Deum.

hus infectus, necdum purgatus in speculum lucidissimum intendatur, caligabis protinus, nihilque discernet, etiam si quis ipsum speculum demonstrauerit. Oportet enim visorium videndo cognatum, similemque prius efficere, quàm ad spectandum adhibeatur. Neque enim oculus vnquam videret Solem, nisi factus solaris esset. Neque rursus animus, nisi factus sit pulcher, ipsam pulchritudinem intuebitur. Efficiatur ergo Diuinus siue Deiformis quilibet, atque pulcher, si modo Deum sit & pulchritudinem inspecturus. Quanquam enim hic totum assequi nequeas, attingere aliquantulum dabitur. Et hoc quidem beatum, dicente Magno Augustino serm. 38. de verbis Domini: *Attingere aliquantum te mente Deum, magna beatitudo est: comprehendere autem, omnino impossibile*: ipsa te delectet inquisitio. Quemadmodum enim, vt inquit Philo Iudæus lib. 1. de Monarchia, certò scire non possumus cuiusque stellæ qualis sit essentia, quærimus tamen alacriter, oblectamurque rationibus verosimilibus, propter genuinum discendi desiderium: ad eundem modum, licet illud verum *Ens*, Deum, non valeamus intelligere, debemus indesinenter eum quærere, quando hæc consideratio, vel per seipsam citra inuentionem, res est summè desiderabilis. Nam nec oculis corporis quisquam verterit vitio, quòd, cùm non possint Solem ipsum fixè obtueri, radiorum ab eo in terram defluentium splendorem extremum aspiciant, præsertim, cùm hoc à naturâ nobis insitum sit, teste Philosopho lib. 1. de Cælo, quòd de magnis & altissimis rebus pauca, & malè scire, delectet magis, quàm de inferioribus scire multa, & certissimè, & lib. 1. de partibus animalium cap. 5. *Res namque illas superiores,* inquit, *tam etsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam, amplius oblectamur.* Quare si tantus scientiæ ardor in Pythagora, Platone, Democrito, Eudoxo, & alijs; vt immensos terræ, marisve tractus magno labore emensi, ad Ægyptios sacerdotes, aliosque famâ percelebres viros accesserint, vt aut docentes humana audirent, aut vt è Mercurij columnis Philosophiam perdiscerent. Quantus ardor noster esse debet? quanta animi contentio? quantum studium, vt non iam ex Mercurij sed ex totius vniuersi columnis, Diuinitatis scientiam adquiramus? & veritatem consequamur, quam qui indeptus sit, beatus est? Audi beatitatem, audi & admitte ad eam prosequendam stimulos, quos tibi Diuus Augustinus lib. 2. de libero arbit. cap. 13. totidem verbis, *An verò clamant homines se beatos esse, quum pulchra corpora magno desiderio concupita, siue coniugum, siue etiam meretricum complexantur; & nos in amplexu veritatis, & bonitatis, beatos esse dubitabimus? Clamant homines se beatos esse, quum æstu aridis faucibus, ad fontem abundantem, salubremque perueniunt: aut esurientes prandium, cœnamve ornatam copiosamque reperiunt; & nos negabimus beatos esse, quum & irrigamur, pascimurque veritate? Solemus audire voces clamantium se beatos, si iaceant in rosis, alijsque floribus, vel etiam vnguentis odoratissimis perfruantur. Quid fragrantius, quid iucundius inspiratione veritatis: & dubitemus nos, quum illâ inspiramur, dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum, & neruorum, & tibiarum sibi constituunt, & quum ea sibi desunt, se miseros iudicant, quum autem adsunt, efferuntur lætitiâ: Et nos quum mentibus nostris, sine vllo strepitu, vt ita dicam, canorum & facundum silentium quoddam veritatis illabitur, aliam beatam vitam quærimus, & tam certâ & præsente non fruimur? luce auri & argenti, luce gemmarum & aliorum colorum, siue ipsius lucis quæ ad hos oculos pertinet, siue in ignibus terrenis, siue in stellis & Lunâ & Sole, claritate & iucunditate delectati homines, quum ab istâ lætitiâ, nullis molestijs, nullâ indigentiâ reuocantur, beati sibi videntur, & propter hæc volunt semper viuere: Et nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus?* Ista D. Augustinus, qui ideò dixisse videtur, *Sine vllo strepitu canorum & facundum silentium veritatis, mentibus nostris illabi*: quia spiritus veritatis adsuetior effectio sit, non tam linguæ fibras soluere ad loquelam, quàm easdem infrænare ad silentium. Inde est, quod Moises intra sacrarium Diuinæ veritatis admissus, dicere præsumat. Exod. cap. 4. *Ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Habacuc similiter cap. 3 perceptâ prodigiorum veritate, quæ Dominus in Ægypto patrauerat, *Audiui,* inquit, *& conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea,* hoc est, *labia mea penitus obmutuerunt.* Nunquid etiã Zacharias prodromi Seruatoris nostri parens, prolis futuræ veritate afflatus, omnẽ intermisit affatum? Propterea verò dixit Cassianus de ortu & parentibus præcursoris, *Cor nostrum sic creatum est, vt sit in terrâ quoddam armarium, atque repositorium Diuinorum.* Vnde Fatidicus Psaltes, Diuinæ veritatis eloquia sese in corde suo abscondisse memorat psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua.* Et Dominus ipse, cor petit, in quod veritatem influat, non linguam. Prouerb. 23. *Fili præbe mihi cor tuum,* vt sit domicilium arcanorum meorum. Ne verò semel intusa veritas, premiscuè palam efferatur, ait Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum,* vt nihil admittatur extraneum, nihil emittatur inconcessum: sed arcanum sit, atque nonnisi muta cordis voce dispensetur, quod stupere magis fas est, quàm loqui. Id quod à Doctore Gentium Diuo Paulo factitatum legimus, qui ad veritatis penetuale raptus, siue ipsâ conuersionis suæ die, vt placet D. Ioanni Chrysost. siue annis quatuordecim ab illâ, vt vult Baronius, quum descendisset, sese elinguem professus est. 1. Cor. 12. *Et audiui,* inquit, *arcana Dei, quæ non licet homini loqui.* Spiritus namque veritatis, sic labia plerumque obsignat, vt non modò non soluantur ad profana, sed nec etiam ad Diuina: vnde Psaltes Regius psal 38. *Silui à bonis*: relaxantur autem, vbi & quando Spiritus ipse veritatis expedire iudicauerit: atque tunc, *non estis vos qui loquimini,* inquit veritas ipsa Christus, *sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Hoc bono veritatis vt frueretur Diuinus Psaltes, à forensi tumultu procul, sese ad interiora silentij recepit, sicut ait psal. 54. *Expectabam eum qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus & tempestate.* Quemodo, vel vbi expectabas Propheta sanctè, attentè, cum cura, præparatione, promptitudine, & alacritate, in cordis silentio secretum veritatis opperiebatur, in animi secessu, & commoratione solitudinis, silenter ipsum delectante expectabat: *Ecce,* inquit, *elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* D. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 12. vel 23. *Qui enim,* inquit, *corpore remotus viuit, & tumultibus conuersationis humanæ, desideriorum terrenorum cogitationibus, se inserit, non est in solitudine: si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum secularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe.* Sed est in solitudine, solus: nec tamen solus, quia cum Deo semper est. Hinc Gregor. 4. Moral. cap. 28. *Fugiens se elongat, qui à turbâ desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se subleuat.* Et hoc est in luce veritatis beatam & solitudinis expertem & inexpertem vitam collocare.

O verè beatam vitam, ad ipsiusmet veritatis radios, in ipsammet semper veritatem ire, nec resilire! Hoc enim, Deum cognoscere est: hoc, mentis oculo attingere: & homo fit beatus

Margin notes: Deus indesinenter quærendus. — Studium ardens Philosophorum. — Columnæ Mercurij. — Beata vita in Dei complexu. — 2. — Exod. 4. — Abacuc. 3. — Spiritus sancti effectus, silentium. — Psal. 118. — Prouerb. 23. — Cant. 8. — D. Pauli raptus. — 1. Cor. 12. — Psal. 38. — Matt. 10. — Ps. 54. — Solitudinis bonum. — 3.

tus contingendo corde illud quod semper beatum manet, cuius totus deflagrat amore: Ioan. cap. 17. *Quoniam hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum solum, & quem misisti Iesum Christum.* Hilarius lib. 3 de Trinit. citatus à D. Tho. in Catenâ. *Vita est verum nosse, sed solùm hoc non facit vitam. Quid ergo connectitur: & quem misisti Iesum Christum.* Et Diuus Augustinus super Ioan. apud eundem D. Tho. *Porrò, si cognitio Dei est vita æterna tantò magis in vitâ æternâ, quantò magis in hac cognitione proficimus: non autem morietur vita æterna. Tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit.* Inchoamus igitur hanc perpetuam beatitudinem, adhuc in hoc mortali degentes corpore, si viuimus. Vnde enim fit homo viuus, vita perpetua est, inquit Diuus Augustinus serm. 38. de verbis Domini. Vnde fit homo sapiens, sapientia perfecta est, vnde homo fit illuminatus, lumen sempiternum est. Quod si fortassis, ô bone vir, summam illam veritatem mentis oculo attigeris, si ex vestigio cognoueris: neque tamen altare cordis tui, illius amoris ignibus incandescere, atque inflammari sentis: si (quod grauissimum est) atro serpentis percussus veneno friges, riges; perge perge ad creaturarum lucos, in earum siluas abi, & ex illis, ligna cæde, ligna congere ad ignis conceptum: lignum enim est omnis creatura, quo acccenditur, ardetque Diuinus amor: ipsa namque Dei beneficium est, semperque Diuinæ bonitatis quidpiam exhibet: siue splendorem, siue decorem; siue virtutem, siue quid eiusmodi consideres, portio quædam ipsius est, & lux de luce, quæ super omnem lucem est, splendor de splendore qui super omnem splendorem, virtus de virtute, quæ supra omnem virtutem est, bonum de perenni fonte bonitatis manans. Instrue aram cordis tui, tantæ Creatoris tui munificentiæ consideratione, multo perfunde lacrymarum imbre: inuoca intus magno adfectu, silenti & canorâ cordis linguâ sonante sine strepitu, & ipse qui ignis consumens est, te inflammabit vt ardeas, vt amore ardeas.

Ioan. 17.

Vita est verum nosse.

Vita beata per veritatem inchoatur.

Creaturæ vt accendant amorem Dei.

Capitis 17. §. 6.

Omnia in Deo esse vunm.

1. QVod si omnis ille circumquaque effusus solis splendor, Diuinâ efficientiâ, intra puncti vnius angustias colligeretur; quî posset in eum ferri oculus corporis? obstaret fulgoris magnitudo, obstaret obiecti forma indiuisibilis. Ita ob excellentem, infinitúmque Diuinarum perfectionum gradum, ob earúndem indiscretam & impartibilem vnitatem, quæ altissimâ ratione omnem veritatem, bonitatem, pulchritudinem, elegantiamque rerum omnium, in omnes & singulas, visibilis atque inuisibilis mundi, partes, diffusam, ita complectitur, vt propriè cuncta identificentur naturæ; finita mens, omnem in puncto recollectam venustatem atque præstantiam, peruadere non potest. Quod si nonnihil in summam illam vnitatem, quæ Trismegisto, radix est omnium rerum, ἡ μόνας ῥίζα τῶν ἁπάντων. Si in vnicum cæli terræque Phœnicem efferri audeat, non rem ipsam vti est, sed vt ipsa mens valet capere, cuius vmbram, vt summam, consequitur, intelligit; cùm pari se complectantur gradu, essentiæ modus, & cognitionis, qui ad illam consequitur. Inde fit, vt in simplicissimâ simplicitate, & vnitissimâ vnitate multitudinem, in infinitate & eminentiâ Diuinæ essentiæ radicatam, fabricetur: non enim valet vnicâ sua expressione ea complecti, quæ in Deo vnum sunt omnino, quòd & limitata sit vis intelligendi creata, & infinita intelligibilitas Essentiæ Diuinæ, cui nullus conceptus creatus adæquari potest.

Cur Diuina intelligere non possimus.

Vnitas radix rerum.

2. Hinc illæ tam negatiuæ, quàm affirmatiuæ Diuinorum denominationes, quas de Deo propriè dici comprimis tradunt Diui, Dionysius Cælest. Hierarch. cap. 2. Basilius lib. 2. contra Eunomium. August. tractatu 23. in Ioan. Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. Doctor Angelicus 1. part. quæst. 13. art. 2. & 12. necnon alij. Nam si Angelorum nonnulli Deum laudent vt Majestatem, alij verò vt bonitatem, &c. quemadmodum ex Diuo Chrysost. docet D. Tho. in 1. dist. 2. quantò potiùs humana mens, mortalibus adhuc irretita nexibus, quod *Vnum* est, (scilicet Deum) vt inquit Diuus Dionysius de Diuinis Nominib. cap. 13. *Quoniam omnia vnitè est, secundum vnicam vnitatis eminentiam,* conceptionum suarum varietate partitur? quando & in illâ simplici multiplicitate, & in multiplici simplicitate, vt loquitur Diuus Augustinus lib. 6. de Trinitate, cap. 14. in quo Deo, hoc est esse, quod fortem esse, aut iustum, aut sapientem: quando in illa eminentissimâ vnitate, in quâ omnia singulariter congregata sunt, & superunita, vt inquit Diuus Dionys. cap. 13. citato, suarum rationum firmamenta sortitur?

Simplicitatem Diuinam vt partiamur.

3. Quanquam enim in illâ simplicissimâ, summaque naturâ, non est aliud substantia, & aliud charitas, sed substantia ipsa sit charitas, vt inquit lux Doctorum Diuus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. quia non est aliud sapientia eius, aliud essentia, cui hoc est esse, quod sapientem esse, vt ait idem Doctor Augustinus eiusdem lib. cap. 6. Quia tamen creaturis tanquam vehiculis vtimur, quibus nostra cognitio ascendit in Deum, quidquid venustatis, atque decoris, in earum naturis dispersum comperimus, Diuino adscribimus Numini, quod *omnia quidem in seipso præhabet, secundum vnum simplicitatis excessum,* inquit Magnus Dionysius, de Diuinis Nominib. cap. 5. non tamen secundum specificam rationem, secundum quam dixit Tertullianus lib. de Trinit. *Denique si acceperis spiritum substantiam Dei, creaturam feceris Deum, omnis enim spiritus, creatura est:* neque secundum eum modum, quo eiusmodi perfectiones creatis insunt, in quibus aliud est, & aliud, spiritus, substantia, vita, intellectus, voluntas, sapientia, prouidentia, & his affinia. Quoniam *non vsu nostro aliud Deum putare, aliud pulchritudinem eius, atque aliud magnitudinem ipsius, debemus: pulchritudo, & magnitudo Dei, ipse Deus est,* sicut inquit Isidorus lib. 1. de summo bono, sententia 5. & elegantissimè explicat Diuinus Dionysius cap. 5. de Diuinis Nominib. sic fatus: *Non autem aliud esse bonum dicit, & aliud existens, & aliud vitam, aut sapientiam. Sed vnius esse omnes bonos processus, & à nobis laudatas Dei denominationes:* sed secundum generaliorem quandam rationem illa tribuimus Deo, in quo sunt vna eademque res: sicut disserit Diuus Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 6. *Deus verò multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dicitur: sed eadem magnitudo eius est quæ sapientia; & eadem bonitas quæ sapientia & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum esse aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.*

Deus non est spiritus specificè.

Multi-

4. Quomodo Deus sit multa.

Multiplicitas igitur, in Deo non est, sed in intelligentis creaturæ intellectu, non in esse, sed in ratione, omnis distantia est posita. Hæc tamen de Deo effamur: siue quæ in nobis & Intelligentijs essentialia concipimus, vt sunt, substantia, spiritus, viuens, intellectualis, quæ Deo secundum rationes genericas conueniunt: siue quæ substantiam spiritualem perficere intelliguntur, cuiusmodi sunt, duratio, præsentia, intellectus; & quæ ad ipsum spectant, vt scientia, sapientia, prudentia, ars: virtutumque intellectualium actus immanentes, vt intellectio, mentis conceptus, idea: quæve actionum immanentium propria sunt, vt euidentia, claritas, certitudo, veritas: voluntas quoque, & quæ ipsius sunt virtutes & actus, videlicet, charitas, iustitia, misericordia, liberalitas, amor, intentio, electio, & cætera huiusmodi; quo spectat etiam prouidentia, & eius pars prædestinatio. Potentia denique, quæ in Deo est omnipotentia.

5. Perfectionis creatæ & increatæ disparitas.

Ista de Deo, sed supereminenti quadam ratione dicuntur, siquidem creatæ, atque increatæ perfectionis, sit ratio dispar. *Quoniam enim bona*, inquit, Diuus Anselmus Monologij cap. 15. *non potest esse iustitia, iustitiam autem habere potest, non enim intelligitur iustus homo, existens iustitia, sed habens iustitiam. Quoniam igitur summa natura, non propriè dicitur iusta, quia habet iustitiam; sed existit iustitia, cùm dicitur iustus, propriè intelligitur existens iustitia, non autem habens iustitiam: quare quum dicitur iustitia, non dicitur qualis est; sed quid est.* Quidquid enim de Deo dicitur, eius substantia dicitur, quæ simplicissimè, atque vnitissimè est omnia. In mundo namque intelligibili, siue primo Archetypo, id est, Deo, omnia vnum sunt, licet in sensili, caducoque mundo, turbata multitudine diuidantur, inquit Plato in Sophistâ: effecta namque quæ sunt Dei in Deo sunt, non id quod in seipsis sunt, sed quod idem ipse est, inquit D. Ansel. in Monolog.

6. Perfectiones omnes omnium rerum in vno sunt principio.

Ita ergo virtus omnis atque perfectio, quæ per opificij totius singulares naturas dispersa sunt, vnius virtute principij concluduntur, & longè eminentiori modo, quàm in creaturis reperiantur, in quibus aut decidunt, aut possunt decidere: nunquam autem in Deo, in quo sunt vita. Quemadmodum enim in semine radix, truncus, rami, frondes, flores, fructus: in fontis gremio, riuuli quaquauersum effluentes, numeri multiplices in vnitate, linearum plures desinentiæ in puncto, indiuidua in genere continentur: ita in Deo eminent omnia, quoniam omnium auctor ipse est, id quod paucis & eleganter prosecutus est Diuus Dionys. de Diuin. Nominib. cap. 5. dicens, *In Diuinâ Bonitate sunt omnia immensuratè, & vnitè, sicut in monade, omnis numerus vniformiter est, & in centro omnes lineæ ad se ipse; & ad vnum initium, à quo processere, coniunctæ & copulatæ continentur.*

7. Amandus Deus quia omnis boni fons.

Sed quantus hic, ô anima mea, thesaurus! ô si illius desiderio & amore, vt par est, caperis! quos non fragrantissimi amoris ignes tuis in præcordijs suscitaret, quando considerata rei sensibus obiectæ pulchritudo & elegantia, animos nostros accendit? Diuus Augustinus in Manuali, *O immensa bonitas, quæ omnium intellectum excedis. Veniat super me misericordia illa, quæ de tantâ opulentiâ procedit, instans in me quæ profluit de te. Si singula bona, delectabilia sunt, cogita intentè, quàm delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantò differentem, quantò differt à creaturâ Creator. Si enim est bona vita creata, quàm bona est vita creatrix? Si iucunda est salus facta, quàm iucunda est salus quæ fecit omnem salutem? Denique si multæ, & magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus, qualis & quanta est delectatio in eo qui ipsa delectabilia fecit? O, qui hoc bono fruetur, quid illi erit? Quid illi non erit? Certè quidquid voluerit, erit illi, & quidquid noluerit, non erit. Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est.* Finge totius vniuersitatis decorem, omniumque omnino rerum, quas cærulea machinæ huius testudo comprehendit virtutes, in vnâ gemmâ conuenire: solis nimirum huius spectabilis vim splendidam, ac rerum quæ terrâ marique continentur, genitricem, sideream lunæ facem, incrementorum, decrementorumque vicissitudine, temporum & humorum momenta partientem: planetarum reliquorum, vtilem substratis rebus influxum: vario florum colore, pictæ telluris gratam oculis pulchritudinem: herbarum, stirpium, caudicum, vim medicam: omnes & singulas lapillorum omnium qui in pretio sunt mortalibus, proprietates; & aduersus intoxicationes, venenatorum morsus, fascinationes; prauasque tum corporis, tum animi adfectiones, præsidia: si hæc, & his multò ampliora in vno adamante concurrerent, quanti ille pretij? quantæ æstimationis? Et quàm opulentus, quamvè beatus qui illum possideret? ita iudicares: ita sentirent quicunque sanæ mentis.

In Deo ista sunt omnia, non vt qualitates, sed vt essentia: *Quidquid*, enim, *in summo bono est*, inquit Richardus de Sancto Victore lib. 1. de Trinit. cap. 17. *verè & summè vnum est: nec enim ibi aliud, & aliud esse potest; idem ipse est totum quod est.* Et Diuus Gregorius Nyssenus lib. ad Ablabium, *omnem circa essentiam diuersitatem reijcit diuina simplex & variationis inscia natura.* Quàm verè felix, qui illud vnum quod omnia est, quærit? quàm opulentus, quàm diues qui inuenit? & quàm beatus qui possidet, cuius possessio in plenissimâ ratiocinantis naturæ potestate est.

CAPVT XVIII.

Deum non esse corpus.

Vt erratum à quibusdam qui Deum finxerunt corporeum.

1. Qvemadmodum in fulgentem Solis rotam fixo luminis intuitu, nemo potest intendere, quin fulgoris radio percussus lædatur, sic neque in supereminentem Diuinitatis fulgorem, mentis cogitatum efferre, atque inscrutabilem scrutari substantiam, sano, saluoque animi intuitu, quisquam potest: exemplo sint Philosophi, qui Deum quidem inuenere, sed vnde diuitiarum affatim erant contracturi, inde magis egeni effecti sunt, quia illum, vt inuenerant, non tenuerunt: de qualitate namque eius & naturâ disputaturi, alij incorporalem, alij corporalem asseuerarunt, sicut ex Tertulliano §. 4. num. 4. capitis præcedentis retulimus: alij ex atomis, alij ex numeris, alij ex igne constare dixerunt, atque ita Deum esse corporeum, commenti

Deum corporeum esse qui dixerint.

sunt:

sunt: cuius etiam impietatis, meritò arguitur Aristoteles, qui 12. Metaphysicor. cap. 7. Deum animal esse, atque adeò corporis mole constitutum existimauit, sic enim ait, φαμὲν δέ τον θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον ἄριστον. *Dicimus autem Deum esse animal sempiternum optimum*, & eam illius omninò mentem fuisse constat, tum ex Athenagorâ Philosopho Atheniensi, qui in oratione quadam, quam pro Christianis, ad Marcum & Commodum Imperatores habuit, stringit Aristotelem, quòd Deum animal, ex animâ & corpore constitutum putarit: tum ex Galeno de Philosophicâ historiâ, cap. 25. vbi idem, eundem censuisse scribit: vt Iamblichum, non solùm Platonicum, sed etiam, teste Simplicio, diligentem Aristotelis expositorem, prætercam, qui lib. 1. de sectâ Pythagoricâ, affirmat custodiri in arcanis hæc Aristotelis verba, τοῦ λογικοῦ ζώου τὸ μὲν ἐστι θεὸς, τὸ δὲ ἄνθρωπος, *Animalis rationalis, aliud est Deus, aliud homo.*

2. Hominis species et tributa. Negata.

Communis hic error Græcorum fuit, qui humanâ effigie in sacris vtentes, nullâ re expressiùs Dei virtutem, quàm hominis naturâ significari existimabant, contrario abs Germanis instituto, qui Cornelio Tacito teste lib. de moribus Germanorum, nec cohibere parietibus Deos, neque in vllam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cælestium, arbitrantur. Quare Empedocles apud Victorium lib. 3 variar. lectionum, cap 10. Homerum, Hesiodumque, necnon & reliquos Poëtas carpit, qui speciem hominis Dijs affingerent, quæ nullo modo, vt ipse docet, illis congruebat, vtpote ab omni humanæ formæ materiâ secretis.

3. Sadducæi.

Neque gentes solùm, apud quas in ipsâ veri Numinis cognitione, culpabilis eiusdem ignoratio: verùm etiam ex Isacidarum genere Sadducæi, Patrem & Filium in Diuinis, corporeos opinati sunt, omnem verò spiritum, etiam in seipsis, expunxere, teste Diuo Epiphanio in eorum hæresi: ob cuius erroris immanitatem, tanquam diris deuoti, abs Synagogâ expulsi sunt. Ex ijs verò qui salutaribus Christi mysterijs initiati, Audæus Monachus, vir aliàs religiosus & pius, à quo Audiani, siue Vadiani, qui & Antropomorphitæ apud Diuum Augustinum, Hæresi 50. humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam retulit, humani oris, atque membrorum speciem illi tribuens, sicut apud Epiphanium Hæresi 70. & Theodoretum lib. 4. Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 9. & lib. 4. Hæreticarum Fabularum, titulo de Audianis, videre est: cui errori etiam adhærere Manichæi, teste Diuo Augustino Hæresi 46. Sed hanc Antropomorphitarum maniam, damnauit Ecclesia: hæreticonque atro signari lapillo voluit Theodosius Imperator in l. Ariani, C. de Hæreticis, & habetur, cap. quidam autem, 24. quæst. 3. Ecquid enim adferri potuit dementiùs de superspirituali & interminatâ Dei substantiâ, quàm quòd quidam illorum, teste Diuo Hieronymo, lib. 1. in Amos cap. 2. Voluere illi Deum in humanæ similitudinis modum, in solio excelso sedere, pedibus in terram fixis ne pendeant, bonæ fragrantiæ odorem naso odorari, oculis videre, manibus operari, auribus audire, ore loqui, dente cibos conterere, atque alijs compositæ naturæ affectionibus teneri. *Constat autem inter illos qui rectè intelligunt*, inquit Diuus Augustinus lib. 2. quæstionum super Exodum, *nullo Deum contineri loco, nec aliquo, velut situ corporis membra ponere; sicuti est nostri corporis situs, sedere, iacere, stare, & si quid huiusmodi est: hæc enim sunt nisi corporum, Deus autem spiritus est.*

Audiani.

4. Operationes hominis duplices.

Quòd si tenebriones illi ad illucentem rationis, quæ in homine est, faculam, imaginationis suæ portenta admouissent; haud dubium, quin tum ex ipsâ operandi ratione, quâ homo à brutis secernitur, tum ex ipsius hominis figmento, intellexissent, puriorem quandam esse naturam, quæ impedimentis non irretita corporis, præstaret reliquas. Cùm enim operationum hominis quædam, obiecta habeant materiata, dependeantque ab organo proprio corporis, vt actiones externorum, internorumque sensuum, veluti visio, auditio, gustatus, tactus, odoratio, imaginatio, & reminiscentia: Aliæ, materialia quædam obiecta sortiantur, & corporeis subiecta affectionibus, cæterùm organo careant corporeo eiusmodi actionum susceptiuo, quales sunt, concupiscibilis, & irascibilis appetitus, & motus concitatiores, qui licet cum corporis motatione, spirituum sanguinisque agitatione fiant, non tamen ab aliquâ præstitutâ corporis parte eliciuntur. Et hæc quidem sensuum appetendi facultas in eo differat à rationali, quòd nullo prærequisito intellectus iudicio, quo ad operandum concitetur, solâ imaginatione duce, in suas actiones erumpat. Aliæ præterea sint, quæ, sicut Philosophus ait, lib. de Somno & Vigiliâ cap. 1. non sunt suppositi, sed potiùs animæ solius, vt intelligere, contemplari, argumentari, naturæ consentanea prosequi, auersari contraria.

Ex his, si sanioris alicuius iudicij scintillâ mouerentur, intelligere poterant diuinioris cuiusdam mentis portionem nunquam interituram, humanos artus informare, per quam, & à solò sensu vigentibus, discernerentur; & ad altiora capessenda, quàm quæ sensibus substrata sunt, concitarentur, spiritualis cuiusdam, ac per se consistentis naturæ, argumento perquam nobili.

5. Homo ex spiritu & corpore constat.

Sed & ipsa hominis structura, illud ipsum per se satis docet: afflatus enim homo in ipsâ sui conditione, immortalitatis spiraculò, præter corpoream quæ cernitur, spiritualem, quâ viuit & intelligit, substantiam prodit. Etenim, *Cùm verbò artifici visum fuisset ostendere animal vnum ex vtroque*, inquit Diuus Gregorius Nazian. Orat. de Christi Natiuit. *hoc est, ex inuisibili & visibili materiâ, fabricatur nempe hominem: atque à materiâ, quæ priùs iam creata erat, accepto corpore, à se autem spiraculum inserens (quod quidem intellectualem animam, & imaginem Dei Scriptura vocat) veluti secundum quendam & alterum mundum, in paruo magnum, in terrâ constituit Angelum alium, mixtum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectilis mystem, eorum quidem quæ in terrâ sunt, Regem: à cælo autem imperium accipientem, terrenum & cælestem, caducum & immortalem, visibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem & deiectionem, eundem spiritum & carnem: spiritum propter gratiam, carnem ob superbiam: illud, vt maneat, ac suum benefactorem concelebret, hoc vt vexetur, ac vt vexatus commonefiat, & de magnitudine sibi placens erudiatur, ac coërceatur. Animal hic variè gubernatum, atque aliò demigrans, & quod in mysterijs extremum est, animi ad Deum nutu & subiectione, ad Diuinitatem assurgens.* Iam verò, si ex spirituali & corporeâ substantiâ, tertium quoddam

Homo, magnus mundus in paruo.

Spiritus vt detur.

dam coalescat, quamlibet harum in suâ specie perfectam esse oportet, ne quæ defectio in rerum naturâ detur, quemadmodum contra Gentes argumentatur Doctor Angelicus, exemplo sint Gryphes, animalia pennata simul & quadrupedia, omni ex parte leones, alis tantum & facie, aquilis similia, aurita aduncitate rostri, quos apud Scythas aurum eruere memorat Plinius lib. 33. nat. Histor. capite 4. & lib. 7. capite 2. cum Arimaspis Aquilonaribus hominibus, quos vno oculo in fronte mediâ insignes prodit, circa metalla, bellum assiduè gerere, aurum ab hoc volucri ferarum genere ex cuniculis erutum, mirâ cupiditate, & Arimaspis rapientibus, & feris custodientibus: quanquam lib. 10. capite 49. Gryphas fabulosos putet, veluti & Pegasos equino capite volucres: vtvt sit, Gryphas, inquam, ferarum volucri genere, quale vulgò traditur, in exemplum proferamus, quos quum ex volatili, quadrupedumque terrestri naturâ accipiamus, non quadrupedia modò, verùm etiam volatilia, suis quæque naturis atque essentijs completa, perfectaque haberi, vniuersi decorem decet: nam si terrestria solùm haberentur, imperfectam, incompletamque vniuersitatis speciem, media hæc volucris natura proderet, partitam solummodò animalis ætherei naturam exhibens.

Griphes.

Bellant cum Arimaspis.

Gryphis natura.

Ita prorsus in homine est, quem cùm ex corpore & spiritu conflatum experiamur, vnamquamque naturam in suâ specie compleri oportet. Sicut ergo corpora cernimus sine spiritu, vt saxa, metalla, & his affinia; alia cum spiritu, vt homines, ipsa decens vniuersi constitutio necessariò postulat vt sint spiritus ab omni prorsus materiæ concretione puri: qui si dentur (sicut reuera dantur) quantis ipsa Diuini Numinis simplicitas creatorum Spirituum puritatem præcurret spatijs? Spiritualis igitur est substantia Dei, magnitudinis, atque circumscriptionis expers: neque verò loco definitur, saut est partibilis, quia quod tale est, corruptionis legibus tenetur: quod quum summi Numinis simplicitati, atque immensitati aduersari, quiuis sanus intelligat, cum Procopio Gazæo in Exodum, errones illi, ita ratiocinari poterant. *Deus non habet figuram, omnis enim figura finita est, seu finem habet: quidquid finitum est, seu finem habet, censetur corpus: omne corpus est compositum, quidquid compositum est, id corruptioni & dissolutioni obnoxium est: cæterùm corruptio, est compositi corporis destructio.* Atque ita inuenissent Deum non esse corporalem, sed incorporeum, qualem profitentur Orthodoxi.

Auctor lib. de Essentiâ Diuinitatis apud Diuum Augustinum Tomo 4. *Incorporeus est quia nullis membrorum lineamentis compositus, sine compassione existis, sicut veritas in Euangelio ait, Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet.* Auctor itidem lib. de Speculo apud eundem Augustinum Tomo 9. cap. 24. totidem verbis: *Decuit igitur te solum vnum & verum Deum non esse corporeum vel passibilem vel palpabilem, nullam sui partem corporeis oculis posse sentiri, nihil de substantiâ tuâ atque naturâ, vllo modo esse violabile aut compositum aut fictum, aut maius aut inferius.* Ad quem Diuus ipse Augustinus lib. 3. Confess. capite 6. *At tu amor meus in quem deficio vt fortis sim; nec ista corpora es quæ videmus, quanquam in cælo, nec ea es quæ non videmus ibi, quia tu illa condidisti, nec in summis tuis conditionibus habes. Quantò ergò longè es a phantasmatibus illis meis, phantasmatibus corporum quæ omnino non sunt, quibus certiores sunt phantasiæ corporum eorum quæ sunt, & eis certiora corpora, quæ tamen non es: sed nec anima es; quæ vita est corporum: ideo melior vita corporum, certiorque quàm corpora. Sed tu vita es animarum, vita vitarum, viuens te ipsâ, & non mutaris vita animæ meæ.*

Capitis 18. §. 1.

Humani oris speciem, humanosque affectus Deo tribui.

I.

QVorsum ergo ad imaginem & similitudinem Dei Homo, si non illi forma illa quam exhibet homo? Quorsum oculi Domini super iustos? Psalm. 33. Quorsum odoratus Dominus Deus odorem bonæ fragrantiæ? Gen. 8. Quorsum tabulæ Mosaicæ, digito Dei inscriptæ? Exod. 31. Quorsum manus valida, & brachium excelsum, quo Israelitæ Ægyptiaco ergastulo morantur erepti? Exod. 6. Quorsum illud, *os Domini locutum est?* Isa. 1. Vt quid terra scabellum Dei perhibetur, & cælum sedes? Isa. 66. Cur etiam illud. *Inclina ad me aurem tuam & exaudi me?* Psal. 85. Quæ omnia, exemplaria quædam esse videntur earum, quæ in humana formâ sunt, descriptionum. Quorsum denique, humani figmenti affectiones Deo adscriptæ, nisi quia Prototypi formam inuisibilem referat Antityporum formâ visibilis?

Ps. 33.
Gen. 8.
Exod. 31.
Exod. 6.
Isa. 1.
Isa. 66.
Psal. 85.

Ista quidem corporis nostri lineamenta sunt, quibus tamen quum describi mentem increatam legimus, vim efficacem virtutis illius, non habitus aut membra corporis, quibus interminata Diuinæ Majestatis magnitudo includatur, intelligimus. Ita summi ac primi Theologorum proceres, Diuinus ille Areopagita, Magnus Augustinus, Diuus Hieronymus, Tertullianus, & alij. Sic enim Diuus Hieronymus, *Membra hominis, sicut & affectus humani, tropicè Deo adscribuntur, non propriè.* Quare Diuinum Numen corporis mole affectum nemo rectè dixerit, quod humani corporis membra legat, & tactus manus Dei, ad quorum membrorum similitudinem, homo conditus sit. *Non de membris Dei*, inquit Diuus Augustinus Epist. 111. quæ est de videndo Deo, *quæ assiduè Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis huius formam & figuram, nos esse crederet similes Deo: propterea & eadem Scriptura, & alas habere Deum dixit, quas nos vtique non habemus: sicut itaque alas cùm audimus, protectionem intelligimus, sic & cùm audimus manus, operationem intelligere debemus, & quum audimus pedes, præsentationem; & quum audimus oculos, visionem quâ cognoscitur; & quum audimus faciem, notitiam quâ innotescit.*

Deo corporea vt tribuantur.

Manus & pedes Dei quid significent.

Fit autem huiusmodi partium humani corporis descriptionibus, quibus Diuinæ efficaciæ multiplex simplicitas, & simplex multiplicitas demonstratur, vt suis ipsa Majestas Numinis interminatæ magnitudinis campis, non secus atque per multiformes vnius quidem simplicissimæ vniformitatis denominationes, sine vllo fine diffundatur.

2. Adam ad imaginem Dei.

Quare quod Adam ad imaginem & similitudinem Dei compositus: hoc dictum maximè intellectualis naturæ ratione, quæ in Deo tanquam in exemplari supremo: non igitur ad corpus, sed ad animum ista imago & similitudo referenda est; sicut censuere Patres: Basilius Hom. 10. in Genes. August. lib. 6. de Genesi ad literam cap. 12. & 1. de Genesi contra Manichæos cap. 18. lib. de Quantit. animæ cap. 2. & tract. 8. in 1. Epist. Ioan. Theodoretus. Bernardus, & alij.

3. Oculi Dei qui.

Quando verò oculi Dei describuntur, quod omnia videat, exprimitur. Diuus Hieron. Epist. de his quæ Deo in Sacris Literis attribuuntur Tomo 9. *Oculos Deus dicitur habere, pro eo quòd omnia videt, & nil eum latet, in cuius conspectu ait Apostolus, nulla creatura inuisibilis est, omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius.* Diuus Augustinus in Soliloq. *Oculi tui multò lucidiores sunt Sole; circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & in omni loco contemplantur semper bonos & malos. Cùm enim cunctis præsides singula implens, totus vbique præsens, cunctorumque curam agens quæ creasti, quia nihil odisti eorum quæ fecisti, sic gressus meos, semitasque consideras, & die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cæli & terræ oblitus, tantùm me solum consideres, & nihil sit tibi curæ de alijs. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantùm vnum aspicias; neque minuitur si innumera videas, & diuersa. Quia sicut vnum totum simul perfectè consideras, sic singula quælibet licet diuersa, perfectè simul, totaque totus conspicit visus tuus: Sed sicut omnia, sic vnum, & sicut vnum, sic singula; totus simul sine diuisione, aut commutatione, vel diminutione consideras.* De hoc quoque oculo Diuus Gregorius lib. 25. Moral. cap. 4. *Lux æterna, quæ Deus est, quantò immutabiliter fulget, tantò penetrabiliter videt: & neque occulta nescit, quia cuncta penetrat, neque penetrata obliuiscitur, quia incommutabilis durat. Proinde quoties indignum aliquid corde concipimus, toties in luce peccamus, quia ipsa nobis, & non sibi præsentibus, præsto est. Quum verò nos videri non credimus; in Sole clausos oculos tenemus: illum videlicet nobis abscondimus, non nos illi.*

4. Ps. 30.

Aures etiam dantur Deo, quòd omnia audiat, inquit Tertullianus lib. de Trinit. *Non enim*, inquit Diuus Augustinus in Psal. 30. ad illa Psaltis Regij, Inclina ad me aurem tuam, *quasi corporalibus locis Deus ad nos inclinat aurem suam, aut membris istis corporis determinatis finitus est, omnino nihil horum cogitent humana phantasmata. Inclinat tamen aurem suam ad nos Deus, misericordiam reponendo super nos.* Inclinatio igitur ista aurium figurata est, cùm de substantiâ omninò immateriali dicitur. Deus enim non vocis, sed cordis auditor est, sicut & conspector, inquit Tertul. lib. de Oratione. *Dei aures sonum expectant? Quomodo ergo Oratio Ionæ de ventre ceti per tantæ bestiæ viscera ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem ad cælum potuit euadere?*

5. Olfactus quid significet.

Per nares, precum quasi odorum perceptio ostenditur: sic enim dicitur odoratus holocaustum Noah: per huiusmodi enim olfactum, vim eam intelligimus, quâ cogitationem nostram, atque erga se beneuolentiam, gratam acceptamque habet, siquidem nos odorum suauitatem, per hunc sensum percipimus, quâ mirificè delectamur. Pulchrè Philo lib. de victimis. *Non gaudet Deus centenis boum victimis, cùm sit cunctarum rerum Dominus, nec vllius indiget: mauult pias mentes, & viros sanctitatis meditatores, à quibus etiam res vilissimas odoratissima munera libenter accipit, imò etiam si nihil adferant, ipsos complectitur pro victimis optimis, adducentes hymnos in seruatorem suum, partim absque ore linguaque conceptos in animo, & sic quoque penetrantes ad Deum, quantumuis non sentiantur humanis auribus. Hæc vera esse testatur etiam lex iubendo poni duo altaria, materiâ, loco, vsuque differentia. Alterum enim è saxis collectitijs impolitis extruitur in atrio iuxta templi vestibulum ad immolandas victimas. Alterum verò aureum situm est post primum velum in penetralibus nemini conspicuum, nisi sacerdotibus, functionis suæ tempore castitatem seruantibus, quod factum est adolendis odoribus: Vnde liquet micam thuris oblatam ab homine pio, Deo gratiorem esse multis hostijs, si offerentis non adsit probitas: quantò enim aurum præstat lapidibus, & adytum vestibulo, tantò acceptior est suffitus gratiarum actionis, quàm mactata victima. Ideò non solùm materiâ, pretio, artificum opere, sanctitate loci, ara hæc augusta facta est, sed & hoc quòd apud eam quotidie sacra exordium sumunt à gratiarum actionibus: non est enim fas immolare foris, priusquam intus primo manè suffitus factus sit. Quo significatur nihil aliud, nisi Deum non delectari victimarum multitudine, sed offerentis bonâ mente, atque puritate spiritus.* Non enim minus capitur & delectatur Deus, iustorum orationibus, votis, & laudibus, quàm homines suauissimis odoribus perceptis; voluptate perfunduntur: imò multò magis; vt propterea orationes Sanctorum odoramentis designentur: Apoc. cap. 5. & 8. odor enim humilis precationis cælos penetrat.

Altaria duo Templi Salomonici.

Orationes sunt odores.

6. Os Dei.

Cant. 5.

Sed enim, & os habet Deus, quo docet hominem scientiam, inquit D. Bernard. serm. 4. in Cant. & guttur illius suauissimum Cant. 5. siue vt legit D. Hieron. lib. contra Iulianum, *Guttur eius dulcedines & totus concupiscentia.* Quibus verbis, sponsa, gratiam eloquij & sermonis dilecti sui laudat, quasi dicat, verba gutturis eius dulcia sicut mel. Quia enim guttur instrumentum est loquendi, non ineleganter phrasi Hebraicâ, guttur pro sermone siue eloquio accipitur: *Sed fortè ascendunt cogitationes in corde tuo*, inquit Diuus Bernardus serm. 45. in Cant. *& quæris dubius apud te dicens, quâ ratione verba verbi facta ad animam referuntur: & rursum animæ ad verbum, vt illa audierit vocem loquentis sibi, & perhibentem quòd pulchra sit; vicissimque idem præconium suo mox reddiderit laudatori? Quomodo possunt hæc fieri? nam verbo loquimur, non verbum loquitur. Itemque anima non habet vnde loquatur, nisi os corporis sibi verba formauerit ad loquendum. Benè quæris, sed attende spiritum loqui, & spiritualiter intelligi oportere quæ dicuntur. Quoties proinde audis vel legis verbum atque animam pariter colloqui, & se inuicem intueri, noli tibi imaginari quasi corporeas intercurrere voces, sicut nec corporeas colloquentium apparere imagines. Audi potiùs quid tibi sit in huiusmodi cogitandum. Spiritus est Verbum, Spiritusque anima, & habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentesque indicent. Et Verbi quidem lingua, fauor dignationis eius, animæ verò deuotionis feruor. Elinguis est anima, atque infans, quæ hunc non habet, & non potest ipsi vllatenus sermocinatio esse cum Verbo. Ergo huiuscemodi linguam suam quum Verbum mouet, volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad Diuisionem animæ & spiritus. Et rursum, cùm suam animæ monet, Verbum latere multo minùs poteris, non solùm quia vbique est præsens, sed propter hoc magis, quòd nisi ipso stimulante, deuotionis lingua minimè ad loquendum mouetur.*

Verbum vt loquatur.

Animæ & Spiritus vt loquantur.

Hebr. 4.

Neque verò vno solùm modo, sed multis loquitur Deus. Diuus Hieronymus Epist. quæ inscribitur, De his quæ Deo in sacris literis tribuuntur. *Loqui Dei, est inuisibiliter sine voce, vel quolibet.*

Deus vt loquitur.

quolibet strepitu in mentibus Sanctorum voluntatem suam, atque rectum intellectum inspirare. Quæ locutio Dei, vt quidam volunt, tribus modis accipitur. Primo namque modo per subiectam creaturam, sicut ad Moisen in igne & rubo apparuit, vel sicut ad Abraham atque Iacob, & cæteros Sanctos, quibus in Angelis apparuit. Secundo verò modo in somnis, sicut ad Iacob & ad Zachariam Prophetam, & ad Ioseph sponsum Mariæ, & alijs Sanctis quibus secreta reuelare voluit. Tertio autem modo, nec per creaturam inuisibilem, neque hominem, sed occultâ tantùm inspiratione, inuisibiliter corda eorum tangendo afficit, sicut in libro Prophetarum scriptum est, (cùm ipsi prophetiâ subitò afflati Spiritu Sancto, exclamant dicentes), hæc dixit Dominus. Idem habet Diuus Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, additque nullam esse animam quamuis peruersam, quæ tamen vllo modo ratiocinari potest, in cuius conscientiâ non loquatur Deus. Quis enim, inquit, scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus?

Nulla est anima cui nô loquatur Deus.

7. Dantur & illi manus, quò omnis creaturæ auctor comprobetur. Diuus Hieronymus lib. 18. in cap. 66. Isa. explicans illa, *Et cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis.* Ait. *Manus Domini pro potentiâ eius accipitur, quòd possit Deus omnia facere quæ promittit, iuxta illud quod ex personâ Dei Moises loquitur ad Pharaonem.* Exod. 4. *Nunc mittam manum meam, & percutiam te, & populum tuum interficiam, & deleberis de terrâ.* Et Diuus Bernardus serm. 7. in Cant. binas Dei manus assignat, quarum vna latitudo, altera fortitudo dicatur, quod & tribuat affluenter, & defendat potenter quod dederit. Diuus Ambrosius in psal. 118. serm. 14. Magnam ait esse sapientiæ manum, quæ dextera est, & totam animam complectatur, & longitudo vitæ est: sinistrâ autem diuitias & gloriam contineri: vtraque autem, præsentia & futura comprehendi, vt læua præsentium remuneratrix, dextera futurorum sit: ita enim explicat illud: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2. Vbi Alphonsus ab Orozco noster per læuam Christi humanitatem intelligit, & per dexteram, eius Diuinitatem. Et cap. 1. manum Patris omnipotentis, vnicum eius Filium esse, scribit, per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil.]

Isa. 66.

Exod. 4.

Cant. 2.

8. Similiter, quum digitus Dei dicitur, significantia quædam voluntatis aperitur, siue etiam diuina virtus significatur: sic enim Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem, *Apud Pharaonem venefici illi adhibiti aduersus Moisen, virtutem Creatoris digitum Dei appellarunt. Digitus Dei est hoc, quòd significarent etiam modicum, validissimum tamen. Hoc & Christus ostendens, commemorator, non obliterator vetustatum, scilicet suarum, virtutem Dei, digitum Dei dixit, non alterius intelligendum, quàm eius, apud quem hoc erat appellata.*

9. Brachium verò, quòd nulla natura robori virtutis eius resistere, aut repugnare valeat, edicitur: quis enim resistat vnigenito eius Filio & Spiritui Sancto, qui brachia Dei Patris dicuntur, Tomo 4. apud Diuum Augustinum, lib. de essentia Diuinitatis? Ita enim Isaias cap. 5. *Brachia mea populos iudicabunt.* Sed & Diuus Augustinus lib. 1. de Consensu Euangelistar. cap. 31. lib. de vnitate Eccles. cap. 7. & enarrationib. in psal. 43. & 70. brachium Domini singulariter, Christum Dei filium esse dicit, quòd patefecit Dominus in conspectu vniuersarum gentium, Isa. 52. quod & potenti suâ virtute, liberationem nostram gratuitam præstitit. Pulchrè admodum de hoc brachio idem sanctissimus Doctor tractatu 53. in Ioan. totidem verbis, explicans illud Isa. 53. *Brachium Domini cui reuelatum est? vbi satis ostendit*, inquit, *brachium Domini ipsum Filium Dei nuncupatum, non quòd Deus Pater figurâ determinetur carnis humanæ, eique Filius tanquam membrum corporis hæreat: sed quia per ipsum omnia facta sunt, ideo brachium Domini dictum est. Sicut enim tuum brachium, per quod operaris: sic Dei brachium dictum est eius Verbum, quia per Verbum, mundum operatus est. Cur enim homo, vt aliquid operetur, brachium extendit, nisi quia non continuò fit quod dixerit? Si autem tantâ potestate præualeret, vt sine vllo motu corporis sui, quod diceret fieret, brachium eius, verbum eius esset; quia verbum est cogitabile, vel sonabile. Sed Dominus Iesus vnigenitus Dei Patris Filius, sicut non est paterni corporis membrum, ita non est cogitabile, vel sonabile ac transitorium verbum, quia cùm omnia per ipsum facta sunt, Dei verbum erat. Quum ergo audimus brachium Dei Patris esse Dei filium, non nobis obstrepat consuetudo carnalis: sed quantum illo donante possumus, virtutem Dei & sapientiam cogitemus, per quam facta sunt omnia. Tale quippe brachium nec porrectum extenditur, nec collectum contrahitur. Non est enim ipse qui Pater, sed vnum sunt ipse & Pater, & æqualis Patri, vbique totus est sicut Pater, ne aliqua pateat occasio detestabili errori eorum, qui dicunt solum esse Patrem, sed pro diuersitate caussarum ipsum dici Filium, ipsum dici Spiritum Sanctum. Et in his verbis audent dicere, Ecce videtis, quia solus est Pater, si brachium eius & Filius. Non enim duæ sed vna Persona est homo & brachium eius: non intelligentes, neque aduertentes, quomodo verba de rebus alijs ad res alias transferantur, propter aliquam similitudinem etiam in locutionibus quotidianis de visibilibus & notissimis rebus. Quantò magis vt nobis ineffabilia qualitercunque dicantur, quæ dici sicuti sunt, omnino non possunt? Nam & homo alterum hominem per quem solet agere quidquid agit, brachium suum appellat. Et si ei auferatur, dolens dicit, brachium meum perdidi: & ei qui abstulerit, dicit, brachium meum mihi abstulisti.* Brachium itaque Dei, fortitudinem eius significat. *Idcircò autem Filius Dei Patris, brachium eius dicitur, quia omnis creatura electa ab ipso continetur*, inquit Auctor lib. de essentiâ Diuinitatis apud D. August. vbi & variæ acceptiones manus Domini referuntur.

Isa. 5.

Isa. 52.

Isa. 53.

Patrissianorum hæresis.

10. Pedes autem Deo adscribuntur, eò quòd impleat omnia, nec quidquam sit omninò, quod Numinis præsentiam non sentiat. Diuus Hieronymus, Epist. cui titulus, De his quæ Deo in Sacris Literis tribuuntur. *Pedes Dei, stabilimentum, & virtus eius est, eò quòd vbique præsens est, & vniuersa ei subiecta sunt, ipso dicente per Isa.* cap. 66. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Aliter pedes, Filij Dei, incarnatio intelligitur, quæ Diuinitati subiecta est; tanquam capiti pedes; sicut enim per caput Diuinitas, sic per pedes Humanitas eius exprimitur, de quâ in Exodo scriptum est.* capite 24. *Viderunt Dominum, hoc est Moises, Aaron, & Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus populi: & paulò pòst, Sub pedibus eius, quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi Cælum cùm serenum est. Sicut autem per lapidem Sapphirum, cælestes creaturas, id est Angelos Sanctos: ita per Cælum serenum, Sanctam Electorum Ecclesiam ex hominibus assumptam, figuraliter demonstrare voluit: Super quas duas creaturas, homo assumptus à Filio Dei, in perpetuum regnat. De quo in Psalmo 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius.*

Isa. 66.

Exod. 24.

Psal. 8.

Quam sententiam descripsit Auctor lib. de essentia Diuinitatis, apud Diuum Augustinum Tomo 4. *Et manum igitur habet Deus, quæ dat escam omni carni*, inquit Diuus Bernardus sermone Dei,

Manus

4. in Cant. *Et pedes habet, quorsum terra scabellum est, ad quos nimirum peccatores terræ conuersi atque humiliati satisfaciunt*, de quibus Abacuc 3. *Egredietur Diabolus ante pedes eius. Vbi nempe peccatum remittitur*, inquit Diuus Bernardus sermone 5. sequenti, *ibi procul dubio Diabolus de corde peccatoris expellitur.* Prosequitur autem, *Hæc, inquam, habet & Deus omnia per effectum, non per naturam* Et mox. *Omnia omnibus est, quia omnia administrat, nec quidquam est omnium propriè. Nam quod in se est, lucem habitat inaccessibilem, & pax eius exuperat omnem sensum, & sapientiæ eius non est numerus, & magnitudinis eius non est finis, nec potest eum videre homo vt viuat. Non quòd longè ab vnoquoque sit, qui esse omnium est, sine quo omnia nihil; sed vt iu plus mireris, & nil eo præsentius, & nil incomprehensibilius. Quid nempe cuique res præsentius quàm esse suum? Quid cuique tamen incomprehensibilius, quàm esse omnium? Sanè esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt quod est ille, sed quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ecce est ergo omnium quæ facta sunt, ipse factor eorum, sed caussale, non materiale.* Et cætera, quæ eleganter prosequitur in hanc sententiam.

Abac. 3.

Deus est esse omnium.

11. Tactus Dei, quid?

Adhæc, cùm tactum Dei legimus, quia tactus in nobis contrariorum, corruptiuarumque virtutum est censor acerrimus, iudexque æquissimus, sicut inquit Ioan. Bustamantinus lib. 1. de animantib. Scripturæ Sacræ. cap. 1. certissimam eius leuissimarum & occultissimarum rerum cognitionem, accipimus: id quoque, quia in ijs quos contrectamus, nihil occultari queat. Adfectiones quoque Dei recensemus, atque inprimis: per iusiurandum, consilij eius immutabilem constantiam, intelligimus, quòd & apud nos, interposito iuramento, pacta confirmentur. Per iram & indignationem, voluntatem eius odio vitij flagrantem; illudque auersantem. Tertullian. lib. de Trinit. *Cum etiam si iracundias legitimas & indignationes quasdam descriptas tenemus, & odia relata cognoscimus: non tamen hæc intelligimus ad humanorum relata esse exempla vitiorum. Hæc enim omnia, etsi hominem possunt corrumpere, Diuinam vim non possunt omnino vitiare. Passiones enim istæ in hominibus meritò esse dicentur, in Deo non meritò iudicabuntur. Corrumpi enim per hæc homo potest, quia corrumpi potest. Corrumpi per hæc Deus non potest, quia nec corrumpi potest. Habent igitur ista vim suam quam exerceant, sed vbi præcedit passibilis materia, non vbi præcedit impassibilis substantia. Nam & quòd irascitur Deus, non ex vitio eius venit, sed ad remedium nostri illud facit. Indulgent est enim, etiam tunc cùm minatur: dum per hæc homines ad recta reuocantur: Nam quibus ad honestam vitam deest ratio, metus est necessarius, vt, qui rationem reliquerunt, vel terrore moueantur. Et ideò omnes istæ vel iracundiæ Dei, vel odia, vel quæcunque sunt huiusmodi, dum ad medicinam nostram proferuntur (vt res docet) ex consilio, non ex vitio venerunt: nec ex fragilitate descendunt, propter quod etiam ad corrumpendam Deum valere non possunt. Materiarum enim in nobis ex quibus sumus diuersitas, ad iracundiæ consueuit corrumpentem nos excitare discordiam, quæ in Deo vel ex naturâ, vel ex vitio non potest esse; dum non vtique ex coagmentis corporalibus intelligitur esse constructus.* Hæc Tertullianus.

Iusiurandum.

Ira.

Irascitur Deus ad remedium nostri.

12. Obliuio Dei: somnium, dormitatio.

Per obliuionem Dei, somnium, aut dormitationem, vltionis in hostes dilationem, atque in ferendo auxilio ijs quos diligit, temporis prorogationem intelligimus. Diuus Basilius Homil. 7. in Psalm. 29. *Omnem rebus nostris conuenientem statum Deo tribuere quodammodo videmur. Ideircò dormitantibus nobis, & pigrè agentibus, dormire dicitur Deus, suis nos vigilijs sudve inspectione indignos indicans. Si quando autem ex somno detrimentum sentimus, dicimus: surge, quare obdormis Domine? & post pauca, sunt & alij, qui expulsâ è mente, & exclusâ Dei memoriâ, Deum reddunt velut obliuiscentem sui ipsorum, qui & dicunt: quare obliuisceris inopiæ nostræ? In summâ, qualia iuxta hominum affectus de eo dicuntur, illa faciunt ipsi homines, talem sibi constituentes Deum, qualem quisque seipsum priùs adornat, & instituit.* Et Diuus Gregorius lib. 32. Moral. cap. 6. *Aliquando Deus à mentibus hominum similitudinem trahit; sicuti per Prophetam ad Israëlem dicit; Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam. Et rursum per sponsæ comparationem, loquens, ait: Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Quis enim nesciat, quia Dei memoria, nec obliuione rumpitur, nec recordatione sarcitur; sed dum aliqua deserens prætermittit, more mentium obliuisci dicitur; & quum post longum tempus, quæ voluerit, visitat, nostræ mutabilitatis consuetudine, recordatus vocatur. Quo enim pacto Diuinitatis eius vim obliuio dissipat? Nulla namque, nisi aut præterita, aut absentia recordantur. Deo autem cuncta sunt præsentia.*

Talis est nobis Deus quales nos sumus.

Atque ita hæc omnia hisque similia, vt sessio, locutio, motus, status, forma vel figura, non ad visibilem humani corporis formam, sed ad significationes intelligibilium spiritualiumque potentiarum, referenda docent Diuus Augustinus lib. de verâ Religione cap. 50. & Epist. 111. Damascenus lib. 1. de Fid. Orthodoxâ cap. 14. Diuus Gregorius lib. 14 Moral. cap. 22. Sanctes Pagninus in suâ Isagoge ad sacras literas, cap. 48. *Neque enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia*, inquit Tertullianus lib. de Trinitate, *ad cuius solum, etiam tacitum arbitrium, & seruiant, & adsunt omnia.*

13. Mutationis ne sit vocabula, immutabili Deo tribuuntur.

Quò etiam spectant aliæ rerum conditarum formæ, quas tum veteris, cùm nouæ Legis instrumenta, Diuino tribuunt Numini, vt lapidis angularis, ignis, fluuij rapidi, vnguenti effusi, pantheræ, pardi, leonis, agni, vrsi, ouis, &c. non quòd aliquid illorum sit Deus, sed quòd adumbrationes sint quædam perfectionis Diuinæ, *Fierique potest per eas*, inquit Diuus Dionysius Cælest. Hierarch. cap. 2. *vt animus noster ad primam speciem materiæ expertem excitetur, in quo etsi dissimiliter similitudines sumantur, atque eadem, non eodem modo, tamen congruenter & aptè in naturis, & quæ intelligentiâ, & quæ sensu continentur, proprietates explicantur.* Ideoque harum locutionum humilitatem admittere non exhorruit Maiestas Dei, cui non solùm præterea, ira, & tristitia, & à somno expergefactio, & memoria & obliuio, sicut vidimus; aliaque nonnulla; quæ in bonos homines cadere possunt, sed etiam pœnitentiæ, zeli, crapulæ nomina, in Sacris Literis tribuuntur.

Capitis 18. §. 2.

Quidnam per dimensiones Dei intelligant Sancti?

Etiam arcanorum signa mysteriorum, corporeæ dimensiones, metaphorico pariter sensu, Diuino adscriptæ Numini; Latitudo, longitudo, profunditas, altitudo: quarum interpretamenta, ita

1. Dimensiones vt Deo tribuantur. Latitudo Dei.

ita Sanctis tradere visum est, vt latitudo sit Diuinæ Prouidentiæ ad res omnes processus, Diuino Areopagita interprete; aut etiam potentiæ Numinis immensitas, quæ cuncta complectitur, siue quæ in cælo sursum, siue quæ in inferis deorsum, ita vt nemo prorsus hominum illius se subducat manibus, dicente Propheta Regio, psal. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Per omnia enim diffusa, vbique præsens est substantia Dei, in cælo gloriæ suæ potentiam; in inferno, potentiæ suæ iustitiam, in terris virtutem & operationem ostendens: adeò vt quantumlibet quis pernicissimo altis volatu sese fugiendo efferat quo volet, quantumlibet pennis diluculi, siue (vt in Hebræo habetur) auroræ alis, aut luciferi, hoc est, radijs solaribus, ab oriente ad nouissimum mare, siue ad occidentem in ictu oculi micantibus, quasi curru vehatur, nullo modo, ne quidem aurigantibus auroræ radijs, effugere poterit, quin vbique captiuante ipsum fugæ suæ conscientiâ, intra cancellos manus omnipotentis, tanquam fugitiuus, vinctus teneatur. Deum similiter loquentem inducit Amos cap. 9. *Non erit fuga eis. Fugiens, & non saluabitur ex eis, qui fugerint. Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint vsque in cælum, inde detraham eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos. Et si celauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos.* Saluianus lib. 2. de Prouidentiâ: *Præsens igitur absque dubio esse debet, vt vel regere quidquid illud est, vel iudicare possit. Loquens in suis Voluminibus Sermo Diuinus sic ait,* Prouerb. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Ecce habes præsentem, ecce intuentem, ecce in omni loco curâ ac prouisione vigilantem. Idcirco enim bonos ab eo considerari, & malos dixit, vt probaret scilicet nihil ab eo negligi, quem ostenderet vniuersa rimari.* D. Ephræm Syrus lib. de Pœnitentiâ. *Quid ergò; nonne & apud improbos præsens est? Imò verò adest; sed vt reprehendat quæ ab ijs fiunt, non autem vt peccato adsentiatur: Nam beneplacitum Dei, in Sanctis est; at minarum animaduersio, inter iniquos. Et quo pacto, dices, ait Propheta: Psalm. 118. longè abest Deus à peccatoribus. Docebunt id te cæci; nam Sol oritur, & ab ipsis non cernitur, sic & propè adest ijs Deus, & longè: propè ad reprehensionem: sed longè ad beneplacitum. Si quis in occulto quid agat, dicit Dominus, & ego ipsum non cernam? Propè igitur est vt redarguat: at longè, quòd peccatores eum non videant,* & cætera quæ in hanc sententiam pulchrè prosequitur, docens à iustis videri Deum in peregrinorum susceptione, eleemosynis, alijsque charitatis operibus, quia Deus charitas est, & qui charitatem habet, videt quem in se habet. Sic quoque Diuus Bernardus hom. 4. super Missus, docet Deum quanquam vbique præsentem, aliter tamen atque aliter rebus à se conditis suam exhibere præsentiam, ait enim. *Deus qui vbique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam; aliter tamen in rationabilibus creaturis, quàm in cæteris, & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationabilibus creaturis, vt tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, vt etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita iustitiæ subdunt, vt Deum non dedeceat velle quod ipsi volunt per hoc quòd ab eius voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter iungunt.* Nihil itaque est, quod Dei substantiam vbique præsentem effugiat, ne Leuiathan quidem transfuga, & ordinis desertor sui, quid significauit Poeta quidam in Gigantomachia, in Encelado,

> *Quò fugis, Encelade, quascunque accesseris oras*
> *Sub Ioue semper eris.*

Idantharam Scytharum Regem refert Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, quòd, quum Dario Istrum traijcienti, bellum esset comminatus, ad potentiæ suæ fortassis ostentationem, symbolum pro literis miserit, murem, ranam, auem, iaculum, aratrum: quum autem de his, vt erat consentaneum, orta esset dubitatio. Orontopagas quidam Tribunus militum, ex hoc affirmauit Scythas tradituros imperium, coniectans ex mure quidem habitationes; ex rana autem aquas: ex aue verò aërem: arma ex iaculo; ex aratro Regionem. Xiphecodes autem contrà est interpretatus dicens, nisi tanquam aues euolauerimus, aut tanquam mures terram, aut tanquam ranæ aquam subierimus, illorum tela non effugiemus. Amplior est potentia Numinis, quæ latitudinis voce significari potest, quàm vt illam effossi ad latebras cuniculi, aut inducta ceruicibus vasta profundi aquarum moles, aut circumfusi aëris sublimia, aut etiam remotissimæ Regionum plagæ, subterfugere valeant, atque illius iustitiæ tela euadere: continet enim omnia dexteræ suæ complexu.

Longitudinis vocabulo, Dei virtus indicatur, à summo ad imum vsque peruadens omnia: siue etiam illa diuinorum brachiorum vis, quâ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

Profunditatis appellatione, à nemine comprehensibilis essentia Dei significatur, eodem Diuo Dionysio de Diuinis Nominibus cap. 9. interprete, vbi sic inquit. *Quod si velites corporum figuras Deo qui nec tractari, nec figurari potest, attribuere, Latitudo quidem Diuina dicenda est, immensa Dei ad omnia profectio: Longitudo autem, vis quæ ad omnia pertinet: profundum verò obscuritas & ignoratio; quæ à rebus omnibus comprehendi non potest.* Quâ ex sententiâ, primùm ingentem Numinis charitatem, quâ se in omnia potentiæ suæ virtute diffundit: tum mirabilem eius prouidentiam, quâ rerum à se conditarum est curiosus: tum denique imperuia creaturis æternarum momenta rationum, quibus condita disponit & ordinat, atque ipsius essentiæ Diuinæ inscrutabilem naturam, istis dimensionibus significari intelligimus.

Ita ab omnibus proditum est, in quod recurrit, quod Diuus Thomas 1. parte quæst. 3. art. 1. vbi dimensiones quatuor enumerans Dei, qui nullâ dimensionis lege tenetur, per illas, quantitatem Dei virtualem significari tradit. Per profunditatem quidem, virtutem occultorum cognitricem: Per altitudinem excellentiam virtutis super omnia: per longitudinem, durationem esse diuini: atque per latitudinem, adfectum dilectionis ad omnia. In quam sententiam Diuus quoque Bernardus lib. 5. de Consideratione in fine, *Deus est infinita latitudo,* inquit, *longitudo, sublimitas, & profunditas,* per latitudinem, eius in omnes charitatem intelligens, vnde dictum sit Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*: per longitudinem, æternitatem,

Psal. 138.

Dei manus subterfugere nemo potest.

Amos 9.

Prouerb. 15.

Psal. 118. Deus vt abesse dicatur.

2. Longitudo.

Profunditas.

3. Dimensiones quatuor.

Quid ex significent.

Ioan. 3.

nitatem, per quam nec finem nec principium habet: per profunditatem, majestatem & auctoritatem Dei infinitam; per sublimitatem, eiusdem potentiam: non quasi hæc diuersa sint in Deo, aut plura, sed quia voces diuersæ, semitæ multæ per quas vnum significatur, vnus quæritur: ait enim, *Quid igitur Deus? Longitudo, inquam; Quid ipsa? æternitas. Hæc tam longa, vt non habeat terminum non magis loci quàm temporis. Est & latitudo. Et ipsa quid? Caritas. Quibus & ista terminis angustetur in Deo, qui nihil odit horum quæ fecerit? Denique Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ergo & inimicos concludit sinus ille. Nec hoc quoque contentus, euadit in infinitum. Omnem non modò affectionem, sed & cognitionem excedit, adijciente Apostolo & dicente: Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Ephes. 3. *Quid plus dicam? Æterna est. Nisi quòd hoc plus forsitan est, quia æternitas est. Vides tantam esse latitudinem, quantam & longitudinem? vtinam sic videas non tantam esse, sed ipsam id esse vnam, quod alteram, non minus vnam quàm duas, nec plus duas quàm vnam. Deus æternitas, Deus charitas est, longitudo sine protensione: latitudo sine distensione. In vtroque pariter locales quidem excedit temporalesque angustias, sed libertate naturæ, non enormitate substantiæ. Tali modo immensus est, qui omnia fecit in mensurâ: & quamuis immensus, hic tamen modus & ipsius immensitatis. Quid item Deus? Sublimitas & profundum. In altero, supra omnia, in altero intra omnia. Liquet in Deitate, nusquam claudicare æqualitatem, stare eam vndique firmiter, constare immobiliter sibi. Sublime potentiam; profundum sapientiam eius considera*: & post pauca concludit. *Et illa vna res est longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter majestatem, profunditas propter sapientiam.* Auctor autem de Speculo apud Diuum August. tomo 9. cap. 14. in suis ad æternam veritatem animi directionibus, ita dogmatizando inuocat. *Latitudo charitatis, quâ nos ab errore colligis, & contines in veritate. Longitudo verò, quâ nos longanimiter malos portas, donec emendatos futuræ patriæ restituas. Altitudo autem, quâ communem sensum & hominum & Angelorum, immensitate scientiæ supercellis. Profunditas quoque quâ damnandos inferiùs iuxta æquitatem disponis, atque tuo iudicio, Iudex iustus præordinas.* Sic quoque Diuus Gregorius, Profunditatem, dixit, æternitatem ignis illius inextinguibilis, quæ creatâ mentis conceptione vadari nequit, quia ibi sine fundo profunditas, & limus profundi sine substantiâ, cui inniti aliquantulum aut insistere pes damnatorum possit: vnde dictum à Propheta Rege psal. 139. *In miserijs non subsistent*; aut iuxta Hebraicam originem, *In ignem cadere faciet eos, in foveas profundas, ne resurgant*, quia nimirùm in altissimum pelagus æternarum miseriarum, atque ærumnarum demersi, iugi fluctuum igneorum æstu agitabuntur, nunquam substantiam, aut fundum reperturi, quò vel ad momentum in eo subsistentes, respirare à pœnis aliquantulum valeant.

Ephes. 3.

Profunditas inferni.

Ps. 139.

Pineda in Iob. cap. 11. versu 9. His dimensionum commentationibus consentaneas rationes adfert, vt per sublimitatem, consilij diuini altitudinem, creato intellectui incognitam cogitemus, quâ, æternæ præordinationis vi, aut bona mortalibus decernit, aut supplicia. Profunditatis voce, finem peculiarem, quem pro suâ gloriâ, & hominis bono, in pœnis inferendis, & præmijs tribuendis, sibi proponit irreprehensibilis Deus. Latitudinis nomine, Diuinæ prouidentiæ arcanum, quo fert, siue tolerat, permittitque impios quosdam iuxta latitudinem cordis sui impunè per effusissimos peccatorum campos, ad tempus vagari, & quasi vitulire: Longitudinis verò appellatione, longanimitatem, quâ dissimulat peccata hominum, propter pœnitentiam.

4. Deus compositionis expers est.

Nullâ igitur corporis mole, nullâ dimensione affecta est immensa & immutabilis natura Dei: nam cùm omne corpus compositum sit, & posterius quidpiam partibus ex quibus coalescit, in quas rursum est dissolubile: quid præscribetur enti primo, quò, ipsum sit posterius? Quare, nec corpus, nec compositum, nec partibile quidpiam esse potest. Non in illo partium integrantium compositio, vt in domo: non potentialium, vt in animâ: non generis & differentiæ, vt in specie: non necessitatis materiæ & formæ, vt in corpore: non vnitatum aggregatione, vt in numeris: non substantiæ & accidentis, vt in indiuiduo; non substantiæ corporeæ & incorporeæ, vt in homine.

Et diuisionis.

Neque minùs aduersariam habet omnem diuisionem, summa illa simplicitas (nisi quam fortè distinctionem earum quæ in ipsa sunt perfectionum, mente confinxeris) quàm ipsam compositionis rationem. Hinc illa eius à Sanctis pronuntiata encomia, quibus inconcussam Numinis majestatem descripsere, quos inter, ita Diuus Bernard. *Non partibus constat Deus, vt corpus: nec affectibus distat, vt anima: nec formis subsistat, vt omne quod factum est*: & rursus: *non est formatus Deus, forma est: non est effectus Deus, omnium efficiens caussa est: non est compositus Deus, simplex est.*

5.

Præterea, si Deum vt in se est, animo discusseris, infinitus est, *Magnitudinis eius non est finis*: si intellectui tuo attemperaris, incomprehensibilis est: *quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Si comparatione ad locum ipsum inuestigaueris, est incircumscriptus: Diuus Ambrosius, *Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil dimensum, Trinitas habet, non loco clauditur, non æstimatione concluditur, non ætate variatur.* Et Philo Iudæus, *Deus implet omnia non contentus sed continens, qui solus vbique & nusquam est.* Si durationem illius consideraris, æternus est: Diuus Athanasius, *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus: & tamen non tres æterni, sed vnus æternus.* Et ne profanam repudiemus autoritatem, Philostratus vitæ Apollonij lib. 8. cap. 3. ex Sophocle refert.

Rom. 11.

Deus solus vbique & nusquam.

μόνοισιν οὐ γίγνεται
Θεοῖσι γῆρας, οὐδὲ μὴν θανεῖν ποτε
τὰ δ᾽ ἄλλα ξυγχεῖ πάνθ᾽ ὁ παγκρατὴς χρόνος.

Deus non senescit.

Dijs senescere
Solis negatur, & mori extremum diem,
Ast cuncta miscet alia tempus præpotens.

6.

Infinitus est, quia principij & finis expers: infinitus non dimensionis quantitate, sed virtutis, potentiæ, atque perfectionis. Auctor lib. de Speculo apud Diuum Augustinum cap. 7. *Intelligimus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentiâ Creatorem, sine situ præsidentem, sine habitu vel ambitu omnia continentem, sine loco vbique totum: sine tempore sempiternum, sine sui mutatione, mutabilia facientem, nihilque tum patientem.* Et *Si quæras magnitudinem, maior est, si pulchritudinem pulchrior; si dulcedinem dulcior, si splendorem fulgidior, si pietatem clementior.* Magnus Deus, mirabilis Deus, incomprehensibilis, & ad nos, nostraque descendit: æter-

Deus sine qualitate bonus.

-nus, & pro nobis tanta operatus est non indigens nostri: infinitus & amat: immensus & creat: incircumscriptus & vbique præsens & potens; in bonis per gratiam; in malis per patientiam & iustitiam, in Beatis per gloriam: in animâ, vt veritas: in concupiscibili, vt bonitas: in irascibili, vt pietas: vbique per sui manifestationem; in cælestibus, vbi maximè emicat radius sapientiæ, potentiæ & bonitatis eius, excellenti repræsentatione sui: vbique mirabilium operatione: in orbe vniuerso vt conseruator; in Angelis vt pulchritudo & ornamentum: in Ecclesiâ vt Pater familias: in electis vt liberator: in damnatis vt terror & pauor: ita ferè Diuus Bernardus, *Deus est*, inquit, *in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis desiderabilis, in seipso incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis.* Et quis longitudinem, atque latitudinem, quis altitudinem & profunditatem eius cognoscet, cuius longitudo latitudo est, cuius latitudo profunditas est, cuius profunditas sublimitas est, cuius longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, vnum est, quod ipse est, qui totus quantus est, sibi soli cognitus est? siquidem profunda Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei.

Vbique vt est Deus.

CAPVT XIX.

De immutabilitate Dei.

Deum motui, mutationiq́; non esse obnoxium.

1\. Deus est immutabilis.

IAm verò, cùm nonnisi rerum compositarum naturæ, motus, mutatioque conueniat, simplicissimam Numinis entitatem, moueri mutarique impossibile est. Auctor de Ecclesiastici cis dogmatib. apud Diuum August. Tomo 4. *Cognoscimus nihil esse naturâ immutabile nisi solum Deum, non potest mutari à bono, quia natura possidet bonum, nec potest aliud quid esse quàm bonum.* cap. 57. Hinc Tertullian. lib. aduersus Praxean: *Cæterùm Deum immutabilem, & informabilem credi necesse est, vt æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quodcunque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, & incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse.* Quod & Homerus testatur Iliade 1. vbi Iouem loquentem introducit, Perionio interprete.

οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν
Non etenim verti que potest, & fallere quenquam.

Omnimoda igitur est immutabilitas Dei: ita fides orthodoxa, ita sacræ paginæ testantur: ita ipsa de se summa illa veritas, apud Malachiam capite 3: *Ego Deus & non mutor.* & sæpè alibi.

Malach. 3.

2\. Deus est simpliciter in actu.

Primi namque entis natura, quum simpliciter in actu sit, aduersariam habet eam potentiam, quæ imbecillitas & imperfectio naturæ est, illique soli addicta substantiæ, quæ mutationi obnoxia, ad noui alicuius status adquisitionem ingenitam facultatem habet, id quod in Diuinum Numen, cui omne quod perfectissimum est, debetur, quodque mutabilem naturam ad immutabilitatem natum est reducere, cadere nullo modo potest. Quare sicut intellectuale siue spirituale, perfectius est corporeo: ita & immutabile, perfectius & absolutius est illo, quod vicissitudinem admittere potest: vt ergo prius, nempe spirituale, ita & posterius, scilicet immutabile, omnino Deo tribuendum est. Diuus Anselmus Monologij cap. 28. *Ipse*, inquit, *Spiritus, ita est Deus, qui pe suo modo mirabiliter singulari, & singulariter mirabili est, propter incommutabilem æternitatem suam, nullo pacto secundum aliquem motum dici potest fuisse vel fore, neque commutabiliter est aliquid, quod aliquando aut fuit, aut non erit: neque non est quod aliquando fuit aut erit; sed quidquid est, simul & semel incommutabiliter est.* Æternus namque & immortalis Deus, ortum nescit atque interitum. Psal. 101. *Sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Pulchrè Diuus Bernardus sermone 81. in Cant. *Nam in tantum supercxcellit immortalitas Deitatis* (animæ scilicet, immortalitatem, de quâ ibi) *vt Apostolus dicat de Deo*: 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem. Quod ego reor pro eo dictum, quòd solus sit naturâ incommutabilis Deus, qui ait, Ego Dominus & non mutor: vera namque & integra immortalitas, tam non recipit mutationem, quàm nec finem, quòd omnis mutatio, quædam mortis imitatio fit: omne etenim quod mutatur, dum de vno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est, moriatur quod est, vbi esse incipiat quod non est.* Immensus Deus, vbique est sine situ, vti apud Diuum Augustinum Auctor lib. de speculo, cap. 7. ac proinde loco moueri nequit: Ierem. cap. 23. *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus.* Simplicissimus Deus, accidentium accessu aut recessu variari non potest. D. Iacobi Epist. cap. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Omniscius Deus abditissimas etiam intimorum humani cordis penetralium latebras certissimâ cognitione rimatur, proindeque falli non potest. Ad Hebr. 4. *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Sapiens Deus, stabilis est in decretis suis, & quæ semel sapientissimè sanxit, non mutat, non rescindit, more hominum, sed inuiolabili voluntatis suæ decreto, firma, rataque habet. Prouerb. cap. 19. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit.*

Psal. 101.

1\. Timoth. 6.

Ierem. 23.

Iacob. 1.

Deus falli non potest.

Hebr. 4.

Prou. 19.

Et hanc Diuinæ Naturæ immutabilitatem abundè indicasse videntur Platonici, dicentes; animam esse mobilem multitudinem, Angelum multitudinem immobilem, Deum immobilem vnitatem, & satis expressit Mercurius ille Trismegistus, quum infit, *In supercælesti est vnitas, in cælesti alteritas, in subcælesti pluralitas.* Appellabant enim illi Deum, quem Trismegistus supercælestem vocat, vnitatem immobilem, eò quòd naturam possideat maximè vnam, ac nulli prorsus mutationi obnoxiam, id quod in res creatas nullâ ratione quadrare potest, tametsi Angelus, qui Trismegisto cælestis dicitur, etiam immobilis nuncupetur, si cum alijs rebus, quæ vel ipsi vel lunari subiectantur globo, conferatur; non tamen simpliciter; sed quòd ipse, minùs quàm illæ, mutari consueuerit.

Anima mobilis multitudo.

Angelus multitudo immobilis.

Deus immobilis vnitas.

Capitis 19. §. 1.

Quomodo tamen Deus moueri dicatur?

QVod si apud Orthodoxos, motus Diuino Numini adscriptos legerimus, motus vocabulum improprio & translatitio significatu vsurpari, quiuis prudens intelliget. Hoc etenim pacto moueri dicitur Deus, sicut inquit Diuinus Dionysius, propter actiones nimirum, quas ex se promit,

sicu

sine vllâ tamen sui mutatione. Quando igitur mentem illam incommutabilem, motuum rationibus affectam cogitamus, siue ei motus rectus tribuatur, siue circularis, aut quiuis alius: recto, significatur inflexibilis constantia, progressusque Diuinarum actionum nusquam inclinans: hoc est, quia rectus motus à lineá nusquam digreditur, sed à puncto, ceu principio quodam, vsque ad vltimum terminum fit, ita Diuina operatio à fonte totius esse egressa, non curuatur, sed per media omnia vsque ad vltimum quasi punctum æqualiter, secundum eius dispositionem, pertingit, à fine vsque ad finem, ab origine vsque ad exitum, fortiter & suauiter.

Deo rectus motus vt detur.

Motu obliquo siue flexuoso Dei, quem ex diuersis, circulari scilicet, & recto constare liquet, progressio & status operationis Diuinæ, intelligenda veniunt: progressio quidem, quatenus Diuina potentia, summum rerum apicem tenens, quasi per quendam defluxum, ad res alias deriuatur. Status autem, quatenus res à se productas, in esse proprio tuatur & conseruat.

Quomodo obliquus.

Motu circulari indicamus Deum, potentiæ suæ ambitu omnia complecti, vniuersaque abs se tanquam à suo producta principio, ad seipsum, tanquam ad finem, per gyrum reuocare. Duo enim ista in circulari motu reperiuntur: siquidem circulare corpus quod eo fertur, ex parte sui concauâ, alia continet, & ab eodem puncto vnde fluxit, redit in idem. Hinc fortasse Stoici, Deo rotundam formam dederunt vt habet Seneca epist. 113 siue reuera summo Deo, siue vt alij volunt, mundo, qui Stoicorum secundarius Deus. Aut etiam quia Deus ignis esse perhibetur, ignis autem duplici feratur motu, naturali videlicet, qui rectus appellatur & naturam eius consequitur; & violento qui præter naturam illius est, & circularis nuncupatur, quo mouetur motu totius, nempe secundum diuiniotis cuiusdam corporis (quod est cælum) circulationem. Ita rectus motus Deo eá ratione tribui potest, quia ad intra, motu naturali fertur ad se, amans se in se, ad extra verò, eodem, aut certè simili motu fertur in hominis animam, tanquam in centrum amoris sui: ad intra, circulari, sed non violento, magis autem necessario motu agitur Deus, quia in eo circulum facit Trinitas Personarum, quarum duæ à principio sine principio, tum per generationem, tum per spirationem emanantes, refunduntur in ipsum principium, in vnitatem naturæ: ad extra, quia in circulum Dominus fluens, motu violento, sed conseruationi totius debito, secundum Patris æterni imperium, in rationalem creaturam delatus, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, vt hominem, qui, ruptis per inobedientiam circuli Diuini, quo priùs continebatur, cancellis, errabat vagus, inops & infelix, ad circulum, ad principium suum reuocaret, reuocatum, in Patris gloriâ sociaret. Ad extra quoque, quia vt Martianus inquit de Philosophiâ affectante ad cognitionem sacræ Triadis ascendere, circulos euomit, & sphæras: ita Deus suâ bonitate, circulos euomit amoris, creaturam suam ita instituens, vt omnis ea circulum faciat, vt quemadmodum ab ipso est, ita, & in ipsum recurrat, atque terminetur.

Quomodo circularis.

Ignis motus duplex.

Motus amoris Dei in hominem.

Philosophia circulos vomit, affectans cognitionem Trinitatis.

2. Vel denique circularem Diuino Numini motum dato, quia omnia regit & gubernat: rectum, quia rectis præmia largitur; obliquum quia plectit iniquos, quod quasi aduersante bonitatis suæ naturâ facit, de suo optimus, de nostro iustus. Violentum, quia reprobis iustæ damnationis infert supplicia. Præclarè Diuus Chrysost. hom. 46. imperfecti in Matth. explicans planctum Domini super Ierosolymam: *Nam Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare. Non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit saluare. Nam quemadmodum in nobis alienum est benefacere, sic & Deo contra naturam est malefacere, aut perdere. Sed dicet aliquis cùm in potestate habeat Deus perdere, & saluare, quis eum inuitum compellit condemnare, si non vult? Tu qui non desideras misericordiam Dei. Sed dicis, quis est homo qui non desiderat misericordiam Dei? Tu qui permanes in peccato. Desiderare autem misericordiam Dei, est conuerti ad Deum. Ille enim desiderat misericordiam Dei, qui timet iram eius: qui autem non timet iram eius, non desiderat misericordiam eius, sed contemnit.* Hæc D. Chrysost. Dato naturalem, quia solitâ suâ bonitate, sese creaturæ secundum eius capacitatem communicat, sic Diuus Ephram Syrus in Confessione. *Tantum autem cuique tribuit, quantum creata qualibet natura capere potuit.* Voluntariam, quia liberè omnia in suo esse conseruat: *qui & figniat omnia per subtilitatem*, inquit Saluian. lib. 1. de Prouidentiâ, *& moueat per fortitudinem, & regat per potestatem, & custodiat per benignitatem.* Nullo autem prædictorum motuum, vel aliorum qui de Deo enuntiantur, mutari immutabilis illa essentia dicitur, quandoquidem, per eos nihil in se admittat, nihil amittat, quo ex non tali talis, aut ex tali non talis, in seipso fiat: sed quod est, id semper est, & qui est, semper ipse est; & qualis est, semper talis est, inquit Tertull. lib. de Trinitate.

Misericordiam desiderare, est conuerti.

Capitis 19. §. 2.

Proprietatum quarundam Diuinarum breuis descriptio.

1. Est tamen interea, vt ex istis quanta sit Numinis majestas, quanta eius magnitudo & excellentia, magis elucescat, quod cum pleno mentis obtutu cognoscere nulla virtus extranea possit, quantum fas est, ex attributorum excellentiâ, illius amplitudinem prætereà condiscimus. Ipse enim vt increatus dicitur Deus, natiuitatem, artificemque excludit. Vt incorporeus, detrimenta non sentit corruptibilitatis: vt infinitus omnia continet, & nusquam continetur; vt immensus, eius magnitudo mensuram non admittit: vt immutabilis, seruat sese virtutibus suis, semper sui & similis & æqualis: vt incomprehensibilis, cogitationis vincit magnitudinem: vt ineffabilis, excludit essentiæ suæ propriam appellationem: *nam quia extra intellectum est, etiam supra appellationis significantiam sit, necesse est*, inquit Tertullianus. *Vt meritò quando nomen suum Deus, ex quibusdam rationibus & occasionibus adijcit & prafert, non tam legitimam proprietatem appellationis sciamus esse depromptam, quàm significantiam quandam constitutam, ad quam dum homines decurrunt, Dei misericordiam per ipsum impetrare posse videantur.* Vt inuisibilis, oculorum euadit contemplationem: vt simplex compositionem nescit: vt vnus, Ethnicorum fictilia, & Hæreticorum figmenta condemnat, atque parem cui conferri possit, excludit: Summus etenim est, *Summum autem quidquid est*, inquit Tertull. lib. de Trinit. *ita demum summum esse oportet, dum extra comparem est: Et ideò solum & vnum sit, necesse est, cui conferri nihil potest, dum parem non habet.* Vt æternus, omnimodam temporis aut durationis mensuram respuit, ignorat finem; vt bonus, mali artifex esse non potuit; maximè quum omnis mali operis vindex

Deus cognoscitur ex proprietatibus.

Proprietates Diuinæ descriptæ.

Summum esse quid sit.

vindex sit & iudex: vt ens summum, nullo eget; non corpore vt esse habeat; non loco, vt contineatur; non tempore, vt vicissitudini subijciatur; non caussâ, vt ab alio pendeat; non formâ vt sit in materiâ; non subiecto vt in illo subsistat, aut illi adsistat.

2. Deo quæ competant.

Illi soli competit omnipotentia, intimorum cordis recessuum perscrutatio, præteritorum, præsentium & futurorum præsens cognitio; possibilium & factibilium, impossibilium & non factibilium scientia. *Omnium Creator est, fons luminis, seminarium vitæ*, inquit Trismegistus: & vt est apud Rhodiginum lib. 21. lect. antiquar. cap. 34. ratio rationum, fons rerumque artifex omnium, forma vniformis, & omniformis; substantia immobilis omnia mouens; in motu status: in tempore æternitas; in summis profunditas; summitas in profundis, in multitudine vnitas, in debilitate potestas, natura fecundissima naturarum, fœcunditas fœcunditatum, naturalissima, æterna, vitarumque vita, sensus sensibilium, sensuum lumen & perspicacia: intelligentia talis, vt rerum intelligendarum sit bonitas, & intellectus cuiuslibet veritas, & gaudium voluntatis. Caussa mouens ad benè operandum, vt auctor est boni: confert victorias ipse vincentium victoria, vt fortis & potens. Hominum dulce leuamen, vt misericors: consolator mentium, vt pius; exaltator humilium & superborum depressor, vt Rex: illuminator cordium, vt lux: inspirans mundi contemptum, vt via: flagella prænuntians, vt amicus: gratiam donans, vt liberalis: stabiliens in bono, vt benignus: excitans voluntatem, vt amator: vocans ad cælum, vt præmiorum largitor: lux omnes pellens tenebras, vt veritas: conseruator fidelium, vt Pater: piorum exauditor, vt placabilis: tribulatorum liberator, vt vita: omnium moderator, vt Dominus & Rex: oppressos subleuat, vt vindex: sceleratos punit, vt iudex: confortat pœnitentes, vt compatiens. Magnus & mirabilis Deus: & quis intelliget? ægris medicina est, lassis refrigerium, laborantibus solatium: iustorum salus, & quis cognoscet?

3. Amore an timore accessus sit propior ad Deum.

Porrò autem, tantæ celsitudinis eminentia, nescio an per amoris accessum, an verò proximiùs per timoris recessum, cognoscatur. Spectatâ quidem amoris naturâ, propiùs Deo anima diligendo videtur accedere, quàm timendo; vt quæ à seipsâ amore abducta, in amati gremium ipsa se infundat, aliàs actura securè, nisi securitas periculi genitrix foret: accessus autem ille quò intimior, eò apertiùs, sacratiùsque intima ipsius nudat amati, vnde amplior fiat eiusdem cognitio.

Securitas mater periculi.

Eatenus verò timore propiùs attingi videtur Majestas omnipotensis, quatenus per eum, illius æstimatio augustior, reuerentia cautior, obseruantia sedulior: sic vt ipse per timorem recessus, propior videri possit per cognitionem accessus, quando is maiorem summæ altitudinis notitiam consequi censendus sit, quantò illam magis veretur, ac reueretur.

Quò spectat à quibusdam Deum à timore indigitari, fortassis ex eo, quòd alijs, (quamuis insipienter) visum sit dicere. *Primus in orbe Deos fecit timor*: qui si fecit, etiam per timorem proxima Numinis cognitio. Non ergo timorem excludat amor; non amorem timor: quando etiam in supernâ illâ Ierusalem, beatæ mentes, quantum in intima lucis inaccessæ penetralia admittuntur, tantùm diligant, & incomprehensæ Majestatis metuant magnitudinem. Animæ autem nostræ pedes bini, quibus illi ad Diuina progressus, timor & amor, quorum alterutro deficiente, claudicat omnis nostra de Diuinis cognitio.

4. Timor & amor ad cognitionem Dei necessarij.

Amore itaque cognoscitur Deus, & timore: & tantùm timore, quantùm amore, quando securitas in amore sine timore, excutit amantem ab amore, & reuerentia in timore sine amore, seruum arguit, & excutit à filiorum timore. Quò fit vt nec amor sine timore, nec timor sine amore constare queat. Aut vbi amor tuus, si non ostenderis & timorem tuum? Ostende mihi timorem tuum, & ego ostendam tibi amorem tuum. Nonnisi timoris clauo asfixus est amor Numinis; clauum si refixeris, si abieceris, quo euadet amor? Fabulantur Poetæ Tali custodiæ commissam Cretam, quam cùm quotidie ter pedes obire teneretur, Vulcanus illi venam quandam quæ à ceruicibus ad talum vsque extenditur, clauo confixit ferreo, quò & expeditior in obeundo munere foret, & à læsione, & offensione pedum liber: sed quid? Circeis irretibus artibus, clauum amisit Talus & vires, & Cretææ opes periere, quas solito more & diligentiâ seruare non poterat, qui & ipse perijt. Animam cuique custodiendam commisit Deus, suumque timorem tanquam clauum fixit in præcordijs nostris, quò sursum configi postulabat Psaltes Regius, quum inquit. Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Huius si per sensuum oblectamenta iacturam facimus, totius amoris, spiritualiumque charismatum opes, perdimus, & ad flagra, tanquam serui infideles, deposcimur.

Talus clauo figitur vt Cretam obeat inoffensus.

Psal. 118.

CAPVT XX.

De inuisibilitate Dei.

An Deus sit res visibilis.

17. Eneph Deus Ægyptiorũ.

QVem Ægyptij totius mundi, vniuersitatisque rerum Creatorem & moderatorem venerabantur, Eneph appellabant, cuius hieroglyphicum ita instituerunt, vt humanâ formarent effigie, habitu cæruleo, pennato capite, zonam manu, & manu sceptrum gerentem, ouumque ex ore, inquit Pierius Valerian. in Hieroglyphicis. Meminit huius symboli Eusebius lib. 3. de præparat. Euangelicâ, cap. 3. vbi ita inquit. *Ægyptiorum Deorum symbola talia sunt. Creatorem Ægyptij, Eneph appellant, cuius imaginem in formâ hominis faciunt, colore cæruleo, coronam tenentem & sceptrum, cuius in capite pennam ponunt, significantes difficilem inuentu esse Creatorem, & nemini conspicuum, viuificum etiam & regem, & intelligibili motu circumlatum.* Penna igitur sublimem esse significabat, non solùm supra sensum, verumetiam supra humanæ intelligentiæ captum. Humana forma, vitæ auctorem, & motu qui intellectu comprehendi possit circumlatum, quoniam sicut hominis corpus omnium patet aspectibus, mens verò ipsa, quâ à reliquis animantibus discernimur, cerni à nemine potest: ita etiam summi opificis motus & actiones, eorum quæ in sacris voluminibus posteriora appellantur (sicut Aristoteles quoque, effectus posteriora; caussas priora vocitauit) ab humano intellectu cerni possunt: mens verò ipsa, & Diuina natura, quæ ista moderatur & gubernat, hoc in rerum statu, nullius omnino adiri potest obtutibus: ideoque cæruleâ veste indutum pingebant, vt istiusmodi amiculo (quale

Vide cap. 44. §. 8. num. 1.

Effectus sunt posteriora.

Cæruleus color quid significet.

etiam Beatissimæ Virgini Matri propter incomprehensa, quæ in ea patrata sunt mysteria, tribuitur) & cælestem esse, & cælum inhabitare: omnis coloris, accidentis, mixtionisve expertem significarent: licet istis tamen quandoque Deum substare, nobis videatur, & modò irasci, modò placari, cæterisque morbis nostris affici: quia nimium rebus induti mortalibus, & tanquam cochleæ ijsdem inuoluti, similes de illo beato immortali, quas de nobis, opiniones habemus, verbis quidem Deum humanâ formâ, & imbecillitatibus eam consequentibus præditum negantes, re autem, seu potiùs opinione, nostra ei tribuentes. Ita enim cæruleus cælo color, non verus, sed apparens, ob distantiæ interiacentis profunditatem, quo etiam Numinis profunditas & altitudo indicata, sicut & inscrutabilia virtutum & mysteriorum cæruleo amicino indicamus. Sceptrum verò, regiam eius in vniuersam naturam, potestatem significat. Corona siue zona, vinculum quo connectuntur omnia, quóve rerum ortus atque interitus continentur: Zodiacum, eam coronam, vocant Astrologi. Ouum tandem ex ore prodiens, Verbo Dei orbem procreatum designabat, cui tanquam ouo, indita vitæ seminâ. Ita illi inuisibilem Deum figurabant.

2. Deum visibilem esse qui voluerint?

Eò autem euasit humanæ mentis peruersitas, vt immersa penitùs corpori, nil nisi corpus saperet atque intelligeret, adeoque, vt & ipsi quoque menti purissimæ, Deo inuisibili, materiæ impuritatem affinxerit, vt oculorum sensu Deum videri assereret, id quod gentibus exprobrat insignis fidei orthodoxæ propugnator D. Athanasius, *Irrationali*, inquit, *vecordiâ vsi, rem visibilem, Deum esse finxerunt.* Quo ex errore, Græcorum, Thracum, Ægyptiorum plerique, homines insignis alicuius facinoris celebres, dedicarunt, atque illis veluti Dijs immortalibus initiati sunt, & victimas fecerunt: ita D. Cyprianus Martyr de Idolorum vanitate fatur. *Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos, postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa; inde ad defunctorum vultus per imagines detinendos, expressa simulacra, quibus & immolabant hostias, & dies festos dando honores celebrabant: inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant assumpta solatia.* Atque mox enumerat nonnullos, qui ex hominibus pro Dijs habiti sunt. *Melicertes*, inquit, *& Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt postmodum maris numina*, de quibus sic Athenagoras pro Christia. *Ipsam Ino post insaniam & quas in insania exhibuit perpessiones, Deam factam esse opinati sunt. Pelago vagantes nominant Leucotheam (id est albam Deam) Filium itidem eius, nautæ colendum quem vocant Palæmonem.* De ijsdem D. August. lib. 18. de Ciuit. Dei. cap. 14. *Vxor Regis Athamantis quæ vocabatur Ino, & eius Filius Melicertes, præcipitio spontaneo in mari perierunt, & opinione hominum in Deos relati sunt. Illam certè Melicertis matrem, Leucotheam Græcè, Matutam Latini vocauerunt.* Prosequitur Cyprianus, *Castor & Pollux alterna moriuntur, vt viuant: Æsculapius vt in Deum surgat, fulminatur. Hercules vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur. Apollo Admeti pecus pauit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit. Antrum Iouis in Creta visitur, & sepulcrum eius ostenditur, & ab eo Saturnum fugatum esse manifestum est: inde Latium de latebrâ eius nomen accepit. Hic litteras imprimere, hic signare nummos in Italiâ primus instituit vnde ærarium Saturni vocatur, & rusticitatis hic cultor fuit, inde falcem ferens senex pingitur. Hunc fugatum hospitio Ianus exceperat, de cuius nomine Ianiculum dictum est; & Mensis Ianuarius institutus est. Ipse bifrons exprimitur, quòd in medio constitutus annum incipientem pariter & recedentem spectare videatur.* Alexander, decimus-tertius Deus apud Athenienses numeratur, inquit Æneas Gazæus in Theophrasto. Getæ Thraciæ populi, Zamolxim Pythagoræ seruum fugitiuum, & heri sui Philosophiam profiteri ausum, solum esse Deum autumant. Protheus ab Ægyptijs Deus habetur, de quo Virg. lib. 4. Georgicon.

Melicertes & Leucothea, Dij, vt fideli sint.

Castor, Pollux.

Literarum inuentor.

Saturno falx cur tributa.

Est in Carpathio Neptuni gurgite Vates
Cæruleus Protheus.

Qui & aliter vocatur Vertumnus. Propertius lib. 4.

Quid miraris meas tot in vno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.

Athenagoras Apolo. pro Christianis. D. Cyprianus suprà, de Dijs hominibus, qui ab Ægyptijs colebantur, proditum ab Ægypti Sacerdotibus secretum ferunt, Maiorum, & Regum esse seruatas memorias, inde colendi & sacrificandi ritum inoleuisse; id quod Alexander in Epistolâ ad Olimpiadem matrem scripsit, Athenagoras verò in hæc verba prodidit. *Herodotus & Alexander Philippi Filius in eâ quam ad matrem dedit Epistolâ (Vterque autem istorum Heliopoli, & Memphi, & Thebis in colloquium Sacerdotis venisse dicuntur) ab eis ipsis se cognouisse aiunt, homines illos fuisse.*

Idololatriæ ortus.

Illius quoque Epistolæ meminit Diuus Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 5. & lib. 12. cap. 10. & vt Anubim Osiadis Regis Filium, qui ab eis Cynocephali figurâ colebatur, eò quòd talibus insignibus vteretur; vnde Virgilio Æneid. 8. est *Latrator Anubis.* Vt feles, crocodilos, serpentes, & aspides, quorum meminit Athenagoras, quodque turpissimum est, & testatur Minutius Felix in Octauio, etiam crepitum ventris ab eis pro Deo habitum, prætercam. Itali Priscos Reges suos in numerum Deorum retulere, Cyprian. suprà. *Romanorum enim vernaculi Dei nouimus: est Romulus peierante Proculo, Deus factus, & Picus, & Tiberinus, & Pilumnus, & Consus, quem Deum fraudis, velut consiliorum Deum, coli Romulus voluit; postquam in raptum Sabinarum perfidia prouenit Deam quoque Cloacinam Tatius & inuenit & coluit; Pauorem Hostilius atque Pallorem. mox à nescio quo febris dedicata, & Acca & Flora meretrices.* Videbantur illi nonnisi formâ specieque cognitos Deos suscipere ac venerari; Ignotumque propterea Deum à Romanis appellatum volunt, illum, cui solemni ritu sacrificabant Iudæi, quod veri Numinis, ideoque ignoti, prosapiam, aut res gestas, historiæ nullæ prodidissent, eiusque ora expressa nunquam, aut visa fuissent, quemadmodum Mercurij, Martis, Saturni, aliorumque Heroum, quos Deorum albo delirans gentilitas inscripsit. Quare Caius Imperator, cæcâ ambitione Diuinos honores affectans ægrè habebat Iudæos ignoto Deo litare non sibi, quem nempe cognitum tractabilemque fuissent habituri: eò processerat Imperatoris istius dementia, vt quamuis mortalis esset & impotens, pro Numine tamen haberi, & coli vellet.

Ignotus Deus quis.

3.

In quam quoque prolapsus amentiam Salmoneus quidam Thessalorum Rex, Æoli Filius, pro Deo, ab imperitâ multitudine haberi, videríque volens, tanquam Iupiter quispiam, machinâ quadam ad hoc institutâ fulgurabat, tonabat, plebisque animos conturbabat; sed tandem ipse temeritatis suæ pœnas dedit, Suidâ teste, & Virgilio Æneid. 6. vbi inquit.

Diuinitatem qui affectarunt.

Vidi

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.

Syluius Romulus itidem siue Remulus, siue Alladius Tiberini Regis Filius, Albanorum Rex, teste Sabellico lib. 1. Ennead. 2. cum Dijs inimicitias exercuisse dicitur, quippe qui in Deorum contemptum, fulgura & tonitrua imitaretur, cuique vt Deus, postularet; sed veris fulminibus, imbreque cœlesti, atque proximi lacus inundatione, qui penes illius regiam fuit, cum totâ familia extinctus est, de quo cecinit Ouidius lib. 14. Metamorphos.

——— *Remulus maturior annis,*
Fulmineo perijt, imitator fulminis, ictu.

Clearchus quoque apud Suidam pro Deo adorari voluit. Pari cæcitatis facinore comprehenditur Persarum Imperator Cosroes, qui quum ingenti armatorum manu Iudæam inuasisset, interfectis nonaginta Christianorum millibus, asportatoque in Persidem, viuificæ Crucis ligno, vt Sanctissimæ Triadis mysterio illuderet, domum Cœlo similem exædificauit, ambique erecto throno Regio, à dextris Crucem, à læuâ gallum gallinaceum, se verò medium statuit, Deum se Patrem dictitans, qui medius inter Filium & Spiritum Sanctum sederet, Auctor Sigonius Regni Italici lib. 2. qua ex insania illos Deum visibilem putasse manifestum est.

Cosrois impietas.

Illudit SS. Trinitati.

Sed & Sadducæi apud Iudæos, quanquam veri Numinis docti cognitione, in tenebras nihilominus gentium lapsi sunt, quas postmodum refoderunt Hæretici. Illi enim spiritualem omnem substantiam explodentes, luminibus corporeis sensibilem, atque perceptibilem Deum, proindeque corporeum affirmarunt: testis Epiphanius in hæresi Sadducæorum: & Sacri Codicis auctoritate firmatur Act. cap. 23. *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, nec Angelum, nec spiritum.* Quod sic accipiendum est, vt animæ immortalitatis homicidæ perfidi, mortuorum anastasim negarint, Angelos è rerum vniuersitate expunxerint, omnemque prorsus spiritualem substantiam è medio sustulerint, Deum autem nobis finxerint corporeum, quod ex ijsdem verbis, D. Epiphanio hæresi 14. & Diuo Gregorio Nazian. orat. 5. de Theologiâ interpretibus, liquet: volunt enim Sadducæos agnouisse quidem Patrem & Filium in Diuinis, corporeum tamen quemadmodum supra cap. 18. meminimus: at non cognouisse Spiritum Sanctum, vt qui nullam omninò spiritualem substantiam in vniuersâ naturâ admitterent.

Deum esse corporeum dixerunt sadducæi.

Hæretici verò istarum tenebrarum sectatores seduli, Diuinam mentem, humanam ferre imaginem dixerunt, secundum quam, hominem creauit ad imaginem & similitudinem suam, sicut supra cap. 18. §. 1. vidimus. Et præter Audæum, de quo cap. 18. numero 3. qui apud Spondanum Anno Christi 341. istam hæresim professus est, fuit & quidam Basilius Bogomilorum Hæreticorum auctor, de quo Spondanus anno libertatis diuinitùs allatæ Millesimo centesimo vndeuicesimo, is & Trinitatem sacratissimam, solidum fidei nostræ firmamentum, negauit; & Deum humanâ præditum formâ dixit, atque adeò sensitiuæ facultatis virtute visibilem. Arriani denique, quos priùs retulisse oportuit, Dei Filium, etiam sic videri posse, existimarunt. qui cùm sit verissimè Deus, Deum vtique etiam eo modo videri posse, consequens est Quid? quod Celsus per calumniam, eodem pariter errore Orthodoxos inuoluit? aduersus quem, hanc stricturam habet Origenes lib. 7. *Mentitur Celsus contra nos, dicens, quod speremus nos Deum visuros oculis corporeis, & auribus vocem eius audituros, & manibus sensibilibus eundem contrectaturos.*

Deus non habet formam humanam.

4. Æqualis sanè, aut etiam maior haberi potest eorum impietas, qui sese Deum ita nosse iactitarunt, vt ipse Deus notus est sibi: siquidem hi finitam imbecillisque admodum virtutis; imò etiam infra omnem creaturam, Dei Majestatem facere volebant, quoniam ne acari quidem minutissimi animalculi, non formiculæ nobis natura penitus perspecta sit, non culicis, quem Sapientes per obscura noctis volitantem, atque rectâ in hominis faciem tendentem, necnon dormientis somnum abrumpentem mirantur: *Culicis tubam & lanceam,* inquit Tertull. lib. 1. aduersus Marcionem, *cum illa personat, cum hac lædit,* & vtrumque vnum est & tam exiguum, vt neque vni, neque alteri sufficere videatur, facit tamen omnia; & quod magis est, exiguum cùm sit animal, clangit & velut sanguisuga, sanguinem sugit, tantaque vis est eius tubæ, & lanceæ, vt ferri soliditatem æmuletur: illa verò, corporea mole, formisque constare: vtrique autem planè visibilem intelligibilemque supersubstantialem, & incomprehensibilem illam Dei naturam, faciebant.

Nosse se plene Deum, quidam dicebant.

Culicis natura.

Spondanus ex Theodoreto Hæreticarum Fabularum lib. 4. Anno Christi 360. Eunomium refert, dicere ausum, non solum se ex rebus Diuinis ignorare, sed etiam ipsam Diuinam substantiam exactè nouisse, eamque se de Deo habere cognitionem, quam de seipso haberet ipse Deus; ita in angustum sensus sui redegit immensam illam magnitudinem, quæ nusquam capi potest, quam cùm admentiam dicit, negat. Hanc sentinam siue cloacam erroris fœdissimi mouerat Aëtius, de quo Spondanus anno vindicatæ naturæ trecentesimo quinquagesimo sexto, & Theodoretus cap. 27. lib. 2. Hic namque ventri & abdomini suo totus deseruiens, quamuis ceu lutulentus porcus, totus iaceret in limi sordibus, animo tamen se supra cœli cardines perambulare iactabat: vnde solitus erat dicere, se Deum, atque ita seipsum nosse, vt ne quidem se magis nosceret, quàm ipsum Deum. Hæc autem, & his similia sacrilege effutiri, quis non videat? Actum agerem, si in erroribus istis refellendis immorarer, quandoquidem illos ostendisse, vicisse sit. Manet enim inconcussum Diuini eloquij testimonium, nos opera Dei ignorare, & multò magis ipsum: ita enim Ecclesiastes cap. 11. *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, & quâ ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Id quod eleganter prosequitur Tertullianus lib. 1. aduersus Marcionem bestiolas & animalcula irridentem, tanquam opus parum Deo dignum, quæ tamen ad mundi huius ornatum creauit Deus: *At cùm & animalia irrides, minutiora quæ maximus artifex de industriâ ingenijs aut viribus ampliauit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate secundum Apostolum, imitare si potes, apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina: sustine si potes illas ipsas lectuli & tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam & lanceam. Qualia erunt maiora, cum sic modicis aut iuuaris, aut læderis, vt nec in modicis despicias Creatorem?* Atque ita fit, vt cùm in creatis omnibus visibilis sit Deus, maneat in seipso inuisibilis, & incomprehensibilis.

Eunomius.

Aëtius.

Ecclef. 11.

Animalia minuta creauit Deus ad ornatum.

Capitis 20. §. 1.

Pro Patribus quibusdam, qui erroris huius insimulantur, vindiciæ.

1\. NOn defuerunt interea, qui antiquos & sapientissimos Patres, Lactantium Firmianum, Arnobium, Cyrillum Alexandrinum, & Tertullianum huius erroris insimularint: sed quâ fronte, nescio, nisi fortè vt Veterum scripta sugillantes, suis denique auctoritatem, quasi gigantis humero superpositus Pumilio vel Pygmæus, extrema detegat, speculétúrve, quæ gigantem fugiant Olympo monti insistentem: quod vt etiam detur, nunquam tamen in gigantem demutabitur Pygmæus, neque robustâ acie rimabitur vt gigas, videbit namque semper vt pusio. Seneca Epist. 76. *Non est magnus Pumilio, licet in monte constiterit: Colossus magnitudinem suam seruabit, etiam si steterit in puteo.* Nisi fortè etiam nolentes mentem Fidei Auctorum addiscere, minutâ dictorum perscrutatione, dicendi sibi paraturam quærant.

Pygmæus Olympo insistens, semper Pygmæus.

2\. Quare, vt præfatos Patres ab inscripto errore vindicem. Quum Tertullianus, de quo maior quæstio esse potest; lib. aduersus Praxean, inquit, *Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? spiritus enim, corpus sui generis in suâ effigie. Sed etsi inuisibilia illa quæcunque sunt habent apud Deum, & suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt, quantò magis quod ex ipsius substantiâ missum est, sine substantiâ non erit:* & quum lib. de resurrectione carnis, animam corporalem dicit, habentem proprium genus substantiæ, & soliditatis, per quam quid & sentire, & pati possit: Corpus Dei, substantiam vocat, non molem aut magnitudinem quandam suis descriptam dimensionibus; docet enim tum lib. de Trinit. tum aliàs sæpè, Deum esse spiritum, & aliquid supra spiritum, quoniam spiritus Dei substantiam non exprimit, sicut retulimus cap. 17. §. 6. num. 3. *Est enim simplex, & sine vllâ corporeâ concretione,* inquit, *quidquid illud est totus, quod se solus scit esse, quandoquidem spiritus sit dictus.* Inuisibilem quoque asserit aduersus Praxean libro, & ex consequenti incorporeum, nullis egentem membris: *Necessaria enim hæc membra hominibus fuerunt,* inquit Tertullianus lib. de Trinitate; *non Deo: quia inefficax hominis consilium fuisset, nisi cogitamen corpus implesset. Deo autem non necessaria, cuius voluntatem non tantùm sine aliquâ molitione, opera subsequuntur, sed ipsa statim opera cum voluntate procedunt.* Sed & hunc Septimium Florentem vindicauit Diuus Augustinus, quum ad QuodvultDeum inquit, *Tertullianus ergo, sicut scripta eius indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam effigiatum corpus esse contendit: neque hoc tantum, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dicit, licet non effigiatum. Nec tamen hinc Hæreticus creditur factus. Posset enim quoquo modo putari, ipsam naturam substantiamque Diuinam, corpus vocare, non tale corpus cuius partes aliæ maiores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ propriè dicimus corpora, quamuis de animâ tale quid sentiat. Sed potuit, vt dixi, propterea putare Deum corpus dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed vbique totus, & per locorum spatia nullis partitus; in suâ tamen naturâ atque substantiâ, immutabiliter permanet.* Licuit autem tunc, & ipsi istud de animâ opinari, quod nunc, post sigillatam Ecclesiæ autoritate veritatem, non licet. Quare benigniùs cum Patribus agendum, si quid in eis modò reprobum occurrerit, quàm vt acerbiùs sugillentur.

Deus vt substantia dicatur.

Deus, vt corpus vocari possit.

3\. Transeo ad Lactantium, qui quòd lib. de irâ Dei cap. 18. dicat. *Quod autem de homine dicimus, id etiam de Deo, qui hominem similem sui fecit. Omitto de figurâ Dei dicere, quia Stoici negant habere vllam formam Deum; & ingens alia materia nascitur, si eos coarguere velimus.* Eò pertraxere nonnulli, vt Deo humani oris speciem tribuisse dicendus sit, ad cuius similitudinem conditus sit homo; sed illi ignem confodiunt, docet enim Firmianus illo cap. non in corpore, sed in animo, hominis ad Deum similitudinem cerni, alijsque locis sæpè; vt lib. 1. de falsâ Religione. cap. 5. & 8. lib. 7. de præmio cap. 8. Deum mentem esse, & spiritum esse corporis expertem, atque inuisibilem: & apertissimè in his: *Quod si Deos esse credunt, qui si sint, vtique sunt expertes corporum.*

Deus formam non habet.

Similitudo hominis ad Deum, quæ?

4\. Vacat quoque eâ culpâ Arnobius, qui tantùm abest, vt Deum corpore circumscripserit, quin etiam omnem mentis formam, quæ Gentium arbitratu fingebatur, à Diuinis remouerit: ait enim libro tertio & septimo, contra Gentes: *Nam si vos faceremini id, quod vestra suspicio credidisset, formam mentis attribuisse Diuinis, minus erat iniuriæ, præsumptâ in opinione peccasse.* Hocne est ipsum visibilem adeoque corporeum fateri? Pergit porrò Arnobius, *Si nostri animi motum non recusatis audire, tantùm abest, vt nos Deo corporalia lineamenta tribuamus; vt animarum etiam decora, ipsasque virtutes, tantæ rei vereamur adscribere.*

Gentes Deo formam tribuerunt.

Notanda verò sunt, quæ libro primo adfert, pro ratione assumptæ carnis à Dei Filio: *An aliter potuit inuisibilis ista vis,* inquit, *& habens nullam substantiam corporalem, inferre & accommodare se mundo, concilijs interesse mortalium, quàm vt aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret?* Similia asserit Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem, sub finem, dum Patrem dicit inuisibilem, Filium in assumptâ carne factum visibilem, & tractabilem. *Igitur, quæcunque exigitis Deo digna,* inquit, imbecillitates nostras Christo exprobrantibus, *habebuntur in Patre inuisibili, incongressibilique & placido, & (vt ita dixerim) Philosophorum Deo. Quæcunque autem vt indigna reprehenditis, deputabuntur in Filio, & viso, & audito, & congresso, arbitro Patris & ministro, miscente in semetipso hominem & Deum, in virtutibus Deum, in pusillitatibus hominem, vt tantùm homini conferat, quantùm Deo detrahit, totum denique Dei mei penes vos dedecus, sacramentum est humanæ salutis. Conuersabatur Deus, vt homo, diuina agere, doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo posset. Deus pusillus inuentus est, vt homo maximus fieret.*

Deus paruus factus vt homo fieret magnus.

Sed neque Cyrillus irretitur istius erroris laqueo, quanquam Maldonatus comprehensum velit, quòd dicat lib. 2. in Ioan. cap 93. *Spiritus enim Deus quando corporibus confertur, esse intelligitur,* quasi vellet non aliter Deum appellari spiritum, quàm comparatione corporum, sicut ait Maldonatus, *quasi ad corpora, spiritus: ad se, corpus sit.* A quâ mente longè tamen abest Cyrillus: neque enim dicit Deum, Spiritum appellari, quando *confertur,* id est; *comparatur* corporibus, sed quando *confertur,* id est, *donatur* corporibus, quoniam homines quibus confertur, spirituales reddit; & ex consequenti,

Deus confertur hominibus, vt spirituales fiant.

ſequenti ſpirituales Dei adoratores, quales Pater æternus quærit: ita ſapientiſſimus Magiſter Ægidius à Præſentatione, libro quarto de beatitudine formali, quæſtione 5. articulo 2. §. 1.

6. *Tertullianus reprehenſus, quod aliquid corporis Deo tribuiſſe viſus ſit.*

Manet igitur, perperam præfatorum Patrum auctoritatem conuelli; præſertim, vnum ſi demas Tertullianum, qui phraſi ſuâ, & modo loquendi, quo Deum ſubtiliſſimo quodam corpore afficiendum iudicauit, ſiniſtrè de ſe ſuſpicandi ianuam aperuit, vt proinde non minùs eum carpat quàm tueatur Diuus Auguſtinus ad Quoduultdeum, & lib. 10. de Geneſi ad liter. cap. 25. Manet inuiſibilem Deum, nec eſſe corpus, nec vim in corpore, ſed neque comprehendi ab his qui percipiunt corpora, corporumque accidentia & affectiones, quales ſunt, motus, ſtatus, & reliqua huiuſmodi: neque eſſe in mundi circumferentiâ, vt voluit Ariſtoteles, & in cælo reſidem, haud ſecus atque Perſarum Rex in regiâ Vrbe Ecbatanis, aut Suſis reſidere ſolet, quò ſit vt hæc inferiora non eſſe perpetua concludat, cùm illa longè abſint à Deo.

Prouidentia Dei.

Non intra mundum; tanquam ſi ſphæris cœleſtibus, circumſcriptus eſſet; intra mundum tamen vniuerſa ſuâ implens prouidentiâ, quomodo ſecundum Saluianum libro 1. de Prouidentiâ, Stoici, *eum Gubernatoris vice, intra id quod regat, ſemper manere teſtantur. Quid potuerunt de affectu ac diligentiâ Dei rectius, religioſiuſque ſentire, quàm vt eum Gubernatori ſimilem eſſe dicerent!* inquit Saluianus Stoicorum dicti, non tantùm interpres, ſed etiam encomiaſtes. *Hoc vtique intelligentes, quod ſicut nauigantis Gubernator, nunquam manum ſuam à gubernando, ſic nunquam penitus curam ſuam Deus tollit à mundo. Ac ſicut ille, & auras captans, & ſaxa vitans, & aſtra ſuſpiciens, totus ſit, ſimul tam corporis quàm cordis officio, operi ſuo deditus. Ita ſcilicet Deum noſtrum ab vniuerſitate omnium rerum, nec munus dignantiſſimæ viſionis auertere, nec regimen prouidentiæ ſuæ tollere, nec indulgentiam benigniſſimæ pietatis auferre.*

Deum eſſe in ſphærâ igneâ dixit Plato, Iudæi in Templo Hieroſolymitano.

Sed neque in ſphærâ igneâ Deum eſſe patet, vt Plato aſſeruit: non in templo ſolùm Ieroſolymitano, vt Iudæis viſum eſt: non in cælo tanquam in habitaculo, vt Ægyptijs placuit, cum Ariſtotele, qui inuiſibilis Dei immenſam potentiam cælis, aut orbium ſupremo, circumſcripſit, id quod præter Iuſtinum acerrimum Ariſtotelis oppugnatorem, teſtatur Cyrillus Alexandrinus, libro primo contra Iulianum, in hæc verba. *Ille qui apud eos maximam, & vſque ad miraculum, grauitatem ſententiarum habet, Ariſtoteles, inquam, Stagirita, Platonis diſcipulus, ſpeciem quidem ſeparatam vocat Deum, & ingredi contendit ſuper vniuerſi ſphæram.*

Deum ceu figulum molem hanc torquere qui dicant.

Atque ita Stoici quoque, teſte Tertulliano in Apologetico aduerſus Gentes, Deum extra mundum poſitum volunt, qui figuli in morem, extrinſecus torqueat molem hanc. Ita nihil ratum, nihil fixum, nihil ſtabile apud illos fuit, qui de Deo, non ad veritatem, ſed ad vanitatem diſputarunt. Nec deſunt, qui Ariſtoteli tribuant, quod Deum deduxerit, & extenderit vſque ad Lunam tantùm, vt videri poteſt apud Pinedam in cap. 22. Iob verſu 12. num. 4. non verò in inferiora, & ſublunaria intulerit, quod eſt Deum non intra mundum & creaturas, ſed extra omninò collocare. Id quod ex Cyrilli ſententiâ deductum videtur.

7. *Deus intra omnia & extra omnia.*

Rectè Diuus Iſidorus lib. 1. de ſummo bono cap. 2. *Immenſitas Diuinæ magnitudinis iſta eſt, vt intelligamus eum intra omnia, ſed non incluſum: extra omnia, ſed non excluſum, & ideò interiorem vt omnia contineat: ideo exteriorem vt incircumſcriptâ magnitudinis ſuæ immenſitate omnia concludat. Per id ergo quod exterior eſt, oſtenditur eſſe Creator: per id quod interior, gubernare omnia demonſtratur.* Cui propterea (vt ſæpè diximus) ſi in Sacris Voluminibus, ſeſſio, locutio, motus, ſtatus, forma, vel figura, ad humani figmenti partium ſimilitudinem tribuatur, id metaphoricè, & per quandam ἀνθρωποπάθειαν fieri, docent etiam ipſi Iudæi in ſymbolo Fidei ſuæ articulo 3. quæ tamen nonniſi propter illos memorari autumat Philo Iudæus lib. Quod ſit Deus immutabilis, & lib. de Somnijs, vtpote, qui hebetioris animi, indiſciplinatis moribus, atque à pueritia perperam educati, conuenientibus ſibi, & humanum quid ſapientibus remedijs, eſſent reuocandi, vt ad mentem officiumque redirent: hinc iræ Dei, hinc comminationes, arma, furor, aſcenſus, deſcenſus, tela, gladij, inſtrumenta vltionis aduerſus ſceleratos inſtructa. Hinc ad eorundem terrorem, non vanè fabulatum eſt, Deum hominis formâ ciuitates obire, obſeruando quid in eis contra ius & fas fiat. Eos verò qui felicioris naturæ, & inculpatæ diſciplinæ fuerint, veriſſimis de eo, *qui eſt*, myſterijs initiatos, nihil creatum ei affingere, verùm ad ipſum ſicuti eſt, & quantum in ipſis eſt, pergere.

Via ad Diuina, duplex, timor, amor.

Ex quibus præter timorem & amorem, ceu literam Pythagoræ bicorni ſectam diſcrimine, duplicem nempe viam ad Diuina: vnam, quâ timore medicabiliter concutiaris: alteram, quâ amore in eum, *qui eſt*, neque eſt ſicut homo, accendaris; quanquam, ſicut homo filium, caſtiget filios hominum. Habes præterea, ad opificem rerum omnium mentem, mente purâ, non aliquo corporis ſenſu, tanquam ad viſibilis alicuius ſubſtantiæ formam, adeundum.

Capitis 20. §. 2.

Inuiſibilis Deus, vt videri aliquando dicatur.

1. *Deus ſpiritus infinitus, mens.*

ILle, qui eſt, & de quo Anaxagoras *Deus ſpiritus infinitus à ſeipſo regitur:* de quo Philo Iudæus, *ne mente quidem comprehenditur, niſi hactenus quid ſit.* De quo Tertullianus lib. de Trinitate, *vniuerſa ſinu perfectæ magnitudinis & poteſtatis incluſit*, &c. *mens quædam gignens & complens omnia, quæ ſine vllo aut initio, aut termino temporis, cauſſas rerum naturaliter nexas, ad vtilitatem omnium, ſummâ & perfectâ ratione moderatur:*

Deus inuiſibilis.

quia incorporeus eſt oculo corporis attingi nequit, quantacunque vi ſenſitiuæ facultatis præpolleat.

Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſtas,

Id quod etiam aſſecutus eſt Philemon, apud Iuſtinum Martyr. lib. de Monarchiâ,

Qualis Deus, mihi dicito, cenſendus eſt?

Et reſpondet;

Qui cuncta cernit, ipſe ſed non cernitur.

Quiſquámne verò in mediâ poſitus caligine, ſenſili viſus facultate, circumfuſas tenebras

discernet? aut, quadratæne sint, an circulatæ, an verò triangulares dignoscet? Ita neque majestatem inuisibilis Dei, fumosâ vallatam caligine intueri, nedum tolerare, humana mens potest, nisi ipsa se radio, quo disposuerit, prodat, & sic eius agnoscatur præsentia, cuius est inuisibilis substantia. Quam in rem scitè Diuus Bernardus serm. 31. in Cant. *Non Sapiens, non Sanctus, non Propheta, videre illum sicuti est, potest, aut potuit in corpore hoc mortali, poterit autem in immortali, qui dignus habebitur. Itaque videtur & hic, sed sicuti videtur ipsi; & non sicuti est, apparet enim quibus vult, sed sicuti vult.* Hinc Diuus Cyprianus in præfatione ad Cornelium Papam, de Cardinalibus operibus, *Gustamus, delibamus, odoramus, & propè est, cumque accesseris, longiùs abit. Et quomodo fulgur nubes disrumpit, & repentina coruscatio non tam illuminat, quàm hebetat oculum: ita aliquando nescio quo modo tu tangeris, & tangi te sentis, eum tamen qui te tangit, non intueris. Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinsecus, quæ efferre non sufficis, vt dubitare non possis, quia iuxta te est, immò intra te, qui te sollicitat: nec tamen sicuti est, se tibi videndum concedat:* Sic quoque Diuus Ephræm Syrus lib. de pœnitentiâ, Deum in charitatis exercitio videri scribit. *Vides Deum cooperantem tibi: nullus enim ignorat eum qui secum operatur. Charitas non repræsentatur oculis carnis, neque videt iustitiam, nec alteri suam demonstrat sanctitatem: sed manifestatur oculis animæ, gaudens atque exultans in operibus bonis, quæ facis. Vides Deum, & noli negare quin aspicias eum: Deus enim charitas est. An quia non vides temperantiam ac pudicitiam, ideò non cernis eam per operationes? Sic quamuis non videas Deum sensibilibus oculis, tamen per charitatem ipsum intueris.* Diceret Tertullianus lib. aduers. Praxean, visum quidem Deum, secundum hominum capacitates, non secundum plenitudinem Diuinitatis, quóue quisque magis illuminatus sit, atque purgatus, ampliùs Deum videt, ad eum modum quo oculus quantò purior, tantò perspicaciùs Solem intuetur. Nam, inquit Doctor Mellifluus, *Neque hoc luminare magnum, Solem loquor illum quem quotidie vides, vidisti tamen aliquando sicuti est, sed tantùm sicut illuminat, verbi gratiâ, aërem, montem, parietem: quòd nec ipsum quidem aliquatenus posses, si non aliquâ ex parte ipsum lumen corporis tui, pro sui ingenitâ serenitate & perspicuitate, cælesti lumini simile esset. Non denique alterum membrum corporis capax est luminis, ob multam vtique dissimilitudinem: sed nec ipse oculus cùm turbatus fuerit, lumini propinquabit, nimirum ob amissam similitudinem. Qui ergo turbatus nullatenus serenum Solem videt, propter dissimilitudinem; serenus aliquatenus videt, propter nonnullam similitudinem. Profectò si pari prorsus puritate vigeret, videret omninò inoffensâ facie eum sicuti est, propter omnimodam similitudinem. Ita & Solem iustitiæ, illum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo sicut illuminat, illuminatus potest, tanquam iam in aliquo similis, propterea dicit: accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.*

Deus vt videatur.

Psal. 33.

2. Quantò ergo quis fidei purioris, atque vitæ fuerit purgatioris, tantò aptior capaciorque fiet illustrationis perceptibilis ab inaccessâ luce manantis, in quâ videat reuelatam sibi pro modulo deriuationis, Numinis majestatem, sicut in veteri instrumento à Patriarchis & Prophetis prædicatur visus inuisibilis Deus, & in nouo, fide vident, qui fide viuunt. *Non modo namque qui per prophetiæ spiritum, sed & qui per fidem videt*, inquit Diuus Bernardus sermone 70. in Cant. *Si quis ipsum quoque dicat videre in spiritu, mibi non videtur errare.* Atque ita vegetis oculis fidei videtur, etsi non pro plenitudine majestatis, tamen pro capacitate videntis, Diuinis illustrationibus roboratâ, sicut Solem in substantiâ non contemplamur, radium toleramus. Veluti namque gloriæ lumen tendit in Deum, vt se intuendum manifestat; ita fides in eundem tendit, vt se reuelat.

Deus fide videtur.

3. Neque enim intellectus vllus creatus, propriæ facultatis vi, Diuo Thoma 1. part. quæst. 12. art. 4. assertore, omnibusque eius interpretibus, videre Dei essentiam potest: Illustrari ergo siue hic, siue in supernâ vitâ, à totius luminis & claritatis Sole fulgentissimo debet, qui lunam humanæ naturæ, communicatâ luce serenat. Apostolo namque Doctore ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna, est*, quò fit, vt quoniam vita æterna in Diuinæ essentiæ visione est posita; intellectus creatus, non ex innatæ proprietatis facultate, sed ex Dei solùm gratiâ, Deum ipsum videre queat. Propterea in sacris Codicibus scriptum legimus, Eccli. cap. 43. *Mundum illuminans in excelsis Dominus, Græcè, κόσμος φωτίζων ἐν ὑψίστοις κυρίου, ornatus illuminans in altissimis Domini*: vel vt alij, *ornatum cæli illuminans Dominus.* Nam Deus est, à quo tanquam à Sole, lumen in sidera, quæ sunt ornatus cæli, & de quibus dicitur, *Fulgebunt iusti sicut stellæ*, deriuatur, atque diffunditur. Hinc est quod D. Dionysius Diuinor. nom. cap. 4. infit, Solem esse significatiuam, & expressam, & euidentem Diuinæ bonitatis imaginem.

Rom. 6.

Eccli. 43.

Quare nemini mirum videri debet, si ex consortio & familiaritate Diuinâ, instar lunæ splendentis, & lumen suum à Sole mutuantis, cornuta processerit facies Moisi, Exodi cap. 34. cornuta, inquam, hoc est radijs micans fulgentibus, splendida, Diuo Paulo 2. ad Corinth. cap. 3. interprete, quando illum splendorem appellat gloriam vultus Moisi, quæ euacuatur, videlicet, quia instar lunæ, cui lumen proprium non est, sed aliunde mutuatum; naturæ suæ proprietate, incrementa, decrementaque possit suscipere: tales nempe sunt humanæ mentis, in hac mortalitatis vicissitudine, tenebræ, vt nisi ipsa solis Diuini radijs, *cuius splendor, vt lux erit*, Abacuc. 3. illustrata fuerit, hæreat & pereat in suâ caligine.

Moysis facies cur cornuta.

Exod. 34.

2. Cor. 3.

Abacuc. 3.

Capitis 20. §. 3.

Viderine possit Deus oculo corporis, vel in supernâ vitâ?

1. IAm verò, an huius Diuini luminis participatâ virtute, corporeis oculis in hac, vel supernâ vitâ, videri possit Deus, an verò vtrobique, pro cuiusque status conuenientiâ, solius mentis oculis? quæstio est. In quâ, primùm, errorem eorum, qui Diuinam essentiam corporeis luminibus substratam, impiè garriebant, contra quos stylum exacuêre Patres, Diuus Athanasius Orat. contra Idola: & in Concil. Nicæno, Cyprianus lib de Idolorum vanitate: Irenæus lib. 4. cap. 37. Diuus Augustinus Epist. 111. & lib. 2. de Trinit. cap. 8. lib. 3. contra Maximum cap. 26. & tract. 3.

in

in Ioan. Diuus Epiphanius & alij: hæresim, inquam illam, iam suffodimus, asserentes, hoc in vitæ statu Deum qui incorporeus est, materiatis luminibus non posse videri, quoniam idem sit, visibilem esse, & corporeum: vnde illa Deuter. 4. *Vocem verborum eius audistis, & formam eius penitus non vidistis*: Iob. capite 28. *Abscondita est Diuina Sapientia ab oculis omnium viuentium*, & sexcenta alia Sacræ Paginæ testimonia, passim obuia, quibus spiritualis substantiæ Dei inuisibilitas comprobatur. Quæ quidem tanta est, vt ne ipsa quidem virtute Diuinâ, oculus corporis, ad lucis illius inaccessæ intuitum, formari possit: ita Diuus Thomas 1. part. quæst. 12. art. 3. & 3. contra Gentes, cap. 54. & cum illo magni illi Theologorum Proceres, inprimis, Augustiniani Ordinis decus insigne, atque Conimbricensis Academiæ emeritus Theologiæ Professor primarius. Magister Ægidius de Præsentatione, lib. 4. de Beatitudine formali, quæst. 5. art. 3. §. 2. Franciscus Suarez lib. 2. de attributis negatiuis cap. 6. Sotus in 4. distinctione 49. quæst. 2. art. 2. Medina 1. 2. quæst. 3. art. 3. quæst. 1. Gregorius de Valentiâ, & alij. Pugnat enim cum omnipotenti virtute Numinis, vitalis potentiæ egressus extra obiecti sui latitudinem, formaque potentiam informari, ad quam nec habitudinem, nec proportionem habet. Deum autem, quia purissimus actus est, extra omnem sui extensiuam, siue intensiuam corporei intuitus vim esse, manifestum est. *Hic nec videri potest, visu clarior est*, inquit Diuus Cyprianus de Idolorum vanitate.

Deut. 4.
Iob. 28.

2. Deum oculis corporis videre, an petierit Moises.

Scitum illud Cyrilli Ierosolymitani Catechesi 9. *Diuinam itaque naturam oculis corporeis videre, impossibile est.* Diuus Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. quòd Hebræorum Legionum Primipilum, Moisen, ex pij adfectus intemperantiâ, sensilem Diuinæ essentiæ conspectum, appetijsse existimarit, ita infit, *Putauit Deo etiam hoc esse possibile, vt corporeis oculis faceret, id quod est incorporeum comprehendi*: & addit, vt præsumpto errori spongiam inducat: *non reprehensibilis hic error, sed grata cupiditas, atque inexplebilis, quòd Dominum suum velut manu tenere, & obtutu oculorum videre cupiebat.* Vtrum tamen ea mens Moisi fuerit, non vsque adeò certum, præsertim, quod Diuus Gregorius lib. 18. Moralium cap. 36. ad mentis visionem, desiderium illud, his verbis expressum, *Ostende mihi teipsum, vt videam te*, referat, quum inquit, *Quia enim sitiebat* (videlicet Moises) *per incircumscriptæ naturæ suæ claritatem cernere, quem iam cœperat per quasdam imagines videre, vt sic superna essentia, mentis eius oculis adesset, quatenus ei ad æternitatis visionem, nulla imago creata temporaliter interesset.* Nec verò ignorabat Moises, ipsomet Diuo Ambrosio iudice, inuisibilem Deum, corporeis oculis videri non posse, quanquam nihilominus Diui Ambrosij sententiæ subscribant Theologi. Quod si ita est, per excessum mentis hoc à Moise postulatum, atque adfectus exuberantiam, existimarim, potiùs, quàm vt putarit, increatum atque insensibile, creato atque sensibili oculo, sentiri posse.

3. Cur oculo corporeo, Deus videri non possit?

Omitto Patres, Diuum Hieronymum in cap. 6. Isaiæ. Diuum Augustinum locis suprà citatis, reliquosque qui docent nullâ ratione fieri posse, vt oculus corporis, intra corporei naturam permanens, Diuinam in se attingat essentiam; imò ne Angelicam quidem, quoniam potentia sensitiua, suæ sphæræ, siue proprij obiecti sui ambitum, nullâ queat virtute transgredi. Suis enim potentiarum obiecta definita limitibus, ipsas ita determinant potentias, vt eas vagari extra præstitutum ordinem non patiantur. Sonus tenues aurium perfodit meatus: colorata visum imbuunt: neque vllâ vi fieri potest, vt harum potentiarum altera, in alterius actionem transferatur. Quod si ita est, si vna sensilis potentia in alterius potentiæ obiectum sensile corporeum extendi nequeat, quantò minus potentia visibilis, cuius obiectum sensibile ac diuisum, in spiritualis potentiæ obiectum indiuisibile, poterit promoueri? Quòd autem intellectilis nostra potentia, vi suâ naturali, nisi in ens materiatum possit intendere, non illud simpliciter illius obiectum est, sed solùm propriæ virtutis respectu: illius autem simpliciter obiectum est ens, cuius latitudine etiam ipse Deus continetur, in quem proinde mentis nostræ intuitus, vi, non innatâ quidem, sed Diuinâ roboratus, & potens, sese valeat extendere.

Item ergo, extra naturæ suæ orbitam corporei visus facultas iret, si obiecti præstituti metas transiliret: atqui quum incorporeum, per virtutem, quæ est actus organi corporei, videri non possit, vt inquit Doctor Angelicus 1. parte quæst. 12. art. 3. transgredi etiam nequit quod corporeum sensibile est; sensitiua facultas; & immitti in incorporeum: nam cùm omnis potentia sensitiua, sit actus organi corporei, actus autem omnis proportionari debeat ei, cuius est actus, fit, vt videre incorporea, non sit actus proportionatus potentiæ, quæ est in organo corporeo, ac proinde nequeat vltra corporalia extendi. Quæ D. Thomæ doctrina, sic accipienda est, vt potentia sensitiua, sit actus per se pendens in essendo, ab organo corporeo, sicut tradunt Ægidius noster de Præsentatione lib. 4. de beatitudine formali, quæst. 5. artic. 3. §. 2. & Conimbricenses lib. 2. de Animâ cap. 6. quæst. 3. Actus verò, non modò proportionetur ei, cuius est actus, in perficiendo, sed etiam in operando, vt non solùm illud perficiat, prout perfici potest, sed etiam eo modo operetur, quo aptum est operari: ita vt operationes vitales sensui propriæ, ad naturale suum obiectum referantur respectu transcendenti, ab eoque essentialiter pendeant, quò fiet, vt extra tale obiectum, nullo pacto excurrere possint: nam cùm ad esse, teste Philosopho, sequatur operari: sicut illa operatio siue actus, ab eo rationem essendi accipit, ita etiam ab eo rationem & modum operandi accipiat, necesse est: vnde sicut ab eo habet esse corporeum & extensum, ita etiam ab eodem habet, non posse operari circa obiectum, nisi modo corporali & extenso. Proindeque cùm obiectum simpliciter & extensiuè adæquatum sensui, sit corpus, vti est sensibile, fit, vt quod incorporeum, & spirituale est, sit extra obiectum visus, simpliciter & extensiuè adæquatum: alioquin obiectum sensus & intellectus, materialiter, æquè latè patere dicas, necesse est: atque adeò ens vt ens est, quod est obiectum intellectus, esse simpliciter obiectum sensus.

Obiectio.

Sed hoc sustineri non potest, primùm, quia non omne ens, est sensibile; denique, quia sensibile esset passio entis, vt ens est. Sed vnde illi ista sensibilitas? non profectò sub ratione veri, sub quâ habet quod sit intelligibile: neque verò quidquam habet ens præterea,

Responsio.

terea, quo ſenſibilitatis rationem fundare poſſit. Verùm latiùs patet ens, ſub entis ratione, quàm ſenſibile: Dandum ergo aliquod genus entis, quod ſenſibilitatis ſphæram excurrat, tale eſt incorporeum, & indiuiſibile illud, de quo Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſibili cap. vltimo, ad noſtram mentem: *quòd autem ſenſibile omne, magnitudine præditum ſit: nec id ſentire contingat, quod eſt indiuiſibile*: & quale ipſum docet vbique D. Auguſt. ſolius mentis ſiue cordis oculis videri, non verò corporis.

4. Oculus corporis beatificatus, videre Deum non poteſt.

Id quod etiam in beatis ſupernæ Ieruſalem Ciuibus, locum habet, ipſomet Diuo Auguſtino dogmatizante. Quamuis enim oculus corporeus beati in patriâ, gloriâ ſit adfectus, & quoad vim & efficaciam, ſpiritualis; nunquam tamen corporalem exuet ſubſtantiam, proindéque, nec ad incorporei conſpectum ſublimabitur. Aut enim intenderetur & augeretur vis eius corporea, vt clariùs videret, aut noua virtus alterius ordinis & ſpeciei, quæ intra obiecti ſui ambitum ſpiritualem ſubſtantiam contineret, conferretur. Si primum: quantumcunque ſenſilis potentia incrementi ſuſcipiat, extra obiectum virtuti corporeæ debitum, non exſpatiabitur, vt in ſphæram inuiſibilium inſinuetur: virtus enim eſſentialiter inferior, licet quàm maximè intendatur, ad virtutem tamen eſſentialiter ſuperiorem, non commigrabit: veluti, quod ſolâ ſenſili eſt vi præditum, quantauis eiuſmodi virtute polleat, vim intellectilem attinget nunquam.

Si alterum, fingi non poteſt talis virtus, quin etiam diſtinctum eſſentialiter obiectum ſortiatur: quòd ſi ſortitur, iam non erit idem oculus in patriâ, qui in viâ, id quod Fidei Catholicæ aduerſatur, ſiquidem vnuſcuiſque (prout ſacroſanctis Fidei dogmatibus ſtabilitum eſt) in eodem, ſpecie & numero, corpore, in nouiſſimo rediuiuus apparebit; atque ita in eodem corpore, viſio futura eſt eiuſdem ſpeciei, quæ nunc eſt. Fieri igitur nullatenus poteſt, vt oculus ſenſilis, talis in ſubſtantiâ permanens, vſque ad eſſentiæ Diuinæ intuitum, eleuetur.

Capitis 20. §. 4.

Pro Diuo Auguſtino vindiciæ, ſiue quòd à Beatis viſu corporeo, Deum videndum eſſe, non ſenſerit.

1. Oculum corporeum creare non poteſt Deus, qui ſpiritualia videat.

QVod Gregorio à Valentiâ viſum eſt, tomo 1. quæſt. 12. puncto 8. in 1. partem Diui Thomæ; vi Diuinâ oculum corporeum creari poſſe, qui vel naturâ ſuâ, vel dono gratuito, non ſolùm in obiecta corporea ferretur, verum etiam, in ſpiritualia ſeſe poſſet extendere; non placet alijs: & à Suario lib. 2. de attributis negatiuis cap. 6. necnon etiam, ab Ægidio de Præſentatione, lib. 4. de beatitudine quæſt. 5. art. 3. §. 2. confutatur; & meritò: omninò namque chimæricum videtur, nouum ſenſuum ordinem, nouamque potentiam ſenſitiuam, ſpiritualium capacem confingere, cùm illud ſit ſenſum cum intellectu miſcere. Si enim ſenſus & intellectus ſint diſtinctæ potentiæ, vnde ſuam accipient diſtinctionem? vnde cognoſcetur intellectus facultas ſpiritualis? æquè enim latè pateret vtriuſque potentiæ obiectum, & ad quæcunque valeret intellectus, valeret & ſenſus. Veruntamen intellectum in res ſub ratione intelligibilis, & ſenſum in res ſub ratione ſenſilis ferri, manifeſtum eſt; rationem verò ſenſibilis, ſoli corpori & extenſo competere, cùm ſpiritualibus nihil inſit, in quo ſenſibilitatis ratio fundari poſſit, notiſſimum eſt.

2. Viſurine Beati oculo corporeo Deum, ex ſententiâ D. Auguſtini.

Cùm autem nulla ſit adeò inſolens opinio, quæ non velit certis firmamentis ſtabilita videri, Diuum Auguſtinum ſuæ patroci nantem ſententiæ, adducit à Valentiâ, quaſi Doctor ille magnus, ex propriâ mente dubitarit aliquando, an reuera Beati, oculo corporis viſuri ſint eſſentiam Dei. Sed nihil vnquam tale viſum eſt Auguſtino: immò verò contra aſſerentes oculum corporeum ſuæ relictum ſubſtantiæ, in ſubſtantiam ſpiritualem poſſe excurrere, arguit ab impoſſibili; non eoſdem nempe, qui nunc ſunt, futuros oculos glorificati, ſi Deum videant, ſed longè alterius naturæ & rationis. Quare prinſquam circum pro Diuo Auguſtino, digladiaturus ingrediar, iſtud ex eodem præfixerim, quod ait lib. Retractationum 2. cap. 41. *De videndo Deo ſcripſi librum, vbi de ſpirituali corpore, quid erit in reſurrectione Sanctorum, inquiſitionem diligentiorem diſtuli, vtrum, vel quomodo Deus, qui Spiritus eſt, etiam per corpus tale videatur, ſed eam poſtea quæſtionem ſanè difficillimam, in nouiſſimo, id eſt, in viceſimo & ſecundo libro de Ciuitate Dei, ſatis, quantum arbitror, explicaui.* In quæ autem, eo in loco, verba iurarit Doctor ſanctiſſimus, quamvè ſententiam fuerit amplexatus, mox videbimus.

Interea tamen etiam nouerim, illum, dum errorum machinas ſubuertendi, onus ſuſcipit, eorum qui Deum aut ſolis oculis corporeis in beatâ illâ felicitate: aut oculis in Dei, vel aliam ſpiritualem ſubſtantiam conuerſis; aut deníque intellectuali obtutu ſimul & corporeo, videndum aſſeuerabant, multa paſſim diſſerendo, aut eiuſmodi ſententias examinando adferre, prout inquiſitionis & diſputationis calor vrgebat, quæ tantum abeſt, vt affirmationis dignitatem obtineant (quanquam & illius ſpeciem quandoque præſeferre videantur) quin potiùs meram includant negationem, prout quiſque, ſi mentem aduerterit, iudicare poteſt.

3. Prima opinio aſſerentium.

Dixerat igitur erro quiſpiem, Deum in æternâ felicitate Sanctorum, lumine ſenſibili tantùm, videndum eſſe, quem hîc mente intelligeremus. Huiuſce delirij meminit Diuus Auguſtinus Epiſtola 6. in hæc verba: *Dicunt enim quidem eorum qui talia garriunt, quantùm ad me potuit peruenire, nos Deum videre nunc mente: tunc, corpore.* Idemque refellit. Quid enim? etiamne tunc, cùm corpus corruptibile induerit incorruptibilitatem, & quod animale eſt, ſurrexerit ſpirituale, non poterit anima niſi medianre ſenſu ſpiritualia videre? An fortaſſe (quod abſurdiſſimum eſt) tantùm tunc tribuetur ſenſui, quantùm nunc, vt nonniſi dependenter ab illo anima ſit operatura? Quin immò & corporea & incorporea, nullo mediante ſenſu intuebitur, quæ nunc beatarum mentium inſcripta ordinibus Diuinitatis aſpectu perfruitur.

Delira-

4. 2. Opinio dicentum rediuiua corpora in mentem conuerti.

Delirabant, etsi minùs fortasse insipienter, & alij, volentes rediuiua corpora nostra, aut in Dei substantiam, aut in mentem conuerti, quò visioni beatificæ apta redderentur: refert Diuus Augustinus Epistolâ eadem: *quantò jam*, inquit, *tolerabiliùs desipiunt, qui carnem asserunt conuersam iri in substantiam Dei, & hoc futurum esse quod Deus est: vt sic eam satem videndo Deo faciant idoneam, non tantâ diuersitate dissimilem.* Sed hanc sententiam ad fidei libellam examinatam stare non posse, manifestò tradit Diuus Augustinus Epistola vndecimâ supra centesimam, vbi ait, *Porrò autem, si in tantam membrorum dissimilitudinem, nostra corpora mutabuntur, vt oculos habeant, per quos videatur illa substantia, quæ non per locorum spatia vel diffunditur, vel finitur; longè aliud erunt hæc corpora, & non erunt ipsa: nec solâ detractâ mortalitate, atque corruptione, & ponderis grauitate aliud erunt, sed in virtutem ipsius mentis quodammodo conuertentur, si videre poterunt.* Immò illam conuersionem fore substantialem ostendit, quum inquit; *aut enim illius,* nempe corporis oculi, *erunt, & non videbunt, aut non erunt illius, si videbunt; quoniam tantâ commutatione longè alterius corporis erunt.* Quod quidem, non vt possibile, sed vt absurdum, infert Diuus Augustinus, cùm corpus, quin corpus sit, dari non posse, euidens sit omninò. Aut cuius alterius corporis, quod non etiam extensum sit, futuri sunt illi oculi inspectores Numinis? nisi corporis, iam non corporis, sed in mentem demutati, vt contendebant errones illi, & tradit Diuus Augustinus iterum Epist. 112. Sed quisquam sanæ mentis sciat hominem in Diuinam verti substantiam? Deum in compositionem venire, ad hominis, ex Diuinâ essentiâ, atque ex corpore & animâ simul, constitutionem? Quod sanè admittendum in hac hæresi esset, aut neganda corporum resurrectio, quoniam animus solus manet, & non homo, si homo non componitur ex animâ & Deo. Neque intelligi potest, qui corpus in spiritualem substantiam conuertatur. Quod si in animam conuersum dixeris, iam summa duplici spiritu constabit, desinetque esse homo, quoniam homo non est nisi affectus corpore. Sed neque esset propriæ carnis anastasis, & glorificatio, si caro in spiritus essentiam commigraret.

5. 3. Opinio.

Quòd extremum est tandem; docuerat quidam Episcopus, Deum non solùm oculis mentis in illâ suâ gloriâ, sed etiam corporeo sensu videndum esse. Contra quem Diuus Augustinus, dum argumentorum stricturas mouet, nonnulla interdum ex aduersarij sententiâ, discutiendo assumit, vnde colligi posse videatur, Augustinum in eadem, cum illo Episcopo, naui esse: Sic visum est Bellarmontano, 1. par. disput. 40. cap. 1. Suario lib. 2. de attribut. negatiu. cap. 6. Gregorio de Valentia Tomo 1. quæst. 12. puncto 8. Et Pinedæ in Iob. cap. 19. v. 17. cùm tamen reuera Doctor magnus, nunquam in eam sententiam inclinarit, vt oculo corporeo in proprijs suis permanente, incorpoream substantiam videri posse putaret. Quod autem agit, est, An illud corpus spirituale, quod ex aduersarij mente, in Deum tendit, mansurum sit in gradu suo; an verò in spiritum transformandum? Quod si corporalis substantiæ seruet essentiam, non posse operatione suâ vitali, quod incorporeum atque indiuisibile est, attingere; ita affirmat Epist. 6. *Quoniam Deus lux est,* inquit, *sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum,* & post pauca: *hoc autem neque videre corporis, nec nunc potest, nec tunc poterit.* Et lib. 1. de Trinitate cap. 6. *Videri autem Trinitas humano visu, nullo modo potest, sed eo visu videtur, quo iam qui vident non homines, sed vltra homines sunt.* Et Epistolâ 112. quæ est ad Fortunatianum Episcopum Siccensem, docet, Dei substantiam humanis oculis, esse ipsâ charitate, magis inuisibilem. *Qui autem manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo manet, quia Deus charitas est, siue tanquam eius fons ineffabiliter existendo, siue illam nobis per spiritum suum largiendo. Si ergo doceri potest, quod charitas corporalibus oculis aliquando videbitur, poterit fortassis & Deus. Si autem ista nunquam poterit, multò minùs ipse fons eius, vel si quid dici excellentius, & conuenientius de tanta re potest. Magni quidam viri & in Scripturis Sanctis doctissimi, qui plurimùm Ecclesiam, & bona studia fidelium, suis litteris adiuuerunt, vbi eis occasio data est, dixerunt inuisibilem Deum inuisibiliter videri, hoc est per eam naturam, quæ in nobis quoque inuisibilis est, mundâ scilicet mente, vel corde.* Et ex magnis illis viris citat D. Ambrosium, & Hieronymum, Athanasium, Gregorium Nazian. & concludens Epistolam, inquit, *Meliùs ergo illud affirmamus, vnde minimè dubitamus, quòd homo interior videbit Deum, qui modò solus potest videre charitatem, quæ quum laudaretur, dictum est, Deus charitas est: solus videre potest pacem & sanctificationem, sine quâ nemo potest videre Deum. Neque enim charitatem, pacem, sanctificationem, & si qua sunt similia, videt modò vllus carnalis oculus, quæ tamen omnia iam videt, quantùm potest mentis oculus, tantò pluriùs quantò purior.* Meminit quoque lib. 2. retractat. cap. 41. cuiusdam Epistolæ, in quâ asseruit, oculos corporis, intra corporeæ substantiæ limites consistentes, quantumcunque in meliùs mutentur, non videre, nec posse videre Deum; quòd inde sequeretur Deum esse corporeum, de quâ Epistolâ, ita loquitur, in illa quæ est 111. *Quam*, epistolam, *me illo modo scripsisse non pœnitet, quia dixi istius corporis oculos, nec videre Deum, nec esse visuros. Caussam quippe adiunxi, cur hoc dixerim, ne scilicet Deus ipse corporeus esse credatur, & in loci spatio, interualloque visibilis. Nihil enim videre aliter istius corporis oculus potest.* Adhæc 1. lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 7. ait Deum non oculis, sed mente cerni totidem verbis: *Sed quomodo sequimur quem non videmus? Aut quomodo videmus, qui non solùm homines, sed etiam insipientes homines sumus? Quanquam enim non oculis, sed mente cernatur, quæ tandem mens idonea reperiri potest, quæ cùm stultitiæ nube obtegatur, valeat illam lucem, vel etiam conetur haurire? Confugiendum igitur est ad eorum præcepta, quos sapientes fuisse probabile est. Hactenus potuit ratio perduci. Versatur namque, non veritate certior, sed consuetudine securior in rebus humanis. At vbi ad Diuina peruentum est, auertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reuerberatur luce veritatis, & ad familiaritatem tenebrarum suarum, nec electione, sed fatigatione conuertitur.* Libro quoque Meditationum, quia Deus non est corporeus, infert: *Et ideò certum est corporeis oculis te non posse sentiri*: & iterum Epist. 6. quæ est ad Italicam. *Audiat caro, carnalibus ebria cogitationibus, Spiritus est Deus.* Ioan. 4. *& ideò qui adorant Deum, in spiritu & veritate oportet adorare. Si adorare, quantò magis videre? Quis enim audeat affirmare Dei substantiam corporaliter videri, cùm eam noluerit corporaliter adorari?* Rursus Epistolâ 101. ad Euodium: *Ita cùm dicimus non posse videri oculis corporeis, non latet, sed patet ratio*

Oculis corporeis Deus videri non potest.

Ioan. 4.

bene

bene intelligentibus, quà perspicuum est, Deum corpus non esse, nec aliquid corporeis oculis cerni posse; nisi quod alicuius interualli interpositione cernatur: id autem non nisi corpus esse, eamque substantiam quæ minor sit in parte, quàm in toto, quod de Deo credere nefas esse debet, etiam ijs qui hoc intelligere nondum valent: & post pauca, docet *rationem nullam esse quà credi debeat, & possit intelligi, Deum qui vbique totus est, per spatia locorum corporeâ mole diffundi, in quâ necesse habeat, partibus maioribus, minoribusque constare, cerni oculis corporeis posse.* Rursus serm. 38. de verbis Domini. *Ad mentem Deus pertinet, mente intelligendus est, ad oculos corpus videndum est.*

6. Refellitur opinio sententis Deū oculis corporis videri.

Verùm audiamus quo iaculo Episcopum istum, quem ex Anthropomorphitis fuisse apparet, perperam sentientem confodiat. *Quapropter*, inquit, *si videbunt Deum, non istius corporis oculi videbunt, quia & in hoc non erit ipsum corpus, vsque in illam vim potentiamque mutatum, & non est contraria ista opinio illis verbis epistolæ meæ. Si autem hactenus non erit ipsum, quia nunc mortale, tunc immortale, nunc aggrauans animam, tunc nullo pondere ad omnem motum erit facillimum: ad videnda vero ea, quæ locorum spatijs internallisque cernuntur, si non aliud quàm ipsum erit, substantiam incorporalem, & vlsque totam, nullo modo videbit. Siue ergo hoc, siue illud verum sit, secundum vtrumque verum est, quod istius corporis oculi Deum non videbunt. Aut enim illius erunt, & non videbunt, aut non erunt illius si videbunt: quoniam tantâ commutatione, longè alterius corporis erunt.* Quid manifestiùs pro hac veritate dictum oportuit ab Augustino? aut quibus verbis mentem suam apertiùs significare debuit? Si corporea, inquit, fuerit substantia oculi spiritualis, non videbitur illo Deus: sin autem in spiritus naturam concesserit, vt videat Deum, iam non erit ipse, sed alius essentiæ, atque adeò non illius corporis in quo resurgemus, non carnis huius, in quâ nos visuros Deum Scriptura testatur, quod absurdissimum est.

In quam quoque significationem in nouissimo libro de Ciuitate Dei, hoc est lib. 22. cap. 29. ait, quod si per oculos glorificatos videbitur incorporea illa natura; quæ non continetur loco, sed vbique tota est, longè alterius erunt potentiæ: Sed vnde eam corporis in spiritum Metamorphosim asserat, non habet. *Cum enim*, inquit, *nesciamus quantos habeat accessus spirituale corpus, timidæ sunt cogitationes mortalium, & incertæ prouidentiæ nostræ, vbi non succurrit Scripturarum authoritas.* Hocque eodem, eiusdem libri, cap. in quo se satis hanc quæstionem explicasse dixit, ad finem ait. *Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, vt aliquid habeant in tantâ excellentiâ menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod vllis exemplis, siue Scripturarum testimonijs Diuinarum, vel difficile, vel impossibile est ostendere. Aut, quod est ad intelligendum facilius, ita Deus erit nobis notus atque conspicuus, vt videatur spiritu à singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cælo nouo, & in terrâ nouâ, atque in omni quæ tunc fuerit creaturâ, videatur, & per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritalis corporis oculi, acie peruenient directi.* In quibus verbis notanda difficultas, imò impossibilitas asserendi, carnem ita in spiritum abituram, vt sentiendi facultate, in merè intelligibilium sphæram inuolet. Quare, quod ibidem fatur Diuus Augustinus, *Vi itaque præpotentior erit illorum* (oculorum, scilicet, glorificatorum) *non vt acutiùs videant, quàm quidam perhibentur videre serpentes, vel aquilæ: quantalibet enim acrimoniâ cernendi eadem animalia vigeant, nihil aliud possunt videre, quàm corpora; sed vt videant etiam incorporalia*, non assertiuè, sed inquirendo, dictum respondet Diuus Thomas 1. part. quæst. 12. art. 3. ad 2. vnde, determinando veritatem, postea dixerit Diuus Augustinus, nos eo modo visuros tunc Deum luminibus corporis, sicut modo videmus vitam alicuius, quam non per se, sed per accidens, videri per sensus constat. Tunc enim Beati, videntes corporea, illicò cognoscent in eis Dei præsentiam, tum propter intellectus perspicuitatem, tum propter Diuinæ claritatis, in corporibus innouatis, refulgentiam.

Potentia sensibilis circa sensibile versatur.

Censuit igitur Diuus Augustinus, sensibilem potentiam, sensibilis obiecti fines non prætergressuram, vt operatione propriâ circa inuisibilem substantiam versetur; in quam sententiam Epistolâ centesimâ vndecimâ Diuum Hieronymum adducit dicentem: *Homo igitur Dei faciem videre non potest. Quibus inuisibilis, nisi aspectibus corporalibus etiam cælestibus: quantò magis terrestribus: Trinitatem non possunt oculi carnis aspicere, sed mentis.* Et addit Augustinus, *Ab omni genere corporis, hoc dicens, alienauit visionem: etiamsi corpus ergo resurgat spirituale, non videbit Deum.* Neque enim fieri potest, vt ex inuisibili fiat aliquando visibilis, dicit enim Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Regi seculorum immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum*: ad quæ verba Diuus Augustinus Epist. 112. *Non audeo*, inquit, *ista distinguere, vt dicam incorruptibili quidem in secula seculorum, inuisibili autem, non in secula seculorum: sed tantùm in hoc seculo; & quia sicut nunc incorruptibilis, nec postea corruptibilis, ita non solùm nunc, sed etiam semper inuisibilis: nec in loco enim videtur, sed mundo corde: nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu.*

1. Timoth. 1.

7. Deus solus inuisibilis.

Non hîc prætereundum, quod Ægidio de Præsentatione lib. 4 de beatitud. formali quæst. 5. art. 2. §. 1. placuit, Apostolum eo loco perfectiones Deo proprias conari explicare, quare verborum istorum sensum esse. *Illi Regi seculorum immortali & inuisibili, qui solus est Deus, sit honor & gloria*, particulâ exclusiuâ additâ dictioni *Deus*, indicante quo sensu Rex sæculorum, qui solus est Deus, sit immortalis & inuisibilis, inuisibilitate nimirum & immortalitate sibi propriâ, non participatâ, quomodo Angeli participatione sunt inuisibiles. Non idcirco tamen inficiandum est, Apostolum non modò perfectiones Diuinæ naturæ proprias significare, verumetiam eas denominationes siue attributa, per quæ à reliquis Regibus secernitur: Honorem itaque & gratiam, siue, vt Theodoretus ait, hymnum Trinitati offert, siue Deo Regi sæculorum, non vnius aut alterius sæculi, quales illi qui cum animâ, imperij quoque fasces ponunt: *immortali*, inquit, quia mortales sunt reliqui, parcâ perrumpente quantumuis longam annorum seriem: *inuisibili*, visibilibus principantur alij, potestatem in corpus habent, animus eorum subducitur imperio: *Soli Deo*, quia ipse solus Rex immortalis & inuisibilis. Atque ita inuisibile hîc, visibili, aduersariâ distinctione opponitur, vt fixum ratumque maneat, quod inficatus Deo Apostolus Ioannes 1. Epistolæ cap. 4. *Deum nemo vidit vnquam*; quia, in eo quod Deus est, videri non potest, & quod Gentium Doctor 1. ad Timoth. 6. Deum lucem habitare inaccessibilem, *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Theodoret. *Si autem ad lucem quæ est circa ipsum accedi non potest, quomodo potest ipse videri?* Quibus accedit D. Tho. in 2. sentent. quum ait, *Deus secundum essentiam suam corporalibus oculis nunquam videri potest*,

1. Ioa. 4.

1. Timoth. 6.

Deus solo intellectu videndus, à beatis.

potest, nec intellectu, nisi à beatis: quæ communis est Orthodoxorum sententia, Diui Hieronymi, Athanasij Episcopi Alexandrini, Gregorij Nazian. & aliorum: veluti & Lactantij qui lib. 7. de præmio cap. 8. ait. *Similiter Deus non aspectu nobis aliove fragili sensu comprehendendus est, sed mentis oculis intuendus.* Clementis quoque Romani lib. 3. Recognitionum, istud commonentis, *Deus videtur mente, non corpore, spiritu non carne; vnde & Angeli qui sunt spiritus, vident Deum: & homines ergo donec homines sunt, Deum videre non possunt. Ex resurrectione autem mortuorum, cùm facti fuerint sicut Angeli, videre poterunt Deum.* Quò spectat etiam illud Diui Augustini Meditationum cap. 29. *Hinc etenim patenter datur intelligi, quod vnde Angeli te intuentur, inde & nos post hanc vitam te videbimus.* Non propriæ, nimirum, sicut neque Angeli, sed Diuinæ collustrationis vi, ad istud insignis gloriæ munus ordinati.

8. *Deus facie ad faciem vt videri dicatur.*

Neque his obstat, quod Apostolus inquit, Beatos facie ad faciem visuros æternam illam mentem. Non enim cogit, inquit Diuus Augustinus, vt Deum per hanc faciem corporalem, vbi sunt oculi corporales, nos visuros esse credamus, quem spiritu sine intermissione videbimus. Facies igitur ista, siue mentis, siue interioris hominis est facies: aut etiam metaphoricè accepta, significat claram, & manifestam visionem, absque similitudine & medio, quâ fruuntur animæ beatæ statim atque corpore sunt exsolutæ: *Nam si mentibus piorum esset inuisibilis, non diceretur* 1. Ioan. 3. *videbimus eum sicuti est. Intantum ergo videbimus, inquantum similes ei erimus, quia & nunc intantum non videmus, inquantum dissimiles sumus. Inde igitur videbimus, vnde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est, qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creauit illum. Et tantò efficimur similiores illi, quantò magis in eius cognitione & charitate proficimus: quia etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem: ita sanè vt in hac vitâ quantumquisque profectus sit, longè absit ab illâ perfectione similitudinis, quæ idonea erit ad videndum Deum, sicut dicit Apostolus* 1. Cor. 13 *Facie ad faciem. In quibus verbis certè si corporalem faciem voluerimus accipere, consequens erit, vt etiam Deus talem habeat faciem: & sit aliquod interuallum inter nostram & ipsius, cùm eum videbimus facie ad faciem. Et si interuallum, vtique finis & membrorum habitus terminatus, & cætera absurda, dictuque & cogitatu impia: quibus animalis homo non percipiens ea, quæ sunt spiritus Dei, fallacissimis vanitatibus illuditur.* Hæc Diuus Augustinus Epist. 6.

1. Ioan. 3.

1. Cor. 13.

9. *Oculo mentis solo videri Deum.*

Ex quibus omnibus, solo mentis oculo Deum videndum esse, censere Diuum Augustinum, manifestum est; aut etiam dato, quod oculus corporis in aliam verteretur substantiam, non illo solùm, verumetiam intellectu videndum, quemadmodum sub finem Epist. 111. scribit, *Si enim hoc inuenerit inquisitio diligentior, tantam corporis futuram mutationem, vt possit videre inuisibilia, non (vt opinor) talis potentia corporis, menti auferet visionem, vt exterior homo videre tunc Deum possit, non possit interior: quasi tantùm foris sit Deus ad hominem, & intus non sit in homine, cùm apertissimè scriptum sit.* 1. Cor. 15. *vt sit Deus omnia in omnibus: aut ita sit intus ille, qui sine vllis locorum spatijs vbique totus est; vt foris tantùm videri ab exteriori homine possit, intus autem ab interiori homine non possit. Quæ si absurdissimè sentiuntur; magis enim Sancti pleni erunt Deo, non inanes intrinsecus, ab illo circundabuntur extrinsecus, nec cæci intrinsecus, cum quo pleni erunt, non videbunt, & tantùm forinsecus oculati eum quo circundabuntur videbunt: restat vt interim de visione Dei secundum interiorem hominem certissimi simus. Si autem etiam corpus mirâ commutatione hoc valuerit, aliud accedet, non illud abscedet.* Vbi aduersarium cogit fateri, etiam in illâ transmigratione corporis in mentem, quam fingebat, solo mentis aspectu Deum videri; quomodo nunc vident animæ, quæ in beatarum mentium consortium sunt assumptæ.

1. Cor. 15.

Sed ô beatitatem animarum, quæ terrenorum expeditæ vinculis, quibus in vitâ hac mortali, tenebantur inuitæ, Creatoris sui conspectu dignatæ sunt, vt hilari æternitatis luce fruantur, ad quam, mundi huius & tenebrarum harum sarcinâ depressæ, gementes suspirarunt, & in cuius desiderio, anhelantes exspirarunt! Et nos ab æternorum viâ dilapsi, ad pereuntis, & nihilominus adlubentis voluptatulæ fluxum confidentes, animum terreni adfectus glutino implicatum feremus, nec efferemur aliquando? virtutis nostræ non istud quidem: potestatis est tamen nostræ animum intendere in subleuantem Deum, cuius vi beneficâ, à miseriâ ad misericordiam traducti, accendamur liberantis nos Dei amore, atque ex eo potentiores facti, fidentius illius videndi desiderio efferamur.

Capitis 20. §. 5.

Admissine aliqui mortalium ad conspectum Dei?

1.

IAm tandem, si omninò inuisibilis est corporeo sensui, etiam tum quum demutatione superuenturâ, anima susceptura est habitum Angelicum, & mortale deuorabitur à vitâ, hoc est, caro, ab illo superindumento cælesti non conuersione in transitum substantiæ & qualitatis spiritus, ita vt substantiam suam amittat; sed in statum Angelicum transitione, per indumentum illud incorruptibilitatis, quod est lux illa, quâ amiciuntur, tanquam vestimento beati; atque etiam tamen per substantiæ resuscitatæ demutationem. Quomodo accipienda sunt illa Scripturæ Sacræ testimonia, in quibus, oculis corporeis mens illa infinita, & substantia indiuisibilis, visa fuisse, significari videtur.

Anima in statum Angelicum recepta videt Deum.

Aperta namque sunt inprimis illa, quibus Moises facie ad faciem Deo locutus perhibetur, sicut amicus ad amicum: quibusvè bonum omne visurus (quod Deus est) significatur. Manifesta sunt quoque illa Viri Sanctissimi Iob cap. 19. *In carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Et cap. 42. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Quid Diuum Paulum memorem, qui in illo suo vsque ad tertium cælum raptu vidit arcana Dei?

Iob. 19. & 42.

2.

Hæc de re si Diuum Augustinum consulimus, de Iobo quidem ita scribit lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 29. *Fortasse magna ista virtus cernendi* (nempe spiritualia) *data fuerit ad horam etiam in isto mortali corpore, oculis Sancti Viri Iob, quando ait ad Deum, nunc autem oculus meus videt te.* & lib. 12. de Genesi ad literam cap. 27. & 28. scribit similiter, asserens, Moisen & Diuum Paulum vidisse Deum, non in aliquâ corporalis creaturæ similitudine, vel imagine, sed in eâ subiecti essentiâ & naturâ, quâ Deus est, qualiter futurum Dominus significasse videtur, quum de Moise inquit Numer. 12. *Palam loquar ei, & non per ænigmata & figuras videt Deum.*

Num. 12.

Verun-

3.

Veruntamen quid istud rei est, quod idem magnus Præses & Doctor Augustinus Epist. 111. scribit, se pro stultis habere illos, qui credant Deum à mortalibus in suâ substantiâ visum esse? Nunquid ipse se suo iugulat ense? Ne tantus Doctor pugnantia locutus videatur, Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus, tractatu 2. prologi in Psalmos, art. 4. vtrumque locum conciliaturus, aduertit, duplicem de Diuinâ essentiâ visionem haberi posse: vnam à priori, per lumen gloriæ quasi mouentis ad intuitum Dei, quo lumine Beati, in illâ cælesti curiâ Diuinam essentiam visione matutinâ speculantur, exinde in Verbo omnia idealiter, creata, quæ in eo tanquam in arte suâ & caussâ repræsentantur. Quare vident illi Deum esse principium omnium, siue efficientis, siue formalis, siue finalis caussæ genus spectaueris; quemadmodum lux in medio diffusa, mouet nos ad eorum quæ repræsentantur, intuitus: obiecta verò non mouent, sed terminant aspectum: hoc tamen discrimine, quod in Diuinis idem sit, & quod mouet, & quod terminat: nempe Numen Diuinum, quod lux est illuminans, & visionem nostram terminans.

Visio Diuina duplex. Vna à priori.

4.

Alteram verò visionem à posteriori haberi, hoc est ex ascensu per creaturarum gradus, vsque ad essentiam Creatoris, ceu si quis in circulo per linearum aspectum à centro ad circumferentiam emanantium, in centri ipsius, quod suapte natura indiuisibile, inuisibileque est, deueniat intuitum: non secus fortasse atque olim ex solius pedis adoratione, quem solum adire fas erat, ad regij supercilij agnitionem, ibatur: siue etiam radiorum solarium quasi vehiculo quodam, in ipsum quasi inuisibilem nobis radiorum fontem, & principium, extollatur: quomodo D. Augustinum sensisse arbitratur, Moisi & Paulo conspectam Dei essentiam per terminantis modum, vt est nempe fons & principium creaturarum omnium; id quod intellectuali creaturæ, luminis supernaturalis vi, tribui potest, vt videlicet in hoc rerum statu, per creaturarum lineas, vsque ad realem Diuinæ essentiæ conspectum, à quâ ipsæ profluunt tanquam radij, efferatur.

Altera à posteriori.

Pedis adoratione Rex aditus.

Veruntamen non eâ conciliatione opus est, vti aduertit Sixtus Senensis Bibliothecæ sacræ lib. 5. annotatione 41. quoniam ad discretionem visus sensilis & intellectualis spectant D. Augustini verba: quòd enim Diuo Paulo & Moisi tributum esse docuerat, vt oculo mentis, ipsum quod est Deus, ad horam, & quasi per transitum sint intuiti, id corporeis oculis fieri posse negauit, quin dixit lib. 2. de Trinit. cap. 18. *Ipsa enim natura vel substantia, vel quolibet alio nomine appellandum est, id ipsum quod Deus est, quid illud est, corporaliter videri non potest.*

5.

Itáne verò istius aliquando mentis fuit D. Augustinus, vt omnino assereret quenquam mortalium, vel ipso mentis intuitu, singulari Numinis beneficentiâ dignato, Diuinam essentiam in ipsâ conspexisse? De Christo quidem seruatore nostro, non est qui ambigat, quem ab ipso susceptæ carnis momento, ad extremum vsque vitæ mortalis, ad ipsius Diuinitatis clarum intuitum, receptum fuisse, docet Fides. De Moise, & Diuo Paulo quæritur, vtrum priuilegij prærogatiuâ, consuetum supergressi rerum ordinem, nouo quodam cognitionis genere, vsque ad ipsius essentiæ Dei conspectum, prouecti sint, idque ex Augustini sententiâ? Ita quidem visum D. Thomæ, eiusque interpretibus 1. parte, quæst. 12. art. 11. ad 2. & 2. 2. quæst. 175. art. 3. Qui vno consensu omnes affirmant Diuum Augustinum lib. 12. de Genesi ad literam cap. 27. & 28. item epistolâ 112. istud asseuerasse. Sed reuera, si quæ in suis dissertationibus D. Augustinus vtrimque agitare solet, non ex opinione propriâ, sed ex disceptationis occasione, asserta, æquâ ratione iudicaris, teque ad id quod ex proprio sensu tuetur conuerteris, facilè comperies, non istius mentis illud fuisse, vt Moisi aut D. Paulo tributum censeat, vt seuocati ab omni corporis, corporeorumque phantasmatum sensu, Diuinam viderint essentiam. Consule tractatum 3. in Ioan. vbi contrariam sententiam ex eo probat, quòd cùm esset dictum, Moisen fuisse cum Deo locutum contra in contra, id est, facie ad faciem, nihilominus, adhuc Moises petierit sibi ostendi Deum manifestè, sed responsum accepit, non potes videre faciem meam. Consule eundem in Psal. 45. ad illud, *Qui mandas salutes Iacob.* Et in psal. 138. ad illud, *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Necnon etiam in psal. 43. vbi eam Dei cognitionem, quæ in futuro sæculo, beatarum mentium receptus consessu exhibenda est, neque Diuo Paulo, neque cuiquam veteris instrumenti Patrum obtigisse docet. Consule Meditationum caput 28. vbi ipse totidem verbis, *Quanquam autem illa summa & incommutabilis essentia, lux vera, lux indeficiens, lux Angelorum, à nemine conspici valeat in hac vitâ, quod solum præmium Sanctis reseruatur in cælesti gloriâ: illud tamen credere & intelligere, & sentire, & ardenter inhiare, quodammodo illum cernere est, atque tenere.*

Visusne Deus à mortali vnquam visione animæ?

Credere Deum est videre.

Capitis 20. §. 6.

Possibilisne sit in hac vitâ conspectus essentiæ Dei?

SI ordinatas Numinis sanctiones, quibus ratiocinanti naturæ constitutum, phantasmata speculari, inspicimus: neminem in hac vitâ Deum per essentiam videre posse, liquet, siquidem nullo prorsus phantasmate, incircumscripta illa natura repræsentari potest. Sin autem vim illam omnipotentem Dei, quæ nullis adstricta legibus, supergreditur præstitutos rerum ordines, intueamur: sicut Christo liberatori, quamdiu vitam vixit mortalium, datum est Diuinæ essentiæ speculator vt esset: ita quibusdam potuisse tribui interdum, veluti quasi per transitum, vt essent spectatores eiusdem essentiæ, manifestum est. Deo nimirum altiori cognitione intellectum dignante, quàm quæ à sensuum ordinatâ facultate, dependet. Quod autem nunc inquirimus est: an reipsâ cuiquam datum, vt mortali hoc in corpore, ad Diuinæ Majestatis conspectum intromitteretur? id quod superiori §. cœpimus inquirere.

1. Homo mortalis, vt potuit Deum videre.

Res in vtramque partem probabilis est. Affirmatiua magnos autores habet; Diuum Basilium Hom. 1. Hexamer. vbi inquit Moisen dignum habitum, spectator vt esset, proinde ac Angeli, faciei Diuinæ. Diuum Ambrosium, qui de Moise & D. Paulo lib. 1. Hexam. cap. 2. & in 2. ad Corinth. cap. 12. idem censet; cuius ea verba feruntur, *Moises non in visione, neque in somnio, sed ore ad os, cum summo Deo locutus est, neque in specie, neque per ænigmata & figuras, sed clarâ atque perspicuâ præsentiæ Diuinæ dignatione donatus.* D. Thomam 2. 2. quæst. 175. art. 3 & 1. part. quæst. 12. art. 11. ad 2. qui & rationem addit, quia nimirum Moises, Iudæorum, Paulus Doctor Gentium futurus erat; quæ ratio ex illo Act. sumpta videtur, *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem*

Deum ab homine visum qui tenent.

Act. 26.

testem eorum quæ audisti & vidisti. D. Anselmum, Bedam, Burgensem in 2. ad Corinth. 12. & ibidem Lyranum, Hugonem de Sancto Victore quæst. 134. Abulensem in 1. cap. Matth. quæst. 47. & tomo 2. in Exodum. cap. 33. quæst. 17. istud de Moise asserentem, ex communi Doctorum sententiâ, de Paulo verò quæst. 18. litera F. quibus adde Scotum, Durandum, Gabrielem, Sotum, aliosque quamplures. Quibus si quod agunt, concesserimus, non modò Moisi & Paulo, concessum diuinitùs, vt mentis intuitu, Diuinam essentiam in ipsâ viderint, admittendum videtur. Verumetiam potiori quodam iure, Virgini sacratissimæ, aut tum, quum Filium vnigenitum Dei Patris concepit, aut quum illum peperit, siue aliàs; quoniam sicut ex Caietano, 3. part. quæst. 27. artic. vltimo, aduertit Dominicus Bannes 1. part. quæst. 12. artic. 11. omnis gratia & prærogatiua, quæ concessa est alicui Sancto, concedenda sit Virgini Matri sacratissimæ.

Maria Virgo, vt viderit.

Quod si vis aliqua inest rationi D. Thomæ, quâ, propterea Moisi istud concessum probat, quia nimirum primus Synagogæ Doctor esset institutus, Paulo verò, quia Magister Gentium futurus erat: quidni etiam primo humani generis satori & Magistro Adamo? ac denique D. Petro, cui primùm totius Ecclesiæ præfectura commissa est? Quinimò probabile quoque videri posset D. Ioannem Euangelistam, quando supra pectus Domini in cœnâ recubuit, ad ipsius Diuinitatis visionem admissum fuisse, vnde, quod viderat, tanquam fluenta Euangelij, de sacro Dominici pectoris fonte hausta eructarit. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c.* Apostolos quoque omnes sacro Pentecostes die, quando supernè afflati, illius enthusiasmi vigore, vnà cum animali vitâ, timorem & amorem sæcularis potestatis exuerunt; vt iam inde exhilararentur, vnde aliorum conflictari solent animi, sicut scriptum est Act. cap. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Necnon denique sanctitate præcellentes quosdam viros, veluti Abrahamum, qui Pater multarum Gentium dictus est, Iobum, D. Augustinum, D. Benedictum, Iosephum intemeratæ Virginis Sponsum & Custodem, Christi nutricium: quos Deus singulari intellectus collustratione dignatus est: id quod tamen citrà temeritatis notam nemo affirmarit, iudice Dominico Bannes, quum absque magno fundamento, ab hac Scripturæ Sacræ regulâ generali, *Deum nemo vidit vnquam*, excipiendus veniat nemo, præter Moisen & Paulum, inquit, quos sacrorum Codicum fulti testimonijs, Diuinæ essentiæ spectatores fuisse, adfirmant viri grauissimi. Moisen quidem ex illo Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonum*; quod cùm nisi Diuinæ essentiæ manifestatione compleri possit, ita factum alia Scriptura testatur Numer. cap. 12. vbi Deus coram Aarone & Mariâ sorore eius, volens magnificare seruum suum Moisen, atque eius dignitatem quam nemo Prophetarum consecutus sit, significare, inquit, *Palam & non per ænigmata, & figuras Deum videt.*

Adam. D. Petrus. D. Ioan. Euangelist. an viderint Deū.

Ioan. 1.

Item Apostoli omnes.

Actor. 5.

Abraham, Iob. D. Benedict. D. August. D. Ioseph.

Exod. 33.

Num. 12.

2.

Quia verò in Hebræo, loco istius *Ostendam tibi omne bonum*, habetur, *Ego transire faciam coram te omne bonum*, transitus autem ille, essentiæ Dei conuenire nequaquam possit; aduertit Abulensis, Diuum Hieronymum, habitâ ratione intentionis literæ Hebraicæ, quæ Moisi duplex bonum ostendendum significare voluit, nimirum, & illud quod visum sensibus delectaret, quantum promotus diuinitùs ipse delectari posset; & illud quod animum à sensibus, sensibilibusque abstractum, ineffabili lætitiâ perfunderet; studiosè vsum fuisse ostendendi vocabulo, vt ad vtrumque bonum posset referri. Vult enim vir ille magnus, cumulatiùs Moisi, quàm quod petierat, fuisse concessum, vt non intellectus tantùm Diuinæ gloriæ concupito exhilararetur intuitu; sed insuper visus corporeus recrearetur obiectâ similitudine gloriæ Magni Dei, quæ ab ipso, non ab Angelo, in humanam efformata speciem, tantum lucis ac venustatis, facie referret, quantum à mortali tolerari nullatenus posset, vt propterea dictum sit, *Faciem meam videre non poteris: non enim videbit me homo & viuet.* Posteriori verò sui parte, remissiori perfusâ luce, sese videndi potestatem faceret, sed oculis illis, qui quantum ipsi humanitùs paterentur, tantùm diuinitùs, ab illâ luce coruscante perficerentur: vnde natum illud, *Posteriora mea videbis*: atque ita Moisi manifestatum esse omne bonum, quod est essentia delectans animum; & omne bonum, quod est corpus istud serenanti luce præfulgidum, coram Moise transiens, & visiuam eius potentiam delectans: à quâ luce, sic immutata fuerit eius facies, vt micantibus superinduta radijs, cornuta dicatur ex consortio Dei.

Moises, vt omne bonum vidit.

Exod. 33.

Diuum quoque Paulum visionis Diuinæ participem factum, ex eo probari, quod 2. ad Corinth. 12. dicat, se raptum vsque ad tertium cælum, & in paradisum, qua voce, visio essentiæ Dei significatur; vt quum Christus, latroni passionis, & mortis suæ participi dixit, *Hodie mecum eris in Paradiso*: audiuisseque arcana verba, quæ non licet homini loqui, Sanctissimæ nimirum Triadis, & incarnationis mysteria. Et quidem Diuum hunc, in illo suo vsque ad tertium cælum raptu, siue in corpore, siue extra corpus, ad incircumscriptum lumen, mentis intelligentiâ accessum habuisse, tradere videtur D. Augustinus lib. 12. de Genesi ad literam cap. 5. dicens, *Proinde quod vidit raptus vsque ad tertium cælum, quod etiam se scire confirmat, propriè vidit, non imaginaliter.* Quid enim sit rapi vsque ad tertium cęlum, explicat iuxta triplicem visionis gradum, adducto exemplo illius præcepti, cùm legitur *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Primùm enim per oculum literæ videntur, & hoc est corporale: secundò per spiritum, proximus absens cogitatur, & hoc est spirituale: tertiò per mentis intuitum siue corporali imagine, ipsa dilectio intellectu conspicitur, & hoc est intellectuale. Iuxta quem visionis ordinem, Episcopus Christopolitanus tractatu 2. Prologi in Psalmos artic. 2. intellectum lumine supernaturali adiutum, tripliciter eleuari posse docet. Primò, vt per lumen supernaturale illustrentur phantasmata, & imagines obiectæ, per quas futura in illis repræsentata videantur, qui visionis gradus ex lumine supernaturali, excedente lumen naturale intellectus agentis, vocatur excessus mentis, & primum cælum contemplationis. Secundò, vt per altius lumen, mens à sensibus externis & internis alienata, vtatur solo intellectu per species intelligibiles, quas abstraxerat à phantasmatibus & imaginibus priùs obiectis; & in eâ contemplatione voluntas delectata, moram aliquam trahat; & hic gradus, dicitur ecstasis, & secundum cælum contemplationis, ad quod raptus erat Rex Dauid, quum loquebatur illi Dominus in spiritu, & absque ænigmatis interuentu, Christi mysteria, arcanaque supercælestium per proprias spe-

3. D. Paulus vt viderit Deum.

Luc. 23.

Rapi vsque ad 3 cælum, quid sit.

cies intelligibiles ostendebat: ideoque ait ipse Propheta Regius lib. 2. Regum, cap. 23. *Dominus mihi locutus est, sicut lux auroræ oriente Sole mane absque nubibus rutilat.* Tertiò denique, vt intellectus à Spiritu Sancto magnâ cum violentiâ, multò altiùs, vsque ad essentiæ Diuinæ conspectum eleuetur, cuius violentiæ ratione, necnon quoque termini, & naturæ superioris, per quam eleuatur, raptus appellatur: & hoc est tertium cælum, ad quod rapi, paucis concessum est. Ita ferè Iacobus de Valentiâ: ex quo, opinionis istius fuisse iudicandus est, vt Moises, & Paulus ac fortasse etiam alij pauci, ad clarum Dei intuitum, diuinitus assumpti fuerint: Quæ planè fuit mens Diui Ambrosij, quam latè disputat D. August. Epist. 112. capite quidem 12. tribuens illud quibusdam Apostolis, vt Christum viderint eâ visione, in qua ipse & Pater vnum sunt, veluti Petrus quum dixit, *Tu es Christus Filius Dei viui*, Matth. 16. vnde responsum accepit, *Beatus es Simon Bariona, quia non tibi reuelauit caro & sanguis, sed Pater meus qui in cælis est. Quamuis illa reuelatio*, inquit Diuus Augustinus, *vtrum per fidem tantæ rei creditæ, an per visionem conspectæ facta in eius mente fuerit, non mihi videatur elucere, cùm & ipse Petrus tam paruulum se adhuc illi ostenderet, vt timeret ne amitteret morientem, quem Filium Dei viui, hoc est, vitæ fontem fuerat paulò antè confessus.* Capite verò 12. ad eiusdem D. Ambrosij mentem, sicut cap. 14. testatur, disputat quomodo Moises & Paulus, Deum vidisse dici possint, totidem verbis. *Deinde potest mouere, quomodo iam ipsa Dei substantia videri potuerit à quibusdam in hac vitâ positis, propter illud quod dictum est ad Moisen.* Exod. 33. *Nemo potest faciem meam videre & viuere: nisi quia potest humana mens diuinitùs rapi ex hac vitâ ad Angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne soluatur. Sic enim raptus est, qui audiuit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui*, 2. Cor. 12. *vbi vsque adeò facta est ab huius vitæ sensibus quædam intentionis auersio, vt siue in corpore, siue extra corpus fuerit, id est, vtrum sicut solet in vehementiori ecstasi, mens, ab hac vitâ, in illam vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo, an omnino resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, nescire se diceret. Ita fit vt & illud verum sit, quod dictum est: Nemo potest faciem meam videre & viuere, quia necesse est abstrahi ab hac vitâ mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur, & non sit incredibile quibusdam Sanctis nondum ita defunctis, vt sepelienda cadauera remanerent, etiam istam excellentiam reuelationis eius concessam fuisse. Quod existimo cogitasse illum, qui noluit dicere*, (vbi D. Ambrosium intelligit) *Nec Apostoli Christum videbant: sed ait, nec Apostoli omnes Christum videbant, credens quibusdam eorum, Diuinitatis quoque ipsius visionem, de quâ loquebatur, etiam tunc potuisse donari; certè propter Beatum Paulum, quia & ipse, quamuis nouissimus, vtique Apostolus erat, qui de suâ illâ ineffabili reuelatione, non tacuit. Quanquam & illi fidelissimo antiquo famulo Dei Moisi, mirum ni in hac terrâ laboraturo, populumque illum adhuc recturo, concessum est quod petiuit, vt claritatem Domini videret, cui dixerat*, Exod. 33. *Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifestè. Accepit enim in præsentiâ congruum responsum, quòd faciem Dei videre non posset, quam nemo videret & viueret: hoc modo significante Deo, alterius potioris vitæ illam esse visionem, &c.* quæ in hanc sententiam prosequitur.

2. Reg. 23.

Matt. 16.

Exod. 33.

2. Cor. 12.

Exod. 33.

4. Moisen & Paulum non vidisse Deū, probabilius.

Quibus tamen non obstantibus probabilius mihi videtur, neque Moisen, neque Paulum Diuinam essentiam iuxta naturæ suæ proprietatem contemplatos fuisse. Non enim vlla Scripturarum suppetit auctoritas, si sermo Diuinus perpiculatiùs expendatur, vnde à communi lege, iudicentur excipiendi. Fixum enim ratumque est, quòd quum Moises conceptis animo maioribus, amplioribusque desiderijs, ex ipso Numinis familiari consortio, quod frequens in figuris & gloria corporali videbat, ipsam Dei substantiam & naturam videre appeteret, audiens à Domino, *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & viuet.* Non enim expediebat, vt quisquam mortalium ante Christi animam, Deum clarè videret, quemadmodum aduertit Suarez lib. 2. de attributis negatiuis cap. 30. Id quod Ioan. 1. satis indicatum videtur, vbi Euangelista sacer, constituens discrimen inter Moisen & Christum, cùm præmisisset, *Lex per Moisen data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, quasi rationem redditurus cur lex per Moisen data, gratia verò & veritas, non per Moisen, sed per Christum facta sit, subiungit. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris enarrauit*: nempe quia ipse Christus, solus viderat Deum, non verò Moises, vel quisquam alius, sicuti capite 6. asseuerat, *Non quia Patrem vidit quispiam, nisi qui est à Deo, hic vidit Patrem.*

Exod. 33.

Ioan. 1.

Ioan. 6.

Et vt Veteres prætercam, quorum calculo firmari nostra sententia potest, Diuum Dionysium Areopagitam lib de Mysticâ Theologiâ, cap. 1. & de Cælesti Hierarchiâ cap. 4. in hæc verba: *Quòd si quis illinc etiam per se, sine vllo medio, nonnullis Sanctis, Deum visum esse contendat; is discat hoc etiam apertè & Sacris Literis, id quod in Deo occultum sit, vidisse, aut visurum esse neminem. Deum verò Sanctis visum aut ostensum esse illum quidem, sed enunciationibus quæ Deo digne sunt, per quasdam sacras, & eorum quibus ostenduntur captui, accommodatas visiones. Theologia autem sapientissima, visionem illam, quæ in se descriptam Diuinitatem, quasi specie & habitu eorum, quæ nullâ formâ depingi possunt, prodidit rectè, ex eo quod ad Diuinitatem eos, quibus ostenditur, erigat, Dei visionem nuncupat, propterea quod ea in mentibus eorum qui vident, quendam Diuini luminis radium infundat, & aliquâ rerum Diuinarum doctrinâ eos erudiat. Has autem Diuinas visiones, clarissimi illi Patres nostri, celestium virtutum operâ, didicerunt.* Vt omittam Diuum Irenæum lib. 4. cap. 37. Cyrillum lib. 1. in Ioan. cap. 21. Origenem 1. periarchon. cap. 4. & Homil. 1. in Isa: Augustinum locis superiori §. adductis, Nazianzenum Orat. 34. Hieronymum lib. 3. contra Pelagianos: Euaristum Papam Epistolâ 1. ad Episcopos Africanos: Gregorium lib. 18. moralium, cap. 28. 36. & 37. Ambrosium de fide contra Arianos cap. 8. & ad illud Psalmistæ, *Deprecabor vultum tuum, &c.* Vnde quod alibi asserit Moisen clarâ & perspicuâ præsentiæ Diuinæ dignatione donatum aliter quàm de clarâ essentiæ Diuinæ visione, accipiendum est. Vt, inquam hos, innumerosque alios silentio premam, qui mortalium nemini, ad conspicuam immensitatis Diuinæ intuitionem ascendere, concessum, censuerunt, vnam sidemas post Christum Beatissimam Virginem Matrem, de quâ id piè probabiliterque credi potest, quando dignitatis suæ ratione, sufficientem prærogatiuæ & gratiæ istius, secum afferat rationem, vt interdum supereminenti Numinis potentiâ ageretur ad euidentem conspectum increatæ substantiæ. Nemo Iudæorum est, qui Moisen Deum per essentiam vidisse concedat. Non vidisse autem, Scripturarum scitis comprimis probat Abenazarias, in Epistolâ ad Iudæos Africanos, Rabbi quoque Moises in luminis dubiorum libro, parte 2. ex eo quod Dominus dixerit Exodi 33. *Non poteris videre faciem meam, nec enim videbit me homo & viuet.* Referat istud Abulensis, ad faciem collucentis figuræ,

Visiones Dei sunt illustrationes Diuinæ.

B. Virgo puris mortalibus sola vidit Deum.

Exod. 33.

re, quam ne videret, & moreretur ab vmbraculo manus Dei, prohibitus est Moises: Certè si formæ spectabilis anteriora ipsum intueri non voluit Deus, neque illi veram & claram sui visionem exhibere voluisse, iudicari potest.

5. Exod. 33.

Quid igitur sibi vult, ostendam tibi omne bonum? Præterquam quod id in alterâ vitâ, si de beatificâ visione sermo instituitur, adimpletum ambiget nemo: per ostentionem omnis boni, Rabbi Moises, intelligit hoc tributum Moisi, vt creaturarum omnium naturam comprehenderet, quia quæ fecit Deus, erant valdè bona. Georgius Venetus Problematum Tomo 1. sectione 6. Problemat. 370. aliter: *Ostendam tibi omne bonum*, id est, inquit, omnia quæ facio, esse bona, & miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Ostendit igitur Moisi Deus, quòd cum ratione faceret omnia, nullumque esse relictum firmamentum (vt loquitur Rabbi Moises Ægyptius) siue ratio solida, vllumvè mysterium in arcanis legalibus, quæ non habuerit comprehensa, non officientibus impedimentis corporeis. Verùm, nunquid dicitur Deus loqui Moisi facie ad faciem, ore ad os, tanquam amicus cum amico? Diuus Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei, capite 29. per faciem Dei, manifestationem eius intelligendam docet, qualis omninò Iacob Patriarchæ Genesis cap. 32. facta videtur, quum viso Angelo in effigie corporeâ Deum referente, dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem*: aliàs, cùm familiaris, frequensque fuerit illa faciei manifestatio, illaque locutio, quis probabiliter afferat Moisen, familiariter, & frequenter Dei essentiam vidisse? Imò, si vidit, quid amplius, illâ visâ postulauit? petijt tamen etiam tum à Domino, *Ostende mihi faciem tuam*, non quam videbat, credo, sed quam spiritualiter videre cupiebat, quod ipsum illi in hac vitâ denegatum est.

Num. 12.

Gen. 32.

Exod. 33.

Facies igitur visa, ad manifestationem pertinet. Et hæc est facies præsentiæ, vti monet Diuus Augustinus, ad quam immediatè Moises assumptus, loquebatur cum Deo, alicuius tamen conspicabilis materiæ dispositione assumpti, qua, saluâ suâ inuisibilitate videri potuit; sicut alijs Patribus quandoque visus est & locutus: sed illa species, non erat ipsius Dei, qui nullam speciem habet. *Nec illi ignorabant*, inquit Diuus Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei, capite 13. *Inuisibilem Deum in specie corporali nequaquam se posse videre, sed visibilis erat illa species, & sub sensus cadebat, iussu Dei ab Angelo confícta.* In quem sensum Diuus Chrysostomus vult intelligi Dominum, quum negat Iudæos vel speciem Dei vidisse, qui speciem non habet; vel vocem audisse, qui sine voce & verborum sono ad aures cordis loquitur, quòd speciem Dei sese vidisse putarent. *Vidit ergo Moises*, inquit Diuus Augustinus tract. 3. in Ioannem, *nubem, vidit Angelum, vidit ignem, omnis illa Creatura typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat.* Sed faciem Dei, hoc est Diuinam essentiam non vidit, cui sola posteriora videre concessum est: effecta videlicet potentiæ Dei, quæ sunt cognita mortalibus, & sacratiùs Moisi reuelata: vel etiam vestes ipsius Dei, quæ cuiusque patuerunt aspectui, quoniam viderunt omnes salutare Dei, id est, Christum Dei, mortalitatis nostræ veste, trabeâ carnis indutum, qui Moisi anticipatâ visione innotuit. Aut etiam accipe faciem pro ratione caussæ vel voluntatis Dei iubentis, cuius ratio cùm sit occulta, non Lincuriani (vt Tertulliani vocabulo vtar) cuiusquam oculi, eam videre possunt. Vidit præterea faciem Dei, quocum loquebatur facie ad faciem, eodem Veneto interprete, problemate 371. eiusdem Tomi & Sectionis, quia Angelum vidit, qui quòd familiariter ei arcana Dei reuelaret, dicebatur facies Dei, quoniam, Diuo Gregorio in Ezechielem dogmatizante, per faciem notitia designatur: quemadmodum, quòd Dei fortitudinem Danieli, Virginique Sacratissimæ Angelos nunciaret, Gabriel, id est, fortitudo Dei, vocitatus est: & Raphaël, medicina Dei, quòd Tobiæ medicinam præstarit. Indeque & quòd lex Moisi data dicatur per Angelos ad Hebr. 1. & Iudæi per Angelorum dispositionem, accepisse ferantur, Act. 7.

Deus in specie corporeâ nunquam visus

Deuter. 4.

Facies, notitiam significat.

6. Isaias, quo sensu Deum vidit.

Ista tamen, cùm ad corporeum corporeæ similitudinis adspectum pertineant, quo quidem Isaiam, Deum inuisibilem conspexisse, perperam intelligebant Iudæi, quando dixit, *Et Regem Dominum Sabaoth ego vidi*, propterea que ab ipsis interfectus tradatur, quòd, nimirum, Deum sese oculis carnis vidisse affirmaret, & non iuxta possibilitatem humanam, secundum quam, visum volunt à Moise, non vt est, sed vt voluit se videri. Quod tamen æquè de Isaiâ dictum ab ipsis oportuit, ne immaniter in sanctum Dei Prophetam, absque caussâ sæuirent. Ista, inquam, quòd oculorum sint carnis, non inficiabor altius quiddam Moisi communicatum, quo etiam mente oblectaretur, id quod meditandum suggerit, quod habetur Numer. 12. *Ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras videt Deum.* Istud namque ideò dictum videri, Diuo Augustino interprete, quòd cæteris Prophetis altiùs illuminatus fuerit, *Videbat*, inquit lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 3. *Moises Deum, non oculis corporeis, sed oculis mentis, & quia lux illa perpetua, quod Deus est, plus eum quàm cæteros illustrauerat, ideò dictum est, os ad os loquebatur illi, ac si diceretur, plus omnibus manifestatus est illi*: Seuocatis enim à sensu, illustrato diuinitus mentis oculo, in æternam illam sapientiam direxit, atque sicut ad Hebr. 11. ait Apostolus: *Inuisibilem tanquam videns sustinuit.* Eapropter Symboli Iudæorum articulo septimo, dicitur, *Non surrexit in Israël adhuc Propheta æqualis Moisi, qui spectauit speciem ipsius*, loquente nimirum cum Moise Angelo, qui portabat typum Domini, vt docet Diuus Augustinus, tract. 3. in cap. 1. Ioan. Supremum ergo prophetiæ gradum consecutus Moises, sine figuris & imaginibus in phantasiâ impressis, Diuinas illustrationes & reuelationes accepisse censendus est; quod ipsum confirmat Rabbi Moises Ægyptius in Ecphrasi Symboli Iudæorum, ad articulum 7. vbi inquit: *Quin etiam in suis perceptionibus, contemplationibusque, membra ipsius (Moisis videlicet) & sensus desierunt fungi suis crassis & corpulentis actionibus: & facultas ipsius appetens oppressa est, adeò vt sola mentis intelligentia superstes, & reliqua, extiterit. Ac in hanc sententiam proditum est, ipsum conuersatum cum summo opifice, citra Doctorem intermedium.* Quò etiam spectat illud Cabalistarum documentum, referente Pico Mirandola, lib. de dogmatibus Cabalistarum, cognitionis Diuinæ gradus quinquaginta numerari, & Moisen ad vndequinquagesimum peruenisse, qui si peruenisset ad quinquagesimum, vidisset Deum sicut videtur in gloriâ beatitudinis: sed aëre fumoso,

Num. 12.

Moises amplius vidit de Deo, quàm cæteri.

Isa. 6.

Hebr. 11.

fumoso, & nube densâ, quâ mons tegebatur, & incomprehensibilem Dei majestatem significabat, quo minùs perueniret, impeditum fuisse. Non vidit ergo essentiam infinitam Moises, quocum nihilominus loquebatur Deus, tanquam amicus cum amico, quia nimirum locutiones illas, quæ formabantur in nube, vel similitudine, ita temperabat captui Moisis, vt tanquam familiaris ad familiarem, viderentur directæ. Concludamus ergo de Moise cum Diuo Augustino Epist. 112. cap. 8. *Inuisibilis est igitur natura Deus, non tantùm Pater, sed & ipsa Trinitas, vnus Deus. Et quia non tantùm inuisibilis, verumetiam incommutabilis, sic apparet quibus voluerit in quâ voluerit specie, vt apud eum integra maneat eius inuisibilis, incommutabilisque natura. Desiderium autem veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt, & inhianter ardescunt, non opinor in eam speciem contuendam flagrat, quâ vt vult, apparet quod ipse non est, sed in eam substantiam, quâ ipse est quod est. Huius enim desiderij sui flammam sanctus Moises, fidelis famulus eius ostendit, vbi ait Deo, cum quo vt amicus facie ad faciem loquebatur: Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum. Quid ergo? ille non erat ipse? Si non esset ipse, non ei diceret, Ostende mihi temetipsum. Ipse ergo erat in eâ specie, quâ apparere voluerat; non autem ipse apparebat in naturâ propriâ, quam Moises videre cupiebat. Ea quippè promittitur Sanctis in aliâ vitâ. Vnde quod responsum est Moisi, verum est, quia nemo potest faciem meam videre & viuere, id est, nemo potest eum in hac vitâ videre viuens, sicuti est: Nam multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formauit.* Hactenus D. Augustinus.

Deum tamen non vidit Moises.

7. *Neque D. Paulus.*

Neque verò aliter de Diuo Paulo, quàm de Moise sentiendum est, quocum negant Veteres dispensatum, vt ad ipsius essentiæ Diuinæ conspectum raperetur, quanquam Theodoretus in 2. ad Corinth. 12. nonnullos dixisse ferat, arcana verba quæ in suo raptu audiuit, fuisse res, vidisse enim ipsum paradisi pulchritudinem, & Sanctorum quæ in illo sunt choreas, & numerosam ac modulatam Hymnorum vocem. Diuus namque Basilius, inprimis, quod de Moise affirmauerat, de Diuo Paulo negat Orat. 2. de principatu & potentiâ, scribens, perfectam cognitionem, quæ in futuro sæculo dignis exhibenda est, nec Petro, nec Paulo obtigisse. Et præter citatos num. 4. Tertullianus aduersus Praxean, capite 14. Isidorus lib. primo de summo bono cap. 7. Athanasius quæst. 12. ad Antioch. Chrysost. Homil. 14. in Ioan. Theophylactus in cap. 1. Ioan. Nyssenus quoque Orat. 6 de beatitudine ad illud, *Beati mundo corde*, vbi ait, *& Paulus non viderat per hoc quod neque à se, neque ab alio quoquam, Deum videri posse affirmat.* Manifesta est enim Apostoli sententia 1. ad Timoth. 6. quam post suum raptum literis mandauit, *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*

1. Timoth. 6.

Euidens porrò est, & locuples satis hæc auctoritas, quò neminem hominem à lege communi exceptum fuisse comprobetur, quæ habet. *Non videbis me homo, & viuet;* & quam præterea auctoritate suâ, locupletissimè confirmat Diuus Ioannes Euangelista, qui post memoratum Diui Pauli raptum (siquidem Euangelistarum postremus, teste Diuo Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, Euangelium literis exarauit) ita infit, *Deum nemo vidit vnquam.* Quare quod raptum se dixit Apostolus in paradisum, & vsque ad tertium cælum, audiuisseque arcana verba, non ampliùs ex illius mente haberi potest, quàm quod ad Beatorum consortia eleuatus, cælos, aërem, atque firmamentum transgressus, ad tertium vsque, quod est empyreum, siue etiam ad tertiæ Hierarchiæ, aut tertij Ordinis Angelos peruenerit, vbi magnæ alicuius gloriæ, non autem Diuinæ essentiæ visionis particeps, sacram Christi Domini Humanitatem gloriâ coronatam viderit, ne haberetur alijs Apostolis minor, inquit Diuus Chrysostomus, Homil. 26. in Epistolâ 2. ad Corinth. *Qui simul fuerant cum Christo;* intellexeritque arcana Fidei Mysteria, quorum minister & testis constitutus erat, & ineffabilia, quæ haud dubiè Dominus, extra visionem, reuelare potest.

Exod. 33.

Ioan. 1.

Rapi ad 3. cælum, quid sit?

Christum in raptu vidit Paulus, ne esset minor alijs Apostolis.

Et, quod reliquum est, si Deum clarè vidisset Apostolus, qui ignorasset, in corporene, an extra corpus ad summa illa videnda & intelligenda raptus fuerit? Non enim futurum erat, vt obtutibus animi obiectam habens Numinis essentiam, non etiam animam suam, statumque illius, benè conceptum haberet. Quinimò raptum illum, non sine phantasmatum cooperatione fuisse, verosimile est: inde enim orta istæc à sensibus alienatio: inde etiam factum, vt, an tunc in corpore, vel extra corpus fuerit, postea ignorarit.

Capitis 20. §. 7.

Quid sit illud S. Iob. In carne meâ videbo Deum?

IN *carne meâ*, inquit Iob sanctissimus capite 19. *videbo Deum.* Quomodo? Varij sunt opinantium sensus. Putauit Eugubinus sensibilem quandam Dei cum Iobo colloquentis imaginem, eius obtutibus corporeis offerendam, quemadmodum Abrahamo visi sunt Angeli superficie humanâ induti, Sodomam ire. Ita namque Deus aliquando in subiectâ creaturâ apparuit: non quod ipse aliquas circumscriptas imagines & formas induerit, in quibus se manifestaret, sed quòd creatura illi subiecta, Angelus videlicet, sensibili assumptâ specie, vice Dei appareret, quo spectatum ab auctore lib. de speculo apud Diuum Augustinum, cap. 13. quum ait, *Multis siquidem modis ad significandum te hominibus, de rebus inferioribus ad te species ducis, quem reuera iuxta propriam naturam inuisibilem constat esse, & in totum incomprehensibilem, & incircunscriptum, ac per hoc nunquam apparuisse secundum essentiam, sed modis quibus voluisti, per assumptam creaturarum speciem, & ad efficientiam caussarum credimus:* Deus enim semper sui est similis, inquit Tertullianus lib. de Trinit. nec se vnquam in aliquas formas vertit aut mutat, ne per immutationem, etiam mortalis esse videatur: immutatio enim conuersionis, portio cuiusdam comprehenditur mortis.

1. Iob. 19.

Deus speciem nullam induit.

Quod verò Eugubinus ait, obijciendam sensibilem formam aspectui sensibili; ad illud respexisse videtur quod ait Iob. cap. 42. *Audi tu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te,* in obiecti nimirum visibili specie: Quanquam potiùs ad oculum fidei, vel prophetiæ referendum videatur, τὸ, *Oculi mei conspecturi sunt.* quoniam Arias Montanus, ex vi dictionis Hebraicæ ראו *rau*, non futurum, *videbunt*,

Iob 42.

siue

Iob, mysterium incarnationis agnouit.

sine conspecturi sunt, sed præteritum attendat, *viderunt*, quomodo etiam Diuus Augustinus, sermone 2. de Natiuitate qui est 6. de tempore Tomo 10. hunc locum ad incarnationis mysterium refert, vt tum diuinitùs illustratus, viderit Propheta Sanctus, Dei Filium incarnatum: audiamus Augustinum, *Iob*, inquit, *prædicat eximius Prophetarum in carne meâ videbo Deum, quod de illo tempore prophetauit, quando Christi Deitas habitu nostræ carnis induta est.* Quo etiam sensu Abraham vidit Domini diem, & gauisus est. Aut etiam, *Oculi mei viderunt*, quia in figurâ carnis suæ, futuram veritatem in carne Dei, animo videbat, ærumnosam scilicet, laceram, confossam, derelictam, amicæ Synagogæ saturatam opprobrijs, in caluariæ sterquilinio erectam, necnon iacentem ante, & post in cruce appensionem: quin etiam videbat illam rediuiuam glorificatam: asseruatis vulnerum stigmatibus præfulgidam; quemadmodum post ærumnas & plagas, carnem propriam gloriâ & honore ampliori donandam, in spiritu præuidebat.

Prophetiæ spiritus duplex in Iobo.

Neque enim dubitare velim, quin Iob duplici prophetiæ spiritu donatus fuerit, sic, vt non tantùm mentis intuitu consecutus sit, status sui post tribulationum exercitia opulentissimi, dignitatem, sicut quidam Prophetarum captiuitatem populi Iudaici, & post futuram libertatem præuidebant: Quòd autem ista, miseram peccati captiuitatem, & ab eodem per mediatorem Dei & hominum Christum, libertatem mysticè significarent, non videbant: Sed quòd præterea Iob in suo illo statu in meliùs perfectiusque commutato, salutarem, ditissimamque plagati Dei resurrectionem prospexerit, ideoque *oculi mei viderunt*, inquit.

Ib. 29.

Huic expositioni fauere videtur interpretatio ex Hebræo, quam tradidere nonnulli; vt pro eo quod legimus, *Et in nouissimo die de terrâ surrecturus sum, & rursum circundabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum*, in hunc modum legant ipsi, *& postquam contriuerint*, siue, *corroserint corpus istud*: Rabbi Kmi hic *postquam perfoderunt corpus*, hoc est quod dicitur, *& rursum circundabor pelle meâ*, vt sensus sit, postquam contriuerint flagris corpus, & arauerint in dorso eius, & vsque ad ossium apparitionem, quasi corroserint, & manus, & pedes, & latus perfoderint, *Ego scio quòd Redemptor meus viuit, qui & in nouissimo consurget super (iacentes) in puluere*: Hebraicè, *super puluerem*: vulgatâ legunt. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terrâ surrecturus sum*, vt videlicet, nouissimus, hoc est, in statu nouissimo Legis Euangelicæ, aut quia nouissimè missus Filius, vt acciperet fructus vineæ,

Matth. 21.

Matth. 21. *Nouissimè autem misit ad eos Filium suum*, resurgat primus in puluere Redemptor noster, qui nostræ resurrectionis caussâ, sed non iam in mortali puluere, ideoque etiam supra puluerem, quia gloriâ & honore immortalitatis donatus est, is qui primitiæ dormientium, qui primus est, & nouissimus. Quò etiam referri potest, quod ex Hebræo reddidit Arias Montanus, *Et ego noui Redemptorem meum viuum, & nouissimo super puluerem statutum.* Viegas in Apocal. 1. sect. 11. Iobum, non de suâ ipsius personâ, sed de vniuersali hominum resurrectione, more prophetico id enuntiasse, dicit.

2. Iob. 19.

Manus Dei, est operatio ...

Alij, *Videbo Deum in carne meâ*, sic interpretantur, vt Iob in carne suâ sic afflictâ agnosceret percutientem Deum, quod ipsum expressisse videtur, quum dixit, *Manus Domini tetigit me*: agnoscere enim sic manum Dei, est Deum in propriâ operatione videre, quod nemo alius, nisi qui experitur, videre potest. Quare Nicetas in hunc modum; *Non humana est vexatio; calamitatem enim pectoribus, liberisque impertatam diuinitus, è corporis mei ærumnis, planè cognosco. In morbum naturalem hæc referri non possunt: Deus hæc mihi intulit: egomet, quem dolores percellunt, noui.* Itaque Iobus hoc sensu, iustum in se percussorem agnoscens, eundem sperat, & sibi pollicetur Redemptorem, qui humanum genus, suæ ruinæ merito, peccati vlceribus grauiter percussum, esset sanaturus.

Afflictis solatium, Deum habere præsentem.

Non leue hoc afflictis solatium est: si inter vndantes fornacis tribulationum flammas, Deum sibi adesse intellexerint, qui dexteram subleuantem, vbi necessitas postulabit, sit porrecturus; vnde virtutem Diuinam sibi præsentem esse experiantur, quâ valeant mille torti supplicijs, excruciati, excarnificati, in vitâ persistere, & solâ vocis contentione, tyrannorum obniti impotentiæ: qualis Diuus Laurentius, qui inter medios flammarum globos quibus torrebatur, toto iam exanimis corpore, solo corde, solaque voce reliquus, non sine euidenti Numinis sibi præsentis, atque inuisibili ardore, immanes sensibilium ignium ardores, æstus, & deflagrationes retundentis, testimonio; ad paratas tosti corporis sui dapes gaudens, furentem rabie tyrannum prouocabat, vrgebatque simili voce, quam apud Philonem Iudæum lego, libro, Quod omnis probus, docet victoriam ex patientiâ esse.

D. Laurentij constantia.

Combure carnem hanc, concrema, repleto te
Meo cruore: nam priùs vel sidera
Terram subibunt, terra vel scandet polum,
Quàm mollis à me extorqueatur vox tibi.

Machabæorum quoque.

Quales etiam Machabæi, qui Dei manum, quam barbari hostis ministerio aduersum se esse confitebantur, eandem & sibi adesse adiutricem, in eâ quam beatæ Resurrectionis spe conceperunt, testabantur. Ideoque in suo cum ærumnis conflictu erigebatur Iob Sanctus, & spe recuperandæ sanitatis per inauditum, sed manifestum miraculum, quod in se à Deo experturus esset; & spe beatæ Resurrectionis in carne suâ, in quâ iam restitutâ & reflorescente visurus esset Deum.

Resurrectionis spes roborat afflictum.

Et hæc postrema loci huius interpretatio placet plurimum Pinedæ, vt nimirum Sanctus Propheta dicat, se in eâ carne, quæ nunc miserrima, olim tamen florida, & plagarum carbunculis adornata (vti sentit Diuus Augustinus) sanctæ Resurrectionis munere, visurum iudicem suum: Hebraicè אלוה *Eloha, Iudex*, in singulari, quia Deus omne iudicium dedit Filio, ideoque carnem Filij Dei etiam tunc plagatam, sed splendidam ad voluptatem electorum, & ad terrorem reproborum, quia visuri sunt illi in quem pupugerunt: illusque se beato aspectu fruituros. Ad hanc sententiam facit Paraphrasis Philippi quæ sic habet: *Ego ipse Iob qui in stercore iacens à vermibus comedor, ego, inquam, Iob, iam corruptus, atque vlceribus dissolutus, in hac carne mortali incorruptus, per resurrectionem*

Iudicium Deus dedit Filio.

futuram glorificatus, videbo Deum. Quibus ex verbis, Iobum summa religionis nostræ capita profiteri, conspicuum est, Messiam, nimirum, esse verum Deum, & Saluatorem hominum, siquidem aliter, quàm in assumptâ carne, oculis corporeis, videri Deus non potest. Quapropter, quod dixit, *In carne mea videbo Deum*, ad illam vtique carnem referendum est, quam assumpsit Dei Filius, quæ mea erit, inquit Iob, quia de meâ, & similis meæ, in eadem, nempe, mecum carnis specie. Peccatorum itidem condonationem adstruit, & rediuiuæ carnis vitam immortalem.

Iob. 26.

3. Christi Humanitas, oculo carnis, Diuinitas, oculo mentis videnda.

Ego tamen, non tantùm de corporeo humanitatis Christi glorificatæ intuitu, sed etiam de intellectuali Diuinæ essentiæ, hunc locum intelligendum, ex eo mihi inprimis persuadeo, quod Diuus Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei capite 29. ita intellexerit, ait enim, *Illud etiam quod ait suprà memoratus Iob, sicut in exemplaribus quæ ex Hebræo sunt, inuenitur: Et in carne meâ videbo Deum: resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetauit, non tamen dixit, per carnem meam. Quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur: nunc verò potest & sic accipi, In carne mea videbo Deum: ac si dixisset, in carne mea ero, cùm videbo Deum.* Quem secuti sunt Diuus Thomas 1. parte quæst. 12. art. 3. Suarez lib. 2. de attributis negat. cap. 6. & alij. Quanquam tamen Suarius illa, *& oculi mei conspecturi sunt*, non modò ad oculos mentis referri dicat, verumetiam probabile putet, spem & fidem significari, quam habebat in Christum, cuius conspectum corporeum secundum humanitatem sperabat. Quidni ergo vtrumque significari dicamus? & ipsam nimirum quoque spem beatitudinis, quæ in visione Diuinæ essentiæ posita est, & fidem resurrectionis proprij corporis, in quo iudicem suum rediuiuum, & ipse quoque cum eo rediuiuus, esset visurus?

Duplex Eliæ spiritus, quis sit?

Præterea, vtrumque oculum spectari, mihi probatur, ex eo quòd, sicut Elizeus vno spiritu prophetico, communi cum cæteris Prophetarum filijs, videat Eliam in curru igneo per turbinem rapiendum in cælum, & rapi vidit oculis corporeis: vbi verò alterum spiritum pro quo orauerat, obtinuit. 4. Reg. cap. 2. *Oro vt fiat in me duplex spiritus tuus* (vt Patrum acceptionem præteream, qui volunt Elizeum petijsse donum operandi miracula, quod Elias habebat; siue etiam spiritum constantem & firmum pro defensione gloriæ Dei, & simul spiritum ardentis in eum amoris, sicut Diuo Gregorio placet) oculo mentis vidit ascensum Filij Dei in cælum, & eiusdem in iudicium aduentum: ita Iob, quem vno spiritu, Redemptorem in terris appariturum hominem, & cum hominibus conuersaturum didicerat, oculo sese corporeo, sacram Redemptoris sui humanitatem conspecturum dicat, factus cum illo rediuiuus, gloriæ ingentis amplitudine fulgidam: eundemque Redemptorem, quem Deum esse nouerat, oculo mentis in eius Diuinitatem intento, quasi altero spiritu, intellectu nimirum, intuiturum se pronuntiet, vnde ait, *Oculi mei conspecturi sunt*, neutrius potentiæ excludens officium, vt vnum oculum ad corpus, siue sensilem potentiam, referat, alterum ad mentem, siue potentiam intellectilem; atque ita vterque oculus in homine

4. Reg. 2.

Oculus vterque in Christo beatus.

Deo beatificetur, sicut loquitur Doctorum lumen præclarissimum, & Ecclesiæ decus ornatissimum Diuus Augustinus in Manuali cap. 26. vbi ait, Deum factum esse hominem, *vt vterque sensus hominis in ipso beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in eius Diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate, vt siue egrediens, siue ingrediens in ipso pascua inueniat humana natura, condita ab ipso.*

Perpende nunc animo tecum, quantum sit futurum gaudium Beatorum in illâ terrâ viuentium, vbi corpora non solùm configuranda sunt corpori claritatis Redemptoris sui, sed etiam satianda, beatissimæ illius humanitatis glorioso conspectu, sicut aiunt, Caietanus, Glossa, Diuus Thomas, & alij. Quanta oculorum illorum beatitudo, qui habebunt officium suum, inquit Diuus Augustinus, lib. 22. de Ciuit. Dei, capite 29 & in loco suo erunt, vteturque illis spiritus per spirituale corpus. Huc intendant: huc oculos dirigant, qui fidei mysterijs initiati; & animo à caducis auulsi, suspirent ad beatam illam immortalitatem, adspirent ad illam, & præter illam, respirent nihil, vt verè dicere possint, quanquam mortalibus vinculis, huius vitæ innexi, *nostra conuersatio est in cælis.*

Capitis 20. §. 8.

Quidnam illud eiusdem Prophetæ, Oculus meus videt te?

1. Iob. 42.

VErùm, quid ad illa, *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te?* Iob. 42. Et à caussa ad effectum transiens ait, *Idcirco ipsum me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauillâ & cinere.* Id est, inquit Blasius Viegas in cap. 1. Apocal. Commentario. 2. sectione 17. num. 2. Multa de tuâ magnitudine & gloriâ, famâ & auditione perceperam, sed nunc, cùm te præsentem video, multò magis sum commotus, & ad conspectum tuum, omnia peccata mea etiam leuissima, tanquam atomos ad radios Solis intueor, neque fœdissimum esse intelligo. Sic enim hunc locum interpretatur Diuus Gregorius lib. 35. Moral. cap. 35. *Quantò*, inquit, *quisque se minus videt, tantò sibi minus displicet, & quantò maioris gratiâ lumen percipit, tantò ampliùs reprehensibilem se esse cognoscit.* Vnde infert, se *in fauillâ & cinere pœnitentiam agere*, quod est, contemplatâ summâ essentiâ, nihil aliud quam fauillam se, cineremque esse, cognoscere.

Interior animus quò magis cognoscitur, eò magis displicet.

Perceptúsne ergo aliquo corporis sensu Deus? minimè: *namque audire Deum, vel videre*, inquit Philippus, *non istorum oculorum vel aurium est, sed mentis & cordis.* Vidístne ergo oculis mentis Iob Sanctus, essentiam Dei? ita opinari, cuiquam videbitur Diuus Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei, capite 29. quum inquit. *Et fortasse ista virtus magna cernendi, data fuerit oculis* (cordis videlicet) *Sancti Iob, vt ad horam, Dei essentiam videret, quibus videri Deum, cùm videbitur, Christianus ambigit nemo, qui fideliter accipit quod ait Dominus & Magister noster Iesus, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vide §. 5. num. 2. Apage autem impuri, apage damnati, non habent illi oculos quibus Deum videant, excæcante illos malitiâ eorum.

An Iob mente Deū viderit.

Sed,

2. Quomodo?

Sed vt & hoc quoque expediam, sic explicat Eusebius, vt Deum, quem in turbine & nubibus loquentem audiuerat Propheta Sanctus, corporeis oculis in imagine sensibili viderit. Viderit, inquam, imaginem Filij Dei, sicut & cæteri Patriarchæ & complures Prophetæ viderunt, iuxta illud Numer. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, aut per somnium.* Ita enim ait Eusebius, libro 1. de Demonstratione Euangelicâ, cap. 4. *Nam qui anteà de turbine & nubibus, illi se ostenderat, Deum vniuersi se esse indicabat. Porrò autem progressus, ita seipsum præbet videndum, vt ipse Iob, tum dicat; Audi me Domine, vt etiam ego loquar. Sonitum quidem vocis tuæ ego audiui priùs, nunc autem oculus meus videt te. Quod si fieri non potest vt altissimus Deus inuisibilis, & ingenitus, & Rex vniuersi à mortali naturâ cernatur, quis tandem hic qui sic visus est, alius fuerit præter Dei Verbum, quod seipsum ad tempus de propriâ magnitudine demiserat?*

Num. 12.

Quod tamen non sic accipiendum est, quasi Dei Filius Verbum, aliquam figuram assumpserit, quia, vt rectè Diuus Thomas, nunquam Deus corpus aliquod assumpsit, nisi ad vnitatem Personæ, quod est Humanitas sacratissima Seruatoris nostri Dei, sed quomodo intellexit Diuus Augustinus libro 2. quæstionum in Exodum, vbi ait, *Quod autem se ostendit specie corporali, vel signis corporaliter expressis, non substantia eius apparet, quâ est, quod ipse est, sed assumptio formarum visibilium, eius potentiæ subiacet*: & libro 10. de Ciuitate Dei, cap. 13. vbi ait, *Nec mouere debet, quòd cùm Deus sit inuisibilis, sæpè visibiliter Patribus apparuisse memoratur. Sicut enim sonus, quo auditur sententia, in silentio intelligentiæ constituta, non est hoc, quod ipsa: ita & species quâ visus est Deus in naturâ inuisibili constitutus, non erat, quod ipse.* Hinc patet quomodo verum est quod dicitur, Patriarchis & Prophetis quibusdam visum esse Deum, & quod Deum nemo vidit vnquam, *quia in hoc mortali corpore*, inquit Diuus Gregorius libro 18. Moral. cap. 36. *consistentibus, & videri potuit per quasdam circunscriptas imagines; & videri non potuit per incircunscriptum lumen æternitatis.*

Verbum Patris nunquã corpus assumpsit, nisi in incarnatione.

3. Manifestationes Dei per Angelos factæ sunt.

Manifestationes igitur illæ Numinis, quæ in efformatis corporum similitudinibus fiunt, non aliter sunt quàm ab administris Angelis, sicut tradit Diuus Augustinus lib. de Trinitate, & refert Abulensis, quæst. 89. in cap. 3. Matthæi. Non enim in nos veniunt Diuinæ illuminationes, inquit Magnus ille Areopagita, nisi mediante cælesti Hierarchiâ. Efformant itaque illi, mouentque corpora, quæ hominum aspectui subijciant, spiritualium substantiarum proprietates ostensuri: vt si Angelus quispiam, velit immediatè hominem, de propriâ quam habet virtute instruere, suæ virtutis similitudines in assumpto corpore exprimit, atque ita Angelus inferior apparere dicitur. Si verò illuminans Angelus, Diuinæ virtutis, siue etiam superioris alicuius Angeli, per quam operatur, velit mortalibus instillare notitiam, corpus adaptat, per quod aut Diuinæ Maiestatis eminentiam, aut superioris Angeli proprietates exprimat: & tunc, non Angelus qui repræsentat, sed aut Deus ipse, aut Angelus superioris ordinis apparere dicitur. Ita censuere Doctores sanctissimi, Diuus Thomas, & Diuus Gregorius in Glossâ. Exod. 3. Quod æquè de voce in nube vel turbine auditâ dicendum est, quæ appellatur Dei, quia Angelus loquens Deum repræsentat.

Angeli quomodo appareant.

Videtur ergo Deus in Angelo, non in seipso, quia, vt inquit Diuus Gregorius libro 18. Moral. cap. 36. *Quamdiu hic mortaliter viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem, non potest*: sic vidit Deum Patriarcha Iacob, ait enim: *Vidi Dominum facie ad faciem*: vidit Moises, *loquebatur Dominus Moisi facie ad faciem*: & nihilominus ait, *Ostende mihi teipsum vt videam te*, quia iam ab imagine ad ipsam essentiam transire volebat, sicut aliàs commemorauimus. Vidit Isaias, *Vidi Dominum sedere super solium excelsum*: vidit Michæas, *vidi Dominum sedentem super solium suum.*

Deus in Angelo videtur, non in seipso.

Gen. 32. Exod. 33. Ibid. Isa. 6. 2. Paralip. 18.

Atque ita iuxta Eusebium, intelligendum est, Deum & locutum fuisse Iobo; & visum ab eo fuisse. Atque istud, est Deum nomen suum ponere in Angelis suis quando vices gerunt Dei, sicut insit in Exodo, *Ecce mitto Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum quem præparaui, obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cùm peccaueris, est enim nomen meum in illo.* Nam quum Angelos suos Deus, diuino quandoque dignatur honore, vti Ioannes Reuclinus inquit, lib. 2. de verbo mirifico, cap. 13. mirabilia eisdem opera demandat facienda, in nomine tamen suo, ne det alienis honorem suum, & gloriam suam alteri, & vertatur homo ad creaturæ cultum, Creatore relicto.

Nomen Dei in Angelis ponere, quid sit?

Exod. 23.

4. Visio Dei per infusam sapientiam.

Suarius interea lib. 2. de attributis capite 6. visionem hanc, ex mente Diui Thomæ, ad sapientiam infusam refert, quæ distincta sit à fide, quæ est per auditum, quæ enim credimus, simpliciter per merum auditum recipimus: postquam autem spiritualia degustare, & experimento cognoscere cœperimus (sicut Diuus Gregorius lib. 35. Moral. capite 2. philosophatur) tunc quodammodo per eadem videmus. Hoc sensu Iobus, non obiectâ sensibilis alicuius formæ imagine, verùm internâ quadam intellectus collustratione recreatus perhibebitur, per quam Diuina Mysteria meliùs, clariusque in suis ærumnis, quàm in prosperitate, intelligeret. Videre namque in sacris literis, etiam audire & intelligere significat; vt quum Ieremiæ 2. dicitur, *Videte verbum Domini*, hoc est, *audite, intelligite, gustate*, quàm suauis est Dominus.

Videre, etiam est audire, & intelligere. Ierem. 2.

Ipsa siquidem cognitio Dei, quam per sapientiam infusam habemus, gustui comparatur, quâ de caussâ in Exodo capite 33. dicitur: *Nemo videbit me & viuet*, qui enim sic videt, & gustat suauitatem præsentiæ Dei, illicò huic vitæ moritur, & solummodò respirat vitali flatu amoris summi illius delectabilis, quod experitur, *Non videbit me*, inquit, *homo & viuet*, vita rerum humanarum perturbatâ tumultu: non voluptatibus, non concupiscentijs: non iniquitati, non ambitioni, non harum cognatis germanisque perturbationibus viuet, quia, vt inquit Diuus Gregorius libro 18. Moral. capite 37. *nullus vnquam Deum spiritualiter videt, & mundo carnaliter viuit.* Qui ergo Deum videre cupit, vt moriatur sensibus necesse est, eâ videlicet morte, de quâ Saluator ait, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: sin autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; quam mortem, Sanctorum mortem appellat Psaltes Regius, Psal. 115. & pretiosam in conspectu Domini. Hebræi verò, vocant osculi mortem, inquit

Cognitio Dei gustui cõparatur.

Exod. 33.

Qui Deum videt moritur mundo.

Ioan. 12.

Ps. 115.

Georgius Venetus Tomo 1. sect. 6. problemate 372. Quare ideò etiam abscondita dicitur sapientia ab oculis omnium viuentium, Diuo Gregorio lib. 18. Moral. teste, *Quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne iam eius amore teneatur*, inquit. Et hæc mors, excessus est, & raptus quidam mentis, quo separatur anima à corpore, non autem corpus ab animâ, quam alij mortem philosophicam vocant. Hac sapientiâ non viuentium carni, perfusus fuisse intelligitur Diuus Augustinus lib. 9. Confessionum cap. 10. quum inquit, *Si loquatur ipse solus per seipsum, vt audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per sonitum nubis, neque per ænigma similitudinis, sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, & rapidâ cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem; si continuetur hoc, & subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat, atque absorbeat, & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, vt talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspirauimus. Nonne hoc est, intra in gaudium Domini tui?* & quum alibi dicit, Deum influere in cor eius tantam dulcedinem, quæ si perficiatur, ignoret quid futurum sit, nisi quòd non sit futurus status vitæ præsentis.

Mors philosophica.

Raptus mētis per sapiētiam.

D. Augustini.

Hac quoque sapientiâ delibutus, magnus ille Archimandrita Benedictus, apud Diuum Gregorium lib. 2. Dialogorum, mirabilem illam totius mundi visionem habuit, per illustrationem quandam Diuinæ essentiæ extraneam, sicut docet Diuus Thomas, Quodlibeto. 1. artic. 1. & 2. 2. quæst. 180. art. 5. ad 3. Hac ipsâ eâdem sapientiâ, quasi ebrius Doctor Gentium Paulus, rapido mentis abstractæ volatu, siue in corpore, siue extra corpus, ad cæli sublimia vectus, arcana Dei propriè vidit, non imaginaliter, vt loquitur Diuus Augustinus lib. 12. de Genesi ad literam cap. 5. vidit autem, quia etiam mortuus, viuente tamen corpore ab illius animâ, sed animâ existente quasi separatâ à corpore, & in Christo viuente, ad eum modum quo dixit ad Galat. cap. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*, vt nimirum ad intelligibilia illa capessenda, redderetur idoneus.

D. Benedicti.

D. Pauli.

Gal. 2.

Capitis 20. §. 9.

Inuisibilem etiam ipsis Angelis Deum à quibusdam fabulatum.

1. Deum videre, non est huius vitæ.

NOn huius igitur vitæ, sed alterius est videre Deum, in quâ beatarum mentium choris adscripti, non secus atque ipsæ, clarâ & conspicuâ Diuinæ essentiæ visione fruituri sunt: ita Orthodoxi omnes. Interea tamen, nihil ita purum sincerumque in rerum naturâ reperias, quod non immisso sinistræ cuiusdam opinionis puluere, turbetur, deturpeturque. Quia enim sacræ literæ, summi Numinis interminatam, incircumscriptamque essentiam, inuisibilem profitentur: ita ad illam aditum, creatis mentibus præclusere nonnulli, vt etiam beatis ipsis Spiritibus, quantumcunque gloriâ florentibus, atque gratiæ dono, ad mysteriorum arcanorum penetralia prouectis, nullam videndi Deum facultatem tribuerint. Quos ne cæcos esse in tanta luminis exhilarantis claritate pronuntiarent; non quidem Dei essentiam, quæ omnem creatæ mentis respuit accessum, sed eminentem quandam lucem, ex Dei essentiâ atque substantiâ radiantem, eos videre dixerunt: eaque ratione censeri illos videre Deum, haud secus ac is Solem intueri dicitur, qui latè fulgentes eius radios conspexerit, cui cùm Solem contemplari non liceat, quantum ad ipsam substantiæ summam quæ in cælis est, eius radium tolerat oculis pro temperaturâ portionis, quæ in terram inde porrigitur.

Angelos, Deum non videre somniarunt quidam.

Huius erroris meminit Diuus Gregorius lib. 18. Moralium. cap. 37. in hanc sententiam: *Sciendum verò est, quòd fuerunt nonnulli, qui dicerent, Deum etiam in illâ regione beatitudinis, in claritate quidem suâ conspici, sed in naturâ minimè videri. Quos nimirum, minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici & incommutabili essentiæ, aliud est claritas, aliud natura, sed ipsa ei natura, sua claritas; ipsa claritas, natura est.* Cæterùm huiusmodi fabulæ, vt pugnantem hanc cum veritate sententiam, saburrâ stabilirent, in sua dogmata Diui Ioannis Chrysostomi gnomas, quæ huic errori patrocinari ipsis videbantur, pertraxerunt: vt quod Homil. 23. in Genes. ait, *Diuinæ gloriæ fulgurantem Maiestatem, neque Cherubim, neque incorporeæ illæ virtutes videre possunt, sed aduersæ, facies tegunt obiectu alis.* Et alibi in Diui Ioannis verba: *Deum nemo vidit vnquam*, Homil. 14. vbi duo colligere videtur. Primum est, quòd natura, substantia & essentia Dei, à nullâ creaturâ possit intuitiuâ mentis visione conspici, sed solâ cogitationis & imaginationis abstractione cognosci; verba audiamus. *Id quod Deus est, non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli: si enim eos percontaberis, nihil ab his de Dei substantiâ audies, sed tantùm, gloria in altissimis Deo*: & paulò pòst. *Quod si omnis natura creata est, quanam ratione increatum videri poterit? nam si incorpoream virtutem, quamuis genitam, non possumus manifestè conspicari, multò minùs incorpoream & ingenitam substantiam: quare Paulus; quem, inquit, nemo vidit vnquam, neque videre potest.*

Quid ebe monit?

Diui Chrysostomi collectio I.

Quod si obieceris illud Math cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: & illud cap. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, eam visionem appellari dicit Chrysostomus, cogitationem, atque imaginationem, quam pro ratâ virium nostrarum de Deo habere possumus, nos & Angeli, qui nihil aliud animo iugiter versant, quàm Deum: de quibus phrasi non absimili Theodoretus, dialogo Immutabilis, apud Sixtum Senensem Bibliothecæ sacræ lib. 6. Annotat. 182. *Non enim vident Diuinam essentiam*, inquit, *quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ vniuersa comprehendit: sed quandam gloriam quæ eorum viribus respondet sitque eis commoderata.* Accedit Theophylactus, qui visiones Dei, ad figurarum varietates refert, in quibus insigurabilis Dei non videbant veritatem, quin neque Angeli, inquit ipse, vident substantiam Dei, quamuis dicantur semper videre faciem eius, hoc enim indicat, semper Deum eis apparere: dicitur autem apparere, quod videri non potest, quemadmodum refert Diuus Augustinus Epist. 112. capite 6. ex Diuo Ambrosio totidem verbis. *Cùm Euangelium exponens Beatus Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, venisset ad eum locum vbi Angelus apparuit in templo Zachariæ Sacerdoti: ex hac occasione, vide quanta & qualia de Dei etiam visione disseruit. Non immeritò, inquit, Angelus videtur in templo, quia veri*

Matth. 18. & cap. 5.

Apparere quid?

veri Sacerdotis iam nunciabatur aduentus, & cæleste sacrificium parabatur, in quo Angeli ministrarent. Et benè apparuisse dicitur ei, qui eum repentè conspexit. Hoc specialiter aut de Angelis aut de Deo Scriptura Diuina tenere consueuit, vt quod non potest videri, apparere dicatur: Sic habes: Gen. 18. Apparuit Deus Abrahæ ad ilicem Mambre. Nam qui ante non præsentiatur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia videntur, & is in cuius voluntate situm est, videri, & cuius natura est non videri, voluntate videri. Nam si non vult, non videtur, si vult videtur Apparuit enim Deus Abrahæ, quia voluit, alijs quia noluit non apparuit. Visum est etiam Stephano, Act. 7. cùm lapidaretur à populo apertis cælum. Visum est etiam Iesus stans ad dexteram Dei, & non est visus à populo. Vidit Isaias Deum Sabaoth, cap. 6. Sed & alius videre non potuit, quia cui placuit, apparuit. Et quid de hominibus loquimur, cum etiam de ipsis cælestibus virtutibus & potestatibus legerimus, quia Deum nemo vidit vnquam.

Apparet quod non potest videri.

Act. 7.

Isa. 6.

Accedit Euthymius in materialibus virtutibus, inuisibilem Deum in sua naturâ asserens, licet, prout sibi conceditur, Deum videant: Accedit & Diuus Hieronymus apud Diuum Augustinum, epist. 111. *Nunc, inquit, videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, licet faciem Dei iuxta naturæ suæ proprietatem, nulla videat creatura, & tunc cernatur mente, quando inuisibilis creditur.* Quod ita dixisse Diuum Hieronymum interpretatur Diuus Augustinus, ne quisquam visibilem Deum, vel Angelis, vel hominibus, quum æquales Angelis facti fuerimus, siue nunc esse, siue futurum esse crederet.

2. Angelos videre Deum asseritur.

Sed vt frustrà saburrantur rates, quæ huicà sentina salum admittunt, ita huius sectæ Armeni, & apud Turrecrematam lib. 4. de Ecclesiâ cap. 25. Almaricus, Theologorum veritatis iudicio, firmamenta Patrum, frustra in olidi, biantisque sui erroris stabilimen, adferunt. Aut enim loquuntur Patres de visione Dei per vires naturæ creatæ, quo pacto ea haberi nullo modo potest, supernaturalis enim ea est cuilibet intellectui creato, sicut Apostolus dixit ad Rom. 8. *Gratia Dei, vita æterna*, quasi dixerit, nonnisi per supernaturale Numinis donum habetur vita æterna, quæ est meritorum præmium, & in essentiæ Diuinæ intuitu posita est. Veruntamen, quia Diuus Chrysostomus loqui videtur de Angelis, prout nunc reipsa vident Deum, quibuscunque tandem viribus videant, quod est caput eorum, quæ ex illis verbis, *Deum nemo vidit vnquam*, colligere videtur! Doctor Angelicus in 4. sententiar. regulam tradit ex Diuo Augustino Epist. 111. his explicandis aptissimam: Primùm quidem, vt sentiamus, neminem vnquam corporeo lumine vidisse, aut visurum esse Deum in suâ essentiâ, quia vt inquit Diuus Cyprianus lib. de Idolorum vanitate, *nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est, neque æstimari sensu maior est: ideò sic tunc dignè æstimamus, quum inæstimabilem dicimus.*

Rom. 8.

Exponuntur Patres.

Secundùm verò, Neminem spirituali mentis oculo visurum Diuinæ substantiæ naturam, quamdiu in hac mortali carne viuit, id quod satis suprà declaratum est. Tertiùm autem, nullum vnquam vidisse, aut aliquando visurum Dei substantiam visione comprehensiuâ, quâ scilicet, solus Deus seipsum cognoscit, solusque suam ipsius substantiam, qualis, quantaque sit, comprehendit. Hoc autem modo Diuum Chrysostomum intelligendum esse censet Diuus Thomas: & ipse Chrysostomus hoc sensu se locutum satis indicauit, Homil. 14. in Ioan. hocce pronuntiato, *Multi Deum cognoscimus, tamen ipsam substantiam, qualis est, solus eius vnigenitus cognoscit, qui certam notionem, visumque & comprehensionem habet, qualem Filium de Patre haberepar est.* Itidem verò explicandi sunt Patres cæteri. Vt Angeli, & Beati totum quidem videant Deum, sed non totaliter, quemadmodum Diuus Augustinus dilucidè explanauit Epist. 112. cap. 9. dicens, *Aliud est enim videre, aliud est totum videndo comprehendere, quandoquidem id videtur quod præsens vtcunque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt: sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspicere autem potes fines annuli tui:* & apud eundem Tomo 9. Auctor libri de cognitione veræ vitæ cap. 31. *Solus ergo Deus habet immortalitatem, quia nullam recipit mutabilitatem. Hic etiam solus est inuisibilis, quia nulli creaturæ ad plenum intelligibilis: nempe Beatorum animæ & Angeli, suo more non nostro, eum semper vident, non per internalia spatiorum, sicut nos corpora videmus, sed intra se & extra se, in omni creaturâ, & extra omnem creaturam eum conspiciunt: nec vllo intellectus intuitu, amplitudinem suæ claritatis excedunt. Et quia non ita pleniter ab ipsis, vt à seipso conspicitur, vel intelligitur, ideò solum inuisibilis dicitur.*

Beati & Angeli vident Deum totum, sed non totaliter.

Alterum autem quod ex eadem particulâ, *Deum nemo vidit vnquam*, deducit Diuus Chrysostomus est, Dei Filium antequam carnis nostræ trabeam indueret, fuisse Angelis inuisibilem, deinde verò post assumptam carnem, visum ab Angelis: *ait enim Paulus de Filio*, inquit Chrysostomus eadem Homil. in Ioan. *qui manifestatus est in carne, manifestatio autem per carnem, non est secundum substantiam, nam quòd ipse inuisibilis sit, non solum hominibus, sed & supernis virtutibus, cùm dixisset Paulus manifestatum est in carne, subdit, visum ab Angelis. Ergo ex quo carnem induit, tum visus est ab Angelis, anteà verò non ita videbatur, cùm ipsis quoque esset inuisibilis substantia.* Sed in eundem modum istud quoque exponendum est, Angelos nempe cœpisse videre Diuinam naturam in assumptâ carne, quia eam carnis naturam possunt Angeli comprehendere.

3. D. Chrysostomi collectio secunda.

Dei Filius ante incarnationem, inuisibilis Angelis.

Denique verò illud quod dicit Origenes Homil. 11. in Numer duplex esse genus Beatorum, vnum superius & perfectius, quod Deum videbit facie ad faciem, hoc est, infinitiuè: inferius alterum, quod solùm hæreditabit terram viuentium, hoc est, solam immortalitatem, sublimitatem, & potentiam: Quis æquo animo sustinebit? Quis ferat quasdam animas cælo receptas, à vitâ æternâ, à Dei visione excludi? Erratum est, hæreticum est, nisi fortè paruulos, quos sola originalis culpa extorres cælo fecit, in ordinem Beatorum, Diuinæ substantiæ adspectu carentium, redigas, quos quidem nonnulli, naturali quadam felicitate donandos, arbitrantur, non verò supernaturali, quæ est visio beatifica, hæreditantium propriè terram viuentium, ad quam paruuli regenerationis lauacro non fuerunt initiati.

Error Origenis, de duplici Beatorum genere.

Certissimum enim, quotquot viuentium regioni adscribentur Beati, oculo cordis visuros essentiam Dei per Filium, qui nobis manifestaturus est Patrem, quia *nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit*

Quid visuri sint Beati.

voluerit Filius reuelare, Matth. 11. Videbunt etiam in Patre, Dei Filium, qui ait Ioan. 14. *Qui diligit me, manifestabo ei meipsum.* Videbunt, & contemplabuntur oculis corporis immortalitate donatis, Sanctissimam Redemptoris sui Humanitatem, atque stigmata, ceu notas quasdam ingentis illius in nos charitatis, & pleno adfectu mentis, pleno cordis haustu, gustabunt, quàm suauis est Dominus. Hoc referent operum supernaturalium præmium, quo maius excogitari non potest, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, absque te, Deus, quod præparasti diligentibus te. Interim tamen ab vno perfectius quàm ab altero, videbitur natura Dei, pro maiori minorivè intellectus cuiusque facultate, non quam ex naturæ proprijs, sed quam ex luminis gloriæ vi, perficientis, confortantis, & in quadam Deiformitate ipsum constituentis, habiturus est ad intuitum internarum rationum, conspicabilis essentiæ Dei.

Matth. 11. Ioan. 14.

Vnus alio plus videbit.

Quare quò mage quispiam, participatâ luminis illius virtute roborabitur, eò cognoscet ampliùs: tantò verò fiet ampliùs particeps, quantò maiori, feruentiori, ampliorique arserit charitate: vbi enim illa intentior fuerit, intentius quoque erit desiderium, quod aptum, paratumque reddit desiderantem, ad desiderati susceptionem. Videbit ergo beatius, qui grandiori amoris igne deflagrauerit, sicut inquit Diuus Thomas, 1. part. quæst. 12. artic. 5. & 6. Implebuntur tamen omnia & singula desiderantium vasa, quia satiabuntur ab vbertate domus Dei, siue qui ampliùs siue qui minùs Deiformes fient, vt per lumen gloriæ vnitam intellectui suo Dei essentiam videant.

4. Videri Deus in hac vitâ vt possit.

Verùm & nos quoque, beatæ huius vitæ, etiam in hac vitâ radium habemus, si Deo coniungimur: vnde Philo Iudæus lib. de migratione Abrahæ, *Hac est visio magni Dei*, inquit, *cùm quis aut illum accedit, aut aduentum eius excipit.* Si etiam ardenti fidei face illustramur, vnde Diuus Bernardus sermone 70. in Cantic. *Credidisse, vidisse est*: quisquis autem credit, colit. Et verò accessisti satis, excepisti satis, coluisti satis, si imitatus fueris; quod non ignoratum abs Senecâ fuit, quando Epistolâ 45. dixit: *Satis illos* (Deos scilicet) *coluit quisquis imitatus est.* Porrò imitaberis, si legitimi illius Imperij auctoritatem non violaueris, si totius bonitatis fontem qui in te est libidinis sordibus non perturbaueris, siue pulmonis marini, quod aiunt, vitam non vixeris, hoc est si ebrietati & abdomini addictus non fueris, promptus solum farcire corpus, ingenij viribus nusquam vtens, quales illi de quibus Synesius Ptolemaidos Episcopus in libro de Regno, βίον ζῶντας θαλαττίου πνεύμονος, *vitam degentes marini pulmonis*, voluptuarij homines, qui in ganeæ, libidinumque vsu summum bonum ponunt, vt habet Paulus Manutius in appendice Adagiorum. Si rationem, quæ in homine, Diuinæ perfectionis, rectitudinisque expressio quædam est, si sceptrum in animâ erectum, non abieceris: Diuinis si te Legibus obtemperantem exhibueris: idipsumque erit videre Deum, donec tempus aderit, in quo ex hominibus Angeli fient, qui in spiritu mentis, Diuinitatis conspicabuntur essentiam, quod futurum ostenditur Diuo Clemente lib. 3. Recognitionum, interprete; hoc veritatis pronuntiato iucundissimo; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Mundentur itaque corda passionum inquinata sordibus, & ad conspectum coaptentur beatum. An verò corporis morbis medebimur, morbis autem animi ad putredinem & interitum vsque ingrauescentibus, non medicabimur? Siccine (vt Horatiano vtar,)

Matth. 5.

Morbi animi citò curandi.

Quæ lædunt oculos festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus, in annum?

Cordi igitur nostro se offert Deus, inquit Diuus Cyprianus, in Præfatione, siue de Operibus Cardinalibus, *& aliquid sui luminis infundit inuitans & prouocans; Nisi enim aliquo modo sentiretur, nec appetendi, nec inquirendi spes esset aliqua, vel facultas. Sed quia ex parte sentitur, admirationi est odor ille & sapor, nullam habens cum carnalibus dulcedinibus similitudinem, & per omnia suauitate differens; eoque desideratur copiosius, quò cætera delectamenta excedit. Desiderium autem inquirentes purificat, & purificatio exclusis enormitatibus ad formam Dei prouehit ascendentes: atque ita in opere suo imago & similitudo Dei, multis laboriosisque processibus, propriam sibi demum indicat dignitatem.* Quapropter ad oblatam lucem, exeamus è tenebris, illum spectaturi, qui vita nostra est.

Vt sentiatur Deus.

Animo Dei desiderans purificatur.

CAPVT XXI.

De ineffabilitate Dei.

Ineffabilis Deus, propriè nominari non potest.

QVòd nomina ad rerum incognitarum notificationem inuenta sint, Deus autem sit summè notus (neque enim vnquam ignotus esse debuit, inquit Tertullianus lib. 3. aduersus Marcionem, sed ab ipsis mundi primordijs, cum ipsis statim rebus, in hominum deuenit cognitionem, quod amplissimè testatur ipsum quod sumus, & in quo sumus, mundus nempe vniuersus) Deus, inquam, nomen non habet, neque indiget nomine, id quod prosequitur Iustinus Martyr in Apologiâ, in hæc verba. *Nomen autem omnium rerum parenti cuius generatio non est, nullum est impositum. Quocunque enim appelletur nomine, antiquius habet nomen, eo quod impositum est. Hæc verò, Pater, Deus, Conditor, Dominus, non sunt nomina, sed ex beneficijs & operibus appellationes.* Cuiusmodi sunt & illæ, quas Saluianus lib. 1. de Prouidentiâ commemorat, *num Deus non est & inspector, & inuitator*, inquit, *& ductor & sollicitus, & sponsor, & protector, & munerator, & probator, & sublimator, & vltor & Iudex? Inspector quippe est, dum ex omnibus vnum elegit, quem meliorem vidit*, (nempe Abrahamum, de quo ibi.) *Inuitator dum vocat; ductor dum ad ignota perducit; sollicitus dum ad ilicem visitat; sponsor dum futura promittit; protector quia inter Gentes Barbaras protexit; munerator, quia locupletauit: probator quia tentari asperis voluit: sublimator, quia potentiorem omnibus fecit: vltor, quia eum de aduersarijs vltus est: Iudex, quia dum vlciscitur iudicauit.* Et hæc quidem ex nostro, sunt Deo attributa nomina, non ipsum Dei nomen: prosequitur Iustinus, *Illius autem Filius, qui solus propriè Filius dicitur Verbum, quod ante orbem conditum, & vnà cum eo erat, & natum erat tantùm, cùm per ipsum principio omnia creauit atque ornauit. Christus quidem ex eo dicitur,*

1. Deus est summè notus.

Nec habet nomen.

quòd

Verbum cur dicatur Christus.

quòd Deus per eum & iunxit, & ornauit omnia; quod etiam nomen ignotam habet significationem: quemadmodum Dei quoque appellatio, non est nomen, sed de re quæ exprimi non potest, insita hominum naturæ opinio. Vide quoque illum in Oratione Parænetica ad Gentes.

2. Vt nomen Deus habeat.

Habuit nihilominus nomen Deus, in quo eum & laudaremus & inuocaremus, inquit, felicissimi vir ingenij Abulensis Deuteron. cap. 5. quæst. 4. Hinc est quòd Patriarchæ Iacob, non latentis, sed apparentis sibi Dei, nomen requirenti, dictum sit Genes. cap. 32. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile!* ita porrò mirabile, vt in cor hominis non ascendat, & in linguam ascenderet? ineffabile est, & vt D. Prosper Aquitanicus in Sententijs, *Veriùs cogitatur, quàm dicitur, & veriùs est quàm cogitatur.* Id quod etiam Gentes de suis Numinibus intellexerunt, vt propterea incongruo nomine Deos compellare formidarent; ita enim Petrus Victorius variarum lectionum lib. 12. cap. 2. Qui in vetere cultu Deorum, Deos inuocabant, inquit, nominibusque ipsos appellabant, timentes ne apud eos offenderent, si fortè non suo, nec grato illis nomine vocassent, sæpè veniam errati sui petebant, totosque se ad eorum voluntatem referebant, in arbitrio ipsorum ponentes, vtè multis id nomen adsciscerent, quo magis delectarentur, suæque inscitiæ ignoscerent: ita fecit accuratè Catullus, ritumque hunc custodiuit in hymno ad Dianam, cùm enim pluribus nominibus Deam hanc ipsam vocasset, ad extremum inquit, *Quocunque sibi placet, Sancta nomine.*

Gen. 32.

Deorum nomen nullum certum.

Nomen quid sit?

Quia enim nomen dicitur terminus, quod essentiam vel personam rei nominatæ, terminare videatur: Quod nomen erit ignotæ nobis, & incomprehensibilis substantiæ Dei, quod interminatam eius naturam certis limitibus definiet? Circumscriptum est quidquid nominatur, ideoque innominabilis & ineffabilis Deus, quia principium sine principio, finis sine fine: quod quid sit, nec concipi nec æstimari potest.

Nomine ergo carebit is, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt? Omninò quidem: antecedit quippe omnem creati intellectus conceptionem, & ipsam superexcedit ineffabilitatem, sortitus nomen super omne nomen, quod nemo nouit, & quod Cherubim ipsi ignorantes admirantur. Solus enim ipse se nominat, quoniam solus ipse se comprehendit. Neque nomen illud quo se nominat, vlla creaturarum nominare potest, quia quidquid nominauerit, creato vocis sono, & animi conceptus sui sono nominabit, quod increato Verbo nominandum est, vt nominari possit. Adeò verum illud, ô veritas omnium Deus! *Nemo nouit Patrem nisi Filius, neque Filium quis nouit nisi Pater.* Te igitur ineffabilem prædicemus, ô Deus, & tamen quum te ineffabilem dicimus, aliquid de te dicimus, non tamen id quod es, sed id quod non es, dicimus. Solue cordis & oris vincula omnis naturæ, vt te laudet innominabilem, & in nomine tuo, quo te nominas, inuocet admirabilem vocis & cordis sono, quo non nominaris, quid, & quantus es; sed quo, in te, de te gaudens factura tua, quantùm potest, tantùm audeat laudare te, qui maior es omni laude, quem nec laudare quisquam sufficit.

Deus solus se nominat.

Matth. 11.

3.

Vnus enim & ineffabilis Deus, qui, vt Macrobius inquit, vices temporum nesciens in vno quod semper adest, consistit æuo, & rerum omnium principium nominatur; qui apud Isaiam ait, *Ego sum Deus, ante me non est formatus Deus, & post me non erit:* cuius nulla est origo, inquit Cicero 1. Tusculan. inuisibilis, incomprehensibilis, mente adorandus & cognoscendus est, non autem secundum vocis finitæ sonum. Nam quid voce clarius? inquit Lactantius Firmian. lib. 7. Institut. cap. 1. aut quid vento fortius? aut odore violentius? hæc tamen quum per aërem feruntur, ad sensusque nostros veniunt, & eos potentiâ suâ impellunt, non cernuntur acie luminum, sed alijs corporis partibus sentiuntur: Similiter Deus, non aspectu nobis, aliòve fragili sensu comprehendendus est, sed mentis oculis intuendus, cùm opera eius præclara & admiranda videamus: ita ille.

Isa. 43.

Deus ineffabilis, sensu capi non potest.

Dispice nunc vniuersa, inquire singula, nihilque reperies in tam vasto rerum ordine, quo Deum nominare possis. *Terram cogitas*, ait Diuus Augustinus in Psal. 85. *non est hoc Deus: mare cogitas, non est hoc Deus: omnia quæ sunt in terrâ, homines & animalia, non est hoc Deus; omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aërem, non est hoc Deus: Angelos cogitas, Virtutes, Potestates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes, non est hoc Deus. Et quid hoc est? Solùm potui dicere quid non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?* Huc respicit etiam illud Diui Dionysij Cælestis Hierarch cap. 1. Impossibile est aliter nobis lucere Diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum (hoc est, Scripturarum) occultatum: quo dicto, significatum voluit, nusquam in sacris Codicibus, nomen aliquod reperiri, quo clarè & distinctè manifestetur natura Dei: est enim ipsa inenarrabilis, vnde Apostolus 2. Corinth. 13. *Ex parte cognoscimus:* in quæ verba Diuus Chrysostomus Homil. de incomprehensibili Dei naturâ: *Deum igitur ipsum ex parte cognoscit, non tamen ita ex parte, vt partem substantiæ nouerit, & partem ignoret, cùm Deus natura simplicissima sit: sed quòd Deum sapientem esse certò scit, quantum sapientiâ valeat, nescit: Magnum esse minimè ignorat, sed quemadmodum, & quæ sit eius magnitudo, intelligere non valet. Vbique Deum adesse exploratum habet, sed quemadmodum, nescit: An prouideat, contineat, regat, gubernet summâ cum diligentiâ omnia, non dubitat, sed modum quo hæc agat, ignorat. Hac de caussâ ex parte cognoscimus, &c.* quæ prosequitur in hanc sententiam, docens, etiam Angelis inenarrabilem esse Dei naturam.

Nominari non potest.

2. Cor. 13.

4. Innominabilem esse Deum Philosophi intellexerunt. Plato. Trismegistus.

Indictum quoque & innominabilem Deum, Plato existimauit: & in eandem sententiam Trismegistus quoque apud Galatinum lib. 2. de arcanis Catholicæ veritatis capite 10. inquit ἐστὶ γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος, *est enim qui est, absque nomine;* & rursus de huius nominis ineffabilitate inquit, οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι, *cuius nomen non potest humano ore effari.* Addit porrò Galatinus, quod neque Cacodæmon id tacere potuit, Apollo namque Delphicus quærenti cuidam, quid Deus esset? ita inter cætera, οὗ τὸ ὄνομα μηδὲ χωρούμενον, *cuius nomen ne verbo capiendum.* Quià enim rerum vniuersitas est Deus, inquit Trismegistus, & recitat Cælius Rodiginus lib. 1. variar. lect. cap. 2. proprium eius esse nomen, haud vllum potest, quoniam aut omni nomine Deum, aut omnia eius nuncupari nomine, foret necessum, quando is simplicitate suâ, rerum omnium complicat vniuersitatem. Cuius

Deus est rerum vniuersitas.

Cuius quoque Trismegisti sunt hæc ad Tatium filium: *Deum cogitare animo difficile est, eloqui, impossibile. Res enim incorporea non potest corpore significari, & quod æternum est, cum temporaneo ægrè coniungitur. Hoc enim præterit, illud semper existis: Item hoc per imaginationem adumbratur, illud reuera est. Imbecillius autem à fortiore, & inferius à præstantiore tantum distat, quantum à Diuino mortale. At medium inter ista internallum, pulchritudinis spectaculum obscurat. Etenim quæ oculis & alijs sensibus vsurpari possunt, vt corpora visibilia (& eorum accidentia) eadem linguâ & sermone enuntiare possumus. Quod autem incorporeum, inconspicuum, & sine omni figura est, neque materiâ constat, à sensibus nostris percipi non potest. Intelligo, ô Tati, intelligo, rem ineffabilem Deum esse.*

5. *Vnus Deus nomine non secernitur. Attalus martyr. D. Thomas Apost.*

Hoc ipsum explicauit insignis Christi Martyr Attalus, apud Eusebium Ecclesiasticæ historiæ lib. 5. cap. 3. quum tyranno per contemptum interroganti, quod nomen Deus haberet? respondit, *qui plures sunt, nominibus discernuntur, qui autem vnus est, non indiget nomine.* In eandem recurrit lineam quod Diuus Thomas Apostolus Mesdeo Regi quærenti, quis esset Dominus eius, quodve illi nomen? reposuit, apud Abdiam Babylonium Apostolicæ Historiæ lib. 9. *Meus Dominus, Deus est tuus, Dominus cæli & terræ. Huius tu nomen audire non potes: sed id quod datum est in hoc sæculo, est Iesus Christus.* Trismegistus parem in modum apud Lactantium lib. 1. Institutionum capite 6. ne quisquam Dei nomen requireret ἀνώνυμον esse dixit, eò quòd nominis proprietate non egeat, ob ipsam scilicet vnitatem. quod non est à Galatino obseruatum. Termaximi verba sunt, ὁ δὲ θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς, ὀνόματος οὐ προσδέεται, ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος: *Deus autem vnus, vnus autem nomine non eget, est enim qui est, sine nomine.* Et addit Lactantius, *Deo igitur nomen non est, quia solus est, nec opus est proprio vocabulo, nisi quum discrimen exigit multitudo, vt vnamquamque personam suâ notâ, & appellatione designes. Deo autem, quia semper vnus est, proprium nomen est Deus.* Eadem quoque de caussâ, prænomen non habet, cùm prænomina, cùm personarum, tùm familiarum distinctioni deseruiant. Est enim vnica, simplicissima, atque incomparabilis Dei substantia, atque incomprehensibilis Triadis consistens familia, quæ nec verborum, passionem actionemve significantium, appellationi subiacet; vtpote quæ ab omni temporum differentiâ immunis sit, & modorum: nomine carens, atque cognomine, cùm nomen certam nominati cognitionem ingerat. Quare Dominus, vt sese plenissimè Moisis intima cognoscere significaret, Exod. 33. inquit, *Teipsum noui ex nomine.* Indicauit Isaias cap. 49. *De ventre matris meæ recordatus est nominis mei*, ac si dicat, nouit ipse me, vias & decursus viarum mearum, introitum & exitum meum comprehendit, sicut aduertit Iudas Cerclier in Antidæmone cap. 4. Hinc etiam Deos à Pelasgis nullis cultos cognominibus, quando ea nedum auditu nossent, autor Hesiodus.

Exod. 33. Isa. 49.

Capitis 21. §. 1.

Sicut nec nominari, ita nec statuis exprimi potest Deus.

1. *Similitudo Dei dari nulla potest.*

Cognata sunt, rem nomine, & signarijs exprimi. Quemadmodum ergo nullo nomine effabilis Deus, ita neque signario vllo designari potest. Neque istud à veteribus ignoratum, quandoquidem ob id etiam à Sapientibus receptum ferè, inquit Cæl. Rodigin. lib. 22. Lect. antiquar. cap. 1. Principi summo illi, ac ineffabili prorsum, nulla surrigi simulacra debere, sicut Dijs alijs constituisse veteres, compertum est, quando, vt scienter Plotinus inquit, neque cognitionem, neque intelligentiam illius habemus. Quare qui diuinius quidpiam de suis Numinibus, quàm de mortalium seminio satis, cogitarunt, aut nulla prorsus delubra, nullaque simulacra, quibus aut continerentur, aut repræsentarentur, erigi voluerunt: aut qui fana Dijs decreuere, hypæthra illa, & sine aris, Deorumvè imagine exædificarunt; nonnulli autem aras solùm dedicarunt.

Templa hypæthra.

Delubra Dijs cur non ædificanda.

Et vt à priorum instituto exordiar, Plutarchus in Commentario de Stoicorum pugnis, sub initium, dogma Zenonis esse tradit, non esse ædes sacras Deorum ædificandas: sacrum enim quod vile sit & profanum, nihil esse: ædificatorum autem opificium, & opificum, nullum est non vile: ad cuius mentem Diogenes Mundum Dei phanum sanctissimum existimasse videtur, ἀπὸ τοῦ φάους, quod lucidum significat, lucidus enim est Deus, & lucidè sese in omni re manifestat, tanquam in templo suo: quanquam nunc, & à fando templum, sit fanum appellatum, vt testatur Varro de ling. Latin. 5. quòd fama consecrando, Pontifices locuti, seu fati, finem fecissent. Templa enim iuris Diuini & sacra sunt, inquit Petrus Gregorius Syntagmatis iuris vniuersi lib. 1. cap. 14. num. 2. quia inibi domus Dei, Exod. 34. Deuter. 7. Et Græcis ἱερὸν, templum dicitur, quasi sacrum, auctor Iulius Pollux lib. 1. Onomasti. cap. 1. idcirco sacræ ædes. Et ναὸς, παρὰ τὸ ναίειν, quia Deus cui est constructum templum, in eo credebatur ναίειν habitare. Vnde Hesychius & rectè ναὸς, οἶκος, ἢ θεὸς προσκυνεῖται, quare ἱεροὶ δόμοι, & ἁγνοὶ δόμοι passim apud veteres Poëtas, θεῶν οἶκοι passim apud Herodot. vocabantur & Græcis templa κυριακά, quasi dicas domos Domini, id est Dei, vnde non illepidè ab Historico dictum, quia nocte natus fuisset Alexander, eadem, Dianæ Ephesinæ Templum deflagrauisse, quòd Diana, cùm in partu Olympiadis adesse voluisset, absuisset domo. Vnde & basilicæ quoque, id est, Principis domus. can. omnes basilicæ. 16. q. 7. can. omnes basilicæ de consecratio. dist. 1. Dicta quoque templa, delubra, sacella, bidentalia, de quibus, Lilius Gregor. Gyraldus, de Idolis Gentium syntagmate 17. item & tabernacula can. in veteri. 77. dist. In Diogenis sententiam euntes Bithyni, montium cacumina, adoraturi conscendebant teste Alex. ab Alexandro lib. 2. cap. 22. & sine templis Iouem Pappam salutabant. Persarum meminit Herodotus lib. 1. qui nec statuas, nec templa, nec aras extruebant, neque enim Deos ex hominibus originem duxisse apud illos creditum est, sicut apud Græcos, proptereaque nullam Dei imaginem fingi posse existimarunt. quare edita montium transcendentes, Ioui immolabant: cumque Solem potissimùm venerarentur, inquit ab Alexandro, ibid. mundum vniuersum, templum illius esse ferebant. Propterea Xerxes, omnia quidem templa in Græciâ combussisse traditur, suadentibus hoc Magis, inquit Petrus Crinitus, lib 14 de honestâ disciplinâ cap. 12. quòd impium ac nefarium foret, Deos ipsos parietibus includere.

Mundus templum est Dei.

Fanum, vnde dictum.

Dianæ absente, templum eius incendio deletum est.

Adoraturi montes qui conscendit.

Deus sine templis, simulacris, arisque colitur.

Mundus totus templũ est Dei. Templa combusta.

2. *Scythismus, pro verâ ratius Dei religione.*

Scythæ quoque, nulli Deorum simulacra, non aras, non delubra erigebant: quod inde natum arbitror, quia cùm Scythica Gens vete-

rum

rum Scriptorum testimonio, omnium antiquissima extiterit (quidquid ferant alij, Scythiæ appellationem, ad Scythen Herculis Filium, quem dum Geryonis vaccas in antro quodam requirit, ex virgine, quæ pube tenus fœmina erat, infernè serpens, susceperat, quivè eius Regionis Regnum occuparat, referentes, vt auctor est Herodotus lib. 4.) atque à Noacho in vnius & solius veri Dei cultu instituta, primas colonias duxerit, religionem, quam à maioribus acceperat, conseruauit: vnde Epiphanius, lib. 1. aduersus hæreses, adnotante Middendorpio Academiarum lib. 3. eam generationem, quæ à diluuio vsque ad turris Babylonicæ confusionem, sine vlla hæresi in vnâ religione permansit, *Scythismum* appellat. Quare, quod Herodotus lib. illo 4. tradit, Scythas Marti simulacra erexisse, ex negligentiâ cultus Diuini, veræque Religionis neglectu paulatim inuadente, factum reor vt in idolomaniam sensim laberentur: nisi fortè ab eo, quod in turris Babel erectione, expugnati sint diuinitùs Assyrij, Deo bellatori, ad facti memoriam, aras, & signaria erexerint, cuius cùm nomen ignoraretur placuerit postea à Gentibus mutuare, & Martem indigitare. Sed & Scythas Papæum sine templis salutare, Auctor ab Alexandro.

Mars vnde cœperit coli.

3. Templa sine statuis.

Quibus verò placuium fana Dijs, sacraque tuguria surrigere, simulacrum nullum corporeum dicabant, perinde atque nefas esset, deterioribus meliora assimilare, neque aliter atque intelligentiâ Deus percipi posset. Propter eandem Numinis augustissimam Majestatem, Zeno Criticus apud Theodoretum, vetuit Dei imagines templis inferri, quòd existimaret tanta dignas magnitudine, efformari non posse: namque vt ait Lucius Apuleius de Deo Socratis, summus Deus infinitus est, non solùm loci exclusione, sed etiam naturæ dignitate. Numa similiter Romanos existimare prohibuit, imaginem Dei, aut hominis speciem, aut animalis habere formam. Quare erexerit ille templa Dijs, vt auctor est Dion. Halicarnass. referente Eusebio Cæsariensi, simulacra tamen in his nulla, quòd Deum nulla specie formari, fingive posse crederet: quin etiam lege constituit, ad exemplum Moisis, inquit Crinitus suprà, necubi Dijs imago vlla tribueretur, factumque ob id, vt per centum sexaginta annos ab V. C. vel, vt habet Plutarchus in Numa, centum & septuaginta ab vrbis primordio, Romani absque Deorum imaginibus constiterint, quod & tradit ab Alexandro lib. 6. cap. 26. & hoc quidem veteri, totius Italiæ religionis instituto. Namque vt Cato, apud Iulium Solinum Polyhistoriæ cap. 8. Italiæ splendidissima origo est, tum tempore, tum origine gentis, cœpit enim aureo sæculo, sub principibus Dijs, Iano, Camese, Saturno, Gente Phœnicâ & Sagâ, quæ post totius terrarum orbis cataclysmum, prima per orbem, colonias misit. Noachum verò his appellatum cognominibus tradit Middendorpius Academiarum lib. 3. titulo, Italia, qui Iaphet, siue Iapetum filium sacris instructum disciplinis, auctâ in multos familiâ, Dei auctoritate misit in Europam, eam illi ex orbe vniuerso assignans portionem: quæ pòst, succedente per incuriam ignorantiâ, & mentiente sibi iniquitate, omnium gentium seruiuit dæmonijs.

Eas in templis inferri prohibitum, cur.

Deus imagine exprimi non posse.

Italiæ origo.

Noë cognomina.

Misit Iaphet filium in Europam.

Idololatriæ ortus.

4. Romæ simulacra quando fuere.

Veruntamen non satis video, quî placere possit, vt nec Crinito cap. 13. placet, Numæ temporibus, nullam Deorum neque fictam, neque pictam extitisse speciem: quando idem Numa Ianum geminum dedicarit, qui pacis, bellique argumento, in vrbe coleretur: vnde nec probari etiam potest, quod alij ferunt, Tarquinium Priscum, vanitate & stultitiâ Græcarum Religionum, Ethruscarumque, domi imbutum, Romanos edocuisse, simulacra Dijs ponere, id quod Tertullianum subsignificare tradit Ludouicus Viues in cap. 31. lib. 4. de Ciuitate Dei D. Augustini, quum inquit. *Age iam, rebus religio profecerit: nam & si à Numâ concepta est curiositas superstitiosa: nondum tamen, aut simulacris, aut templis res Diuina apud Romanos constabat: frugi religio, & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cælo, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor ex illis, & Deus ipse nusquam, nondum enim tunc ingenia Græcorum, atque Thuscorum fingendis simulacris, vrbem inundauerant.*

Sed neque facilè adducar, vt credam, quod Tertullianus hîc, ante Numam templa Deorum nulla Romanis, maximè, si qua vides Tito Liuio, Decadis primæ lib. 1. circa annum 38. ab v. c. vbi Numam, deferente populo ac Patribus, Regnum adeptum, in arcem ab Augure ductum tradit, ac mox præstitis cæremonijs, *Declaratus Rex Numa, de templo descendit.* Arx igitur, & templum anteà Diuis.

Quando templa?

Huic autem stricturæ neruum haud succides, si locum inauguratum, hoc est, addicentibus auibus consecratum, vnde quis quamcunque cæli partem tueri posset commodè, templum appellari obseruaris, (à tuendo enim templum primò dictum est, quocirca cælum quà tuimur, dictum templum naturâ: ab auspicijs in terrâ: à similitudine, sub terrâ, auctore Varrone lib. 6. de Ling. Latinâ) in quâ significatione dixit Liuius lib. 1. *Palatinum Romulus, Remus Auentinum, ad inaugurandum, templa capiunt.* Veluti quoque locus is, in quo Senatus haberi solitus Ciceroni, pro domo suâ, *Curia sedes ac templum publici consilij*: & pro Milone, templum sanctitatis dicitur. Aut etiam cum Abulense in cap. 26 Exod. quæst. 1. ampla, magnificave ædificia, siue Deorum cultui, siue hominum habitationi deseruirent, templa, quasi tecta ampla, ab antiquis vocitata, adnotaris: & quanquam deinceps, domus cultui Diuino dicatæ, quòd ob Numinis honorem angustiores forent, quàm quæ ab hominibus incolerentur, quorum honor sanè Diuino minor, hæreditario iure hoc nomen acceperint, vt templa vocarentur. Romanarum tamen rerum exordijs, templum idem esse quod arx, quæ nullius cultui dicata Numinis. Nam vt hæc ita sint, arx tamen, siue capitolium apud Romanos ante Numam, & in eo templum à Romulo Ioui Feretrio dedicatum, circa annum ab vrbe conditâ tertium: quod quidem ex Liuio sic habe. *Spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo gerens, in Capitolium ascendit* (scilicet Romulus) *ibique ea cùm ad quercum Pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono, designauit templo Iouis fines, cognomenque addidit Deo: Iupiter Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus Rex regia arma fero, templumque ijs regionibus, quas modò animo metatus sum, dedico; sedem opimis spolijs, quæ Regibus, Ducibusque hostium cæsis, me auctorem sequentes posteri ferent. Hæc templi est origo, quod primum omnium Romæ sacratum est.* Hactenus Liuius.

Templum quid, & vnde dictum.

Templum Romulus primus dedicauit Romæ.

5. Templa sine simulacris.

His ita perstrictis, vt ad institutum redeamus: Corinthi ædes Parcarum, Cereris & Proserpinæ, nulla habere simulacra dicuntur, inquit ab Alexandro lib. 5. Genialium dierum cap. 12. Quid priscos Germanos memorem, qui ex cælestium magnitudine, Deos simulacris coërcere, nefas putarunt? quare non alibi quàm in nemoribus Numen colebant, sicut scribit Cornel. Tacitus,

Tacitus, de moribus Germanorum. Erant enim & pro templis consecrata olim nemora, luci potissimũ apud Idololatras, in quibus sacra exculta: sicut meminit Virgilius Æneid. 7.

Templum augustum ingens, centum sublime columnis
Horrendum syluis ac religione parentum.
Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces.
Regibus omen erat: hoc illis curia templum.

Et rursus, aiunt lares, apud eundem Maronem, ibidem:

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Ferè autem eius moris erant omnes idololatræ, inquit Petrus Gregorius Syntagmatis Iuris vniuersi lib. 2. cap. 1. num. 5. vt infinita sint propè Sacræ Scripturæ loca, in quibus Deus aut lucos plantare vetat, aut plantatos, demoliri iubet: Exod. 34. Deut. 7. 12. 16: 3. Reg. 14. 15. 18: 2. Paral. 14. & 17. Iudith. 3. Isa. 17. Michææ 5.

Et Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator æquissimus, multarum quamuis cæremoniarum institutor haberetur, nulla tamen apud eum ficta Deorum imago fuit, inquit ab Alexandro lib. 2. cap. 22. quippe qui hominum aut animantium species Dijs tribui semper vetuerit. Et profectò deridiculum omninò sapientioribus visum, abditam humanis accessibus Numinis naturam aliquo sensibili signario prodere. Quare meritò Philostratus inquit lib. 2. vitæ Apollonij cap. 9. Ægyptios deridere magis quàm venerari Deos videri, apud quos irrationalium animalium, atque infamium potiùs, quàm Deorum imagines colebantur: venerabiliores vtique fore Deos, si eorum nullum extaret simulacrum, sed Theologiæ modo quodam alio, & magis arcano Deorum illis relicturos excogitandas, qui sacrificatum accederent. Quibus exemplis innominatam, incomprehensibilemque Dei naturam significari, liquet.

Dij Ægyptiorum deridiculi.

Ea porrò mente Hypæthra Diuis templa constituta, quale etiamnum Romæ visitur Pantheon, quod nunc Panthagion, ne Diuina virtus, quæ totum infusa per orbem, tecto cohiberi cogitaretur. Itaque in Atticâ Iouis Puluerij templum sine tecto erigebatur, inquit ab Alexandro suprà, Soli itidem, Lunæ, & Dio fidio in aperto mundo templa hypæthra extrui solita: estque à Budæo in annotationibus ad Pandectas confirmatum, vbi ex Vitruuio lib. 1. refert ita constitutum, Ioui, Fulguri & Cælo, & Soli & Lunæ ædificia hypæthra constituentur, horum enim Deorum, & species & effectus in aperto mundo atque lucente, perlucentes videmus. Exemplo etiam esse potest Numa Pompilius, qui cùm termino ædem sacrasset, semper & illam patere, & sine tecto esse voluit, nefas arbitratus, Terminum pacis iustitiæque custodem, sub tecto conspici, auctor Plutarchus in Numa.

Templa hypæthra.

6.
Aræ & sacrificia ante templa.

Aras quoque, solùm rei sacræ Dijs faciendæ, extructas lego. & quidem ante templa, quia & ante, & ex omni tempore, ab initio sæculi fuerunt sacrificia Deo oblata, vt constat ex sacrificijs Abelis & Caini, Genesis 4. & Noachi, qui & altare Domino fecit, gratiarum actionis sacrificium, liberatus à diluuio, facturus. Erant autem aræ & altaria, loca quædam altiora, vbi sacrificabatur, vnde ara dicta est, quod area pura sit, Gen. 8. vel vbi victima ardebat, vel ab imprecationibus, quas Græci ἀρὰς dicunt, vt habet Vario de Linguâ Lat. vt altare, quòd altior locus sit. Tria namque loca erant Ethnicis in sacrificando familiaria, per quæ expiationem facerent, vt scribit Pet. Gregor. suprà num. 6. scrobiculo facto, inferis: aris, terrestribus: cælestibus, exstructis focis, quod & Porphyrius Philosophus tradidit, & aras cælestibus, & terrestribus, & Heroibus focos, antiquos statuisse: & subterraneis, fossas, scrobesve, & quæ à Græcis dicuntur μέγαρα: mundo & Nymphis, cæterisque huiusmodi, antra dicasse. Carmeli Dei meminit Cornelius Tacitus Histor. lib. 2. cap. 78. cui nec simulacrum nec fanum, sed ara tantùm & cultus in Carmelo monte, in quo Vespasianus sacrificasse fertur. *Est Iudæam inter Syriamque*, inquit, *Carmelus, ita vocant montem Deumque; nec simulacrum Deo, aut templum (sic tradidere Maiores) aram tantùm & reuerentiam.* Parissimum illud, quòd de Herculis fano ad Gades, tradit Silius Italicus lib. 3.

Gen. 4. & 8

Ara, vnde dicta. Altare, vnde dictum.

Carmelus Deus, sine simulacro & templo.

Sed nulla effigies, simulacraque nota Deorum.
Maiestate locum, & sacro implenere timore.

Tradit & Philostratus lib. 5. vitæ Apollonij cap. 1. ἀγάλματα δὲ αὐτοῖς, οὐκ εἶναι. βωμοὺς δέ, τοῦ μὲν αἰγυπτίου, δύο, χαλκοῦς, καὶ ἀσήμους· ἕνα δὲ τοῦ θηβαίου, *Simulacra autem illis* (Gadibus videlicet) *nulla sunt: sed Ægyptio quidē aræ sunt duæ æneæ, absque simulacro: Thebano autem vna tantùm.* Atque ista quidem primùm, institutio gentium fuit, quâ nullis descriptam finibus diuinitatem venerari se profitebantur; mox autem, vt Deorum, Dearúmve figmentis aboleri cœpta, iam suum cuiusque gentis Numen, & Nomini definita diuinitas, constructi luci, erecta, delubra, templa, fana, basilicæ, & in illis aræ, ad idolorum, simulacrorumque cultum, quibus inhabitantium dæmonum oracula, responsaque, religionem & venerationem fecere, errore mentis, hominibus, inanitatem pro diuinitate, amplexantibus.

Simulacra, & templa, cur erecta à gentibus.

Capitis 21. §. 2.

Templa Deo & Sanctis Catholico ritu, meritò dedicantur.

1.
Cælum, Dei templum, & tectum.

Veruntamen, ita iudicarint ex Gentibus quidam, cærula illa testudinis vniuersi, summo rerum parenti Deo, & templi, & tecti vice haberi, operis verò humani fabricam minus quidpiam esse, quàm vt tanti Principis receptui deseruiat, quasi decretis basilicis coërceretur Numinis amplitudo. Aliorsum vergit illarum institutio, quàm vt cogitetur interminata maiestas, ædium sacrarum parietibus definiri. Quia enim rationalem naturam ad hoc erexit Deus, vt locupletissimo rerum oculis substratarum testimonio adducta, opificem earum, cuius tam liberali munificentiâ ornaretur, agnosceret, veneraretúrque; vniuersis aliter quàm quo spectarent declinantibus, populum à degenere obseruantiâ secreuit, à quo & cultum, & venerationem acciperet, aris, tabernaculo, & templo determinatis, vbi præcipuo ritu & reuerentiâ coleretur. Quare arbitror, aras & prima quæ vspiam extitere templa, Deo vero sacra fuisse; indeque (quòd bonum, deteriora sequantur) Satanam diuini honoris æmulum, in sui quoque cultum, fana sua impetrasse: Genesis namque 14. rex Salem, panem & vinum offerebat Domino, *Erat enim Sacerdos Dei altissimi* Et ante eum, inuocauit publicè Enos nomen Domini. Gen. 4. Pòst verò, in populo Dei, à Moise constructum est tabernaculum, quod etiam templum. & domus Dei, est appellatum. 1. Reg. 1. vbi Elcana & Anna Samuelis mater, ascendisse dicuntur ad templum Domini, & post, *& adduxit eum ad domum Domini in Silo.* Vbi tamen solum Tabernaculum, quod fixerat

Vni Deo primùm, templa & aræ; quæ post sibi æmulus impetrauit dæmon.
Gen. 14. & 4.

1. Reg. 1.
Exod. 26.
1. Reg. 3.

erat Moises in Silo. Exodi 26. rursum autem cap. 3. Regum primi, scriptum est, *Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei.* Consecrauerat autem hoc tabernaculum Moises, adhibitis cæremonijs. ca. 1. de consecrat. dist. 1. Salomon (vt Regum testatur historia) diuino adstrictus imperio, templum Hierosolymis, ipsi Deo sacrum fecit, in quo & sua Numini vota persolueret populus, & sua populo munera distribueret Deus, dignareturque ibi habitare: vtpote in loco in quo eius memoria, cultúsve esset; ideò enim ritibus pluribus adhibitis, & orationibus consecrabatur, vt & propria Dei domus esset ab ipso sanctificanda, & vt ad aliorum sanctificationem, siue ibi orantium, siue ad illud sese in oratione conuertentium, existeret. Ideoque Rabbini, decem olim miracula in Sanctuario Dei facta fuisse adnotarunt lib. qui Pirkabot capitulis Patrum, cap. 5. & ibi Paulus Fagius à Petro Gregorio citatus. Primum, quòd nunquã abortiuit mulier ab odore carnis, quæ in sanctuario immolabatur. 2. Quòd non conspecta sit musca in domo mactationis. 3. Quòd nõ accidit casus nocturnus, siue pollutio Sacerdoti magno, in die expiationis. 4. Non extinxerunt pluuiæ ignem, qui erat in strue lignorum. 5. Non vicit ventus columnam fumi. 6. Non repertum est vllum vitium in Gomer. 7. Nec in duobus panibus, & in panibus facierum. 8. In eo stabant coarctati, & adorabant dilatati. 9. Non læsit vnquam aliquẽ serpens & scorpio in Hierusalem. 10. Nec dixit vnquam socio suo homo, angustior est mihi locus, quàm vt possim pernoctare Hierosolymis. Nec desunt qui ex Caballisticis libris proferant, Leonis imaginem in flammâ ignis sacrificia absumentis, conspectam fuisse. Templum quoque ipsum Leonis speciem, qui pectore, siue anteriore sui parte latior est & torosior, quàm posteriore, referebat: illius enim pars anterior latior fuit, omniumque atriorum latitudo amplior ad ortum, quàm ad occasum, latioraque latera orientalia, quàm occidentalia; quam ob caussam dixere Rabbini, toti operi inditum fuisse nomen, *Ariel*, quòd est, *Leo Deus*, vel *Leo Dei.* Quòd eò loci sese Deus potentissimum, fortissimumque demonstraret: vt populus intelligeret, maximâ fiduciâ, templum orationis caussâ frequentãdum, vnde nimirum ipse Deus, tanquam Leo quidam terribilis, in confertos hostium cuneos, siue illi homines essent, siue dæmones, pro supplicibus, pugnaturus in arenam prodiret, quod disertis verbis ab Isaia traditum est. cap. 31. *Quomodò si rugiat Leo & catulus Leonis super prædam suam, cùm occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: sic descendet Dominus exercituum, vt prælietur super montem Sion, & super collem eius.* Hinc autem colligé quantâ cum spe & fiduciâ, sacræ Deo, Diuisque ædes, orationis gratiâ, modò adeundæ sint, vbi cùm crucifixum caput inclinantem primis obtutibus obuium habueris, in mentem veniat Leo ille victor de tribu Iudâ, qui ad tui defensionem, ad tui susceptionem paratus; qui quò fortiùs in pectus inimici, lanceam adigat, more validi Ducis, nihil aspectu hostis territi, caput inclinat; qui & tuis votis annuit, hymnos & preces tuas suscipit, seseque in animæ tuæ cibum offert, & vt verbo dicam, vnicum sese tuæ salutis refugium præstat, vt ex filio Diaboli, fias filius Dei, audiatis à patre vt filius, & vt filius patrem honores, & viuas de mensâ patris in æterna receptus tabernacula.

3 Reg. 8.

Miracula 10 in sanctuario facta.

2. Leonis imago in sacrificijs visa.

Isa. 31.

Cum spe & fiducia templa adeũda.

Ad hoc quippe etiam nostra templa Catholico ritu dedicantur. Sublato namque sacerdotio veteri, omninò templi Iudaici memoria extincta est, cumque ante Domini in carnem aduentum, dirutum fuerit, ac postea reædificatum: instaurata tamen lege gratiæ, postquam à Tito & Vespasiano demolitum est, atque vastatum, restitui non potuit. Tentauerint licet olim Iudæi, Iuliani Cæsaris apostatæ freti potentiâ, qui in Christianorum contumeliam, templum illud reparandi eis potestatem fecerat: namque cùm ei negotio accincti, sedulò pro se quisque admoliretur operi, repentino primùm terræ motu disiectæ sunt operæ, euulsa quæ iacta fuerant fundamenta, complures oppressi ruina. Ac rursum, cùm pertinaciter vrgerent opus, ignis è cælo sursum, atque è fundamentis deorsum simul emissus, instrumenta, atque ædificia exussit, omniumque Iudæorum vestimenta, signo crucis indelebili signata apparuere; atque alia visa prodigia, de quibus Nicephorus Calist. lib. 10. Histor. Ecclesiasticæ. c. 32. & 33. D. Chrysost. hom. 4. in 1. cap. Matth. Theodor. lib. 6. histor. cap. 43. qui ait, id contigisse anno Domini 363. Voluit enim Deus nullum extare lapidem super lapidem Hierosolymis, vt Synagogam in quâ priùs habitabat, sese prorsus deseruisse significaret; atque vmbram, cedere veritati; adumbrabat quippe templum illud vnicum Iudæorum, Ecclesiæ vnitatem, quæ in Christo futura erat: quæ iam per vniuersum orbem diffusa, plurima loca sacra habet, ad sacrorum mysteriorum dispensationem instituta.

Christianorum cur decidentur.

Crucis signũ in Iudæorũ vestimentis.

Templum Salomonis Ecclesiæ vnitatem significabat.

Quapropter, quemadmodum Salomon Templum ædificauit, consecrauit, vt dignus fieret locus, in quo orantes, & sacrificantes exaudirentur: parissimè, qui Christiani nominis assertores veri, templa, sacella, splendidaque ædificia, diuino inprimis cultui, diuorumque memoriæ sacrant, dicantque, ex vsu & more Ecclesiæ, iam ab Apostolorum temporibus ad nos deriuato, & maximè veterum Patrum auctoritate, roborati. Epiphanij, Cyrilli, Nazianzeni, Basilij, Athanasij, Damasceni, Ambrosij, Augustini, Gregorij, Leonis, aliorumque quos refert Durandus lib. 1. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ cap. 1. & 2. Diuino itaque Numini illa surriguntur propriè, dicanturque, in quibus & victimæ vitæ auctori immolentur, & sacrificia conciliatoria offerantur, quæ nemo Christianus, Diuis offerri, censuit vnquam; licet eorum, Martyrumque Sanctorum memorias, in illis ipsis, ad quorum etiam honorem consecrata legitimè, dedicataque sint, ritè celebrari quilibet crediderit. In quam sententiam, ita D. Augustinus, lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 27. *Etiam templa Sanctis Martyribus extruuntur & dedicantur, nec tamen nos eisdem Martyribus templa, Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia constituimus, quoniam non ipsi; sed eorum Deus, nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam Sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum, pro veritate certarunt, vt innotesceret vera religio; falsis religionibus fictisque conuictis:* & post pauca. *Quæcunque ergo adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum, tanquam Deorum.* Etiam tamen quæ diuino Numini dicatæ basilicæ, Sanctorum Martyrum, aliorumque Diuorum insigniæ sunt nominibus, quòd vel eorum sacras reliquias, vel imagines, aliáve monumenta, siue etiam quidpiam aliud, quod ipsos spectet, contineant: ita vt, quæ sacrificijs Deo offerendis dicatæ sunt, Sanctis sint tanquam ædes magnificæ & amplæ, ijs honorificè asseruandis, quæ ad ipsos aliquã ratione perti-

Soli Deo propriè templa dedicantur. eique soli sacrificatur.

Cur nomina Sanctorum templis indita.

3. Templa

pertineant: nobis verò, tanquam sacratiora quædam loca, in quibus eorum memorias perpetuâ celebritate recolamus.

4. Eapropter immeritò religionis sacrosanctæ perduelles Hæretici, Orthodoxos suis flagellant accusationibus, & calumnijs, quòd templa Sãctorum honore ædificent, atque inaugurata eorundem appellent nominibus; quandoquidem in illis illibata signantes mysteria, eorum preces ad Deum, & patrocinia imploremus, vt eorum exemplo & imitatione, sicut ait Azorius Institutionum moralium lib. 10. cap. 7. ad bonam vitæ frugem excitemur. Quando etiam Diuorum quædam templa, non tam constituta humanitùs, quàm decreta diuinitùs, memorias temporum altiùs repetenti, sit manifestum, vt Niueam Deiparæ Virginis ædem in Esquilijs Romæ, prætercam, nec non Archãgeli Michaëlis, cæterorumque Angelorum alteram in monte Gargano, circa annum Domini 536. vt probabiliùs ex Baronio in Martyrologio, 8. Maij asseritur, innumerasque alias, & quas Constantinus Magnus, diuino monitu dedicandas suscepit, & quas Arelatæ vidi, non alterius quàm ipsiusmet Pontificis Christi rediuiui manibus consecratas; veluti Sancti Dionysij Gallorum Apostoli ædem, quam Rober. Gaguin lib. 3. Annal. Francor. & Fulgosius lib. 1. cap. 6. tempore Dagoberti Francorum Regis, ab ipso Christo consecratam ferunt. Episcopis namque ad Diuum Dionysium dedicandæ Ecclesiæ caussâ, à Dagoberto conuocatis, pridie eius diei, quo mysterium erant peracturi, scilicet sexto Calen. Martij; Vir leprâ admodum deformatus, cùm ab æditmis in æde pernoctare impetrasset; ecce oranti, perspicuè visus est Christus, comitantibus Petro & Paulo, Diuisque Martyribus Dionysio, Rustico, & Eleutherio, per fenestram in basilicam aduentare; qui candidâ veste amictus, dedicationis sacrum munus absoluit: iussitque hominem, manè dicere Pontificibus eam à se consecratam Ecclesiam, cuius fidem faceret detersa lepra, atque lapidi proximo adglutinata, qui in diem vsque visitur. Hoc adijciam, dedicationis Ecclesiæ cæremonias diuinitùs esse cõprobatas, in alterâ per D. Petrum templi consecratione. Narrant Beda lib. 2. histor. Anglic. cap. 3. Wilhelmus Malnesbur. lib. 2. de Pontificib. Angl. Baronius tomo 8. anno 610. de templo in memoriam Sancti Petri Londini, à Seberto, siue (vt vult Beda) Saberetho, nepote Regis Ethelberti à S. Augustino conuersi, ædificato: de quo sic Ealredus, grauissimus scriptor rerum gestarum Sancti Eduardi Regis Anglorum, Nocte dedicationem eiusdem præcedenre, piscatori cuidam Thanensis fluuij, qui idem Monasterium præterfluit, vlteriori ripâ, in habitu peregrino, Beatus Petrus apparens, promissâ mercede, transponi se ab eodem, & petijt, & prometuit. Egressus autem de nauiculâ, Ecclesiam piscatore cernente ingreditur: & ecce subitò lux cælestis emicuit, miroque splendore illustrans omnia, noctem conuertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo ciuium supernorum ingredientium, melodiaque cælestis insonuit. Et paulò pòst subiungit. Manè autem facto, Episcopo Mellito ad dedicandam Ecclesiam procedenti, cum pisce piscator occurrit, & omnia quæ sibi mandata fuerant, prodit. Stupet Antistes, reseratisque Ecclesiæ valuis, videt pauimentum, vtriusque alphabeti inscriptione signatum, parietem bisseuis in locis sanctificationis oleo liuitum, totidem cereorum reliquias duodenis crucibus inhærere, & quasi recenti aspersione, adhuc cuncta madescere. Quod videns Episcopus, vnà cum populo Deum benedicebat. Sic ille.

Auctore Deo. templa Sanctorum erecta. D. Virginis ad Niues.

Diui Michaelis, &c.

Cõsecrauit Christus tẽpla Sanctorum. D. Dionysij in Gallia, &c.

Consecrat & D. Petrus.

Consecrationis cæremoniæ à D. Petro obseruatæ.

5. Ex quibus, sat superque manifestum est, sacra ædificia probari Deo, neque illa solùm, sed ipsa etiam saxa & ligna, aliaque huiusmodi ad eorum structuram spectantia, ipsum accepta habere. Tyrij quòd ligna templo ædificando miserint, & gloriam ingentem promeruere, & in Dei familiam adscripti sunt. Psal. 85. *Tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Hinc illud Diui Brunonis de laudibus Ecclesiæ cap. 6. *Gloriosa sunt hæc, quæ & iustis & peccatoribus magnam spem dare possunt, & immensam ferre lætitiam. Vis in Ecclesiâ suscipi? Tyrios imitare, quorum ope & auxilio templum ædificatum est.* Adhortatur vir Dei populum fidelem, vt de suo Dei, Diuorumque templis & sacellis ædificandis contribuat. quod Angelorum Deique oculis continuò obuersetur, & offerentis recordetur Deus: *Iustum est*, inquit Origenes homil. 13. in Exod. *vt in tabernaculo Domini inueniatur vnusquisque habere portionem suam.* quæ & ipsa clamet, & auctorem suum prodat, Ecce me, qui lapis ante fui inglorius atque in tenebris iacens, & asper, huius fidelis munificentiâ, in muri formam, & pauimenti aptauit, in aram polluit, in columnam erexit domus Creatoris mei. Ecce nos, quæ terra aliàs splendidior & lutum, aurum, argentum, æs, ferrum informe, fidelis hic, in sacra vasa, calices, lampades, cruces, candelabra conflauit, formauit, ad vsum templi Creatoris nostri. Ecce nos quæ ligna olim indecora, nos quæ lana aspera, quæ linum, quæ bombycum operæ, sine vlla specie, sinè vllo colore, fidelis hic, in tabulas, in statuas & imagines sacras, in sedilia; nos in cortinas, cæteraque ornamenta domus Creatoris nostri adornauit. Et Creator ipse, modo singulari, domum suam præsentiæ suæ maiestate implens, has creaturarum suarum voces audit delectabiliter, & in se beneficos remunerat largiter. Gen. 28. respexit Dominus lapidem quem obtulerat Iacob, erigens eum in titulum, eumque in thesauris suis repositum habuit, proptereaque ipsum multis locupletatum, in terram suam securum redire iubet. Gen. 31. adhuc ob oculos habens illum lapidem. *Ego sum Deus Bethel*, inquit, *vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi; nunc ergo surge, & egredere de terrâ hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ.*

Collata ad templorum structuram probat Deus.

Psal. 85.

Gen. 28.

Gen. 31.

Pudeat ergo Manichæos qui templa & altaria exosi, improperabant Catholicis, quòd more gentium vel Iudæorum ista haberent, teste D. August. lib. 20. contra Faustum cap. 3. & 4. Pudeat Messalianos, qui in domibus suis solùm orationes ad Deum fundendas esse volebant, templa omnia & altaria execrantes, vt refert Damascenus lib. de centum hæresibus; pudeat & Eustathium, qui templa omnia, & præcipuè Martyrum detestatus, conuenticula in priuatis ædibus solùm admittebat, teste Socrate lib. 2. historiæ cap. 33. Rumpantur Petrobrusiani templorum euersores, & nouarum templi fabricarum irrisores; de quibus Cluniacensis in epist. contra Petrobrusianos, quos secuti Albigenses, apud Bernardum Lutzemburgensem in Catalogo; Waldenses, apud Claudium Coussordium lib. contra Waldenses cap. 6. & 22. Gaboritæ apud Æneam Syluium de origine Boëmorum cap. 35. & alij. Rumpantur Nabuchodonosor, Antiochus, Pompeius. Cassius, Titus, qui odio gentis Iudaicæ, templum Salomonis vel incenderunt, vel profanarunt. Rumpatur Diocletianus, qui odio religionis Christianæ, templa omnia

Templa & aras hæretici execrantur.

omnia Christianorum, solo æquari iussit, apud Eusebium lib. 8. histor. cap. 2. quod & facere voluit Iulianus Augustus, apud D. Hieronymũ, epistolâ ad Riparium.

6. Templa hæreticorum quos vsus ... Horreant & insectentur ipsi se, personatæ religionis, atque omnis veræ pietatis exortes Hæretici, qui templa quidem admittunt, ad concionem quidem & sacramenta ministranda, non autem ad orationem & Dei, Diuorumque cultum, & ornatum, quique cùm ea Diuis, ritu à maioribus accepta cõstitui nolint, tartari faucibus sua fana deuota habent, in quibus nõ iam veri Dei sacra, sed ipsius planè Cereris Deæ vel Bacchi, aut cuiusuis alterius falsorum Numinum, velint nolint, perficiunt, farreum quiddam libantes, siue panis profani frustula, ad quæ pertractanda & deuoranda, tanquam si ad horreum Domini, conueniunt paleæ hominum æterno igni asseruatæ, nisi in frumentum Christi, ad Ecclesiæ vnitatem redeuntes, conuertantur. Neque verò quidquam ampliùs sanctificationis habet panis ille cœnaticus, quàm quod ab homine, & interim, non minori cultu, deuotione & reuerentiá sumitur, quàm à Peruanis olim panes paruuli, quos mysterijs Solis initiati *Rayme*, & *Coparayme*, hoc est Decembris (qui primus illis anni mensis) & Septembris mensium solemnitatibus, singulatim distribuebant, quibus reuerenter acceptis, tanquam confœderati ac Soli vniti, sese illius famulatui perpetuò addicebant vniuersi: aut à Mexicanis sacratioribus Numinis sui *Vitzilipuchtli* (id est, rerum potentis) ferijs, massæ ex similagine & melle, ad idoli quod venerabâtur similitudinem efformatæ & compositæ, tandemque frustulatim à Mystis discerptæ, boli quidam, communicantium more, suscipiebantur, & quidem tanto deuotionis adfectu, vt etiam effusiores lacrymæ, ex oculis suscipientium manarent, arbitrantium se indignos, qui carnibus & ossibus Dei sui vescerentur, quæ sub idolothyti huius frustulis, sub istâ selamide subesse putabant: interea quò quadringenti eorum, quingentivè interdum idolo immolati, horrendo occumberent sacrificio, succederetque è senioribus honoratior doctiorvè, qui de pulpito quidpiam ad concionem proloqueretur. Quod si modò apud eam gentem hæc sunt extincta sacra, innouauit sub alio ritu apud Hæreticos, dæmon. Ita, eheu! animas vestras itis perditum, nisi delubra vestra, & sacrilegas vestras dapes, valere iusseritis, & pactum illud, quod in conciliabula Synagogæ vestræ admissi, cum inferno pepigistis; æquis nimirum vos, quidquid Romanæ Ecclesiæ est, fuerit, vè, oppugnaturos viribus, irritum feceritis.

Cœna hæreticorum profana.

Qualis Peruanorum ...

... Mexicanorum.

Deuotio Mexicanorũ ... suâ communione.

... amenitas.

Hæreticorũ confessio.

7. Templorum limina, in ... & reuerentiâ ... Ad Sanctorum Martyrum templa redeo. Veteri præterea ex ritu quo vncta, etiam coronata & adorata apud Gentes, templorum limina, constat ex Tibullo Eleg. 2.

> *Non ego, si merui dubitem procumbere templis,*
> *Et dare sacratis, oscula, liminibus.*
> *Non ego tellurem pedibus perrepere supplex,*
> *Et miserum, Sancto tundere poste, caput.*

Oscula iisdem data.

Et ex Ouidio 1. Metamorphos.

> *Vt templi tetigit limen, procumbit vterque*
> *Pronus humi, gelidoque pauens dedit oscula saxo.*

Ex Arnobio quoque lib. 1. contra gentes, in hæc verba, *Cùm Deorum ante ora prostrati, limina ipsa converrerent osculis.* Veterum, inquam, more, quanquam tamen purgatiori, tantus fuit sub Ecclesiæ nascentis exordio, templis Martyrum Domini memoriæ consecratis, habitus honos, vt ipsa etiam limina exoscularentur fideles; testatur D. Chrysostomus homil. 70. in epist. 2. ad Corinth. totidem verbis: *Templi vestibula & aditum osculamur, quum alij alios osculamur. At non cernis quotnam homines, etiam vestibula templi huius exosculantur? Illi quidem flectentes corpus; alij autem in manu tenentes, & ori manum admouentes.* Quod nec tacuit Beatus Paulinus, natali Sancti Felicis,

> *Cernere tunc passim sacrâ purgata medelâ,*
> *Pectora liminibus sterni, iam mente refectis.*

Et ibidem de sertis coronantibus:

> *Spargite flore solum, prætexite limina sertis.*

Et de ornatu:

> *Aurea nunc niueis ornantur limina velis.*

Prudentius quoque de sacris liminibus, quibus oscula

> *Ipsa & Senatus lumina*
> *Quondam Luperci & flamines,*
> *Apostolorum ac Martyrum*
> *Exosculantur limina.*

Neque is honos frustra, sed & subsecuta interdum manifesta Numinis largitio: testatur enim in quadam epistolâ S. Sidonius Apollinaris, se ex visitatione liminum Apostolorum, quæ triumphantia vocari solita, & ad quæ ibatur ante hospitij delectum, ex valetudine conualuisse, & (sicut ipse loquitur) vt affusus illis fuit, sensisse omnem expletum languorem.

Limina Apostolorum ægrum sanant.

Nec prætereundum, laruas vmbratiles, sacris lustrationibus consecrationibusque à templis arceri, pelli, prout veterum monumentis locupletissimè testatum est; dæmonas, sub monstri alicuius, aut belluarum figuris, ad huiusmodi sanctificationes, è delubris, in quibus illis aliàs cultus & reuerentia fugatos. Scribit autem Baronius in Martyrologio. 13. Maij, vsque ad Diui Gregorij Papæ tempora, idolorum templa à Christianis vt plurimum, vel fuisse deiecta, vel si quæ intacta remanserunt, eadem, vt loca dæmonum, indigna existimata esse, in quibus Deo vero, religionis cultus exhiberetur, secundùm illud Apostoli 2. Corinth. 6. *Qui consensus templo Dei cum idolo?* Quare eundem D. Gregorium Anglorum regem nuper ad Christum conuersum monuisse epist. 60. lib. 9. indict. 4. vt idolorum templa euerteret; Inde tamen, quòd infirmis adhuc in fide, aliquid concedendum videretur, Mellito Episcopo epist. 71. lib. 9. indict. 4. præcepisse, ne idolorum templa destruerentur, sed iuxta ritum ibi præscriptum expurgarentur primùm, indeque Sanctorum illatis reliquijs, sanctificarentur: quod & posteris deductum est in exemplum. Theodosium quoque Iuniorem in oriente sanctionem de his ipsis promulgasse, in qua hæc inter alia leguntur: *Cuncta* eorum fana, templa, delubra, si qua etiam nunc restant integra præcepto magistratuum destrui, collocatione que venerandæ Christianæ religionis signi expiari præcipimus, &c. l. vlt. de pagan. Cod. Theod. Cùm verò in demoliendis idolorum delubris, multus esset Romæ præsertim Christianorum ardor atque impetus, eum compescuisse Honorium Imperatorem lege sancitâ, in hunc modum scribentem: Sicut sacrificia prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamẽta seruari, &c. l. 15. de pagan. Cod. Theod. Inde que factum esse, vt inter tot Deorum delubra prostrata Pantheon Romæ seruatum, Bonifacius

Cõsecratione ædium sacrarum fugãtur dæmones.

1. consecrationis ratio.

Templa idolorum diruta.

2. Corinth. 6

Alia expurgata & sanctificata.

Pantheon dedicatus.

quartus qui vix spatio trium annorum post D. Gregorium sedit, in Dei Ecclesiam dedicarit.

8. Siue itaque aut delere, simul & lustrare, aut lustrare solum placuit templa dæmoniorum cultui dicata, horrendas dæmonum visas species, vel auditas voces ad sanctas Christianorum cõsecrationes, testantur historiæ. Habetque inprimis Theodoritus Ecclesiasticæ historiæ lib. 5. cap. 21. atrâ specie dæmonem, qui cùm Marcelli Episcopi iussu subiectum expiationis incendium, à fano suo auerteret, lustralibus tandem lymphis, quas sanctus Pontifex cum fide inspersit, spectantibus omnibus, exterminatum, atque ita vastantibus flammis delubrum eius deflagrasse. Sigibertus autem ad annum Domini 271. narrat, quod Coloniæ celebratâ Synodo ad dedicationem Ecclesiæ à tribus Lotharingiæ Metropolitis, Lintperto Maguntino, Bertulfo Treuerensi, Willeberto Coloniensi, cùm ab eis maior Ecclesia, quæ est Sancti Petri, deberet dedicari, præcedẽti nocte auditas fuisse voces malignorum spirituum inter se dolẽtium, & conquerentium, se à possessis diu sedibus debere expelli. Memoratu sanè dignum est, quod de Arianorum Ecclesiâ scribit D. Gregor. lib. 3. Dialogor. cap. 30. totidem verbis. Arianorum Ecclesia in regione illius vrbis, quæ Subura dicitur: cùm clausa vsque biennium remansisset: placuit vt in fide Catholicâ, introductis illic beati Stephani, & sanctæ Agathæ Martyrum reliquijs, dedicari debuisset: quod factum est. Nam cum magnâ multitudine populi venientes, atque omnipotenti Domino laudes canentes, eandem Ecclesiam ingressi sumus. Cumque in eâ iam Missarum solemnia celebrarent, & præ eiusdem loci angustiâ, populi se turba comprimeret, quidam ex his qui extra sacrarium stabant, porcum subitò intra suos pedes, huc illucque discurrere senserunt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret, idẽ porcus Ecclesiæ ianuas petijt, & omnes, per quos transijt, in admirationem commouit, sed videri à nullo potuit, quamuis sentiri potuisset. Quod idcirco diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia de loco eodem, immundus habitator exiret. Peractâ igitur celebritate Missarum recessimus, sed adhuc nocte eâdem, magnus in eiusdem Ecclesiæ tectis strepitus factus est, acsi in eis aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte, grauior sonitus excreuit, ac subitò tanto terrore insonuit, ac si omnis illa Ecclesia à fundamentis fuisset euersa, & protinus recessit, & nulla illuc vlteriùs inquietudo antiqui hostis apparuit, sed per terroris sonitum, quem fecit, innotuit, quòd à loco, quem diu tenuerat, coactus exibat. Post paucos verò dies in magnâ serenitate aëris, super altare eiusdem Ecclesiæ, nubes cælitùs descendit, suoque illud velamine operuit, omnemque Ecclesiam tanto terrore, ac suauitatis odore repleuit, vt patentibus ianuis, nullus illic præsumeret intrare. Sacerdos quoque & Custodes, & hi qui ad celebranda Missarum solemnia venerant, rem videbant, ingredique minimè poterant, & suauitatem mirifici odoris trahebant. Die verò alio, cùm in eâ lampades sine lumine dependerent, emisso diuinitùs lumine, sunt accensæ. Post paucos iterum dies, expletis Missarum solemnijs, extinctis lampadibus, Custos ex eâdem Ecclesiâ egressus, post paululum intrauit, & lampades, quas extinctas reliquerat, lucentes reperit, quas negligenter extinxisse se credens, eas iam sollicitus extinxit, & exiens, Ecclesiam clausit. Sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, iterum accensas inuenit, vt videlicet ex ipso lumine apertè clarescerct, quia locus ille à tenebris ad lucem venisset. Hactenus D. Gregorius. Ecce autem, vt lutulenta sus, aut quoduis aliud diabolicum monstri genus, hæreticorum non minùs quàm idolorum fanis præsidet, quod pelli, fugarique non potest, nisi Romano ritu illa lustrentur.

Dæmon atrâ specie à D. Marcello delubrũ expiante fugatus.

Dæmonum querelæ in dedicatione templi D. Petri Coloniæ.

Sub porci figurâ dæmon sentitur consecratione pelli.

Consecrationi ædis sacræ, mira diuinitus accessere, nubes inuoluens, odor suauissimus. Cæterum cælesti lumine accenso.

Templi consecratione, tenebris à lumen eductum.

Ad hoc insuper ædes sacræ Deo, Diuisque inaugurantur, quò vnanimi psallentium consensu, diuinæ laudes in eis persoluantur. Psal. 28. *Et in templo tuo, omnes dicent gloriam*: vt deprecationes ad Deum fundantur: Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis*, quòd deprecantium laudes acceptissimas habeat Deus, vnde Paraphrasis Chaldaica: *Fac me audire vocem tuam, quia vox tua suauis est in oratione in domo sanctuarij*: & Matth. 21. Marci 11. Luc. 19. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Quoque itidem orantium vota exaudiantur. Psal. 17. *Exaudiet de templo sancto suo vocem meam.* Et Salomon Rex, dedicationis templi die, & in ipso templo. 3. Reg. 8. *Audi hymnum & orationem quam seruus tuus orat coram te hodie*: Coram te, hoc est, *in templo*, vnam è rationibus præmonens, propter quam exaudiendus videretur, quia è templo emissa ad Deum oratio: pergit porrò, *vt sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum de quâ dixisti, erit nomen meum ibi, vt exaudias orationem quam orat in loco isto ad te seruus tuus, vt exaudias deprecationem serui tui, & populi tui Israël, quodcunque orauerit in loco isto; & exaudies in loco habitaculi tui in cælo, & cùm exaudieris, propitius eris.* & infra, *& dedicauerunt templum Domini Rex & filij Israël.* Ita nos ad sancta Martyrum limina imus Deum oraturi, eiusque beneplacitum in nostris calamitatibus etiam atque etiam deprecaturi. Et quia infirmæ sunt nostræ mortalitatis preces, quò validioribus subuehantur alis vsque ad conspectum Dei, aulæ supremi Monarchæ Curiales iam cælo receptos interpellamus, eorumque interponimus merita, in quæ inclinata maiestas Numinis, indebitum necessitatibus nostris, leuamen ferat.

2. Consecrationis causa.

Psal. 28.

Cant. 2.

Matth. 21.

Psal. 17.

3. Reg. 8.

Oraturi in templa imus.

Meritò itaque D. Chrysostomus homil. 5. de incomprehensibili Dei naturâ, acriter in eos inuehitur, qui auidè quidem concionis audiendæ gratiâ ad templa venirent, orare autem in illis, refugerent, *Orare*, dicunt illi, *domi possumus, sed concionem audire, non; nisi in Ecclesiâ possumus. Te homo decipis*, (inquit os aureum) *& in magno errore versaris: nam etsi & domi orandi facultas datur, fieri tamen non potest, vt domi tam bene ores quàm in Ecclesiâ, vbi tot Patres, vbi clamor felice societate excitatus ad Deum refertur. Nec pariter exoras, cùm Deum solus obsecras, atque cum fratribus tuis: est enim in hoc plus aliquid, nempe concordia, conspiratio, & vnio caritatis, & Sacerdotum clamores. Præsunt enim ob eam rem Sacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ, simul in cælum euehantur.* Ecce vt etiam prosit sancta comprecatio, in quâ tepentes, infirmorum preces ab ignitis robustiorum accenduntur, quia in vnitâ caritate inueniuntur, atque in vnam quasi flammam coalescentes, pari cum illis conatu, tendunt in Deum. Quam ob causam Vates Regius Psal. 5. inquit, *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Vbi tabernaculum quod erat in Silo consecratum, & de quo decem illa miracula fabulosorum Rabbinorum in sanctuario, intelligit; in quod venerabundus introiret cum Sacerdotibus & populo.

Orare præstat in Ecclesiâ, quàm domi.

Psal. 5.

Præse-

9. *Angeli in sacris aedibus pro nobis orantes.*

Præterea beatarum quoque Mentium in sacris basilicis præsentiam, quæ sub incruento potissimùm sacrificio adstant pro nobis interpellantes, vti præterea admonet Diuus Chrysostomus totidem verbis, *Itaque vt homines ramos oliuarum gerentes, mouere Reges consueuerunt, eòque arboris genere, misericordiam commouent & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis, ipsum Domini corpus protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos adeò dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares, pro his supplicamus pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.*

Oliuæ ramus misericordiam implorat.

Pulchrè quoque Diuus Bernardus, serm. 4. de Dedicatione Ecclesiæ. *Quis enim parietes eius sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ Pontificum tantis sanctificauere mysterijs? Ex tunc quoque & deinceps, sanctarum inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum deuota murmurare susurria, sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum Spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. Dicas forsitan, cætera quidem euidentia sunt, sed quid angelicas se se vidisse excubias gloriatur? Et si tu fortè non vides, est tamen qui vides, ipse qui mittit. Quis ille? Nimirum qui loquitur per Prophetam. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes.* Isa. 62. Audi ita, Christiane, & te pudeat, templa Deo, Deiparæ, alijsque dicata Diuis irreuerenter habere, & tanquam si forum inambulares, profanos miscere sermones, aliena à loco pertractare, procari. *Si mouet dolor magnus*, inquit Diuus Augustinus serm. 6. de verbis Domini, *aduersus fratres nostros moueo, qui sic volunt intrare in Ecclesiam, vt hic corpus habeant, alibi cor: totum intùs esse debet. Si intus est quod vides homo, quare foris est quod videt Deus?*

Isa. 62.

Irreuerentia Christianorum in templis.

Quid diceres, Augustine, quid non diceres, si modò nullâ Superûm, nullâ loci reuerentiâ, illicita studiosè pertractantes, aspectu libidinoso, prauis concupiscentiæ desiderijs, quæ etiam prodere non erubescant, æstuantes, videres? quando animo per forentia negotia discurrentes, tanto cum sensu doloris reprehendis? Etiam te audiemus serm. 2. in 23. Dominicam post Trinitatem in fine. *Certè Iudæi, qui Dominum crucifixerunt, quod cùm audimus, horrescimus, & ingenti execratione prosequimur: sed tamen illi cùm de suâ luxuriâ cogitarent, delectiosorum agrorum solitudines meditabantur, dicentes, Nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra. Quomodo ergo parceret Christo, si eum inuenisset in terrâ, qui quidem non solitaria prata irritandis libidinibus suis, sed frequentissimas eligit Ecclesias regnantis in cælum?* Immaniores Iudæis Christiani, illi enim in deserto, sæuierunt in Iesum; Christiani, in templo: illi vt flagitijs incumbant suis, agros, & solitudines petunt, Deum in templo honorant & reuerentur: hi in templo Deum suis libidinibus lacessunt: crudeliores Iudæis, quos detestamur Deicidas: deteriora in Christum auderent, si cum illis conuersaretur in terrâ; quem in cælo regnantem, & in templo, in paternâ domo suis facinoribus crucifigunt.

Platonis lege olim cautum est in hunc modum, *Piscator, nec in portubus, nec in sacris fluuijs, paludibus, stagnisque venetur; in alijs liceat.* Cur non in portubus? sunt namque illi publici iuris & regij, sic intelligen. Ioan. Faber, in §. fluminum, de rerum diuisio. Ideoque ius piscandi omnibus iure Gentium commune, §. 1. quæ sint regal. l. nemo, de rer. diuis. Inhumanum putauit Plato portus, qui fluctuantibus, & periclitantibus sunt receptui, & fidæ carinarum stationes, vel venandis pisciculis infestare, portuum humanitatem, humaniter haberi volens.

Portus à venatione tutus esse debet.

Ius piscandi iure gentium commune est.

An ignoras, inquit Anastasius Sinaita, de S. Synaxi. *Ecclesiam Dei, esse nauium medicam esse; & portum? Si fluctibus in portu agiteris, vbi postea quiesces?* Barbarum atque omninò immane est, templa, quæ sunt afflictorum & ærumnosorum præsidia, funestare. *O crudele nefas. In portu pisciculum Christum enecant; fidelium pisciculorum examina, suarum libidinum laqueis, mortiferè irretiunt.* Tertullianus lib. de Baptismo: *Ita Quintilla monstrosissima, cui nec integre quidem docendi ius erat, optimè norat pisciculos necare, de aquâ auferens.* Auertat Deus à suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim de Ecclesiâ Dei, in Diaboli Ecclesiam tendere, de cælo (quod aiunt) in cœnum? illas manus quas ad Dominum extuleris incondito gestu fatigare: ex eo ore quo, Amen, in sanctum protuleris, ebullientis libidinis proferre testimonium? in domo Dei, quæ sunt domus Diaboli pertractare? O facinus! adeunt templa fideles tanquam Paradisum, in quo secundus Adam Christus, ceu agricola industriùs, à cuius manu irrigentur vberiùs, velut plantæ cælestes, quàm si domi orarent, & illos auertit ganeo quispiam animæ carnifex? Age, age Christiane, expergiscere, seriò cogita ad quid ædes sacræ sint institutæ, atque reuocatâ mente, sistas te totum Deo, quem sis habiturus propitium.

Indignum alia in templis pertractare quàm, quò sunt instituta.

Capitis 21. §. 3.

Imagines Dei & Sanctorum piè à Catholicis fieri.

QVia verò Christiana pietas, hæreticorum sæpè sæpius temerata furore templis Deo, Diuisque dicatis, sanctas infert imagines, quæ non ornatui modò, sed etiam venerationi sint; meritóve eas sculpere liceat; primùm quæri potest. Gentilismum enim istud sapere, idolomaniamque videri, quam sculptilis inhibitione damnarit Deus, vetuerint Concilia, leges Imperatorum decretoriæ exstirparint.

1. Imagines venerationi esse.

An sanè sculpantur?

Et reuera, si non alio sensu Christianus, Dei, Sanctorumque signaria, siue imagines sculperet, pingeretve, quàm quo Gentiles suorum simulacra Deorum, non dubium quin pari Religionis superstitione inuolueretur. Sed cui vnquam Catholicorum in mentem venit, Diuinitatem in lignis fabrefactis, aut lapidibus politis, vel in aureis, argenteisvè, siue etiam æreis, aut cuiusuis alterius materiæ iconibus agnoscere, eamque vt verum Numen venerari? Hoc itaque differt imago quam pingit, aut sculpit Christianus, ab Idolis & simulacris Gentium; quòd præterquam hi spem omnem suam in Idolis, ceu veris Numinibus, propter affusum illis Dæmonem (quod nefarium est) reponerent: Imago sit rei veræ similitudo, ab imitando, quasi imitago appellata, siue sit rei corporeæ, sensibusque subiectæ, cuius formæ, materiæque exprimat similitudinem; siue corporis expertis, & spiritualis, cuius licet, cùm figuram nullam habeat, própria aliqua similitudo significari nequeat: (vnde est istud Leunci Episcopi in Synodo septima, act. 5. *Deo, vt talis est,*

Catholicus nullam diuinitatem imaginibus tribuit.

Imaginis & idoli differentia.

Vnde dicta imago, & quid sit.

quartus qui vix spatio triom annorum post D. Gregorium sedit, in Dei Ecclesiam dedicarit.

8.

Siue itaque aut delere simul & lustrare, aut lustrare solum placuit templa dæmoniorum cultui dicata, horrendas dæmonum visas species, vel auditas voces ad sanctas Christianorum cōsecrationes, testantur historiæ. Haberque inprimis Theodoritus Ecclesiasticæ historiæ lib. 5. cap. 21. atrâ specie dæmonem, qui cùm Marcelli Episcopi iussu subiectum expiationis incendium, à fano suo auerteret, lustralibus tandem lymphis, quas sanctus Pontifex cum fide inspersit, spectantibus omnibus, exterminatum, atque ita vastantibus flammis delubrum eius deflagrasse. Sigibertus autem ad annum Domini 871. narrat, quod Coloniæ celebratâ Synodo ad dedicationem Ecclesiæ à tribus Lotharingiæ Metropolitis, Lintperto Maguntino, Bertulfo Treuerensi, Willeberto Coloniensi, cùm ab eis maior Ecclesia, quæ est Sancti Petri, deberet dedicari, præcedēti nocte auditas fuisse voces malignorum spirituum inter se dolētium, & conquerentium, se à possessis diu sedibus debere expelli. Memoratu sanè dignum est, quod de Arianorum Ecclesiâ scribit D. Gregor. lib. 3. Dialogor. cap. 30. totidem verbis. Arianorum Ecclesia in regione illius vrbis, quæ Subura dicitur: cùm clausa vsque biennium remansisset: placuit vt in fide Catholicâ, introductis illic beati Stephani, & sanctæ Agathæ Martyrum reliquijs, dedicari debuisset: quod factum est. Nam cum magnâ multitudine populi venientes, atque omnipotenti Domino laudes canentes, eandem Ecclesiam ingressi sumus. Cumque in eâ iam Missarum solemnia celebrarent, & præ eiusdem loci angustiâ, populi se turba comprimeret, quidam ex his qui extra sacrarium stabant, porcum subitò intra suos pedes, huc illucque discurrere senserunt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret, idē porcus Ecclesiæ ianuas petijt, & omnes, per quos transijt, in admirationem commouit, sed videri à nullo potuit, quamuis sentiri potuisset. Quod idcirco diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia de loco eodem, immundus habitator exiret. Peractâ igitur celebritate Missarum recessimus, sed adhuc nocte eâdem. magnus in eiusdem Ecclesiæ tectis strepitus factus est, ac si in eis aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte, grauior sonitus excreuit, ac subitò tanto terrore insonuit, ac si omnis illa Ecclesia à fundamentis fuisset euersa, & protinus recessit, & nulla illuc vlteriùs inquietudo antiqui hostis apparuit, sed per terroris sonitum, quem fecit, innotuit, quòd à loco, quem diu tenuerat, coactus exibat. Post paucos verò dies in magnâ serenitate aëris, super altare eiusdem Ecclesiæ, nubes cælitùs descendit, suoque illud velamine operuit, omnemque Ecclesiam tanto terrore, ac suauitatis odore repleuit, vt patentibus ianuis, nullus illic præsumeret intrare. Sacerdos quoque & Custodes, & hi qui ad celebranda Missarum solemnia venerant, rem videbant, ingredique minimè poterant, & suauitatem mirifici odoris trahebant. Die verò alio, cùm in eâ lampades sine lumine dependerent, emisso diuinitùs lumine, sunt accensæ. Post paucos iterum dies, expletis Missarum solemnijs, extinctis lampadibus, Custos ex eâdem Ecclesiâ egressus, post paululum intrauit, & lampades, quas extinctas reliquerat, lucentes reperit, quas negligenter extinxisse se credens, eas iam sollicitus extinxit, & exiens, Ecclesiam clausit. Sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, iterum accensas inuenit, vt videlicet ex ipso lumine apertè claresceret, quia locus ille à tenebris ad lucem venisset. Hactenus D. Gregorius. Ecce autem, vt lutulenta sus, aut quoduis aliud diabolicum monstri genus, hæreticorum non minùs quàm idolorum fanis præsidet, quod pelli, fugarique non potest, nisi Romano ritu illa lustrentur.

Dæmon atrâ specie à D. Marcello delubrū expiante fugatus.

Dæmonum querelæ in dedicatione templi D. Petri Coloniæ.

Sub porci figurâ dæmon sentitur consecratione pelli.

Consecrationi ædis sacræ, mira diuinitus accessere, nubes inuoluens, odor suauissimus. Cæreorum cælestis luminis accensio.

Templa consecratione, tenebris ad lumen traducuntur.

Ad hoc insuper ædes sacræ Deo, Diuisque inaugurantur, quò vnanimi psallentium consensu, diuinæ laudes in eis persoluantur. Psal. 28. *Et in templo tuo, omnes dicent gloriam*: vt deprecationes ad Deum fundantur: Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis*, quòd deprecantium laudes acceptissimas habeat Deus, vnde Paraphrasis Chaldaica: *Fac me audire vocem tuam, quia vox tua suauis est in oratione in domo sanctuarij*: & Matth. 21. Marci 11. Luc. 19. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Quoque itidem orantium vota exaudiantur. Psal. 17. *Exaudiet de templo sancto suo vocem meam.* Et Salomon Rex, dedicationis templi die, & in ipso templo. 3. Reg. 8. *Audi hymnum & orationem quam seruus tuus orat coram te hodie*: Coram te, hoc est, *in templo*, vnam è rationibus præmouens, propter quam exaudiendus videretur, quia è templo emissa ad Deum oratio: pergit porrò, *vt sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum de quâ dixisti, erit nomen meum ibi, vt exaudias orationem quam orat in loco isto ad te seruus tuus, vt exaudias deprecationem serui tui, & populi tui Israël, quodcunque orauerit in loco isto; & exaudies in loco habitaculi tui in cælo, & cùm exaudieris, propitius eris.* & infra, *& dedicauerunt templum Domini Rex & filij Israël.* Ita nos ad sancta Martyrum limina imus Deum oraturi, eiusque beneplacitum in nostris calamitatibus etiam atque etiam deprecaturi. Et quia infirmæ sunt nostræ mortalitatis preces, quò validioribus subuehantur alis vsque ad conspectum Dei, aulæ supremi Monarchæ Curiales iam cælo receptos interpellamus, eorumque interponimus merita, in quæ inclinata maiestas Numinis, indebitum necessitatibus nostris, leuamen ferat,

2. Consecrationis causa.

Psal. 28.

3.

Cant. 2.

Matth. 21.

4.

Psal. 17.

3. Reg. 8.

Oraturi in templa imus.

Meritò itaque D. Chrysostomus homil. 5. de incomprehensibili Dei naturâ, acriter in eos inuehitur, qui auidè quidem concionis audiendæ gratiâ ad templa venirent, orare autem in illis, refugerent, *Orare*, dicunt illi; *domi possumus, sed concionem audire, non; nisi in Ecclesiâ possumus. Te homo decipis*, (inquit os aureum) *& in magno errore versaris: nam etsi & domi orandi facultas datur, fieri tamen non potest, vt domi tam bene ores quàm in Ecclesiâ, vbi tot Patres, vbi clamor felice societate excitatus ad Deum refertur. Nec pariter exoras, cùm Deum solus obsecras, atque cum fratribus tuis: est enim in hoc plus aliquid, nempe concordia, conspiratio, & vnio caritatis, & Sacerdotum clamores. Præsunt enim ob eam rem Sacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ, simul in cælum euehantur.* Ecce vt etiam prosit sancta comprecatio, in quâ tepentes, infirmorum preces ab ignitis robustiorum accenduntur, quia in vnitâ caritate inueniuntur, atque in vnam quasi flammam coalescentes, pari cum illis conatu, tendunt in Deum. Quam ob caussam Vates Regius Psal. 5. inquit, *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Vbi tabernaculum quod erat in Silo consecratum, & de quo decem illa miracula fabulosorum Rabbinorum in sanctuario, intelligit; in quod venerabundus introiret cum Sacerdotibus & populo.

Orare præstat in Ecclesiâ, quàm domi.

Psal. 5.

Præte-

9. *Angeli in sacris ædibus pro nobis orantes.*

Præterea beatarum quoque Mentium in sacris basilicis præsentiam, quæ sub incruento potissimùm sacrificio adstant pro nobis interpellantes, vti præterea admonet Diuus Chrysostomus totidem verbis, *Itaque vt homines ramos oliuarum gerentes, mouere Reges consueuerunt, eaque arboris genere, misericordiam commouent & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis, ipsum Domini corpus protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos adeò dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares, pro his supplicamus pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.*

Oliuæ ramus misericordiam implorat.

Pulchrè quoque Diuus Bernardus, serm. 4. de Dedicatione Ecclesiæ. *Quis enim parietes eius sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ Pontificum tantis sanctificauere mysterijs? Ex tunc quoque & deinceps, sanctarum inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum deuota murmurare susurria, sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum Spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. Dicas forsitan, cætera quidem euidentia sunt, sed quid angelicas sese vidisse excubias gloriatur? Et si tu fortè non vides, est tamen qui videt, ipse qui mittit. Quis ille? Nimirum qui loquitur per Prophetam. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes.* Isa. 62. Audi ita, Christiane, & te pudeat, templa Deo, Deiparæ, alijsque dicata Diuis irreuerenter habere, & tanquam si forum inambulares, profanos miscere sermones, aliena à loco pertractare, procari.

Isa. 62.

Irreuerentia Christianorum in templis.

Si mouet dolor magnus, inquit Diuus Augustinus serm. 6. de verbis Domini, *aduersus fratres nostros mouet, qui sic volunt intrare in Ecclesiam, vt hic corpus habeant, alibi cor: totum enim esse debet. Si intus est quod videt homo, quare foris est quod videt Deus?* Quid diceres, Augustine, quid non diceres, si modò nullâ Superûm, nullâ loci reuerentiâ, illicita studiosè pertractantes, aspectu libidinoso, prauis concupiscentiæ desiderijs, quæ etiam prodere non erubescant, æstuantes, videres? quando animo per lorentia negotia discurrentes, tanto cum sensu doloris reprehendis? Etiam te audiemus serm. 2. in 23. Dominicam post Trinitatem in fine. *Certè Iudæi, qui Dominum crucifixerunt, quod cùm audimus, horrescimus, & ingenti execratione prosequimur: sed tamen illi cùm de suâ luxuriâ cogitarent, deliciosorum agrorum solitudines meditabantur, dicentes, Nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra. Quomodo ergo parceret Christo, si eum inuenisset in terrâ, qui quidem non solitaria prata irritandis libidinibus suis, sed frequentissimas eligit Ecclesias regnantis in cælum?* Immaniores Iudæis Christiani, illi enim in deserto, fæuierunt in Iesum; Christiani, in templo: illi vt flagitijs incumbant suis, agros, & solitudines petunt, Deum in templo honorant & reuerentur: hi in templo Deum suis libidinibus lacessunt: crudeliores Iudæis, quos detestamur Deicidas: deteriora in Christum auderent, si cum illis conuersaretur in terrâ; quem in cælo regnantem, & in templo, in paternâ domo suis facinoribus crucifigunt.

Platonis lege olim cautum est in hunc modum, *Piscator, nec in portubus, nec in sacris fluuijs, paludibus, stagnisque venetur; in alijs liceat.* Cur non in portubus? sunt namque illi publici iuris & regij, sic intelligen. Ioan. Faber, in §. fluminum, de rerum diuisio. Ideoque ius piscandi omnibus iure Gentium commune, §. 1. quæ sint regal. l. nemò, de rer. diuis. Inhumanum putauit Plato portus, qui fluctuantibus, & periclitantibus sunt receptui, & fidæ carinarum stationes, vel venandis pisciculis infestare, portuum humanitatem, humaniter haberi volens.

Portus à venatione tutus esse debet.

Ius piscandi, iure gentium commune est.

An ignoras, inquit Anastasius Sinaita, de S. Synaxi. *Ecclesiam Dei, officinam medicam esse; & portum? Si fluctibus in portu agiteris, vbi postea quiesces?* Barbarum atque omninò immane est, templa, quæ sunt afflictorum & ærumnosorum præsidia, funestare. O *crudele nefas. In portu pisciculum Christum enecant; fidelium pisciculorum examina, suarum libidinum laqueis, mortiferè irretiunt.* Tertullianus lib. de Baptismo: *Ita Quintilla monstrosissima, cui nec integrè quidem docendi ius erat, optimè norat pisciculos necare, de aquâ auferens.* Auertat Deus à suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim de Ecclesiâ Dei, in Diaboli Ecclesiam tendere, de cælo (quod aiunt) in cœnum? illas manus quas ad Dominum extuleris incondito gestu fatigare: ex eo ore quo, Amen, in sanctum protuleris, ebullientis libidinis proferre testimonium? in domo Dei, quæ sunt domus Diaboli pertractare? O facinus! adeunt templa fideles tanquam Paradisum, in quo secundus Adam Christus, ceu agricola industriùs, à cuius manu irrigentur vberiùs, velut plantæ cælestes, quàm si domi orarent, & illos auertit ganeo quispiam animæ carnifex? Age, age Christiane, expergiscere, seriò cogita ad quid ædes sacræ sint institutæ, atque reuocatâ mente, sistas te totum Deo, quem sis habiturus propitium.

Indignum alia in templis perttactare quàm, quò sunt instituta.

Capitis 21. §. 3.

Imagines Dei & Sanctorum piè à Catholicis fieri.

I. *Imagines venerationi esse.*

QVia verò Christiana pietas, hæreticorum sæpè sæpius temerata furore templis Deo, Diuisque dicatis, sanctas infert imagines, quæ non ornatui modò, sed etiam venerationi sint; meritóve eas sculpere liceat; primùm quæri potest. Gentilismum enim istud sapere, idolomaniamque videri, quam sculptilis inhibitione damnarit Deus, vetuerint Concilia, leges Imperatorum decretoriæ exstirparint.

An sanè sculpantur?

Et reuera, si non alio sensu Christianus, Dei, Sanctorumque signaria, siue imagines sculperet, pingeretve, quàm quo Gentiles suorum simulacra Deorum, non dubium quin pari Religionis superstitione inuolueretur. Sed cui vnquam Catholicorum in mentem venit, Diuinitatem in lignis fabrefactis, aut lapidibus politis, vel in aureis, argenteisvè, siue etiam æreis, aut cuiuslis alterius materiæ iconibus agnoscere, eamque vt verum Numen venerari? Hoc itaque differt imago quam pingit, aut scalpit Christianus, ab Idolis & simulacris Gentium; quòd præterquam hi spem omnem suam in Idolis, ceu veris Numinibus, propter affusum illis Dæmonem (quod nefarium est) reponerent: Imago sit rei veræ similitudo, ab imitando, quasi imitago appellata, siue sit rei corporeæ, sensibusque subiectæ, cuius formæ, materiæque exprimat similitudinem; siue corporis expertis, & spiritualis, cuius licet, cùm figuram nullam habeat, propria aliqua similitudine signari nequeat: (vnde est istud Leunci Episcopi in Synodo septima, act. 5. *Deo, vt talis est,*

Catholicus nullam diuinitatem imaginibus tribuit.

Imaginis & idoli differentia.

Vnde dicta imago, & quid sit.

 Scriptura

Scriptura iubet, non esse faciendam similitudinem: Propterea que Concil. Trident. ss. 25. decreto de imaginibus, cùm dixisset Christi, Sanctorumque imagines illorum gerere similitudinem; Diuinitatem figuris coloribusque exprimi posse negauit.) Eius tamen aliqua imago formari potest, quæ ipsam, siue metaphoricè & per analogiam quandam, siue sub aliqua specie, in qua ea res interdum, sacris testantibus literis, apparuerit, repræsentet: vt si humanos vultus affinxeris Deo, primis generis nostri satoribus in paradiso apparenti. Angelos verò alatos finxeris in veste candidâ, hilari & exporrectâ fronte, ad eorum puritatem. D. Gregorio Nazianzeno interprete, robur, alacritatemque significandam, quia omnibus vbique adsunt, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ facilitatem.

Angeli alati, cur?

Idolum quid sit?

Idolum verò, sit falsa similitudo, repræsentans id quod reuera non est, vel quale ipsum non est. Tertullianus lib. de Idololatriâ. *Ad hoc necessaria est vocabuli interpretatio, εἶδος Græcè, formam sonat, ab eo per diminutionem εἴδωλον deductum: æquè apud nos, formulam fecit. Igitur omnis forma, vel formula, Idolum se dici exposcit. Inde Idololatria omnis, circa omne Idolum famulatus & seruitus. Inde & omnis Idoli artifex, eiusdem & vnius est criminis: nisi parum Idololatriam populus admisit, quia simulacrum vituli, & non hominis sibi consecrauit. Idolum tam fieri quàm coli Deus prohibet. Quanto præcedit vt fiat quod coli possit, tantò priùs est ne fiat si coli non licet. Propter hanc caussam, ad eradicandam scilicet materiam Idololatriæ, Lex Diuina proclamat: Ne feceritis Idolum. Et coniungens, Neque similitudinem eorum quæ in cælo sunt, & quæ in terrâ, & quæ in mari. Toto mundo eiusmodi artibus interdixit seruis Dei. Antecesserat enim hoc prædicens, omnia elementa, omnem mundi censum, quæ cælo, quæ mari, quæ terrâ, continentur in Idololatriam versuros dæmonas, & spiritus desertorum Angelorum, vt pro Deo aduersus Dominum consecrarentur. Omnia igitur colit humanus error, præter ipsum omnium Conditorem. Eorum imagines Idola, imaginum consecratio Idololatria.* Imagines igitur, quas sibi Gentiles adorandas proposuere, veluti Veneris, aut Dianæ, Idola sunt, quòd Deorum generis feminini habeant similitudinem, quales nec sunt, nec esse possunt, adeoque nec verè repræsentant: siquidem id quod non est, figurâ exprimi nequeat: Veluti denique illud quod repræsentatur sanctum, cùm sanctum non sit, quales Herculis, Iouis, Saturni, Mercurij, aut Dæmonis statuæ, *quia nihil est idolum in mundo*, inquit Apostolus 1. ad Corint. 8. & apud Ozeam cap. 6. *Galaad Ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine*. Ecquod illud Idolum? *quia scelus operati sunt*: Idolum igitur, scelus est, ob quod exterminati sunt.

1. Corinth. 8. Oze. 6.

2. Sacrarum imaginum vsus antiquissimus.

Quare mos Christianus ab ipsis etiam Ecclesiæ Catholicæ cunis vigens, Christi, Deiparæ, aliorumque Sanctorum, Intelligentiarum insuper sanctarum, necnon Sanctissimæ Trinitatis imagines, ab Idolis Gentium, significatione, & religione secreuit; illarumque institutio, illibatam sacrosanctæ Religionis Romanæ puritatem, nihil obscurauit; quam nequidquam propterea insanientis furentisque interni vomituum ebullientium impuritas inspersit, quantumuis infuso veneno illam conuellere, radicitusque exstirpare conetur.

Vt in sacras imagines ab Iconomachis sæuitum.

3.

SEd frustra es, Iconoclasta, qui œstro percitus furente in sacras sæuis imagines, earumque pios cultores immani carnificinâ tollis, cultum tamen ipsum non tollis. Vt Iudæos, Mahometanosque, quibus nulla imago est, prætercam, his ex præscripto Alcorani sui, illis, quòd lege Diuinâ sibi interdictas perperam putent. Isti hæreseon, persecutionumque flatus emersi tartaro, Orientalem potissimum orbis Christiani plagam, totis ferè centum annis, concussere, Imperatoribus nonnullis, implacabili odio, in sacras imagines ardentibus, quas statâ lege, coactis Concilijs, ferroque sæuiente, è templis & foro exturbarunt, damnarunt, atque in earum veneratoribus detestabili immanitate, lacerarunt, proculcarunt: ita vt nunquam tot Martyribus Ecclesia Orientalis floruerit, quot horrendus ac violentus hic turbo sustulit; qui vnâ cum lue hæreticâ, vulgari, grassarique primùm inter Christianos cœpit, annum circiter 726. partus Parthenici, Gregorio II. Ecclesiæ clauum, Leone Isaurico Imperij Constantinopolitani summam tenente, qui anno Monarchiæ suæ XI. sanctas imagines, basilicâ editione sanxit abrogari, quas ipse, vnâ cum asseclis, probrosâ voce, ligna atque idola compellabat, vt meritò Iconomachi, hoc est, imaginum oppugnatoris, appellationem primus obtinuerit, referente Prateolo lib. 9. de vitis Hæreticor. cap 6. Quamuis enim Nicephorus Calisti. Ecclesiasticæ Historiæ, lib. 16. cap. 27. magnificum hunc primatum Xenaiæ cuidam deferat, qui annum salutis circiter 485. Zenone imperante, hanc hæresim persuadere, vulgareque contenderit, hic tamen Christo nomen non dederat, sed sacris mysterijs initiatum se simulans, Episcopatum inuaserat, id quod ad illum annum testatur Baronius tomo 6. Annalium num. 16. & sequentibus. Quia verò vti inquit Horatius:

Iconoclastæ imagines tollunt, non earum cultum.

Imaginum persecutio.

Sub Leone Isaurico, qui idcirco Iconomachus dictus est.

> *Rarò antecedentem scelestum,*
> *Insequitur pede pœna claudo.*

Sacrarum imaginum in fori medio exustionem, mox subsecuta Constantinopoli, pestilentia, trecenta hominum millia absumpsit, & ipse Leo, eiusque successores, Italiæ imperium, spe omni recuperandi sublatâ, perdidere, sicut Zonaras, & Paul. Diaconus in Leonis verè leonis rugientis vitâ testantur: quò quidem è viuis in eâ hæresi sublato, successit in imperio paternæ impietatis hæres filius Constantinus Copronymus, qui totos fermè annos 35. quibus rerum potitus est, nefarium itidem sacris imaginibus bellum indixit; atque contra Concilij primi Niceni sanctiones, quibus cautum est, nullum generale, Concilium absque Pontificis Romani auctoritate legitimè celebrari, coactâ suâ ipsius auctoritate propriâ, 338. Episcoporum Synodo, quam falsò, septimam œcumenicam appellarunt, cùm tamen neque Pontifex Romanus, neque vlli Patriarchæ, per se, vel per legatos suos illi interfuerint, vt ex Paulo Diacono, & Nicenâ Synodo secundâ, actione sextâ, constat; ipsomet Imperatore agente, aduersus eas proclamatum est.

Leo punitus.

Copronymus succedit iconomachiæ.

Subsecutæ interea in Oriente calamitates inauditæ, quas, ne quis temerè accidisse putaret, in mortalium vestimentis, velis sacris, Sacerdotumque paramentis, cruces paruæ diuinitùs apparuere, argumento beneplaciti summi Imperatoris Dei, volentis Crucis imagines vbique esse conspicuas, quas nihilominus sacrorum fontium temerator adhuc infans, infelici

Cruces in vestimentis, &c. apparent.

lici augurio, Copronymus obliterare satagebat. Qui & ipse flagitij sui pœnas, sese adhuc viuum igni inextinguibili comburendum tradi vociferans, nouissimâ voce testatus est, Zonarâ, & Paulo Diacono, in eius vitâ testibus. Quo sic extincto, eadem imbutus fuligine Leo Quartus, eiusdem filius imperauit: remisit tamen sese nonnihil sæua tempestas, quæ mox Constantino VI. & Irene eius matre, imperantibus, omninò sedata est, donec rursum ab anno partus virginei 800. Leone Armeno, Michaële Balbo, & Theophilo Imperatoribus, qui edictis suis, imagines prorsus abolendas censuerunt, per aliquot annos rursum grassata est, vt testantur Zonaras, & Baronius toto ferè Tomo 9. & principio decimi. Tandemque ipsa Orienti occubuit, vt Occidentem inuaderet, vbi primùm Theophilo ipso imperante debacchata, auctorem habuit Claudium Taurinensem Episcopum, Felicis Vrgelitani Episcopi discipulum, qui cruces, imaginesque omnes è suâ Diœcesi sustulit, sicut testatur Ionas Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum, illorum, quos aduersus Taurinensem scripsit, qui Tomo 4. Bibliothecæ veterum Patrum habentur. Istam tandem cum suo auctore sopitam rabiem, multos post annos suscitauere, in Angliâ Wicleffus, in Boëmiâ Ioannes Hus, & Hieronymus Pragensis: nouissimè superiori sæculo refodit Caluinus cum suis, qui conceptum in sanctam Catholicam Apostolicam & Romanam Ecclesiam odium ferale, in sacras imagines exonerantes, eas vbicunque repererint, mutilant, frangunt, abradunt, exurunt, omniique blasphemiæ genere incessunt, quâ de re consuli possunt Lindanus in Dormitantio, Alanus Copus 4. & 5. Dialogis, & Bellarminus lib. 2. de reliquijs & imaginibus Sanctorum, cap. 6.

Copronymi mors horrenda.

Vetus in imagines bella, in Oriente.

Ad Occidentem transfertur cum auctore.

Iconomachiæ fundamenta iaciuntur.

4.

VErùm iam, cùm nullum adeò exoticum, nullum adeò peruersum dogma sit, quod non aliquâ ratione, qui illud sibi persuaserint, stabilire contendant. Quidnam est, quod meritò huic hæresi patrocinari videatur? Proferant hostes tela sua, &, si homines sunt, ponant truculentum furorem, qui vim corporibus, non animis facit, & nisi victus facit. Aiunt ergo, omnem prorsus imaginum vsum primo Decalogi prohibitum esse, atque damnatum. Exodi cap. 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ est in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ: non adorabis ea neque coles*, atque indidem, quasi huiusce præcepti lucidum interpretamentum, *Non facietis mecum Deos argenteos, & Deos aureos non facietis vobis*, hoc est, non facietis imagines quæ Deum repræsentent. Hoc autem præceptum, non cæremoniale, non iudiciale, sed morale est: quod æquè ac reliqua secundæ tabulæ præcepta obligat. Adde Deuteron. cap. 4. idem confirmari. *Non vidistis aliquam similitudinem, in die quâ locutus est vobis Dominus in Oreb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, &c.* In quam quoque sententiam apud Isaiam cap. 40. legimus, *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* & cap. 46. *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem?* Habe etiam ex nouo instrumento, tanquã ex armamentarijs promptum, Act. cap. 17. *Non est existimandum auro vel argento, aut lapidis artis sculpturæ, & cogitationis hominum, diuinum esse simile*: & ad Rom. 1. vbi Apostolus Sapientes sæculi increpitat, accusatque, quia *Mutauerunt gloriam Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, volucrum quoque & quadrupedum, & serpentum.* Audin' hîc quoque damnari Spiritus Sancti imagines in figurâ columbæ, Christi quoque in figurâ ouis? hæ namque sunt similitudines quadrupedum, & volucrum.

Rationes Iconomachiæ, ex Scripturâ. Exod. 20.

Deut. 4.

Isa. 40 & 46.

Act. 17.

Rom. 1.

Neque rationum suffragia desunt. Ea namque est spiritualium rerum natura, vt citra errorem falsitatemque, sculptili aut picturâ exprimi non possit: erroneæ igitur sunt Dei Angelorúmve quæ prostituuntur imagines. Adhæc, cùm imagines inuentæ sint, ad rei absentis supplendam præsentiam, Deum feceris absentem (quod est impium) si eius effigiem tibi formaueris. Quòd si adferas his rationibus non aliud effici, quàm quòd ante Verbi Incarnationem, Dei imagines delineari non potuerint, Deo autem visibili & corporali in assumptâ naturâ facto, posse perquam optime: nunquid Dei hominis picturam proferre Nestorianum est? ita censuere 7. Synodi falsæ Consiliares, vt habetur veræ Synodi actio. 6. quippe, quòd eiusmodi picturâ, persona Diuina ab humanâ diuidatur in Christo: humanam siquidem refert imago tantùm, non Diuinam, quæ repræsentari nullatenus potest.

Suadetur ratione.

Iconomachiæ fundamenta conuelluntur.

5.

Ad Iconomachorum argumenta responde-tur.

ITa illi, quò prohibentibus Superis atque aduersantibus, quamcumque imaginem & potissimum ipsius Dei, moliri illicitum esse persuadeant. Sed frustra sunt, Quod enim Exodi 20. præscribitur, ideò fit, ne qua imago sculpi posse putetur, quæ propriâ, visibilique effigie, Dei formaturam referat, & credatur Deus: quomodo in Concilio Tridentino Deum figuris, coloribúsve exprimi non posse traditur: aut aliàs sui immemor Deus (quod suspicari nefarium est) mox cap. 25. Cherubinorum, qui substantiæ spirituales sunt, formas aureas describi iussisset, si rerum corporis expertium reprobasset imagines: Non vsum ergò, sed abusum omninò repudiauit. Eumque esse istius loci sensum, sat superque interpretatum manet ex illo Act. 17. quo aduersarij tanquam telo vtuntur, *Non debemus existimare auro aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominum, Diuinum esse simile*: sensus enim est, non esse existimandum, Deum, vlli prorsum sculpturæ ex auro, argento, aliâve nobili materiâ fabricatæ, comparari posse. Non itaque omnes omninò rerum omnium imagines, aut etiam ipsius Dei, hoc præcepto inhibentur, sed Idola tantùm, falsorumque Numinum figmenta, quibus tanquam veræ certæque Diuinitati, cultus & reuerentia tribuuntur. In hunc modum præceptum istud de non faciendo sculptili, interpretatur Diuus Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 18. & quæstionum in Exodum quæst. 71. vbi scribit, vnicum esse præceptum, quod hæc complectatur, *Non erunt tibi Dij alieni præter me*; &, *Non facies tibi Idolum*, explicatiùs solùm posteriori sententiâ iudicari, quod in priori præmittitur, videlicet, *Non erunt tibi Dij alij coram me*, ne, quod fortè mente conceptum fuerit, executioni mandetur, diligentiórve fiat alieni signatura Numinis, quàm quòd animo formata sit: vetari propterea hocce præscripto, *Non habebis Deos alienos coram me*, interiorem Idololatriæ actum, & quum additur, *Non facies tibi sculptile*, exteriorem prohiberi. Ita sentiunt D. Augustinus, Diuus Athanasius, orat. contra Idola circa finem, Tertullianus de specta-

Imaginum abusus damnatur, non vsus.

ſpectaculis cap. 3. & alij. Quod ſi iſtud non eſt, Decalogi præcepta plura eſſe quàm decem, omninò fatearis oportet.

Iſaias explicatur.

Agedum porrò, & quod apud Iſaiam eſt, diſce querimoniam eſſe increpantis Dei, quòd ſe Idolis aſſimilarint, quibus itidem tanquam ſibi, cultum & reuerentiam deferebant, quaſi aliquid ſculpturæ eſſet ei ſimile, aut cum illo conferri poſſet: ait enim: *Quam imaginem ponetis ei?* hoc eſt, componetis, & comparabitis? Ad quam interpretationem facit, quod ſubijcitur, *Cui aſſimilaſti me, & adæquaſti?* quò recurrit illud Act. 17. non eſſe putandum, Diuinitatem Idolis eſſe comparabilem. Quare Diuus Paulus ad Rom. 1. ſapientes quoſdam, de gloriâ, quæ ſoli Deo debita eſt, ſimulacris hominum, aliarúmve rerum infra hominem, tributâ obiurgat; quaſi illis, aut rebus ipſis, per eiuſmodi ſculptilia repræſentatis, aliquam Diuinitatem ineſſe crederent: aut etiam de errore, in quem ſculptores inducti, aut ex operis eorum aſpectu incidentes, arbitrabantur Diuinam naturam eſſe corpoream, Deumque membris diſtingui humanis.

Imagines Dei nō ſunt damnatæ ſub figurâ columbæ, aut ouis.

Non itaque Spiritus Sancti ſub formâ columbæ, non Chriſti ſub agni figurâ, damnauit, aut vſquam damnatæ leguntur imagines. Eſto, dicat Bartholomæus Carranza Can. 82. ſextæ Synodi, eas prohiberi; ibi tamen nulla prorſus mentio picturæ columbæ, quâ Spiritus Sanctus ſignificatur: ſed ſi quid in eo canone actum eſt circa figurandi agni conſuetudinem, quâ Chriſtus exprimebatur, actum eſt; eò quod ita inualuerat, vt humana Chriſti forma, per iſtam repræſentandi aſſuetudinem, ſuppreſſa videretur: coërcita igitur tantùm figurandi agni licentia, non figura damnata, vt humani vultus Chriſti pictura introduceretur. Et nunc temporis, canon iſte, ſi quam aliquando vim habuit, eſt contrariâ conſuetudine abrogatus.

6. Ad rationem reſp.

Tuo etiam illo rationis iaculo, nihil effeciſti, Hæretice, nihil euiciſti. Damus enim incorporeæ ſubſtantiæ, nullam, quâ repræſentetur vti in ſe eſt, propriè ſignari imaginem: nam cùm eiuſmodi repræſentatio, in propriâ ſiue formali (vt aiunt) imaginis ſimilitudine ad exteriorem rei imaginatæ figuram fundetur, nonniſi corporum eſſe poteſt: at verò, repræſentationem impropriam, quæ in quadam analogiâ poſita eſt, ſiue ſymbolicam, ſiue metaphoricam, vel myſticam illam appellaris, ſine vllâ erroris fallaciâ, admitti compertum eſt: Ita enim Eccleſia Catholica, nauis imagine, hieroglyphicè ſignificari ſolet, non quòd huiuſce imaginis repræſentatio propria ſit eius rei ad quam metaphoricè ſignificandam, & vox ipſa & imago ponitur (ſic enim pontonis, ſiue inſtrumenti ad nauigandum apti, propria appellatio eſt, & imago) ſed impropria, quam ſi ſtrictiùs acceperis, imaginis nomen vix merebitur. Huius porrò generis, ſunt columbæ & agni imagines.

Nauis imago Eccleſiæ.

Spiritus S. cur in columbæ ſpecie.

Ideo verò columba Spiritum Sanctum refert, quòd plerisque naturæ ſit affecta dotibus, quæ aut propriæ ſunt Spiritui Sancto, aut illi appropriantur; habet ipſa quippe ſimplicitatem, & Sap. 1. dicitur: *Spiritus enim Sanctus diſciplinæ, effugiet fictum.* Habet & amorem, eſt enim amantiſſimum animal columba; Amor autem propria Spiritus Sancti appellatio eſt, vnde illud Apoſtoli ad Rom. 5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Pulchrè Tertullianus lib. de Baptiſmo. *Tunc ille Sanctiſſimus Spiritus, ſuper emundata & benedicta corpora libens à Patre deſcendit, ſuper baptiſmi aquas, tanquam priſtinam ſedem recognoſcens conquieſcit, columbæ figurâ delapſus in Dominum, vt natura Spiritus Sancti declararetur, per animal ſimplicitatis & innocentiæ: quod etiam corporaliter ipſo felle careat columba. Ideóque, Eſtote* (inquit Matth. 10.) *ſimplices ſicut columbæ: ne hoc quidem ſine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodum enim poſt aquas diluuij, quibus iniquitas antiqua purgata eſt, poſt Baptiſmum (vt ita dixerim) mundi pacem cæleſtis iræ præco columba terris adnunciauit, dimiſſa ex arca, & cum oleâ reuerſa? quod ſignum apud etiam nationes paci prætenditur: Eadem diſpoſitione ſpiritalis effectus terræ, id eſt carni noſtræ emergenti de lauacro poſt vetera delicta, columba Sancti Spiritus aduolat pacem Dei adferens, emiſſa de cælis, vbi Eccleſia eſt arca figurata.* Rectè itaque ſub columbæ ſpecie, Spiritui Sancto ponuntur imagines.

Sap. 1.

Rom. 5.

Matth. 10.

Agni imagine cur repræſentetur Chriſtus.

Ita etiam promptum cuique, agni proprietates Chriſto adaptare: Agnus enim à Græco ἁγνὸς dicitur inquit Geſnerus, meliùs tamen ἁγνός, quod ſignificat caſtum, eò quòd ſit hoſtia pura, & immolationi apta: Iſidorus, agnum à Græco vocabulo ἀγνὸς, quaſi pium dici ſcribit, nam inter omnia terræ animantia, maximè inuenitur innocens & manſuetus: nullum enim lædit dente, aut cornu, aut vngue: eius ſanguis cum vino epilepſiam ſanat, inquit Auicenna. Ita Chriſtus omnis puritatis ſpeculum, pius & innocens, tanquam agnus coram tondente ſe, pro nobis factus hoſtia, vt eius cruore animæ noſtræ à supernâ felicitate decidentis, epilepſia curaretur.

Agni ſanguis contra epilepſiam.

7. Quomodo inuiſibili tributa forma viſibilis.

Quod autem inuiſibili Deo, hominis figura tribuitur, non propria, ſed myſtica eſt imago Dei; cui non obſtat natura ſpiritualis & incorporea, quam eiuſmodi ſymbolo, ratione vti ſignificamus. Quod etiam abſentia pingantur, ideo eſt, quia non videntur, eius itaque qui vbique præſens eſt, nec videtur tamen, nec ſe manifeſtat, tanquam ſi abeſſet, imago eſſe poteſt. Ad extremum Chriſti ſignarijs, nullam fieri θεανθρώπου diuiſionem, præclarè & luculenter tradit Epiphanius in Synodo 7. act. 6. totidem verbis, *Cùm Catholica Eccleſia Chriſtum pingit humanâ figurâ, non diuidit eum à Diuinitate illi vnitâ, magis autem Deificatam illam credit; quemadmodum aliquis hominem depingens, non inanimatum hominem facit, ſed ille animatus manet: & imago ipſius, imago, ab eo quod illum imitetur, dicitur.* Ratio autem ea eſt quam tradit Vaſquez in 3. part. diſputat. 103. cap. 1. quia nimirum animus, dignitaſque perſonæ, quamuis nullam corporis præferant figuram, cælari tamen & pingi eatenus dicuntur cum corpore, quatenus ijs inſpectis, non modò figuræ corporeæ, verùmetiam animæ, atque ipſius perſonæ dignitatis, poſſumus recordari. Iitidem ſigna & tabulæ Seruatoris noſtri Chriſti, non ſolùm eius corporis animæve meminiſſe nos faciunt, ſed ipſius etiam Diuinitatis, cuius ſanctificatione, omnem cultum venerationemque promeruere, tantum abeſt, vt cogitatione, nedum reapſe Diuinitatem ab humanitate, ſculpta, pictáve, vel muſiuo opere formata, ſeparet imago.

Imagine nō diuiditur Chriſtus.

Corporea in memoriam reducunt ſpiritualia.

Orthodoxè Sanctorum Imagines formari, ſtatuitur.

8. Imagines Dei & Sanctorum licitas eſſe.

Avulſis modò, atque iſtâ velitatione in ſolum datis hoſtium ſignis, noſtra proferamus. Veritas igitur Catholica eſt, Apoſtolicâ traditione, Conciliorum auctoritate, & Sanctorum Patrum conſenſione roborata, ſigna & tabulas Chriſti, Deiparæ Virginis, aliorumvè Sanctorum, licitè fieri, licitumque eſſe harum imaginum vſum.

Aut

Aut finge esse illicitum: quo merito? quâ lege? Aut enim ex eapse naturæ prauitate: aut ex scandalo in idolomaniam inducente, aut denique ex aliquâ lege natâ, illicenter erit introductus. Istorum autem nihil est, quominus & liberalis & honestus sit. Non primum, alioquin pingendi, cælandivè artes, quasi ad nullum bonum vsum natæ sint, vt malas damnaueris: quas tamen legitimas esse ex eo liquet, quòd diuinæ artis participatio quædam sit; quâ Deus ipse hominem ad sui ipsius effinxit imaginem, atque ipsis mortalibus eas artes infudit, quomodo Exod. 31. & 35. legimus Bezeleel & Oliab, impletos esse diuinitùs spiritu Dei, sapientiâ, & intelligentiâ & scientia, & omni doctrinâ ad scalpendum & excogitandum multa in ornatum tabernaculi: Præter quam quòd cùm omnis nostra cognitio, repræsentatione quadam, ac veluti quibusdam imaginibus perficiatur, externæ imagines cognitioni rerum, & significationi deseruire possint: nam quemadmodum organorum modulamina, manus tactione fiunt, intus autem est, & occultum à manu procul, quod symphoniam auribus parit: ita ex imaginum aspectu, sensus nostri in alios atque alios motus ducuntur atque afficiuntur, cor interim inuisibile Numen orat, & adorat.

An sculpendi, pingendive, diuinæ artis est participatio. Exod. 31. & 35.

Neque in offendiculum cuiusquam fidelium signa ista sunt, quæ si essent, næ vehementer erraret ipse Deus, ruinamque adferret mortalibus, cælaturas, picturasvè fieri mandans, parque idolomaniæ periculum, Solis, Lunæ, stellarumque subesset imaginibus, quod existimare, perquàm ridiculum est. Nullam igitur eiusce rei quæ suapte naturâ mala non est, prohibitionis caussam dederis. Esto, errent rudiores nonnulli; omninò sanè ex Concilij Tridentini præscripto, de legitimo imaginum vsu instruendi sunt, quæ si tollerentur planè, grauiora sequerentur incommoda, quàm si quorundam permittatur abusus: vti ergo vinum non damnas, sed abusum, sic de imaginibus.

Imagines, non date occasionem idololatriæ.

Rudiores in earum cultu instruendi.

Denique verò, quæ, vsquam gentium, lex aliquando innotuit, quâ vsus imaginum, tanquam illicitus inhiberi putaretur? Diuinas accepimus, naturalem & positiuam; Naturalis, nihil innatæ malitiæ in eo vsu manifestat: Positiua, siue scripta, siue traditione accepta, nulla adferri potest, quæ vel ex veteris vel noui instrumenti auctoritate, omnes generatim imagines prohibitas esse significet: quinimò Deus, ipse Deus Exodi 25. Numer. 21. 3. Regum 6. Cherubinorum, serpentisvè signaria fieri iussit. Quod si dixeris, summũ omnium Imperatorem, eâ lege quam dederit hominibus, non teneri; tamen si vsus qui lege cauetur, sit intrinsecè malus, vtique eadem lege obstringi Deum, omninò fatendum est: sin autem tanquam cæremonialem, olim prohibitum facias; cessant modò cæremonialia, neque vllâ pollent obligandi facultate. Quod si Cæsares opposueris; hostes illi Ecclesiæ Romanæ fuerunt: quam dum tuentur Bulgares, contra Sabinum Regem suum pro defensione cultus imaginum, quem ille à Constantino Copronymo Imp. persuasus, abolere nitebatur, arma ceperunt: quare fugâ sibi consuluit, ita Nauclerus generatione 26. Bergomensis lib. 10. & Blondus lib. 1. decade 2. Hildebertus verò Abbas Blandiniensis, vt habet Iacobus Meier in Chronico Flandriæ, in ciuili motu Gandaui excitatuto anno 752. propter Sanctorum imagines, quas alij ceu idololatriæ instrumenta execrabantur: alij verò colendas, atque in templa ponendas esse censebant; interfectus est, quia contra Cæsaris fautores, decretis Pontificũ de habendis imaginibus, adhæsit.

Lex nulla est quæ damnet imagines.

Exod. 25. Signa fieri iussit Deus.

Imaginum cultum tuentur Bulgari contra Regem suũ.

Occumbit Hildebertus Abbas pro earum defensione.

Venio ad constantem Ecclesiæ Sanctæ vsum, iam inde à Christo Domino eius fundatore, receptum, quem nascentis Ecclesiæ suæ primordia, præluſtri, eaque mirabili propriæ faciei in linteo impressione, quam ad Abagarum Edessæ Toparcham misit, decorasse, testantur Synodi Nicænæ secundæ Patres, act. quinta: agnouit ac recepit eam Stephanus Papa, in Conc. Romano, vt auctor est Hadrianus Papa, qui eam tuetur historiam, in Epist. quam scripsit ad Carolum Magnũ Imperatorem: Ioannes quoque Damascenus, lib. 4. de Fide, cap. 17. de quâ & miraculis, inde editis Euagrius histor. scholast. lib. 4. cap. 26. Nicephor. lib. 2. cap. 7. de quâ & Græci annuam celebritatem agere consueuerũt 17. Calend. Septemb. vt constat ex eorum Menologio; sicut & de ea Saluatoris imagine, quæ Beryti in Syriâ, tempore Constantini Iunioris & Irenes vxoris eius, à Iudæis crucifixa, tam copiosum emisit sanguinem, vt Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo vbertim acceperint, vt habet Martyrologium Rom. Nouembris 9. alterius quoque miraculi ex imagine Saluatoris quæ Constantinopoli à Iudæo ferro percussa, sanguinem fundens, in puteum deiecta est, annuam agunt commemorationem quinto Idus Augusti. Scribit autem Nicephorus ex Procopio, Cosroëm Persarum Regem, Edessâ Ciuitate hostem cum exercitu propulisse virtute imaginis faciei Domini nostri Iesu Christi, quam conseruatam publicè inuenit, receptam per Abagarum Toparcham, quæ hodie Romæ ostenditur, inquit Vasquez in D. Syluestri sanctimonialium æde. Similem Dominici vultus effigiem in linteo duplicem, dum ora Crucem baiulantis, sanguine & sudore madentia tergit, excepisse Verenicem (quæ vulgò Veronica dicitur) tanquam pij obsequij mercedem, antiqua traditio est: eius meminit Albericus in Dictionario; & in Bibliothecâ Vaticanâ historiam manu scriptam exstare contendit Bellomontanus, in quâ, qui ea Romam Tiberij temporibus perlata sit, narratur, vbi nunc in D. Petri, sicut etiam in Hispaniâ in Giennensi Ecclesiâ, asseruatur. Augustæ quoque Taurinorum, totius Dominici Corporis in sindone, quâ inuolutum iacuit in sepulcro, ab ipsomet Corpore sanctissimo, signata seruatur, & colitur. Fecerat & Nicodemus toreuma clarum, siue crucifixi Christi effigiem, hanc memorant fuisse; quam Iudæi in Beryto Ciuitate flagellatam pupugerunt, de quâ suprà; & Athanasius in Syriâ Episcopus, vt probat Baron. in Martyrologio, 9. Nouembris, lib. exhortationis ad Monachos, tractatu de passione imaginis, per septem capita.

9. Imaginem vultus sui in linteo Christus expressam reliquit.

Eam Græci solennibus ferijs colũt.

Imago Christi copiosum sanguinem fudit & colitur.

Imaginis Christi miracula.

Veronica.

Imago totius Christi corporis in Sindone expressa Taurini colitur.

Quid cælaturam memorem Christi imaginis, quam æneam Cæsareæ Philippi Syrophœnissa, quòd à profluuio sanguinis, quo laborabat, à Christo liberata fuisset? non ingrata beneficio sanitatis, inquit Iudocus Clichtoueus, serm. Dom. 24. post Trinitatem in monumentũ illius miraculi, ante fores domus suæ posuit, vnâ cum suâ ipsius imagine, suppliciter palmas ad Christum tendente: quam Christum ipsum, eiusque discipulos, sæpè vidisse haud dubium, & totis trecentis & amplius annis sarta tecta, ad Iuliani vsque Apostatæ tempora perseuerauit; eamque se vidisse testatur Eusebius Pamphilus, lib. 7. Histor. Ecclesiastic. capite 14. de quâ & Histor. Tripart. lib. 6. capite 41. & 42. Sozomenus: Nicephorus quoque Callix. lib. 5. Historiar. capite 15. & 16. & lib. 10. capite 30. atque ad eius imagines Christi basim herbam nouæ speciei, & priùs non visæ enasci

Imago Christi ænea, à Syrophœnissa posita.

Hanc vidit Christus nec improbauit.

Herba miræ virtutis

ad eius radices orta.

enasci tradunt, quæ vbi, ad fimbriæ vestimenti imaginis Christi, contactum vsque excreuisset, morbis omnibus curandis admodum valeret, id quod etiam refert Theophylact. in cap. 9. Matth. Cæterùm, eam loco mouisse Iulianum, eique statuam suam subrogasse, quæ cælo tacta discerpta est, auulsúmque à reliquo statuæ corpore caput, non secus ac ab idolo Dagon 1. Regum 5. dispersum est.

Iulianus amouit, & suam posuit quæ fulmine tacta est.

10. Imago B. Virginis à D. Lucâ depicta. Sinęses Virginis imaginem colunt.

Exstant præterea Diuæ Virginis Deiparæ imagines, illa maximè, quam D. Lucas Euangelista depinxisse, constanti traditione habetur, meminit Nicephorus lib. 14. cap. 2. Sinenses ipsi, qui (vt credibile est) prima Christiani dogmatis semina, à D. Thomâ Apostolo olim susceperunt, quamuis modò gentilium teneantur erroribus, nihilominus, quas primùs susceperunt, etiamnum retinent, seruant, obseruant, & venerantur, Deiparæ imagines, vlnis suis paruulum filium gestantis, coram quâ preces suas fundit, neque illius obseruātiæ vllam ipsi rationem reddunt, quàm quod virgo permanens pepererit, fueritque Regis magni filia, atque omnem vitā sanctissimè, omnisque noxię expertem traduxerit: ita Ioannes Gonsalez de Mendosa noster, rituum & cōsuetudinum regni Sinensis lib. 2 c. 1. qui etiam refert ex Gasparo de la Cruz Lusitano Ordinis Prædicatorum, in insulâ quadam prægrandis cuiusdam fluminis, exstare domum amplam, instar Monsterij regionis illius, in qua sacellum velut oratorium, à Gasparo conspectum, auratis cinctum clatris, in quo, altare, supellectili sacrâ & prædiuite adornatum, in quo, mulieris admodum decoræ imago sculpta, cuius collum brachiolis complectitur puer decorus; & coram imagine, lucernam vigili flammâ lucentem.

Lucerna vigil ante eam

Apostolorū etiam fuerunt imagines.

Frequentissimæ insuper Diui Augustini sæculo, aliorum Sanctorum imagines fuisse, constat ex eodem lib. 1. de consensu Euangelistar. cap. 10. vbi refutans eos, qui se libros Christi ad Petrum & Paulum legisse affirmabant, ait: *Et occurrit eis Petrus & Paulus, credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt.*

Imagines fieri, apostolica traditio est.

Ex his liquet, Apostolicam esse traditionem & consuetudinem, iam à prima ipsius Ecclesiæ origine inolitam, Diuorum imagines cælatis, pictisvè operibus adumbrare. Atque adeò, nulla satis firma ratio excogitari potest, quâ efficiatur illicitum esse illas formare; præsertim, cùm non modò licitum honestúmque sit, sed etiam ad eruditionem perquam vtile; vnde Magnus Gregorius, imagines vocat Idiotarum libros; caracteres etiam & notas esse dixeris, quibus animi ad pios in Deum affectus excitantur, namque

Sunt idiotarum libri.

Segnius irritant animum demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Instruunt ad pietatis officia.

Quemadmodum enim multa per vitrum aut succina pellucent iucundiùs; ita magis delectāt, per imaginem repræsentata, quàm audita Sanctorum facinora: demùm sicut habet plus caloris radius speculo aut æneâ pelui exceptus, ita vehementiùs afficiunt animos nostros, quæ per imagines traduntur: veluti quum artifex in tabulâ magno studio depictâ, ostendit spectatoribus, quid ibi sit egregium, & admiratione dignum, vt quum exprimitur historia Abraham suscipientis tres viros, aut Isaac filium immolantis, commendatur nobis hospitalitas erga peregrinos suscipiendos, & in ministrando humilitas, obedientiaque & fides in Deum. Quapropter, si inspirata diuinitùs Scriptura, exempla Sanctorum, intellectualibus quibusdam efformata signarijs, aut timenda, aut veneranda, aut imitanda, oculo mentis obijciat, veluti Protoplasti lapsum, quem Angelus flammanti machæra paradiso eliminat, & terret. Abrahæ fidem paratam in Isaaci necem, Dauidis & Magdalenæ expiatrices criminum lacrymas: Quidni acceptas intellectu imagines, oculis corporeis spectandas, ad imperitioris cuiusque instructionem, industriùs conformet artifex? Quinimò, illustre illud Græciæ lumen D. Basilius, vt habetur septimæ Synodi act. 6. visâ Abrahami filium immolantis imagine, sæpiùs illacrymasse dicitur.

Imaginum vsus Conciliorum auctoritate firmatur.

Accedit Conciliorum auctoritas, septima inprimis Synodus generalis, quæ est Nicæna secunda contra Iconomachos coacta: item octaua generalis, can. 8. Romana mille ferè Episcoporum sub Gregorio 3 anno Domini 733. iuxta Sigebertum: rursus alia Romana sub Stephano III. anno 768. eodem auctore, cuius meminit Hadrianus primus in lib. de Imaginibus ad Carolum magnum: Item Gentiriacensis, sub Ludouico Pio Caroli Magni Filio, anno 766. vt Sigeberto placet, & Aimonio Annalium Franciæ lib. 4. cap. 67. Et tandem Tridentina ss. 25. vnâ voce omnes, vnoque spiritu, Iconomachos impietatis damnarunt: sacrarum imaginum vsum, ab iniuriâ & contumeliâ vindicantes. Non est cur Basilios, Nazianzenos, Damascenos, Epiphanios, Augustinos, Gregorios, aliosque Ecclesiæ Romanæ Proceres referam, ex quorum scriptis, istam veritatem haurire, cuique promptum est, omnibus mirâ consensione, in illius defensam conspirantibus.

Angelorum, & ipsius Dei licere signa & tabulas formare.

11. De imaginibus Dei & Angelorum, an ex formari possint.

Reliquum est, vt quod de Christi, Deiparæ, aliorúmque Sanctorum, hoc quoque, etsi non omninò itidem, de Angelorum, Deique ipsius iconibus, dicamus: quia etsi eas sculpere, per verus sit, plurimorúmque Patrum consensione firmatum: nulla tamen de his exstat traditio, nulla Concilij alicuius sanctio, neque tanta Patrum conspiratio, quanta de alijs: id quod non obscurè Tridentinum sessione 25. insinuasse videtur: nam cùm principio decreti, de inuocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorum, sacrisque imaginibus, sub his verbis, *Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus, curamque sustinentibus, vt iuxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ vsum, à primæuis Christianæ Religionis temporibus acceptum, de legitimo Imaginum vsu, fideles diligenter instruant*, traditionem, Patrum cōcordiam, & Conciliorum decreta comprehendisset, postea tamen, Christi, Deiparæ, aliorúmve Sanctorum dumtaxat imagines memoret, quas in templis habendas & retinendas, necnon debito honore & veneratione colendas decernit: neque vlla Angelorum, Deique Imaginum mentio: quanquam tamen paulò infrà, in sacris historijs depingendis, Deum ipsum, imagine aliquâ describi quandoque supponat, vnde populum doceri præcipit, non propterea Diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.

Imagines Sanctorum licitè fieri de fide est. Non sic est de imaginibus Angelor. & Dei.

Quibus Concilij verbis, docemur, de fide esse, signa & tabulas Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum, licitè cælari, pingivè posse: non ita Dei, atque Angelorum: vnde non defuerūt etiam ex Catholicis, qui Sanctissimæ Trinitatis imagines, censuerint non esse fabricandas, sed Dei in assumptâ humanitate: ita Henricus Quodlibeto. 10. quæst. 6. Durandus in 3. dist. 9. quæst. 2. ad 4. Abulensis Exodi 20. quæst. 39. vbi Sanctissimæ

ctissimæ Trinitatis imaginem, Arriani erroris occasionem subijcere tradit, fore enim vt tres Deos essentialiter, & realiter distinctos, tanquam tria supposita humana, suspicemur. Parissimum illud quod Deuteron. 4. quæst. 5. tradit, quòd quanquam Ecclesia vel receperit, vel dissimularit imagines tres figurantes personas, non tamen rectè eas fieri quia idololatriæ, hæresisque Arrianæ, inductiuæ magis sint. His accedit Ayala de traditionibus 3. parte, tractatu de imaginibus, cap. de earum antiquitate. Sed næ, illi vehementer errarunt, qui tamen reprehendendi non essent, si de quibusdam tantùm Sanctissimæ Trinitatis imaginibus loquerentur, quæ vsque adeò incongruæ, indecentesque sunt, vt eas exsibilandi, Catholicosque subsannandi, aduersarijs ansam præbeant; qualis fortè illa Sinensium, cuius meminit Gonzalez de Mendosâ noster, rituum Chinensium siue Sinensium lib. 2. cap. 1. habent enim illi inter Idolorum suorum statuas, vnam præcipuè, cui primarium cultum & reuerentiam, vnicorpoream quidem, sed tricipitem, emergentibus ab humero sursum tribus capitibus ad inuicem conuersis, quâ vultuum conuersione, vnicam esse trium voluntatem, vnicum velle, placere commune, significari tradunt. Habuisse namque illos olim Sanctissimæ Triadis mysterij notitiam à D. Thomâ Apostolo traditam, fama est, quam huiusmodi signario expresserint, tanquam acceptæ disciplinæ vestigio quodam. Cōstat siquidem ex Armeniorum monumentis literarum, Diuum Thomam, cùm in Indiam profectus esset, Sinensium Regnum adisse, ibique verbum Dei, & Religionis Christianæ prima rudimenta disseminasse; verùm cùm ob continua bella Regionem illam turbantia, parum promoueret, relictis ibi aliquot ex ijs quos ad Fidem conuerterat, in Indiam penetrasse: vnde apud illos, non solùm illud tale quale Trinitatis vestigium, sed etiam figuræ duodecim cum suis insignijs, in speciem duodecim Apostolorum, quarum ipsi non aliam reddunt rationem, quàm quod fuerint magni Philosophi, quodque sanctissimè vixerint, proptereaque in numerum Angelorum sint recepti. Hactenus ex Mendosâ.

Imagines Trinitatis reprehensæ.

Sinenses fidem Trinitatis habuerunt.

A D. Thomâ in fide eruditi fuerūt.

Imagines Apostolorū apud eos fuerunt.

Sed vt ad eam nostrorum sententiam reuertar, qui iconas Dei reprobarunt, absolutè non vacat temeritate, siquidē Ecclesiæ consuetudini iam pridem inolitæ, planè aduersatur. Quid enim tam commune, tamque vsu receptum est, quàm nascentis mundi originem in templis describere, atque illius conditorem Deum delineare? Quid vulgare magis quàm Patris æterni sub venerabilis cuiusdam senis figurâ, formare imaginem, quò aliarum personarum fons, & origo, & principium esse significetur, quāuis ipsæ coæternæ sint, & coæquales? Quid porrò tam probatum, quàm Spiritus Sancti imago sub figurâ columbæ, in cuius specie, quum Iordanis fluente limpidâ baptizaretur Christus Matth. 3. apparuit? Admisit illam septima Synodus Act. 5. & grauiter increpitus Seuerus Hæreticus, quòd aureas, argenteasvè columbas, simulamina Spiritus Sancti, sacros supra fontes appensas; ausus sit tollere: cuiusmodi figuras Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, prò admissis, communi Patrum consensione habet; infertque potiori multò ratione recipiendam esse Christi imaginem, qui verum corpus humanum habuit, quam recipit etiam Abulensis; cuius viri, aliàs absolutè docti, contrariæ nostris firmamentis rationes, ex ijs quæ supra diximus, euictæ sunt, atque disiectæ; quandoquidem non propriæ, sed hieroglyphicæ, siue mysticæ sint Numinis imaginum repræsentationes.

Deus Pater, sub senis imagine.

Spiritus S. sub columbæ figurâ.

Mysticè repræsentātur.

12. Catholicum itaque dogma est, Dei, Angelorumque imagines & statuas, licitè adornari posse: quod vt prætereà ratione aliqua stabiliatur, suam adfert Bellarminus, ab artis naturâ petitam: Artis est, inquit, imitari naturam, quum autem nihil ita naturale homini, quàm Deum sub imagine corporeâ apprehendere, imò neque aliter omninò concipere queat, teste D. Nazianzeno Orat. 2 de Theologiâ, quum inquit, *Mens nostra quamuis multum laboret, ea tamen quæ corporea sunt, omninò transilire non potest*; quam de Deo humana cogitatio formauerit imaginem, eam ars poterit imitari, atque adeò Deum ipsum corporeâ similitudine exprimere. Facit ad huiusce rationis robur, quod Alanus Copus habet, Dialogo 5. cap 5. Deum videlicet nominibus corporeis, quæ auditu percipiuntur, significari, atque repræsentari, cur non similiter corporeis imaginibus? Neque enim minùs corporeus est auditus, quàm visus: & ipsæ voces non magis quàm picturæ in ipsam penetrant Diuinitatem.

Imago Dei, fit secūdum eius apprehensionem corpoream.

Veruntamen non ita firmæ sunt istæ rationes, quin expugnari queant, inprimis namque, voces & scripturæ, aliter repræsentant quàm imagines; Harum enim repræsentatio in formali similitudine exterioris figuræ fundatur: illarum verò in virtuali quadam conuenientiâ & analogiâ, à liberâ hominum impositione proueniente: quare in his nullum subest periculum Deum ex parte obiecti aliter cognoscendi, quàm in se sit: in imaginibus verò subest aliquod, sicut opponit Abulensis, ne credatur Deus corpoream figuram, humanaque membra, instar hominis, habere, sicut olim Antropomorphitæ credidisse traduntur. Cuius periculi vitandi gratiâ, populum erudiendum consentia sacra Concilij Tridentini, præcipiunt.

Refellitur ratio Alani.

Ruit pariter Bellarmini ratio: corporea namque Dei imago per cogitationem nostram apprehensa, non se tenet ex parte obiecti cogniti, sed ex parte modi cognoscendi: nulla verò falsitas est in eo quod res aliter cognoscatur ex parte intelligentis, quàm ipsa sit, vt rectè Doctor Angelicus 1. parte quæst. 13. art. vltimo ad 3. Inesset autē falsitas quàm maxima, si aliter quàm sit ex parte rei, intelligatur; vt si homo rationis expers; vel saxum leue concipiatur, fallitur intellectus: non errat, si rem materialem, immaterialiter; simplicem, ad modum compositæ cognouerit: sique ad intelligendam Dei substātiam, eo vtatur modo, quo corporea intelligit: imago autem ad normam artis elaborata, se tenet ex parte obiecti, vnde cognitio rei, per huiusmodi imaginem, à Philosophis, obiectiua instrumentalis appellatur.

Refellitur Bellarminus

Alia igitur quærenda ratio. Neque verò firmior vlla haberi posse videtur, quàm si ex euerso aduersariorum fundamento eruatur. Ait autem Abulensis, nullam Dei imaginem fabricandam esse, hæc enim corporea est, ille verò incorporeus: Sed arietis huius facilè retunditur impetus, si ex Dei præscripto (vti iam diximus) Angelorum, qui etiam incorporei sunt, imagines, & fabrefactæ, & intra Sancta Sanctorum collocatæ, memorentur, quemadmodū traditur Exod. 25. & 3. Reg. 6. Deus autem fallere potest neminem: igitur ipsiusmet etiam imago effigiari poterit. Neque est quod ex septimæ Synodi act. 5. opponatur, Angelos non esse omninò corporis expertes, id quod & D. Ioan. Damascenus tradidisse videtur, atque negasse vllam Deo statui posse imaginem. Quamuis enim istud olim multorum Patrum auctoritas probabile fecerit,

Vera ratio.

modò tamen, post Lateranense Concilium sub Innocentio III. adstrui non potest: in eo namque sanctum videri, cælestes illas Intelligentias, omnis omnino corporis expertes esse; vel saltem, tanquam certum, indubitatumque supponitur, vt in capitulo firmiter de summa Trinit. videre licet, vbi habetur, conditam à Deo esse creaturam spiritualem, id est, Angelicam, & corporalem, id est, mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constantem: quod ex D. Augustino sumptum est. Soliloquiorum cap. 32. vbi ait: *Tuâ omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidisti creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam quasi communem, ex corpore & spiritu constitutam,*

Angeli incorporei.

Diuus autem Damascenus, non omnem prorsus Dei imaginem sustulit, sed eum, non sicut Angelos figurari asseueravit, quòd eos corporeos esse existimaret; quinimò aliquas esse Dei imagines, ex sacrâ paginâ probat, vbi quandoque in humanâ specie apparuisse perhibeatur. Quanquam enim diuinæ apparitiones Angelorum ministerio, regulariter, ex Patrum sententiâ fierent, quibusdam tamen, non improbabiliter visum est, Deum aliquando in lege veteri, immediatè in humanâ specie apparuisse: cuius sententiæ videtur fuisse Hilarius lib. 4. de Trinitate, & in Psal. 68. vbi dicit, Dei filium ad assumendæ carnis fidem, in hominis specie ab Abraham adoratum, & cum Iacob collocutum fuisse, Nazianzenus quoque in tractatu de Fide, & Cyprianus. Quapropter non secus atque Angeli, qui, quod in humanâ figurâ visi sint, ab Apostolorum inde temporibus, humanis describi mēbris consueuere sicut ex D. Dionysio cælestis Hierarchiæ cap. vltimo habes, vbi tradit, vt pingantur veluti iuuenes, formosi, alati: Deus ipse, ob eandē rationem, forma hominis poterit figurari.

Apparitio Dei in humana specie

Capitis 21. §. 4.

Diuorum, diuinitatisq́; imagines, in templis esse collocandas, & colendas.

1. Cæsarum statuæ venerationi fuerunt.

MAneat itaque signa cælituum licitè formari, id quod etiam ipsi tandem hæretici, nō diffitentur: cur enim, imperatorum Regúmve statuas admittant, repudient cælestium? & quidem Cæsarum statuis olim magna veneratio. Capitale fuit Tiberij tempore, circa Augusti simulacrum seruum vendidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo, effigiem impressam latrinæ vel lupanari intulisse, vt ait Suetonius in Tiberio cap. 58. Et Seneca lib. 3. de beneficijs, tradit, hoc imperante, Prætorium quendam virum, in annulo Cæsaris imaginem sculptam habentem, cùm matellam sumpsisset, maiestatis accusatum: quod imaginem obscœnis admouisset. Lucius Ennius eques, Romæ maiestatis postulatus, quòd effigiem Principis promiscuum ad vsum vertisset: quem tamen inter reos recipi, Atteio Capitone Iurisconsulto contra censente, Tiberius vetuit: & qui imagines vel statuas Imperatoris iam consecratas, conflauissent, aliúdve quid simile admisissent, Legis Iuliæ maiestatis tenebantur, ex responso Venoleij I. qui statuas. 6. ad leg. Iul. maiestat. Ælius Spartianus in Antonino Caracalla scribit, dānatos à Bassiano, aliàs ab Antonino Caracalla, qui vrinam in eo loco fecerāt, in quo statuæ aut imagines erant Principis. Et sub Domitiano mulier, quod exuta fuisset ante statuam, interfecta est, teste Xiphilino ex Dione, in Domitiano. Diodorus namque Siculus lib.

Imagines Imperatorū violasse, capitale fuit.

13. Biblioth. imaginum contemptum & offensam, ad inuidiam trahit eorum, quorum sunt imagines: atque ita sensisse populum Atheniensem tradit, agens de bello contra Siculos decreto: *Iam classe procinctâ,* inquit. *statuæ quæ per vrbem dispositæ erant, innumera multitudo, nocte vnâ omnes detruncatis capitibus repertæ sunt. Quod tantum facinus populus haudquaquam casu aliquo euentuque contigisse arbitratus, sed ab eis potiùs patratum, qui gloriâ aliquâ elati, ad soluendum statum popularem inuigilarent, odio iraque sæuire atque infrendere cæpit, eiusque flagitij auctores inuestigare infensè atque obnixè, magnis indicij præmijs propositis.* Quod si profanorum statuis tanta veneratio, cur nulla sacrorum? Hæretici eas in templis inferendas, venerandasque habēdas negant. Aiunt enim Iudæorum fida traditione haberi, non tam lege suâ cauisse Deum ne sculptile fieret, quàm ne templo inferretur, & coleretur, ob cuius traditionis obseruantiam, paratiores apud Iosephum lib. 18. Antiquit. cap. 11. & lib. 2. de bello Iudaico cap. 9. vitam profundere; ipsos Iudæos fuisse legas, quàm vt statuas vel tabulas pictas in locum sacrum admitterēt: Quin etiam superstitiosæ Romanorum ambitioni, laqueis collo depensis, occurrebant vociferantes, infamem sese potiùs nexum passuros, quàm patrias traditiones violari, & templum sanctum, signarijs temerari. Et hac animosa diuini præscripti traditione accepti, tuitio quibusdam interpretibus sacræ scripturæ, ansam præbuit dicendi, verba illa Christi Matth. 24. *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto,* de Titi & Adriani Imperatorum statuis, in Hierosolymitano templo positis (quod abominabile Iudæi arbitrabantur) esse intelligenda, vti in eum locum refert D. Hieronymus.

Imagines Sanctorum, hæretici in templis habendas negant.

Matt. 24.

Postea verò, Adrianum Imperatorem Christianæ religionis studiosum, templa quidem ædificandi Christianis fecisse potestatem, sed ea sine imaginibus esse voluisse, nimirum vt priscæ Christianorum subseruiret consuetudini, quâ nullæ in templis habebantur imagines, habet Lampridius in Alexandro Seuero. Atque hinc fit manifestum in primitiuâ Ecclesiâ nullum fuisse vsum imaginum: id quod ex Breuiario Romano rursum adstrui potest, vbi ad v. Nonas Nouembris legitur, anno partus virginei 316. vt vult Baronius, Diuo Syluestro Pontifice, Romano populo tunc primùm Seruatoris imaginem in pariete depictam apparuisse. Sed & antiquissimi Concilij Eliberitini in Hispaniâ, constitutione sanctum est, in hunc modum: *Placuit picturas in Ecclesiâ esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Et quid tandem ad Epiphanium, qui visâ in templo ardente lucernâ coram linteo, in quo siue Christi, siue cuiusuis Beatorum depicta imago, linteum protinùs lacerauit, vt ipsemet testatur in epistolâ ad Ioannem Hierosolymitanum, quæ est inter D. Hieronymi sexagesima, indignatus contra scripturarum sanctarum auctoritatem, hominis in Ecclesiâ pendere imaginem? quo ex facto à sacris ædibus procul arcendas imagines, quis non videt? quis non iudicet?

Verùm, non hæc tanti sunt, vt à veritatis petrâ vel latum vnguem nos dimoueat, per quam fixæ firmæque sunt, in templis, oratorijs, lararijs, alijsque locis Diuorum imagines, atque ita firmatæ, vt nulla vis erebi, refigere valeat; maximè cum Christo gubernatore, Spiritu sancto proretâ, definitum sit in Tridentinâ Synodo, Christi imagines, Deiparæ, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas. Et ne quisquam arbitretur, nouissimi nos

2. Refelluntur hæretici.

Concilij

Cõcilij autoritatem interponere, quasi antiquitatis monumentis destituamur: ecce autem Isidori Pelusiotæ sententiam, & in Concilio Niceno, 2. actione 1. prædicatam, quâ dicitur, *Temporis nulla ratio, quod non ornatur imagine*: quam quoque exscripsit D. Ioan. Damascenus lib. 3. de imaginibus, vt habet Baronius in Martyrologio. 4. Februarij. Quid quòd Symeonis Stylitæ monachi Antiocheni, qui centenario maior anno à Christo 460. quarto Leonis magni Imperatoris anno, obdormiuit, ob insignem viri sanctitatẽ, imagines, Catholici varijs in locis, quasi tutelares habuerint? ita Baronius. 5. Ianuarij: *Huius egregia sanctitas, admirandumque vitæ genus quod excoluit, non tantum in Syria vbi agebat, sed toto innotuit orbi; Romæ etenim, vt præsens, adeò notus fuit, vt opifices in omnium officinarum vestibulis, alij in porticibus (vt scribit Theodoretus) imaginem eius affigerent, hinc vnusquisque (vt ait) sibi auxilium ac tutelam parantes.*

Symeonis Stylitæ imagines ab omnibus acceptæ.

Sed agedum, pari cum aduersarijs contendamus serie. Opponunt ipsi scripturæ sacræ testimonium, opponimus & nos, non quo se inuicem destruant, sed quò vnum alterius suppleat intellectum: igitur 3. Regum cap. 6. ex diuinæ maiestatis præscripto, Cherubinos aureos in templo positos esse legimus; sunt igitur templa signorum locus. Nec est quòd adferatur, nõ ad cultum, sed ad ornatum ibi collocatas: quod enim agimus, est, non finem inquirere, ob quem templis inferri vetabantur imagines, sed solùm, an licitè in æde sacrâ ponantur. præterquam, quòd si rigidæ Iudæorum traditioni standum est, quã tanquam radicem siue pedamentum suarum rationum aduersarius ponit, illi, neque ad ornatũ, imagines in templo constituere, sibi licitum esse putabãt, id quod ex Iosepho luculentum est, qui lib. 17. Antiquitatum cap. 8. fortissimos iuuenes memorat, qui aquilam auream, quam Herodes in maiori templi portâ dedicauerat, contra leges suas illud esse arbitrantes, confregere. Quin imò in vrbem quoque nullas admittebant imagines, sed perquam procul esse iubebant, sicut seditio illa testatur, quæ, quòd Pilatus signa militaria, in quibus descriptæ Cæsaris imagines, Hierosolymam inferre vellet, coorta est: de quâ idem Iosephus lib. 18. Antiquit. cap. 4. & lib. 2. de bello Iudaico cap. 8. Leuis igitur est ea ratiocinatio, quæ superstitionis Iudaicæ fulcro firmatur. Neque etiam ea verborum Christi Domini Matth. 24. interpretatio, textui adaptari potest, vti Maldonatus in eum locum, satis probatum reliquit.

3. Reg. 6. Imagines licitè in templis collocari.

Aquila aurea Herodis euersa.

Imagines Cæsaris non admiserunt Iudæi.

3\.

Accedant quoque Gentilium monumenta, Lampridius vbi suprà, refert Alexandrum Seuerum Christi Domini imaginem in larario suo, siuè in domestico sacrario, quod nos oratorium dicimus, habuisse: nimirum à matre Christianâ edoctus, nonnisi in sacratioribus locis huiusmodi imagines esse dedicãdas. Istud autem integro ferè sæculo ante Antistitis summi Syluestri tempora contigit. In populo verò Romano, non mirum nullas ante Syluestrum publicè dedicari solitas, quippe, quòd nulla adhuc exstarent Christianorum aperta templa. Verisimile tamen est, nonnullas in cryptis, secretioribusve locis, quò Christiani ad mysteria conueniebant, habitas fuisse, etiam Romæ, quando & ipse summus sacrorum Antistes Syluester, Diuorum Petri & Pauli Apostolorum imagines clàm penes se haberet, quas Constantino Imperatori necdum Christianorum mysterijs initiato, necdum, inquam, regenerationis lauacro abluto, videndas, & ex facta sibi eorum Apostolorum visione, recognoscendas exhibuit, vti testatur Adrianus I. Pontifex, in epistolâ primâ, quæ Conciliorum tomo 3. parte 1. habetur. Tertullianus insuper, Syluestro antiquior lib. de Pudicitiâ cap. 7. Christi Seruatoris imaginem, sub Pastoris, ouem errantem humeris suis impositam portantis figurâ, in sacris vasis exprimi solitam, abundè testatum reliquit: *Procedant*, inquit, *ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrumne Christiano, an ethnico peccatori de restitutione conlinies.* Constantinum Imperatorem, eo in loco in quo regenerationis lauacro ablutus, & corporis & animæ lepram dimisit, agnum ex auro puro puto: (hac enim figura Christus exprimi cœpit ex quo D. Ioannes Baptista de illo dixit *Ecce agnus Dei*:) ad eius dexteram Saluatoris ex argento statuam, ad læuam, diui itidem Ioannis Baptistæ argenteam collocasse, atque in Lateranensi Ecclesia, imagines argenteas Christo Seruatori, Apostolis duodecim, Angelisque sanctis quatuor posuisse, auctor Damasus in vitâ Syluestri. Eximiæ, duas cruces aureas, discum, & calicem, & thuribulum, omnia aurea, possedit Sergij sacra ædes, liberalitate Cosrois Persarum Regis, vt scribit Euagrius lib. 6. cap. 21. Pulcheriam Augustam in templo, quod Constantinopoli erexerat, quam ab Eudociâ Hierosolymis Deiparæ Virginis imaginem acceperat, posuisse testatur Nicephorus lib. 14. cap. 2. Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum, pretiosum stemma in sancto altari, in vasis aureis & lapidibus venustis, & quadrangulis, velis antiquitùs ex auro & purpura clarè contextis, atque admirabilibus sanctis imaginibus variatum obtulisse, scribit Paul Diacon. rerum Romanarum lib. 24. Othonem III. Imperatorem Spirensi Ecclesiæ auream crucifixi Christi imaginem donasse, in quâ simul ipsius Imperatoris viua expressa erat imago, auctor Bruschius: Sed vt his donarijs supersedeam.

Imaginem Christi in larario suo habuit Alexand. Seuerus.

Imagines nullæ ante Syluestrum PP. dedicatæ.

In particulari tamen obseruatas fuisse.

Sotteris nostri in agro antiquâ sacri Iesu effigie ouem humeris suis portantis.

Constantinus Imperator imagines dedicat.

Cosroës Persarũ Rex Cruces, &c.

Augusta, & imaginem Deiparæ.

Michaëlis Imperatoris donum imaginibus adornatum.

Otho Crucifixum aureum donat Ecclesiæ.

4\.

Ex dictis constat, quantum ab Hæreticis erratum sit, primitiuam Ecclesiam, totos quingentos annos, templis, locisque sacris nullas admisisse imagines, contendentibus. Sed aliud in nos illi è corytho telum, Eliberitini nempe Concilij canonem, quo nos vrgent, irrito tamen conatu: cuius resultu ipsimet confodiuntur. Ex eo namque luculenter patet, iam imaginum in templis inoleuisse consuetudinem, alioqui vana esset picturarum ista prohibitio. Cumque hoc Concilium ante Syluestri tempora celebratum fuerit, vt testatur Baronius anno 57. num. 119. satis constat, etiam ante Syluestrum Papam, Ecclesias imaginibus solitas exornari, igitur confodiunt illi, atque (vt dicitur) cornicum oculos configere gestiunt.

Ad auctoritatem Concilij Eliberitini.

Sed vt quantum huic Conciliõ, quantumque huic eius sanctioni tribuendum sit, innotescat, non defuere autores magni, velut Bellarminus lib. 2. de imaginibus Sanctorum cap. 9. Canus lib. 1. de locis. cap. 4. Baronius anno salutis 57. num. 119. & alij, qui nullam huiusce Concilij rationem habendam esse censeant. Sed frustra sunt, Catholicum enim fuit Concilium, quanquam prouinciale, & in eo præsignes viri Catholici quos vt prætercam, vnum Osium Cordubensem Episcopum, honoris gratiâ nomino, qui postea Concilio Niceno primo, præfuit, plurimisque laudum encomijs à Sancto Athanasio celebratur. Quare, si quid aduersus imagines censuissent, ingentem Iconomachis sui erroris tuendi suppeditassent materiam. Addè præterea, hoc Concilium Pontificiâ Innocentij primi auctoritate, in epistolâ ad Exuperium, fulciri: quæ caussa fuit Baronio ad annum à

Quid de isto Concilio sentiendum.

O 2 Christo

Christo 305. num. 42. vt præteritam censuram moderaretur.

Igitur varia sunt prædicti Canonis, Doctorum interpretamenta, quæ Sanderus lib. 2. de adoratione imaginum, Martinus Ayala tractatu de traditionibus parte 3. cap. de antiquitate imaginum, Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ sanctæ Annotat. 247. Alanus Copus, Dialogo 5. cap. 16. Franciscus Turrianus de dogmaticis characteribus, lib. 3. alijque complures referunt. Vnum mihi præ cæteris probatur, prudentem videlicet fuisse tunc temporis illam prohibitionem, quando nimirum, in Christianos, resque Christianas, sæuientium Constantij & Galerij tyrannorum, grassante furore, nihil sanctum, nihil intemeratum, nihil impollutum seruari poterat, quin contaminata omnia, etiam ipsæ sacræ imagines in templorum parietibus effigiatæ, despectui, ludibrioque haberentur: ideoque eo in canone inhibitionis caussam expressam videri, quum dicitur, *ne, quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*: ac si dictum esset, ne quod à nobis adoratur, immobile in parietibus perseuerans, Ethnicorum immanitati, relinquatur obnoxium. Estque hæc gemina Concilij sententia, quidquid reluctetur Vasquez in 3. part. Diui Thomæ, disput. 105. cap. 2. numero 15. Adstricta igitur ibi est imaginum sacrarum antiquitas, & de earum integritate & religione cautum est. Subductæ sunt illæ, pro tempore, infestantium tyrannorum ludibrijs, non damnatæ. Vnde posteà, cessante constitutionis huius ratione, sublata est & autoritas. Et in septimâ Synodo, quæ est Nicæna 2. actione 7. sancitum est, imagines, ex quauis materiâ, in sacris basilicis collocandas, habendasque in vasis sanctis & vestibus; in parietibus, & tabulis, *definimus cum omni diligentiâ & curâ, venerandas sanctas imagines, & ad modum & formam venerandæ & viuificantis crucis dedicandas, & collocandas in templis*. Ita Concilium in definitione Fidei.

Eiusce Concilij prohibitio prudens fuit.

Tyranni nempe impietas Diuorum nudis parietibus imaginibus parcebant.

Auctarium sit, Canonem illum Elibertini Concilij nihil ad Iconomachorum errorem stabiliendum contulisse: satis intellectum à Claudio Taurinensi Iconoclastâ, qui ne verbulum illius ad suæ perduellionis defensionem; sicut neque Serenus Massiliæ Episcopus, à Gregorio Magno reprehensus, ad facti sui auctoritatem: quanquam tamen hic, non errore, sed religioso zelo, quum populum ad idolomaniam vergere sentiret, imagines confregisset.

Claudius Taurinensis Iconoclasta, & Serenus Massiliensis.

Iam verò, quòd Adrianus Imperator templa Christianorum sine signis, & tabulis esse voluerit, ideò est, quia quum illos fanorum, delubrorúmve simulacra auersari videret, falsò sibi persuaserit, omnes prorsus, itidem exhorruisse imagines: ita Alanus Dialogo quarto, cap. 2.

Ad edictum Adriani.

Venio nunc ad Epiphanium, cuius caussam cùm dubiam esse plerique existimarint, variè etiam eum excusatum volunt: sed vt è multis pauca: historiam istam non ab Epiphanio conscriptam, sed ab hæreticis suppositam, non leui coniecturâ tradunt, Alanus, Bellarminus, Sanderus; Baronius etiam Anno Salutis humanæ 392. num. 49. Vt tamen ea sit Epiphanij, sicut ex aliorum mente reuera est; nihil temerè ab Epiphanio factum, nihil non admodum excusatè. Nam cùm ad sanctum locum qui vocabatur Bethel, collectam ex more Ecclesiastico facturus pergeret, venissetque ad villam quæ dicitur Anablatha, vidissetque præteriens lucernam ardentem, ait, *Inueni velum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ, tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cuiusdem (non enim memini cuius imago fuerit) cùm ergo hoc vidissem in Ecclesiâ Christi, contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud.* Non igitur Christi, non alicuius Sancti ea fuit, sed in Ecclesiæ foribus appensa erat hominis profani imago (cuius verò hominis illa fuerit, non meminit) quasi ipsa esset, aut ipsius Christi, aut cuiusdam Sanctorum eius, cui perinde cultus & reuerentia tribuebatur, quod Scripturæ Sacræ autoritati aduersum censet, profani videlicet alicuius hominis, in ædis sacræ foribus pendulam habere imaginem, ac si Christi, vel alicuius cuiusdam esset, quæ animos ingredientium, ad sacrum cultum, venerationémve promoueret: ita Marianus Victorinus ad illam Epistolam: Vasquez disputat. illa 105. cap. 4. Azorius lib. 9. cap. 7. quæst. 1. Neque Baronio displicet.

5. Ad D. Epiphanium.

Profanæ imagines è templis amouendæ.

Eant nunc Hæretici, & tribulibus suis, fumosa tartari fuligine pariter infectis, fucos suos diuendant, vtpote parentis sui Cacodæmonis, ingeniosi discipuli: scripturarum vndique collecta ramenta, nullo modo inter se cohærentia, in suæ hæresis atque erroris confirmationem, velut de arenâ resticulas, nectentes; dictaque Sanctorum perperam interpretantes, quò suum tueantur, atque alijs persuadeant errorem: vel certè ad saniorem redeant mentem, fiantque ex corpore Christi, hoc opto, hoc voueo.

Finis ob quem Ædi sacræ induciuntur Imagines.

SVperest, vt quo fine imagines in templis collocentur, expediamus: præit nobis Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem in hæc verba. *Proinde & similitudinem vetans fieri* (Deus scilicet) *omnium quæ in cælo & in terrâ & in aquâ; ostendit & caussas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes: subjicit enim, Non adorabitis ea, neque seruietis illis. Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Moisi à Domino, non ad Idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos, qui à serpentibus infestabantur. Et taceo de figurâ remedij. Sic & Cherubin & Seraphin aurea, in arcæ figuratum exemplum, certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diuersas habendo caussas, ab Idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.* Sic censendum de sacris imaginibus, de quibus inprimis ita compertum est, nusquam meliùs quàm in locis sacris, eas posse constitui, tum vt præter Basilicarum sacrarum ornatum, etiam nos instruant (vt tradit D. Gregor. Nyssenus orat. in Theodor.) de rebus quas repræsentant, quò pertinet illud D. Gregorij *Quod Scriptura legentibus, hoc Idiotis præstat pictura, cernentibus*: tum vt mentes hominum contineant, ne cogitationibus inanibus euagentur: imagines enim etiam solitariæ, caritatem in Deum & in proximum fouent & augent: Tùm, quia templum est quædam imago cæli, ex Apostoli sententiâ ad Hebr. 9. vbi tabernaculum Mosaicum, cum cælo comparat, eorum quæ in cælo sunt imagines, in Basilicis esse decet, in quibus quoque Sanctorum Ciuium cælestis tabernaculi reliquiæ sunt repositæ, tum vt per eas ad beneficiorum Diuinorum memoriam, gratiarumque actionem, excitemur: tum denique, vt ex earum conspectu, vitâ Sanctorum, exemplarijsque virtutum ad mentem reductis, ad eorum imitationem, virtutumque exercitia, animemur

6. Imagines quo fine templis inferantur.

Ad instructionem & ornatum.

Pictura est idiotarum scriptura.

Templum est imago cæli.

memur, vti monet D. Ioan. Damascenus lib. 4. cap. 3. ac demùm, vt illis honos & veneratio debita, tribuatur: ita enim Synodus Nicæna act. 7. in templis dedicandas ait, *quò scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem & desiderium veniant, illisque salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non, secundum fidem nostram, latriam, quæ soli naturæ diuinæ competit, sed quemadmodum typo venerandæ & viuificantis crucis, & Sanctis Euangelijs, & reliquis, sacris oblationibus suffitorum & luminarium reuerenter accedimus.* Ita etiam Tridentina Synodus, cuius sententiam totidem verbis referre visum est, ait ergo ss. 25. *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam. Non quòd credatur inesse aliqua in his diuinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia sit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat Gentibus, quæ in idolis suam spem collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ, illæ repræsentant. Ita vt per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quòd Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ Synodi decretis, contra imaginum oppugnatores, est sancitum.* Auctoritate itaque sextæ Synodi, anno 680. vel vt alij 703. inquit Polydorus lib. 6. de rerum inuent. cap. 13. statutum fuit, vt imagines sacræ in templis haberentur, magnaque veneratione colerentur, vtpote quæ imperitioribus locò sacrarum literarum forent, ad quas etiam Romanorum ritu, thus & cerei incenduntur. Deinde Constantinus Pontifex habitâ Synodo id decretum corroborauit, iussitque vt imagines in porticu Diui Petri depingerentur, quòd intellexerat à Philippo Imperatore, eas à parietibus Diuæ Sophiæ ignominiæ causâ abrasas fuisse, propterea illum hæreticum pronuntiauit. Leo deinde III. idem fecit, quem Gregorius II. Pp. per literas admonuit, & reprehendit; postremò Leone IV. Imperatore mortuo, Irene eius vxore cum Constantino filio VI. imperante, conuentu trecentorum quinquaginta Episcoporum Nicæ habito, essentne Diuorum imagines templis restituendæ, an res in omne tempus repudianda: decretum, vt Romanorum ritu vbique gentium in templis haberentur, additaque est colendi forma duobus carminibus expressa, vt res scilicet ab omni idololatriæ suspicione abesset, quæ ex Græco in Latinum ita versa fuerunt:

Honos imaginum ad prototypa per eas repræsentata refertur.

Philippus Imperator imagines templi Sophiæ abrasit.

Imaginum colendarum forma.

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Ex quibus patet, quantum ineptiant hæretici, qui imagines, velut idola detestantur: quasi nos eis, debitum Deo cultum exhibeamus.

Cultum imaginum ex Apostolicâ traditione, & Patribus haberi.

7.

Imagines honorandas Apostolicâ traditione.

PORRÒ autem, cultum & reuerētiam sacris iconibus deferendam Apostolica traditio est, ita suscepit Ecclesia; ita Synodus 7. act. 7. in Confessione fidei. *Sic enim Patrum nostrorum obtinet disciplina, vel traditio Catholicæ Ecclesiæ*: ita Patres prodidere, D. Basilius in Iulianum, & refertur ab Hadriano Papa, in epist. ad Imperat. in 7. synodo act. 2. *Historias imaginum illorum honoro, & palam adoro, hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis, non est prohibendum.* D. Damascenus lib. 4. de fide. cap. 17. cultum crucis & imaginum ex Apostolicâ traditione esse dicit. Et D. Tho. 3. part quæst. 25. art. 3. ad 4. huiusce traditionis meminit, quam probat, tueturque Ayala, in tractatu de traditionibus, parte 3. in corollario de imaginibus Sanctorum.

Doceant etiam Patres, illas venerationi fuisse Christianis. Chrysostomus in Liturgiâ, *Sacerdotes ad imaginem Christi caput inclinant*, inquit. & D. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 10. de signis sacris agens, *Sed quia hæc hominibus nota sunt*, inquit, *quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt.* Et inter hæc serpentem æneum reponit, cui honos religiosus tribuatur. Lib. autem 3. de Doctrinâ Christianâ cap. 9. sub signis illos seruire tradit, qui signa vtilia honorant, neque quid significent, nouerunt; quales olim Iudæi: at qui vtilia venerantur, nec ignorant quid significent, ait, non tam signum, quàm rem significatam honorare, ideoque esse liberos: Sanctorum autem imagines, vtilia esse signa diuinitùs instituta, & proinde veneratione digna, tam à seruis, quàm à liberis, satis ostendit lib. 2. de Doctr. Christianâ cap. 25. vbi ait, picturas & statuas pertinere ad superflua instituta hominum, exceptis illis; quæ ob finem bonum suo loco & tempore proponuntur ab eo, qui habet auctoritatem; tales autem esse Christi & Sanctorum imagines, certissimum est: & lib. 10. Confess. cap. 34. pictores, similesque artifices reprehendit, quòd necessarium & moderatum vsum, & piam significationem longè aliquando transgrediantur, vbi quasdam necessarias admittit, & piam significationem habentes, ac proinde venerandas, apud Bellarminum lib. 8. de imaginibus SS. cap. 12. Quòd si omnes res sacras cultu & reuerentiâ dignamur, si Angamallé Episcopatus sacerdotes in Indiâ orientali ex Apostolorum institutione, quorum Missæ ortum, à D. Thomâ acceperunt, patenam thuris odore imbuant dicentes: *Domine Deus noster, odoriferam fac patenam hanc in modum patenæ Aaron Sacerdotis clarissimi in tabernaculo fœderis, tu qui es creator & Dominus radicum aromatum suauissimum odorem spirantium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Si velum quo operitur calix, dicentes: *Domine Deus noster odoriferum fac velum hoc in modum pallij, quo Elias Propheta veritatis operiebatur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Si denique calicem, dicentes, *Domine Deus noster odoriferum redde calicem hunc, in modum calicis Aaron Sacerdotis, in tabernaculo fœderis, tu qui es creator radicum & aromatum, suauissimum odorem spirantium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vt habet Antonius Gouea noster, in Itinerario Illustrissimi Archiepiscopi Alexij Menezij Indiarum Orientalium primatis, Ordinis D. Augustini proceris præclarissimi: si inquam ea quæ ad vsus sacrorum sunt, thure veneramur, itidem dignæ sunt eo honore imagines quæ in templis, quia sacræ sunt, de quibus Prudentius in Natali Sancti Felicis:

Patrum auctoritate.

Signa non tam honorantur, quàm res significata.

Pictores reprehensi.

Rebus sacris honos habetus.

Patena thure honoratur.

Velum calicis.

Calix ipse.

Imagines templorum sacræ.

——— *Sanctaque ferantur in aulas*
Miremurque sacras, Veterum monumenta, figuras.

Taceo D. Hieronymum, qui de crucis viuificæ cultu in vita Paulæ, *Prostrata*, inquit, *ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Præterea D. Ambrosium qui Orat. de obitu Theodosij, crucem quæ olim probrosa, in regum diademate, locum & adorationem inuenisse tradit, ex quo vita in ea pependit, *Sapienter Helena egit*, inquit, *quæ crucem Christi in capite Regum leuauit & locauit, vt crux Christi in regibus adoretur.* Omitto Lactantium, carmine de passione Domini, vbi ait,

Paula crucem adorabat.

Est & in regum diademate adorata.

Flecte genu lignumque crucis venerabile adora.

Et Sedulium lib. 5. carminis paschalis, vbi sic cecinit,

Néve quis ignoret speciem Crucis esse colendam.

D. Epiphanij imago in templo posita.

Ex Synodo septimâ, & Damasceno lib. 1. de imaginibus, constat Epiphanij discipulos, pij magistri è viuis sublati imaginem in templo reposuisse venerandam. Et quæ apud Paneadem erecta Christi statua, & à Iuliano Apostata loco deiecta, solemni cœtu à Christianis in templum introductam, vtpote diuinis afficiendam honoribus, scribunt, Sozomenus lib. 5. cap. 20. & Nicephorus lib. 10. cap. 30. D. etiam Gregorius epist. 5. lib. 7. reprehensis nonnullis, qui contumeliæ caussâ D. Virginis, crucisque imagines ad Iudæorum detulerant Synagogam, mandat Ianuario Episcopo, vt sublatam inde in Ecclesiam, cum eâ quâ dignum est veneratione, imaginem & crucem deferat. Patrum porrò auctoritatem complexus Isaacius Angelus Imperator, Constantinopoli, ædem Diui Michaëlis Archãgeli reparaturus, pictas & factas Archangeli imagines, in vrbe, vel alijs locis præsidij caussâ dedicatas, vetustæ & admirandæ manus opera, in idem templum congessit. Tanta autem veneratione Beatissimam virginem Deiparam coluit, vt ad eius imaginem, animo penè linqueretur: ideò plurimas eius effigies, adorandi caussâ in diuersis templis dedicauit, auctor Nicetas lib. 3. de gestis eius. Artabasdus Imp. imagines, quas Leo III. & Constantinus Copronymus abstulerant, restituit, auctor Paulus Diaconus, & Honorius in Chronico. Mortuo Theophilo Imp. sub Michaële Porphyrogenito, & Theodora eius matre, Theoctisti, & Manuelis (qui datâ fide se restituturum imagines ex grauissimâ infirmitate conualuerat) auctoritate, conuocato apud Theoctistum concilio, ac caussâ imaginum ab vtrâque parte sanctorum Patrum testimonijs in mediũ prolatis, in disceptationẽ adductâ, decretũ est, vt pristinus imaginũ ornatus, tẽplis restitueretur, & Ianne Patriarchâ abdicare coacto, Methodius est subrogatus: ita Sigonius lib. 5. regni Italici. Couuallus Scotorũ rex edixit, vt sũmis arcibus oppidisque salutiferæ crucis signum appingeretur: quo admonerentur homines frequentioris Christi culturæ: quocunque proficisceretur, crucem argenteam, cum inscriptione, Christianorum gloria, ante se, veluti verissimum Christiani principis vexillum, deferri iussit: eamque priusquam equum ascenderet, osculatus, cum comitibus adorare consueuerat. Vetuit autem (reuerentiæ caussâ) ne quisquam crucis figuram in pauimento pingeret, sculperétve. Hector Boëthius lib. 9. Londinensis Synodi decreto introductæ sunt imagines, in omnes Anglorum Ecclesias, anno Domini 714. vt habet Balæus Centuria 1. in appendice capitis 91. In singulis habitationibus apud Moscouitas, imagines Diuorum in tabulis pictas, loco honorificentiore positas habent, præcipuè autem, D. Nicolai, passionis Christi, Mariæ Virginis, & S. Petri, hasque maximo honore prosequuntur, & pro penatibus venerantur. Cùm autem vnus alium accedit, ingressus habitaculum, non statim dominum domus salutat, sed continuò caput aperiens, vbi imago sit, diligenter circumspicit: quâ visâ, cum magnâ reuerentiâ, ter se crucis signo caput inclinando munit, dicens: Iesu Christe fili Dei viui miserere nostri: postea porrectis mutuò manibus, alterutrum inuicem sese salutantes deosculantur, capitaque more patrio frequentiùs inclinant. Hospes tandem discessurus, ter se signat cruce, priora verba reuerenter proferens, & salute alternis datâ abit: sic tradit Guagninus in descriptione Moscouiæ, cap. 4.

Christi statua quam deiecerat Iulianus, in templum introducta.

Isaacij Angeli Imperatoris in imagines religio.

Artabasdus à Copronymo defractas, restituit

Crux Christianorum gloria.

Crucis figura in pauimento fieri prohibetur.

Imagines in Angliæ Ecclesijs.

Moscouitarum in imagines affectus.

Quid de Diui Caroli Augusti Codicibus? Parisiensi, Francfordiensiq. Synodis, Catholicè sentiendum?

8.

QVòd si sanctissimi & Christianissimi Principis Caroli magni, codices, in quibus imaginum cultus vehementer oppugnatur: si Parisiensis quædam Synodus quæ anno salutis 825. celebrata fertur: si denique Concilij Francofordiensis opponatur auctoritas, quæ Nicænam Synodum pro imaginum adoratione congregatam, damnauit, vti magni illius sæculi auctores testantur.

Fatemur equidem libros eiusmodi, Adriani Papæ, Caroli Magni Imperatoris, atque Concilij Francfordiensis tempore extitisse, verùm eos à pluribus Gallicanæ nationis viris conscriptos, eidemque oblatos Concilio, sicut ex coniecturis optimis ad annum partus virginei 494: num. 31. & sequentibus, assecutus est Cæsar Baronius: ceterùm tamen, titulum & inscriptionem Magni Caroli, tunc temporis non præferebant; id quod liquidum apertumque, considerանti, eos ab Adriano Pontifice Capitulare, quòd in plura capita diuiderentur, vocitatos. Accepit autem illos à Carolo missos Pontifex, vt propositis satisfaceret argumentis, id quod præstitit totâ epistolâ tertiâ, quæ habetur ante Synodum 7.

Ad Caroli Imp. codices

Qui Capitulare dicti

Prodiere illi interea aliquot abhinc annis, Imperatoris nomine præsiguiti, vti refert Surius auctor grauissimus in præfatione ad memoratam epistolam Adriani; & in eâ quam Concilio Francfordiensi præfixit. In quâ recenti codicum istorum editione, addita præfatio cuiusdam terræ filij, qui se Eli fili, quod est *Beneli*, nominat, & prisci illius sæculi personam induens scriptoris, affirmare non formidat, præfatos libros Carolinos, & à Carolo editos esse. Fungus est tamen, auctor ille, quandoquidem proprium suum nomen in tenebris & nocte esse voluit, nec proinde fidem meretur: aut si quæ illius appellatio, huiusce temporis hæreticulum quendam dicas, qualem ipsum esse, multis certisque argumentis, ex ea coniectare licet.

Non sunt Caroli

De Synodo illâ Parisiensi (si tamen Synodus appellanda est) idem esto iudicium ex Baronij sententiâ, ad eum annum, quo fertur celebrata; & Bellarmini in appendice ad libros de cultu imaginum.

Ad Synod. Parisiens.

Quisquis igitur es qui hoc purum putumque mendacium, qui hanc insignem contumeliam impingis Christiano Principi, vt eum sceleratarum pagellarum auctorem facias, perduellionis reus esto. Ita sit, nouissimum illius libri capitulum, Imperatorem habeat parentem, quemadmodũ Hadrianus Pp. ibi agnoscit, minusque sacris imaginibus fauere videatur, cùm dicat, *Adorare eas nequaquam cogimus qui noluerint, frangere vel destruere si quis voluerit, non permittimus.* Fuerint quoque libri illi à Carolo conscripti. (quod tamen, quia imperiti sunt, à tanti Principis Græcè, Latinèque docti, sapiẽtiâ est quàm maximè alienum.) nũquid militis in rebus Ecclesiæ dogmaticis disciplinæ traditæ, Patrum, Conciliorumque auctoritati, præferenda sententia? At laudauit, approbauitque Pontifex Hadrianus. Ne hoc quidem; sed vnicum illud capitulum laude affecit, prudentique ratione ad verba ex illo citata, nihil respondendum putauit; quòd, quamuis Iconoclastas, tunc ætatis, vniuersa execraretur Ecclesia, nondum tamen omnibus comper-

Nouissimum capitulum, sit Caroli.

Sint & libri tota: frustra est opponi hæreticus. Carol. Mag. Alcuinum habuit præceptorem, à quo & scientiæ stu dium, & præcepta oratoria accepit.

Sub Carolo

Magno vtilitas imaginum non erat reuelata.

compertum erat, & Gallis præcipuè, an Diuinis honoribus afficiendæ essent imagines, sicut Athanasius Bibliothecarius in præfatione 7. Synodi, inquit; *Nondum erat imaginum vtilitas reuelata*, cùm multi scientiâ inter Gallos eminentes, veluti Hincmarus, qui in Concilio Cabilonensi, Remensis Archiepiscopus est designatus, Ionas Aurelianensis & alij, quorum sententias refert Baronius anno Christi 794. numero 4. & sequentibus, docuerint non adorandas. Ne quod igitur scandalum in Galliâ oriretur, sicut rectè Baronius num. 52. hac super re nihil mouendum iudicauit Pontifex.

9. Ad Francofordiense Concilium.

Denique, legitimum fuerit Francofordiense Concilium, in quo Felicis Vrgelitani, atque Elipandi Toletani Episcoporum proscriptus error, asserentium Christum Dominum, Dei Filium adoptiuum, seruumque fuisse: in eo tamen, quod mirandum, ponderandumque hîc est, ne notula quidem de vsu imaginum, siue retinendo, siue abrogando, quod ex eiusce Concilij actis, perspicuum est, quæ Laurentius Surius, ex vetustissimis exemplaribus descripta, ad primam partem Tomi 3. Conciliorum, retulit. Quià verò illorum temporum Scriptores quidam, septimam Synodum in eo Concilio damnatam testantur, quorum sententias referunt, Alanus Copus dialogo 4. cap. 18. Vasquez Bellomontanus disputat. 107. in 3. part. D. Thomæ, cap. 1. & Baronius anno illo 794. alij autem Constantinopolitanam, quæ falsò septima est appellata, illamque constet pro cultu imaginum stabiliendo congregatam: non leui contentione dubitatum est, septimáne falsa, quæ Constantinopoli sub Constantino Copronymo, an verò septima vera, quæ est Nicæna secunda, quam de voluntate Romani Pontificis Adriani primùm Constantinopoli coactam esse; sed cùm Populus & Scholastici resisterent, postea Niceæ celebratam, scribit Paulus Diaconus lib. 23. in Francofordiensi Concilio fuerit reprobata. Sed faciamus Nicænam esse cum Genebrardo in Chronologiâ, ad annum redemptionis nostræ 794. Baronio ad eundem annum, num. 20. & Bellarmino cap. 12. libri de imaginum cultu, quæ etiam est verior sententia, cùm Hincmarus Remensis, apertè de Nicænâ loquatur. Aut certè illius, Francfordiensis Concilij nulla est habenda ratio, quòd particulare fuerit, neque à summo sacrorum Antistite confirmatum; repugnantibusque Sedis Apostolicæ Legatis, eam tulerit sententiam, vt Bellarmino placet. Aut illud errasse, non in iure, sed in facto, cum Genebrardo, & Baronio fateamur; quia Synodicæ illius consultationis Patres, falso imbuti rumore eorum, quæ de Nicænâ Synodo circumferebantur, & vniuersam Galliam inuaserant, in eâ nimirum sanctum esse, imagines, æquo cultu atque Sanctissimam Trinitatem, venerandas; Legatis Pontificijs reclamantibus, & falsa esse quæ de Nicænâ Synodo spargebantur testantibus, non assensere, dixereque in Nicænam Synodum sententiam: donec ab ipso Pontifice pleniùs edocti, eam retractarunt. Indeque factum, vt ex actis illius Concilij damnatio Nicænæ Synodi aboleretur. Ita de hac re sentio, nec inficiabor, si quispiam aliter. Et sanè.

Ad auitæ Fidei obseruantiam prouocatio.

10. Fideles sunt ciues aulæ cælesti designati.

HIs ita constitutis: ad vos me conuerto, populus fidelis, genus sanctum, cælestis Aulæ Ciues designati, qui in hoc Templo, in hac Basilicâ, in hoc Oratorio, in hac Ecclesiâ, Deo, Diuisque supplicaturi, atque sacris Mysterijs communicaturi conuenitis: Cernite Templum hoc, quod Diuino Numini sacrum, sacerdotijsque eius atque sacrificijs, altaris erectione dedicatum. Cernite Basilicam hanc, Sanctorum tumulis frequentem, & supra tumulos, sacras Martyrum picturas, quæ vt restituerentur, contra Concilium Constantinopolitanum, Stephanus III. Pontifex, Pipino regnante, instituit; vt habet Volater. lib. 22. Antrop. quarum venerationem confirmauit, earumque violatores generali sententiâ damnauit Gregorius Pontifex anno 733. vt auctor est Sigebertus anno 731. quarum adorationem, cùm Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, crudelitatem Imperatoris metuens, improbasset, abdicato Episcopatu in Monasterium secessit, asserens se grauiter peccasse, vt habet Paulus Diacon. lib. 23. De quibus etiam Prudentius, vbi de S. Hippolyti Basilicâ scribit:

Stephanus Pp. ima à Concilio Constantinopolitano abrogatas restituit.

Picta super tumulum species liquidis viget vmbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.

Altaria sunt Martyrum tumuli.

Sunt enim altaria Martyrum Sanctorum tumuli. Cernite Oratorium hoc, in quo Deus magis, alioque modo quam alibi, vota scilicet, precesque supplicantium filiorum citiùs exauditurus, tanquam pius parens in domo, *quia Domus mea, domus orationis vocabitur*, inquit; vt propterea Origenes Homil. 2. in Exodum, Ecclesias Christianas, domos orationis vocet; & Tertull. Apolog. cap. 39. in Ecclesiam conueniri dicat, tum ad orationem, tum ad lectionem, tum ad exhortationem. Illæ sunt sacræ ædes, quas Eusebius lib. 2. histor. cap. 19. ex Philone, singulis in locis primorum Christianorum, orationi consecratas, tradit; & de quibus D. Hieronymus, in Epitaphio Marcellæ: *Apostolorum & Martyrum Basilicas secretis celebrabat orationibus*: & Ruffinus de Theodosio lib. 2. histor. cap. 33. *Circuibat omnia orationum loca.* Ibi, ibi Deus sacratiori & commendatiori præsentia, (vt loquitur D. Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæst. 4. de arcâ, ante quam orabat Dauid, diuinos gratiarum fontes effundens largiùs, quibus irrigata pectora, citiùs veriusque, quàm vsquam, in virtutum fructus pullulant; quod sentiens Vates Regius psal. 83. inquit, *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*: ad quæ verba D. Basilius in cap. 1. Isa. *Planè enim nouit is non posse se in flores erumpere, ac ne vllam quidem germen primigenium excipere ad proferendos fructus, nisi versetur in atrijs Domini.* Ibi, ibi Mediatoris Christi corporalis præsentia in Eucharistiâ, precantis augens fiduciam: & Angelorum adstans frequentia, quæ animo cogitata, metum & reuerentiam precantibus ingeneret.

Deus in templo, sicut pius parens in domo.

Ædium sacrarum encomia.

Psal. 83.

Cernite hanc Ecclesiam, in quam conuenire soliti primi Christiani ad verbum Dei, & Eucharistiæ communicationem, vti inquit Iustinus in Apologiâ 2. ad finem, in quâ silentium indicitur mulieribus. 1. ad Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesiâ taceant, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent*: siue ea à fundamentis sit instituta, siue ex domibus fidelium consecrata, qualis illa Theophili domus Antiochiæ prædicante Diuo Petro, quæ in Ecclesiam conuersa est, inibique Diui Petri Cathedra constituta, ex quâ doceret, teste Clemente recognitionum libro 10. Cernite inquam, structuram hanc, illiusque spatia dilatata ad sepulturam reli-

1. Cor. 14.

quiarum Christi fidelium: cernite cultum splendidum: & animo cogitate non esse nouum in gente Catholicâ, istud ædificiorum genus, neque recenti superstitione, vt volunt aduersarij, sed veteri Sanctorum Patrum ritu, Deo, Diuisque consecrari, dedicari: hæreticorumque fana profana, quæ ipsi falsò templa vocant proculcate, proterite, execramini, sunt enim illa sine arâ, hara. Dei autem Diuorumque, quæ apud nos sunt limina, veneranter lambite, genibus & pectore verrite.

Imagines spiritualium proprietatum signa.

Oculos, & mentem aduertite signis & tabulis, quibus aut spiritualium substantiarum proprietates quasdam, aut Diuorum martyria siue confessionem, Scalptoris, Pictorisvè, artifex expressit manus: & vitales esse immortalium cum Christo regnantium imagines atque viuentium, quarum vita, ipsa repræsentatio est, perpendite, atque adeò, in templo hoc, tanquam in terrestri quodam cælo, cælique regiâ collocari, vt nostrum in Superos adfectum probent. Sic enim eas intuemur, vt tormenta quibus excruciati, atque excarnificati Martyres, intelligamus, quomodo in templo D. Cassiani, apud Prudentium, eiusdem Cassiani imago super altare, cruciatus suos descriptos habebat:

Imaginum vita, est repræsentatio.

Erexi ad cælum faciem, stetit obuia contra,
Fucis colorum picta imago Martyris:
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus
Ruptam minutis præferens punctis cutem.

II.

Interibi tamen, dum eorum certamina, victoriasque recolimus, etiam tolerantiæ caussam agnoscimus: eos nimirum pro fide, doctrina & pietate, contra impietatem, idolomaniamque decertantes, occubuisse fortiter, atque ita eorum præclarè gesta comprobantes, eiusdem nos fidei cum ipsis professores exhibeamus, impietatem detestemur; ipsosque Martyres iam Cælitibus adscitos, in imaginibus veneremur. Quis enim supernorum amator Ciuium, visâ D. Laurentij in craticulâ positi imagine, sæuam Tyranni in Christianos, non detestetur rabiem, sentiatque se intus accendi caritate in Leuitam Christi, quem pro Dei gloria constanter dimicasse, ex imagine meminit, recolitque quomodo,

Imagines Sanctorum excitant nos in Deum.

D. Laurentij imago.

———— Iucunda incendia Laurens
Suscipit, empyreâ multum irroratus ab vndâ:
Atque per ardentes prunas illæsus abibat,
Maiores in corde ferens Tyburtius ignes!

Sicut cecinit Ioan. Fr. Mirandulanus lib. 2. Hymnorum. Quis videns Diuarum Barbaræ, Catharinæ, Agnetis, Agathæ, pro virginitate & religione descriptas colluctationes, non similes concipiat pudicitiæ prosequendæ, & martyrij tolerandi spiritus? Quæ virgo non ducat leuitati, ne dicam impudicitiæ, pectoris sui nuda palam facere, quando ex picturâ discit, D. Agatham propter honestatem, ne Apollo quidem, & in vinculis voluisse vulnera sua expapillatione ostendere? sic enim de hac Virgine Scipio Ammiratus lib. de secreto. *La bellissima è innocentissima Verginetta Agata, ne per guarir se stessa, consente di scoprire il petto impiagato,* qui & ex Benedicto dell' vua, in S. Agathâ ait:

D. Agatha cur Apolloni pectoris vulnus non ostendit.

Però che serua è di Giesu, cui lice
Volendo, il tutto restorar col ciglio,
Et ch' à donna d'honor nuda disdice
Farsi veder pur à suo frate, o figlio.
Tal vsanza è la sua, tal vsanza hanno
Que che dinanzi à dio notte, è di stanno.

Quod quidem animi nobilis atque generosi pectoris esse tradit, subdens, *Ma non che à sante è innamorate di Dio, conuiene à ciascuna, la quale sia nata nobilmente, se non per altro, per nobile è ciuil costu matezza, tener segrete quelle parti del corpo suo, che in vn modo, ò in vn altro potrebbono altrui recar sospetto di leggerezza ò di vanità, non dico di lasciuia, ò d'incontinenza, si per conto di chi la da, come di chi la riciue, che è fallo del tutto disdiceuole à persona d'honore.* Arceantur à mortaliū conspectu procul istæ tartari furiæ, quæ expapillato pectore, in virorū oculos inuolant primùm, & mox in animum, nobilem illam Dei imaginem, pudendâ metamorphosi, in iumentorum vertentes similitudinem, inque suas rapiunt faces, & inextinctas sulphuris sui flammas, & ignes. Proh scelus! Motus ille Terentianus iuuenis in Eunucho, qui conspectâ tabulâ, in quâ Iupiter Dianæ stuprum inferebat, arsit in simile flagitiū: ex aduerso autem apud D. Nazianzenum in carmine de virtute, & citatur in 7. Synodo act. 4. mulier impudica, ad impudicitiam à ganeone euocata, conspectâ in ipso domus limine Polemonis viri continentissimi imagine, erubuit, conceptaque pœnitentiâ, domum suam infectâ lasciuiâ, rediit.

Virgines nō expapillent pectus.

Imagines, vel ad vitiū, vel ad virtutem moueat

Polemonis imagine cōspectâ, mulier ab impudicitia reuocatur.

Scortum vocarat quispiam iuuenculus
Parum pudicis moribus, vt ergo atrium
Domus, meretrix contigit, videns statim
Polemona pictum prominentem (namque erat
Grauitate summâ plenus, & reuerentiâ)
Timens perinde pictum, vt luce præditum,
Superata, solo, rettulit, visu, pedem.

De Manlio Torquato Valerius Maximus lib. 5. cap 8. cuius cùm Filius Syllanus, à domo suâ, & conspectu suo à se abire iussus, eam tristi patris sententiâ percussus foret, suspendioque se proximâ nocte consumpsisset, non potuit tam verecundo obitu patris inflecti rigor, vt exequijs adolescentis interesset; *Videbat enim se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati, seueritate conspicua imago, posita erat: prudentissimoque viro succurrebat, effigies maiorum suorum cum titulis suis, idcirco in primâ ædium parte poni solere, vt eorum virtutes posteri non solùm legerent, sed etiam imitarentur.* Et nos repræsentatis tot virtutum exemplaribus per signa & tabulas, Diuorum complectentes historias, non commouebimur? Non dignabimur reuerentiâ & cultu debito hæc signaria, quæ hanc cœlestis regiæ speciem complent, atque exornant.

Manlius Torquatus mouebatur imagine suorum, ne flecteretur in caussâ filij.

Imaginū maiorum, cur in primâ ædium parte?

Apage qui belluino spiritu ducti, non humano, neque pulchro delectantur, neque Sanctorum exultant memoriâ, quam refricat obiecta eorum in imagine, similitudo, neque sancta religiosè venerantur, sed calcant sacrilegè, in suum haud dubiè caput. Nam si quos terra veneratur Principes, iniuriam atque contumeliam suis illatam statuis aut imaginibus non ferunt; Si Theodosius Augustus, princeps alioqui optimus, ob deiectam vxoris suæ ab Antiochenis, violatamque imaginem, ita excanduit iracundiâ, vt parùm abfuerit, quin totam Antiochiam euerteret: ferétne Deus imaginem Christi sui, Deiparæ Virginis, aliorumque Sanctorum, impietatis scelere contaminari, atque confringi, nec vlciscetur? Paulus Diaconus rerum Romanar. lib. 21. Iconoclastam quendam refert, qui cùm lapidum iactu Diuæ Deiparæ statuam comminuisset, eandem Virginem per quietem vidisse, terribiliter hac voce comminantem: *In caput tuum hoc fecisti.* Atque paulò post, lapide percussum ac similiter comminutum interiisse.

Imagines suas principes, temerari non ferunt.

Imaginis suæ percussorem, Virgo M. perdit.

12.

Deum ipsum sanctas imagines honore afficere, testantur miracula, aut quæ ex acceptâ contumeliâ ad stuporem, aut tremorem illam inferentium; aut quæ ad tutelam, & medelam eas verè venerantium patrat, cuiusmodi fuit cruor ille qui ex confixis à Iudaâ Gente Crucifixi Soteris imaginibus, miraculosè fluxit, his ad vocationem in Ecclesiam Dei, illis ad reprobationem

Imagines Sanctorum Deus honorat.

bationem & interitum. Narrat Blondus decadis primæ lib. 9. Iuo & Sigebertus in Chronico, & Paulus Diaconus lib. 18. Romanar. rer. Heraclium contra Persas mouentem, confisum fuisse imagine seu tabulâ, in qua Iesus erat pictus, seu Maria, vt vult Vincentius lib 23. cap. 1. qui & cap. 147. scribit, quod cùm institutis supplicationibus, cum D. Virginis imagine quæ tenebat infantem in brachio, à D. Lucâ depictâ, Constantinopolitani à Saracenis obsessi, eam secretè sub vndas tenuissent, statim mare procellosum factum, omnes Saracenorum naues mersisse. Sunt & alia, quæ ad inuocationem fidelium, & sacrarum imaginum cultum, facit Deus: cuiusmodi fuit loquela Sabbatio Constantino, qui mutus erat, ad Diui Gregorij Nazianzeni statuam, mente Sanctum precanti, data diuinitùs, vt scribit Zonaras, in vitâ Michaëlis Balbi: innumeraque alia quæ ad Diui Huberti in Monasterio perquàm celebri & præsignis obseruantiæ, Andaino, Diuarum Hallensis, Fidensis, Collis acuti, Sartensis, alijsque locis innumeris, ad propagationem cultus imaginum, eduntur: & Iconoclasta sacrilegus conteret, cōtemnet, quod approbat, & honorat Deus? O infandum scelus! ô gigantomachiā proterendam fulmine? Quid enim aliud hoc est, quàm bellum Deo Diuisque indicere? Quid aliud hoc est, quàm beatos illos Cælites, velle è cælo Superûm deturbare? quod cùm nequeat Iconomachus, è cælo nostro, ex aulâ Dei, è Dominicâ domo, è cæli terrestris regiâ exturbare molitur, quos quisque fidelis suscipit, veneratur, colit, ô scelus!

Imago virginis, mare tempestuosum facit.

Mutus ad statuam D. Nazianzeni orans loquitur.

Capitis 21. §. 5.

Ignoto Deo, tanquam innominabili, ara prostituta.

1\. Redeo ad Gentium institutum, quibus Numini summo templa, vel simulacra erigere, religio fuit, ne augustissimam Majestatem, incomprehensibilemque Diuinitatem, parietum complexu claudere, aut etiam ineffabilem, descriptâ effigie nominare viderentur. Quo etiam pertinent, tanquam luculentum ineffabilitatis Diuini nominis testimonium, aræ Dijs ignotis apud Athenienses constitutæ, quarum meminere Philostratus lib 6. vitæ Apollonij cap. 2. Laërtius in Epimenide, cum plerisque alijs: è quibus vnam, cùm Apostolus Gentium Act. 17. Athenas præteriens, ignoti Dei epigraphe prænotatam vidisset, altiùs intonuit, *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*; Anonymum priùs, nouissimis autem diebus per incarnationem, per passionem, perque suam resurrectionem, nominatum prædicans Deum; atque prioribus sæculis incognitum salutis nomen, in quo omnes nos oporteat saluos fieri, palam pronuntians, Iesum Christum. Scio equidem D. Hieronymum censere, non eam fuisse aræ inscriptionem, sed hanc, *Dijs Asiæ, Europæ, & Lybiæ, Dijs ignotis & peregrinis*: quoniam verò Diuus Paulus, pluribus Dijs ignotis non indigeret, sed vno dumtaxat ignoto, numero vsus sit singulari, vt arreptâ oportunitate doceret, quisnam ille Deus, quem colebant ignotum. Plures sunt tamen, qui censeant aram aliquam fuisse hoc titulo prænotatam: *Ignoto Deo*; quod etiam ex Luciano manifestum est, apud quem extat iuramentum, per *ignotum Athenis*, non verò, *per ignotos*: apud quem Triphon quoque de ignoti Dei cultu: *Nos autem Athenis ignotum inuenitum adorantes.*

Dijs ignotis aræ.

Actor. 17.

Huius porrò instituti, eras ignoto Deo prostituendi, originem inde fortassis petere liceat, quòd Atheniensium Sophi, ab vltimis ad prima, disquisitionis studio penetrantes, vnam primam, omnium aliarum motricem caussam esse iudicarunt, præcipuo cultu venerandam, sicut est apud Platonem in Parmenide, & Timæo, necnon & Aristotelem lib. 8. Physicor, & Metaphysicor. 9. de quibus ita philosophatur D. Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 10. *Isti, Deo cognito, repererunt vbi esset, & caussa vniuersitatis constituta, & lux percipiendæ veritatis, & fons bibendæ felicitatis.*

Aras ignoto Deo consecrandi, origo.

Cognitâ itaque hac caussâ incorporeâ, immutabili, æternâ, atque virtutis infinitæ, quanquam vulgi moribus conformati Deos nominarent Iouem, Saturnum, Mineruam, Martem, quibus templa, & aræ, aut etiam antequam condi templa cœptum sit, antra, consecrabantur, vt in Cretâ Ioui dicarunt Curetes, inquit Alexander Sardus lib. 3. de moribus Gentium, cap. 16. non illos tamen vt verum aliquod Numen suscepere: ignoto interea Deo, atque innominato, & à populi post Idola sua insanientis mente abdito, aras & templa dedicantes, vt nimirum veritatem ipsam absconditam, soloque intellectus lumine conspicuam & cognitam, cultu & adoratione prosequerentur. Quin etiam, quia receptissimum apud omnes, vt ex Sybillis, Trismegisto, alijsque Philosophis compertum est, vnum esse Deum inuisibilem, imperceptibilem, ineffabilem & anonymum, Athenienses, ne cui Deorum, cùm omnes colerent, religione deessent, etiam aram *Ignoto Deo*, inscriptam erexisse videri. Nouerant quippe illi ex criminibus Deos, *quorum crimina notiora quàm nomina*, inquit D. Gregor. Nazian. Nouerant Saturnum cædium præsidem: bellorum Martem: adulterorum Iouem; Furtorum Mercurium; libidinum Venerem & Cupidinem, aliosque flagitiorum suorum inustos stigmate: Sed Deum verum, quem nullus scelerum character prodebat, pro ignoto habuere, & coluere. Id quod tamen ad execrandos Gentis ritus, refert Tertullianus, ex eò quòd Deus latuerit nunquam, quòd ignotus nunquam, cùm se ab ephebis rerum prodiderit, & ratio humana eum cognouerit, quandoquidem Trismegisto ipso teste, nihil sit in orbis complexu, quod non aliquam Diuinitatis imaginem præ se ferat: Quare lib. 1. aduersus Marcionem Tertullianus in hæc verba, *Persuade Deum ignotum esse potuisse, inuenio planè ignotis Deis aras prostitutas, sed Attica Idololatria est: item, incertis Deis, sed superstitio Romana est.*

Antra ante templa consecrata.

Dij ex criminibus cogniti.

Verus Deus cur ignotus.

Deus nunquam latuit.

2\. Plures alias ignoto Deo aras surrigendi rationes traditas comperio, ait enim Ecumenius in Act. Apostolorum, cap. 17. Quòd cùm Athenienses Philippidem ad Lacedæmonios misissent postulatum auxilium aduersus Persas, qui iam in Græciam peruenerant, in itinere Legati, nouo spectro territi, atque Athenienses accusante, quòd alijs Dijs honorem multum, sibi verò nullum deferrent, qui propter suum in illos affectum, suppetias ferre esset paratus, Pana Deum esse tandem didicerunt: quare partâ aduersus hostes victoriâ, magnificum ei delubrum erexerunt, & aram ignoto Deo, si fortè quis esset, quem non colerent, aut propitiarent. Est & altera apud eundem ratio, nimirum, quòd quum graui pestilentiâ Athenienses laborarent, Dijs nequidquam opitulantibus, post multa sacrificia, edocti hanc calamitatem sibi immissam ab ignoto Deo, quem non colerent; erectâ arâ ignoto Deo, cæsisque victimis,

Spectri occasione, ara ignoto Deo data, vel etiam pestilentiæ.

victimis, leo tamen inuenerunt. Hanc rationem (siquidem illa sit) ita quidam tradidere, vt Epimenides, qui Philippo Bergomensi auctore lib. 4. Cronicor. annos supra sexcentos Diui Pauli tempora antecessit, diuino munere, Prophetæ auctoritatem consecutus, Cretensibus admirationi fuerit. In gentili namque homine, ac idolorum cultore, totiusque caritatis experto, prophetiæ donum inesse posse, docent D. Augustinus tractatu 49. in Ioan. D. Tho. 2. 2. quæst. 172. art. 4. Abul. in cap. 22. Matth. quæst. 335. & alij; prout etiam ex Balaam, & Caipha compertum habemus: & Apostolus ipse Epimenidem, nomine prophetæ compellauit, per quem confusam quandam maiestatis suæ notitiam in gentibus dispersam voluit Deus: quâ ex re, cùm nominis atque sanctitatis famam, etiam apud exteros indeptus esset, Athenæque, grassante contagio, misere conflictarentur, accersitus Reipublicæ nomine, quò succurreret laboranti (vt auctor est Carolus Stephani, verbo Epimenides) auditis, beneque habitis euocationis suæ rationibus, maculosas oues sibi dari postulauit, quas cùm Areopagum, vbi iudicia exerceri solita, abduxisset, solutas, abire quà vellent, permisit, adhibitis sacrificulis, qui fugitiuas sequerentur, vt vbi illæ constitissent, arreptas ignoto Deo immolarent: quod vt factum est, inquit Laërtius in Epimenide, mox inimica lues cedere visa, atque inde maior Philosophi consecuta veneratio. & aras complures, *Ignoto Deo*, erigendi Atheniensibus animas, quarum meminere Cæl. Rodigin. lib. 27. lection. antiquar. cap. 2. Apollonius Tyaneus in epistolâ ad Tymasium Ægyptium, totidem verbis, *Modestius enim est, de omnibus Dijs bene loqui, præsertim Athenis, vbi etiam ignotorum Deorum aræ dedicatæ sunt.* Ecumenius suprà, Lucianus in Philopatre, qui etiam Deum inuocat ignotum; necnon Baronius, qui plures aras ignoto Deo erectas fuisse dicit, & fauet Suidas lib. 1. Histor. cap. 7. Ex quâ altarium ignoto Deo inscriptorum multitudine, Chrysippum autumo, magnam quoque ignotorum Deorum turbam congregasse, atque ita ignotorum, vt eos ne coniecturâ quidem informare (sic enim loquitur) possimus.

Prophetiæ donum in Ethnico esse potest.

Oues in pestis tempore sacrificat Epimenides.

Et disensibâ, aræ ignoto Deo consecratæ.

Addit aliam rationem Lyranus, filios nempe Herculis, Hispaniâ pulsos, Athenas auxilium petituros confugisse, quo accepto, victoriâ potiti sint, atque inde rumorem inuasisse Athenis esse Deum misericordiæ, alijs terræ plagis ignotum: cui tum demum addita inscriptio, *Ignoto Deo.* Vtut sit, Athenis primùm Ignoti Dei, cœpta Religio videtur, & mox in alias orbis regiones vulgata. Hinc Arabes ignoti Dei aram immolato Camelo dedicabant, auctore Alexandro ab Alexandro lib. 3. Genial. dier. cap. 12. Hinc & apud Gallos *Ignoti Dei* ara, quam vnam D. Martialis in Epistolâ ad Burdegalenses, cap. 3. quum addicta dæmonibus altaria comminuerentur, ad consecrationem reseruari iussit. Hinc denique, quum more gentium vnaquæque ciuitas sese peculiari cuidam Deo tutelari addiceret, cuius præsidio seruaretur, ignotum Roma elegit: aut fortasse tacitum illius nomen, ipsisque Romanis occultum voluit, vel quàm paucissimis notum, ne, si vulgaretur, à Barbaris per sacrificia euocatus, vrbem destitueret, quodquidem, ita fieri posse putabant.

Alia ignoti Dei ratio, qui misericordiæ Deus existimatus.

Ignoti Dei religio Athenis primùm instituta.

Inde in alias gentes vulgata.

Romæ tutelaris is fuit.

Cæterùm tamen, etiam Romanos *Ignoto Deo*, quandoque rem Diuinam fecisse, veluti quum terra graui concussu tremeret, auctor A. Gellius Noctium Atticarum lib. 2. cap. 28. vbi totidem verbis inquit: *Si terram mouisse senserant, nuntiatumque erat, ferias eius rei cum edicto imperabant: sed Dei nomen, ita vt solet, cui seruari oporteret, statuere & edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando, falsâ religione populum alligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem, remotus esset, hostiam siue Deo, siue Deæ immolabat, quoniam & quâ vi, & per quem Deorum Dearúmve terra tremeret, incertum esset.* Nihil porrò Idolorum hîc fas nominare, exigente etiam Deo ab ignorantibus se, obseruantiam, & per incerta sacrificia, obsequij cultum, quem tam, vsque adhuc ignoto, quam incerto deferrent Deo. Ac proinde, licet per ignorantiam, Iudæorum Deo, quem Lucanus eorum Poëta incertum cecinit, dicens,

Cui & rem diuinam fecere, quisquis is fuerit.

Vero incertum Deo.

Deus Iudæorum incertus.

> ——— *& dedita sacris*
> *Incerti Iudæa Dei.*

Qui tamen, quanquam incertum habeant, illorum quoque Deus est, quia ille solus omnium Deus, & Deus Deorum Dominus, cuius nutu stant imperia, nutantque; bella cientur; atque conquiescunt, ceduntque victi victoribus. Sed tamen incertus illis atque ignotus, quia nullo nomine nominatus, nullo inustus flagitio, vt isti qui apud illos certi, apud illos nominati, apud illos cogniti: qui tamen, quia cogniti, quia nominati, & quia ex sceleribus certi, non Dij illi, sed dæmonum seruitia: qui enim verus Deus, nihil non rectum vult, nihil non rectum facit, ignotus tamen & cognitus; cognitus quia est, ignotus quia quid est nemo queat comprehendere; proptereaque Anonymus, neque ipso Dei vocabulo nominatus. Nam ecquod actus illius purissimi nomen erit, quando nullum spiritualium substantiarum creatarum nomen esse potest? Aut quod est Intelligentiarum nomen proprium, aut etiam animæ? Rectè D. Ioannes Chrysostomus, hom. 2. in cap. 1. epist. ad Hebr. *Nam nec Dei vocabulum, index propriæ constat essentiæ, neque omninò illius essentiæ proprium potest vllum vocabulum reperiri. Et quid mirum si in Deo sic est, cùm neque in Angelo proprium nomen inuenias, quod eius declaret essentiam? arbitror autem, quia neque animæ reperta est apta denominatio: Non videtur mihi hoc nomen, quòd integrè substantiam eius ostendat: nam eandem rem & animam, & cor, & mentem inuenias nominari.* Ideò verò Angelos nominis expertes docet Abulensis in cap. 25. Matth. quæst. 405. quòd cùm nomina distinctioni deseruiant, distingui Angelos nominibus, non fuerit conueniens. Primùm quidem, quia quod in humanis nomina quælibet, saltem ad placitum imposita, sint conuenientia, ex eo fit, quòd in nobis distinctio sit secundum speciem, & secundum numerum in conuenientibus specie, ideoque ad eorum qui sub eadem sunt specie, aut parum inter se differunt, discretionem, opus fuerit nominibus: in Angelis autem, quia sunt procul à materiæ concretione, neque idem esse habent in numero, sicut personæ Diuinæ, non sit minor distinctio, quàm in specie, ideoque indiuiduorum nomina in illis non esse necessaria, sicut sunt in nobis: in speciebus autem ex formâ & naturâ, notam satis esse differentiam, quamuis nullum nomen interueniat: Quæ ratio, in eâ D. Thomæ doctrinâ fundatur, quæ habet omnes Angelos inter se, specie discerni, quod quàm sit probabile lib. 2. videbimus.

Qui tamen omnium Deus.

Cur incertus?

3. Angeli & animæ sunt sine nomine.

Nomina distinctioni ergo est. Angeli esse sine nomine.

Primò.

Altera ratio Abulensis est, quia tam specierum, quàm indiuiduorum nomina sunt nobis necessaria, vt quâ de re nobis, indicium fiat, intelligamus, quod secus est in Angelis, qui distinctè singula non indicato nomine, suâ cognitione peruadunt. Hinc Claudianus Mamertus Episcopus Viennensis ad C. Solinum, *Nomen dici putant*, inquit, *quòd rem notam faciat, sitque velut rerum imago.* Hinc fit, vt in iudicio legitimo, quod

Secundò. Nomina sunt nobis necessaria.

Nomen vnde dictum.

quod actore, reo & iudice constituitur, sine quibus esse nequit. l. inter litigantes, & l. Iulianus de iud. vt nouerimus quæ sint istæ personæ, & an sint legitimæ, nomen proferri debeat, & cognomen, vnde habeatur notio earum. l. 1. de mutat. nom. C. §. si quis in nomine, de lega. Titus Probus, in epit. lib. 10. Valer. Max.

Tertiò. Tertia, quòd nominum vsus, eo potissimùm referatur, vt animi nostri sensa patefaciamus, verbumque externum, interno deseruiat: Angeli verò sine vllo vocis sono, conceptus suos mutuò insinuent, eo modo, quo locutio inter illos esse, asseritur. Quare neque de seipsis, neque de nobis habent nomina. Ex quo sequitur, quod neque nos, proprijs quibusdam nominibus eos compellare possimus, cùm nulla, quibus inuocentur habeant: Neque aliter de illis, acturi, quàm aut ordinum eorum, aut particularium Angelorum nomina recensendo, quæ pauca sunt, & nonnisi sacris literis prodentibus cognita. Neque tamen sunt eorum propria, sed magis ex propietate quadam, quomodo Patriarcharum nomina, secundum aliquam proprietatem putantur imposita, vt Isaac, à risu: Iacob supplantator, & sic de alijs; aut ex officio aut ex affectu attributa: vt Michael, quis sicut Deus? Raphael, medicina Dei, & in alijs quæ præcurrit Euseb. lib. 11. de præparat. Euangel. cap. 4. quod & Plato docet in Cratylo. Idemque est de animâ iudicium: quare omnia nomina ad notificationem illius imposita, ex actibus, quos exercet, assumi, docet Abulensis in præfatum caput Matth. quæst. 483. neque enim nomen aliquod sortita est proprium, quod illius naturam immaterialem explicet. Quod cùm ita sit, dabitúrne vllum infinitæ Majestatis atque puritatis, nomen æquabile? Satis est nouisse, quod nemo potest ignorare, Diuinitatem quandam esse, à cuius nutu pendent vniuersa, non ex nomine proprio, sed ex rerum moderamine, cognitam.

Nomina neque de se, neque de nobis habēt Angeli.

Apud Romanos, incerto Deo, nulla fuere sacrificia.

4. Ignoto Iudæorum Deo, Romæ nulla sacrificia. Cur istud?

QVorsum autem Romani, qui magnam in partem, Deorum religiosi, nihil vsquam gentium Numinum esse ferebant, quod non susciperent, ac venerarentur, vnico illi vnius gentis Iudæorum Deo, quem incertum dicerent, nullos flamines, nulla instituere sacrificia? An quia de Dijs nouis suscipiendis, atque expellendis, vt habet Petrus Crinitus lib. 13. de honestâ disciplinâ cap. 3. Senatus ipse, quâ pollebat auctoritate, decernebat, sicut Romanæ leges & decreta statuerunt? Nam & in Pontificum libris, ita seruatum est, *Separatim nemo sit habent Deos nouos, siue aduenas, nisi publicè ascitos priuatim colunto: Diuos qui semper celestes habiti, colunto: Constructa à Patribus delubra habento*: ita Crinitus, & Tertul. in apologetico contra Gentes, atque ex eo Eusebius Pamphilus, vetus fuisse decretum, scribit, ne Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probaretur. Propterea que cùm Tiberius (cuius sub imperio, Christianum nomen vulgari cœptum) de Iesu Nazareno Dei Filio ex Syriâ Palæstinæ, vbi Diuinitatem suam signis, atque portentis manifestabat, à Pilato accepisset, retulissetque ad Senatum, cum prærogatiuâ sui suffragij, Senatus, quia nō in se probauerat, quia ipse Iesus Deum se, & non ex Romanis legibus, dixerat, repudiauit, Cæsare interim in sententiâ persistente, & accusatoribus Christianorum, periculum cōminante. Id quod Diuinâ dispensatione factum scribit Euseb. lib. 2. Histor. cap. 2. ne putaretur prædicationem Euangelij fauore & auctoritate Principum terræ, indigere. Addique præterea potest, quod cùm disciplina Christianorum, patientiam, cruces, persecutiones, ieiunia, mortificationes, macerationes, aliasque virtutes prædicet, quę plurimùm sensualitati nostræ aduersantur, ideò sæculi sapientes & tyranni, continuò veritatem oppugnarunt, falsitatem verò & idololatriam defenderunt: quare multâ cum patientiâ, laborum, ærumnarumque tolerantiâ, Fidei Catholicę vexillum, erigendum fuit, vt aduertit Lactant. lib. 2. institut. cap. 22.

Senatus de Dijs suscipiendis, arbitrabatur.

Deus nullus nisi à Senatu consecratus.

Ideò Christus non est ab eo receptus Deus.

5. Verùm quanquam humano arbitratu Diuinitas pensitaretur, nec esset, coleretúrve Deus, nisi qui homini placuisset: non ea mihi sola ratio videtur, cur omnium Gentium Romani admitterent Numina, vnum verò, vnius Iacidæ Gentis refellerent, sed alia est, & meo iudicio, vrgentior, quam tradit D. Augustinus lib. 1. de Consensu Euangelist. cap. 18. quia cùm, ex Socratis sententiâ, vnumquemque Deum sic coli oporteat, quemadmodum se ipse colendum præceperit: ignotus autem ille, in tantâ Deorum inaniū multitudine, Deus, cultus sui consortem fastidiat, vetetque vlli quàm sibi rem Diuinam fieri, ideò nec aduocandum, nec propitiandum sibi, nec admittendum duxere, quem si reciperent, iam myrmecia illa Deorum, maleque feriari eorum ritus, ex eius præcepto, essent exigendi. Eapropter vnius veri Dei cultum respuerunt, ne multos falsos offenderent, magis arbitrantes sibi obfuturam fuisse istorum iracundiam, quàm illius beneuolentiam profuturam: Quod itidem sectarijs nostris vsuuenit, qui vnicam Dei Ecclesiam Apostolicam Romanam, consortis impatientem, æquis viribus explodētes, omnium præterea Nationum sectas suis Vrbibus recipiunt: necnon illis quoque, qui illecebrosis vitæ voluptatibus offerti, vnam exsibilant virtutem, quò sic licentiùs omni se prorsus nequitiæ tradant; ignorantibus illis similes, qui semitam mandatorum Dei nescire volentes, dixerunt Deo, Iob. cap. 21. *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*: de quibus Psaltes Regius ps. 35. *Noluit intelligere vt benè ageret*, vnusquisque enim qui se flagitijs ingurgitat, inquit D. Ambrosius, non vult intelligere quæ cælestium mandatorum sunt, ne reuocetur à vitijs: sic detrectat Achab audire Michæam, quia non prophetat ei bonum, 3. Reg. 22. sic obturat aspis aurem, ne incantatoris exaudiat vocem. psal. 57.

Deus colendus vti præcipit.

Christum non recepit Senatus in Deum, ne reliquos omnes aspernari cogeretur.

Iob. 21.

Psal. 35.

3. Reg. 22.

Psal. 57.

Capitis 21. §. 6.

Silentio, quàm voce, Diuinitatem nominatiùs commendari.

1. Ineffabilis Deus, silentio significatur.

FAcit præterea ad Diuinæ ineffabilitatis æstimationem, quod Eugubinus ait, quosdam appellasse Deum silentio colendum, inenarrabilem, atque inexplicabilem. Contemplanti namque abdita Diuinitatis, quantùm creatæ vi intimos illius recessus penetrare datur, ita ampla, ita magnifica, ita aloga sese obijciunt omnia, vt mirati ac stupere solum, & expauescere, fari autem nihil liceat, cùm ipsa, effatus quoque superent Angelicos. Et hoc quidem ad maiorem Numinis laudem, & gloriam, ne leuiter vocis efferatur sono, tanquam vulgare, ac cognitum omninò, sed prematur silentio tanquam ineffabile, quodcunque, ne animo quidem satis concipi potest; ex quo non modica majestati & magnitudini rei, laudis accessio est, vtpote cuius ad intuitum, mentis stupor, non linguæ garrulitas sequatur. Quam in

Quę maxima sunt, admiramur, non loquimur.

In rem Aul. Gellius noctium Atticar. lib 5. cap. 1. refert Musonium Philosophum dicere solitum, *magnam laudem non abesse ab admiratione: admirationem autem, quæ maxima est, non parere verba, sed silentium*; quod esse consequens manifesto habetur exemplo: Abacuc enim Prophetes, auditis mirabilibus, quæ Dominus, ad Israëliticæ nationis egressum de Ægypto patrauerat, mirabundus expauit, & obmutuit, *Audiui*, inquit, cap. 3. *& conturbatus est venter meus, à voce contremuerunt labia mea*, id est, obmutuerunt prorsus, siue vt Arias Montanus vertit, *Ad vocem palpitauerunt labia mea*, tanquam si, vt ille cecinit 2. Georgicon.

Abac. 3.

Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

Et gentium Apostolus, per illud raptæ mentis spatium, quo (vt verbis Poëtæ vtar)

——— magnis exterrita monstris

Diriguit visu in medio.

Præ magnitudine arcanorum quæ viderat, quæ audierat, adeptam sibi fandi potestatem profitetur. 2. Cor. 12. *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui*, hic rationum diuinarum spectator, ille auditor stupendorum, & vterque castiùs, cautiùsque Diuina Mysteria silentio venerans, quàm eloquio. *Forsitan enim*, inquit Magnus Augustinus serm. 38. de verbis Domini, *silentio aliquid dignum de re ineffabili cogitatur, nam quidquid potest fari, non est ineffabile, ineffabilis est autem Deus; si enim raptum se dicit vsque ad tertium cælum Apostolus Paulus, & dicit se audisse ineffabilia verba, quantò magis ipse ineffabilis, qui talia demonstrauit, quæ fari non possit, cui demonstrata sunt?* Itaque de summo hoc ineffabili copiosiùs venerantiùsque fantur illi, qui quæ summa, quæuè arcana diuinitùs acceperint admirantes, silentio secum pertractant, quàm qui sermone produnt: quod censuisse mihi videtur Diuus Gregorius, quum in Moralibus ait: *Faciliùs de Deo loquitur, qui obstupescendo tacet*: siquidem prudentiores, eruditioresue admirandi, atque expauescendi; imprudentiores, in illis ipsis imperitè loquendi segetem nanciscuntur. *Quis* enim, vt Psalmographum referam, psal. 105. *loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes eius?* Ipsi Angeli, quanquam limpida specula, fidique secretorum diuinorum interpretes, ineffabilem silentio venerantur: quod enim Exod. 25. præceptum est, vt duo Cherubini latus propitiatorij tegerent, expandentes alas, & operientes oraculum, respicerentque se mutuò, versis vultibus in propitiatorium, symbolum fuit silentij, in quo præcipuè colitur, & adoratur Deus.

2. Cor. 12.

Silētio mysteria diuina veneramur, quàm eloquio.

Silētio mysteria diuina veneramur, cõculcamus verbo.

Psal. 105.

Angeli interpretes arcanorum Dei.

Exod. 25.

Silentio colitur Deus.

2\. Quid? frustráne igitur Pontifex cum thymiamaterio? frustráne cadunt victimæ? frustráne sunt Phonasci cum symphoniacis, qui aut assâ voce, aut organicâ, aut etiam mixtâ, Dei laudes modulantur? Rectè ista quidem, interibi dum

——— Olli obstupuere silentes,

Conuersique oculos inter se, atque ora tenebant.

Veluti significarent, deficere, quidquid in laudem adfertur Dei, cùm & ipsa Angelorum epinicia, pro silentio habeantur; id quod Psal. 64. expressum satis, in illis verbis, *Te decet hymnus Deus in Sion*, quæ sic legit ex Hebræa radice D. Hieronymus, *Tibi silentium Deus in Sion*, quæ est etiam lectio Ariæ Montani, apud quem si margini inscriptam vocem in textum referas, etiam legis, *Tibi silet laus Deus in Sion*, quod explicans Paraphrasis Chaldaica, sic ait, *Coram te reputatur sicut silentium laus Angelorum, Deus, cuius maiestas præsides in Sion*: quare adorari meliùs Deum *puro silentio, castisque cogitationibus de eo*, vt inquit Porphyrius lib. 2. de abstinentiâ. Quò pertinet illud D. Dionysij Areopagitæ, *Arcanum Diuinitatis, quod omnes intellectus transcendit sacris animi venerationibus, & ineffabili & casto honoremus silentio.* Nam quid omnis creaturæ vox ad tantam majestatem? Ecclesiastici 43. *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, superualebit adhuc, & mirabilis magnificentia eius: Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis maior enim est omni laude.*

Psal. 64.

Angeli vt sileant etiam laudantes Deum.

Eccl. 43.

3\. Amplior porrò, augustiorque ea laus est, quæ silente cordis sono, quàm quæ strepente foris linguâ profertur. Hinc Psaltes Regius, quò se augustiùs Diuina commendare significaret, *In corde meo*, inquit Psal. 118. *Abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*, incompto nempe, impolitoque sermone, illa efferendo, quæ sacratiùs cordi committuntur, quàm linguæ. Illud enim est, quod illustrationes Diuinas suscipit & seruat, vt propterea Cassianus de ortu & parentibus præcursoris dicat, *Cor nostrum sic creatum est, vt sit in terra quoddam armarium, atque repositorium Diuinorum*: Illud vnicum est, quod cum Deo tractat, luctatur, vincit, Isa. 30. *In silentio & in spe, erit fortitudo vestra*: estque silentij tutum præmium, vt dicitur, quod hoc senario expressere Veteres,

Corde melius laudes Deo canitur quàm ore.

Psal. 118.

Cor, repositorium diuinorum.

Isa. 30.

Silentij præmium tutum est.

ἀκίνδυνον γὰρ ἐςι τῆς σιγῆς γέρας.

Vacat periclo præmium silentij.

Et vsurpauit Horatius lib. 3 Odarum.

Est & fideli tuta silentio Merces:

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Inquit alius: In hoc, imbelli manu Iudith. cap. 13. Principem militiæ Assyriorum obtruncauit, *Orans cum lacrymis & labiorum motu in silentio*: in hoc luctabatur cum Angelo Iacob Genesis 32. & contra Deum fortis fuit, Ozeæ cap. 12. *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum & confortatus est, fleuit & rogauit eum*, canorâ scilicet, silentij voce, non linguæ admurmurantis strepitu. Illud vnum est tandem, quod se dignum, suique capax indicauit Deus, vnde Prouerb. 23. *Fili, inquit, præbe mihi cor tuum*, non linguam, quæ accepta vulget, sed cor, vt taceat, seruet, & cum solo conferat Deo; ideoque tanquam signaculum admitti postulat Cantic. cap. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum*, non super linguam, ne palam faciat arcana Dei, sed super cor, vt ea tanquam sigillo munita & confirmata, serues atque mireris, in lætitia cordis tui.

Iudith. 13.

Gen. 32.

Osea 12.

Prou. 23.

Cor petit Deus.

Cant. 8.

Eam ob rem Veteres, apud quos Isis, Serapisque colerentur, ad eorum Diuinitatis commendationem, operæ pretium se facturos iudicarunt, si in quibus dedicarentur delubris, simulacrum digito labijs impresso, statuerent, quod mortales eos fuisse, tacendum commoneret, auctor Pierius Valerianus Hieroglyphicor. lib. 36. cap. 13. Harpocratis itidem Ægyptijs figmentum fuit, quod digito ori admoto, silentium de Dijs habendum indicabat: à quibus etiam Crocodilus, quòd elinguis esset, pro Deo habitus est, quia Numen silentio potiùs quàm oratione adorandum putarint, vnde eos quoque propterea cùm Deorum ædes præterirent, tacuisse opinor, cùm & apud Græcos in ianuis loqui nefas semper esset, vt scribit Alexander Sardus lib. 3. de ritibus gentium cap. 16. quo etiam more, inquit ille, Romanos templa prætergredientes, manum ori adposuisse crediderim: simulacra item videntes: quibus nec defuit Angerona, quæ obligato, obsignatoque ore, non esse vulgandum innueret, cuius Numinis tutelæ commissa Roma, quodve Vrbis nomen singulare,

Isis & Serapis silentio coluntur.

Harpocrates silentium indicat Crocodilus, elinguis.

Templa Deorum prætereuntes, tacent; & in ianuis.

Ori manum admouent Romani templa prætergredientes.

lare, quod Deorum decreto occultari tum oportuit, nunc verò lethæi latices, penitùs extinxere: Quod quidem tanta olim superstitione tacitum est, vt quum illud Valerius Soranus (Marcenum Soranum appellat Tostatus in cap. 20. Exod. quæst. 3.) palam pronuntiare præsumpsisset, non minori quàm capitis pœnâ, nefas illud expiarit.

Demogorgon.

Quid Demogorgonis primarij veterum Numinis, nomen referam, quod illis sacrum, abditumque? ex illo quippe silentio, magnum honoris incrementum consequi Numen putabant, terramque ipsam, si quando nominaretur honoris & venerationis ergo moueri ac tremere. Quin etiam illud nomen ipsis quoque inferis terribile habitum fuisse, inde licet colligere, quòd apud Lucanum de bello ciuili, Erito pharmaceutria, furias erebo euocatas admirans, nisi assensum præbuerint, sese Demogorgonis nomen pronuntiaturam comminatur, quibus omnibus honoratiùs, rectiusque nos, ipso silentio, de Deo sentire, Deum colere, Deum ineffabilem prædicare, significatum est: præsertim cùm sapientes illi, qui in immensum pelagus Diuinitatis, seculari studio prouecti, à creaturis vela facientes, multâ garrulitate de Deo philosophati sunt, continente irrepertâ, turpi relapsu, ad creaturam in quâ consisterent, sint conuersi. Quia enim, sicut habet Diuus Chrysostomus homil. 28. in cap. 11. Matth. *Sicut quis innauigabilem Oceanum nauigare se vsurpat, dum non potest eum transire, necesse est vt per eandem viam reuertatur vnde ingressus est: sic & antiqui Philosophi & Oratores, de Dei naturâ quærere contendentes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone: in vltimo nihil amplius inuenire se potuisse confessi, nisi quia Deus est incognoscibilis*, & ad creaturas conuersi sunt, cùm Deum castissimè, cautissimeque, ne superuacaneo labore in eius notione inuestigandâ consumerentur, adorare debuissent, mortuis hominibus, qui fortè vel potentiæ quidpiam, vel artis habuerunt, & à quibus ad vitæ cultum commoda vtilitas esset accepta: vel etiam gentis aut Vrbium conditoribus, vel fœminis, siue pudicitiæ, siue impudicitiæ notâ præsignibus: seu viris fortissimis, quanquam sceleratissimis, maximè si præstigijs, ac magicis artibus, stolidiores mortalium in admirationem stuporemque sui adduxissent, honorem Diuinum contulerunt: vt inquiunt Clemens Romanus lib. 10. recognitionum, & Polydorus Virgilius, lib. 1. de rerum inuentorib. cap. 1. atque ita factum est, vt errore orbis, Dij inueherentur, vt habet Tertull. lib. 1. aduersus Marcionem. Et quod dictu post homines natos, pudendum ac importunissimum est, ex animalibus etiam viuis, Deos sibi fecere. Hinc licet Ægyptijs templa essent ex marmore & auro elaborata, luxu ingenti & arte mirâ; tamen Deorum imago erat illis deridicula, inquit Alexand. ab Alexandro, libro 2. Genial. Dier. cap. 22. & Philostratus lib. 6. vitæ Apollonij, cap. 9. Quid enim terroris aut venerationis inesse poterat imaginibus, aut Canis, aut Ciconiæ, aut Hirci, aut huiusmodi animantium, quas Templis inferebant? Periuros namque & sacrilegos, inquit Philostratus, & qui scurrilitate in Deos vtuntur, contemnere magis quàm timere eiusmodi templa, consentaneum est.

Philosophi de Deo garrientes, defecerant ad inania.

Animalia, Dij dedicantur.

CAPVT XXII.

De Diuinis Nominibus.

Nominari vt aliquo modo possit Deus.

1\.

IAm tandem, vt ad lineam & gradum nostra reuocetur oratio, illud compertum est nullum Dei nomen suppetere, quod ipsum perfectè describat, sicut cap. 21. indicauimus. Itáne ergo nó cognoscetur à mortalibus Deus; vt nomine aliquo proprio cópellari queat? Cognoscimus certè illum qui ignorari non potest, deque illo aliqua concipimus ex quibus vtcunque nominetur, siquidem voces sunt signa conceptuum, inquit Philosophus. *Quod est igitur nomen eius*, Prou. 30. *& quod nomen Filij eius si nosti?* Ineffabilis quidem Dei, illud ineffabile est; sed quanquam ineffabilis Deus, effabilis est tamen, quia nos qui illius characterem in fronte gerimus; dum ineffabilem prædicamus, iam tanquam de effabili aliquid effari compellimur. Scitè D. Augustinus lib. de Doctr. Christianâ. *Ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & hoc quum dicitur, aliquid dicitur, & fit nescio quæ pugna verborum, quoniam si illud est ineffabile quod dici non potest, non est ineffabile, quod ineffabile dici potest; quæ pugna silentio cauendâ potiùs, quam voce pacanda est. Et tamen Deus cùm de illo nihil dignè dici posit; admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit: nam inde est, quòd & dicitur Deus. Non enim reuera in strepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur: Sed tamen omnes Latinæ linguæ socios, cùm aures eorum sonus iste tetigerit, mouet ad cogitandum excellentissimam quandam naturam.* Simile est quod D. Damascenus scribit lib. 1. de fide, cap. 1. *Ineffabile est Diuinum nomen, & incomprehensibile; nam essentia Dei, quid & qualis sit in se, comprehédi à creato intellectu, & humano sermone efferri non potest: ideò Spiritus Sanctus demisit se ad captum nostrum, & attributis quibusdam, essentiam suam descripsit.* Quare cùm Diuinæ essétiæ tot appellationes esse possint, quot ipse exercet munera, nominibus illum, quæ vim aliquam eius, effectumque significent, ceu quibusdam coloribus adumbramus: indeque fit, sicut Elias Cretensis ad 1. 10. & 20. orationem D. Gregorij Nanzianzeni aduertit, vt suprema Diuinitas, quæ nullo nomine, quod eius dignitatem assequatur, multis nominibus, ob diuersas operationes & potentias appelletur.

Vtcunque nominari potest Deus.

Prou. 30.

Nomina sunt colores Dei.

Est quidem vnum illius nomen singulare apud ipsos supercælites, quo ipsa ineffabilis Diuinitas à se sola effabilis, se in se vocat propriè, quod est super omne nomen quod nominatur, siue in hoc sæculo, siue in futuro, nec ab intimis Diuinæ essentiæ recessibus egreditur. Est & apud Cælites nomen vnum, ad quod cælestis curia genua curuat; & nos in futura animorum nostrorum vitâ, quando perfecto fabricæ huius curriculo, omnia reducentur in vnum, sicut scribit Georgius Venetus Tomo 3. sect. 2. Problem. 36. Venerabimur, atque ipsum verè, planeque admirabile nomen, quod omne nomen superat; quod vacat nomine, sicut Diuus Dionysius inquit, Diuinor. nom. cap. 1. trementes nominabimus. De quo Zachariæ 14. *In die illa erit Deus vnus, & nomen eius vnum*, quod, vt habet Propheta Isaias cap. 44. *Magnificatum est super omnes.* Tunc enim sublato prorsus sectarum, religionumque dissidio, quod hæc mortalitas alit & fouet, sicut nomen vnum, ita & laus vna erit, quia vnicè tunc, non variè nobiscum aget Deus.

Nomine singulari in cælis nominatur Deus.

Zachar. 14.

Isa. 44.

2. Vt à nobis nominetur Deus.

Apud mortales verò, qui ex participatâ diuinitate quam in rebus experimur, in diuinorum cognitionem adducimur: *Deum ex his quæ circa ipsum sunt, adumbrantes, obscuram quandam & imbecillem, atque aliam ex aliâ speciem colligimus*, quemadmodum scribit D. Gregorius Nazianzenus orat. 36. Namque sicut nemo est, qui aërem totum vnquam hauserit, ita nec mens vlla creata, vnquam concepit Dei naturã, neque vox vlla complexa est. Eapropter, ipsum summum admirandum ac tremendum, quod expers est nominis, multis designamus nominibus: quoniam ipsum id esse scimus, quod omnia sunt, nec tamen quidquam esse eorum quæ ab ipso sunt.

Deus est omnia quæ sunt, nec eorum quidquam.

Quo quidem mihi pertigisse videtur Seneca, lib. 4. de beneficijs, cap. 7. & 8. vbi vnum, eundemque Deum, multis varijsque Deorum nominibus appellatum persuadet, in hunc modũ. *Quoties voles*, inquit, *tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare: & Iouem illum optimum & maximum ritè dices, & tonantem, & Statorem: qui non (vt Historici tradiderunt) ex eo quòd post votum susceptum, acies Romanorum fugientium stetit, sed quòd stant beneficio eius omnia, Stator, Stabilitoque est: hunc & eundemque fatum si dixeris, non mentieris. Nam cùm fatum nihil aliud sit, quàm series complexa caussarum, ille est prima omnium caussa, ex quâ cæteræ pendent. Hunc & Liberum Patrem, & Herculem, & Mercurium nostri putant. Liberum Patrem, quia omnium parens sit; quòd ab eo primùm inuenta seminum vis, consultura per voluptatem. Herculem, quia vis eius inuicta sit, quumque lassata fuerit operibus editis, in ignem recessura. Mercurium, quia ratio penes illum est, numerusque & ordo, & scientia. Omnia eiusdem Dei nomina sunt, variè vtentis suâ potestate: vt si vel Lucium, vel Annæum, vel Senecam dixeris, à quo beneficium acceperis, nomen mutasti, non creditorem.* Et Naturalium quæstionum lib. 2. cap. 45. *Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est ex quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum. Vis illum Prouidentiam dicere? rectè dices. Est enim cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum Naturam vocare? Non peccabis. Est enim à quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus. Vis illum vocare mundum? Non falleris. Ipse enim est totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi suâ.* Hæc ille.

Deorum nomina vt vni Deo tribuantur.

At cauendum nobis est, ne falsis, aut probrosis nominibus Deum compellamus; Nam si veteres magnam nominis rationem habuerint, vt falsi nominis, vel cognominis asseueratio, vt scribit Papinianus, pœnâ falsi coërceretur. Pap. l. Falsi nominis, 13. ad leg. Corn. de fal. P. vt si cùm fraude mutatio fiat, alioquin sine fraude, impune fit. l. 1. de mutat. nom. lib. 9 C. tit. 25. quãdoquidem nomina ad recognoscendos singulos sint tantum imposita ex arbitrio, dicta. l 1. & 5. si quis in nomine. de lega. ap. Iustin. vt parum de nomine, si de corpore constet, curemus, l. si in nomine. C. de testamen. l. si Fortidianum. C. de lega. l. 4. de leg. 1. quia hominum nomina mutabilia sunt, vt ait Vlpianus, apud Petrum Greg. Syntagmatis Iuris lib. 36. cap. 4. num. 1. Si vt, inquit Cic. lib. 1. de diuinatione. *In delectu Consules obseruant, vt primus miles fiat bono nomine.* Si Metianus Iurisconsultus, remittit hæredi conditionem à testatore impositam, vt ferret nõmen inhonestum, veluti Vespillonis, cùm sit habenda cura honesti nominis, & dignitatis. Metia. l. sed sciendum ad Trebell. in P. apud eundem P. Greg. lib. 32. cap. 8. num 3. dabimúsne Deo nomina Iouis, Herculis, aliorumque falsorum Numinum, & verorum criminum?

Deo probrosa nomina non esse tribuenda.

Nomen mutans, pœna falsi coërcetur.

3. Placitis ergo appellationibus, quæ quidem summæ bonitati conueniant, aut etiam per sacrorum interpretes traditis; diuina, quæ vocis conceptæ sono fari non possumus, circumloquimur; quorum plura reperias, quæ misericordiã, amorem, pietatem, benignitatem, mansuetudinemque significent; quàm quæ horrenda, rigorem ostentant.

Cùm verò nominum alia primitiua sint, alia deriuatiua, ex Ioanne Bustamantino lib. 2. de animantibus scripturæ S. cap. 9. Primitiua rebus primariò inuentis imponuntur, deriuatiua, à primitiuis sumuntur: & vtrumque genus nominum, non temerè, sed ex ratione, significandis rebus aptatur; aut propter substantiam cuius in hoc rerum statu notitiam fuerimus consecuti; aut propter effectus rerum & opera, atque accidentia quæ in rebus ipsis sunt. Dei substantiæ nomen, etsi nullum mortalibus suppetat, quod ipsam, modumque eius omnem exprimat: Essentialia tamen quædam commemoramus, quæ ad diuinitatem, potentiam, essentiam, & naturam reuocantur, quorum quædam substantia sunt, vt Deus, Creator, &c. & singulariter dicuntur. Quædam adiectiua, vt bonus, æternus, immensus; & horum nonnulla Deum esse positiuè ostendunt, siue in se: alia in operatione, siue effectibus, vt in productione & gubernatione rerum: alia in actu vt iustificans, miserator; alia in habitu, vt iustus, misericors: hæc ab æterno sunt, illa ex tempore, vtpote quæ ad creaturas referantur, quæ non ab æterno, sed ab æuo, siue ex tempore sunt: illa in hunc modum expressit Psalmographus psal. 110. *Misericors & miserator Dominus*, in habitu nempe, & essentiæ suæ respectu, *escam dedit timentibus se*, respectu nostri, quorum actu misertus est. Ad essentiam pertinet *Ens*, quod totum, hoc est τριμέρειαν τοῦ χρόνου, omnes nimirum tres partes temporis complectatur, nec inchoatum, nec finiendum sit; de quo solo verè dixeris, *Semper erat, est, & erit.* quanquam erat, & erit, vt duriusculum nõ admittat D. Nazianzenus orat. 20. & 36. ait enim, *Ens verò proprium sanè est Dei, ac totum, nec priore aliquâ re, nec posteriore (nec enim erat, aut erit) definitum, aut circumcisum.* Ad virtutem siue potentiam, spectant, omnipotens, & rex, vel gloriæ, vel sæculorum, vel virtutum, vel dilecti, vel regnantium, vel dominantium, de quibus psal 77. 1. ad Timoth. 1. psal. 68. 1. ad Timoth. 6. psal. 67. Ad operationem siue œconomiam, & rerum humanarum administrationem, quæ apud Nazianzenum duplex est: vna, quæ supra corpus sit posita, vt quâ res humanæ, ante Verbum incarnatum regebantur: altera, quâ post assumptam carnem: *Alia autem nomina, partim potestatis esse constat, partim œconomiæ, inquit, & quidem duplicis; alterius nimirum corpore sublimioris; alterius cum corpore coniunctæ.* Eiusmodi sunt, Deus vel saluos faciendi, vel vltionum, vel pacis, vel iustitiæ; vel Abrahæ, Isaac, & Iacob, vniuersique spiritualis Israël, ac videntis. Ista sunt œconomiæ nomina, quæ rectè triplici hominũ regimini adscripseris. Sicut namque tres sunt ordines eorum qui saluantur; seruorum qui verberum metu ad bonum excitantur: mercenariorum, qui spe mercedis impelluntur: & filiorum qui propter ipsam honestatem aguntur: ita tribus his rebus gubernamur, metu supplicij, qui audito nomine Dei vltionum procuratur: salutis & gloriæ spe, qui ex Deo saluante concipitur: & cultu virtutum, ad quarum studium, in Dei Abrahæ & videntis nomen, accendimur. Reliqua nomina nostræ erga Deum affectioni damus, non autem vllæ in Deo variationi. *Nam quòd diuersis nominibus Deum vocamus*, inquit D. Bernardus serm. de diuersis

Nominum diuisio.

Nomina n Deum esse ostendunt.

Nomina diuinorum alia æterna, alia ex tempore.

Psal. 110.

Ens de Deo dicitur.

Erat, & erit an de Deo rectè dicatur?

Œconomia duplex.

Saluandorũ ordines tres.

Nomina quædam diuina adfectui nostro dantur.

uersis animæ affectionibus, *non illius simplicissimæ, & inuariabilis naturæ diuersitas vlla in caussa est, sed affectionum nostrarum multiplex variatio, secundum diuersos profectus animæ, vel defectus.* Hinc illa quæ metaphoricè, siue symbolicè dicuntur, vt leo, pastor, ouis; & quæ mysticè, vt suauis, dulcis, benignus, quæ ab interno contemplationis affectu orta, proferuntur: Metaphorica, externas habet caussas. vt creaturas: mystica supernas, & rerum spiritualium gustum.

4. Nomina priuatiua magis conueniunt Deo.

Quid positiua memorem, vt iustus, potens? Quid priuatiua, quæ positiuis sunt conuenientiora, cùm melius sit dicere de Deo quid non sit, quàm quid sit, vt immortalis, æternus? Quid illa quæ ab vnitate recedunt? hæc sunt vel personalia, vt pater, siue genitor: filius siue Verbum: & Spiritus sanctus, siue Amor: vel appropriata, vt quæ personis tribuuntur aut secundum entitatem suam spectatis, vt Patri æternitas; Filio species siue pulchritudo; Spiritui sancto, vsus, siue fruitio. Aut secundum suam vnitatem, vt Patri, vnitas; Filio æqualitas: Spiritui sancto, connexio. Aut ex operatiuâ virtute, vt Patri potentia; Filio Sapientia: Spiritui sancto bonitas. Aut ex respectu ad res creatas, vt Patri ex quo: Filio per quem: Spiritui sancto in quo. De quibus D. Thomas 1. parte, quæst. 39. art. 8. vt notiones præterea quæ terminis Theologicis comprehenduntur, vt innascibilitas siue ingenitum, paternitas, filiatio, spiratio communis, & processio Aliaque complutia nomina, quorum definitus numerus esse non potest, quia innominabilis illa magnitudo, omni nomine sit celebris, vt proinde plura quisque, paucioráve, prout iudicauerit, recenseat. D. Dionysius quidem prope quadraginta quinque; alij septuaginta duo: Diuus Hieronymus epistolâ ad Marcellam, decem præcipua, ex Hebraicis codicibus desumptâ.

Nomina Dei sonora esse debent in corde.

Quæ tamen omnia in ore minùs sunt sonora, quàm in corde: maius enim quiddam excellentiusque cogitamus, quàm dicimus, & idipsum etiam quod cogitamus, omnem nostrum supergreditur cogitatum: quapropter vlteriùs semper extenditur desiderium nostrum, neque satiatur tamen, neque expletur, vtinam verò diuinis istis significationibus irroretur! vtinam effuso corruptionis aceto, perpurgatisque cum labore & triturâ cordium nostrorum basis, mel salutis, aurum caritatis, & vinum iustitiæ, alias quoque eximias dotes, à sancto Dei effusas nomine, admitteremus, donec in Sanctorum recepti consortium, impleamur! præclarè de Dei appellatione hæc omnia complectitur D. Augustinus tractatu 4. in epist. Ioan. *Mel dicamus, aurum dicamus, vinum dicamus, quidquid dicamus quod dici non potest, quidquid volumus dicere, Deus vocatur. Et quid diximus* DEVS? *quid diximus? Duæ istæ syllabæ, sunt totum quod expectamus. Quidquid ergo dicere volumus, infra est: extendamus nos in eum, vt cùm venerit, impleat.* Imò etiam ô Pater Magne, non modò quidquid dicere valuimus, sed etiam quidquid cogitare, quidquid animo concipere valebimus, infra est, quis enim pertranseat infinita? Non igitur est quod dicitur, non est quod cogitatur. auctu infinito crescit supra ipsorum Cherubinorum cogitatus, neque illis, quantumuis intendantur, quantumuis extendantur, totaliter attingetur vnquam.

Syllabæ duæ Dei, bonum omne continent.

5. Deus id esse cogitandus, quod nec mente concipi potest, nec ore dici.

Quemadmodum igitur, oportet eum qui Iouis contemplatur effigiem, inquit Philostratus lib. 6. vitæ Apollonij cap. 9. cum cælo, & horis, & astris ipsum imaginari, sicut Phidiæ tunc venit in mentem, Palladem verò fingere cogitantem exercitus, consilia, & artes meditari, & quomodo ex ipso Ioue prosilijt: ita caussam primam & ipsum ens infinitum quod Deus est, quum imaginamur, altiori mentis conceptione cogitare debemus, id esse Deum, quod nec corde concipi, nec linguâ nominari potest, & eum esse super omnia, & in omnibus omnia: *In seipso, sicut a & ω,* inquit D. August. super illud Matt. 6. Pater noster, *in mundo sicut rector & auctor: in Angelis sicut sapor & decor: in Ecclesia sicut paterfamilias in domo: in anima sicut sponsus in thalamo: in iustis sicut adiutor & protector; in reprobis sicut pauor & horror.* Et Cassiodorus super psalmum 47. *Virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, Sapientia ineffabilis, cuius definitio est, finem in Sanctorum laudibus non habere.*

Deus omnia in omnib.

Adfectus animi in Deû.

Adoro igitur te, toto cordis adfectu, ô veritas innominabilis, veritas æterna, & vera æternitas: adoro te ô inexplicabilis caritas, æterna caritas & cara æternitas: adoro te Deus absconditè omni animæ viuenti, & in omnibus apparens manifestè, absconditus in essentiâ, ignotus in substantiâ, cuicunque creato spiritui incomprehensibilis, & à quacunque cognitus creaturâ, cuius verbum facit omnis creatura. Adoro te, quia te ignoro in tenebrosis splendoribus æternitatis tu[illegible], throni regalis tui; & agnosco in eruditâ fidei ignorantiâ, in caliginosâ certitudine, & infallibilitate, in quâ te credo super omne quod desiderari potest, bonum: super omne quod mensurari potest, incircumscriptû: super omne quod nominari potest ineffabilem: in summâ vnitate trinû: in Trinitate ineffabili vnû. Hoc de te viator videt in ænigmate, quicunquè de te bene sentit; reuelatâ facie visurus, vbi mens hoc mortali exuta corpore inebriabitur ab vbertate domus tuæ, quando, veluti inmoderato vino per ebrietatem mens aufertur ab homine, ita ex pleno haustu ineffabilis illius supernæ lætitiæ, peribit in se quodammodo humanâ mens, & in sortem translata beatorum, fiet diuina, & inebriabitur torrente voluptatis tuæ, in te, de te, à te, & per te absorpta.

CAPVT XXIII.

De nomine, Deus, eiusq; etymologiâ.

1.

DE diuinis nominibus tractationem aggressuri, cùm illa, vel ab antiquitate, cuius initium haud facilè scitur, vel à Dijs ipsis primùm, vel à barbaris prodita sint, vti non modò de Pseudotheis, sed etiam de vero Numine Socrates in Platonis Cratylo philosophatus videtur: eorum quæ aut diuinitùs, atque in Hebraicis codicibus expressa leguntur, aut quæ à maioribus traditâ accepimus, paucâ delibare conabimur. Quis enim omnia commemoret eius quem multorum nominum deprædicat Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. quem Prophetæ pluribus nominibus præditum laudant, quum ipsum inducunt dicentem, *Ego* sum qui sum, vita, lux, Deus, veritas, &c. inquit Diuiniloquus Antistes Dionysius Diuinor. Nom. cap. 1. Nemo est mortalium, qui augustissimos ornatus Dei, vestesque omnes nominum quibus induitur, quum inclinatione maiestatis suæ ad nostra, diuersa circa nos operaturus, descendit, complectatur, recenseatque. Proinde satis ad institutum me facturum arbitror, si vulgariâ magis quædam, communioraque

Deus multorum nominum.

Nomina Dei sunt eius vestimenta.

raque perscrutans, ea legentibus obiecero, quorum è recondito significatu, disciplinam haurire queant.

Deus primū diuinitatis nomen.

Primum autem & singulare diuinorum nominum, omniumque communissimum, & familiarissimum occurrit, ipsum quod dicitur, *Deus*: Sic enim D. Cyprianus de Idolorum vanitate: *Nec nomen Dei quæras: Deus nomen est illi: illic vocabulis opus est, vbi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est, Deo qui solus est, Deus vocabulum totum est. Ergo vnus est, & vbique totus diffusus est. Nam & vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cùm mens & anima sui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus, ô Deus, & Deus videt; & Deo commendo; & Deus mihi reddet; & quod vult Deus; & si Deus dederit.* Atque ita quidem hoc nomen generale est, vt Antonius vrbis Cos. apud Galatin. lib. 2. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 10. aliud peculiarius ediscere voluerit. Ita verò singulare, vt Rabbi Haccados, cuius tanta est apud Hebræos auctoritas, vt Rabbenu Haccados, id est, Magister noster sanctus, diceretur. Antoninæ quæstioni in hæc verba responderit, *Notum tibi facio, Deum non habere nomen, cuius nos cognitionem habere possimus, quandoquidem eius substantia, est nomen ipsius, & è contra. Et quemadmodum eius substantiæ notitiam nullam habere possumus, quoniam eâ cognitâ ei similes efficeremur, ita sui nominis cognitionem habere nequimus. Nihilominus omnia nomina eius sunt attributa; & quia nomen quatuor literarum operationibus eius peculiarius est, ostenditque eius notitiam perfectiorem, & illi accommodatiorem; prout est nobis possibile captu, & ex hoc nomine procedunt omnia eius nomina, ideò hoc nomen dictum est* שם המפורש *Sem hammephoras, id est, nomen expositum: non quod ipsum sit nomen eius substantiale, sed nos id dicimus, quoniam hoc est, quantum nostra facultas comprehendere potest, & altiùs ascendere non possumus.* Ita ibi. Quadrat quoque quod Iustin. Martyr habet in Orat. parænetica ad gentes. *Nomen enim nullum in Deo propriè dici potest, præsertim cùm ad subiectas res, quæ multæ diuersæque sunt, explanandas & cognoscendas, imposita sint nomina: & Deo nec quisquam nomen antea imposuerit, nec se ipse nomine vllo appellari putarit oportere.*

Commune & singulare.

Substantia Dei est nomen eius.

Nomina imposita ad res cognoscendas.

Quod autem hîc de nomine apud Hebræos quadrilitero, idem de Græcorum nomine Θεὸς, & Latinorum quadrilitero *Deus*, dici potest: quod scilicet, quamuis proprietatis vicem subire credatur, quia Deo non coaptatur creatorum ratione aliquâ, (cùm nulli alij alligatum sit) sed essentiæ propriæ vi, vt propterea Tertullianus lib. 3. aduersus Marcionem, dicat Dei nomen, esse quasi naturale diuinitatis, non tamen ineffabilem Dei naturam explicat, quam si explicaret, ineffabilis non esset, D. August. teste lib. 1. de doctrinâ Christianâ cap. 6. Inde fit, vt nullum nomen adæquet Dei modum, sed quod minus deficit, magis proprium esse dicatur, eminentiamque summam significet, non ex ipsius rei significatione, sed ex nominis appropriatione, vt si essentiam diuinam intelligere velis, inquit Iustinus in expositione fidei, Dei nomine expresseris: Quo sensu D. Gregor. Nazianzenus oratione 20. dixit, *Dei & entis vocabula, magis quodammodo essentiam declarant: rex & Dominus, potentiam, vt quæ in relatione quadam considerentur.*

Deus nomen naturale diuinitatis.

2.

Dei nomen vnde deriuetur.

Quod si ad inuestigationem nominis Θεῦ, siue *Dei*, nos conuerterimus, Pelasgos inuenio *Deos*, quasi Θεοὺς nominasse, auctor Herodotus apud Cæl. Rodiginium lib. 22. antiquar. lect. cap. 1. velut κόσμῳ θέντας τὰ πάντα πράγματα; hoc est, ordine suo distribuentes omnia: hinc Θεὸς quasi Θὲς à Θῶ, quod est dispono. Alij à Θεῶ, siue Θεάομαι dictum volunt, quod est, video, speculor; siue quod contemplari sit actio propria inuisibilis Dei, siue quòd lux sit clarissima, intimos animorum nostrorum fodiens parietes, & cordium reconditissima permeans: siue quòd aliter à nobis, quam per contemplationem cognosci, & obtineri non possit Deus. Theophilus verò lib. 1. ad Autolycum, auctor antiquissimus, *Deus*, inquit, nominatur, διὰ τὸ τεθεικέναι, id est, ab eo quòd omnia in suam securitatem collocauit. Henricus Stephani in thesauro linguæ Græcæ, receptissimam huius nominis etymologiam ait esse, ἀπὸ τοῦ θέειν, quòd est currere, quæ & Diuo Gregorio Nazianzeno Orat. 36. placuit, & eam Plato tradidit, ait enim in Cratylo, *Videntur primi homines Græci (sicut hodieque barbarorum bona pars) Deos existimasse Solem, Lunam, Terram, Astra, Cælum, quæ cùm viderent perpetuo cursu ferri, deinde verò & cæteris nomen idem tribuisse.* Et apertissimè Clemens Alexandrinus id adhortatio. ad gētes, ait enim, impios homines, Θεοὺς ἐκ τοῦ θέειν ὀνόμασαι τοὺς ἀστέρας, καὶ προσκυνῆσαι ἥλιον ὡς Ἰνδοί, καὶ σελήνην, ὡς φρύγες: id est, Deos à currendo sidera nuncuparunt; ac Solem adorarunt, vt Indi, Lunam, vt Phryges. Theophilus eiusdem etymologiæ meminit, quam tamen ad altiorem Theologiam refert: ait enim: *Idem nomen* Θεὸς *&* à θέειν, *id est, currendo, fortitus est, omnia enim mouet, in operationem producit, nutrit, suâ prouidentiâ disponit, gubernat, vegetat, & viuificat*: Visum quippe antiquis, non esse Deum, nisi qui mortalibus prodesset, indeque à currendo dictum quòd semper ad opitulandum paratus, accinctusque semper, vt vbi opus fuerit, accurrat velociter, & succurrat.

Deus non est, qui non prodest.

Hinc alij dictum etiam inde volunt, quod omnia det hominibus, cùm nihil sit eorum siue quæ intellectu, siue quæ sensu percipiuntur, quod non à Dei gratiâ, liberalitate, & bonitate profectum sit; cui cùm nulla ex hoc accessio fiat, fieriue possit, ab eo quòd nihil ei desit, per antithesin nominatum etiam volunt, bonorum siquidem nostrorum non indiget, ne cuiusquam mortalium animum, ista fabula inuadat, Deum, instar principis sæcularis, quæ supra sunt in cælis cælestia, & quæ infra in terris humana adornasse, quòd istis ad voluptatem suam indigeret.

Deus à dando.

Nullius egens.

Alij denique ἀπὸ τοῦ δέομαι, id est, timere, quasi δέος, id est, timor: non quia primus in orbe Deos fecit timor, sicut impiè à Poëtis fabulatum est, sed quòd dignum sit vt ab omnibus timeatur, timor non incongruè dicitur Deus. De quo in nomine Dei *Phahad*. Ita D. Clemens in Compendiolo fidei, *Deus autem*, inquit, *est appellatio substantiæ sempiternæ, siue timoris Domini*: ita Philo Iudæus, lib. Quis diuinarum rerum hæres, vbi quantum intersit differentiæ inter Domini & Heri appellationem tradens, inquit: *Cæterùm, cùm duabus appellationibus prout res postulat, rerum auctor appellari soleat, aliquando Deus, aliquando Dominus, tunc harum neutra, sed herus assumitur, idque peropportunè, & religiosè admodum, quamuis hæc vocentur Synonymia, Herus & Dominus: Sed quamuis vtrumque nomen in vnum eundemque competit, distinguit tamen hæc cogitatio, quia Dominus* κύριος, παρὰ τὸ κῦρος, *hoc est, ab auctoritate dicitur, quâ ratum sit aliquid, sicut contrà* ἄκυρον *vocatur irritum: herus autem* δεσπότης, παρὰ τὸ δεσμὸν, *id est, vinculum: vnde, vt opinor,* δέος, *id est timor. Itaque &* δεσπότης *Dominus erit, & quidem timendus, non solùm propter autoritatem, verum etiam propter metuendam omnipotentiam, vel fortasse, quia colligat, continet que omnia constringens indissolubiliter, alioqui*

Deus, Herus & Dominus.

Deus dicitur quod pettet omnia, & timeatur.

qui naturâ dissolubilia. Probat insuper hanc etymologiam D. Ambrosius, nec refugit dici à Θεάω, quum inquit, *Deus dicitur, quod spectet omnia, & timeatur à cunctis.* Quæ duo nominis huius significata, sub similitudine lapidum Iaspidis & Sardinis, quorum visui Deus similis esse perhibetur, pulchrè ab Euangelico Prophetâ, Apocal. 4. mihi descripta videntur. *Et qui sedebat, similis erat aspectui, lapidis Iaspidis & Sardinis.* Præterquam enim quod Iaspis vtroque sexu gaudet, teste Francisco Georgio Veneto lib. 8. Harmoniæ mundi, ac proinde vim illam fœcundam diuinæ mentis referat, à quâ, æternâ generatione *Verbum* prodijt, de quâ generatione Trismegistus apud Augustinum Eugubinum lib. 1. de perenni philosophiâ cap. 23. ait, *Intelligentia illa Deus, cùm maris ac feminæ vim haberet, & vita & lumen esset, genuit Verbum, alteram scilicet mentem opificem:* ob eximiam prætereà pulchritudinem, increatæ atque immensæ pulchritudinis imaginem gerit, pro regionum namque ratione, varijs imbuitur Iaspis coloribus aspectu iucundissimis, adeò vt Aron septemdecim genera Iaspidum reperiri tradat, & Plinius lib. 37. cap. 8. *Viret & sæpè translucet Iaspis, etiamsi victa à multis, antiquitatis gloriam retinent. Plurimæ ferunt eam gentes: Smaragdo similem Indi, Cypros duram, glaucoque pingui: Persæ aëri similem, ob id vocatur aërizusa, talis & Caspia est: Caruled circa Thermodoontem amnem: in Phrygiâ purpurea: in Cappadociâ ex purpurâ caruleâ, atque non refulgens:* ita videlicet Deus optimus maximus multimodâ perfectione, quarum vnaquæque etiam in ænigmate cõsideranti pulcherrima, vnicè perfectus, pro meritorum superæ regionis varietate, etsi totus, variè tamen aspectabilis, effusi decoris vi, amabiliter & delectabiliter, beatorum mentium ad se, & in se rapit intuitum. Iaspidi quoque similis est Deus, veluti namque Iaspis sistit sanguinem, castos reddit, fugat phantasmata & gratos facit. Ita Deus sanguinem sistit, quia carnem & sanguinem, hoc est hominem carnalem excludit à regno suo, non enim Dei filij esse possunt, qui carnis & sanguinis desideria sequuntur: Castos facit & puros, vt sequantur agnum, cantantes canticum, quod canunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, si namque mundo corde videtur Deus, in mundo videri non potest, vnde expurgandus quisque est, vt videat. Fugat phantasmata, ne trepident timore, vbi non erat timor, Exodi 28. & gaudeant perpetuâ tranquillitate effusi in laudes Dei. Gratos reddit, conferens gratiam, quæ est semen gloriæ & vitæ æternæ; Et Iaspidem pro gratiâ poni scribit Pier. Valer. Hieroglyphicor. lib. 41. cap. 41. quod sumptum dicit ab eius vi, quòd hominibus persuasum est, gemmam eam hominum gratiam conciliare ergà gestantem, vnde Virgilius non otiosè;

Apocal. 4.

Iaspis vtroque sexu gaudet. Dei figura est.

Exod. 28.

——— *illi stellatus Iaspide fulua*
Ensis erat.

quo præcipuè tempore Didus gratia expetebatur, cuius amore detentus Carthaginis fundabat arces, ac tecta nouabat. Quodque amplius est; vt diuinitati conformaremur, donum supernorum ciuium ex Iaspide duplicis sexus esse voluit, lapides enim illius ædificij, dolati, politi, fuisseque coaptati locis, ex vno atque altero sunt sexu, & pro meritorum varietate, statum consecuti; laudant vtriusque sexus fœcunditate plenissimũ, abundantissimumque, Creatorem vniuersorum.

Ierusalem cælestis lapides, ex vtroque sexu.

Sardinis quoque aspectui similis esse perhibetur, ob terrorem scilicet, vti inquit Arethas, quòd Sardius ignis habeat speciem, sitque gemma feris maximè ac monstris terribilis. Atque ita fit, vt Numen illud summum cùm sit ob pulchritudinis, siue speciei eminentiam longè amabilissimum; sit etiam ob iustitiæ rigorem quàm maximè terribile, ijs potissimùm, qui ferarum more ad sensuum volutabra proiecti, vitam non ex ratione, sed ex voluptate metiuntur.

3. Sardius lapis symbolum Dei.

Hinc Diuo Damasceno placet Θεὸν ab αἴθειν dici, quod est, ardere, id quod etiam Plato existimauit: ardet enim tanquam ignis Deus, siue purget, siue puniat, siue transformet. vt propterea ipse Dominus de se Zachar. 2. atque ad inimicorum terrorem, atque ad electorum purgationem, & in cælesti Hierusalem transformationem, dixisse videatur. *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Ignis est ardens præscitos deuorans, Deuter. 9. *Dominus Deus tuus ipse transibit ante te ignis deuorans, atque consumens, qui conterat eos, & deleat, atque disperdat ante faciem tuam velociter.* Ignis est, dignè sibi famulantium corda purificans, & quidquid terreni pulueris adhæserit, consumens, ad Hebr. 12. *Habeamus gratiam per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia; etenim Deus noster ignis consumens est.* Ignis est ardẽs, & purgatos in se transformans, ad quem non datum est veteris instrumẽti Patribus accedere, sicut scribit Apostolus ad Hebr. 12. *Non enim accessistis ad tractabilem & accessibilem ignem,* datum autem in lege gratiæ, siquidem patefactis cæli ianuis, iam iam Dei electi transformantur ab hoc igne in gloria, vbi aspectabilis, tractabilis, accessibilisque est, igniformes, Deiformesque faciens, quotquot cælestibus adsciti sunt: vnde Deuter. 4. *Dominus Deus tuus, ignis consumens est.* Arias Montanus, *Ignis comedens ipse*, vt sicut cibus corporalis in edentis substantiam vertitur: ita illi qui in Sanctorum sortem translati sunt, tanquam cibus, illius ignis comedentis & transformantis vi, in Deum immutemur: ideò enim venit Deus in hunc mundum, vt similes ei essemus. *Ignis deuorans*, legit Franciscus Georgius Venetus Harmoniæ mundi lib. 7. cap. 14. quod amicos comedat, hoc est, in se recipiat, & tanquam cibum in se conuertat: vbi non sine temeritatis notâ, cum sacris interpretibus aduersari, monuerim, dum scribit impropriè legi *consumens*, quòd Deus non consumat amicos, neque destruat, vti ait: siquidem & ipse Apostolus ad Hebr. sic legit. Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον, *Etenim Deus noster ignis consumens.* Est enim καταναλίσκω *consumo*, & dictio Hebraica אכל *achal*, passim in Scripturâ vsurpatur pro *comedere, consumere, deuorare:* Comedit ergo ignis ille diuinus, quos purgauit, terreni humoris atque pulueris aspersginem in eis consumens; deuorat quoque & perdit, quos ardentioribus iustitiæ suæ flammis premit, quo nomine, terribilis est, Sardinisque adspectui similis; nec enim solùm belluis est timori Sardius, sed etiam vim habere dicitur curandi dolores ac molestias, quæ nostris corporibus adnascuntur, quomodo Dominus animi curat ægritudines.

Deus vt ignis ardet.

Zachar. 2.

Deuter. 9.

Hebr. 12.

Hebr. 12.

Deuter. 4.

Hebr. 12.

Capitis 23. §. 1.

Nomen, Deus, ab operatione, ad substantiam significandam, translatum.

POsitâ nominis DEVS, etymologiâ, qui diuinæ substantiæ tribuatur, dicendum est; quanquam igitur vox *Deus*, operationis significationem habeat, si id à quo impositum est, spectetur, sicut Doctor Angelicus significauit 1. part. quæst. 9. art. 8. imponitur enim ab vniuersali rerum prouidentiâ, nam quotquot de Deo loquuntur, hoc, ipsum intelligunt, quod vniuer-

1. Deus, nomen operationis est.

salem de rebus prouidentiam habet: vnde arcanorum diuinitatis scriptor egregius, magnus ille ac diuinus Præstes Dionysius, Diuinor. nom. cap. 12. *Deitas*, inquit, *omnia videt prouidentiâ & bonitate perfectâ*: ex quâ operatione, nomen *Deus*, diuinæ naturæ significandæ assumptum est, inquit D. Thomas: & quidem essentialiter, sicut tradit D. Gregorius homil. 8. & 15. in Ezechiel. Hac in significatione vsurpatum est. Exodi cap. 3. cùm dicitur, *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*. Nam cùm teste Philone lib. de somnijs, *Deus*, sit nomen beneficæ potentiæ, hoc se diuina mens indigitat nomine, quòd in Patriarchas vitâ functos, sese præstiturus sit beneficum, resurrectionis eos munerans gloriâ, cuius solius beneficij capaces erant, quia mortui: ideoque quia Deus viuorum est Deus, non mortuorum, anastasim futuram, assumptâ hoc gnome aduersus Sadducæos Matth. 22. comprobauit, *De resurrectione autem mortuorum*, inquit, *non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*: Nam cùm Deus, sit Deus eorum qui sunt, non autem eorum qui non sunt, eos vtique existere oportet, quorum ipse est Deus. Viuebant ergo illi, aut quia animæ eorum supersunt; aut etiam viuebant vt personæ in dispositione Dei, quemadmodum interpretatur Abulensis quæst. 215. in cap. 22. Matthæi, quia illos aliquando victuros disposuerat, potensque erat illos viuificare, quandocunque vellet, atque ita munificentiam suam, cuius erant idonei, in corporum anastasi erga illos manifestaturus; quomodo etiam in se manifestari cupiebat Iacob Genesis cap. 28. quum dixit: *Si fuerit Dominus mecum & custodierit me in viâ per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum*. Hoc est, quia regiæ potentiæ nomen est, Dominus, adeoque timoris, vnde Genes. 31. vocat illum, *Timorem Isaac*, beneficæ autem potentiæ est *Dei* nomen, adeoque amoris, si in eam desiderata beneficia contulerit, quæ ipse præstare viuis potest, intelligent omnes, ex eiusmodi munificentiâ, illum à timore, ad amorem transisse conditoris.

Exod. 3.

Deus est nomen beneficæ potentiæ.

Matth. 22.

Deus est viuorum Deus non mortuorum, quo modo?

Gen. 28.

Dominus est nomen regiæ potentiæ.

Gen. 31.

Quia igitur ex beneficentiâ bonorumque largitione innotescit esse vim quandam infinitam, quâ nihil maius aut melius excogitari potest; eamque audito Dei nomine concipimus, inde colligimus hoc quod Deus est, esse benefacere; atque adeò illius infinitæ mentis essentiale nomen *Deus*. Assignatur enim nomen Deo à bonitate ac munificentiâ, quâ vtitur erga suos, quos non sustinet premi vllâ egestate rerum, aut inopiâ tabescere, sed de omnibus affatim illis prospicit, atque affluenter ad vsum necessaria largitur, cùm externa bona, tum animi tranquillitatem, ac pacatam mentem. Cùm enim, Diuo Thomâ interprete, nomen quo aliquam rem appellamus, signum sit exterius, eius notitiæ, quæ est in intellectu; quomodo res cognoscimus, ita & nominamus, sic vt ex nominis definitione, eius rei, ad quam significandam nomen est impositum, perspectam naturam habeamus, sicut aliàs diximus, vt si leporem dicamus, quia leuipes est: curam, quia cor vrit: lapidem, quia lædit pedem, quæ nomina, vt Angelicus Doctor 1. parte quæst. 13. art. 8. tradit, non ad istas actiones, sed ad substantiam significandam sunt imposita: ita nomen, *Deus*, non tantum id significat, à quo impositum est ad significandum, sed etiam ipsam Dei naturam, ad quam significandam est impositum.

Deus vis infinita quâ nihil maius.

Prouidet omnibus Deus.

Deus, nomen, substantiæ significandæ deseruit.

Sin autem rerum naturas perfectè cognitas non habuerimus, vtimur certè nominibus quæ indiderunt illi, qui perfectam earum cognitionem habuere, quorum coryphæus Protoplastus noster, qui quod rerum naturæ pleniscius esset, eas perfectè nominauit. testante scriptura Gen. 2. *Omne quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius*. Quò fit, vt Deum nemo nominarit eo nomine quo eius circumscriberet essentiam, quia nimirum eius naturam nemo perfectè calluerit. Veruntamen propter Dei potestatem, inquit D. Clemens Alexandrinus libro 5. stromatum, pulchris vtimur nominibus, vt in alijs non aberrans, his inniti possit cogitatio.

Gen. 2.

Itaque licet operationis ratione, hæc vox, *Deus*, respectum quendam dicat; est tamen ex impositione nomen substantiæ, diuinam naturam significans, non quâ Deus est Deus, sed quæ est ipse Deus; ita D. Bernard. serm. 80. in Cantica; ita D. Ambrosius lib. de Trinitate; ita D. Athanasius in epistolâ de Nicænæ Synodi decretis, vbi sic inquit, *Cùm audimus vocabulum Deus, nihil aliud, nisi ipsam incomprehensibilem Dei substantiam significari intelligimus*: ita Symbolum Ruffini, inter opera D. Hieronymi tom. 4. vbi sic lego, *Deus, secundùm quod opinari potest humana mens, naturæ ipsius vel substantiæ, quæ est super omnia, appellatio est*. Vnde Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. Dei nomine, inquit, ens necessarium, independens, increatum, immobile intelligitur, siquidem ad hoc significandum impositum sit; non quòd ex hoc naturæ nomine, ipsa Dei natura nobis perspecta sit (non enim explicat quid sit Deus, neque Oceani totius diuinitatis nudat abyssum, ad id vt mentis perangustæ complexu, esse illud diuinum teneamus) sed quia, quum *Deum audis*, inquit Ruffinus suprà, *Substantiam intellige sine initio, sine fine, simplicem, sine vllâ admixtione incorpoream, ineffabilem, inæstimabilem, in quo nihil adiunctum, nihil creatum sit*. Rem ita sublimem, vt omnem creatæ intelligentiæ mensum excedat.

2. Deus est nomen substantiæ.

Atque adeò, nomen illud naturæ, Deus, non tantùm summi illius ineffabilis perfectiones plures significat, quàm quodlibet aliud attributorum diuinorum, verùm etiam, quàm omnia omnino, siue quæ paginæ sacræ suggerunt, siue quæ noster in Deum adfectus; quia hæc sunt aliquid earum perfectionum, quæ infinitæ sunt, atque earum quælibet infinita & immensa, & in pelago infinito, quod nomine *Deus*, significatur, latent: suntque idem realiter & essentialiter, quod eapse substantia, quæ hac appellatione, *Deus*, designatur. Quare si Dominum, si iustum, si omnipotentem, si sapientem, &c. dixeris, quidquid dixeris, aliquid hausisti ex reconditis fontibus huius vocis *Deus*, quam si pronuntiaueris; ista omnia, & in infinitum ampliora, vnius vocis compendio dixisti.

Deus voce omnia comprehendi.

Non sic se res habet in humanis, vbi quia nomen naturæ nullam præfefert dignitatem aut perfectionem, quæ ad genus qualitatis spectet, sed substantialem tantùm (quæ est gradus entis) secundum latitudinem perfectionis suæ speciei, inquit Abulensis cap. 20. Exod. quæst. 2. nominibus naturæ, dignitatis nomen adiungimus, quo maiorem perfectionẽ indicemus, vt quum non simpliciter dicimus, Ioannes, Petrus, Paulus, sed Ioannes Rex, Petrus Episcopus, Paulus Doctor, & his similia. Quare D. Augustinus sermone de Martyribus, hanc vocem *Deus*, nomen Trinitatis esse indicauit, ideoque & Patrem dici Deum, & Filium Deum, & Spiritum Sanctum Deum: *Quod si interrogeris*, inquit, *Quis*

est

est Deus? respondeas, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Itaque eo quod Deus est, hoc ipso substantia est: quare de singulis etiam Personis interrogatus, quid sit Deus? *Deum responde*, inquit Doctor sanctissimus in psal. 68. non enim sicut in humanis, ita & in Diuinis, ibi namque rogatus quid Isaac? hominem esse dicis: quid Iacob? itidem hominem enuntias: Rogatus verò quid Isaac & Iacob? non hominem, sed homines rectè dixeris: hîc verò siue de singulis personis diuisim, siue de omnibus coniunctim interrogatus fueris Deum dicas esse: tanta est enim ibi substanstantiæ societas, vt æqualitatem admittat, pluralitatem nesciat.

Capitis 23. §. 2.

Esse solius Dei, seipsum perfectè nominare.

1. *Deus solus se nominat.* VEruntamen, vt non innominata omninò sit Dei natura, solus qui illam comprehendit Deus, nominabit: Nominat autem, sed interno nomine, filium suum Verbum suum ab æterno generans sibi coæternum: Nam cùm nomen sit manifestatio nominati, & figura eius, Verbum est figura & imago, ad Hebr. 1. non imitatoria, sed naturalis, eiusdem cum exemplari suo, Patre videlicet, essentiæ, & Deum nominat, eodem modo se habens ad Patrem, quo definitio ad definitum, D. Gregorio Nazianzeno teste, Oratio. 36. Quia, quemadmodum definitio, rei definitæ naturam declarat, ita subsistens Dei Verbum, Patris substantiam demonstrat. Hinc illud Domini de seipso, Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem*, hoc est, qui cognouit Filium, Patrem quoque cognouit: non quod ipse sit Pater & Filius, inquit D. Thomas in eum locum, sed quod à Patris similitudine, in nullo prorsus discrepet Filius. *Non autem ille hic visum oculorum carnalium significat*, inquit Hilarius lib. 7. de Trinit. *Non enim hoc quod ex partu Virginis, carnale est, ad contemplandum in eo Dei formam & imaginem proficit, sed intellectus Dei Filium id præstat, vt intellectus & Pater sit. Dum ita imago est vt non differat genere, sed significet auctoritatem, non enim solitarium sermo significat & indifferentem, tamen naturam professio docet. Cùm enim dicitur, Et Patrem, exclusa est singularis atque vnici intelligentia. Et quid reliquum est, nisi per naturæ vnicam similitudinem, Pater per Filium visus sit.* Certa igitur, ac breuis, inquit Nazianzenus, *& compendiosa, facilisque paternæ naturæ declaratio, est Filius, omne enim quod genitum est, genitorem suum tacitâ quadam voce definit.*

Verbum est imago naturalis Patris.

Deum definit.

Ioan. 14.

Genitum genitorem definit.

Quemadmodùm enim, teste Philosopho, lib. 2. de Animâ: & lib. 7. Metaphysicor. intellectus noster in primâ sui operatione, apprehendo rem per sua essentialia, format conceptum definitiuum rei intellectæ, absque vllâ compositione & diuisione, quia in tali apprehensione, nec dicit rem esse, aut non esse, sed solùm quidquid est secundùm essentiam suam, quem côceptum Græci λόγον appellant, id est, Verbum, per quod res, tantùm ipsi intelligenti fit cognita: vt autem talis conceptus exteris innotescat, ipsum voce aliquâ, per quam notus fiat, superindui oportet, quoniam nomina & voces, notæ sunt earum quæ in animâ sunt passionum, hoc est, conceptuum atque cogitationum: ipsumque verbum mentale, quod ipsam animi conceptionem definiuit, circumscribunt. Neque enim aliud est nomen, Diuo Augustino interprete lib. 15. de Trinit. cap. 10. quàm vox explicans conceptum, & verbum mentis. Quemadmodum, inquam, nos per simplicem intelligentiam, formamus conceptum definitiuum totius essentiæ rei, quod dicitur verbum explicans totam rei essentiam: ita Deus (si tamen inter Creatorem & creaturam, aliqua similitudo assignari possit, cùm & in ipsâ similitudine, quàm maxima dissimilitudo assignanda veniat) ab æterno intelligendo se, dicit verbum ex memoriâ suâ fœcundâ, sicut docet D. Augustinus. & habetur extra, de summâ Trinitate & Fide Catholica, capitulo Damnamus, ideoque ex totâ essentiâ & substantiâ suâ, definiens & comprehendens se, essentiam suam, personas omnes, plenitudinem suæ potestatis, atque Diuinarum perfectionum pelagus immẽsum, denique ex creaturarum omnium cognitione, Diuo Augustino docente lib. 15. de Trinitate, cap. 13. & 14. & lib. 83. quæstionum, quæst 63. Verbum Diuinum procedere ex scientiâ Patris, per quam omnia cognoscit, *Non enim, inquit, seipsum Pater, integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minus aut amplius, esset in eius Verbo, quàm in ipso.* Nam cùm Verbum illud sit ex totâ ipsius dicentis substantiâ, seipsam, prout habet esse intelligibile in Verbo, repræsentans in esse reali, in eo sunt, & apparent omnes Diuinæ perfectiones, atque rerum omnium ideæ. Et Deus Pater, per illud Verbum seipsum comprehendit, & definit, secundum omnem plenitudinem suæ Deitatis, & perfectionum, atque adeò seipsum Verbo immanenti, æterno, atque infinito, nominat, quam ob caussam Christum dici λόγον asserunt Diui Dionysius, & Basilius, quòd Patris imago sit, eumque totum in se repræsentet, quemadmodum & sermo noster totam nostram cogitationem, sicut ait Elias Cretensis.

Deus dicit verbum ab æterno.

Christus cur dictus Logos.

2. Sicut autem, inquit D. Augustinus, verbum nostrum, siue conceptus mentis, vt sese prodat exterius, remque conceptam, notam faciat, oportet ipsum, nomen fieri, assumptâ quasi vocis veste, aliàs soli intelligenti relinqueretur cognita: ita Deus Pater, vt Verbum suum nobis cognoscendum exhiberet, exteriùs carne, quasi voce quadam induit, & factum est ipsum nomen in tempore, per quod locutus est nobis, & ea quæ voluntatis suæ sunt, manifestauit: vnde Euangelista sacer, inquit, *Et Verbum caro factum est, & vidimus*, hoc est, cognouimus, *gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*, ad illuminationem scientiæ, & ad instructionem disciplinæ, quoniam disciplina pacis super eum: gloriam, inquit, *Quam vtique non vidissemus*, inquit Chrysostomus, *nisi per consortium humanitatis, visus esset nobis; Si enim Moisi non sufficiunt faciem glorificatam videre, sed velamine opus fuit, qualiter Diuinitatem nudam existentem, inaccessibilem etiam ipsis superioribus virtutibus, nos lutei, & terrestres, sufferre possemus.* Pulchrè quoque Diuus Augustinus de Verbo incarnato: *Istâ natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi cordis nostri, vt possimus videre maiestatem eius. Per eius humanitatem, & ideò dicitur, & vidimus gloriam eius. Gloriam eius nemo posset videre, nisi humilitate carnis sanaretur. Irruerat enim homini quasi puluis in oculum de terrâ, oculus iste sauciatus erat, & terra illuc mittitur vt sanetur: Caro te obcæcauerat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo carnalibus affectibus; inde fuerat oculus cordis excæcatus, medicus fecit tibi collyrium, quoniam sic venit, vt de carne, vitia carnis extingueret. Verbum enim caro factum est, vt possis dicere, Vidimus gloriam eius.*

Verbum carne indutum, vt nobis notum fieret.

Ioan. 1.

Caro cœcat, caro sanat.

Nomen est vox explicans conceptionem mentis.

Quanquam enim Sol nubilus terris non affulgeat, nihilominus Sol ille Diuinus, nubilo carnis tectus, gloriæ suæ radios manifestauit hominibus, mirabilior, validiorque in

Verbum mirabilius in operibus humilitatis quàm potentiæ.

operibus humilitatis, in quibus eius præfulsit gloria, quàm in operibus potentiæ & maiestatis: vnde D. Augustinus de bono latrone, *Crucifixus, conspuitus in facie, clauis confixus, malignam illam & obduratam latronis mentem immutare valuit: Mirabilis triumphus gratiæ, omninò nouum ac pulchrum genus victoriæ, hostem non perdere ad mortem fortitudine, sed conuertere ad amorem pulchritudine.* In quam quoque sententiam D. Bernardus sermo. 45. super Cant. *Quàm pulcher es Angelis tuis, Domine Iesu, in formâ Dei, sed quàm mihi decorus es Domine, in ipsâ positione decoris: etenim vbi te exinaniuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiauit.* Ecce autem vt nobis profuit intellectus paterni verbum, in nostris exprimi elementis, typisque nostris, vt eum in carne legeremus, mandari.

Capitis 23. §. 3.

Nomen essentiale, Deus, etiam personaliter dici.

1. Deus non est concretũ specificum.

NOn audiendus Caietanus, qui 1. parte quæst. 3. art. 3. docet, hoc nomen *Deus*, significare concretum quasi specificum Diuinæ naturæ, hoc est, habens Diuinitatem, sicut homo est concretum significans habentem humanitatem. Talis enim conceptus communis repugnat veræ Diuinitati, de cuius essentiâ est, quod sit hæc singularis natura. Quare communi conceptu non magis concipi potest Deus, & abstrahi ab hoc Deo, quàm Socrates, & aliud quoduis singulare & indiuiduum à seipso.

Deus personaliter etiam dicitur.

Complectitur autem suâ significatione *Deus*, tam indiuiduum naturæ Diuinæ, sic vt non distinguantur Deus, & hic Deus; quàm eiusdem naturæ suppositum. Eapropter, non solùm essentialiter, sed etiam personaliter vsurpari, nisi aliunde impediatur. Eam ob rem Diuus Augustinus serm. 125. de tempore dixisse videtur, *Deus, nomen est potestatis, non proprietatis, proprium est nomen Patri Pater; & proprium est nomen Filij, Filius, & proprium Spiritus sancti, Spiritus sanctus.* Potestatis, inquit nomen, quia æqualiter de tribus personis dicitur, & ad se, non ad aliud, quemadmodum Pater, dicitur ad Filium, *Quia cùm Pater est, non illud est, quod illud est*, inquit Diuus Augustinus in psal. 68. Potestatis nomen est, quia absolutam & simplicem & personalem significationem habet.

Deus est potestatis nomen.

2. Deus nõ est nomẽ commune.

Quamuis enim nomen, Deus, commune non sit, sed singulare, admittit nihilominus triplicem illam acceptionem, quia licet non sit in pluribus inferioribus cum sui multiplicatione, est tamen in pluribus suppositis idem numerò, de quibus dicitur, & pro quibus accipi potest; non minùs quàm terminus vniuersalis pro suis inferioribus. Quare quum dicitur, *Deus est, Deus est bonus, est sapiens*, absoluta est acceptio nominis *Deus*: quod si dicatur, Deus generat, Deus spirat, Deus est genitus, Filius est Deus de Deo, personalem intellige acceptionem, quam ipsa attributa, & adiuncta requirunt. Quod si denique dixeris, Deus est communis tribus personis, acceptio simplex est, accipitur enim pro Deo, vt abstrahit à suppositis Diuinis, sicut homo, quum dicitur homo est species, vel homo est communis pluribus.

Hæc ad Scripturarum sacrarum intelligentiam, inde enim intelligimus vocem *Deus*, necessariò pro personâ supponere, quum dicitur psal. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, prius enim τὸ Deus, Filij: posteriùs, personam Patris indicat: & Matth. 18. *Tu es Christus Filius Dei viui*, sicut etiam in Symbolo, quod dicitur: *Deum de Deo, lumen de lumine*, & in symbolo Athanasij: *Deus de Deo*, quæ locutiones aliàs non forent veræ.

Ps. 44.

CAPVT XXIV.

De nomine Magnus.

Magnus, epithetum Dei, & Deorum.

1. Magnus est Deus magnitudine, quæ ipse est.

MAgnus, nomen aggredior, eius proprium, qui summum magnum Tertulliano lib. 1. aduersus Marcionẽ, qui *Magnus*, qui *Optimus Maximus* Orthodoxis, cuius magna sunt omnia, quæ sunt quod ipse est, vna nempe magna essentia, magnitudine, non quâ magna sit, sed quâ ipse est, ne aliud essentiam eius esse, aliud magnum esse, falsò dicamus: *Quoniam quippe*, inquit Hæreticorum malleus Diuus Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 9. *non aliud est Deo esse, & aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse, quod magnum esse: propterea sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed vnam essentiam, & vnam magnitudinem.*

Magni Gentium Dij sunt appellati.

Hanc nominis appellationem, ad imperium, maiestatemque suam, traxit vsus mortalium: quo vsu, etiam gentium Dij, magni dicti sunt, quòd vel reliquos genere, famâve præcellerent, inquit Alexand. ab Alexandro Genialium lib. 6. cap. 4. vel quòd infinitæ potestatis forent, quales habiti sunt, Iupiter, Minerua, Mercurius, Diana, reliquive qui maiorum gentium Dij, hoc est, teste Cicerone, qui cælestes habiti sunt semper; quive selecti ab antiquis dicti, inquit Budæus in Annotationibus ad Pandectas; quos etiam D. Augustinus, præcipuos, selectosque appellat, lib. 7. de Ciuit. Dei, totidem verbis: *Fieri enim potest, vt saltem Deos selectos, atque præcipuos, quos Varro volumine complexus est vltimo, quisquam colendo propter vitam, quæ non æterna est, opinetur.* Vel denique alias ob caussas, quales Dij Penates, qui *Magni* cognomentum apud plerosque meruerunt, quos Apollinem & Neptunum fuisse putauit Nigidius apud Pierium Valerian. lib. 42. Hieroglyphicor. cap. 29. quòd in Apolline calor & aritudo, in Neptuno, humor & frigus intelligatur, quæ nostræ compositionis principia perhibentur: Alij verò Iouem & Iunonem, vtpote quorum munus præcipuum sit, iuuare mortales: quare ea vtrique sit attributa appellatio. Penates enim appellatos volunt, per quos spiramus, & corporis & animi vires possidemus, & magnos illos facit Virgilius, quum infit,

Dij selecti, qui.

Penates Dij qui.

Cum socijs natoque, Penatibus & magnis Dis.

Vbi eruditiores contendunt, particulam, &, expositionis gratiâ ibi esse positam. Agamemnon quoque apud Homerum, Iouem inuocans, maximum appellat,

Ζεῦ κύδιςε, μέγιςε, κελαινεφὲς, αἰθέρι ναίων.
Iupiter augustissime, maxime, tempestatum autor, in æthere habitans.

Virgilius verò, magnum, 14. Æneidos.

——— *Ille Patris magni parere parabat Imperio.*

Et apud Senecam Tragœdum, maximus mundi Parens, magnusque Pater ætheris alti, & magnus Olympi rector, & mundi arbiter nuncupatur.

A virtute quidam dicti magni.

2. Magni quidam à virtute dicti.

MAgni sibi nomen inuenere, quos virtus propria extulit, præclaro præ cæteris rerum insigniter gestarum illustrata facinore: aut quos,

quos dignitas, & in dignitate constantia, à communi imperiorum autoritate secrenit. Hermes Trismegistus, ab eminenti rerum humanarum Diuinarumque cognitione, atque à regiâ Majestate, sacerdotijque sanctitate, Termaximi nomen est consecutus. Moris autem erat apud Ægyptios, nonnisi è Philosophis, Sacerdotes; è Sacerdotibus, Reges eligere, quò sic imperium sapienter & beatè administraretur, secundum Platonis scitum, qui apud Valer. Maximum lib. 7. cap. 2. ait, tum demum terrarum orbem beatum futurum, cùm aut Sapientes regnare, aut Reges sapere cœpissent. Aut etiam fortasse hoc cognominis sibi comparauit, quòd inter Ethnicos primus ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα asseruerit, vt mirum sit eum solo intellectus lumine, eò in Diuinis penetrasse, quò miseri Iudæi Scripturarum sacrarum irradiati fulgore, non valuerunt attingere: nisi malueris Trismegistum, istud ab Abrahami doctrinâ mutuasse, aut ex sacrorum Voluminum, si qui tunc forent, hausisse fontibus, aut, quod verisimilius est, traditione accepisse. Huic mihi conferre liceat summum Ecclesiæ vniuersalis Antistitem Gregorium, qui ab ijs, quæ summâ prudentiâ dixit, summa charitate fecit, summâ eruditione scripsit, summâ auctoritate decreuit, Magni cognomen indeptus est: Et vt Diuum Basilium prætercam, qui à plurimâ eruditione, & vitæ sanctimoniâ, Magni nomen obtinuit, Iob patientiæ gloriâ illustris, à regiâ nobilitate, sacerdotij prærogatiuâ, Philosophiæ, Theologiæque peritia, necnon & ab amplissimâ possessione, diuitijsque opulentissimis, & potentiâ, *Vir magnus inter Orientales*, dictus est. Iob. cap. 1. Qualis etiam est is, qui non inter actiones malorum, ima, fugitiua, & occidua quærentium, sed inter choros supernorum Ciuium, oriente perpetuo gaudentium proficere conatur. Principes enim & Potentes, Magnos in sacris Codicibus appellari notissimum. 1. Paralipomenon 17. Propheta Nathan ex personâ Domini, sic ait Dauidi, *Fecique tibi nomen, quasi vnius magnorum qui celebrantur in terrâ.* Ita Nabuchodonosor Babyloniorum Rex, Danielis cap. 2. & Iudith. 3. ita Artaxerxes Persarum Rex, μέγας βασιλεὺς βασιλέων, lib. 1. Esdræ, cap. 7. Ita alij quos Græci μεγιστᾶνας vocant, id est, *magnos, maximos*, sicut apud Diuum Marcum cap. 6. lego ἡρώδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίει τοῖς μεγιστᾶσιν; *Herodes natalis sui*, siue, in natalitijs suis, *cœnam fecit Principibus*, Magnatibus scilicet, Regni. Neque ab eâ magni significatione, quâ prænobilis quis iudicatur, recedit Latinus, vnde Horatius 1. sermonum, Satyra 5.

Quò pueri, magnis à Centurionibus orti.

Et Ouidius 6. Metamorphos.

——— Opibusque, virisque potentem
Et genus à magno ducentem fortè Gradiuo.

Ita quoque scribit Pineda in Iob. 1. numer. 17. vers. 3. Magnus etiam quis ab eloquentiâ, & sapientiâ memoratur, id quod de Pericle Philostratus, lib. 1. de vitis Sophistarum in hanc sententiam, σχεδίου δὲ πηγὰς λόγου, οἱ μὲν ἐκ Περικλέους πρώτου ῥυῆναί φασιν· ὅθεν ἡ μέγας ὁ Περικλῆς ἐνομίσθη τὴν γλῶτταν. *Promptæ autem orationis fontes, à Pericle primùm nonnulli emanasse dicunt, quapropter linguâ magnus Pericles cognominatus est.* De se ipso verò Ecclesiastes cap. 1. *Ecce magnus effectus sum*, inquit, & declarans, propter quid, addit, *& excessi omnes sapientiâ.* Propterea obseruatum à Didymo notat Pineda, patiuum Iobi solum esse *Hus*, id est, *Concilium*, siue consiliator, quia sapientia habitat in consilio Prouerb. cap. 1. Quo quidem consilio, quia præualuere nonnulli, Magni, Maximique nomen, apud Romanos meruere. Q. enim Fabius, quòd prudenti consilio, omnem forensem turbam excretam, in tres tribus coniecisset, quas vrbanas appellauit, ne Comitia in humillimorum manu essent, adeò id gratum fuit, vt propterea Maximi nomen sit consecutus. Populus Romanus etiam duos Maximos præcipuè abs se cognominatos voluit; Valerium, qui prudentiâ sua plebem Patribus reconciliauit: & Fabium Rutilianum; quòd suo consilio locupletes nonnullos Libertinæ stirpis in Senatum allectos, eo ordine mouisset; auctor Plutarchus in Pompeio, & Alexander ab Alexandro, lib. 1. Genialium capite 9.

Sapientes regnare, aut Reges sapere debent vt beatus sit orbis.

D. Gregorius Pontifex Magnus est appellatus. Item D. Basilius.

Iob.

Iob. 1.

1. Paralip. 17

Marc. 6.

Magnates qui appellati

3. Magni ab eloquentiâ.

Eccles. 1.

Hus significat consilium.

Q. Fabius dictus maximus, & alij magni.

À diuitijs magni.

4\. Magni ab opulentiâ. Gen. 26.

GRandis quoque opulentia, magni nomen tribuit: ita Isaac Genes. 26. magnus appellatur, & designat legem deuenientem ad sensum spiritualem, per quem magnificatur. *Locupletatus est, & ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* Ita Constantinus Imperator, summam totius orbis tenens, imperio, diuitijsque potens, ab his Maximus, ab illis Magnus est appellatus, Auctor Cuspinianus. Audio tamen Senecam Epistolâ 76. neminem purpuratorum felicem, neminem diuitum magnum appellare, vt qui non suo, sed alieno magni videantur; Magnum autem verè eum esse, qui animo magno, constantique sit. Sic enim ait, *Nemo ex istis quos purpuratos vides, felix est, non magis quàm ex illis, quibus sceptrum & chlamydem in scenâ fabulæ assignant, cùm præsente populo elati incesserunt, & cothurnati; simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Nemo istorum, quos diuitiæ honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? Cum basi illum suâ metiris, &c. Hoc laboramus errore, sic nobis imponitur; quod neminem æstimamus eo quo est, sed adijcimus illi & ea, quibus adornatus est*: quæ quidem, non animi, sed corporis ornamenta sunt, à quibus, nemo magnus ritè vocari potest, quoniam vt Sophocles inquit,

Hominem enim deformem, & inauspicati corporis,
Linguâ disertum, visuque pulcherrimum efficiunt opes.

Magnus quis verè sit.

Apud Ioannem Stobæum, cap. 91. Quare hos mimis & histrionibus iustè compolueris, qui non suo, sed alieno magni videntur, quod breuiter olim Socrates, τὸν τῶν ἀπαιδεύτων βίον, καθάπερ ὑποκριτῇ, πολλὰ τῷ φύσει μετενδύματα περίκειται: *Vita indoctorum, tanquam histrioni multa falsim indumenta circumposita sunt*: Vt ego magnus quis, in his fortunæ indomentis censeatur, illa amoue; vestem tolle, quâ etiam fulget improbus, & animum in hac considera. Seneca, *Atqui cùm voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice. Ponat patrimonium, ponat honores & alia fortunæ mendacia: corpus ipsum exuat: animum intuere, qualis quantusque sit, alieno an suo magnus: si erectis oculis gladios micantes vides; & si scit suâ nihil interesse vtrum anima per os an per iugulum exeat, beatum vocâ. Si cùm illi denuntiata sunt corporis tormenta, & quæ casu veniunt, & quæ potentioris iniuriâ, si vincula, & exsilia, & vanas humanarum formidines mentium, securus audit, & dicit,*

Qui alieno nô magnus, sed suo.

——— Non vlla laborum
O Virgo, noua mi facies, inopinâve surgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum ipse peregi.

A

A rebus gestis magni.

5. Carolo Pipini Francorum Regis Filio, magni cognomentum datum. Ferdinand. Gonsaluus magnus.

A Rerum gestarum magnitudine, & excellentiâ Carolus Pipini Francorum Regis Filius, Magnus est appellatus. Auctor Ritius lib. de Regibus Francor. Sigebertus in Chronicis, & Guicciardinus lib. 12. Historiæ: Ferdinandus Gonsaluus Hispanicâ iactantiâ, ad eius supremam potentiam innuendam, Magnus dictus est; pòst, ob præclaras victorias, ad illius virtutis indicium, omnium penè consensu ea appellatio adhæsit. Quid memorem Matthæum Vicecomitem, de quo Iouius in eius vita? is ab Henrico VII. Imperatore Mediolano Præfectus, summaque rerum potitus, domi, ab inueteratâ prudentiâ consilio pollens: foris filiorum ductu, quos bello insignes habuit; ad eam gloriæ laudem peruenit, vt iure, Magni pariter, atque Felicis nomen mereretur.

Matthæus Vicecomes magni & felicis nomen habuit.

Cognomen magni, inquit Plutarchus in Sertorio, si cui Imperatorum, Regumque contigit, nulli exterorum, veriùs iustiusque, quàm Alexandro Philippi Filio. Quiritûm verò, vni Cn. Pompeio: priori quidem, quòd potentiæ suæ magnitudini, gentes innumeras submisisset: posteriori verò, siue quòd Carbone, & Domitio victis, viginti quatuor annos natus, ex Africâ Romam rediens, à Sylla ad primum congressum, magnus est salutatus; Alexand. ab Alexandro lib. 1. Genialium dier. cap. 9. Siue in Africâ militum fauore, siue Cæsare acclamante, *Hi sunt, qui te magnum fecere Pompei*, magni nomen acceperit.

Alexander Mag. & Pompeius.

Verùm mihi potiùs eo nomine Magni videntur appellandi, quòd Hebraicæ Gentis cultum, non modò non aspernati sint, sed inoffensum etiam ab omni iniuriâ præstiterint. Pompeius enim captis Hierosolymis, militem à direptione Templi prohibuit: Alexander verò Summum Pontificem Iaddum ad se venientem, quasi Numen quoddam suscepit, veneratusque est.

A religione potiùs, quia pepercit têplo Ierosolymitano. Alex. verò Summum Pontif. honorificè excepit.

6. A bellicâ fortitudine magni. Eccl. 46.

A bellicâ præterea fortitudine, & populi conseruatione, Magni appellatio tributa est Iesu Filio Naue, Ecclesiastici cap. 46. *Fortis in bello Iesus Naue, successor Moisi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei.* Aut etiam magnum dicas, quia nominis eius gloria celebris. Constat enim etiam inde magnum dici, quòd alicuius nominis fama, complures orbis regiones peruaserit, in quem sensum Regio Prophetæ dictum est. 2. Reg. 7. *Feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terrâ.* Aut denique magnus, quia honoratissimus, vt qui Moisi successor, atque adeò dignus omnium reuerentiâ atque obseruantiâ: qualiter Moises fuit vir magnus valdè in terrâ Ægypti Exod. 11. *Coram seruis Pharaonis & omni populo:* quæ magnitudo Moisis designat excellentiam legis. Et Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, 4. Reg. 5. erat vir magnus, & honoratus, apud Dominum suum: *Magnus*, hoc est, in multo habitus honore.

2. Reg. 7.

Exod. 11.

4. Reg. 5.

A vitijs etiam magni.

7. A vitijs magni.

MAgnos præterea appellari reperio, non quos virtus, sed quos vitium insignes fecit. 1. Reg cap. 25. Nabal, vir durus, malitiosus, & pessimus, quem plerique diuitem illum epulonem, de quo in Euangelio, fuisse arbitrantur, vt opulentiæ illius excessus notetur, Magnus appellatur. *Possessio eius in Carmelo*, terra fertilissimâ, atque iucundissimâ, cuiusmodi prædia, Barbari etiam nunc Carmelos vocant: *& homo ille magnus nimis.* Vt mirum sit Leonardum Marium Leuitici cap. 21. num. 17 arbitrari, Magni appellationem, nonnisi in fide fortibus ac iustis, in sacris literis tribui, quum ait, *Aut ostende mihi de Scripturis, vbi aliquis peccator, aut parui meriti, magnus appellatus sit. Nusquam, opinor, inuenies.* Fateor tamen, & frequentiùs, & conuenientiùs Magnos in Scripturis dici, quos fides, pietas, & iustitia commendatiores fecerit. Quomodo Seneca lib. 1. de ira, cap. 16. sub finem censuit; nihil magnum dici, quod non sit bonum, vbi quasi à magno emissam animo, diram hanc, & abominandam vocem reprehendit, *Oderint, dum metuant: Magno hoc dictum spiritu putas?* inquit, *falleris, nec enim magnitudo ista est, sed immanitas. Non est quod credas irascentium verbis; quorum strepitus magni, minaces sunt, intus mens pusillissima. Non est quod existimes verum esse, quod apud disertissimum virum Liuium dicitur, Vir ingenij magni, magis quàm boni; Non potest illud separari: aut magnum & bonum erit; aut nec magnum; quia magnitudinem animi inconcussam intelligo, & introrsus solidam; ab imo parem firmamque: qualis inesse malis ingenijs non potest. Terribilia enim esse, & tumultuosa, & exitiosa possunt: magnitudinem quidem cuius firmamentum, roburque bonitas est, non habebunt. Ceterùm sermone, conatu, & omni extrà paratu, facient magnitudinis fidem.* A fide igitur & pietate, & iustitiâ, magni frequentiùs in Scripturâ, qualis Abraham. Genes. cap. 26. *Locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est:* & Ecclesiastici 44. *Abraham magnus Pater multitudinis gentium:* qualis Moises Exodi cap. 11. qualis Ioan. Baptista, Luc. 1. & si qui alij Sanctorum, cognomentum hoc consecuti: id quod etiam intellexit Agesilaus, apud Plutarchum in Apophthegmatis, quum Asiæ cultoribus, Regem Persarum, de more, magnum appellantibus, respondit, Quid me ille est maior, nisi sit iustior & temperantior?

1. Reg. 25.

Magnum est, quod bonum est.

Gen. 26.

Eccl. 44.

Maior est, qui est iustior & temperatior.

Meminit interea Nicephorus Callixtus, Ecclesiasticæ Historiæ, lib. 11. cap. 28. Largitionum Comitis, scelere & flagitijs magni, his verbis; *Et ex Comitatensibus* (Aulicos Imperatoris Valentis Ariani dogmatis, sic vocat) *Largitionum Comes, qui secum immensam multitudinem adduxit, omni genere impietatis semper clarus, nomine Magnus.* Quia nimirum ædes sacras vastabat incendijs, Orthodoxos ad Arianam hæresim transire compellebat, &, quod tormentorum, suppliciorúmve grauissimum, potentissimumque est, blandicijs illicere satagebat, magnus ille incendiarius & multo obscurus flagitio. An verò etiam magnus, quia Orthodoxis grauis, quia durus, quia molestus? Sic lego magnum dici, quod graue, quod onerosum nimis Numer. & Iudic. 11. *Plaga magna nimis:* & quum apud Ouidium, Phaëtontis Pater Filio curruum paternorum moderamen appetenti respondet:

Largitionum Comes magnus ab immanitate.

Magna quæ grauis valde.

Iudic. 11.

> *Magna petis Phaëton, & quæ non viribus istis*
> *Munera conueniunt.*

Sed & meretrix dicitur magna Apocal. 17. & Magna Diana Ephesiorum Actu 19. & magnus Bel, Daniel. 14. & Sennacherib Rex magnus Assyriorum 4. Reg. 18. & draco magnus Ezechiel. 29. quem etiam magnum iniquitatis regem appellat Olympiodorus in capite 9. Ecclesiasticæ, quem totidem verbis produco: *Magnus autem Rex iniquitatis caput est Diabolus, qui nempe Ciuitatem paruam, Dei scilicet militantem Ecclesiam obsidet.* Dictus est autem magnus, ad compa-

comparationem minorum draconum; & Lucifer, maior in imperio, dici potest. Gen. 49. Magna quoque gens veniens ab Aquilone, sunt dæmones Ierem. 6. quos etiam designat cætus magnus Gog. Ezechiel. 38. Hinc magnitudo cordis, interdum superbiam designat, Isa. 9. & magnitudo operis, grauitatem peccati, Isa. 15.

Magnitudo cordis superbia.

Dies etiam magni.

8.

Magni dies, qui.

QVique olim Vrbium, populorumque conuentus in Prouincijs peragebantur, nunc dies magnos vocant, teste Budæo in Annotationibus ad Pandectas, id est, solemnes. Et magnum dici diem Domini, Ioelis cap. 2. & Sophoniæ cap. 1. lego, terroris plenum atque formidinis; siue populi Israëlitici captiuitatem seruitutemque illi diei tribuas; siue nouissimum iudicium: vtrobique magnus est dies, quia horrendus, quia calamitosus, quia terribilis ijs, quorum cum seruitute, libertas veræ religionis perit, quorum cum captiuitate, extremæ calamitatis & miseriæ gradus ineuntur; & quia grauis est ijs, quorum cum vitâ extinguuntur omnia, quorum opera æternis ignibus cruciánda traduntur.

Magnus, quia bonitatis, atque potestatis plenus Bonum illud magnum experientur illi, quorum res piè sanctèque gestæ, emori non possunt: experientur quoque aliquâ ex parte, interitui traditi, siquidem vt viuendi, ita & in hac vitâ peccandi finem facient, quæ si longiùs producta fuisset, etiam plura vitiorum incitamenta, fomentaque suppeditasset, quibus maiores suppliciorum acerbitates (iusta voluptatum pretia) debitæ fuissent. Rectè Michaël Verinus.

Quid rides? grauitate Deus tormenta rependet:
Et glisc it tardis, grandior ira moris.

Magnus dies Domini

Magnus etiam & iudici bonus, quia iustitiæ suæ, terræ, cæloque, amplissimâ exhibet documenta, quam omnimodæ potestatis sibi traditæ, virtute, exercet.

Ac proinde, quemadmodum primi aduentus Dominici dies, magnus dicitur, *quia magnus dies Iezraël*, hoc est, dies brachij Domini, siue filij Dei assertoris nostri aduentus, in quo factus est sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, ad Galat. 4. in quo & misericordiæ fontes humano generi aperuit, & corporalis naturæ accinctus gladio, mortis claustra confodit: ita secundi aduentus dies, magnus appellatur in quo & iudicium & iustitiam exercebit. *Deus magnus & terribilis*, Deuter. 7. hoc est, insuperabilis, & Iudex æquissimus, meritis præmia, peccatis supplicia decernens.

Ose. 1.

Galat. 4.

Deut. 7.

Magnus vtrobique dies, quia priori suo in terras aduentu, magnos dies, magnos menses, & annos aperuit Dei Filius, è tenebrosis peccatorum & mortis vmbris, ad vitæ lumen & diem, mortales reuocans. Et quia in posteriori quoque aduentu magni procedent dies, dies æternitatis & quietis, sabbatum ex sabbato, mensis ex mense, annus ex anno, æternus, magnus.

Magnum quod æternum.

Insuper, quæ æterna aut sunt, aut esse cupimus, magna etiam dicuntur, vnde Maronianum illud Æneidos 4.

——— *Magnus agitant sub legibus orbem,*

Id est, æternis, inquit Seruius, nunquam mutabilibus: quomodo & de regno, quod diuturnius futurum erat, dixit Daniel. cap. 7. *Quod maius erit omnibus regnis*. Sed & magna quoque dicuntur, quæ firmissima iudicamus, vt magna mœnia, Æneid. 3. *Tu mœnia magnis*, nepotibus scilicet in astra euehendis, *Magna para*. Has omnes, & his ampliores magnitudinis formas, vna vox

Dan. 7.

Magnus, suâ amplitudine complectitur: & vnus idemque pluribus titulis magnus dicetur, si in eo nobilitas, & altis inclytum titulis genus, si sapientia, dignitas, fortitudo, honor, gloria, diuitiarum opumque magnificentia: tumor, quoque & inflati animi arrogantia, spectetur.

Capitis 24. §. 1.

Solus Deus verè magnus.

VEruntamen, vnde illi magni, quos à virtute magnos enumerauimus? & quàm illi magni, si summitatem magnitudinis summi magni, respicimus? Hoc Deo proprium præcipuè, nullius exempli recipere comparationem, vnde illud D. Augustini in psal. 85. *Solus Deus magnus, taceat homo falso magnus*. Quare, si magnum illud, quod in ijs rebus est, quæ à Deo sunt, qui facit mirabilia magna, summo magno comparaueris, quamuis excellentiam dicat & perfectionem, vt in eis idem sit maius esse, quod melius esse; dum tamen illæ ad comparationem accedunt, amittunt & id quod sunt, &, quod communi fertur diuerbio, θρασυβούλῳ διονύσιον εἶναι ὅμοιον, *Dionysium Thrasibulo similem, esse*, dixeris.

9.

Magnus verè, solus est Deus.

Solus ergo Deus magnus, quia nemo bonus, nisi solus Deus, magnum autem id solùm verè est, quod bonum est: solus Deus magnus, non pro comparatione, inquit D. Hieron. in psal. 47. sed pro magnitudine gloriæ suæ: non relatiuè, inquit D. Ioannes Chrysostomus, sed absolutè: non ea magnitudine, quæ incrementa, decrementaque patiatur, ne participata magnitudine magnus, ne aliud magnum extra ipsum ponatur, sed sine extensione, implens omnia, & super omnia magnus: non nomine magnus, sed substantiâ; non vocis sono, sed statu; non appellatione, sed conditione, & eâ magnitudine magnus, quæ est quod ipse est, sicut dogmatizat D. August.. lib. 5. de Trinit. cap. 10. quoniam ipse est sua magnitudo: vt si Deum definias, *Quantum humana conditio definire potest*, inquit Tertullianus lib. 1. aduersus Marcionem, *id definies, quod & omnium conscientia agnoscet, Deum esse summum magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Hunc enim statum æternitati censendum, quæ summum magnum Deum efficiat, dum hoc est in Deo ipsa, atque ita & cætera, vt sit Deus summum magnum, & formâ, & ratione, & vi & potestate. Cùm de isto conueniat apud omnes (nemo enim negabit Deum, summum magnum quid esse, nisi qui poterit Deum, imum, modicum quid è contrario pronunciare, vt Deum neget, auferendo quod Dei est:) quæ erit iam conditio ipsius summi magni? nempe vt nihil illi adæquetur, id est vt non sit aliud summum magnum: quia si fuerit, adæquabitur: & si adæquabitur, non erit iam summum magnum euersâ conditione, & vt ita dixerim lege, quæ summo magno nihil finit adæquari.* Sed audiamus in eam quoque rem D. Bernardum serm. 80. in Canticâ, ex D. Augustino serm. 38. qui est 3. de Epiphaniâ, vbi inquit, *De magnitudine, bonitate, iustitiâ, sapientiaque, idem per omnia, quod de Diuinitate sentimus, vnum in Deo sunt, & cum Deo: nec enim aliunde bonus, quàm vnde magnus, nec aliunde iustus aut sapiens, quàm vnde magnus & bonus: nec aliunde denique simul hæc omnia est, quàm vnde Deus, & hoc quoque nonnisi in seipso: nam & magnitudine dico magnum, sed quæ ipse est, ne maius aliquid Deo ponam: & bonitate fateor bonum, sed non aliâ, quàm ipse est.* Omnia enim quæ in Deo sunt, esse vnum ac simplicissimum, receptissima est Sanctorum doctrina: expressit D. Dionysius Diuinor. nomin. cap. 2. & 13. dicens, *Diuinam totam substantiam, quidquid illa est, ipsa bonitas definit.* Et, *Vnus Deus est, quia omnia vnicè est, secundum vnicam eminentiam vnitatis.*

Deus est summum magnum.

Deus non aliunde bonus, quàm vnde magnus, &c.

Diuinam essentiam bonitas definit.

Ex

10. Nomina diuina non sunt synonyma.

Ex quibus tamen non sequitur, diuina nomina in Deo esse synonyma, quanquam vnam, eandemque rem simplicissimam significent, quæ omnes omninò creaturarum perfectiones, longè excellentiori, quam in illis ipsis affectas gradu suæ magnitudinis ambitu vnitè complectatur. Cuius quidem ea ratio à Theologis assignatur, quia rem illam summè vnam ac simplicē, neque sub vna eademque ratione, neque sub vno eodemque conceptu significant, sed sub diuersis. Licet enim id quod nominibus attributorum diuinorum indicatur, vnum idemque sit actu & reipsâ in Deo, ratione tamen distinguitur, Diuo Thomâ interprete 1. parte quæst. 13. art 4. & 12. prout & nominibus diuersis significatur, atque à nobis concipitur. Fundamētum autem distinctionis diuinarum perfectionum, est earundem distinctio virtualis. Etsi enim horum attributorum perfectiones, res vna simplicissimaque sit; discretionem tamen virtualem possunt admittere, eatenus, quatenus tantæ perfectionis res ea est, vt pluribus conceptionibus nostris terminandis sufficiat: atque infinitatis suæ ratione, satis superque sit ad ea omnia, ad quæ sufficerent distinctæ & variæ perfectiones, si quæ eiusmodi, actu distinguerentur in diuinis.

Deus est sua magnitudo.

Redeo ad magnum Deum, de quo auctor Speculi apud D. Augustinum cap. 11. *Magnū igitur, summeque est, quod incomprehensibile, & omnium præcellentissimum est, Deus*, magna omnia seipso, qui sibi est sua magnitudo, continens. *Magnus est, non mole, sed virtute*, inquit D. August. epist. 3. ad Volusianum: nec mensurari, nec circumscribi potest, quia, vt ait D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 12. *ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia: & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circūdans, interius penetrans; vnus idemque, totus vbique*, & magnitudinis eius non est finis. Hinc D. Augustinus in Psal. 103 *Quia es id quod es, & verè es, vtique magnus es, & magnitudo tua sempiterna est, nec cœpit, nec desinit, nec ab initio temporis incipit, nec vsque ad finem temporis excurrit, nec in medio aliquid patitur, incommutabilis enim magnitudo est.* Magnus auctoritate, quia rex regum, & dominus dominantium.

Iob. 36. Rom. 11. Psal. 46. Tob. 13. Psal. 85. Iob. 37.

Verè & solitariè magnus sapientiâ: Iob. 36. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram*: & ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*: magnus in possessione. Psal. 46. *Rex magnus super omnem terram*: magnus æternitate: Tobiæ 13. *Magnus es Domine in æternitate.* Magnus à rerum gestarum magnitudine: Vates regius psal. 85. *magnus es tu, & faciens mirabilia.* Et Eliud Iob cap. 37. *Faciens magna & inscrutabilia*: magnus prouidentiâ & consilio: D. Augu. epist. 3. ad Volus. *Qui prouidentiâ suâ meliorem sensum, magis formiculis & apiculis dedit, quàm asinis & camelis.* Ierem. cap. 32.

Ierem. 32. Psal. 75. Psal. 134. Psal. 94.

Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Nominis sui famâ magnus, Propheta regius Psal. 75. *In Israel magnum nomen eius.* Magnus dominio, quia regnum omnium sæculorum habet. Psal. 134. *Magnus est Dominus & Deus noster præ omnibus Dijs.* & Psal. 94. *Magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos.* Apollinarius,

Κλειτὸς ἄναξ μέγας ἐν λαοῖσι, θεοῖσι τ' ἀγητός.
Inclytus Rex magnus in populis, Dijsque mirabilis.

Psal. 98. 1. Paralip. 16 Isa. 45. Psal. 89.

Magnus potentiâ, vno verbo creans cælum & terram & omnia quæ in eis sunt. Magnus nominis sui obseruantiâ & honore. Vates regius psal. 98. *Dominus in Sion magnus.* 1. Paralipom cap. 16. *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* & Isaiæ 45. *Mihi curuabitur omne genu.* Magnus iustitiâ, Ps. 89. *Quis nouit potestatem iræ tuæ?* hoc est, iustitiæ vindicis, inquit Salmeron historiæ Euangelicæ tomo 3. tractatu 11. *Et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Magnus terrore, Citharedus diuinus psal. 88. *Magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.* Magnus in misericordiâ psal. 129. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*: & psal. 85. *Misericordia tua magna est super me.* Magnus in medio Sion, propter dilatatam Ecclesiam, Isa. 12. Magnus in gloria, 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitat inaccessibilem*, & psal. 20. *magna est gloria eius.* Semper magnus, etiam occultus & magnus nobis apparet, quum se manifestat; Eliud Iob. 37. *Magnus fortitudine, & iudicio, & iustitiâ, & enarrari non potest*, in quem locum D. Gregorius lib. 27. Moralium, *Fortitudine magnus, quia aduersarium fortem superat, & de domo illius, vasa contumeliæ auferens, in misericordia vasa permutat. Iudicio, quia etsi hic electos suos per aduersa deprimit, eos quandoque in gloriâ æternæ prosperitatis extollit. Iustitiâ, quia etsi hic diu tolerat, quandoque tamen reprobos sine termino damnat. Et enarrari non potest; qui enim dignè sentiri non valet, quantò minus dici?* Etenim, vt Diuus Augustinus inquit, *Non esset magnus, si ab homine posset explicari:* pergit Diuus Gregorius, *Sed meliùs hunc vtcumque dicimus, si sub considerationis eius formidine, admirando taceamus.*

Psal. 88. Psal. 129. Psal. 85. Isa. 12. 2. Timoth. 6 Psal. 20. Iob. 37.

11. Magnus in Triade Deus.

Magnus in sacrosanctâ Triade Deus, in quâ nihil maius aut minus, nec magno Patre, minor Filius, nec magno Filio maior Pater, vti nec bono melior, quia non vni solum Patri, sed Sanctæ Trinitati dictum est, *Tu es Deus solus magnus*: vnde Diuus Augustinus libro 5. de Trinitate, capite 8. *Non enim de Patre solo, sicut illi peruersè sentiunt, sed de Patre, & Filio, & Spiritu sancto dictum est, tu es Deus solus magnus.* Et licet filius, paruus sit factus, vt sub carnis pusillitate, robur suæ potentiæ occultaret diabolo, atque propterea minor patre, sicut ipse dicit. *Pater maior me est*, Ioan. cap. 14. tum quia paruulus natus est nobis. Isa. 9. tum quia paruulus tam indigna passus pro nobis; tum quia in Iudæorum impiè grassantium in eum, oculis abiectus, *Factus est opprobrium hominum, & abiectio plebis*, Psal. 21. & *cum iniquis deputatus est.* Luc. 22. inter nefarios in crucem extortus voce clamantium, *Crucifige, crucifige eum*, Marci 15. magnus erat tamen in se, in suâ magnâ diuinitate: & magnus in arduis istis operibus, mundum in seipso reconcilians Patri: & nobis factus est magnus ex paruo (verbum enim Domini abbreuiatum est) instar lapidis parui, qui excisus de petrâ sine manibus, creuit in montem magnum Ecclesiæ suæ: *Quare noli contemnere paruum, tam multa passum*, inquit D. Augustinus? *paruus factus est, quia parui eratis: intelligatur magnus, & in illo magni eritis. Quid dictura est lingua parua ad laudandum magnum?* Magnus igitur est Iesus meus, nos autem parui, quia positi sub peccato; nam licet paruulus natus sit nobis, hoc tamen in similitudine absque peccato: vnde Gabriel Archangelus, incarnandi Verbi præco. Luc. 1. *Hic erit magnus, & filius Altißimi vocabitur.* Magnus, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Magnus, quia venit ad eum Princeps mundi, nec quidquam in eo inuenit: magnus magnâ conceptione, integrâ, & sanâ, quâ non fuerunt magni illi, qui priusquam adesset qui verè magnus est, ad comparationem reliquorum hominum etiam sanctorum, magni dicti sunt, veluti Moises, qui dictus est magnus Exod. 11. velut Ezechias, *qui proficiebat valde, quousque factus est magnus valde*: 4. Reg. 18. velut Isaac: velut Ioannes Baptista, qui ob virtutum, donorumque Dei excellentiam, quibus gratus acceptusque erat Deo, dicitur *magnus coram Domino*, Luc. 1. quan-

Ioan. 14. Isa. 9. Psal. 21. Luc. 22. Marci 15. Deus factus est nobis magnus ex paruo. Luc. 1. 4. Reg. 18. Luc. 1.

1. quanquam tamen nemo ex illis magnus, postquam aduenit Christus, propter quod dicebat Ioannes, *Illum oportet crescere, me autem minui*: Ioan. 3. erat quippe sui magnitudine verè magnus, non ex cæterorum comparatione: & magna illius anima crescebat, propter magna & ingentia opera, quæ in nostro pusillo, in nostro folliculo patrabat, *Quia proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines*. Luc. 2. quomodo & animas nostras magnas fieri, per arbitrij nostri libertatem magnis intentam virtutum operibus, desiderabat Apostolus ad Ephes. 4. *Donec omnes occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Qui solus verè magnus infinitâ magnitudine est, & mensura magnitudinis nostræ.

Ioan. 3. — *Luc. 2.* — *Ephes. 4.* — Deus est mensura nostræ magnitudinis.

Alexander Seuerus, Imperator creatus, quum vix annos sedecim natus, ob eximias dotes, magnificis titulis à Senatu honoraretur, in animum nunquam induxit, vt se Magnum, & Patrem patriæ cognominari pateretur, teste Lampridio: & meritò, quia solus Deus magnus, solus τετραμέγιστος, neque solùm τρισμέγιστος, sed infinities maximo maior. Magnus Deus, ter optimus, ter maximus, & ideò solus, quia optimus, quia maximus. Paulus Iurisconsultus l. 161. de verborum significationib. testatur, illa verba, *Optimus maximusque est*, in eum cadere, qui solus est; sicut & circa dictum prætoris, supremæ tabulæ habentur, quæ solæ: & in fundis, ædibus, agris, *Maximi* vox, eam habet potestatem, vt immunem liberùmque seruitute significet, cui adhæserit: *fundus* enim vti optimus maximusque sit qui traditur, seruitutem non debere censetur, non actum, non iter, non aquæductum, aut haustum, non passionē, & cætera huiusmodi, in quibus hæret nomen seruitutis. ita loquitur Celsus. l. cùm venderes. ff. de contrahendâ emptionē. *Cùm venderes*, inquit, *fundum, non dixisti, vt optimus maximusque est, verùm, quod Quinto Mutio placebat, non liberum, sed qualis esset, fundum præstari oportere*.

Alex. Seuerus magni nomen respuit. — Optimus, maximus dicitur de eo qui solus est. — Tabulæ supremæ, quæ solæ. — Fundus opt. max. seruitutem non debet.

Ita Deus optimus Maximus ex omni antiquitate dictus, quòd solus & supremus, nulli seruitutem debeat, quia supra se magnum nō agnoscit, sed est omnium Dominus dominantium, magnus magnorum, rex regum, per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, coram quo gentes, & gentium regna, sic sunt quasi non sint, & pro nihilo deputantur: Magnus enim ille, qui & optimus maximusque fecit hæc omnia.

Opt. Max. Deus, quia solus, supremus.

11. Neque hoc tantùm nomine magnus, quòd & mundum illum, quem solâ mentis intelligentiâ consequimur, & hunc ipsum quem sensu percipimus, ex abyssis nihili produxerit, atque fecerit emergere, ipse improductus mundus diuinitatis, ideas omnium mente gerens: sed ob id maximè, quòd magni atque superessentialis, consubstantialis & coæterni, eiusdem naturæ & potentiæ, ac omnium rerum parentis, & architecti filij Verbi, sit Pater Magnus: vt maximum sit Patri, & ad laudem & gloriam eius amplissimum, à magnâ essentiâ suâ, magnum singulariter generatum esse filium: magnum præclarumque sit filio, à magnâ diuinitatis paternæ radice, eiusdem substantiæ, & potentiæ filium promanasse, id quod cecinit D. Gregor. Nazianzenus Carmine 2. de filio, in hunc modum.

Magnus Deus à rebus conditis. — Magnus à generatione Verbi.

Οὐδὲν ἔην μεγάλοιο πατρὸς πάρος ἐς γὰρ ἅπαντα
Ἔντος ἔχει, καὶ πατρὸς ἀπήορος· εἴδειν ὁ πατρὸς
Ἐκπεφυὼς μεγάλοιο Θεοῦ λόγος· ἄχρονος υἱὸς,
Εἰκὼν ἀρχετύποιο, φύσις γεννήτορος ἴση.
Πατρὸς γὰρ κλέος ἐστὶ πάϊς μέγας.

Nil erat ante Patrem magnum, nam cuncta coërcet
Complexu ille suo, à magno pendesque parente
Editus ex illo Sermo, qui temporis expers,
Effigiem in sese Patris exprimit, radians & illi
Par est natura: namque inclyta gloria Patris
Filius est magnus.

Quemadmodum enim ex Patris maiestate, gloria filij, ita magni Patris gloria, à magno filio: & sicut magnus Pater complexu suo coërcet omnia, velut idem præclarissimum Græciæ lumen inquit,

Magni Patris gloria à magno filio.

Ὡς Θεὸς, ὡς (κόσμου) γενέτης μέγας.
At sanè magnus Deus est, orbisque Creator.

Atque condita quæque, antequam efficerentur, perspecta, exploratáque habet; ita magnus filius *Verbum*, cuius sunt ea quæ Patris sunt, essentia, scientia, potentia, eodem modo quo Pater omnia continens, omnia cernit, omnia potest, & quæ vult cum Patre filius, & cùm filio Pater, summâ sapientiâ facit, vnde exclamat succentor diuinus, Psal. 90. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientiâ fecisti, impleta est terra possessione tuâ*. Hoc est, teipso, qui cælum & terram imples, qui es possessio & hæreditas, & multa merces electorum tuorum, magna merces electi tui Abrahæ Gen. 15. *Ero merces tua magna nimis*: qui & ipse possessio tua, quia factus est in gentem magnam, quam possides in filio tuo vnigenito, non sicut seruituti subiectam, sed liberam, hæredem Dei, cohæredem Christi tui, vt impleatur terra viuentium, homo scilicet rediuiuus, de te solo viuens, de te solo diues, possessione tua, quæ es ipse Deus, cuius terra hæc temporum substrata vicissitudini, non est capax: cuius vnus hominis animus in terrâ viuentium, in terrâ, inquam, viuentis animæ & Dei in animâ, in rediuiuâ carne magis capax. vnde & implebitur terra, possessione tuâ magnâ, à te, de te, per te, & in te; qui magnus es, qui tibi ipse locus es; qui ipse teipso plenus, & ante omnia in teipso tibi sufficiens, modò autem alienam indigentiam, solitudinem, inanitatemque complens, à nullo contentus & omnia continens, vtpote vnus & solus magnus, vnus & solus optimus maximus, essentiæ tuæ vi, non participatione magnitudinis, vnus, inquam, & totum ipse ens, vt loquit Philo Iudæus, lib. 1. legis Allegoriarum, cui magna gloria in sæcula.

Psal. 90. — *Gen. 15.* — Homo de solo Deo diues, & viuens. — Homine beatificato implentur terra possessione Dei.

CAPVT XXV.

Quomodo Dei appellatio creaturis attributa?

NVnc videndum, quomodo Dei appellatio, alijs præ Deo, sit communicata. Nomen est naturæ diuinæ, Deus, sicut diximus suprà: ad eam significādam, impositum; quæ vt est incommunicabilis substantia, ita & nomen eius in hac eminenti significatione, alijs à Deo, prorsus est incommunicabile, id quod aduertit Sapiens cap. 14. Sap. quum idololatras *incommunicabile nomen lapidibus & lignis*, imposuisse dicit. Quia denique nomen quod indiuiduum quoddam alicuius naturæ significat, nonnisi secundum quandam similitudinem, non verò propriè, multis communicari potest; naturaliter Dei nomen, vlli creaturæ tribui nequit, sed solùm metaphoricè. Neque tamen omni prorsum creaturæ, etiam hoc modo communicari potest; verùm ijs tantummodo; qui factoris sui imitamentum, virtutum illius exempla, quantùm humanitus datur, diuinâ adiuti

1. Nomē, Deus quomodo incommunicabile. — *Sap. 14.* — Nomen Dei iustis tātum communicabile per metaphorā.

luci gratiâ, in sese exprimunt. Quod non ignorauit Apollonius apud Philostratum, lib. 8. illius vitæ. cap. 2. qui interrogatus, quare appellaretur Deus, respondit, *Vir omnis qui bonus existimatur, Dei cognomine honoratur.* Quapropter, dæmones & idola, falsò & iniustâ vsurpatione Deos appellari, manifestum est. Angelos verò, & mortalium complures, nuncupatiuè, rectè Deos dici, nominis quidem diuini, non autem eiusdem naturæ translatione. Sic Dij dicuntur sancti, antiqui patres, sacerdotes, iudices, prædicatores, sublimes, & sapientes. Exod. 21. & 22. 1. Reg 6. psal. 134. & 135. & Dij sunt, qui quoad eius fieri potest, mortalia omnia repudiant, quorum quidem animus, rectus, bonus, magnus: nam hunc, quid aliud vocas, inquit Seneca, epistolâ 31. *quàm Deũ in humano corpore hospitantem*? & ne qua conditio illi occlusa putetur, addit, *Hic animus tam in equitem Romanum, quàm in libertinum, quàm in seruum, potest cadere. Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut seruus? Nomina ex ambitione aut ex iniuriâ nata. Subsilire in cælum ex angulo licet: exsurge modò, & te quoque dignum finge Deo. Finges autem, non auro non argento: non potest ex hac materiâ, imago Dei exprimi similis:* ex virtute potest, latiùs §. 2.

Homo rectus, bonus, magnus, Deus est in humano corpore.

Capitis 25. §. 1.

Idola & dæmonia, Dij vt dicantur.

1. Idola errore gentium Dij nuncupantur.

ERrore mortalium, & hostis vniuersorum fraude, dæmonijs, idolisque Dei vocabulum inditum est, ita D. Anselmus in cap. 1. epist. ad Roman. *Nomen Deitatis est incommunicabile creaturis, quoniam solus Creator, propriè & verè Deus nominatur: sed gentiles in mendacium mutarunt veritatem Dei: Veritas enim Dei: quòd ipse veraciter Deus sit, quam veritatem vertit in mendacium, qui idolum dicit vel putat esse Deum.* Illi sunt Dij gentium de quibus Cantor regius psal. 95. *Omnes Dij gentium, dæmonia:* de quibus quum dixisset gentium Apostolus 1. ad Corinth. 8. *Siquidem Dij multi; & domini multi.* Pòst appellat simulacra muta. cap. 12. Allusit Diui Hieronymi in versiculum Dauidicum interpretatio, *Dij*, inquit, *populorum, sculptilia*, quod alij reddunt *Idola*, alij sic, *Omnes Dij populorum vani sunt*, Hebraicè אלילים *elilim*, quasi אלמים illemim, idola muta: aut אל אלים *el elim*, non *Dij, nihili, & Dij ficti*, tales sunt gentium Dij, ficti sunt, & simulacra inania, vanitates, meræ nugæ res nihili, vacuitates, inutilia, statuæ, mendacia. אליל *elil*, enim, redditur in singulari ab interpretibus, quod est, mendacium, fraus, augurium idolum.

Psal. 95. — 1. Cor. 8. — Dij gentium nihil, & mẽdacia.

Quod autem Paraphrastes in illum psalmum ait, *omnia quæ timent populi, idola sunt*, gentiles diuinitatem quandam suis idolis receptam existimasse ostendit, atque virtutem quam timerent, quæ fuit Iamblichi lib. de mysterijs opinio, dicentis *Statuis, diuina quædam illustratio capitur.* Quò spectat apud Sozomenum Ecclesiasticæ historiæ lib. 7. cap. 15. illud Olympij pagani philosophi, qui cùm suos, ob eiecta è Serapidis templo simulacra, consternatos esse videret, hortabatur bono animo essent, & non à suâ religione deficerent, asserens imagines ac statuas, nihil aliud esse quàm materiam corruptibilem, ac proinde ad nihilum potuisse redigi, inhabitasse autem his, virtutes quasdam, & eas iam in cælum auolasse.

Idolis diuinum quid subesse putatum est. — Olympius paganus.

Hinc fluxit idolorum cultus ex opinione nempe diuinitatis existentis per coniunctionem quandam in statuis, mentientibus illam dæmonijs præstigiatoribus atque illusoribus; aut etiã ratione hominum, quos illæ referebant, quique ob vitæ maiestatem, Dij habebantur.

2. Dij gentium cur appellantur dæmonia.

Cur autem Dij gentium dæmonia appellentur, ea ratio censeri potest, quia quidquid creatum coluere gentes, dæmone auctore coluerunt, atque an dæmon esset, ignorantes, statuis inanimis diuinos honores deferebant, persuasi diuinum quidpiam statuis infundi, quas statuarius, opere expolito formatas, sub Numinis figurati appellatione exhibuisset: faciente ad populorum opinionem dæmone, qui vt venerationem Deo vero debitam, in se transferret, eas inhabitabat: atque vt finem suum faciliùs consequeretur, eos qui se colerent, malè habebat; humani corporis, nunc hæc, nunc illa membra arcano afficiens ac torquens dolore, cuius vi præstricti, cùm aliàs occulta essent remedia, ad statuas adoraturi prouocarentur, ibique Numinis existimati, ope imploratâ, atque doloris subsecuto leuamine, malè affectam partem sanare dæmon crederetur, quum nocere desineret, proptereaque & amaretur, & timeretur. Id quod grauiter & elegãter disseruit D. Cyprianus Martyr, de Idolorum vanitate, totidem verbis. *Spiritus insinceri & vagi, qui posteaquam terrenis vitijs immersi sunt, & à vigore cælesti, terreno contagio recesserũt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & Poëtæ, dæmonas norunt, & Socrates instrui se & regi, ad arbitrium dæmonis prædicabat.* Vbi sententiæ insistit eorum, qui, quod 6. Geneseos dicitur, filios Dei sumpsisse sibi vxores filias hominum, apostatas Angelos intellexerunt, veluti Tertullianus, Lactantius, & alij Cypriano vetustiores: quam sententiam multis argumentis reprobant. D. Chrysost. in Commentar. & D. Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei. cap. 23 dicamus itaque illos spiritus insinceros, vitijs immersos, à vigore cælesti, peccati contagio recessisse. *Hi ergò spiritus*, inquit Cyprianus, *sub statuis, atque imaginibus consecratis delitescunt: hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant: auium volatus gubernant: sortes regunt; oracula efficiunt; falsa veris semper inuoluunt: nam & falluntur, & fallunt. Vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt; vt ad cultum sui cogant, vt nidore altarium, & rogis pecorum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela; quum illorum cessat iniuria: nec aliud illis studium est, quàm à Deo homines auocare, & ad superstitionem sui, ab intellectu veræ religionis auertere; cùm sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes,* Quid? quòd statuarius ipse, quod vanitatis est quàm maximæ argumentum (obliuione dicam, an cœcitate?) operi à se effecto, pòst blandiebatur. & vt Deum immortalem colebat id, quod ipse mortalis, tanquam parens & architectus, propriâ formauerat industriâ.

Dæmones homines nocent. — A Deo homines auocant. — Statuarius opus suum adorat.

Verùm hinc facessat dæmonum impuritas, apage dæmonia, nusquam deinceps Dei appellatione commemoranda, latè effuso in omnes orbis plagas, tanquam vnguento pretioso, Dei & Iesu Christi filij eius nomine, tremendo inferis, cælo, terraque venerando, colendo: in cuius virtute dæmones adiurati à nobis, *Statim cedunt*, inquit ibidem D. Cyprianus, *& fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostrâ voce & operatione maiestatis occultæ, flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari: vnde veniant, & quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri; & vel exsiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis afflat. Hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, vt nos odisse incipiant homines antequam*

Iesu Christi nomine diffuso, expulsa è terra dæmonia.

quam nosse; ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.

Capitis 25. §. 2.

Vt homines & Angeli, Dij appellentur.

1. Cælestes virtutes, vt Dij vocentur.

DE alijs rebus & virtutibus cælestibus, dicitur Deus nuncupatiuè, vt loquitur D. Gregorius hom. 8. in Ezechiel. siue abusiuè, vt Origenes in cant. ait, apud D. Hieron. tomo 7. Et hoc ipsum varijs modis. Primò quidem adoptionis ratione, vti apud Psaltem regium psal. 81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes*: & Eustathius scribit ἥρωας ἄνδρας, appellatos Θεοὺς, ad diuinitatem, quàm proximè fieri potest, accedentes, per adoptionem, nimirum, & gratiam, non per naturam, sicut Verbum Dei, qui Deus est super omnia, inquit prædicator gentium ad Rom. 9. quod sic explicat D. Gregorius homil. 8. in Ezechiel. *Vt ostenderet Christum esse Deum naturaliter, & non nuncupatiue, Deum super omnia appellauit, vt sic nuncupatiuum ab essentiali discerneret; quia qui nuncupatiuè dicitur, Deus inter omnia appellatur: qui verò essentialiter, Deus super omnia. Quorum Patres*, inquit D. Paulus, *ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in secula.* Et Faustinus lib. de fide contra Arianos cap. 2. ex duplicis sinus differentia, Patris, scilicet, & Abrahæ, duplicem hanc filiationem adstruit, *Filius Dei, est Deus*, inquit, *non tamen nuncupatiuè, sed naturâ, qui etiam in sinu Patris est, filij adoptiui, in sinu Abrahæ sunt.*

Psal. 81.

Rom. 9.

Filius naturalis in sinu patris, adoptiuus in sinu Abrahæ.

Id quod, quamuis prædestinatis maximè conueniat, sicut docet D. Augustinus, conuenit nihilominus etiam reprobis, secundum præsentem iustitiam, in quâ interdum reperiuntur, & omnibus indefinitè potestas data est, filios Dei fieri, Ioan. 1. & 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.*

Ioan. 1. & 1. epist. 3.

Et quamuis Angeli etiam Dij appellentur, & filij Dei Iob. 1. non naturâ tamen, *cui enim Angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu?* ad Hebr. 1. sed nuncupatiui Dij sunt, per quandam participationem, inquit D. Tho. in 1. caput ad Hebr. lect. 3. & adoptionis gratiam, quam eodem Angelico Doctore teste 3. parte quæst. 13. primò receperunt: & psal. 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*, vbi Chaldæus interpres Angelorum choros ad diuinas laudes prouocari dicit.

Iob 1. Hebr. 1.

Angeli Dij dicuntur.

Psal. 28.

2. Expressiùs tamen homines Dij appellantur, inquit D. Augustinus, lib. 9. de Ciuitate Dei, cap. vltimo, cuius assignat rationem, videlicet, *Ne propter Angelorum excellentiam, aliquem eorum nobis constituere Deum, infidelis auderet infirmitas, quod in homine facile est euitare: homines verò id dici audientes de hominibus, certi & fidentes fierent, esse eum Deum suũ, qui dictus est Deus Deorum, quia non sunt dicti Dij Deorum, id est hominum, Dij immortales illi ac beati, nempe Angeli si quando eo nomine, quod rarò fit, nominentur.* In quo agnosce hominis ex Dei gratiâ excellentiam, quòd in hac etiam appellatione, sicut & in plerisque alijs, Angelis ipsis præferri videatur. Quin imò Iobius Monachus in bibliothecâ Sanctorum Patrum numero 304. apud Photinum, homines multis nominibus præ Angelis effert, ac primùm quidem, quod Angelorum peccatum fuerit irremissibile; *tum demum, quia si quid euangelizent Angeli, discrepans ab his quæ homo, anathema fit: & quia cùm non sit ausus Michaël Diabolo inferre iudicium blasphemiæ, homini calcare illum licet: & quia homo iudicabit cum Christo, & consedebit cum illo, similis illi ac Deo, quod Lucifer frustra appetijt.* Adde, quòd & Angelos ipsos iudicaturi simus: quòd absoluendi à peccatis, & panem vinumque sanctificationis, in verum corpus, & verum Christi sanguinem consecrandi potestas data sit nobis: desperatas ægritudines curandi, mortuos suscitandi, atque innumeræ aliæ virtutes datæ, quas Angelis nusquam legimus fuisse communicatas.

Hominis excellentia, præ Angelis.

Homines calcant dæmones.

Præterea, Dei appellatio tribuitur hominibus, propter eam quam indepti sunt inter mortales dignitatem: quomodo accipiendum illud Exodi 22. *Dijs non detrahes*, hoc est, Prælatis, & in superiori aliqua dignitate & autoritate constitutis: &, *ad Deos vtriusque caussa perueniet*, hoc est, ad iudices, quorum est caussas cognoscere, atque sententiam dicere: quare Dij dicuntur, quia Dei officium agunt in terrâ. Cauetur autem, ne quisquam Dijs detrahat, aut principi maledicat, quia etiamsi eorum vita sit contemptibilis, honoranda tamen dignitas, cuius ratione Plato apud Stobæum sermone de regno, ait, *Nihil esse ita simile Deo, sicut reges.* Et Plutarchus, Principem esse imaginem Dei cuncta administrantis.

Exod. 22.

Iudices Dij dicti sunt.

Princeps est imago Dei.

Huc referri potest ipsa potestas, quæ homini collata, ipsum Dei nomine honorat, quomodo Exodi cap. 7. dicitur Moisi, *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, hoc est, potestatem dedi contra Ariolos, & Deos falsos Pharaonis, in quo verbi Dei præco designatur, qui simili modo est Deus Gentilium. Et hæc potestas Moisi à Deo tributa est, vt sit Deus secundum gratiam, non secundum naturam, inquit D. Hieronymus, quia vnus est naturâ Deus, super omnes Deos. ad cuius appellationis eminentiam, Moisen sua euexit humilitas, quæ, vti Rupertus inquit, lib. 1. in Exod. cap. 25. in cælum volare consueuit: indignum enim se tanto largitionis diuinæ munere iudicans, audire meruit hoc, quod magnificentissimum est, *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, regis regnantis Deum: non quem fideliter adoret, sed quem seruiliter formidet, vt imperes aquis, ranas crees, multaque alia mirabilia opereris, quæ nullus hominum præterea facere potest. Quare Moises reuera Pharaoni datus est Deus, secundum D. Hilarium lib. 7. de Trinitate, dum timetur, dum adoratur, dum punit, dum medetur. Atque ita rectores & populorum præsides, qui quod sui est muneris, debitè exequuntur, Dij vocantur. Hinc colligo, quòd nisi Creatoris iniuria interuenisset, Moisi honori futurum fuisse, quòd absente se quadraginta dierum curriculo, tanquam in defuncti locum, alium Deum populus ab Aarone postularit, hominem aliquem tanti Imperatoris ductum posse supplere, diffidens.

Exod. 7.

Humilitas in cælum volare solet.

Deum cur sibi in ducem postularint Iudæi, & non hominem?

Postremò autem, sollicitudinis, & applicati animi ad placita sensuum, ratione, Deos sibi praui mortalium affectus comparant, de quibus Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*, tales enim tantùm sui ventris curam & sollicitudinem gerunt, lautè atque opiparè cutem curantes, vt obliuiscantur Dei factoris sui, cuius, quia proprium est vt sit principium primum & finis vltimus, fit, vt qui pro fine suo aliquid aliud habet, illud sit Deus suus, inquit D. Tho. lect. 3. in 3. cap. ad Philip. Quapropter idololatra etiam fit, quisquis opes, quisquis voluptates suas adorat, suam in illis omnem ponens fiduciam, tanquam in liberatoribus Dijs.

Philip. 3.

CAPVT XXVI.

Vt sua Deus homini communicet.

1. *Proprietates suas Deus hominibus communicat.*

CÆterùm, vt de hac posteriori acceptione taceam; tantus est summi parentis Dei in hominem adfectus, tantus amor, vt cum ex Pythagoreorum sententiâ, amicorum sint omnia communia, vti quoque dicebat Socrates; nomen suum aliaque sibi propria, hominibus amicis suis communicarit, & nostra assumens, & Christo vnigenito suo attribuens in melius commutata, nobis etiam communia fecerit: id quod proximè sequentibus. §§. prosequemur.

Propria autem Dei sunt, vocabulum, Deus, quod illi soli per naturam tribuitur, vt in Deuteron. cap. 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Et cap. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est;* quasi dicat, solus vnus est verus Deus, ens simplicissimum, Dij gentium multi, & ideò non Dij quia multi: quare vide ne si ad multos deflexeris, vnum amittas, qui solus est verus Deus. Hoc interim nomē ipse Deus confert Moisi Exodi 7. sicut suprà attigimus, dicens, *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Alij quoque mortalium Dij appellantur, psal. 46. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*, quod de Apostolis dictum interpretari licet: & rursus alibi, *Ego dixi, Dij estis.* Patriarchas quoque amicos suos Abraham, Isaac, & Iacob, in nomen suum composito vocabulo transire iubet, quemadmodum adnotauit Philo Iudæus lib. de Abrahamo, totidem verbis, *Omnes hi amici chariquè Deo, amantes verum Deum, & redamati ab eo, qui dignatus est (sicut indicant oracula) propter vitam ipsorum probatissimam; communem cum eis appellationem habere. Suum enim nomen coaptauit cum illorum nominibus, ex tribus compositum vocabulum sibi vendicans. Hoc, inquit, mihi nomen est æternum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, relatiuum pro absoluto. Et meritò, Deus enim non habet opus nomine. Attamen humano generi suum nomen elargitus est, vt habentes refugium ad preces, & supplicationes, à spe bonâ non excluderentur.*

Deut. 32. & c. 6. — *Exod. 7.* — *Psal. 46.*

Bonus, soli Deo per naturam competit. Luc. 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus:* alijs tamen bonitas per gratiam vindicatur, vt quum Lucæ 6. dicitur, *Bonus homo, de bono thesauro cordis sui profert bonum.*

Luc. 18. — *Luc. 6.*

Sanctitas propria est Dei 1. Reg. cap. 2. *Non est Sanctus vt est Deus, neque enim est alius extra te:* nihilominus etiam nobis ea tribuitur. Exod. 22. *Viri sancti eritis mihi, carnem quæ à bestijs fuerit prægustata, non comedetis, sed proijcietis canibus*, scilicet, mundus munda vult Deus, neque in suo cultu, neque in suorum sanctificatorum vsu, vult esse immunda: siue per carnem prægustatam à bestijs, doctrinam intelligas cum Rabano, aut conuersationem malam, quam dentis sui morsu vel induxerit Dæmon & Hæreticus, vel momorderit, à quibus abhorreant Sancti, oportet, tanquam à fœdo canum cibatu. Nam si vulgò creditum est, eum qui lapidem à cane morsum tetigisset, aut calcasset, iracundiorem euadere, & ad dissidia promptissimum: quod ex Plinio haustum videtur, qui lib. 20. cap. 5. inquit, agens de rabidi canis veneno: *Tanta vis mali est, vt vrina quoque calcata rabiosi canis noceat, maximè vlcus habentibus, &c. minus miretur lapidem à cane morsum, vsque in prouerbium discordia venisse:* si, inquam, noxam adferat calcatus, à rabioso cane demorsus lapis, quàm non inferet dente venefico vitiata Sanctorum doctrinâ, si teratur manibus, si mandetur?

1. Reg. 2. — *Exod. 22.* — *Conuersatio mala, est caro prægustata à bestijs.* — *Iracundior fit qui morsum ab irato cane lapidem tangit. Canis rabiosi vrina calcata nocet.*

Fortis nomen, soli Deo competit, quoniam omnia per ipsum, & sine ipso ad nihili inanitatem resoluunt. Iosue cap. 24. *Deus noster, sanctus & fortis:* appellatur tamen fortis contra Deum Iacob Genes. cap. 32.

Iosue 24.

Deus solus naturâ iustus, coram quo omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. 2. Machab. cap. 1. *Solus es bonus Rex, solus præstans, solus iustus:* & tamen Deus Noachum iustum prædicat Genes. 6. *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis:* & Ioseph Sacratissimæ Virginis Sponsus Sanctissimus Matth. 1. Simeonque Senex Lucæ 2. alijque Sanctorum, Spiritus Sancti testimonio, iusti nuncupantur.

2. Machab. 1. — *Gen. 6.*

Solus Deus beatus. 1. ad Timoth. 6. *Quem suis temporibus ostendit beatus & solus potens:* ore nihilominus Dominico, Simon Bar-Jonas beatus pronuntiatur Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est:* & in hac quidem ipse confessione beatus; etsi enim anteà, qui erant in naui, vt inquit Diuus Chrysostomus apud Diuum Thomam in catenâ, dixerint, *Verè Filius Dei es hic.* Et Nathanaël, *Rabbi tu es Filius Dei, non tamen beati dicti sunt, quia non talem confessi sunt filiationem, qualem Petrus, sed vnum ex multis eum existimabant, non verè Filium; vel etsi præcipuum quidem præ multis, non autem ex substantiâ Patris.* Vnde D. Hilarius, Beatum dicit, *quia vltra humanos oculos, & intendisse, & vidisse laudatus est, non id quod ex carne & sanguine est, contuens; sed Dei filium, cælestis Patris reuelatione conspiciens; dignusque iudicatus est, vt primus agnosceret, quòd Diuinitas esset in Christo.* Et in hac Diuinitatis Christi cognitione, velante ipsum obitum, ab ipsiusmet essentialis beatitudinis ore, & beatus dictus est, & laudatus.

1. Timoth. 6. — *Matt. 16.*

3. Solus Deus potens, faciens mirabilia magna, psal. 71. idipsum Moisi adscribitur ab ore Spiritus sancti, in Deuteron. cap. 34. *Magna mirabilia quæ fecit Moises coram vniuerso Israël.* Eliæ similiter, Eccl. 48. *In vitâ suâ, fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.*

Psal. 71. — *Deut. 34.* — *Eccl. 48.*

Solius Dei est, peccata dimittere, *Quis enim potest peccata dimittere nisi solus Deus?* inquiebant illi Luc. 5. hanc tamen auctoritatem Apostolis, eorumque successoribus, ità communicauit Dei Filius vt quos absoluerent, non solùm declararent Dei iudicio absolutos, sed ipsi verè & ex auctoritate absoluerent, peccata relaxando, quum dicit Matth. 18. *Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueritis, erit solutum & in cælis.* Et D. Ioan. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Soli Deo honor & gloria debetur, præcipuè cùm apud Isaiam capite 42. dicat, *Gloriam meam alteri non dabo:* interim tamen, psalm. 149. dicitur, *gloria hæc est omnibus Sanctis eius:* & probatis in illo atque perfectis, gloria æterna datur, Eccl. capite 31.

Matth. 18. — *Ioan. 20.* — *Isa. 42.* — *Psal. 149.* — *Eccl. 31.*

Capitis 26. §. 1.

Vt Magni nomen proprio ore suo Christus, Diuo Augustino communicarit.

1. SOlus Deus magnus, sicut suprà diximus, de quo Psalmographus, psal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis:*

Ps. 144.

nis: legunt alij, *& laudabilis valdè*: & quàm valdè? ſuprà quàm poſſumus, quia quantumcunque laudauerimus, ſemper erunt laudes noſtræ, minores eius magnitudine, ideoque nimis laudabilis, *quia magnitudinis eius non eſt finis*, ſiue vt legit Diuus Hieronymus, *& magnificentiæ eius non eſt inuentio*. Treuetus, *inueſtigatio*, quia nimirum infinita eſt magnitudo, infinita magnificentia Creatoris, quod autem infinitum eſt, non eſt inueſtigabile, vtpote cuius nec ortus nec finis inueniri poteſt; imò ipſa inueſtigatione creſcit. Pulchrè Diuus Hilarius, *Hæc Dei prima & præcipua laudatio eſt, quod nihil in ſe mediocre, nihil circumſcriptum, nihil emenſum, & magnitudinis ſuæ habeat & laudis. Virtus eius opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non ſubditur: arctus ad id ſenſus nôſter eſt, ingenium hebes eſt, ſermo mutus eſt. Finem magnificentiæ ipſius neſcit, & aliquam emetiendi ſe opinionem; immenſa magnitudo non patitur. Extenta vbique, extenta ſemper eſt, hanc habens infinitatis ſuæ laudem. Cæterùm omnem intelligentiam, infinitæ huius in ſe qualitatis excedens.*

[margin: Infinitum, & inueſtigabile.]

Cur autem magnus? An quia in magnâ Trinitate, magnus eſt Pater, ſicut diximus, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus; & non maximus Deus Pater, maior Filius, magnus Spiritus ſanctus, prout voluit Apollinarius? Certè iſtos tuos aſcenſus, ô Apollinari, Diuus Gregorius Nazianzenus, Orat. 1. Apolog. & Orat. 5. ſcalam meritò appellauit, non in cælum ſubuehentem, ſed potiùs nos è cælo deijcientem.

[margin: Deus non magnus quia ſit alia perſona minor. Scala in infernum deijciens.]

Ideóne magnus, quia etiam Chriſtus magnus, quem tamen Ariani paruum eſſe contendunt, contra Scripturarum Diuinarum auctoritatem, in quibus nunquam & nuſquam legitur, paruus Deus? Erraſtis, Hæretici, erraſtis; & quum Deum paruum, Deum magnum, Deum maiorem, Deum maximum aſſeruiſtis, non vnius, ſed plurium Deorum aſſertores impij, eſſentiæ Diuinæ vnitatem, atque ſacræ Triadis perſonarum æqualitatem ſuſtuliſtis. Magnus ergo Deus Pater, magnus Deus Filius, magnus Deus Spiritus Sanctus, & vt verbo dicam, Magnus Dominus, non relatè, ſed abſolutè, ſicut ſcribit D. Chryſoſt.

[margin: 2. Magnus Deus, vt & nos ad magna aſpiremus.]

Verùm ideò quoque magnus; vt ſcientes quia magnum habemus Dominum, in magnis etiam verſemur. Magnitudo namque infinita Dei ſuadet, vt his rerum caducarum anguſtijs minimè contenti, neglectâ temporalis vitæ curâ, generoſos aſſumamus ſpiritus, qui rerum præſentium humilitatem ſuperent, non qui nos elatos & inſolentes reddant, & qui arrogantiam, minimarum rerum iactantiam, conſeruorumque deſpectum pariant: ſed vt animo magno & excelſo ſimus, præſentis vitæ vmbras deſpectui habentes: vtque mente humiles, quotidie in verâ magnitudine creſcamus, quæ in Dei cognitione, amore, cultu, virtutibuſque cæteris, poſita eſt. Creſcamus, inquam, quàm maximè valemus, quia infinitus Dominus, & modus creſcendi in illo, modus amandi illum, eſt creſcere, & amare ſine modo. *Creſcamus in ſcientiâ Dei, in omni virtute confortati*, ad Coloſſ. 1. donec formetur in nobis magnitudo Dei, imago perfecta Dei. Formans enim vnuſquiſque animam ſuam, ſicut ait Origen. hom. 8. in Lucam, aut minorem ponit imaginem, vel obſoletam, vel ſordidam, aut claram atque lucentem, & ſplendeſcentem: nam qui peccatis ſordeſcit, pro imagine Dei, beſtiarum, aut Diaboli imaginem ſibi ponit. Magnificatur autem imago animæ, opere, cogitatione, ſermone: ac tum quidem grandis efficitur imago Dei, in animâ noſtrâ magnificatur, & creſcit Dominus in noſtrâ imagine, eamque mirâ perfundit dulcedine: ſic Diuus Auguſt. Soliloquior. cap. 21. *Secundùm magnam multitudinem magnificentiæ tuæ, eſt etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te. Magnus enim tu es, Domine Deus meus, & immenſus; nec eſt finis magnitudinis tuæ, nec eſt numerus ſapientiæ tuæ, nec eſt menſura benignitatis tuæ, nec eſt finis, nec numerus, nec menſura retributionis tuæ; ſed ſicut magnus es tu, ita magna ſunt donaria tua, quoniam tu ipſe es præmium, & donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum.*

[margin: Amandus Deus ſine modo. Coloſſ. 1.]

[margin: Imago animæ quibus magnificetur.]

[margin: 3. Magnus Auguſtinus.]

Quàm magnus es tu, Domine, in quo magni ſunt, & magnificantur electi tui! Et quàm magnus in te, Magnus ille Auguſtinus, non eâ magnitudine quâ eſt in ſe magnus, ſed illâ quâ eſt in te magnus: & iam quia in te, & in magnitudine tuâ infinitâ, quæ ipſe es, magnus, etiam ipſe quodammodo infinitè magnus; & in illo, per te, multi quoque electorum tuorum magni. Ideoque, quod de tuâ magnitudine dixit Pſaltes Regius, hoc nos de Magno tuo Auguſtino, te indulgente, dicere poſſumus. *Magnus Auguſtinus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Et magnificentiæ eius non eſt inuentio*, quia in abyſſo Diuinitatis, in infinito, radix magnitudinis illius eſt & laudis: ideoque non eſt inueſtigabilis.

[margin: Pſ. 144.]

Appellati ſint plerique Sanctorum magni, veluti, Diuus Baſilius, Diuus Gregorius, necnon alij, iſtud ab hominum laude conſecuti ſunt: at Deus ipſe, ipſe Deus, Diuum Auguſtinum magnum conſecrauit. Quod ſi contenderis, Diuum quoque Ioannem Baptiſtam, magnum à Domino appellatum, Matth. 11. *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſtâ*, non in faciem, ſed de abſente, hoc vtique eulogium dictum, legis, at ipſe Dominus ipſi Auguſtino, coram, hanc laudem dedit. Narrat enim ex Diuo Proſpero, Fernandus ab Hiſpaniâ Epiſcopus Aueníenſis, apud Beatum Iordanum de Saxoniâ ſermone 10. de Sancto Auguſtino, habito Auenione in Conſeſſu Cardinalium, anno Domini 1351. quod Diuus Auguſtinus, Chriſtum Dei Filium in carne videre & tangere, ac pedes eius lauare, meruerit, atque eundem audire ſibi dicentem *Magne Auguſtine, hodie Filium Dei in carne videre meruiſti*: id quod etiam refert Reuerendus Pater Ioannes Gonzales de Critanâ noſter, epitomes hiſtoricæ, quam Latinè reddidimus cap. 2. in principio, & citatus ibi Maburnius in Roſeto, titulo 20. alphabeto. 47. Iſtud fuit ſingulariſſimum; inquit Epiſcopus Fernandus noſter, nec vnquam legi, quòd poſt aſcenſionem ad cælos, ſic alicui appareret, quod ſibi verbo reuelaret ſe Chriſtum eſſe, & tangi & tractari ſe permitteret, & ſic cum eo dulciter loqueretur. Fuit etiam ſingulariſſimum, quòd vocari meruit à Chriſto, *Magnus Auguſtinus*. Quis vnquam de Sanctis ab ore Diuino, ſe fore magnum, audire meruit? Nunquam legi. Verùm legitur, quod Saluator noſter dixerit de Ioanne Baptiſta, *Inter natos mulierum, non ſurrexit maior Ioanne Baptiſtâ*, ſed non legitur, quòd Chriſtus hoc Ioanni dixerit, nec habemus, quòd ab eius ore Ioannes hoc audiuerit. Beatiſſimus autem Auguſtinus, ab ore Chriſti ſibi loquentis audire meruit, qui ſibi dicit, *Magne Auguſtine, hodie Filium Dei, in carne videre meruiſti*. Hæc ille. Nimirum hoc in votis olim habuerat, cùm & Romam triumphantem, & Paulum prædicantem,

[margin: D. Auguſtinus Magnus à Deo appellatus. Matth. 11.]

[margin: Chriſtum in carne videt Auguſtinus.]

tem, & Christum in carne, vidisse desiderabat. Diuus autem Prosper significauit, in istâ visione & apparitione Christum Dominum, magno Augustino totius Ecclesiæ suæ curam commisisse, dicendo, *Commendo tibi Ecclesiam meam.* Atque ista quidem, probæ sunt euidentissimæ, eximiæ illius sanctitatis & caritatis.

Ecclesiam Christus D. Augustino commēdat.

Audistis, vt Diuus Augustinus, à magno Dei Filio, sit magnus nuncupatus, atque eidem magno, magnam Ecclesiam suam commendarit? Porrò videte, quàm magnus sit Augustinus. Inprimis natiuitas illum magnum fecit, in quâ hoc dignissimum obseruatu, quod D. Prosper, & quod Vphilas in Breuiario Gothicæ Gentis, scripsit, eodem nimirum tempore, quo in Britanniâ natus est Hæresiarcha Pelagius, ceu caligo quædam in illis Regionibus incumbens, natum fuisse in Africâ Aurelium Augustinum, velut Solem clarissimum, in ipso ortus sui splendore, iam ferè noctis illius obscuræ peruicissimi dogmatis, tenebras discutientem. Quæ res admirabilem Dei prouidentiam non obscurè commendat, vt qui, ineffabili suâ bonitate, Ecclesiam suam hyperborealibus obscuratam erroribus, meridionali Sole, ad cuius radios, dissoluitur, atque eliminatur glacialis error, illustret splendidiùs. Laudent alij natalium splendorem:

Augustinus natus eodē tempore quo Pelagius.

Et genus, & proauos, & regia nomina iactent,

Splendidior, nobiliorque est Augustini natiuitas, à genitrice prouidentia Numinis, quàm longo

Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum.

Augustinum nobilem fecit prouidentia.

Vt inquit Iuuenalis Satyrâ 8. quàm Regum ipsorum ortus, à maioribus suis etiam Regibus: namque, vt, Claudiani versu, te alloquar, ô Augustine,

Quod si nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina caussæ,
Quis venerabilior sanguis? quæ maior origo,
Quàm regalis, erit? non te priuata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere nomen
Augustis laribus. Te prouida cura Tonantis,
Illustrat,

Atque ita, vt modo quodam singulari, ipsius Diuinæ prouidentiæ Filius dici possit Augustinus, Cui *Stirpe genus clarum, cæloque affinis origo.* vt Silius inquit.

Augustinus prouidentiæ filius.

Magnus est nomine. Olim nominum imponendorum cura fuit, vt ea ad virtutem accederent, & quàm procul essent ab ignominiâ & probro. Hinc Virgilius, Asinij Pollionis, Cæsaris Augusti familiaris Filium laudaturus, nomen Augusti vsurpauit, neque nobiliori epitheto ipsum honorare potuit, quàm aureo, Eclogâ 4.

Nominum olim imponendorum cura.

——— *Toto surgat gens aurea mundo.*

Quantus verò à nomine suo Augustinus? Octauiano Imperatori, Augusti nomen inditum legimus, quia fuit honore auctus. Augustinus quoque ab augendo nomen habet, quòd ab eo Ecclesia augenda foret auctu magno. Aurelius quoque, ab aureo virtutum, doctrinæque splendore, dictus est. Quemadmodum enim Romani cognomina honori dabant, & Magnos, & Augustos, & felices dixerunt, teste Senecâ, lib. 1. de Clementiâ, cap. 14. & hunc Africanum, illum Asiaticum, istum Germanicum, nominabant; & ab Ecclesiâ quoque cognomina honori & laudi data, & magnos dixit, Basilium, & Gregorium, alios Chrysostomos, Thaumaturgos; vti illorum fidei ac virtutum excellentiam; dicendi copiam, præstantiam, & suauitatem significaret: quod etiam de Abram, qui Abraham cognominatus est, de Iacob, qui Israel, de Sarai, quæ Sara; deque Simone Bar-jona, qui Petrus, dici potest: ita Augustinum, propter vitæ ipsius & morum, scriptorumque splendorem eximium, quæ Paulinus, epistolâ 35 apud August. tom. 2. ita miratur ac suspicit, vt dictata diuinitus verba credat, Aurelium dictum puta, velut Solem Aureum.

Augustini & Aurelij nomen vnde

Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 9. ait, Romæ fuisse familiam, quæ dicebatur Aurelia, cuius erat proprium in Solis templo sacrificare: atque ita in magnâ Dei domo, in Solis iustitiæ templo, Sanctum Augustinum dici Aurelium perinde sit, ac eundem indigitari clarum & solarem sacrorum Antistitem, à quo doctrinam homines eruditi mutuantur, velut stellæ lumen à Sole. Solem pingi solitum ferunt, cum pane & potu: nunquid ea Aurelij nostri imago est, de quo Hymnus Ecclesiasticus idcircò canit: *Tu de verbis Saluatoris dulcem panem conficis, Et propinas potum vitæ de psalmorum nectare?* Solem adhæc hieroglyphicè constituunt, è naui mundum gubernantem, hoc & Aureo Soli, Augustino eleganter tribuitur ab Ecclesiâ, dum in præfatione Missæ Deum compellamus, dicentes, *Cunctorumque conditionibus salubriter prouidendo, tuam in hoc mari nauiculam Augustinus prouidè gubernauit.* Aliud nominis etymon Festo placet, vt Aurelius, quasi Auledius dicatur, hoc est, aurea sede dignus, atque inter omnes alios, velut aurum inter metalla, præcellenti sapientiæ splendore, & gloriâ fulgens: Ideò enim Salomon apud Hebræos aureo refulsit solio; ideò apud Græcos, aureo tripode Socrates dignus habitus est: ideò apud Bracmanas Indiæ populos, Hiarchas throno aureo sedit: & inter Ecclesiæ Doctores, tum ab alijs, tum inprimis à Claudiano Mamertio, Augustinus fuit cognomento scriptus Aurelius, quòd aureâ Cathedra præ cæteris dignissimus iudicetur.

4. Aurelia familia Soli sacrificat.

Sol pingi solitus cum pane & potu.

Sol in naui.

Aurelius quasi Auledius.

Aureus tripes.

Augustinus, cur Aurelius.

Magnus amore in Deum. *Non dubiâ, sed certâ conscientiâ Domine amo te*, inquit ipse Confession. lib. 10. cap. 6. *Percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Altiùs autem tu misereberis, cui misertus fueris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, quum te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis; nec candorem lucis ecce istis amicum oculis, nec dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum, non florum, & vnguentorum, & aromatum suaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum; quum amo Deum meum lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ meæ quod non capit locus, & vbi sonat, quod non rapit tempus, & vbi olet quod non spargit flatus, & vbi sapit quod non minuit edacitas, & vbi hæret quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo, quum Deum meum amo.* Ita Diuus Augustinus, cuius amorem vt esse magnum manifestaret Deus, ter cælitus voce demissâ, illum non secus ac Diuum Petrum, ter interrogauit, an amaret, cui Augustinus, *Domine tu scis quia amo te.* Sed quantùm, reposuit Christus, me amas? & Augustinus; Siquidem Domine omnia corporis mei ossa forent lampades aureæ, & sanguis omnis meus, qui per omne corpus meum diffusus est, in pretiosum balsamum verteretur, vtraque profunderem, & in tui honorem in holocaustum offerrem. Cui rursum Christus: non faceres quidpiam amplius? Reddidit Augustinus,

Magnus Augustinus amore in Deum.

Amor Augustini in Deum quantus.

tis. Si venæ meæ omnes, omnesque nerui, vincula forent aurea, & funes, inseparabiliter te cordi meo alligarem. Tertiò, & vltra quidpiam amplius, Christus exigit. Rursum Augustinus reddidit paradoxum, tantâ, inquit, te Rex gloriæ dilectione prosequor, vt si (quod esse nequaquam potest) ego Deus forem, & tu Augustinus esses, omninò ego vellem fieri Augustinus, vt tu fieres Deus. Tanto certè Numinis ardore flagrabat, vt cor eius potentissimis Diuini amoris petitum iaculis ac vulneratum, quod ipse in suis Confessionibus fatetur, Christi stigmatibus claruerit, quæ quidem illi impressa fuisse affirmat S. Vincentius Ferrariensis; D. quoque Bonauenturam ita sensisse, vt Augustinus vulnerum Christi notas, licet valdè arcanas, habuerit, confirmat Ioannes ab Angelis, in triumphis amoris Dei part. 1. cap. 11.

Stigmata Christi in corde suo habuit Augustinus.

Quodque magnum etiam & admirabile est, cum Sigisberto Lugduni Episcopo impossibile videretur, cor illud, quod sale amoris diuini insigniter supra modum erat inspersum, in cineres abijsse, studio cognoscêdi, quid de illo actû esset flagranti, desiderâtique aliquid reliquiarũ tanti Doctoris in amore diuino planè Seraphici, inter orationes & vota in oratorio suo obdormiscenti, adstitit Angelus, qui in crystallino vase reconditum D. Augustini cor, recentibus adhuc notis integrum sanumque in arâ deposuit dicens; Ecce cor D. Augustini, quod Deo iubente, ego, qui Angelus eius custos fui, exemptum eius visceribus, conseruaui, donandũ illi quem Diuina prouidentia designarât, noluit enim Deus illud corrumpi, quod tantùm in eius amorem exarsit. Nec vana fuit visio: euigilans namque Sanctus Episcopus, non frustrà se esse comperit, atque diuinitùs acceptum magnum magni Augustini cor, magni amoris notas gerens, in Ecclesiam Lugdunensem solemni psallentium cœtu comitatus intulit; ibique conspiciendum erat anno reformatæ naturæ 951. Beato Iordano de Saxoniâ teste, in quodam sermone de D. Augustino.

Cor D. Augustini Sigisberto Episcopo diuinitus datum.

Ad horum confirmationem, non mediocriter facit, quod Reuerendissimus Archiepiscopus Bracharensis, Augustinus de Iesu, quocum olim Brachararæ familiariter egi, cùm à Summo Pontifice Gregorio XIII & Reuerendissimi Prioris nostri Generalis auctoritate ad lucrandas & instaurandas Germaniæ Prouincias, missus esset, Monachi Bauariç vrbe, in nostro Augustinêsium cœnobio, inter sacras reliquias, se inuenisse testatus est; capsulam argenteam, intra quam ferreum corculum, virgulâ aureâ circumdatum seruabatur; cum hac inscriptione, *Cor contactum vero cordi S. Augustini, ferreum propter nimiam eius constantiam, & aureum propter inflammatam eius charitatem.*

Cordis Diui Augustini Memoria, in corde ferreo.

Tantopere autem sibi complacuit in D. Augustini corde Deus sagittato flammâ amoris sui, atque vulneribus, non metaphoricis, sed veris & carneis, transfixo, quemadmodum præter citatos, scribit Florentius Batauus lib. 5. institutionis Christianæ cap. 11. citatus à Sapientissimo Patre Magistro Emmanuele de Lacerdâ, in Quodlibeticis, quæst. 4. positiuâ, num. 14. in hæc verba, In perpetuum tecum ipse diligenter animaduerte, quod D. Pater Augustinus, eundem ipsum fidelissimum sui amatorem Dominum Iesum, tam ardenti vicissim amore complexus est, vt cor illius, dilectionis iaculo transfixum legatur contigisse; tantum, inquam, ex eo corde deliciarum hausit Deus, vt etiam in ipsis saxis honorarit: testis est locus cliuosus D. Catharinæ de Badayâ, vbi, ex quo Cœnobium nostri habuerunt, lapilli succrescunt, in cordis figuram efformati, qui notis quinque veluti sculptis, seu lineis decussatim implexis, tum vulnerum Christi notas, tum ipsius Diuæ rotam exprimunt, quos ego eo loci & vidi, & legi. Quàm præclarum istud signaculum, quàm nobile stemma Augustini, cor transfixũ amore!

Stigmatá vera Christi in corde D. Augustini.

Lapides formam cordis referunt, & rotæ S. Catharinæ.

Magnus igitur à Diuinâ charitate Augustinus: & magnus à magnis amatus D. Hieronymus, epist. 156. ad August. *Mihi decretum est te amare*, inquit, *te suspicere, colere, mirari.* Et rectè, quandoquidem *Intellectus acumine, ingenij perspicuitate, disputandi acrimoniâ, inueniendi copiâ, differendi subtilitate monstrum quoddam in naturâ fuit Augustinus, qui humanæ intelligentiæ terminos visus est transcendisse, vir intellectu, vt quidam ait, propè diuino* inquit Archiepiscopus Valentinus Beatus Thomas de Villanouâ, Eremita Augustinianus, serm. 1. de S. Augustino, citatus ab eodem Lacerda nostro, in Conimbricensi Academiâ Theologiæ sacræ professore. Quapropter, si plerique Philosophorum, maria traiecerunt, vt eos, quos ex libris nouerant, & cognitos amauerant, coram viderent, vel disputantes audirent, veluti Pythagoras, vt Memphiticos Vates; Plato Ægyptum peragrauit, vt Architam Tarentinum: & ad Titum Liuium lacteo fonte manantem, de vltimis Hispaniæ, Galliarumque finibus, quosdam venisse Nobiles legimus, inquit D. Hieronymus in epist. galeatâ ad Paulinum. Veluti Apollonius quoque vt Hiarcham docentem audiret, & famosissimam Solis mensam videret in Sabulo: Non defuere, qui solatij inueniendi, vel instructionis caussa Augustinum adirent, vt Orosius ex Hispaniâ, Leporinus ex Galliâ, qui in Africam profecti sunt, vt magnè amatum Magnum Augustinum consulerent, scilicet ex scriptis eius eum cognouerant, ei afficiebantur, quibus de scriptis, exstat præclarum Theodosij Imperatoris in epistolâ ad Augustinũ, testimonium, inuitantis eum ad Concilium Ephesinum, quæ sic incipit, *Librorum à te conditorum præstantia, & industria, quâ singulariter polles in enucleatione sacrarum literarum, fructus etiam, quos in omnem Ecclesiam protulisti, caussa fuere, vt vbique gentium, illustrem gloriam sis adeptus.* Diuus quoque Hieronymus, nominis magni Augustini famâ illectus, ex Bethleem in Africam transuolare desiderabat, vt Augustino coram frui posset, cuius verba sunt Epist. 24. apud Diuum Augustinum, *Scribo Reuerentiæ vestræ, testem inuocans Deum, quod si posset fieri, assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer. Magnus Augustinus & laudabilis nimis; &c.*

5. D. Augustinus naturæ quoddam monstrum.

Scientiæ desiderio Philosophi, terras peragrarunt.

Orosius, Leporinus.

Librorum D. Augustini Theodosij Imperat. iudicium.

Magnus à sacris Religiosorum hominibus qui sub eius regulâ merent; & à Sanctis magnus, qui ex eius institutione iam inde à primordio illius, quod fuit vel anno Christi 393. vt placet Bergomensi, vel anno 389. vt visum est Caribayo & Baronio Annal. tom. 4. an. 385. & 391. ex erserunt, vt propterea non immeritò grandis illa aquila censeatur, Ezechiel. 17. & Apocal. 8. virtute oculorum prædita singulari, & magnarum fulta præsidio alarum, sub quarum tegmine sexaginta circiter hominum sacrorum classes pullularunt: sub quarum vmbrâ omnis Africa Eremitarum Sancti Augustini Cœnobijs adeò repleri cœpit, vt nulla solitudo quantumuis inhospita, nullum Opidum, nulla Ciuitas foret, quæ non Monasterio centum & ducentorum Religiosorum insigniretur, Auctor mihi est, ipse Augustinus, sermone 21. & 22. ad Fratres, quem Posidius in eius vitâ cap. 31. Monasteria plena Fratrum & Sanctimonialium reliquisse testatur. Et reuerà Monachos nullos præter Augustinenses vidit tum Africa, vt restantur Genebrardus, & Baronius; qui cùm aduersus Hæreticam luem, acerrimi Fidei pro-

D. Aug. aquila.

Regulam D. Augustini 60. circiter hominum classes susceperunt.

pugnatores ardentissimè ferrentur, Wandalorum Arianâ peste grassantium furori obiecti sunt, quare bis mille quingentos eorum variè cruciatos, vnius persecutionis turbo sustulit, vt habet Critana noster Epitomes Historicæ cap. 4. §. 3. præter innumeros alios, & septem illos præclaros Martyres, de quibus Martyrologium Romanum, 17. Augusti, Liberatum Abbatem, siue Capsensis monasterij superiorem, Bonifacium, Seruum, Rusticum, Rogatum, Septimum & Maximum, qui in persecutione Wandalicâ, annos circiter quinquaginta, ab Augustini magni è viuis decessu, æstuantibus adhuc Africæ vastationis flammis, sub Hunnerico Rege pro confessione Catholicæ Fidei, & vnici Baptismatis defensione, varijs & inauditis supplicijs exagitati, demùm super ligna, quibus concremandi erant, clauis confixi, cùm ignis sæpiùs accensus fuisset, ac diuinitùs semper extinctus, eius iussu, remorum vectibus percussi, & comminutis cerebris enecati, speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino perfecerunt. Omitto Ægypti, Æthiopiæ vastissimas Regiones, omitto Asiam, Europam, Americam, in quibus orbis partibus, hæc stirps Augustiniana, sub alis & plumis multiplicis scientiæ humanæ & Diuinæ, præsignisque sanctitatis, magni Augustini, sese effudit. Omitto innumeras Sanctorum myriades, Nicolaum Tolentinatem, Ioannem à Sancto Facundo, Thomam Villanouanum, Ægidium Romanum, Diuum Franciscum Augustiniense primùm germen, pòst Ordinis Seraphici institutorem, innumerosque alios, qui sanctitate, doctrinâ, miraculis, Christianum orbem mirificè illustrarunt.

2500. Martyres Augustiniani.

Martyres præclari 7. Augustiniani.

Augustiniani Ægyptũ, Æthiopiam, &c. implerunt.

D. Franciscus Ordinis S. Augustini, primum fuit.

Hoc vnum proferam quod Beatus Iordanus de Saxoniâ, serm. 131. Aurelium Augustinum margaritam fuisse cælestem, cæli beneficio, in hoc sæcularis vitæ mari, in Ecclesiæ Dei conchilio genitam; arcam Noachi extitisse, & antiquæ legis, sanctitatisque exemplum: & quod D. Prosper apud eundem serm. 10. nempe, quod Beatissimus Augustinus, velut alter Noë, non arcam coaptando, sed libros componendo, mundum vniuersum periclitantem, ab Hæreticis liberauit, quod miraculum, inquit, est æquiualens omnibus miraculis, quæ de quocunque alio Sancto poteris nominare. Quemcumque enim Sanctum commendare volueris, quod mortuos suscitauerit, quod infirmos curauerit, in quocunque miraculo volueris: & ego dico tibi de Sancto Augustino, quod non solum tot, sed totum orbem liberauit, totum orbem sanauit, totum orbem cum suâ doctrinâ à morte suscitauit. Magnus ergo fuerit etiam ipse Augustinus, virtute miraculorum, in energumenis liberandis, & ægrotis sanandis, sicut scribit Possidius in eius vitâ, cap. 29. maior fuit, quia antiquæ Fidei conditor, Celestinam, siue Pelagianam hæresim, vt testatur Diuus Hieronymus epist. 24. apud Diuum Augustinũ, innumerasque alias, iugulauit.

D. Augustinus margarita cælestis.

Miracula D. Augustini.

Quanta, Deum immortalem! illa magni Augustini in seruando orbe vniuerso magnitudo, Seruatoris ipsius Christi assimilanda magnitudini! Nam si Christus effecit vt viueremus, Augustinus effecit vt sani perseueraremus: Si Christus fuit arca Noachi, vt in eo seruaremur à mũdo naufrago: Arca Noachi itidem fuit D. August. in quo seruamur à naufragio Fidei: nec minùs alis sanctitatis & doctrinæ suæ Augustinus vniuersum protexit orbem, à grassantibus Hæreticis, quàm Seruator noster, à rugientis leonis potestate, vi tamen superiore, liberauit. *Magnus Augustinus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.*

Augustini cum Christo comparatio.

6\. Magnus quoque à laude Sanctorum, Pontificum, Conciliorum, Imperatorum, necnon etiam Hæreticorum, Sanctus Paulinus epist. 31. ad Augustinum, eum vocat sal terræ, lucernam, atque æterni fontis venam, *O verè sal terræ*, inquit, *quo præcordia nostra ne possint seculi vanescere errore, condiuntur. O lucerna, dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis Vrbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet Hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis, à confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas.* Et post pauca, *Os enim tuum, fistulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni meritò dixerim, quia fons vitæ aquæ salientis in vitam æternam Christus effectus est. Cuius desiderio, sitiuit in te anima mea, & vbertate tui fluminis, inebriari terra mea concupiuit.* Et alibi, *Augustinus*, inquit, *subtiliùs omnibus volans, omnia reserauit, & ideò meritò Angelus, non naturâ, sed gratiâ nuncupatur.* Possidius in Epistolâ ad Macedonium, *Augustinus homo cælestis, imago Diuinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyssus sapientiæ, præco virtutis, enucleator Diuinorum eloquiorum, inquisitor prædictorum. Augustinus par Angelis in feruore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum reuelatione; par Apostolis in prædicatione; par Martyribus in desideranda passionem: par Confessoribus in disciplinæ traditione, & par Virginibus in continentiæ obseruatione*, & concludit, *Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, adhuc non essent sufficientes ad laudandum tantum Patrem & Doctorem.*

Aug. sal terræ, lucerna, fontis vena.

Aug. dictus Angelus.

Aug. encomia.

Diuus Hieronymus Epist. 25. ad Augustinum: *Macte virtute*, inquit, *in orbe celebraris; Catholici te Conditorem antiquæ rursum Fidei venerantur, atque suspiciunt*, & paulò antè, *absque tui nominis mentione, ne vnam quidem horam præterire patimur, qui contra flantes ventos ardore Fidei perstitisti.* Diuus Hilarius Episcopus Arelatensis, Epist. ad Amatum, *Doctor excellentissimus Augustinus, defensor fidei nostræ, in Diuinâ meditatione semper assiduus, metu mortis intrepidus, destruxit sacrilegos, atque superauit Hæreticos.* Diuus Bernard. serm. 8. in Cant. Vocat eum malleum Hæreticorum. Diuus Remigius. *In exponendis sacris Scripturis, alij Doctores comparantur stellis, Augustinus Soli; nam sicut stellæ lumen à Sole recipiunt, sic omnes Doctores lumen recipiunt ab Augustino*: atque ita (vt diximus) Doctores magni, suam magnitudinem in Augustino consequuntur. Diuus Isidorus lib. 4. Etymologiar. *Magistrorum omnium studia, Augustinus, ingenio & scientiâ vicit.*

Conditor antiquæ fidei.

Sanctus Vincentius Ordinis Sancti Dominici serm. de Sancto Augustino ait, Potest de eo verificari vna propheria Zachariæ, quem Angelus suscitauit à somno dicens, *Quid tu vides? & dixit, vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud.* cap. 4. Nota: candelabrum aureum est Augustinus: alij Doctores dicuntur lucernæ, *Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit, neque sub modio*: & ad literam, Christus vocat quemlibet Doctorem, lucernam, sed super candelabrum, scilicet Beatum Augustinum. Quare audeo dicere, quòd omnes Doctores, qui venerunt post eum, sustentantur super eius doctrinam sanctam, puram, Catholicam, auri purissimi, sine errore falsarum opinionum: & quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere vnam auctoritatem B. Augustini, hæc ille. Ecce autem vt ipse quoque censeat in magno Augustino,

Zachar. 4.

Aug. candelabrum aureum. Doctores alij lucernæ.

stino, fieri Doctores magnos, ipsum autem esse in Deo magnum.

Doctores in Augustino sunt magni

Sic Doctor Angelicus in Augustino magnus effectus est, atque ita magnus, vt Possidonius in Augustino dicat, quod meritò vocari possit Augustinus alter, quæ est laus maxima D. Thomæ. Accedit Ambrosius Coriolanus in Apologiâ pro Ordine Eremitar. S. Augustini, in tract. cui titulus est, Augustinus fuit imago Trinitatis, vbi disertè probat eum præstantiorem cæteris mortalibus Trinitatis imaginem extitisse, idque ex intellectus & ingenij acumine super omnes cæteros præstanti, inquit de Lacerdâ Ribadeneira, qui de S. Augustino inquit, Doctor magnorum Doctorum, à Deo doctus, homo qui de fonte Diuinitatis bibit, ter sanctus inter doctos, & ter doctus inter sanctos, Cherubim per scientiam, & Seraphim per amoris ignem.

D. Thom. alter August.

Aug. Trinitatis imago singularis.

7. Quare rectè Diuus Gregorius de Augustino, de magno magnus, Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini opuscula legite, & ad comparationem similaginis illius, nostrum furfurem non quæratis, ita Diuus ille, lib. 8. Registri, cap. 37. & epistolâ ad Præfectum Asiæ, Beati Augustini compatriotæ opuscula legito, ad comparationem illius similaginis, nostrum furfurem non quæratis. Ioannes Pontifex Romanus lib. de duabus naturis in Christo, Augustini doctrinam, secundum Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & seruat Ecclesia. Cælestinus PP. tom. 1. Concilior. ad Episcopos Galliæ, Augustinum sanctæ recordationis virum, nunquam sinistræ suspicionis saltem rumor inspersit. Martinus V. Pontifex Summus, serm. de Translatione S. Monicæ, Si veritatem quæritis, inquit, si doctrinam, si pietatem, quis doctior, quis iustior, quis (vt ita dicam) sanctior Augustino? & paulò pòst, Augustini tanta extant ergà omnem Ecclesiam beneficia, vt nulli penè, (vt ita dicam) Sanctorum, maiora merita debeamus. Quidquid enim simul omnes Apostoli plantauerunt, quidquid Apollo, atque alij Apostolorum sectatores rigauerunt, hic coronauit.

Magnus à doctrinâ Augustinus.

Concilia, magnum prædicarunt: Conc. 5. generale: Sequimur per omnia Augustinum, & suscipimus omnia quæ de rectâ fide & condemnatione Hæreticorum exposuit. Conc. Florentin. Augustinum illustrissimum Latinorum Doctorem, quinta Synodus consecrabit. Et in ipsis Concilijs magnus: præfuit enim Concilio Carthaginensi, vbi 286. Episcopi conuenerant, & posteà Mileuitano.

August. doctrinam probat Ecclesia.

A legatione magnus, cum namque Zozimus PP. anno salutis 418. Cæsaream Mauritaniæ Ciuitatem cum Legati munere misit, vbi cum Emerito Donatista illius loci Episcopo, disputatione habitâ, plurimos abusus sustulit, qui erant maximè circa Missæ sacrificium, vt videre est Epist. 157. ad Optatum. Et serm. 25. de tempore. Legatione quoque functus est ad Honorium Imperatorem contra Donatistas, qui multos Catholicos, sacrorum præcipuè librorum exustione, diuexabant.

Hinc etiam magnus ab Imperatorum laude, ad quem scribens Theodosius Imperator, atque ad Ephesinam Synodum per Magistrianum Imperatoris à Cubiculis, & Carthaginensem Legatum, inuitans, inter cætera inquit, *Nunc igitur te, qui rebus in omnibus lumen es orbis Christiani, quique idem terror & hostis omnium sectariorum, qui sub oculis tuis comparere verentur; te, inquam, rogamus, quàm possumus studiosissimè, vt Ephesi te sistas, quæ in vrbe, locus est Concilio quod habebitur, designatus. Data fuerunt Romæ, Basso & Antiocho Coss.* Non accepit Augustinus, obierat enim extremum diem, vbi ad Africam peruenerunt; redditæ autem sunt Capreolo, Primati Carthaginensi.

Aug. lumen orbis Christiani.

Hæretici quoque ipsi, Diuum Augustinum suspiciunt, impulsu veritatis, quæ ex inuitis interdum erumpit pectoribus: In scholâ nostrâ, inquit Philippus Melanchton declamatione in Sanctum Augustinum, gratam Augustini mentionem esse decet, cuius doctrina, cùm sit necessaria Ecclesiæ, meritò Augustinum amare debemus, qui cælestem illum thesaurum præcipuè conseruauit. Caluinus quoque lib. 3. Institut. cap. 3. Nec opus est, inquit, laborando inuestigare, quid Doctores senserint, quando vnus Augustinus ad id sufficere potest: ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi voluerint.

8. Augustinum suspiciunt Hæretici.

Neque illius vitæ limitibus solùm, admensa eius magnitudo fuit, sed ipsa se etiam post mortem extendit, quod ex corde ipsius patet. Cor namque tam amorosum inclyti Doctoris Augustini Sigisberto Episcopo ab Angelo redditum, atque in vasculo crystallino asseruatum, quoties Beata Trinitas coram eo nominabatur, vel liber ejus de eadem conscriptus expandebatur, notabilibus subsultibus exiliebat; quod sanè nulli adscribendum potentiæ quàm Diuinæ, vt cor exanime, motus vel intelligentis naturæ haberet. Idem facere solitum refert liber qui inscriptus est Panis quotidianus Anagniæ impressus anno 1509. in Missâ, ad recitationem horum verborum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*? Quid multa? magnum Magni Augustini cor, etiam multis sæculis post fata, illo subsultu, illa exultatione clamat, quantùm cor & caro viuentis, exultarint in Deum viuum: clamat magno miraculo exultationis suæ, quæ viuus, voce & calamo, de Sanctissimâ Triade, nobis tradidit: illo motu, tanquam linguâ & calamo loquens quæcunque erant in corde suo, veluti de Reginâ Sabâ scriptum est, 2. Paralip. 9. Ad cuius mutas voces, & iubilationis saltus, contremiscerent Hæretici, & velut connitentes oculi ad aspectum Solis ferientis obcœcarentur, eliderenturque. Nunquam enim, vt habet Hieronymus Romanus noster, 1. parte Chronicor. Eremitici Ordinis cap. 35. Ecclesia in quâ cor erat Sancti Augustini, Hæretici hominis ingressum passa est, qui aut in vestibulo non caderet, aut intus non occumberet: indeque ortum, vt sub illis temporibus cordis imago sculpta aut picta proponeretur, multis hinc & inde, sub eius cuspide, prostratis, & profligatis Hæreticis, sicut scribit Ioannes Gonzales de Critanâ, epitomes historicæ cap. 8. §. 1. Meritò ergo *Magnus Augustinus & laudabilis valdè, & magnitudinis eius non est finis*, quem cùm magnum coram appellauit Dominus istis, innumerisque alijs titulis, magnum pronuntiauit vt & nos afflante numine, ad illius imitamentum, quantum accedere dabitur, magni formemur in Deo.

9. Aug. etiam post mortem magnus.

Cor August. Sigisberto accepit diuinitus.

Cordis D. Aug. subsultus miri.

Cordis Aug. imago sub qua prostrati Hæretici.

Capitis 26. §. 2.

Quæ Christo sunt, communia, ista nobis quoque communia.

VT multorum denique Nominum Diuinorum participatam similitudinem præterea pergo

1. Christus homo factus, & homo fit quia Christus est.

10. Nomina diuina non sunt synonyma.

Ex quibus tamen non sequitur, diuina nomina in Deo esse synonyma, quanquam vnam, eandemque rem simplicissimam significent, quæ omnes omninò creaturarum perfectiones, longè excellentiori, quam in illis ipsis affectas gradu suæ magnitudinis ambitu vnitè complectatur. Cuius quidem ea ratio à Theologis assignatur, quia rem illam summè vnam ac simplicē, neque sub vna eademque ratione, neque sub vno eodemque conceptu significant, sed sub diuersis. Licet enim id quod nominibus attributorum diuinorum indicatur, vnum idemque sit actu & reipsâ in Deo, ratione tamen distinguitur, Diuo Thomâ interprete 1. parte quæst. 13. art 4. & 12. prout & nominibus diuersis significatur, atque à nobis concipitur. Fundamētum autem distinctionis diuinarum perfectionum, est earundem distinctio virtualis. Etsi enim horum attributorum perfectiones, res vna simplicissimaque sit; discretionem tamen virtualem possunt admittere, eatenus, quatenus tantæ perfectionis res ea est, vt pluribus conceptionibus nostris terminandis sufficiat: atque infinitatis suæ ratione, satis superque sit ad ea omnia, ad quæ sufficerent distinctæ & variæ perfectiones, si quæ eiusmodi, actu distinguerentur in diuinis.

Deus est sua magnitudo.

Redeo ad magnum Deum, de quo auctor Speculi apud D. Augustinum cap. 11. *Magnè igitur, summeque est, quod incomprehensibile, & omnium præcellentissimum est, Deus,* magna omnia seipso, qui sibi est sua magnitudo, continens. *Magnus est, non mole, sed virtute,* inquit D. August. epist. 3. ad Volusianum: nec mensurari, nec circumscribi potest, quia, vt ait D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 12. *ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia: & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continent, extra circūdans, interiùs penetrans; vnus idemque, totus vbique,* & magnitudinis eius non est finis. Hinc D. Augustinus in Psal. 103. *Quia et id quod es, & verè es, vtique magnus es, & magnitudo tua sempiterna est, nec cœpit, nec desinit, nec ab initio temporis incipit, nec vsque ad finem temporis excurrit, nec in medio aliquid patitur, incommutabilis enim magnitudo est.* Magnus auctoritate, quia rex regum, & dominus dominantium.

Iob. 36. Rom. 11. Psal. 46. Tob. 13. Psal. 85. Iob. 37.

Verè & solitariè magnus sapientiâ: Iob. 36. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram:* & ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei:* magnus in possessione. Psal. 46. *Rex magnus super omnem terram:* magnus æternitate: Tobiæ 13. *Magnus es Domine in æternitate.* Magnus à rerum gestarum magnitudine: Vates regius psal. 85. *magnus es tu, & faciens mirabilia.* Et Eliud Iob cap. 37. *Faciens magna & inscrutabilia:* magnus prouidentiâ & consilio: D. August. epist. 3. ad Volus. *Qui prouidentiâ suâ meliorem sensum, magis formiculis & apiculis dedit, quàm asinis & camelis.* Ierem. cap. 32. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Nominis sui famâ magnus, Propheta regius Psal. 75. *In Israel magnum nomen eius.* Magnus dominio, quia regnum omnium sæculorum habet. Psal. 134. *Magnus est Dominus & Deus noster præ omnibus Dijs.* & Psal. 94. *Magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos.* Apollinarius,

Ierem. 32. Psal. 75. Psal. 134. Psal. 94.

Κλειτὸς ἄναξ μέγας ἐν λαοῖσι, θεοῖσί τ' ἀγητός.
Inclytus Rex magnus in populis, Dijsque mirabilis.

Psal. 98. 1. Paralip. 16. Isa. 45. Psal. 89.

Magnus potentiâ, vno verbo creans cælum & terram & omnia quæ in eis sunt. Magnus nominis sui obseruantiâ & honore. Vates regius psal. 98. *Dominus in Sion magnus.* 1. Paralipom cap. 16. *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* & Isaiæ 45. *Mihi curuabitur omne genu.* Magnus iustitiâ, Psal. 89. *Quis nouit potestatem iræ tuæ?* hoc est, iustitiæ vindicis, inquit Salmeron historiæ Euangelicæ tomo 3. tractatu 11. *Et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Magnus terrore, Citharedus diuinus psal. 88. *Magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.* Magnus in misericordiâ psal. 129. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio:* & psal. 85. *Misericordia tua magna est super me.* Magnus in medio Sion, propter dilatatam Ecclesiam, Isa. 12. Magnus in gloria, 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitat inaccessibilem,* & psal. 20. *magna est gloria eius.* Semper magnus, etiam occultus & magnus nobis apparet, quum se manifestat; Eliud Iob. 37. *Magnus fortitudine, & iudicio, & iustitiâ, & enarrari non potest,* in quem locum D. Gregorius lib. 27. Moralium, *Fortitudine magnus, quia aduersarium fortem superat, & de domo illius, vasa contumeliæ auferens, in misericordia vasa permutat. Iudicio, quia etsi hic electos suos per aduersa deprimit, eos quandoque in gloriâ æternæ prosperitatis extollit. Iustitiâ, quia etsi hic diu tolerat, quandoque tamen reprobos sine termino damnat. Et enarrari non potest; qui enim dignè sentiri non valet, quantò minùs dici?* Etenim, vt Diuus Augustinus inquit, *Non esset magnus, si ab homine posset explicari:* pergit Diuus Gregorius, *Sed meliùs hunc vtcunque dicimus, si sub considerationis eius formidine, admirando taceamus.*

Psal. 88. Psal. 129. Psal. 85. Isa. 12. 1. Timoth. 6. Psal. 20. Iob. 37.

11. Magnus in Triade Deus.

Magnus in sacrosanctâ Triade Deus, in quâ nihil maius aut minus, nec magno Patre, minor Filius, nec magno Filio maior Pater, vti nec bono melior, quia non vni solum Patri, sed Sanctæ Trinitati dictum est, *Tu es Deus solus magnus:* vnde Diuus Augustinus libro 5. de Trinitate, capite 8. *Non enim de Patre solo, sicut illi peruersè sentiunt, sed de Patre, & Filio, & Spiritu sancto dictum est, tu es Deus solus magnus.* Et licet filius, paruus sit factus, vt sub carnis pusillitate, robor suum potentiæ occultaret diabolo, atque propterea minor patre, sicut ipse dicit, *Pater maior me est,* Ioan. cap. 14. tum quia paruulus natus est nobis. Isa. 9. tum quia paruulus tam indigna passus pro nobis; tum quia in Iudæorum impiè grassantium in eum, oculis abiectus, *Factus est opprobrium hominum, & abiectio plebis,* Psal. 21. *& cùm iniquis deputatus est.* Luc. 22. inter nefarios in crucem extortus voce clamantium, *Crucifige, crucifige eum,* Marci 15. magnus erat tamen in se, in suâ magnâ diuinitate: & magnus in arduis istis operibus, mundum in seipso reconcilians Patri: & nobis factus est magnus ex paruo (verbum enim Domini abbreuiatum est) instar lapidis parui, qui excisus de petrâ sine manibus, creuit in montem magnum Ecclesiæ suæ: *Quare noli contemnere paruum, tam multa passum,* inquit D. Augustinus? *paruus factus est, quia parui eratis: intelligatur magnus, & in illo magni eritis. Quid dictura est lingua parua ad laudandum magnum?* Magnus igitur est Iesus meus, nos autem parui, quia positi sub peccato: nam licet paruulus natus sit nobis, hoc tamen in similitudine absque peccato: vnde Gabriel Archangelus incarnandi Verbi preco. Luc. 1. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Magnus, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Magnus, quia venit ad eum Princeps mundi, nec quidquam in eo inuenit: magnus magnâ conceptione, integrâ, & sanâ, qua non fuerunt magni illi, qui priusquam adesset qui verè magnus est, ad comparationem reliquorum hominum etiam sanctorum, magni dicti sunt, veluti Moises, qui dictus est magnus Exod. 11. velut Ezechias, *qui proficiebat valde, quousque factus est magnus valde:* 4. Reg. 18. velut Isaac: velut Ioannes Baptista, qui ob virtutum, donorumque Dei excellentiam, quibus gratus acceptusque erat Deo, dicitur *magnus coram Domino,* Luc. 1. quan-

Ioan. 14. Isa. 9. Psal. 21. Luc. 22. Marci 15.

Deus factus est nobis magnus ex paruo.

Luc. 1. 4. Reg. 18. Luc. 1.

1. quanquam tamen nemo ex illis magnus, postquam aduenit Christus, propter quod dicebat Ioannes, *Illum oportet crescere, me autem minui*: Ioan. 3. erat quippe sui magnitudine verè magnus, non ex cæterorum comparatione: & magna illius anima crescebat, propter magna & ingentia opera, quæ in nostro pusillculo, in nostro folliculo patrabat, *Quia proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.* Luc. 2. quomodo & animas nostras magnas fieri, per arbitrij nostri libertatem magnis intentam virtutum operibus, desiderabat Apostolus ad Ephes. 4. *Donec omnes occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Qui solus verè magnus infinitâ magnitudine est, & mensura magnitudinis nostræ.

Ioan. 3. — Luc. 2. — Ephes. 4. — Deus est mensura nostræ magnitudinis.

Alexander Seuerus, Imperator creatus, quum vix annos sedecim natus, ob eximias dotes, magnificis titulis à Senatu honoraretur, in animum nunquam induxit, vt se Magnum, & Patrem patriæ cognominari pateretur, teste Lampridio: & meritò, quia solus Deus magnus, solus τρισμέγιστος, neque solùm τρισμέγιστος, sed infinities maximo maior. Magnus Deus, ter optimus, ter maximus, & ideò solus, quia optimus, quia maximus. Paulus Iurisconsultus l. 161. de verborum significationib. testatur, illa verba, *Optimus maximusque est*, in eum cadere, qui solus est; sicut & circa dictum prætoris, supremæ tabulæ habentur, quæ solæ: & in fundis, ædibus, agris, *Maximi* vox, eam habet potestatem, vt immunem liberùmque seruitute significet, cui adhæserit: *fundus* enim vti optimus maximusque sit qui traditur, seruitutem non debere censetur, non actum, non iter, non aquæductum, aut haustum, non passioné, & cætera huiusmodi, in quibus hæret nomen seruitutis. ita loquitur Celsus, l. cùm venderes. ff. de contrahendâ emptione. *Cùm venderes*, inquit, *fundum, non dixisti, vt optimus, maximusque est, verùm, quod Quinto Mutio placebat, non liberum, sed qualis esset, fundum præstari oportere.*

Alex. Seuerus magni nomen respuit. — Optimus, maximus dicitur de eo qui solus est. — Tabulæ supremæ, quæ solæ. — Fundus opt. max. seruitutem non debet.

Ita Deus optimus Maximus ex omni antiquitate dictus, quòd solus & supremus, nulli seruitutem debeat, quia supra se magnum nô agnoscit, sed est omnium Dominus dominantium, magnus magnorum, rex regum, per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, coram quo gentes, & gentium regna, sic sunt quasi non sint, & pro nihilo deputantur: Magnus enim ille, qui & optimus maximusque fecit hæc omnia.

Opt. Max. Deus, quia solus, supremus.

11. Neque hoc tantùm nomine magnus, quòd & mundum illum, quem solâ mentis intelligentiâ consequimur, & hunc ipsum quem sensu percipimus, ex abyssis nihili produxerit, atque fecerit emergere, ipse improductus mundus diuinitatis, ideas omnium mente gerens: sed ob id maximè, quòd magni atque superessentialis, consubstantialis & coæterni, eiusdem naturæ & potentiæ, ac omnium rerum parentis, & architecti filij Verbi, sit Pater Magnus: vt maximum sit Patri, & ad laudem & gloriam eius amplissimum, à magnâ essentiâ suâ, magnum singulariter generatum esse filium: magnum præclarumque sit filio, à magnâ diuinitatis paternæ radice, eiusdem substantiæ, & potentiæ filium promanasse, id quod cecinit D. Gregor. Nazianzenus Carmine 2. de filio, in hunc modum.

11. Magnus Deus à rebus conditis. — Magnus à generatione Verbi.

Οὐδὲν ἔην μεγάλοιο πατρὸς πάρος· ἐς γὰρ ἅπαντα
Ἔντος ἔχει, καὶ πατρὸς ἀπήορος· εἶσιν ὁ πατρὸς
Ἐκπεφυὼς μεγάλοιο Θεοῦ λόγος· ἄχρονος υἱὸς,
Εἰκὼν ἀρχετύποιο, φύσις γεννήτορος ἴση.
Πατρὸς γὰρ κλέος ἐστὶ πάϊς μέγας.

Nil erat ante Patrem magnum, nam cuncta coërcet
Complexu ille suo, à magno pendetque parente
Editus ex illo Sermo, qui temporis expers,
Effigiem in sese Patris exprimit, radians & illi
Par est natura: namque inclyta gloria Patris
Filius est magnus.

Quemadmodum enim ex Patris maiestate, gloria filij, ita magni Patris gloria, à magno filio: & sicut magnus Pater complexu suo coërcet omnia, velut idem præclarissimum Græciæ lumen inquit,

Ὡς Θεὸς, ὡς (κόσμου) γενέτης μέγας.
At sanè magnus Deus est, orbisque Creator.

Magni Patris gloria à magno filio.

Atque condita quæque, antequam efficerentur, perspecta, explorataque habet; ita magnus filius *Verbum*, cuius sunt ea quæ Patris sunt, essentia, scientia, potentia, eodem modo quo Pater omnia continens, omnia cernit, omnia potest, & quæ vult cum Patre filius, & cùm filio Pater, summâ sapientiâ facit, vnde exclamat succentor diuinus, Psal. 90. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientiâ fecisti, impleta est terra possessione tuâ.* Hoc est, teipso, qui cælum & terram imples, qui es possessio & hæreditas, & multa merces electorum tuorum, magna merces electi tui Abrahæ Gen. 15. *Ero merces tua magna nimis*: qui & ipse possessio tua, quia factus est in gentem magnam, quam possides in filio tuo vnigenito, non sicut seruituti subiectam, sed liberam, hæredem Dei, cohæredem Christi tui, vt impleatur terra viuentium, homo scilicet rediuiuus, de te solo viuens, de te solo diues, possessione tuâ, quæ es ipse Deus, cuius terra hæc temporum substrata vicissitudini, non est capax: cuius vnus hominis animus in terrâ viuentium, in terrâ, inquam, viuentis animæ & Dei in animâ, in rediuiuâ carne magis capax. vnde & implebitur terra, possessione tuâ magnâ, à te, de te, per te, & in te; qui magnus es, qui tibi ipse locus es; qui ipse teipso plenus, & ante omnia in teipso tibi sufficiens; modò autem alienam indigentiam, solitudinem, inanitatemque complens, à nullo contentus & omnia continens, vtpote vnus & solus magnus, vnus & solus optimus maximus, essentiæ tuæ vi, non participatione magnitudinis, vnus, inquam, & totum ipse ens, vt inquit Philo Iudæus, lib. 1. legis Allegoriarum, cui magna gloria in sæcula.

Psal. 90. — Gen. 15. — Homine de solo Deo diues, & viuens. — Homine beatificato impletur terra possessione Dei.

CAPVT XXV.

Quomodo Dei appellatio creaturis attributa?

1. Nunc videndum, quomodo Dei appellatio, alijs præ Deo, sit communicata. Nomen est naturæ diuinæ, Deus, sicut diximus suprà: ad eam significâdam, impositum; quæ vt est incommunicabilis substantia; ita & nomen eius in hac eminenti significatione, alijs à Deo, prorsus est incommunicabile, id quod aduertit Sapiens cap. 14. Sap. quum idololatras *incommunicabile nomen lapidibus & lignis*, imposuisse dicit. Quia denique nomen quod indiuiduum quoddam alicuius naturæ significat, nonnisi secundum quandam similitudinem, non verò propriè, multis communicari potest; naturaliter Dei nomen, vlli creaturæ tribui nequit, sed solùm metaphoricè. Neque tamen omni prorsum creaturæ, etiam hoc modo communicari potest; verùm ijs tantummodo qui factoris sui imitamentum, virtutum illius exempla, quantùm humanitus datur, diuinâ adiuti

1. Nomê, Deus quomodo incommunicabile. — Sap. 14. — Nomen Dei iustis tãtum communicabile per metaphorã.

suti gratiâ, in sese exprimunt. Quod non ignorauit Apollonius apud Philostratum, lib. 8. illius vitæ. cap. 5. qui interrogatus, quare appellaretur Deus, respondit, *Vir omnis qui bonus existimatur, Dei cognomine honoratur.* Quapropter, dæmones & idola, falsò & iniustâ vsurpatione Deos appellari, manifestum est. Angelos verò, & mortalium complures, nuncupatiuè, rectè Deos dici, nominis quidem diuini, non autem eiusdem naturæ translatione. Sic Dij dicuntur sancti, antiqui patres, sacerdotes, iudices, prædicatores, sublimes, & sapientes. Exod. 21. & 22. 1. Reg. 6. psal. 134. & 135. & Dij sunt, qui quoad eius fieri potest, mortalia omnia repudiant, quorum quidem animus, rectus, bonus, magnus: nam hunc, quid aliud vocas, inquit Seneca, epistolâ 31. *quàm Deũ in humano corpore hospitantem?* & ne qua conditio illi occlusa putetur, addit, *Hic animus tam in equitem Romanum, quàm in libertinum, quàm in seruum, potest cadere. Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut seruus? Nomina ex ambitione aut ex iniuriâ nata. Subsilire in cælum ex angulo licet: exsurge modò, & te quoque dignum finge Deo. Finges autem, non auro non argento: non potest ex hac materiâ, imago Dei exprimi similis:* ex virtute potest, latiùs §. 2.

Homo rectus, bonus, magnus, Deus est in humano corpore.

Capitis 25. §. 1.

Idola & dæmonia, Dij vt dicantur.

1\.

Idola errore gentium Dij nuncupantur.

Errore mortalium, & hostis vniuersorum fraude, dæmonijs, idolisque Dei vocabulum inditum est, ita D. Anselmus in cap. 1. epist. ad Roman. *Nomen Deitatis est incommunicabile creaturis, quoniam solus Creator, propriè & verè Deus nominatur: sed gentiles in mendacium mutarunt veritatem Dei: Veritas enim Dei, quòd ipse veraciter Deus sit, quam veritatem vertit in mendacium, qui idolum dicit vel putat esse Deum.* Illi sunt Dij gentium de quibus Cantor regius psal. 95. *Omnes Dij gentium, dæmonia:* de quibus quum dixisset gentium Apostolus 1. ad Corinth. 8. *Siquidem Dij multi, & domini multi.* Pòst appellat simulacra muta. cap. 12. Allusit Diui Hieronymi in versiculum Dauidicum interpretatio, *Dij,* inquit, *populorum, sculptilia,* quod alij reddunt *Idola*, alij sic, *Omnes Dij populorum vani sunt,* Hebraicè אלילים *elilim,* quasi אלמים *illemim,* idola muta: aut אל אלים *el elim,* non *Dij, nihili, & Dij ficti,* tales sunt gentium Dij, ficti sunt, & simulacra inania, vanitates, meræ nugæ res nihili, vacuitates, inutilia, statuæ, mendacia. אליל *elil,* enim, redditur in singulari ab interpretibus, quod est, mendacium, fraus, augurium idolum.

Psal. 95.

1. Cor. 8.

Dij gentium nihil, & mẽdacia.

Quod autem Paraphrastes in illum psalmum ait, *omnia quæ timent populi, idola sunt,* gentiles diuinitatem quandam suis idolis receptam existimasse ostendit, atque virtutem quam timerent, quæ fuit Iamblichi lib. de mysterijs opinio, dicentis *Statuis, diuina quædam illustratio capitur.* Quò spectat apud Sozomenum Ecclesiasticæ historiæ lib. 7. cap. 15. illud Olympij pagani philosophi, qui cùm suos, ob eiecta è Serapidis templo simulacra, consternatos esse videret, hortabatur bono animo essent, & non à suâ religione deficerent, asserens imagines ac statuas, nihil aliud esse quàm materiam corruptibilem, ac proinde ad nihilum potuisse redigi, inhabitasse autem his, virtutes quasdam, & eas iam in cælum auolasse.

Idolis diuinum quid subesse putatum est.

Olympius paganus.

Hinc fluxit idolorum cultus ex opinione nempe diuinitatis existentis per coniunctionem quandam in statuis, mentientibus illam dæmonijs præstigiatoribus atque illusoribus; aut etiã ratione hominum, quos illæ referebant, quique ob vitæ maiestatem, Dij habebantur.

2\. Cur autem Dij gentium dæmonia appellentur, ea ratio conferri potest, quia quidquid creatum coluere gentes, dæmone auctore coluerunt, atque an dæmon esset, ignorantes, statuis inanimis diuinos honores deferebant, persuasi diuinum quidpiam statuis infundi, quas statuarius, opere expolito formatas, sub Numinis figurati appellatione exhibuisset: faciente ad populorum opinionem dæmone, qui vt venerationem Deo vero debitam, in se transferret, eas inhabitabat: atque vt finem suum faciliùs consequeretur, eos qui se colerent, malè habebat; humani corporis, nunc hæc, nunc illa membra arcano officiens ac torquens dolore, cuius vi præstricti, cùm aliàs occulta essent remedia, ad statuas adoraturi prouocarentur, ibique Numinis existimati, ope implorata, atque doloris subsecuto leuamine, malè affectam partem sanare dæmon crederetur, quum nocere desineret, proptereaque & amaretur, & timeretur. Id quod grauiter & elegãter disseruit D. Cyprianus Martyr, de Idolorum vanitate, totidem verbis. *Spiritus insinceri & vagi, qui posteaquam terrenis vitijs immersi sunt, & à vigore cælesti, terreno contagio recesserũt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & Poëtæ, dæmonas norunt, & Socrates instrui se & regi, ad arbitrium dæmonis prædicabat.* Vbi sententiæ insistit eorum, qui, quod 6. Geneseos dicitur, filios Dei sumpsisse sibi vxores filias hominum, apostatas Angelos intellexerunt, veluti Tertullianus, Lactantius, & alij Cypriano vetustiores: quam sententiam multis argumentis reprobant, D. Chrysost. in Commentar. & D. Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei. cap. 23 dicamus itaque illos spiritus insinceros, vitijs immersos, à vigore cælesti, peccati contagio recessisse. *Hi ergò Spiritus,* inquit Cyprianus, *sub statuis, atque imaginibus consecratis delitescunt: hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant: auium volatus gubernant: sortes regunt; oracula efficiunt; falsa veris semper inuoluunt: nam & falluntur, & fallunt. Vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt; vt ad cultum sui cogant, vt nidore altarium, & rogis pecorum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela; quum illorum cessat iniuria: nec aliud illis studium est, quàm à Deo homines auocare, & ad superstitionem sui, ab intellectu veræ religionis auertere; cùm sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes.* Quid? quòd statuarius ipse, quod vanitatis est quàm maximæ argumentum (obliuione dicam, an cœcitate?) operi à se effecto, pòst blandiebatur, & vt Deum immortalem colebat id, quod ipse mortalis, tanquam parens & architectus, propriâ formauerat industriâ.

2\.

Dij gentium cur appellentur dæmonia.

Dæmones homines nocent.

A Deo homines auocant.

Statuarius opus suum adorat.

Verùm hinc facessat dæmonum impuritas, apage dæmonia, nusquam deinceps Dei appellatione commemoranda, latè effuso in omnes orbis plagas, tanquam vnguento pretioso, Dei & Iesu Christi filij eius nomine, tremendo inferis, cælo, terræque venerando, colendo: in cuius virtute dæmones adiurati à nobis, *Statim cedunt,* inquit ibidem D. Cyprianus, *& fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostrâ voce & operatione maiestatis occultæ, flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari; vnde veniant, & quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri; & vel exsiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat. Hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, vt nos odisse incipiant homines antequam*

Iesu Christi nomine effuso, expulsa & territa dæmonia.

quam nosse; ut cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.

Capitis 25. §. 2.

Vt homines & Angeli, Dij appellentur.

1. Cælestes virtutes, vt Dij vocentur.

DE alijs rebus & virtutibus cælestibus, dicitur Deus nuncupatiuè, vt loquitur D. Gregorius hom. 8. in Ezechiel. siue abusiuè, vt Origenes in cant. ait, apud D. Hieron. tomo 7. Et hoc ipsum varijs modis. Primò quidem adoptionis ratione, vti apud Psaltem regium psal. 81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes*: & Eustathius scribit θρόνος ἀνδρῶν, appellatos Θεούς, ad diuinitatem, quàm proximè fieri potest, accedentes, per adoptionem, nimirum, & gratiam, non per naturam, sicut Verbum Dei, qui Deus est super omnia, inquit prædicator gentium ad Rom. 9. quod sic explicat D. Gregorius homil. 8. in Ezechiel. *Vt ostenderet Christum esse Deum naturaliter, & non nuncupatiuè, Deum super omnia appellauit, vt sic nuncupatiuum ab essentiali discerneret; quia qui nuncupatiuè dicitur, Deus inter omnia appellatur: qui verò essentialiter, Deus super omnia. Quorum Patres*, inquit D. Paulus, *ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula*. Et Faustinus lib. de fide contra Arianos cap. 2. ex duplicis sinus differentia, Patris, scilicet, & Abrahæ, duplicem hanc filiationem adstruit, *Filius Dei, est Deus*, inquit, *non tamen nuncupatiuè, sed naturâ, qui etiam in sinu Patris est, filij adoptiui, in sinu Abrahæ sunt*.

Psal. 81.

Rom. 9.

Filius naturalis in sinu patris, adoptiuus in sinu Abrahæ.

Id quod, quamuis prædestinatis maximè conueniat, sicut docet D. Augustinus, conuenit nihilominus etiam reprobis, secundum præsentem iustitiam, in quâ interdum reperiuntur, & omnibus indefinitè potestas data est, filios Dei fieri, Ioan. 1. & 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.*

Ioan. 1. & 1. epist. 3.

Et quamuis Angeli etiam Dij appellentur, & filij Dei Iob. 1. non naturâ tamen, *cui enim Angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu?* ad Hebr. 5. sed nuncupatiui Dij sunt, per quandam participationem, inquit D. Tho. in 1. caput ad Hebr. lect. 3. & adoptionis gratiam, quam eodem Angelico Doctore teste 3. parte quæst. 13. primò receperunt: & psal. 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*, vbi Chaldæus interpres Angelorum choros ad diuinas laudes prouocari dicit.

Iob 1. Hebr. 1.

Angeli Dij dicuntur.

Psal. 28.

2. Expressiùs tamen homines Dij appellantur, inquit D. Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei, cap. vltimo, cuius assignat rationem, videlicet, *Ne propter Angelorum excellentiam, aliquem eorum nobis constituere Deum, infidelis auderet infirmitas, quod in homine facile est euitare: homines verò id dici audientes de hominibus, certi & fidentes fierent, esse eum Deum suũ, qui dictus est Deus Deorum, quia non sunt dicti Dij Deorum, id est, hominum, Dij immortales illi ac beati, nempe Angeli, si quando eo nomine, quod rarò fit, nominentur.* In quo agnosce hominis ex Dei gratiâ excellentiam, quòd in hac etiam appellatione, sicut & in plerisque alijs, Angelis ipsis præferri videatur. Quin imò Iobius Monachus in bibliothecâ Sanctorum Patrum numero 304. apud Photinum, homines multis nominibus præ Angelis effert, ac primùm quidem, quod Angelorum peccatum fuerit irremissibile; *tum demum, quia si quid euangelizent Angeli, discrepans ab his quæ homo, anathema sit: & quia cùm non sit ausus Michaël Diabolo inferre iudicium blasphemiæ, homini calcare illum licet: & quia homo iudicabit cum Christo, & considebit cum illo, similis illi ac Deo, quod Lucifer frustra appetijt.* Adde, quòd & Angelos ipsos iudicaturi simus: quòd absoluendi à peccatis, & panem vinumque sanctificationis, in verum corpus, & verum Christi sanguinem consecrandi potestas data sit nobis: desperatas ægritudines curandi, mortuos suscitandi, atque innumeræ aliæ virtutes datæ, quas Angelis nusquam legimus fuisse communicatas.

Hominis excellentia, præ Angelis.

Homines calcant dæmones.

Præterea, Dei appellatio tribuitur hominibus, propter eam quam indepti sunt inter mortales dignitatem: quomodo accipiendum illud Exodi 22. *Dijs non detrahes*, hoc est, Prælatis, & in superiori aliqua dignitate & autoritate constitutis: &, *ad Deos vtriusque caussa perueniet*, hoc est, ad iudices, quorum est caussas cognoscere, atque sententiam dicere: quare Dij dicuntur, quia Dei officium agunt in terrâ. Cauetur autem, ne quisquam Dijs detrahat, aut principi maledicat, quia etiamsi eorum vita sit contemptibilis, honoranda tamen dignitas, cuius ratione Plato apud Stobæum sermone de regno, ait, *Nihil esse ita simile Deo, sicut reges.* Et Plutarchus, Principem esse imaginem Dei cuncta administrantis.

Exod. 22.

Iudices Dij dicti sunt.

Princeps est imago Dei.

Huc referri potest ipsa potestas, quæ homini collata, ipsum Dei nomine honorat, quomodo Exodi cap. 7. dicitur Moisi, *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, hoc est, potestatem dedi contra Ariolos, & Deos falsos Pharaonis, in quo verbi Dei præco designatur, qui simili modo est Deus Gentilium. Et hæc potestas Moisi à Deo tributa est, vt sit Deus secundum gratiam, non secundum naturam, inquit D. Hieronymus, quia vnus est naturâ Deus, super omnes Deos. ad cuius appellationis eminentiam, Moisen sua euexit humilitas, quæ, vti Rupertus inquit, lib. 1. in Exod. cap. 25. in cælum volare consueuit: indignum enim se tanto largitionis diuinæ munere iudicans, audire meruit hoc, quod magnificentissimum est, *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, regis regnantis Deum: non quem fideliter adoret, sed quem seruiliter formidet, vt imperes aquis, ranas crees, multaque alia mirabilia opereris, quæ nullus hominum præterea facere potest. Quare Moises reuera Pharaoni datus est Deus, secundum D. Hilarium lib. 7. de Trinitate, dum timetur, dum adoratur, dum punit, dum medetur. Atque ita rectores & populorum præsides, qui quod sui est muneris, debitè exequuntur, Dij vocantur. Hinc colligo, quòd nisi Creatoris iniuria interuenisset, Moisi honori futurum fuisse, quòd absente se quadraginta dierum curriculo, tanquam ib defuncti locum, alium Deum populus ab Aarone postularit, hominem aliquem tanti Imperatoris ductum posse supplere, diffidens.

Exod. 7.

Humilitas in cælum volare solet.

Deum cur sibi in ducem postularint Iudæi, & non hominem?

Postremò autem, sollicitudinis, & appliciti animi ad placita sensuum, ratione, Deos sibi praui mortalium affectus comparant, de quibus Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*, tales enim tantùm sui ventris curam & sollicitudinem gerunt, lautè atque opiparè cutem curantes, vt obliuiscantur Dei factoris sui, cuius, quia proprium est vt sit principium primum & finis vltimus, fit, vt qui pro fine suo aliquid aliud habet, illud sit Deus suus, inquit D. Tho. lect. 3. in 3. cap. ad Philip. Quapropter idololatra etiam fit, quisquis opes, quisquis voluptates suas adorat, suam in illis omnem ponens fiduciam, tanquam in liberatoribus Dijs.

Philip. 3.

CAPVT XXVI.

Vt sua Deus homini communicet.

I. Proprietates suas Deus hominibus communicat.

CÆterum, vt de hac posteriori acceptione taceam; tantus est summi parentis Dei in hominem adfectus, tantus amor, vt cum ex Pythagoreorum sententiâ, amicorum sint omnia communia, vti quoque dicebat Socrates; nomen suum aliaque sibi propria, hominibus amicis suis communicarit, & nostra assumens, & Christo vnigenito suo attribuens in melius commutata, nobis etiam communia fecerit: id quod proximè sequentibus. §§. prosequemur.

Propria autem Dei sunt, vocabulum, Deus; quod illi soli per naturam tribuitur, vt in Deuteron. cap. 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Et cap. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est*; quasi dicat, solus vnus est verus Deus, ens simplicissimum, Dij gentium multi, & ideò non Dij quia multi: quare vide ne si ad multos deflexeris, vnum amittas, qui solus est verus Deus. Hoc interim nomẽ ipse Deus confert Moisi Exodi 7. sicut suprà attigimus, dicens, *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Alij quoque mortalium Dij appellantur, psal. 46. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*, quod de Apostolis dictum interpretari licet: & rursus alibi, *Ego dixi, Dij estis.* Patriarchas quoque amicos suos Abraham, Isaac, & Iacob, in nomen suum composito vocabulo transire iubet, quemadmodum adnotauit Philo Iudæus lib. de Abrahamo, totidem verbis, *Omnes hi amici charique Deo, amantes verum Deum, & redamati ab eo, qui dignatus est (sicut indicant oracula) propter vitam ipsorum probatissimam, communem cum eis appellationem habere. Suum enim nomen copulauit cum illorum nominibus, ex tribus compositum vocabulum sibi vendicans. Hoc, inquit, mihi nomen est æternum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, relatiuum pro absoluto. Et meritò, Deus enim non habet opus nomine. Attamen humano generi suum nomen elargitus est, vt habentes refugium ad preces, & supplicationes, à spe bonâ non excluderentur.*

Deut. 32. & c. 6.

Exod. 7.

Psal. 46.

Bonus, soli Deo per naturam competit. Luc. 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus*: alijs tamen bonitas per gratiam vindicatur, vt quum Lucæ 6. dicitur, *Bonus homo, de bono thesauro cordis sui profert bonum.*

Luc. 18.

Luc. 6.

Sanctitas propria est Dei 1. Reg. cap. 2. *Non est Sanctus vt est Deus, neque enim est alius extra te*: nihilominus etiam nobis ea tribuitur. Exod. 22. *Viri sancti eritis mihi, carnem quæ à bestijs fuerit prægustata, non comedetis, sed proijcietis canibus*, scilicet, mundus munda vult Deus, neque in suo cultu, neque in suorum sanctificatorum vsu, vult esse immunda: siue per carnem prægustatam à bestijs, doctrinam intelligas cum Rabano, aut conuersationem malam, quam dentis sui morsu vel induxerit Dæmon & Hæreticus, vel momorderit, à quibus abhorreant Sancti, oportet, tanquam à fœdo canum cibatu. Nam si vulgò creditum est, eum qui lapidem à cane morsum tetigisset, aut calcasset, iracundiorem euadere, & ad dissidia promptissimum: quod ex Plinio haustum videtur, qui lib. 20. cap. 5. inquit, agens de rabidi canis veneno: *Tanta vis mali est, vt vrina quoque calcata rabiosi canis noceat, maximè vlcus habentibus, &c. minus miretur lapidem à cane morsum, vsque in prouerbium discordiæ venisse*: si, inquam, noxam adferat calcatus, à rabioso cane demorsus lapis, quàm non inferet dente venefico vitiata Sanctorum doctrinâ, si teratur manibus, si mandetur?

1. Reg. 2.

Exod. 22.

Conuersatio mala, est carō prægustata à bestijs.

Iracundior fit qui morsum ab irato cane lapidem tangit. Canis rabiosi vrina calcata nocet.

2. Fortis nomen, soli Deo competit, quoniam omnia per ipsum, & sine ipso ad nihili inanitatem resultant. Iosue cap 24. *Deus noster, sanctus & fortis*: appellatur tamen fortis contra Deum Iacob Genes. cap. 32.

Iosue 24.

Deus solus naturâ iustus, coram quo omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. 2. Machab. cap. 1. *Solus es bonus Rex, solus præstans, solus iustus*: & tamen Deus Noachum iustum prædicat Genes. 6. *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis*: & Ioseph Sacratissimæ Virginis Sponsus Sanctissimus Matth. 1. Simeonque Senex Lucæ 2. alijque Sanctorum, Spiritus Sancti testimonio, iusti nuncupantur.

2. Machab. 1.

Gen. 6.

Solus Deus beatus, 1. ad Timoth. 6. *Quem suis temporibus ostendit beatus & solus potens*: ore nihilominus Dominico, Simon Bar-jonas beatus pronuntiatur Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est*: & in hac quidem ipse confessione beatus; etsi enim anteà, qui erant in naui, vt inquit Diuus Chrysostomus apud Diuum Thomam in catenâ, dixerint, *Verè Filius Dei es hic.* Et Nathanaël, *Rabbi tu es Filius Dei, non tamen beati dicti sunt, quia non talem confessi sunt filiationem, qualem Petrus, sed vnum ex multis eum existimabant, non verè Filium; vel etsi præcipuum quidem præ multis, non autem ex substantiâ Patris.* Vnde D. Hilarius, Beatum dicit, *quia vltra humanos oculos, & intendisse, & vidisse laudatus est, non id quod ex carne & sanguine est, contuens; sed Dei filium, cælestis Patris reuelatione conspiciens; dignusque indicatus est, vt primus agnosceret, quod Diuinitus esset in Christo.* Et in hac Diuinitatis Christi cognitione, velante ipsum obitum, ab ipsiusmet essentialis beatitudinis ore, & beatus dictus est, & laudatus.

1. Timoth. 6.

Matt. 16.

3. Solus Deus potens, faciens mirabilia magna, psal. 71. idipsum Moisi adscribitur ab ore Spiritus sancti, in Deuteron. cap. 34. *Magna mirabilia quæ fecit Moises coram vniuerso Israël.* Eliæ similiter, Eccl. 48. *In vitâ suâ, fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.*

Psal. 71. Deut. 34. Eccl. 48.

Solius Dei est, peccata dimittere, *Quis enim potest peccata dimittere nisi solus Deus*? inquiebant illi Luc. 5. hanc tamen auctoritatem Apostolis, eorumque successoribus, ità communicauit Dei Filius vt quos absoluerent, non solùm declararent Dei iudicio absolutos, sed ipsi verè & ex auctoritate absoluerent, peccata relaxando, quum dicit Matth. 18. *Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueritis, erit solutum & in cælis.* Et D. Ioan. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Soli Deo honor & gloria debetur, præcipuè cùm apud Isaiam capite 42. dicat, *Gloriam meam alteri non dabo*: interim tamen, psalm. 149. dicitur, *gloria hæc est omnibus Sanctis eius*: & probatis in illo atque perfectis, gloria æterna datur, Eccl. capite 31.

Matth. 18.

Ioan. 20.

Isa. 42. Psal. 149.

Eccl. 31.

Capitis 26. §. 1.

Vt Magni nomen proprio ore suo Christus, Diuo Augustino communicarit.

1. SOlus Deus magnus, sicut suprà diximus, de quo Psalmographus, psal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*:

Ps. 144.

vix: legunt alij, *& laudabilis valdè*: & quàm valdè? suprà quàm possumus, quia quantumcunque laudauerimus, semper erunt laudes nostræ, minores eius magnitudine, ideoque nimis laudabilis, *quia magnitudinis eius non est finis*, siue vt legit Diuus Hieronymus, *& magnificentiæ eius non est inuentio.* Treuetus, *inuestigatio*, quia nimirum infinita est magnitudo, infinita magnificentia Creatoris, quod autem infinitum est, non est inuestigabile, vtpote cuius nec ortus nec finis inueniri potest; imò ipsa inuestigatione crescit. Pulchrè Diuus Hilarius, *Hæc Dei prima & præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum, & magnitudinis suæ habeat & laudis. Virtus eius opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur: arctus ad id sensus nullus est, ingenium hebes est, sermo mutus est. Finem magnificentiæ ipsius nescit, & aliquam emetiendi se opinionem; immensa magnitudo non patitur. Extenta vbique, extenta semper est, hanc habens infinitatis suæ laudem. Cæterùm omnem intelligentiam, infinitæ huius in se qualitatis excedens.*

Infinitum, est inuestigabile.

Cur autem magnus? An quia in magnâ Trinitate, magnus est Pater, sicut diximus, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus; & non maximus Deus Pater, maior Filius, magnus Spiritus sanctus, prout voluit Apollinarius? Certè istos tuos ascensus, ô Apollinari, Diuus Gregorius Nazianzenus, Orat. 1. Apolog. & Orat. 5. scalam meritò appellauit, non in cælum subuehentem, sed potiùs nos è cælo deijcientem.

Deus non magnus quia sit aliqua persona minor.

Scala in infernum deijciens.

Ideóne magnus, quia etiam Christus magnus, quem tamen Ariani paruum esse contendunt, contra Scripturarum Diuinarum auctoritatem, in quibus nunquam & nusquam legitur, paruus Deus? Errastis, Hæretici, errastis; & quum Deum paruum, Deum magnum, Deum maiorem, Deum maximum asseruistis, non vnius, sed plurium Deorum assertores impij, essentiæ Diuinæ vnitatem, atque sacræ Triadis personarum æqualitatem sustulistis. Magnus ergo Deus Pater, magnus Deus Filius, magnus Deus Spiritus Sanctus, & vt verbo dicam, Magnus Dominus, non relatè, sed absolutè, sicut scribit D. Chrysost.

2. Magnus Deus, vt & nos ad magna aspiremus.

Verùm ideò quoque magnus; vt scientes quia magnum habemus Dominum, in magnis etiam versemur. Magnitudo namque infinita Dei suadet, vt his rerum caducarum angustijs minimè contenti, neglectâ temporalis vitæ curâ, generosos assumamus spiritus, qui rerum præsentium humilitatem superent, non qui nos elatos & insolentes reddant, & qui arrogantiam, minimarum rerum iactantiam, consetuorumque despectum pariant: sed vt animo magno & excelsò simus, præsentis vitæ vmbras despectui habentes: vtque mente humiles, quotidie in verâ magnitudine crescamus, quæ in Dei cognitione, amore, cultu, virtutibusque cæteris, posita est. Crescamus, inquam, quàm maximè valemus, quia infinitus Dominus, & modus crescendi in illo, modus amandi illum, est crescere, & amare sine modo. *Crescamus in scientiâ Dei, in omni virtute confortati*, ad Coloss. 1. donec formetur in nobis magnitudo Dei, imago perfecta Dei. Formans enim vnusquisque animam suam, sicut ait Origen. hom. 8. in Lucam, aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram atque lucentem, & splendescentem: nam qui peccatis sordescit, pro imagine Dei, bestiarum, aut Diaboli imaginem sibi ponit. Magnificatur autem imago animæ, opere, cogitatione, sermone: ac tum quidem grandis efficitur imago Dei, in animâ nostrâ magnificatur, & crescit Dominus in nostrâ imagine, eamque mirâ perfundit dulcedine: sic Diuus August. Soliloquior. cap. 21. *Secundum magnam multitudinem magnificentiæ tuæ, est etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Magnus enim tu es, Domine Deus meus, & immensus; nec est finis magnitudinis tuæ, nec est numerus sapientiæ tuæ, nec est mensura benignitatis tuæ, nec est finis, nec numerus, nec mensura retributionis tuæ; sed sicut magnus es tu, ita magna sunt donaria tua, quoniam tu ipse es præmium, & donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum.*

Amandus Deus sine modo. *Coloss. 2.*

Imago animæ quibus magnificetur.

3. Magnus Augustinus.

Quàm magnus es tu, Domine, in quo magni sunt, & magnificantur electi tui! Et quàm magnus in te, Magnus ille Augustinus, non eâ magnitudine quâ est in se magnus, sed illâ quâ est in te magnus: & iam quia in te, & in magnitudine tuâ infinitâ, quæ ipse es, magnus, etiam ipse quodammodo infinitè magnus; & in illo, per te, multi quoque electorum tuorum magni. Ideoque, quod de tuâ magnitudine dixit Psaltes Regius, hoc nos de Magno tuo Augustino, te indulgente, dicere possumus. *Magnus Augustinus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Et magnificentiæ eius non est inuentio*, quia in abysso Diuinitatis, in infinito, radix magnitudinis illius est & laudis: ideoque non est inuestigabilis.

Ps. 144.

Appellati sint plerique Sanctorum magni, veluti, Diuus Basilius, Diuus Gregorius, necnon alij, istud ab hominum laude consecuti sunt: at Deus ipse, ipse Deus, Diuum Augustinum magnum consecrauit. Quod si contenderis, Diuum quoque Ioannem Baptistam, magnum à Domino appellatum, Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptistâ*, non in faciem, sed de absente, hoc vtique eulogium dictum, legis, at ipse Dominus ipsi Augustino, coram, hanc laudem dedit. Narrat enim ex Diuo Prospero, Fernandus ab Hispaniâ Episcopus Auenionensis, apud Beatum Iordanum de Saxoniâ sermone 10. de Sancto Augustino, habito Auenione in Consessu Cardinalium, anno Domini 1352. quod Diuus Augustinus, Christum Dei Filium in carne videre & tangere, ac pedes eius lauare, meruerit, atque eundem audire sibi dicentem *Magne Augustine, hodie Filium Dei in carne videre meruisti*: id quod etiam refert Reuerendus Pater Ioannes Gonzales de Critanâ noster, epitomes historicæ, quam Latinè reddidimus cap. 2. in principio, & citatus ibi Maburnius in Roseto, titulo 20. alphabeto. 47. Istud fuit singularissimum; inquit Episcopus Fernandus noster, nec vnquam legi, quòd post ascensionem ad cælos, sic alicui appareret, quod sibi verbo reuelaret se Christum esse, & tangi & tractari se permitteret, & sic cum eo dulciter loqueretur. Fuit etiam singularissimum, quòd vocari meruit à Christo, *Magnus Augustinus.* Quis vnquam de Sanctis ab ore Diuino, se fore magnum, audire meruit? Nunquam legi. Verùm legitur, quod Saluator noster dixerit de Ioanne Baptista, *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptistâ*, sed non legitur, quòd Christus hoc Ioanni dixerit, nec habemus, quòd ab eius ore Ioannes hoc audiuerit. Beatissimus autem Augustinus, ab ore Christi sibi loquentis audire meruit, qui sibi dicit, *Magne Augustine, hodie Filium Dei, in carne videre meruisti.* Hæc ille. Nimirum hoc in votis olim habuerat, cùm & Romam triumphantem, & Paulum prædicantem,

D. Augustinus Magnus à Deo appellatus.

Matth. 11.

Christum in carne videt Augustinus.

tem, & Christum in carne, vidisse desiderabat. Diuus autem Prosper significauit, in istâ visione & apparitione Christum Dominum, magno Augustino totius Ecclesiæ suæ curam commisisse, dicendo, *Commendo tibi Ecclesiam meam.* Atque ista quidem, probæ sunt euidentissimæ, eximiæ illius sanctitatis & caritatis.

Ecclesiam Christus D. Augustino commēdat.

Audistis, vt Diuus Augustinus, à magno Dei Filio, sit magnus nuncupatus, atque eidem magno, magnam Ecclesiam suam commendarit? Porrò videre, quàm magnus sit Augustinus. Inprimis natiuitas illum magnum fecit, in quâ hoc dignissimum obseruatu, quod D. Prosper, & quod Vphilas in Breuiario Gothicæ Gentis, scripsit, eodem nimirum tempore, quo in Britanniâ natus est Hæresiarcha Pelagius, ceu caligo quædam in illis Regionibus incumbens, natum fuisse in Africâ Aurelium Augustinum, velut Solem clarissimum, in ipso ortus sui splendore, iam ferè noctis illius obscuræ peruicissimi dogmatis, tenebras discutientem. Quæ res admirabilem Dei prouidentiam non obscurè commendat, vt qui, ineffabili suâ bonitate, Ecclesiam suam hyperborealibus obscuratam erroribus, meridionali Sole, ad cuius radios, dissoluitur, atque eliminatur glacialis error, illustret splendidiùs. Laudent alij natalium splendorem:

Augustinus natus codē temporequo Pelagius.

Et genus, & proauos, & regia nomina iactent,

Splendidior, nobiliorque est Augustini natiuitas, à genitrice prouidentia Numinis, quàm longo

Augustinum nobilem fecit prouidentia.

Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum.

Vt inquit Iuuenalis Satyrâ 8. quàm Regum ipsorum ortus, à maioribus suis etiam Regibus: namque, vt, Claudiani versu, te alloquar, ô Augustine,

Quod si nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina caussæ,
Quis venerabilior sanguis? quæ maior origo,
Quàm regalis, erit? non te priuata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere nomen
Augustis laribus. Te prouida cura Tonantis,
Illustrat.

Atque ita, vt modo quodam singulari, ipsius Diuinæ prouidentiæ Filius dici possit Augustinus, Cui *Stirpe genus clarum, cæloque affinis origo.* vt Silius inquit.

Augustinus prouidentiæ filius.

Magnus est nomine. Olim nominum imponendorum cura fuit, vt ea ad virtutem accederent, & quàm procul essent ab ignominiâ & probro. Hinc Virgilius, Asinij Pollionis, Cæsaris Augusti familiaris Filium laudaturus, nomen Augusti vsurpauit, neque nobiliori epitheto ipsum honorare potuit, quàm aureo, Eclogâ 4.

Nominum olim imponendorum cura.

——— *Toto surgat gens aurea mundo.*

Quantus verò à nomine suo Augustinus? Octauiano Imperatori, Augusti nomen inditum legimus, quia fuit honore auctus. Augustinus quoque ab augendo nomen habet, quòd ab eo Ecclesia augenda foret auctu magno. Aurelius quoque, ab aureo virtutum, doctrinæque splendore, dictus est. Quemadmodum enim Romani cognomina honori dabant, & Magnos, & Augustos, & felices dixerunt, teste Senecâ, lib. 1. de Clementiâ, cap. 14. & hunc Africanum, illum Asiaticum, istum Germanicum, nominabant; & ab Ecclesiâ quoque cognomina honori & laudi data. & magnos dixit, Basilium, & Gregorium, alios Chrysostomos, Thaumaturgos; vti illorum fidei ac virtutum excellentiam; dicendi copiam, præstantiam, & suauitatem significaret: quod etiam de Abram, qui Abraham cognominatus est, de Iacob, qui Israel, de Sarai, quæ Sara; deque Simone Bar-jona, qui Petrus, dici potest: ita Augustinum, propter vitæ ipsius & morum, scriptorumque splendorem eximium, quæ Paulinus, epistola 35. apud August. tom. 2. ita miratur ac suspicit, vt dicta diuinitus verba credat, Aurelium dictum puta, velut Solem Aureum.

Augustini & Aurelij nomen vnde

Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 9. ait, Romæ fuisse familiam, quæ dicebatur Aurelia, cuius erat proprium in Solis templo sacrificare: atque ita in magnâ Dei domo, in Solis iustitiæ templo, Sanctum Augustinum dici Aurelium perinde sit, ac eundem indigitari clarum & solarem sacrorum Antistitem, à quo doctrinam homines eruditi mutuantur, velut stellæ lumen à Sole. Solem pingi solitum ferunt, cum pane & potu: nunquid ea Aurelij nostri imago est, de quo Hymnus Ecclesiasticus idcircò canit: *Tu de verbis Saluatoris dulcem panem conficis, Et propinas potum vitæ de psalmorum nectare?* Solem adhæc hieroglyphicè constituunt, è naui mundum gubernantem, hoc & Aureo Soli, Augustino eleganter tribuitur ab Ecclesiâ, dum in præfatione Missæ Deum compellamus, dicentes, *Cunctorumque conditionibus salubriter prouidendo, tuam in hoc mari nauiculam Augustinus prouidè gubernauit.* Aliud nominis etymon Festo placet, vt Aurelius, quasi Auledius dicatur, hoc est, aurea sede dignus, atque inter omnes alios, velut aurum inter metalla, præcellenti sapientiæ splendore, & gloriâ fulgens. Ideò enim Salomon apud Hebræos aureo refulsit solio; ideò apud Græcos, aureo tripode Socrates dignus habitus est; ideò apud Brachmanas Indiæ populos, Hiarchas throno aureo sedit: & inter Ecclesiæ Doctores, tum ab alijs, tum inprimis à Claudiano Mamerto, Augustinus fuit cognomento scriptus Aurelius, quòd aureâ Cathedra præ cæteris dignissimus iudicetur.

4. Aurelia familia Soli sacrificat.

Sol pingi solitus cum pane & potu

Sol in naui.

Aurelius quasi Auledius.

Aureus tripes.

Augustinus, cur Aurelius

Magnus amore in Deum. *Non dubiâ, sed certâ conscientiâ Domine amo te*, inquit ipse Confession. lib. 10. cap. 6. *Percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Altiùs autem tu misereberis, cui misertus fueris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, quum te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis; nec candorem lucis ecce istis amicum oculis, nec dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum, non florum; & vnguentorum, & aromatum suaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum; quum amo Deum meum lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ meæ quod non capit locus, & vbi sonat, quod non rapit tempus, & vbi olet quod non spargit flatus, & vbi sapit quod non minuit edacitas, & vbi hæret quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo, quum Deum meum amo.* Ita Diuus Augustinus, cuius amorem vt esse magnum manifestaret Deus, ter cælitus voce demissâ, illum non secus ac Diuum Petrum, ter interrogauit, an amaret; cui Augustinus, *Domine tu scis quia amo te.* Sed quantùm, reposuit Christus, me amas? & Augustinus; Siquidem Domine omnia corporis mei ossa forent lampades aureæ, & sanguis omnis meus, qui per omne corpus meum diffusus est, in pretiosum balsamum verteretur, vtraque profunderem, & in tui honorem in holocaustum offerrem. Cui rursum Christus: non faceres quidpiam amplius? Reddidit Augustinus,

Magnus Augustinus amore in Deum.

Amor Augustini in Deum quantus.

mis. Si venæ meæ omnes, omnesque nerui, vincula forent aurea, & funes, inseparabiliter te cordi meo alligarem. Tertiò, & vltra quidpiam amplius, Christus exigit. Rursum Augustinus reddidit paradoxum, tantâ, inquit, te Rex gloriæ dilectione prosequor, vt si (quod esse nequaquam potest) ego Deus forem, & tu Augustinus esses, omninò ego vellem fieri Augustinus, vt tu fieres Deus. Tanto certè Numinis ardore flagrabat, vt cor eius potentissimis Diuini amoris petitum iaculis ac vulneratum, quod ipse in suis Confessionibus fatetur, Christi stigmatibus claruerit, quæ quidem illi impressa fuisse affirmat S. Vincentius Ferrariensis; D. quoque Bonauenturam ita sensisse, vt Augustinus vulnerum Christi notas, licet valdè arcanas, habuerit, confirmat Ioannes ab Angelis, in triumphis amoris Dei part. 1. cap. 11.

Stigmata Christi in corde suo habuit Augustinus.

Quodque magnum etiam & admirabile est, cum Sigisberto Lugduni Episcopo impossibile videretur cor illud, quod sale amoris diuini insigniter supra modum erat inspersum, in cineres abijsse, studio cognoscêdi, quid de illo actû esset flagranti, desideràtique aliquid reliquiarû tanti Doctoris in amore diuino planè Seraphici, inter orationes & vota in oratorio suo obdormiscenti, adstitit Angelus, qui in crystallino vase reconditum D. Augustini cor, recentibus adhuc notis integrum sanumque in arâ deposuit dicens; Ecce cor D. Augustini, quod Deo iubente, ego, qui Angelus eius custos fui, exemptum eius visceribus, conseruaui, donandû illi quem Diuina prouidentia designarat, noluit enim Deus illud corrumpi, quod tantùm in eius amorem exarsit. Nec vana fuit visio: euigilans namque Sanctus Episcopus, non frustrà se esse comperit, atque diuinitùs acceptum magnum magni Augustini cor, magni amoris notas gerens, in Ecclesiam Lugdunensem solemni psallentium cœtu comitatus intulit; ibique conspiciendum erat anno reformatæ naturæ 951. Beato Iordano de Saxoniâ teste, in quodam sermone de D. Augustino.

Cor D. Augustini Sigisberto Episcopo diuinitus datum.

Ad horum confirmationem, non mediocriter facit, quod Reuerendissimus Archiepiscopus Bracharensis, Augustinus de Iesu, quocum olim Bracharæ familiariter egi, cùm à Summo Pontifice Gregorio XIII & Reuerendissimi Prioris nostri Generalis auctoritate ad lucrandas & instaurandas Germaniæ Prouincias, missus esset, Monachi Bauariç vrbe, in nostro Augustinêsium cœnobio, inter sacras reliquias, se inuenisse testatus est; capsulam argenteam, intra quam ferreum corculum, virgulâ aureâ circumdatum seruabatur; cum hac inscriptione, *Cor contactum vero cordi S. Augustini, ferreum propter nimiam eius constantiam, & aureum propter inflammatam eius charitatem.*

Cordis Diui Augustini Memoria, in corde ferreo

Tantopere autem sibi complacuit in D. Augustini corde Deus sagittato flammâ amoris sui, atque vulneribus, non metaphoricis, sed veris & carneis, transfixo, quemadmodum præter citatos, scribit Florentius Bataüus lib. 5. institutionis Christianæ cap. 11. citatus à Sapientissimo Patre Magistro Emmanuele de Lacerdâ, in Quodlibeticis, quæst. 4 positiuâ, num. 14. in hæc verba, In perpetuum tecum ipse diligenter animaduerte, quod D. Pater Augustinus, eundem ipsum fidelissimum sui amatorem Dominum Iesum, tam ardenti vicissim amore complexus est, vt cor illius, dilectionis iaculo transfixum legatur contigisse; tantum, inquam, ex eo corde deliciarum hausit Deus, vt etiam in ipsis saxis honorarit: testis est locus cliuosus D. Catharinæ de Badayâ, vbi, ex quo Cœnobium nostri habuerunt, lapilli succrescunt, in cordis figuram efformati, qui no-

Stigmata vera Christi in corde D. Augustini.

Lapides formam cordis referunt, & totæ S. Catharinæ.

tis quinque veluti scalptis, seu lineis decussatim implexis, tum vulnerum Christi notas, tum ipsius Diuæ rotam exprimunt, quos ego eo loci & vidi, & legi. Quàm præclarum istud signaculum, quàm nobile stemma Augustini, cor transfixû amore!

Magnus igitur à Diuinâ charitate Augustinus: & magnus à magnis amatus D. Hieronymus, epist. 156. ad August. *Mihi decretum est te amare*, inquit, *te suspicere, colere, mirari.* Et rectè, quandoquidem *Intellectus acumine, ingenij perspicuitate, disputandi acrimoniâ, inueniendi copiâ, differendi subtilitate monstrum quoddam in naturâ fuit Augustinus, qui humanæ intelligentiæ terminos visus est transcendisse, vir intellectu, vt quidam ait, propè diuino:* inquit Archiepiscopus Valentinus Beatus Thomas de Villanouâ, Eremita Augustinianus, serm. 1. de S. Augustino, citatus ab eodem Lacerdâ nostro, in Conimbricensi Academiâ Theologiæ sacræ professore. Quapropter, si plerique Philosophorum, maria traiecerunt, vt eos, quos ex libris nouerant, & cognitos amauerant, coram viderent, vel disputantes audirent, veluti Pythagoras, vt Memphiticos Vates: Plato Ægyptum peragrauit, vt Architam Tarentinum: & ad Titum Liuium lacteo fonte manantem, de vltimis Hispaniæ, Galliarumque finibus, quosdam venisse Nobiles legimus, inquit D. Hieronymus in epist. galeatâ ad Paulinum. Veluti Apollonius quoque vt Hiarcham docentem audiret, & famosissimam Solis mensam videret in Sabulo: Non defuere, qui solatij inueniendi, vel instructionis caussa Augustinum adirent, vt Orosius ex Hispaniâ, Leporius ex Galliâ, qui in Africam profecti sunt, vt magnè amatum Magnum Augustinum consulerent, scilicet ex scriptis eius cum cognouerant, ei afficiebantur, quibus de scriptis exstat præclarum Theodosij Imperatoris in epistolâ ad Augustinû, testimonium, inuitantis eum ad Concilium Ephesinum, quæ sic incipit, *Librorum à te conditorum præstantia, & industria, quâ singulariter pollet in enucleatione sacrarum literarum, fructus etiam, quos in omnem Ecclesiam protulisti, caussa fuere, vt vbique gentium, illustrem gloriam sis adeptus.* Diuus quoque Hieronymus, nominis magni Augustini famâ illectus, ex Bethleem in Africam transuolare desiderabat, vt Augustino coram frui posset, cuius verba sunt Epist. 24. apud Diuum Augustinum, *Scribo Reuerentiæ vestræ, testem inuocans Deum, quod si posset fieri, assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer. Magnus Augustinus & laudabilis nimis; &c.*

5. D. Augustinus naturæ quoddam monstrum.

Scientiæ desiderio Philosophi, terras peragrarunt.

Orosius; Leporius.

Librorum D. Augustini Theodosij Imperat. iudicium.

Magnus à sacris Religiosorum hominibus qui sub eius regulâ merent; & à Sanctis magnus, qui ex eius institutione iam inde à primordio illius, quod fuit vel anno Christi 393. vt placet Bergomensi, vel anno 389. vt visum est Caribayo, & Baronio Annal. tom. 4. an. 385. & 391. emerserunt, vt propterea non immeritò grandis illa aquila censeatur, Ezechiel. 17. & Apocal. 8. virtute oculorum prædita singulari, & magnatûm fulta præsidio alarum, sub quarum tegmine sexaginta circiter hominum sacrorum classes pullularunt: sub quarum vmbrâ omnis Africa Eremitarum Sancti Augustini Cœnobijs adeò repleri cœpit, vt nulla solitudo quantumuis in hospita, nullum Opidum, nulla Ciuitas foret, quæ non Monasterio centum & ducentorum Religiosorum insigniretur, Auctor mihi est, ipse Augustinus, sermone 21. & 22. ad Fratrês, quem Posidius in eius vitâ cap. 31. Monasteria plena Fratrum & Sanctimonialium reliquisse testatur. Et reuerà Monachos nullos præter Augustinenses vidit tum Africa, vt testantur Genebrardus, & Baronius; qui cùm aduersus Hæreticam luem, acerrimi Fidei pro-

D. Aug. aquila.

Regulam D. Augustini 60. circiter hominum classes susceperunt.

pugnatores ardentissimè ferrentur, Wandalorum Arianâ peste grassantium furori obiecti sunt, quare bis mille quingentos eorum variè cruciatos, vnius persecutionis turbo sustulit, vt habet Critana noster Epitomes Historicæ cap. 4. §. 3. præter innumeros alios, & septem illos præclaros Martyres, de quibus Martyrologium Romanum, 17. Augusti, Liberatum Abbatem, siue Capsensis monasterij superiorem, Bonifacium, Seruum, Rusticum, Rogatum, Septimum & Maximum, qui in persecutione Wandalicâ, annos circiter quinquaginta, ab Augustini magni è viuis decessu, æstuantibus adhuc Africæ vastationis flammis, sub Hunnerico Rege pro confessione Catholicæ Fidei, & vnici Baptismatis defensione, varijs & inauditis supplicijs exagitati, demùm super ligna, quibus concremandi erant, clauis confixi, cùm ignis sæpiùs accensus fuisset, ac diuinitùs semper extinctus, eius iussu, remorum vectibus percussi, & comminutis cerebris enecati, speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino perfecerunt. Omitto Ægypti, Æthiopiæ vastissimas Regiones, omitto Asiam, Europam, Americam, in quibus orbis partibus, hæc stirps Augustiniana, sub alis & plumis multiplicis scientiæ humanæ & Diuinæ, præsignisque sanctitatis, magni Augustini, sese effudit. Omitto innumeras Sanctorum myriades, Nicolaum Tolentinatem, Ioannem à Sancto Facundo, Thomam Villanouanum, Ægidium Romanum, Diuum Franciscum Augustiniense primùm germen, pôst Ordinis Seraphici institutorem, innumerosque alios, qui sanctitate, doctrinâ, miraculis, Christianum orbem mirificè illustrarunt.

2500. Martyres Augustiniani.

Martyres præclari 7. Augustiniani.

Augustiniani Ægyptû, Æthiopiam, &c. implerunt.

D. Franciscus Ordinis S. Augustini, primum fuit.

Hoc vnum proferam quod Beatus Iordanus de Saxoniâ, serm. 131. Aurelium Augustinum margaritam fuisse cælestem, cæli beneficio, in hoc sæcularis vitæ mari, in Ecclesiæ Dei conchilio genitam; arcam Noachi extitisse, & antiquæ legis, sanctitatisque exemplum: & quod D. Prosper apud eundem serm. 10. nempe, quod Beatissimus Augustinus, velut alter Noë, non arcam coaptando, sed libros componendo, mundum vniuersum periclitantem, ab Hæreticis liberauit, quod miraculum, inquit, est æquiualens omnibus miraculis, quæ de quocunque alio Sancto poteris nominare. Quemcumque enim Sanctum commendare volueris, quod mortuos suscitauerit, quod infirmos curauerit, in quocunque miraculo volueris: & ego dico tibi de Sancto Augustino, quod non solum tot, sed totum orbem liberauit, totum orbem sanauit, totum orbem cum suâ doctrinâ à morte suscitauit; Magnus ergo fuerit etiam ipse Augustinus, virtute miraculorum, in energumenis liberandis, & ægrotis sanandis, sicut scribit Possidius in eius vitâ, cap. 29. maior fuit, quia antiquæ Fidei conditor, Celestinam, siue Pelagianem hæresim, vt testatur Diuus Hieronymus epist. 24. apud Diuum Augustinû, innumerasque alias, iugulauit.

D. Augustinus margarita cælestis.

Miracula D. Augustini.

Quanta, Deum immortalem! illa magni Augustini in seruando orbe vniuerso magnitudo, Seruatoris ipsius Christi assimilanda magnitudini! Nam si Christus effecit vt vineremus, Augustinus effecit vt sani perseueraremus: Si Christus fuit arca Noachi, vt in eo seruaremur à mûdo naufrago; Arca Noachi itidem fuit D. August. in quo seruamur à naufragio Fidei: nec minùs alis sanctitatis & doctrinæ suæ Augustinus vniuersum protexit orbem, à grassantibus Hæreticis; quàm Seruator noster, à rugientis leonis potestate, vi tamen superiore, liberauit. *Magnus Augustinus & laudabilis nimis; & magnitudinis eius non est finis.*

Augustini cum Christo comparatio.

6. Magnus quoque à laude Sanctorum, Pontificum, Conciliorum, Imperatorum, necnon etiam Hæreticorum, Sanctus Paulinus epist. 31. ad Augustinum, eum vocat sal terræ, lucernam, atque æterni fontis venam, *O verè sal terræ*, inquit, *quo præcordia nostra ne possint seculi vanescere errore, condiuntur. O lucerna, dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis Vrbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet Hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis, à confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas.* Et post pauca, *Os enim tuum, fistulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni meritò dixerim, quia fons vitæ aquæ salientis in vitam æternam Christus effectus est. Cuius desiderio, sitiuit in te anima mea, & vbertate tui fluminis, inebriari terra mea concupiuit.* Et alibi, *Augustinus*, inquit, *subtiliùs omnibus volans, omnia reserauit, & ideò meritò Angelus, non naturâ, sed gratiâ nuncupatur.* Possidius in Epistolâ ad Macedonium, *Augustinus homo cælestis, imago Diuinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyssus sapientiæ, præco virtutis, eruditor Diuinorum eloquiorum, inquisitor prædictorum. Augustinus par Angelis in feruore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum reuelatione; par Apostolis in prædicatione; par Martyribus in desiderandâ passionem: par Confessoribus in disciplinæ traditione, & par Virginibus in continentiæ obseruatione*, & concludit, *Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, adhuc non essent sufficientes ad laudandum tantum Patrem & Doctorem.*

Aug. sal terræ, lucerna, fontis vena.

Aug. dictus Angelus.

Aug. encomia.

Diuus Hieronymus Epist. 25. ad Augustinum: *Macte virtute*, inquit, *in orbe celebraris; Catholici te Conditorem antiquæ rursum Fidei venerantur, atque suspiciunt*, & paulò antè, *absque tui nominis mentione, ne vnam quidem horam præterire patimur, qui contra flantes ventos ardore Fidei perstitisti.* Diuus Hilarius Episcopus Arelatensis, Epist. ad Amatum, *Doctor excellentissimus Augustinus, defensor fidei nostræ, in Diuinâ meditatione semper assiduus, metu mortis intrepidus, destruxit sacrilegos, atque superauit Hæreticos.* Diuus Bernard serm. 8. in Cant. Vocat eum malleum Hæreticorum. Diuus Remigius. *In exponendis sacris Scripturis, alij Doctores comparantur stellis, Augustinum Soli; nam sicut stellæ lumen à Sole recipiunt, sic omnes Doctores lumen recipiunt ab Augustino:* atque ita (vt diximus) Doctores magni, suam magnitudinem in Augustino consequuntur. Diuus Isidorus lib. 4. Etymologiar. *Magistrorum omnium studia, Augustinus, ingenio & scientiâ vicit.*

Conditor antiquæ fidei.

Sanctus Vincentius Ordinis Sancti Dominici serm. de Sancto Augustino ait, Potest de eo verificari vna prophetia Zachariæ, quem Angelus suscitauit à somno dicens, *Quid tu vides? & dixit, vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud.* cap. 4. Nota: candelabrum aureum est Augustinus: alij Doctores dicuntur lucernæ, *Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit, neque sub modio:* & ad literam, Christus vocat quemlibet Doctorem, lucernam, sed super candelabrum, scilicet Beatum Augustinum. Quare audeo dicere, quòd omnes Doctores, qui venerunt post eum, sustentantur super eius doctrinam sanctam, puram, Catholicam, auri purissimi, sine errore falsarum opinionum: & quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere vnam auctoritatem B. Augustini, hæc ille. Ecce autem vt ipse quoque censeat in magno Augustino,

Zachar. 4.

Aug. candelabrum aureum. Doctores alij lucernæ.

Doctores in Augustino fiunt magni

stino, fieri Doctores magnos, ipsum autem esse in Deo magnum.

D. Thom. alter August.

Sic Doctor Angelicus in Augustino magnus effectus est, atque ita magnus; vt Possevinus in Augustino dicat, quod meritò vocari possit Augustinus alter, quæ est laus maxima D. Thomæ. Accedit Ambrosius Coriolanus in Apologiâ pro Ordine Eremitar. S. Augustini, in tract. cui titulus est, Augustinus fuit imago Trinitatis, vbi disertè probat eum præstantiorem cæteris mortalibus Trinitatis imaginem extitisse, idque ex intellectus & ingenij acumine super omnes cæteros præstanti, inquit de Lacerda Ribadeneira, qui de S. Augustino inquit. Doctor magnorum Doctorum, à Deo doctus, homo qui de fonte Diuinitatis bibit, ter sanctus inter doctos, & ter doctus inter sanctos, Cherubim per scientiam, & Seraphim per amoris ignem.

Aug. Trinitatis imago singularis.

7.

Magnus à doctrinâ Augustinus.

Quare rectè Diuus Gregorius de Augustino, de magno magnus, Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini opuscula legite, & ad comparationem similaginis illius, nostrum furfurem non quæratis, ita Diuus ille, lib. 8. Registri, cap. 37. & epistolâ ad Præfectum Asiæ, Beati Augustini compatriotæ opuscula legito, ad comparationem illius similaginis, nostrum furfurem non quæratis. Ioannes Pontifex Romanus lib. de duabus naturis in Christo, Augustini doctrinam, secundum Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & seruat Ecclesia. Cælestinus PP. tom. 1. Concilior. ad Episcopos Galliæ, Augustinum sanctæ recordationis virum, nunquam sinistræ suspicionis saltem rumor inspersit. Martinus V. Pontifex Summus, serm. de Translatione S. Monicæ, Si veritatem quæritis, inquit, si doctrinam, si pietatem, quis doctior, quis iustior, quis (vt ita dicam) sanctior Augustino? & paulò pòst, Augustini tanta extant erga omnem Ecclesiam beneficia, vt nulli penè, (vt ita dicam) Sanctorum, maiora merita debeamus. Quidquid enim simul omnes Apostoli plantauerunt, quidquid Apollo, atque alij Apostolorum sectatores rigauerunt, hic coronauit.

August. doctrinam probat Ecclesia.

Concilia, magnum prædicarunt: Conc. 5. generale. Sequimur per omnia Augustinum, & suscipimus omnia quæ de rectâ fide & condemnatione Hæreticorum exposuit. Conc. Florentin. Augustinum illustrissimum Latinorum Doctorem, quinta Synodus consecrabit. Et in ipsis Concilijs magnus: præfuit enim Concilio Carthaginensi, vbi 286. Episcopi conuenerant, & posteà Mileuitano.

A legatione magnus, cum namque Zozimus PP. anno salutis 418. Cæsaream Mauritaniæ Ciuitatem cum Legati munere misit, vbi cum Emerito Donatista illius loci Episcopo, disputatione habitâ, plurimos abusus sustulit, qui erant maximè circa Missæ sacrificium, vt videre est Epist. 157. ad Optatum. Et serm. 25. de tempore. Legatione quoque functus est ad Honorium Imperatorem contra Donatistas, qui multos Catholicos, sacrorum præcipuè librorum exustione, diuexabant.

Aug. lumen orbis Christiani.

Hinc etiam magnus ab Imperatorum laude, ad quem scribens Theodosius Imperator, atque ad Ephesinam Synodum per Magistrianum Imperatoris à Cubiculis, & Carthaginensem Legatum, inuitans, inter cætera inquit, *Nunc igitur te, qui rebus in omnibus lumen es orbis Christiani, quique idem terror & hostis omnium sectariorum, qui sub oculis tuis comparere verentur; te, inquam, rogamus, quàm possumus studiosissimè, vt Ephesi te sistas, quæ in vrbe, locus est Concilio quod habebitur, designatus. Datæ fuerunt Romæ, Basso & Antiocho Coss.* Non recepit Augustinus, obierat enim extremum diem, vbi ad Africam peruenerunt; redditæ autem sunt Capreolo, Primati Carthaginensi.

8.

Augustinum suspiciunt Hæretici.

Hæretici quoque ipsi, Diuum Augustinum suspiciunt, impulsu veritatis, quæ ex inuitis interdum erumpit pectoribus: In scholâ nostrâ, inquit Philippus Melanchton declamatione in Sanctum Augustinum, gratam Augustini mentionem esse decet, cuius doctrina, cùm sit necessaria Ecclesiæ, meritò Augustinum amare debemus, qui cœlestem illum thesaurum præcipuè conseruauit. Caluinus quoque lib. 3. Institut. cap. 3. Nec opus est, inquit, laborando inuestigare, quid Doctores senserint, quando vnus Augustinus ad id sufficere potest: ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi voluerint.

9.

Aug. etiam post mortem magnus.

Cor August. Sigisbertus accepit diuinitus.

Neque illius vitæ limitibus solùm, admensa eius magnitudo fuit, sed ipsa se etiam post mortem extendit, quod ex corde ipsius patet. Cor namque tam amorosum inclyti Doctoris Augustini Sigisberto Episcopo ab Angelo redditum, atque in vasculo crystallino asseruatum, quoties Beata Trinitas coram eo nominabatur, vel liber ejus de eadem conscriptus expandebatur, notabilibus subsultibus exiliebat; quod sanè nulli adscribendum potentiæ quàm Diuinæ, vt cor exanime, motus vel intelligentis naturæ haberet. Idem facere solitum refert liber qui inscriptus est Panis quotidianus Anagniæ impressus anno 1509. in Missâ, ad recitationem horum verborum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*? Quid multa? magnum Magni Augustini cor, etiam multis sæculis post fata, illo subsultu, illa exultatione clamat, quantùm cor & caro viuentis, exultarint in Deum viuum: clamat magno miraculo exultationis suæ, quæ viuus, voce & calamo, de Sanctissimâ Triade, nobis tradidit: illo motu, tanquam linguâ & calamo loquens quæcunque erant in corde suo, veluti de Reginâ Sabâ scriptum est, 2. Paralip. 9. Ad cuius mutas voces, & iubilationis saltus, contremiscerent Hæretici, & velut connientes oculi ad aspectum Solis ferientis obcœcarentur, elidere̅nturque. Nunquam enim, vt habet Hieronymus Romanus noster, 1. parte Chronicor. Eremitici Ordinis cap. 35. Ecclesia in quâ cor erat Sancti Augustini, Hæretici hominis ingressum passa est, qui aut in vestibulo non caderet, aut intus non occumberet: indeque ortum, vt sub illis temporibus cordis imago sculpta aut picta proponeretur, multis hinc & inde, sub eius cuspide, prostratis, & profligatis Hæreticis, sicut scribit Ioannes Gonzales de Critanâ, epitomes historicæ cap. 8. §. 1. Meritò ergo *Magnus Augustinus & laudabilis valdè, & magnitudinis eius non est finis*, quem cùm magnum coram appellauit Dominus istis, innumerisque alijs titulis, magnum pronuntiauit vt & nos afflante numine, ad illius imitamentum, quantum accedere dabitur, magni formemur in Deo.

Cordis D. Aug. subsultus miri.

Cordis Aug. imago sub qua prostrati Hæretici.

Capitis 26. §. 2.

Quæ Christo sunt, communia, ista nobis quoque communia.

1.

Christus homo factus, & homo fit quia Christus est.

VT multorum denique Nominum Diuinorum participatam similitudinem prætereâ; pergo

pergo nunc ad ea quæ communia sunt, tam ei qui supra nos est, Dei Verbo, quàm eidem, propter nos homini facto, Christo nimirum, qui, *quod homo est esse voluit, vt & homo possit esse quod Christus est*, inquit D. Cyprian. de Idolor. vanitate. Et quem Deus Pater, nobis inter æstuantes pelagi huius mortalitatis fluctus nauigantibus, in sidus operum nostrorum directiuum, exemplarque faciendorum, proposuit. *Propositus est nobis ad imitandum Christus Iesus*, inquit Origen. hom. 7. in Ezechiel. *illud exemplar firmum est, illud propositum solidum, quod qui sequi cupit, securus ingreditur*: & Deus Pater ad Filium suum apud Isa. cap. 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea ad extremum terræ*: vt nimirum, eius vita esset vitæ nostræ speculum; eius exempla, operum nostrorum vita; eius doctrina, regula morum, & dictorum; ad quam regulam coaptabimur in vitæ nostræ extremis, vt si æqui ad mensuram comperti non fuerimus, reijciamur tanquam inutiles cælesti fabricæ: sin æqui inuenti fuerimus, tantò ampliori caritate ad æterna tabernacula sursum efferamur, quanto ad normam exactiùs actus nostros direxerimus.

Isa. 49.

Christus, norma cui morientes applicabimur.

Quemadmodum enim Reges, præ cæteris eos in amore habent, quos propriùs ad sui regiminis, vitæque regulam, in rerum moderamine, accessisse cognouerint; ita Dij (inquit Dion. Nicæus Imperatori Traiano, oratione 1. de regno, qui meliùs dixisset, Deus) erga eos afficiuntur præ cæteris, qui prototypi imaginem humana moderando, in animis suis meliùs expresserint. Hæc autem est generis nostri dignitas naturalis, si in nobis, quasi in speculo quodam, diuinæ benignitatis forma resplendeat, inquit D. Leo Papa, sermone 1. de ieiunio decimi mensis. Eapropter, si Verbum illud æternum dicitur Filius, quia ex Patre est, & idem essentiâ cum illo, Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, & psal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vult etiam Deus fideles suos, tanquam ex Deo natos, Filios Dei fieri; non quidem secundum perfectam filiationis rationem, sicuti docet D. Tho. 1. part. quæst. 33. art. 3. quia nulla talis, respectu Dei, in creaturâ inuenitur, cùm Creatoris & creaturæ non vna sit natura, sed secundum quandam similitudinem, Solus namque *Dominus & Saluator noster Iesus Christus*, inquit D. August. lib. 2. contra Faustum Manichæum, cap. 3. tomo 6. *Verus & verax Dei Filius, verus & verax hominis Filius, quod vtrumque de se ipse ipse testatur; & de vero Deo Diuinitatis æternitatem, & de vero homine carnis originem duxit.* De hominibus autem dicitur Ioan. 1. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* D. Ambros. apud D. Tho. in Catenâ: *Magna*, inquit, *beneuolentia, vnicus natus est, & noluit manere vnus, non timuit habere cohæredes, quia hæreditas eius non fit angusta, si multi possederint.* Chrysostomus, *Etenim in potestate est liberi arbitrij, & gratiæ operatione, Filios Dei fieri.*

Christi forma in nobis, amatur.

Matth. 17.
Psal. 2.

Filios nos suos fieri vt velit Deus.

Ioan. 1.

Si vnigenitus appellatur, *non quia solus ex solo, & solùm*, inquit D. Gregor. Nazianzenus Orat. 36. sed etiam, quia peculiari quodam modo, *ac non vt corpora*, cùm nullam comparationem admittat cum ijs qui corporaliter procreantur; *nam genitus est* ἀχρόνως, *id est, sine tempore*, ἀῤῥεύστως, *id est, sine fluxione*, ἀπαθῶς, *id est, sine affectione*, inquit Elias Cretensis Scholiastes ibi. *Ideò & vnigenitus in Scripturis, & primogenitus dicitur, vnigenitus à Patre, primogenitus ex mortuis. Et vidimus, inquit, gloriam eius tanquam vnigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate. Et Paulus dicit* (Rom. 8.) *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, inquit D. August. lib. contra Epist. Fundamenti, cap. 37. explicat illud *quasi*; D. Gregorius dicens: *In sacro eloquio, Sicut, & quasi, aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate; vnde & illud, quasi vnigeniti à Patre.* Ac si diceret, inquit D. Chrysost. *Vidimus gloriam qualem decebat, & conueniens est habere vnigenitum, & naturalem Filium.* Vnigenitus igitur ille est, & è tot, tantisque nationibus, mundi huius incolis, quasi vnigenitos nos esse voluit, qui regenerationis lauacro, ad Fidei sacramenta initiamur, quia non *in Ismaële, sed in Isaac vocabitur tibi semen*, inquit Dominus, cap. 21. Genes. & refert Apostolus ad Rom. cap. 9. in vnigenito, nempe Abrahæ Filio legitimo: vnde Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israel.*

Christus vnigenitus.

Rom. 8.

Sicut, & quasi, vocem vt accipiantur.

Gen. 21.
Exod. 4.

Si sapientia nuncupatur, vt ipsa est essentialiter, rerum humanarum, Diuinarumque scientia (neque enim eorum quæ à se condita sunt, rationes ignorare potest) numquid & Salomoni Dominus 2. Paralipom. 1. *Sapientia & scientia data sunt tibi*: & vt Esdras Scriba doctus in lege Domini, ad sapientiæ Dei libellam, iudices statuat, decernitur, 1. Esdræ cap. 7. *Tu autem, Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tuâ, constitue Iudices & Præsides.* Apostolus autem 1. Cor. 1. Christum dixit Dei virtutem, & Dei sapientiam. *Virtutem ad signa retulit, propter Iudæos*, inquit Diuus Augustinus, lib. 1. quæstion. Euangelicar. quæst. 14. *Sapientiam autem, ad doctrinam propter Græcos, id est, Gentiles.*

2. Christ. sapientia.
2. Paral. 1.
1. Esd. 7.
1. Cor. 1.

Si potentia vocatur, vt rerum à se conditarum conseruator, & vim suppeditans quâ continentur: est enim ipse potentia, siue brachium Domini, per quod Pater operatus est omnia. Etiam exercituum, diuitumque potentia nominatur, quæ non ad oppressionem mortalium, sed ad humanæ societatis defensionem, & conseruationem à Deo est homini tributa. Est autem potentia secundum Speusippum lib. de definit. Plato. id quod per seipsum est efficax: habitus, inquam, quo potentes efficimur; excellentia in dicendis, seu agendis, vt scribit Petr. Gregor. Syntagm. Iuris lib. 11. cap. 2. n. 3. non ad opprimendum, quemquam, sed ad conseruandum.

Christus potentia, virtus, & brachium.

Potentia quid sit.

Si veritas appellatur, quia naturâ vnum sit, non multa: veritas siquidem vnum est, non multa; mendacium verò multiplex: & quia etiam purum Patris sigillum, minimeque mendax character. Veritas etiam homini communicatur, *Pones autem*, ait Dominus Exod. cap. 28. *in rationali Iudicij, doctrinam & veritatem, vrim & Thumim*, id est, lumen & plenitudinem. Quia enim in timore & veritate Deo famulandum, vt est apud Tobiam cap. 14. doctrinæ lumen, veritatisque plenitudo, dum mendacem, atque adeò multiplicem rerum mundanarum vanitatem manifestant, & ad vnum summum verum, quod est ipsa veritas Deus, cui adhærere bonum est, quasi manu ducunt.

Christus veritas.

Exod. 28.

Imago est, quia eiusdem cum Patre substantiæ, & quia ex illo est, non autem ex hoc Pater. Sap. 7. *Imago bonitatis Dei* 2. ad Corinth. 4. & ad Coloss. 1. *Imago Dei inuisibilis*: & hæc naturalis, quia est ipsa Patris essentia: vnde D. Bern. serm. 80. in Cant. *Verbum est veritas, est sapientia, est iustitia: & hæc imago; Cuius? Iustitiæ, sapientiæ & veritatis. Est enim imago hæc, iustitia de iustitiâ, sapientia de sapientiâ, veritas de veritate, quasi de lumine lumen, de Deo Deus.* Et infra: *Est enim consubstantialis Deo imago sua, & omne quod eidem sua imagini impartiri videtur, ambobus est substantiale, non accidentale.* Et nos imago Dei imitatoria, ad Rom. 8. *quos præsciuit conformes fieri imaginis Filij sui.* Bernard. *Oportet namque, id quod ad imaginem est, cum imagine conuenire, & non in vacuum participare nomen imaginis; quemadmodum*

Christus imago.
Sap. 7.
2. Cor. 4.
Coloss. 1.
Rom. 8.

Anima ad imaginem.

nec imago, ipsa sola (quod est verbum) *vel vario nomine vocatur imago.* Vbi docet Christum esse imaginem, animam verò rationalem, esse ad imaginem, neque ad imaginem tantùm, sed ad similitudinem factam.

Christus lux.

Matth. 5.

Dicitur lux, vt animarum splendor, quæ & vitâ & sermone purgantur; sic & homines lucem appellauit, Matth. 5. *Vos estis lux mundi*: nam cùm ignorantia & peccatum tenebræ sint, scientia lux erit; & vita immaculata. Ideoque Salomon, vt viam iustorum à vijs impiorum secerneret, Prouerb. 4. infir. *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit, vsque ad perfectam diem.*

Prou. 4.

Ad illius namque lucis ortum, fugantur deceptrices voluptatum formæ, dignoscuntur creaturarum lineæ, quæ à Deo, tanquam à centro suo emanarunt, vt in illis non inhæreat affectus, sed per illas ad centrum ipsum pergat, quasi ad perfectam diem gloriæ beatitatis Dei, cui totus adhærescat, lineas omnes in ipsâ complectens.

Lineæ creaturarum ducunt ad Deũ.

Christus speculum.

Speculum, quia in illud aspiciens iustus, componit sese: Angelus gratiæ & gloriæ sibi communicatæ splendores admiratur: Dei Patris maiestas per illud monstratur: & per illud, admissum Diuinitatis & substantiæ paternæ radium, qui ipse Filius est, remittens ad Patrem, cum Patre producit Calorem, consubstantialem Patri & Filio, nempe Spiritum Sanctum. Sap. 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Est & homo speculum, in quo, si vultum natiuitatis suæ considerarit, Iob cap. 1. hoc est, si seipsum mente & cogitatione intuitus fuerit, conditionis suæ terrenæ fluxum & caducum agnoscet radium, & humiliabitur: & alterum supernæ portionis demirabitur æternum, æterni imaginem & speculum Dei, & eleuabitur, ardentioris amoris affectu in Deum eleuabitur.

Sap. 7.

3. Virgo Mar. speculum.

Sed præcipuè Virgo & Mater sacratissima, speculum est, & quidem sine maculâ, in quod Pater æternus visus est intueri, quando imaginem suam voluit incarnari: quando iam genitum ex se radium generatione æternâ, in eam misit, vt is nouo modo, nouâ generatione formatus in hominem, sine vllâ sui mutatione, creatam omnis creaturæ, & increatam Patris, ipsi Patri, in se repræsentaret naturam: & ipse talem recepit sui imaginem ex hoc speculo Pater, quod est sine macula, quia nimirum siue formationis illius tempora, siue iam formatæ ætatis fluxum inspexeris, eminentissimæ, luculentissimæque Diuinæ benignitatis formæ, in eâ semper resplenduerunt.

Christus exemplar. 1. Petr. 2.

Exemplar, quia 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Datus est nobis in exemplar, *Qui sæculi damnum*, inquit, D. Hilarius canone 17. in Matth. *Crucis voluntatem, obitum corporis; & post hæc, regni cælestis gloriam facti confirmaret exemplo.* Quare iubemur facere secundum exemplar, quod in monte Caluariæ monstratum est nobis: ibi enim opere ipso exhibitum est, quod ab alijs edisseritur faciendum. D. Bernard. serm. 1. in Natali Domini. *Quæ necessitas fuit, vt sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreuiaret se Dominus maiestatis, nisi vt vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, vt verax inueniatur qui dicit, Cœpit Iesus facere & docere. Obsecro proinde & plurimùm rogo Fratres, non patiamini sine caussâ tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renouamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est, custosque virtutum; sectamini illam quæ sola potest saluare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum ampliùs, quid grauiùs puniendum, quàm vt videns Deum cæli paruulum factum, vltra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentia est, vt vbi sese exinaniuit maiestas, vermiculus infletur & intumescat.* Et serm. 22. in Cant. *Addidit quoque sanctè inter peccatores viuere, & sic tradere formam vitæ tanquam viam, quâ rediret ad patriam.* Et ne tanti exemplaris splendor animorum nostrorum lumina grauiter perstringeret, & ab imitatione sui arduum illud exemplum, virtutum nostrarum modum, deterreret potiùs quàm ad sequendum prouocaret, voluit Dominus noster, societatis & conuersationis mortales, Sanctos, nimirum, suos, nobis esse exemplar virtutum, tanquam magis cognitum, propiùsque ad imbecillitatis nostræ metas accedens, ne quid desidibus animis superesset effugij, quò minùs totâ contentione, totaque animi & corporis velitatione ad consectanda Sanctorum vestigia conniterentur.

Sancti in exemplar nobis propositi.

Christus vita.

Vita, quia lux, totiusque naturæ ratione prædita coagmentatio, & procreatio. *In ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* Act. 17. D. Augustinus tract. 22. in Ioan. explicans illud Ioan. 14. *Ego sum via veritas & vita. Ambulare vis, inquit, ego sum via. Falli non vis, ego sum veritas. Mori non vis, ego sum vita. Hoc dicit tibi Saluator tuus. Non est quò eas, nisi ad me: non est quà eas, nisi per me. Nunc ergo istâ horâ agitur, hoc & agitur planè, & omninò non cessatur. Surgunt homines qui mortui erant, transeunt ad vitam, ad vocem Filij Dei viuunt, de illa perseuerantes in fide ipsius. Habet enim Filius vitam, vnde viuant credentes, habet.* Arbor est vitæ in medio paradisi, id est, Ecclesiæ, cuius fructus præstat immortalitatem, veriùs quàm conficta à Poëtis Deorum Ambrosia, de qua Martialis, vt Iouem asserat immortalem.

Act. 17. Ioa. 14.

Iupiter, ambrosia satur est, & nectare viuit.

Diuus August. in cap. 2. Epist. D. Ioann. tract. 2. *Rerum temporalium fluuius trahit; sed tanquam circa fluuium, arbor nata est Dominus noster Iesus Christus, Assumpsit carnem, mortuus est, resurrexit, ascendit in cælum. Voluit se quodammodo circa fluuium temporum plantare: raperis in præceps, tene lignum. Voluit te amor mundi, tene Christum. Propter te factus est temporalis, vt tu fias æternus: quia & ille sic factus est temporalis, vt maneat æternus. Accessit illi aliquid ex tempore, non decessit ex æternitate.* Est & homo vita, sed ea vita, quæ abscondita est cum Christo in Deo, ad Coloss. 3. & est, *Sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* gratiæ Dei, *quod fructum suum*, fructum virtutum, patientiæ, & humilitatis, *dabit in tempore suo*, in vitâ hac mortali, quam ad æternitatem superioris vitæ consequendam, tanquam tempus suum, in quo operari potest, Diuino munere adeptus est.

Arbor Christus.

Christus temporalis factus, vt fiamus æterni.

Coloss. 3. Ps. 1.

4. Christus Iustitia.

Iustitia quia pro meritis præmia & pœnas distribuit, inquit D. Gregor. Nazian. *Æquumque iudicem se præbet his qui sub lege sunt, & his qui sub gratiâ: corporique item & animæ, vt illud pareat, hæc præsit atque imperet, præstantiorque pars principatum aduersus inferiorem teneat; nec id quod deterius est, aduersus id quod melius est insurgat.* Etiam in hominem transfunditur iustitia Dei, non quâ ipse Deus iustus est, *sed quâ ipse nos iustos facit*, inquit Concil. Trid. ss. 6. cap. 7. etenim, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, seipsum scilicet offerendo hostiam pro peccato, *vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* 2. Corinth. 5. id est, inquit D. Tho. lect. 5. vt nos qui peccatores sumus, efficeremur non solùm iusti, immò ipsa iustitia, id est, iustificaremur à Deo: vel iustitia, quia non solùm nos iustificauit, sed etiam voluit quod per nos alij iustificarentur. Iustitia dico Dei, nō nostra vel aliter, vt ipse Christus dicatur iustitia. Et tunc est sensus, vt nos efficeremur iustitia, id est, vt inhæreremus Christo per amorē & fidem, qui Christus est ipsa iustitia.

2. Cor. 5.

Iustitia vt fiat homo.

Dicit

tuti gratiâ, in sese exprimunt. Quod non ignorauit Apollonius apud Philostratum, lib. 8. illius vitæ. cap. 2. qui interrogatus, quare appellaretur Deus, respondit, *Vir omnis qui bonus existimatur, Dei cognomine honoratur.* Quapropter, dæmones & idola, falsò & iniustâ vsurpatione Deos appellari, manifestum est. Angelos verò, & mortalium complures, nuncupatiuè, rectè Deos dici, nominis quidem diuini, non autem eiusdem naturæ translatione. Sic Dij dicuntur sancti, antiqui patres, sacerdotes, iudices, prædicatores, sublimes, & sapientes. Exod. 21. & 22. 1. Reg 6. psal. 134. & 135. & Dij sunt, qui quoad eius fieri potest, mortalia omnia repudiant, quorum quidem animus, rectus, bonus, magnus: nam hunc, quid aliud vocas, inquit Seneca, epistolâ 31. *quàm Deũ in humano corpore hospitantem?* & ne qua conditio illi occlusa putetur, addit, *Hic animus tam in equitem Romanum, quàm in libertinum, quàm in seruum, potest cadere. Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut seruus? Nomina ex ambitione aut ex iniuriâ nata. Subsilire in cælum ex angulo licet: exsurge modò, & te quoque dignum finge Deo. Finges autem, non auro non argento: non potest ex hac materiâ, imago Dei exprimi similis:* ex virtute potest, latiùs §. 2.

Homo rectus, bonus, magnus, Deus est in humano corpore.

Capitis 25. §. 1.

Idola & dæmonia, Dij vt dicantur.

1. Idola errore gentium Dij nuncupantur.

ERrore mortalium, & hostis vniuersorum fraude, dæmonijs, idolisque Dei vocabulum inditum est, ita D. Anselmus in cap. 1. epist. ad Roman. *Nomen Deitatis est incommunicabile creaturis, quoniam solus Creator, propriè & verè Deus nominatur: sed gentiles in mendacium mutarunt veritatem Dei: Veritas enim Dei, quòd ipse veraciter Deus sit, quam veritatem vertit in mendacium, qui idolum dicit vel putat esse Deum.* Illi sunt Dij gentium de quibus Cantor regius psal. 95. *Omnes Dij gentium, dæmonia:* de quibus quum dixisset gentium Apostolus 1. ad Corinth. 8. *Siquidam Dij multi, & domini multi.* Pòst appellat simulacra muta. cap. 12. Allusit Diui Hieronymi in versiculum Dauidicum interpretatio, *Dij*, inquit, *populorum, sculptilia*, quod alij reddunt *Idola*, alij sic, *Omnes Dij populorum vani sunt*, Hebraicè אלילים *elilim*, quasi אלמים illemim, idola muta: aut אל אלים *el elim*, non *Dij, nihili, & Dij ficti*, tales sunt gentium Dij, ficti sunt, & simulacra inania, vanitates, meræ nugæ res nihili, vacuitates, inutilia, statuæ, mendacia. אליל *elil*, enim, redditur in singulari ab interpretibus, quod est, mendacium, fraus, augurium idolum.

Psal. 95.

1. Cor. 8.

Dij gentium nihil, & mẽdacia.

Quod autem Paraphrastes in illum psalmum ait, *omnia quæ timent populi, idola sunt*, gentiles diuinitatem quandam suis idolis receptam existimasse ostendit, atque virtutem quam timerent, quæ fuit Iamblichi lib. de mysterijs opinio, dicentis *Statuis, diuina quædam illustratio capitur.* Quò spectat apud Sozomenum Ecclesiasticæ historiæ lib. 7. cap. 15. illud Olympij pagani philosophi, qui cùm suos, ob eiecta è Serapidis templo simulacra, consternatos esse videret, hortabatur bono animo essent, & non à suâ religione deficerent, asserens imagines ac statuas, nihil aliud esse quàm materiam corruptibilem, ac proinde ad nihilum potuisse redigi, inhabitasse autem his, virtutes quasdam, & eas iam in cælum auolasse.

Idolis diuinum quid subesse putatum est.

Olympius paganus.

Hinc fluxit idolorum cultus ex opinione nempe diuinitatis existentis per coniunctionem quandam in statuis, mentientibus illam dæmonijs præstigiatoribus atque illusoribus: aut etiã ratione hominum, quos illæ referebant, quique ob vitæ maiestatem, Dij habebantur.

2. Cur autem Dij gentium dæmonia appellentur, ea ratio censeri potest, quia quidquid creatum coluere gentes, dæmone auctore coluerunt, atque an dæmon esset, ignorantes, statuis inanimis diuinos honores deferebant, persuasi diuinum quidpiam statuis infundi, quas statuarius, opere expolito formatas, sub Numinis figurati appellatione exhibuisset: faciente ad populorum opinionem dæmone, qui vt venerationem Deo vero debitam, in se transferret, eas inhabitabat: atque vt finem suum faciliùs consequeretur, eos qui se colerent, malè habebat; humani corporis, nunc hæc, nunc illa membra arcano efficiens ac torquens dolore, cuius vi præstricti, cùm aliàs occulta essent remedia, ad statuas adoraturi prouocarentur, ibique Numinis existimati, ope imploratâ, atque doloris subsecuto leuamine, malè affectam partem sanare dæmon crederetur, quum nocere desineret, proptereaque & amaretur, & timeretur. Id quod grauiter & elegãter disseruit D. Cyprianus Martyr, de Idolorum vanitate, totidem verbis. *Spiritus insinceri & vagi, qui posteaquam terrenis vitijs immersi sunt, & à vigore cælesti, terreno contagio recesserũt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Hos & Poëtæ, dæmonas norunt, & Socrates instrui se & regi, ad arbitrium dæmonis prædicabat.* Vbi sententiæ insistit eorum, qui, quod 6. Geneseos dicitur, filios Dei sumpsisse sibi vxores filias hominum, apostatas Angelos intellexerunt, veluti Tertullianus, Lactantius, & alij Cypriano vetustiores: quam sententiam multis argumentis reprobant. D. Chrysost. in Commentar. & D. Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei. cap. 23 dicamus itaque illos spiritus insinceros, vitijs immersos, à vigore cælesti, peccati contagio recessisse. *Hi ergò Spiritus*, inquit Cyprianus, *sub statuis, atque imaginibus consecratis delitescunt: hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant: auium volatus gubernant: sortes regunt; oracula efficiunt; falsa veris semper inuoluunt: nam & falluntur, & fallunt. Vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt; vt ad cultum sui cogant, vt nidore altarium, & rogis pecorum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela; quum illorum cessat iniuria: nec aliud illis studium est, quàm à Deo homines auocare, & ad superstitionem sui, ab intellectu veræ religionis auertere; cùm sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes,* Quid? quòd statuarius ipse, quod vanitatis est quàm maximæ argumentum (obliuione dicam, an cœcitate?) operi à se effecto, pòst blandiebatur, & vt Deum immortalem colebat id, quod ipse mortalis, tanquam parens & architectus, propriâ formauerat industriâ.

2. Dij gentium cur appellantur dæmonia.

Dæmones hominibus nocent.

A Deo homines auocant.

Statuarius opus suum adorat.

Verùm hinc facessat dæmonum impuritas, apage dæmonia, nusquam deinceps Dei appellatione commemoranda, latè effuso in omnes orbis plagas, tanquam vnguento pretioso, Dei & Iesu Christi filij eius nomine, tremendo inferis, cælo, terraque venerando, colendo: in cuius virtute dæmones adiurati à nobis, *Statim cedunt*, inquit ibidem D. Cyprianus, *& fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostrâ voce & operatione maiestatis occultæ, flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari; vnde veniant, & quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri; & vel exsiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat. Hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, vt nos odisse incipiant homines antequam*

Iesu Christi nomini dæmones expulsa & terra, cælo, dæmonia.

quam nosse; ut dignitas aut imitari possint, aut damnare non possint.

Capitis 25. §. 2.

Vt homines & Angeli, Dij appellentur.

1. Cœlestes virtutes, vt Dij vocentur.

DE alijs rebus & virtutibus cælestibus, dicitur Deus nuncupatiuè, vt loquitur D. Gregorius hom. 8. in Ezechiel. fiue abusiuè, vt Origenes in cant. ait, apud D. Hieron. tomo 7. Et hoc ipsum varijs modis. Primò quidem adoptionis ratione, vti apud Psaltem regium psal. 81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes*: & Eustathius scribit ἥρωας ἄνδρας, appellatos Θεοὺς, ad diuinitatem, quàm proximè fieri potest, accedentes, per adoptionem, nimirum, & gratiam, non per naturam, sicut Verbum Dei, qui Deus est super omnia, inquit prædicator gentium ad Rom. 9. quod sic explicat D. Gregorius homil. 8. in Ezechiel. *Vt ostenderet Christum esse Deum naturaliter, & non nuncupatiuè, Deum super omnia appellauit, vt sic nuncupatiuum ab essentiali discerneret; quia qui nuncupatiuè dicitur Deus inter omnia appellatur: qui verò essentialiter, Deus super omnia. Quorum Patres*, inquit D. Paulus, *ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in secula.* Et Faustinus lib. de fide contra Arianos cap. 2. ex duplicis sinus differentia, Patris, scilicet, & Abrahæ, duplicem hanc filiationem adstruit, *Filius Dei, est Deus*, inquit, *non tamen nuncupatiuè, sed naturâ, qui etiam in sinu Patris est, filij adoptiui, in sinu Abrahæ sunt.*

Psal. 81.

Rom. 9.

Filius naturalis in sinu patris, adoptiuus in sinu Abrahæ.

Id quod, quamuis prædestinatis maximè conueniat, sicut docet D. Augustinus, conuenit nihilominus etiam reprobis, secundum præsentem iustitiam, in quâ interdum reperiuntur, & omnibus indefinitè potestas data est, filios Dei fieri, Ioan. 1. & 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.*

Ioan. 1. & 1. epist. 3.

Et quamuis Angeli etiam Dij appellentur, & filij Dei Iob. 1. non naturâ tamen, *cui enim Angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu?* ad Hebr. 1. sed nuncupatiui Dij sunt, per quandam participationem, inquit D. Tho. in 1. caput ad Hebr. lect. 3. & adoptionis gratiam, quam eodem Angelico Doctore teste 3. parte quæst. 23. primò receperunt: & psal. 28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*, vbi Chaldæus interpres Angelorum choros ad diuinas laudes prouocari dicit.

Iob 1. Hebr. 1.

Angeli Dij dicuntur.

Psal. 28.

2. Expressiùs tamen homines Dij appellantur, inquit D. Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei, cap. vltimo, cuius assignat rationem, videlicet, *Ne propter Angelorum excellentiam, aliquem eorum nobis constituere Deum, infidelis auderet infirmitas, quod in homine facile est euitare: homines verò id dici audientes de hominibus, certi & fidentes fierent, esse eum Deum suũ, qui dictus est Deus Deorum, quia non sunt dicti Dij Deorum, id est, hominum, Dij immortales illi ac beati, nempe Angeli, si quando eo nomine, quod rarò fit, nominentur.* In quo agnosce hominis ex Dei gratiâ excellentiam, quòd in hac etiam appellatione, sicut & in plerisque alijs, Angelis ipsis præferri videatur. Quin imò Iobius Monachus in bibliothecâ Sanctorum Patrum numero 304. apud Photinum, homines multis nominibus præ Angelis effert, ac primùm quidem, quod Angelorum peccatum fuerit irremissibile; *tum demum, quia si quid euangelizent Angeli, discrepans ab his quæ homo, anathema fit: & quia cùm non sit ausus Michaël Diabolo inferre iudicium blasphemiæ, homini calcare illum licet: & quia homo iudicabit cum Christo, & consedebit cum illo, similis illi ac Deo, quod Lucifer frustra appetijt.* Adde, quòd & Angelos ipsos iudicaturi simus: quòd absoluendi à peccatis, & panem vinumque sanctificationis, in verum corpus, & verum Christi sanguinem consecrandi potestas data sit nobis: desperatas ægritudines curandi, mortuos suscitandi, atque innumeræ aliæ virtutes datæ, quas Angelis nusquam legimus fuisse communicatas.

Hominis excellentia præ Angelis.

Homines calcant dæmones.

Præterea, Dei appellatio tribuitur hominibus, propter eam quam indepti sunt inter mortales dignitatem: quomodo accipiendum illud Exodi 22. *Dijs non detrahes*, hoc est, Prælatis, & in superiori aliqua dignitate & autoritate constitutis: &, *ad Deos vtriusque caussa perueniet*, hoc est, ad iudices, quorum est caussas cognoscere, atque sententiam dicere: quare Dij dicuntur, quia Dei officium agunt in terrâ. Cauetur autem, ne quisquam Dijs detrahat, aut principi maledicat, quia etiamsi eorum vita sit contemptibilis, honoranda tamen dignitas, cuius ratione Plato apud Stobæum sermone de regno, ait, *Nihil esse ita simile Deo, sicut reges.* Et Plutarchus, Principem esse imaginem Dei cuncta administrantis.

Exod. 22.

Iudices Dij dicti sunt.

Princeps est imago Dei.

Huc referri potest ipsa potestas, quæ homini collata, ipsum Dei nomine honorat, quomodo Exodi cap. 7. dicitur Moisi, *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, hoc est, potestatem dedi contra Ariolos, & Deos falsos Pharaonis, in quo verbi Dei præco designatur, qui simili modo est Deus Gentilium. Et hæc potestas Moisi à Deo tributa est, vt sit Deus secundum gratiam, non secundum naturam, inquit D. Hieronymus, quia vnus est naturâ Deus, super omnes Deos, ad cuius appellationis eminentiam, Moisen sua euexit humilitas, quæ, vti Rupertus inquit, lib. 1. in Exod. cap. 25. in cælum volare consueuit: indignum enim se tanto largitionis diuinæ munere iudicans, audire meruit hoc, quod magnificentissimum est, *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, regis regnantis Deum: non quem fideliter adoret, sed quem seruiliter formidet, vt imperes aquis, ranas crees, multaque alia mirabilia opereris, quæ nullus hominum præterea facere potest. Quarè Moises reuera Pharaoni datus est Deus, secundum D. Hilarium lib. 7. de Trinitate, dum timetur, dum adoratur, dum punit, dum medetur. Atque ita rectores & populorum præsides, qui quod sui est muneris, debitè exequuntur, Dij vocantur. Hinc colligo, quòd nisi Creatoris iniuria interuenisset, Moisi honori futurum fuisse, quòd absente se quadraginta dierum curriculo, tanquam in defuncti locum, alium Deum populus ab Aarone postularit, hominem aliquem tanti Imperatoris ductum posse supplere, diffidens.

Exod. 7.

Humilitas in cælum volare solet.

Deum cur sibi iu ducem postularint Iudæi, & non hominem?

Postremò autem, sollicitudinis, & appliciti animi ad placita sensuum, ratione, Deos sibi praui mortalium affectus comparant, de quibus Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*, tales enim tantùm sui ventris curam & sollicitudinem gerunt, lautè atque opiparè cutem curantes, vt obliuiscantur Dei factoris sui, cuius, quia proprium est vt sit principium primum & finis vltimus, fit, vt qui pro fine suo aliquid aliud habet, illud sit Deus suus, inquit D. Tho. lect. 3. in 3. cap. ad Philip. Quapropter idololatra etiam fit, quisquis opes, quisquis voluptates suas adorat, suam in illis omnem ponens fiduciam, tanquam in liberatoribus Dijs.

Philip. 3.

CAPUT XXVI.

Vt sua Deus homini communicet.

1. Proprietates suas Deus hominibus communicat.

CÆterum, vt de hac posteriori acceptione taceam; tantus est summi parentis Dei in hominem adfectus, tantus amor, vt cum ex Pythagoreorum sententiâ, amicorum sint omnia communia, vti quoque dicebat Socrates; nomen suum aliaque sibi propria, hominibus amicis suis communicarit, & nostra assumens, & Christo vnigenito suo attribuens in melius commutata, nobis etiam communia fecerit: id quod proximè sequentibus. §§. prosequemur.

Propria autem Dei sunt, vocabulum, Deus, quod illi soli per naturam tribuitur, vt in Deuteron. cap. 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Et cap. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus vnus est;* quasi dicat, solus vnus est verus Deus, ens simplicissimum, Dij gentium multi, & ideò non Dij quia multi: quare vide ne si ad multos deflexeris, vnum amittas, qui solus est verus Deus. Hoc interim nomê ipse Deus confert Moisi Exodi 7. sicut suprà attigimus, dicens, *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Alij quoque mortalium Dij appellantur, psal. 46. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*, quod de Apostolis dictum interpretari licet: & rursus alibi, *Ego dixi, Dij estis.* Patriarchas quoque amicos suos Abraham, Isaac, & Iacob, in nomen suum composito vocabulo transire iubet, quemadmodum adnotauit Philo Iudæus lib. de Abrahamo, totidem verbis, *Omnes hi amici chariq́ue Deo, amantes verum Deum, & redamati ab eo, qui dignatus est (sicut indicant oracula) propter vitam ipsorum probatissimam; communem cum vis appellationem habere. Suum enim nomen co-ptauit cum illorum nominibus, ex tribus compositum vocabulum sibi vendicans. Hoc, inquit, mihi nomen est æternum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, relatiuum pro absoluto. Et meritò, Deus enim non habet opus nomine. Attamen humano generi suum nomen elargitus est, vt habentes refugium ad preces, & supplicationes, à spe bonâ non excluderentur.*

Deut. 32. & c. 6.

Exod. 7.

Psal. 46.

Bonus, soli Deo per naturam competit. Luc. 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus:* alijs tamen bonitas per gratiam vindicatur, vt quum Lucæ 6. dicitur, *Bonus homo, de bono thesauro cordis sui profert bonum.*

Luc. 18.

Luc. 6.

Sanctitas propria est Dei 1. Reg. cap. 2. *Non est Sanctus vt est Deus, neque enim est alius extra te:* nihilominus etiam nobis ea tribuitur. Exod. 22. *Viri sancti eritis mihi, carnem quæ à bestijs fuerit prægustata, non comedetis, sed proijcietis canibus*, scilicet, mundus munda vult Deus, neque in suo cultu, neque in suorum sanctificatorum vsu, vult esse immunda: siue per carnem prægustatam à bestijs, doctrinam intelligas cum Rabano, aut conuersationem malam, quam dentis sui morsu vel induxerit Dæmon & Hæreticus, vel momorderit, à quibus abhorreant Sancti, oportet, tanquam à fœdo canum cibatu. Nam si vulgò creditum est, eum qui lapidem à cane morsum tetigisset, aut calcasset, iracundiorem euadere, & ad dissidia promptissimum: quod ex Plinio haustum videtur, qui lib. 20. cap. 5. inquit, agens de rabidi canis veneno: *Tanta vis mali est, vt vrina quoque calcata rabiosi canis noceat, maximè vlcus habentibus, &c. minus miretur lapidem à cane morsum, vsque in prouerbium discordia venisse:* si, inquam, noxam adferat calcatus, à rabioso cane demorsus lapis, quàm non inferet dente venefico vitiata Sanctorum doctrinâ, si teratur manibus, si mandetur?

1. Reg. 2.

Exod. 22.

Conuersatio mala, est carô prægusta ta à bestijs.

Iracundior fit qui morsum ab irato cane lapidem tangit. Canis rabiosi vrina calcata nocet.

2. Fortis nomen, soli Deo competit, quoniam omnia per ipsum, & sine ipso ad nihili inanitatem resiliunt. Iosue cap 24. *Deus noster, sanctus & fortis:* appellatur tamen fortis contra Deum Iacob Genes. cap. 32.

Iosue 24.

Deus solus naturâ iustus, coram quo omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruatæ. 2. Machab. cap. 1. *Solus es bonus Rex, solus præstans, solus iustus:* & tamen Deus Noachum iustum prædicat Genes. 6. *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis:* & Ioseph Sacratissimæ Virginis Sponsus Sanctissimus Matth. 1. Simeonque Senex Lucæ 2. alijque Sanctorum, Spiritus Sancti testimonio, iusti nuncupantur.

2. Machab. 5.

Gen. 6.

Solus Deus beatus, 1. ad Timoth. 6. *Quem suis temporibus ostendit beatus & solus potens:* ore nihilominus Dominico, Simon Bar-Jonas beatus pronuntiatur Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est:* & in hac quidem ipse confessione beatus, etsi enim anteà, qui erant in naui, vt inquit Diuus Chrysostomus apud Diuum Thomam in catenâ, dixerint, *Verè Filius Dei est hic.* Et Nathanaël, *Rabbi tu es Filius Dei, non tamen beati dicti sunt, quia non talem confessi sunt filiationem, qualem Petrus, sed vnum ex multis eum existimabant, non verè Filium; vel etsi præcipuum quidem præ multis, non autem ex substantiâ Patris.* Vnde D. Hilarius, Beatum dicit, *quia vltra humanos oculos, & intendisse, & vidisse laudatus est, non id quod ex carne & sanguine est, contuens; sed Dei filium, cælestis Patris reuelatione conspiciens; dignusque iudicatus est, vt primus agnosceret, quod Diuinitas esset in Christo.* Et in hac Diuinitatis Christi cognitione, velante ipsum obitum, ab ipsiusmet essentialis beatitudinis ore, & beatus dictus est, & laudatus.

1. Timoth. 6.

Matt. 16.

3. Solus Deus potens, faciens mirabilia magna, psal. 71. idipsum Moisi adscribitur ab ore Spiritus sancti, in Deuteron. cap. 34. *Magna mirabilia quæ fecit Moises coram vniuerso Israël.* Eliæ similiter, Eccl. 48. *In vitâ suâ, fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.*

Psal. 71. Deut. 34.

Eccl. 48.

Solius Dei est, peccata dimittere, *Quis enim potest peccata dimittere nisi solus Deus?* inquiebant illi Luc. 5. hanc tamen auctoritatem Apostolis, eorumque successoribus, ità communicauit Dei Filius vt quos absoluerent, non solùm declararent Dei iudicio absolutos, sed ipsi verè & ex auctoritate absoluerent, peccata relaxando, quum dicit Matth. 18. *Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueritis, erit solutum & in cælis.* Et D. Ioan. cap. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Soli Deo honor & gloria debetur, præcipuè cùm apud Isaiam capite 42. dicat, *Gloriam meam alteri non dabo:* interim tamen, psalm. 149. dicitur, *gloria hæc est omnibus Sanctis eius:* & probatis in illo atque perfectis, gloria æterna datur, Eccl. capite 31.

Matth. 18.

Ioan. 20.

Isa. 42.

Psal. 149.

Eccl. 31.

Capitis 26. §. 1.

Vt Magni nomen proprio ore suo Christus, Diuo Augustino communicarit.

1. SOlus Deus magnus, sicut suprà diximus, de quo Psalmographus, psal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis:*

Ps. 144.

nis: legunt alij, *& laudabilis valdè*: & quàm valdè? suprà quàm possumus, quia quantumcunque laudauerimus, semper erunt laudes nostræ, minores eius magnitudine, ideoque nimis laudabilis, *quia magnitudinis eius non est finis*, siue vt legit Diuus Hieronymus, *& magnificentiæ eius non est inuentio.* Trecetus, *inuestigatio*, quia nimirum infinita est magnitudo, infinita magnificentia Creatoris, quod autem infinitum est, non est inuestigabile, vtpote cuius nec ortus nec finis inueniri potest; imò ipsa inuestigatione crescit. Pulchrè Diuus Hilarius, *Hæc Dei prima & præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum, & magnitudinis suæ habeat & laudis. Virtus eius opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur: arctus ad id sensus noster est, ingenium hebes est, sermo mutus est. Finem magnificentiæ ipsius nescit, & aliquam emetiendi se opinionem; immensa magnitudo non patitur. Extenta vbique, extenta semper est, hanc habens infinitatis suæ laudem. Cæterùm omnem intelligentiam, infinitæ huius in se qualitatis excedens.*

Infinitum, est inuestigabile.

Cur autem magnus? An quia in magnâ Trinitate, magnus est Pater, sicut diximus, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus; & non maximus Deus Pater, maior Filius, magnus Spiritus sanctus, prout voluit Apollinarius? Certè istos tuos ascensus, ô Apollinari, Diuus Gregorius Nazianzenus, Orat. 1. Apolog. & Orat. 5. scalam meritò appellauit, non in cælum subuehentem, sed potiùs non è cælo deijcientem.

Deus non magnus quia sit aliqua persona minor.

Scala in infernum deijciens.

Ideóne magnus, quia etiam Christus magnus, quem tamen Ariani paruum esse contendunt, contra Scripturarum Diuinarum auctoritatem, in quibus nunquam & nusquam legitur, paruus Deus? Errastis, Hæretici, errastis; & quum Deum paruum, Deum magnum, Deum maiorem, Deum maximum asseruistis, non vnius, sed plurium Deorum assertores impij, essentiæ Diuinæ vnitatem, atque sacræ Triadis personarum æqualitatem sustulistis. Magnus ergo Deus Pater, magnus Deus Filius, magnus Deus Spiritus Sanctus, & vt verbo dicam, Magnus Dominus, non relatè, sed absolutè, sicut scribit D. Chrysost.

Verùm ideò quoque magnus; vt scientes quia magnum habemus Dominum, in magnis etiam versemur. Magnitudo namque infinita Dei suadet, vt his rerum caducarum angustijs minimè contenti, neglectâ temporalis vitæ curâ, generosos assumamus spiritus, qui rerum præsentium humilitatem superent, non qui nos elatos & insolentes reddant, & qui arrogantiam, minimarum rerum iactantiam, consetuorumque despectum pariant: sed vt animo magno & excelso simus, præsentis vitæ vmbras despectui habentes: vtque mente humiles, quotidie in verâ magnitudine crescamus, quæ in Dei cognitione, amore, cultu, virtutibusque cæteris, posita est. Crescamus, inquam, quàm maximè valemus, quia infinitus Dominus, & modus crescendi in illo, modus amandi illum, est crescere, & amare sine modo. *Crescamus in scientiâ Dei, in omni virtute confortati*, ad Coloss. 1. donec formetur in nobis magnitudo Dei, imago perfecta Dei. Formans enim vnusquisque animam suam, sicut ait Origen. hom. 8. in Lucam, aut minorem ponit imaginem, vel obsoletam, vel sordidam, aut claram atque lucentem, & splendescentem: nam qui peccatis sordescit, pro imagine Dei, bestiarum, aut Diaboli imaginem sibi ponit. Magnificatur autem imago animæ, opere, cogitatione, sermone: ac tum quidem grandis efficitur imago Dei, in animâ nostrâ magnificatur, & crescit Dominus in nostrâ imagine, eamque mirâ perfundit dulcedine: sic Diuus August. Soliloquior. cap. 21. *Secundum magnam multitudinem magnificentiæ tuæ, est etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Magnus enim tu es, Domine Deus meus, & immensus; nec est finis magnitudinis tuæ, nec est numerus sapientiæ tuæ, nec est mensura benignitatis tuæ, nec est finis, nec numerus, nec mensura retributionis tuæ; sed sicut magnus es tu, ita magna sunt donaria tua, quoniam tu ipse es præmium, & donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum.*

2. Magnus Deus, vt & nos ad magna aspiremus.

Amandus Deus sine modo. Coloss. 1.

Imago animæ quibus magnificetur.

Quàm magnus es tu, Domine, in quo magni sunt, & magnificantur electi tui! Et quàm magnus in te, Magnus ille Augustinus, non eâ magnitudine quâ est in se magnus, sed illâ quâ est in te magnus: & iam quia in te, & in magnitudine tuâ infinitâ, quæ ipse es, magnus; etiam ipse quodammodo infinitè magnus; & in illo, per te, multi quoque electorum tuorum magni. Ideoque, quod de tuâ magnitudine dixit Psaltes Regius, hoc nos de Magno tuo Augustino, te indulgente, dicere possumus *Magnus Augustinus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Et magnificentiæ eius non est inuentio*, quia in abysso Diuinitatis, in infinito, radix magnitudinis illius est & laudis: ideoque non est inuestigabilis.

3. Magnus Augustinus.

Ps. 144.

Appellati sint plerique Sanctorum magni, veluti. Diuus Basilius, Diuus Gregorius, necnon alij, istud ab hominum laude consecuti sunt: at Deus ipse, ipse Deus, Diuum Augustinum magnum consecrauit. Quod si contenderis, Diuum quoque Ioannem Baptistam, magnum à Domino appellatum, Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptistâ*, non in faciem, sed de absente, hoc vtique eulogium dictum, legis, at ipse Dominus ipsi Augustino, coram, hanc laudem dedit. Narrat enim ex Diuo Prospero, Fernandus ab Hispaniâ Episcopus Aueniensis, apud Beatum Iordanum de Saxoniâ sermone 10. de Sancto Augustino, habito Auenione in Consessu Cardinalium, anno Domini 1351. quòd Diuus Augustinus, Christum Dei Filium in carne videre & tangere, ac pedes eius lauare, meruerit, atque eundem audire sibi dicentem *Magne Augustine, hodie Filium Dei in carne videre meruisti*: id quod etiam refert Reuerendus Pater Ioannes Gonzales de Critanâ noster, epitomes historicæ, quam Latinè reddidimus cap. 2. in principio, & citatus ibi Maburnius in Roseto, titulo 20. alphabeto. 47. Istud fuit singularissimum; inquit Episcopus Fernandus noster, nec vnquam legi, quòd post ascensionem ad cælos, sic alicui appareret, quod sibi verbo reuelaret se Christum esse, & tangi & tractari se permitteret, & sic cum eo dulciter loqueretur. Fuit etiam singularissimum, quòd vocari meruit à Christo, *Magnus Augustinus*. Quis vnquam de Sanctis ab ore Diuino, se fore magnum, audire meruit? Nunquam legi. Verùm legitur, quod Saluator noster dixerit de Ioanne Baptista, *Inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptistâ*, sed non legitur, quòd Christus hoc Ioanni dixerit, nec habemus, quòd ab eius ore Ioannes hoc audiuerit. Beatissimus autem Augustinus, ab ore Christi sibi loquentis audire meruit, qui sibi dicit, *Magne Augustine, hodie Filium Dei, in carne videre meruisti.* Hæc ille, Nimirum hoc in votis olim habuerat, cùm & Romam triumphantem, & Paulum prædicantem,

D. Augustinus Magnus à Deo appellatus.

Matth. 11.

Christum in carne videt Augustinus.

rem, & Christum in carne, vidisse desiderabat. Diuus autem Prosper significauit, in istâ visione & apparitione Christum Dominum, magno Augustino totius Ecclesiæ suæ curam commisisse, dicendo, *Commendo tibi Ecclesiam meam.* Atque ista quidem, probæ sunt euidentissimæ, eximiæ illius sanctitatis & caritatis.

Ecclesiam Christus D. Augustino commēdat.

Audistis, vt Diuus Augustinus, à magno Dei Filio, sit magnus nuncupatus, atque eidem magno, magnam Ecclesiam suam commendarit? Porrò videte, quàm magnus sit Augustinus. Inprimis natiuitas illum magnum fecit, in quâ hoc dignissimum obseruatu, quod D. Prosper, & quod Vphilas in Breuiario Gothicæ Gentis, scripsit, eodem nimirum tempore, quo in Britanniâ natus est Hæresiarcha Pelagius, ceu caligo quædam in illis Regionibus incumbens, natum fuisse in Africâ Aurelium Augustinum, velut Solem clarissimum, in ipso ortus sui splendore, iam ferè noctis illius obscuræ peruersissimi dogmatis, tenebras discutientem. Quæ res admirabilem Dei prouidentiam non obscurè commendat, vt qui, ineffabili suâ bonitate, Ecclesiam suam hyperborealibus obscuratam erroribus, meridionali Sole, ad cuius radios, dissoluitur, atque eliminatur glacialis error, illustret splendidiùs. Laudent alij natalium splendorem:

Augustinus natus codē tempore quo Pelagius.

Et genus, & proauos, & regia nomina iactent,

Splendidior, nobiliorque est Augustini natiuitas, à genitrice prouidentia Numinis, quàm longo

Augustinum nobilem fecit prouidentia.

Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum.

Vt inquit Iuuenalis Satyrâ 8. quàm Regum ipsorum ortus, à maioribus suis etiam Regibus: namque, vt, Claudiani versu, te alloquar, ô Augustine,

Quod si nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina caussæ,
Quis venerabilior sanguis? quæ maior origo,
Quàm regalis, erit? non te priuata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere nomen
Augustis laribus. Te prouida cura Tonantis,
Illustrat,

Atque ita, vt modo quodam singulari, ipsius Diuinæ prouidentiæ Filius dici possit Augustinus, Cui *Stirpe genus clarum, cæloque affinis origo.* vt Silius inquit.

Augustinus prouidentiæ filius.

Magnus est nomine. Olim nominum imponendorum cura fuit, vt ea ad virtutem accederent, & quàm procul essent ab ignominiâ & probro. Hinc Virgilius, Asinij Pollionis, Cæsaris Augusti familiaris Filium laudaturus, nomen Augusti vsurpauit, neque nobiliori epitheto ipsum honorare potuit, quàm aureo, Eclogâ 4.

Nominum olim imponendorum cura.

——— *Toto surgat gens aurea mundo.*

Quantus verò à nomine suo Augustinus? Octauiano Imperatori, Augusti nomen inditum legimus, quia fuit honore auctus. Augustinus quoque ab augendo nomen habet, quòd ab eo Ecclesia augenda foret auctu magno. Aurelius quoque, ab aureo virtutum, doctrinæque splendore, dictus est. Quemadmodum enim Romani cognomina honori dabant, & Magnos, & Augustos, & felices dixerunt, teste Senecâ, lib. 1. de Clementiâ, cap. 14. & hunc Africanum, illum Asiaticum, istum Germanicum, nominabant; & ab Ecclesiâ quoque cognomina honori & laudi data, & magnos dixit, Basilium, & Gregorium, alios Chrysostomos, Thaumaturgos; vti illorum fidei ac virtutum excellentiam, dicendi copiam, præstantiam, & suauitatem significaret: quod etiam de Abram, qui

Augustini & Aurelij nomen vnde.

Abraham cognominatus est, de Iacob, qui Israel, de Sarai, quæ Sara, deque Simone Bar-iona, qui Petrus, dici potest: ita Augustinum, propter vitæ ipsius & morum, scriptorumque splendorem eximium, quæ Paulinus, epistola 35. apud August. tom. 2. ita miratur ac suspicit, vt dicta diuinitus verba credat, Aurelium dictum puta, velut Solem Aureum.

4.

Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 9. ait, Romæ fuisse familiam, quæ dicebatur Aurelia, cuius erat proprium in Solis templo sacrificare: atque ita in magnâ Dei domo, in Solis iustitiæ templo, Sanctum Augustinum dici Aurelium perinde sit, ac eumdem indigitari clarum & solarem sacrorum Antistitem, à quo doctrinam homines eruditi mutuantur, velut stellæ lumen à Sole. Solem pingi solitum ferunt, cum pane & potu: nunquid ea Aurelij nostri imago est, de quo Hymnus Ecclesiasticus ideircò canit: *Tu de verbis Saluatoris dulcem panem conficis, Et propinas potum vitæ de psalmorum nectare?* Solem adhæc hieroglyphicè constituunt, è naui mundum gubernantem, hoc & Aureo Soli, Augustino eleganter tribuitur ab Ecclesiâ, dum in præfatione Missæ Deum compellamus, dicentes, *Cunctorumque conditionibus salubriter prouidendo, tuam in hoc mari nauiculam Augustinus prouidè gubernauit.* Aliud nominis etymon Festo placet, vt Aurelius, quasi Auredius dicatur, hoc est, aurea sede dignus, atque inter omnes alios, velut aurum inter metalla, præcellenti sapientiæ splendore, & gloriâ fulgens. Ideò enim Salomon apud Hebræos aureô refulsit solio; ideò apud Græcos, aureo tripode Socrates dignus habitus est: ideò apud Brachmanas Indiæ populos, Hiarchas throno aureo sedit: & inter Ecclesiæ Doctores, tum ab alijs, tum inprimis à Claudiano Mamerto, Augustinus fuit cognomento scriptus Aurelius, quòd aureâ Cathedra præ cæteris dignissimus iudicetur.

Aurelia familia Soli sacrificat.

Sol pingi solitus cum pane & potu.

Sol in naui.

Aurelius quasi Auredius.

Aureus tripes.

Augustinus cur Aurelius.

Magnus amore in Deum. *Non dubiâ, sed certâ conscientiâ Domine amo te*, inquit ipse Confession. lib. 10. cap. 6. *Percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Altiùs autem tu misereberis, cui misertus fueris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, quum te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis; non candorem lucis ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum, non florum; & vnguentorum, & aromatum suaueolentiam, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum; quum amo Deum meum lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ meæ quod non capit locus, & vbi sonat, quod non rapit tempus, & vbi olet quod non spargit flatus, & vbi sapit quod non minuit edacitas, & vbi hæret quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo, quum Deum meum amo.* Ita Diuus Augustinus, cuius amorem vt esse magnum manifestaret Deus, ter cælitus voce demissâ, illum non secus ac Diuum Petrum, ter interrogauit, an amaret, cui Augustinus, *Domine tu scis quia amo te.* Sed quantùm, reposuit Christus, me amas? & Augustinus; Siquidem Domine omnia corporis mei ossa forent lampades aureæ, & sanguis omnis meus, qui per omne corpus meum diffusus est, in pretiosum balsamum verteretur, vtraque profunderem, & in tui honorem in holocaustum offerrem. Cui rursum Christus: non faceres quidpiam amplius? Reddidit Augustinus,

Magnus Augustinus amore in Deum.

Amor Augustini in Deum quantus.

tuis, Si venæ meæ omnes, omnesque nerui, vincula forent aurea, & funes, inseparabiliter te cordi meo alligarem. Tertiò, & vltra quidpiam amplius, Christus exigit. Rursum Augustinus reddidit paradoxum, tantâ, inquit, te Rex gloriæ dilectione prosequor, vt si (quod esse nequaquam potest) ego Deus forem, & tu Augustinus esses, omninò ego vellem fieri Augustinus, vt tu fieres Deus. Tanto certè Numinis ardore flagrabat, vt cor eius potentissimis Diuini amoris petitum iaculis ac vulneratum, quod ipse in suis Confessionibus fatetur, Christi stigmatibus claruerit, quæ quidem illi impressa fuisse affirmat S. Vincentius Ferrariensis; D. quoque Bonauenturam ita sensisse, vt Augustinus vulnerum Christi notas, licet valde arcanas, habuerit, confirmat Ioannes ab Angelis, in triumphis amoris Dei part. 1. cap. 11.

Stigmata Christi in corde suo habuit Augustinus.

Quodque magnum etiam & admirabile est, cum Sigisberto Lugduni Episcopo Impossibile videretur, cor illud, quod sale amoris diuini insigniter supra modum erat inspersum in cineres abiisse, studio cognoscēdi, quid de illo actū esset flagranti, desiderātique aliquid reliquiarū tanti Doctoris in amore diuino planè Seraphici, inter orationes & vota in oratorio suo obdormiscenti, adstitit Angelus, qui in crystallino vase reconditum D. Augustini cor, recentibus adhuc notis integrum sanumque in arâ deposuit dicens; Ecce cor D. Augustini, quod Deo iubente, ego, qui Angelus eius custos fui, exemptum eius visceribus, conseruaui, donandū illi quem Diuina prouidentia designarat; noluit enim Deus illud corrumpi, quod tantùm in eius amorem exarsit. Nec vana fuit visio: euigilans namque Sanctus Episcopus, non frustrà se esse comperit, atque diuinitùs acceptum magnum magni Augustini cor, magni amoris notas gerens, in Ecclesiam Lugdunensem solemni psallentium cœtu comitatus intulit; ibique conspiciendum erat anno reformatæ naturæ 951. Beato Iordano de Saxoniâ teste, in quodam sermone de D. Augustino.

Cor D. Augustini Sigisberto Episcopo diuinitus datum.

Ad horum confirmationem, non mediocriter facit, quod Reuerendissimus Archiepiscopus Bracharensis, Augustinus de Iesu, quocum olim Bracharæ familiariter egi, cùm à Summo Pontifice Gregorio XIII & Reuerendissimi Prioris nostri Generalis auctoritate ad lucrandas & instaurandas Germaniæ Prouincias, missus esset, Monachii Bauariæ vrbe, in nostro Augustinēsium cœnobio, inter sacras reliquias, se inuenisse testatus est; capsulam argenteam, intra quam ferreum corculum, virgulâ aureâ circumdatum seruabatur; cum hac inscriptione, *Cor contactum vero cordi S. Augustini, ferreum propter nimiam eius constantiam, & aureum propter inflammatam eius charitatem.*

Cordis Diui Augustini Memoria, in corde ferreo.

Tantopere autem sibi complacuit in D. Augustini corde Deus sagittato flammâ amoris sui, atque vulneribus, non metaphoricis, sed veris & carneis, transfixo, quemadmodum præter citatos, scribit Florentius Batauus lib. 5. institutionis Christianæ cap. 11. citatus à Sapientissimo Patre Magistro Emmanuele de Lacerdâ, in Quodlibeticis, quæst. 4 positiuâ, num. 14. in hæc verba, In perpetuum tecum ipse diligenter animaduerte, quod D. Pater Augustinus, eundem ipsum fidelissimum sui amatorem Dominum Iesum, tam ardenti vicissim amore complexus est, vt cor illius, dilectionis iaculo transfixum legatur contigisse; tantum, inquam, ex eo corde deliciarum hausit Deus, vt etiam in ipsis saxis honorarit: testis est locus cliuosus D. Catharinæ de Badayâ, vbi, ex quo Cœnobium nostri habuerunt, lapilli succrescunt, in cordis figuram efformati, qui notis quinque veluti scalptis, seu lineis decussatim implexis, tum vulnerum Christi notas, tum ipsius Diuæ rotam exprimunt, quos ego eo loci & vidi, & legi. Quàm præclarum istud signaculum, quàm nobile stemma Augustini, cor transfixū amore!

Stigmata vera Christi in corde D. Augustini.

Lapides formam cordis referunt, & rotæ S. Catharinæ.

Magnus igitur à Diuinâ charitate Augustinus: & magnus à magnis amatus D. Hieronymus, epist. 156. ad August. *Mihi decretum est te amare*, inquit, *te suspicere, colere, mirari.* Et rectè, quandoquidem *Intellectus acumine, ingenij perspicuitate, disputandi acrimoniâ, inueniendi copiâ, differendi subtilitate monstrum quoddam in naturâ fuit Augustinus, qui humanæ intelligentiæ terminos visus est transcendisse, vir intellectu, vt quidam ait, propè diuino*, inquit Archiepiscopus Valentinus Beatus Thomas de Villanouâ, Eremita Augustinianus, serm. 1. de S. Augustino, citatus ab eodem Lacerda nostro, In Conimbricensi Academiâ Theologiæ sacræ professore. Quapropter, si plerique Philosophorum, maria traiecerunt, vt eos, quos ex libris nouerant, & cognitos amauerant, coram viderent vel disputantes audirent, veluti Pythagoras, vt Memphiticos Vates; Plato Ægyptum peragrauit, vt Architam Tarentinum: & ad T. Liuium lacteo fonte manantem, de vltimis Hispaniæ, Galliarumque finibus, quosdam venisse Nobiles legimus, inquit D. Hieronymus in epist. galeatâ ad Paulinum. Veluti Apollonius quoque vt Hiarcham docentem audiret, & famosissimam Solis mensam videret in Sabulo: Non defuere, qui solatij inueniendi, vel instructionis caussa Augustinum adirent, vt Orosius ex Hispaniâ Leporinus ex Galliâ, qui in Africam profecti sunt, vt magnè amatum Magnum Augustinum consulerent, scilicet ex scriptis eius tum cognouerant, ei afficiebantur, quibus de scriptis, exstat præclarum Theodosij Imperatoris in epistolâ ad Augustinū, testimonium, inuitantis eum ad Concilium Ephesinum, quæ sic incipit, *Librorum à te conscriptorum præstantia, & industria, quâ singulariter polles in enucleatione sacrarum literarum, fructum etiam, quos in omnem Ecclesiam protulisti, caussa fuere, vt vbiuis gentium, illustrem gloriam sis adeptus.* Diuus quoque Hieronymus, nominis magni Augustini famâ illectus, ex Bethleem in Africam transuolare desiderabat, vt Augustino coram frui posset, cuius verba sunt Epist. 24. apud Diuum Augustinum, *Scribo Reuerentiæ vestræ, testem inuocans Deum, quod si posset fieri, assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer. Magnus Augustinus & laudabilis nimis; &c.*

5. D. Augustinus naturæ quoddam monstrum.

Scientiæ desiderio Philosophi, terras peragrarunt.

Orosius; Leporinus.

Librorum D. Augustini Theodosij Imperat. iudicium.

Magnus à sacris Religiosorum hominibus qui sub eius regulâ merent; & à Sanctis magnus, qui ex eius institutione iam inde à primordio illius, quod fuit vel anno Christi 393. vt placet Bergomensi, vel anno 389. vt visum est Caribayo. & Baronio Annal. tom. 4. an. 385. & 391. en referunt, vt propterea non immeritò grandis illa aquila censeatur, Ezechiel. 17. & Apocal. 8. virtute oculorum prædita singulari, & magnarum fulta præsidio alarum, sub quarum tegmine sexaginta circiter hominum sacrorum classes pullularunt: sub quarum vmbrâ omnis Africa Eremitarum Sancti Augustini Cœnobijs adeò repleri cœpit, vt nulla solitudo quantumuis inhospita, nullum Opidum, nulla Ciuitas foret, quæ non Monasterio centum & ducentorum Religiosorum insigniretur, Auctor mihi est, ipse Augustinus, sermone 21. & 22. ad Fratres, quem Posidius in eius vitâ cap. 31. Monasteria plena Fratrum & Sanctimonialium reliquisse testatur. Et reuera Monachos nullos præter Augustinenses vidit tum Africa, vt testantur Genebrardus, & Baronius; qui cùm aduersus Hæreticam luem, acerrimi Fidei propugna-

D. Aug. aquila.

Regulam D. Augustini 60. circiter hominum classes susceperunt.

pugnatores ardentissimè ferrentur, Wandalorum Arianâ peste grassantium furori obiecti sunt, quare bis mille quingentos eorum variè cruciatos, vnius persecutionis turbo sustulit, vt habet Critana noster Epitomes Historicæ cap. 4. §. 3. præter innumeros alios, & septem illos præclaros Martyres, de quibus Martyrologium Romanum, 17. Augusti, Liberatum Abbatem, siue Capsensis monasterij superiorem, Bonifacium, Seruum, Rusticum, Rogatum, Septimum & Maximum, qui in persecutione Wandalicâ, annos circiter quinquaginta, ab Augustini magni è viuis decessu, æstuantibus adhuc Africæ vastationis flammis, sub Hunnerico Rege pro confessione Catholicæ Fidei, & vnici Baptismatis defensione, varijs & inauditis supplicijs exagitati, demùm super ligna, quibus concremandi erant, clauis confixi, cùm ignis sæpiùs accensus fuisset, ac diuinitùs semper extinctus, eius iussu, remorum vectibus percussi, & comminutis cerebris enecati, speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino perfecerunt. Omitto Ægypti, Æthiopiæ vastissimas Regiones, omitto Asiam, Europam, Americam, in quibus orbis partibus, hæc stirps Augustiniana, sub alis & plumis multiplicis scientiæ humanæ & Diuinæ, præsignisque sanctitatis, magni Augustini, sese effudit. Omitto innumeras Sanctorum myriades, Nicolaum Tolentinatem, Ioannem à Sancto Facundo, Thomam Villanouanum, Ægidium Romanum, Diuum Franciscum Augustiniense primùm germen, pòst Ordinis Seraphici institutorem, innumerosque alios, qui sanctitate, doctrinâ, miraculis, Christianum orbem mirificè illustrarunt.

2500. Martyres Augustiniani.

Martyres præclari 7. Augustiniani.

Augustiniani Ægyptū, Æthiopiam, &c. implerunt.

D. Franciscus Ordinis S. Augustini, primum fuit.

Hoc vnum proferam quod Beatus Iordanus de Saxoniâ, serm. 131. Aurelium Augustinum margaritam fuisse cælestem, cæli beneficio, in hoc sæcularis vitæ mari, in Ecclesiæ Dei conchilio genitam; arcam Noachi extitisse, & antiquæ legis, sanctitatisque exemplum: & quod D. Prosper apud eundem serm. 10. nempe, quod Beatissimus Augustinus, velut alter Noë, non arcam coaptando, sed libros componendo, mundum vniuersum periclitantem, ab Hæreticis liberauit, quod miraculum, inquit, est æquiualens omnibus miraculis, quæ de quocunque alio Sancto poteris nominare. Quemcumque enim Sanctum commendare volueris, quod mortuos suscitauerit, quod infirmos curauerit, in quocunque miraculo volueris: & ego dico tibi de Sancto Augustino, quod non solum tot, sed totum orbem liberauit, totum orbem sanauit, totum orbem cum suâ doctrinâ à morte suscitauit; Magnus ergo fuerit etiam ipse Augustinus; virtute miraculorum, in energumenis liberandis, & ægrotis sanandis, sicut scribit Possidius in eius vitâ, cap. 29. maior fuit, quia antiquæ Fidei conditor, Celestinam, siue Pelagianem hæresim, vt testatur Diuus Hieronymus epist. 24. apud Diuum Augustinū, innumerasque alias, iugulauit.

D. Augustinus margarita cælestis.

Miracula D. Augustini.

Quanta, Deum immortalem! illa magni Augustini in seruando orbe vniuerso magnitudo, Seruatoris ipsius Christi assimilanda magnitudini? Nam si Christus effecit vt viueremus, Augustinus effecit vt sani perseueraremus: Si Christus fuit arca Noachi, vt in eo seruaremur à mūdo naufrago; Arca Noachi itidem fuit D. August. in quo seruamur à naufragio Fidei: nec minùs alis sanctitatis & doctrinæ suæ Augustinus vniuersum protexit orbem, à grassantibus Hæreticis, quàm Seruator noster, à rugientis leonis potestate, vi tamen superiore, liberauit. *Magnus Augustinus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.*

Augustini cum Christo comparatio.

6. Magnus quoque à laude Sanctorum, Pontificum, Conciliorum, Imperatorum, necnon etiam Hæreticorum, Sanctus Paulinus epist. 31. ad Augustinum, eum vocat sal terræ, lucernam, atque æterni fontis venam, *O verè sal terræ*, inquit, *quo præcordia nostra ne possint seculi vanescere errore, condiuntur. O lucerna, dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis Vrbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet Hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis, à confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas.* Et post pauca, *Os enim tuum, fistulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni meritò dixerim, quia fons vitæ aquæ salientis in vitam æternam Christus effectus est. Cuius desiderio, sitiuit in te anima mea, & vbertate tui fluminis, inebriari terra mea concæpiuit.* Et alibi, *Augustinus*, inquit, *subtiliùs omnibus volans, omnia reserauit, & ideò meritò Angelus, non naturâ, sed gratiâ nuncupatur.* Possidius in Epistolâ ad Macedonium, *Augustinus homo cælestis, imago Diuinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyssus sapientiæ, præco virtutis, eruditor Diuinorum eloquiorum, inquisitor prædictorum, Augustinus par Angelis in feruore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum reuelatione; par Apostolis in prædicatione; par Martyribus in desiderandæ passionem: par Confessoribus in disciplinæ traditione, & par Virginibus in continentiæ obseruatione*, & concludit, *Si cuncta corporis membra verterentur in linguas, adhuc non essent sufficientes ad laudandum tantum Patrem & Doctorem.*

Aug. sal terræ, lucerna, fontis vena.

Aug. dictus Angelus.

Aug. encomia.

Diuus Hieronymus Epist. 25. ad Augustinum: *Macte virtute*, inquit, *in orbe celebraris; Catholici te Conditorem antiquæ rursum Fidei venerantur, atque suspiciunt*, & paulò antè, *absque tui nominis mentione, ne vnam quidem horam præterire patimur, qui contra flantes ventos ardore Fidei perstitisti.* Diuus Hilarius Episcopus Arelatensis, Epist. ad Amatum, *Doctor excellentissimus Augustinus, defensor fidei nostræ, in Diuinâ meditatione semper assiduus, metu mortis intrepidus, destruxit sacrilegos, atque superauit Hæreticos.* Diuus Bernard serm. 8. in Cant. Vocat eum malleum Hæreticorum. Diuus Remigius. *In exponendis sacris Scripturis, alij Doctores comparantur stellis, Augustinus Soli; nam sicut stellæ lumen à Sole recipiunt, sic omnes Doctores lumen recipiunt ab Augustino:* atque ita (vt diximus) Doctores magni, suam magnitudinem in Augustino consequuntur. Diuus Isidorus lib. 4. Etymologiar. *Magistrorum omnium studia, Augustinus, ingenio & scientiâ vicit.*

Conditor antiquæ fidei.

Sanctus Vincentius Ordinis Sancti Dominici serm. de Sancto Augustino ait, Potest de eo verificari vna prophetia Zachariæ, quem Angelus suscitauit à somno dicens, *Quid tu vides? & dixit, vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud.* cap. 4. Nota: candelabrum aureum est Augustinus: alij Doctores dicuntur lucernæ, *Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit, neque sub modio:* & ad literam, Christus vocat quemlibet Doctorem, lucernam, sed super candelabrum, scilicet Beatum Augustinum. Quare audeo dicere, quòd omnes Doctores, qui venerunt post eum, sustentantur super eius doctrinam sanctam, puram, Catholicam, auri purissimi, sine errore falsarum opinionum: & quilibet Doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere vnam auctoritatem B. Augustini, hæc ille. Ecce autem vt ipse quoque censeat in magno Augustino,

Zachar. 4.

Aug. candelabrum aureum.
Doctores alij lucernæ.

stino, fieri Doctores magnos, ipsum autem esse in Deo magnum.

Doctores in Augustino sunt magni

Sic Doctor Angelicus in Augustino magnus effectus est, atque ita magnus, vt Possidonius in Augustino dicat, quod meritò vocari possit Augustinus alter, quæ est laus maxima D. Thomæ. Accedit Ambrosius Coriolanus in Apologiâ pro Ordine Eremitar. S. Augustini, in tract. cui titulus est, Augustinus fuit imago Trinitatis, vbi disertè probat cum præstantiorem cæteris mortalibus Trinitatis imaginem extitisse, idque ex intellectus & ingenij acumine super omnes cæteros præstanti, inquit de Lacerdâ Ribadeneira, qui de S. Augustino inquit, Doctor magnorum Doctorum, à Deo doctus, homo qui de fonte Diuinitatis bibit, ter sanctus inter doctos, & ter doctus inter sanctos, Cherubim per scientiam, & Seraphim per amoris ignem.

D. Thom. alter August.

Aug. Trinitatis imago singularis.

7.

Quare rectè Diuus Gregorius de Augustino, de magno magnus, Si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini opuscula legite, & ad comparationem similaginis illius, nostrum furfurem non quæratis, ita Diuus ille, lib. 8. Registri, cap. 37. & epistolâ ad Præfectum Asiæ, Beati Augustini compatriotæ opuscula legito, ad comparationem illius similaginis, nostrum furfurem non quæratis. Ioannes Pontifex Romanus lib. de duabus naturis in Christo, Augustini doctrinam, secundum Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & seruat Ecclesia. Cælestinus PP. tom. 1. Concilior. ad Episcopos Galliæ, Augustinum sanctæ recordationis virum, nunquam sinistræ suspicionis saltem rumor inspersit. Martinus V. Pontifex Summus, serm. de Translatione S. Monicæ, Si veritatem quæritis, inquit, si doctrinam, si pietatem; quis doctior, quis iustior, quis (vt ita dicam) sanctior Augustino? & paulò pòst, Augustini tanta extant erga omnem Ecclesiam beneficia, vt nulli penè, (vt ita dicam) Sanctorum, maiora merita debeamus. Quidquid enim simul omnes Apostoli plantauerunt, quidquid Apollo, atque alij Apostolorum sectatores rigauerunt, hic coronauit.

Magnus à doctrinâ Augustinus.

Concilia, magnum prædicarunt: Conc. 5. generale: Sequimur per omnia Augustinum, & suscipimus omnia quæ de rectâ fide & condemnatione Hæreticorum exposuit. Conc. Florentin. Augustinum illustrissimum Latinorum Doctorem, quinta Synodus consecrabit. Et in ipsis Concilijs magnus: præfuit enim Concilio Carthaginensi, vbi 286. Episcopi conuenerant, & posteà Mileuitano.

August. doctrinam probat Ecclesia.

A legatione magnus, cum namque Zozimus PP. anno salutis 418. Cæsaream Mauritaniæ Ciuitatem cum Legati munere misit, vbi cum Emerito Donatista illius loci Episcopo, disputatione habitâ, plurimos abusus sustulit, qui erant maximè circa Missæ sacrificium, vt videre est Epist. 157. ad Optatum. Et serm. 25. de tempore. Legatione quoque functus est ad Honorium Imperatorem contra Donatistas, qui multos Catholicos, sacrorum præcipuè librorum exustione, diuexabant.

Hinc etiam magnus ab Imperatorum laude, ad quem scribens Theodosius Imperator, atque ad Ephesinam Synodum per Magistrianum Imperatoris à Cubiculis, & Carthaginensem Legatum, inuitans, inter cætera inquit, *Nunc igitur te, qui rebus in omnibus lumen es orbis Christiani, quique idem terror & hostis omnium sectariorum, qui sub oculis tuis comparere verentur; te, inquam, rogamus, quàm possumus studiosissimè, vt Ephesi te sistas, quæ in vrbe, locus est Concilio quod habebitur, designatus. Data fuerunt Romæ, Basso & Antiocho Coss.* Non recepit Augustinus, obierat enim extremum diem, vbi ad Africam peruenerunt, redditæ autem sunt Capreolo, Primati Carthaginensi.

Aug. lumen orbis Christiani.

8. Augustinum suspiciunt Hæretici.

Hæretici quoque ipsi, Diuum Augustinum suspiciunt, impulsu veritatis, quæ ex inuitis interdum erumpit pectoribus: In scholâ nostrâ, inquit Philippus Melanchton declamatione in Sanctum Augustinum, gratam Augustini mentionem esse decet, cuius doctrina, cùm sit necessaria Ecclesiæ, meritò Augustinum amare debemus, qui celestem illum thesaurum præcipuè conseruauit. Caluinus quoque lib. 3. Institut. cap. 3. Nec opus est, inquit, laborando inuestigare, quid Doctores senserint, quando vnus Augustinus ad id sufficere potest: ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi voluerint.

9. Aug. etiam post mortem magnus.

Neque illius vitæ limitibus solùm, admensa eius magnitudo fuit, sed ipsa se etiam post mortem extendit, quod ex corde ipsius patet. Cor namque tam amorosum inclyti Doctoris Augustini Sigisberto Episcopo ab Angelo redditum, atque in vasculo crystallino asseruatum, quoties Beata Trinitas coram eo nominabatur, vel liber eius de eadem conscriptus expandebatur, notabilibus subsultibus exiliebat; quod sanè nulli adscribendum potentiæ quàm Diuinæ, vt cor exanime, motus vel intelligentis naturæ haberet. Idem facere solitum refert liber qui inscriptus est Panis quotidianus Anagniæ impressus anno 1509. in Missâ, ad recitationem horum verborum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Quid multa? magnum Magni Augustini cor, etiam multis sæculis post fata, illo subsultu, illa exultatione clamat, quantùm cor & caro viuentis, exultarint in Deum viuum: clamat magno miraculo exultationis suæ, quæ viuus, voce & calamo, de Sanctissimâ Triade, nobis tradidit: illo motu, tanquam linguâ & calamo loquens quæcunque erant in corde suo, veluti de Reginâ Sabâ scriptum est, 2. Paralip. 9. Ad cuius mutas voces, & iubilationis saltus, contremiscerent Hæretici, & velut connïuentes oculi ad aspectum Solis ferientis obcœcarentur, eliderenturque. Nunquam enim, vt habet Hieronymus Romanus noster, 1. parte Chronicor. Eremitici Ordinis cap. 35. Ecclesia in quâ cor erat Sancti Augustini, Hæretici hominis ingressum passa est, qui aut in vestibulo non caderet, aut intus non occumberet: indeque ortum, vt sub illis temporibus cordis imago sculpta aut picta proponeretur, multis hinc & inde, sub eius cuspide, prostratis, & profligatis Hæreticis, sicut scribit Ioannes Gonzales de Critanâ, epitomes historicæ cap. 8. §. 1. Meritò ergo *Magnus Augustinus & laudabilis valdè, & magnitudinis eius non est finis*, quem cùm magnum coram appellauit Dominus istis, innumerisque alijs titulis, magnum pronuntiauit vt & nos afflante numine, ad illius imitamentum, quantum accedere dabitur, magni formemur in Deo.

Cor August. Sigisbertus accepit diuinitus.

Cordis D. Aug. subsultus miri.

Cordis Aug. imago sub qua prostrati Hæretici.

Capitis 26. §. 2.

Quæ Christo sunt, communia, ista nobis quoque communia.

1. Christus homo factus, & homo sit quia Christus est.

VT multorum denique Nominum Diuinorum participatam similitudinem prætereà: pergo

pergo nunc ad ea quæ communia sunt, tam ei qui supra nos est, Dei Verbo, quàm eidem, propter nos homini facto, Christo nimirum, qui, *quod homo est esse voluit, vt & homo possit esse quod Christus est*, inquit D. Cyprian. de Idolor. vanitate.

Et quem Deus Pater, nobis inter æstuantes pelagi huius mortalitatis fluctus nauigantibus, in sidus operum nostrorum dirigentium, exemplarque faciendorum, proposuit. *Propositum est nobis ad imitandum Christus Iesus*, inquit Origen. hom. 7. in Ezechiel. *illud exemplar firmum est, illud propositum solidum, quod qui sequi cupit, securus ingreditur*: & Deus Pater ad Filium suum apud Isa. cap. 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea ad extremum terræ*: vt nimirum, eius vita esset vitæ nostræ speculum; eius exempla, operum nostrorum vita; eius doctrina, regula morum, & dictorum; ad quam regulam coaptabimur in vitæ nostræ extremis, vt si æqui ad mensuram comperti non fuerimus, reijciamur tanquam inutiles cælesti fabricæ: sin æqui inuenti fuerimus, tantò ampliori caritate ad æterna tabernacula sursum efferamur, quanto ad normam exactiùs actus nostros direxerimus.

Isa. 49.

Christus, norma cui morientes applicabimur.

Quemadmodum enim Reges, præ cæteris eos in amore habent, quos propriùs ad sui regiminis, vitæque regulam, in rerum moderamine, accessisse cognouerint, ita Dij (inquit Dion. Nizæus Imperatori Traiano, oratione 1. de regno, qui meliùs dixisset, Deus) erga eos afficiuntur præ cæteris, qui prototypi imaginem humana moderando, in animis suis meliùs expresserint. Hæc autem est generis nostri dignitas naturalis, si in nobis, quasi in speculo quodam, diuinæ benignitatis forma resplendeat, inquit D. Leo Papa, sermone 1. de ieiunio decimi mensis. Ea propter, si Verbum illud æternum dicitur Filius, quia ex Patre est, & idem essentiâ cum illo, Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, & psal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vult etiam Deus fideles suos, tanquam ex Deo natos, Filios Dei fieri; non quidem secundum perfectam filiationis rationem, sicuti docet D. Tho. 1. part. quæst. 33. art. 3. quia nulla talis, respectu Dei, in creaturâ inuenitur, cùm Creatoris & creaturæ non vna sit natura, sed secundùm quandam similitudinem, Solus namque *Dominus & Saluator noster Iesus Christus*, inquit D. August. lib. 2. contra Faustum Manichæum, cap. 3. tomo 6. *Verus & verax Dei Filius, verus & verax hominis Filius, quod vtrumque de se ipse ipse testatur, & de vero Deo Diuinitatis æternitatem, & de vero homine carnis originem duxit.* De hominibus autem dicitur Ioan. 1. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* D. Ambros. apud D. Tho. in Catenâ: *Magna, inquit, beneuolentia, vnicus natus est, & noluit manere vnus, non timuit habere cohæredes, quia hæreditas eius non fit angusta, si multi possederint.* Chrysostomus, *Etenim in potestate est liberi arbitrij, & gratiæ operatione, Filios Dei fieri.*

Christi forma in nobis, amatur.

Matth. 17.
Psal. 2.

Filios nos suos fieri vt velit Deus.

Ioan. 1.

Si vnigenitus appellatur, *non quia solus ex solo, & solùm*, inquit D. Gregor. Nazianzenus Orat. 36. sed etiam, quia peculiari quodam modo, *ac non vt corpora*, cùm nullam comparationem admittat cum ijs qui corporaliter procreantur; *nam genitus est ἀχρόνως, id est, sine tempore, ἀῤῥεύστως, id est, sine fluxione, ἀπαθῶς, id est, sine affectione*, inquit Elias Cretensis Scholiastes ibi. *Ideò & vnigenitus in Scripturis, & primogenitus dicitur; vnigenitus à Patre, primogenitus ex mortuis. Et vidimus, inquit, gloriam eius tanquam vnigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate. Et Paulus dicit* (Rom. 8.) *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, inquit D. August. lib. contra Epist. Fundamenti, cap. 37. explicat illud *quasi*, D. Gregorius dicens: *In sacro eloquio, Sicut, & quasi, aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate; vnde & illud, quasi vnigeniti à Patre.* Ac si diceret, inquit D. Chrysost. *Vidimus gloriam qualem decebat, & conueniens est habere vnigenitum, & naturalem Filium.* Vnigenitus igitur ille est, & è tot, tantisque nationibus, mundi huius incolis, quasi vnigenitos nos esse voluit, qui regenerationis lauacro, ad Fidei sacramenta initiamur, quia non *in Ismaële, sed in Isaac vocabitur tibi semen*, inquit Dominus, cap. 21. Genes. & refert Apostolus ad Rom. cap. 9. in vnigenito, nempe Abrahæ Filio legitimo: vnde Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israel.*

Christus vnigenitus.

Rom. 8.

Sicut, & quasi, vt accipiuntur.

Gen. 21.

Exod. 4.

Si sapientia nuncupatur, vt ipsa est essentialiter, rerum humanarum, Diuinarumque scientia (neque enim eorum quæ à se condita sunt, rationes ignorare potest) nunquid & Salomoni Dominus 2. Paralipom. 1. *Sapientia & scientia data sunt tibi*: & vt Esdras Scriba doctus in lege Domini, ad sapientiæ Dei libellam, iudices statuat, decernitur, 1. Esdræ cap. 7. *Tu autem, Esdra, secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tuâ, constitue Iudices & Præsides.* Apostolus autem 1. Cor. 1. Christum dixit Dei virtutem, & Dei sapientiam. *Virtutem ad signa retulit, propter Iudæos*, inquit Diuus Augustinus, lib. 1. quæstion. Euangelicar. quæst. 14. *Sapientiam autem, ad doctrinam propter Græcos, id est, Gentiles.*

2. Christ. sapientia.

2. Paralip. 1.

1. Esd. 7.

1. Cor. 1.

Si potentia vocatur, vt rerum à se conditarum conseruator, & vim suppeditans quâ contineantur: est enim ipse potentia, siue brachium Domini, per quod Pater operatus est omnia. Etiam exercituum, diuitumque potentia nominatur, quæ non ad oppressionem mortalium, sed ad humanæ societatis defensionem, & conseruationem à Deo est homini tributa. Est autem potentia secundum Speusippum lib. de definit. Plato. id quod per seipsum est efficax: habitus, inquam, quo potentes efficimur, excellentia in dicendis, seu agendis, vt scribit Petr. Gregor. Syntagm. Iuris lib. 11. cap. 2. n. 3. non ad opprimendum, quemquam, sed ad conseruandum.

Christus, potentia & virtus, & brachium.

Potentia quid sit.

Si veritas appellatur, quia naturâ vnum sit, non multa: veritas siquidem vnum est, non multa; mendacium verò multiplex: & quia etiam purum Patris sigillum, minimeque mendax character. Veritas etiam homini communicatur, *Pones autem*, ait Dominus Exod. cap. 28. *in rationali Iudicij, doctrinam & veritatem, vrim & Thumim*, id est, lumen & plenitudinem. Quia enim in timore & veritate Deo famulandum, vt est apud Tobiam cap. 14. doctrinæ lumen, veritatisque plenitudo, dum mendacem, atque adeò multiplicem rerum mundanarum vanitatem manifestant, & ad vnum summum verum, quod est ipsa veritas Deus, cui adhærere bonum est, quasi manu ducunt.

Christus veritas.

Exod. 28.

Imago est, quia eiusdem cum Patre substantiæ, & quia ex illo est, non autem ex hoc Pater. Sap. 7. *Imago bonitatis Dei* 2. ad Corinth. 4. & ad Coloss. 1. *Imago Dei inuisibilis*: & hæc naturalis, quia est ipsa Patris essentia: vnde D. Bern. serm. 80. in Cant. *Verbum est veritas, est sapientia, est iustitia: & hæc imago; Cuius? Iustitiæ, sapientiæ & veritatis. Est enim imago hæc, iustitia de iustitiâ, sapientia de sapientiâ, veritas de veritate, quasi de lumine lumen, de Deo Deus.* Et infra; *Est enim consubstantialis Deo imago sua, & omne quod eidem suæ imagini impartiri videtur, ambobus est substantiale, non accidentale.* Et nos imago Dei imitatoria, ad Rom. 8. *quos præsciuit conformes fieri imaginis Filij sui.* Bernard. *Oportet namque, id quod ad imaginem est, cum imagine conuenire, & non in vacuum participare nomen imaginis; quemadmodum*

Christus imago.
Sap. 7.
2. Cor. 4.
Coloss. 1.

Rom. 8.

Anima ad imaginem.

nec imago, ipsa sola (quod est verbum) *vel vacuo nomine vocitatur imago.* Vbi docet Christum esse imaginem, animam verò rationalem, esse ad imaginem, neque ad imaginem tantùm, sed ad similitudinem factam.

Christus lux. Matth. 5.

Dicitur lux, vt animarum splendor, quæ & vitâ & sermone purgantur; sic & homines lucem appellauit, Matth. 5. *Vos estis lux mundi*: nam cùm ignorantia & peccatum tenebræ sint, scientia lux erit, & vita immaculata. Ideoque Salomon, vt viam iustorum à vijs impiorum secerneret, Prouerb. 4. infit, *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit, vsque ad perfectam diem.* Ad illius namque lucis ortum, fugantur deceptrices voluptatum formæ, dignoscuntur creaturarum lineæ, quæ à Deo, tanquam à centro suo emanarunt, vt in illis non inhæreat affectus, sed per illas ad centrum ipsum pergat, quasi ad perfectam diem gloriæ beatitatis Dei, cui totus adhærescat, lineas omnes in ipsâ complectens.

Prou. 4.

Lineæ creaturarum ducunt ad Deũ.

Christus speculum.

Speculum, quia in illud aspiciens iustus, componit sese: Angelus gratiæ & gloriæ sibi communicatæ splendores admiratur: Dei Patris majestas per illud monstratur: & per illud, admissum Diuinitatis & substantiæ paternæ radium, qui ipse Filius est, remittens ad Patrem, cum Patre producit Calorem, consubstantialem Patri & Filio, nempe Spiritum Sanctum. Sap. 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* Est & homo speculum, in quo, si vultum natiuitatis suæ considerarit, Iob cap. 1. hoc est, si seipsum mente & cogitatione intuitus fuerit, conditionis suæ terrenæ fluxum & caducum agnoscet radium, & humiliabitur: & alterum supernæ portionis demirabitur æternum, æterni imaginem & speculum Dei, & eleuabitur, ardentioris amoris affectu in Deum eleuabitur.

Sap. 7.

3. Virgo Mar. speculum.

Sed præcipuè Virgo & Mater sacratissima, speculum est, & quidem sine maculâ, in quod Pater æternus visus est intueri, quando imaginem suam voluit incarnari: quando iam genitum ex se radium generatione æternâ, in eam misit, vt is nouo modo, nouâ generatione formatus in hominem, sine vllâ sui mutatione, creatam omnis creaturæ, & increatam Patris, ipsi Patri, in se repræsentaret naturam: & ipse talem recepit sui imaginem ex hoc speculo Pater, quod est sine macula, quia nimirum siue formationis illius tempora, siue iam formatæ ætatis fluxum inspexeris, eminentissimæ, luculentissimæque Diuinæ benignitatis formæ, in eâ semper resplenduerunt.

Christus exemplar. 1. Petr. 2.

Exemplar, quia 1. Petri 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Datus est nobis in exemplar, *Qui seculi damnum*, inquit, D. Hilarius canone 17. in Matth. *Crucis voluntatem, obitum corporis; & post hæc, regni cælestis gloriam facti confirmaret exemplo.* Quare iubemur facere secundum exemplar, quod in monte Caluariæ monstratum est nobis: ibi enim opere ipso exhibitum est, quod ab alijs edisseritur faciendum. D. Bernard. serm. 1. in Natali Domini. *Quæ necessitas fuit, vt sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreuiaret se Dominus majestatis, nisi vt vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, vt verax inueniatur qui dicit, Cœpit Iesus facere & docere. Obsecro proinde & plurimùm rogo Fratres, non patiamini sine caussâ tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renouamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est, custosque virtutum; sectamini illam quæ sola potest saluare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum ampliùs, quid grauiùs puniendum, quàm vt videns Deum cæli paruulum factum, vltra apponat homo magnificare se super terram: Intolerabilis impudentia est, vt vbi sese exinaniuit majestas, vermiculus infletur & intumescat.* Et serm. 22. in Cant. *Addidit quoque sanctè inter peccatores viuere, & sic tradere formam vitæ tanquam viæ, quâ redires ad patriam.* Et ne tanti exemplaris splendor animorum nostrorum lumina grauiter perstringeret, & ab imitatione sui arduum illud exemplum, virium nostrarum modùm, deterreret potiùs quàm ad sequendum prouocaret, voluit Dominus noster societatis & cõuersationis mortales, Sanctos, nimirum, suos, nobis esse exemplar virtutum, tanquam magis cognitum, propiusque ad imbecillitatis nostræ metas accedens, ne quid desidibus animis superesset effugij, quò minùs totâ contentione, totaque animi & corporis velitatione, ad consectanda Sanctorum vestigia conniterentur.

Sancti in exemplar nobis propositi.

Christus vita.

Vita, quia lux, totiusque naturæ ratione prædita coagmentatio, & procreatio. *In ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* Act. 17. D. Augustinus tract. 22. in Ioan. explicans illud Ioan. 14. *Ego sum via veritas & vita. Ambulare vis, inquit, ego sum via. Falli non vis, ego sum veritas. Mori non vis, ego sum vita. Hoc dicit tibi Saluator tuus. Non est quò eas, nisi ad me: non est quà eas, nisi per me. Nunc ergo istâ horâ agitur, hoc & agitur planè, & omnino non cessatur. Surgunt homines qui mortui erant, transeunt ad vitam, ad vocem Filij Dei viuant, de illa perseuerantes in fide ipsius. Habet enim Filius vitam, vnde viuant credentes, habet.* Arbor est vitæ in medio paradisi, id est, Ecclesiæ, cuius fructus præstat immortalitatem, veriùs quàm conficta à Poetis Deorum Ambrosia, de qua Martialis, vt Iouem asserat immortalem.

Act. 17.

Ioa. 14.

Iupiter, ambrosiâ satur est, & nectare viuit.

Diuus August. in cap. 2. Epist. D. Ioann. tract. 2. *Rerum temporalium fluuius trahit; sed tanquam circa fluuium, arbor nata est Dominus noster Iesus Christus. Assumpsit carnem, mortuus est, resurrexit, ascendit in cælum. Voluit se quodammodo circa fluuium temporum plantare: raperis in præceps, tene lignum. Voluit te amor mundi, tene Christum. Propter te factus est temporalis, vt tu fias æternus: quia & ille sic factus est temporalis, vt maneat æternus. Accessit illi aliquid ex tempore, non decessit ex æternitate.* Est & homo vita, sed ea vita, quæ abscondita est cum Christo in Deo, ad Coloss. 3. & est, *Sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* gratiæ Dei, *quod fructum suum*, fructum virtutum, patientiæ, & humilitatis, dabit *in tempore suo*, in vitâ hac mortali, quam ad æternitatem superioris vitæ consequendam, tanquam tempus suum, in quo operari potest, Diuino munere adeptus est.

Arbor Christus.

Christus temporalis factus, vt simus æterni.

Coloss. 3.

Ps. 1.

4. Christus Iustitia.

Iustitia, quia pro meritis præmia & pœnas distribuit, inquit D. Gregor. Nazian. *Æquumque iudicem se præbet his qui sub lege sunt, & his qui sub gratiâ: corporique item & animæ, vt illud pareat, hæc præsit atque imperet, præstantiorque pars principatum aduersus inferiorem teneat; nec id quod deterius est, aduersus id quod melius est insurgat.* Etiam in hominem transfunditur iustitia Dei, non quâ ipse Deus iustus est, *sed quâ ipse nos iustos facit*, inquit Concil. Trid. ss. 6. cap. 7. etenim, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, seipsum scilicet offerendo hostiam pro peccato, *vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* 2. Corinth. 5. id est, inquit D. Tho. lect. 5. vt nos qui peccatores sumus, efficeremur non solùm iusti, immò ipsa iustitia, id est, iustificaremur à Deo: vel iustitia, quia non solùm nos iustificauit, sed etiam voluit quod per nos alij iustificarentur. Iustitia dico Dei, nõ nostra vel aliter, vt ipse Christus dicatur iustitia. Et tunc est sensus, vt nos efficeremur iustitia, id est, vt inhæreremus Christo per amorẽ & fidem, qui Christus est ipsa iustitia.

2. Cor. 5.

Iustitia vt fiat homo.

Dicit

Dicit autem, *Dei*, vt excludat iustitiam hominis, quæ est, quâ homo confidit de proprijs meritis, Rom. 10. Ignorantes Dei iustitiam & suam volêtes statuere, iustitiæ Dei nô sunt subiecti. *In ipso*, scilicet, Christo, id est per Christû, quia ipse factus est nobis iustitia. 1. Cor. 1. Hæc Diuus Thomas. *Cùm enim à peccato liber esset*, inquit Theodoret. *mortem peccatorum subijt, vt hominum peccatum solueret, & id vocatus quod nos eramus, nos fecit id quod erat: Iustitiæ enim nobis opera donauit.*

Rom. 10.

Verbum, quia ita se habet ad Patrem sicut sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verumetiam propter coniunctionem eius cum Patre, atque vim enuntiatricem: Nam quemadmodum, vt inquit D. Augustinus, humana mens verbum communis locutionis ex se cogitando gignit, & idem verbum in mente & memoriâ simul, vna essentia existit: quum verò mens verbum suum alijs innotescere cupit, cum eadem cogitatione quæ nihil aliud est quàm verbum suum, & cum memoriâ disponit, quod idem verbum corpus vocis induit, & auribus audibile & cordibus audientium visibile procedit, & etiam literis corpus suum ligari, & videri permittit, & tamen inuisibile manens, de essentiâ mentis & memoriæ non recedit: ita Verbum Patris, quod singulariter humanum corpus induit, & se sensibile exhibuit, ipsum tamen inseparabiliter in essentiâ Patris & Spiritus Sancti, inuisibile, & impassibile permansit. Et Deus posuit in nobis verbum reconciliationis, vt verbum Christi habitet in nobis, 1. & Thessalonicen. 2.

Christus verbum.

Verbum mentis vt gignatur.

1. Thessal. 2.

Sanctificatio, quia puritas. 1. ad Corinth: 1. *Factus est nobis sapientia à Deo, iustitia & sanctificatio, & redemptio.* Sanctificamur enim per Christum, inquit D. Thomas lectione 4. inquantum per eum Deo coniungimur, in quo consistit vera nobilitas, secundum illud 1. Reg. 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Vnde dicitur Hebr. vltimo: *Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Pulchrè Diuus Augustinus tract. 108. in Ioan. explicans illa verba Domini, *Et pro eis, ego sanctifico meipsum. Quid est enim*, inquit, *& pro eis sanctifico meipsum, nisi eos in meipso sanctifico, cùm & ipsi sint ego. Quoniam de quibus hoc ait, vt dixi, membra sunt eius. & vnus est Christus, caput, & corpus.* Et infra. *Quod vt etiam hoc loco certum sit, attende sequentia. Cùm enim dixisset, & pro eis sanctifico meipsum, vt intelligeremus hoc eum dixisse, quòd eos sanctificaret in se, mox addidit, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.*
Quod quid est aliud quàm in me, secundum id quod Veritas est Verbum illud in principio Deus? In quo & ipse Filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro; quia vna persona facta est Verbum & homo. Tunc ergo sanctificauit se in se, hoc est, hominem se, in Verbo se: quia vnus est Christus Verbum & homo, sanctificans hominem in Verbo. Propter sua verò membra, & pro eis, inquit, ego, id est, quod prosit etiam ipsis, quia & ipsi sunt ego: sicut mihi profuit in me, quia homo sum sine ipsis. & ego sanctifico meipsum, hoc est ipsos in me, tanquam meipsum sanctifico ego, quoniam in me etiam ipsi sunt ego. Vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Quid est & ipsi, nisi quemadmodum ego, in veritate, quod ipse sum ego? Atque ita quoque sanctificatio communicata hominibus est, sicut lego psal. 113. Iudæam factam esse sanctificationem Dei, & Apostolus 1. ad Thessal. 4. ait: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*, nempe si purum Numen cum sanctitate & puritate susceperimus, quod seipsum liberaliter donat volentibus. D. Thomas ibi. Quasi dicat. Omnia præcepta Dei sunt ad hoc, quod sitis sancti: sanctitas enim dicit munditiam & firmitatem. Et omnia Dei præcepta inducunt ad ista, vt quis mundus sit à malo, & firmus in bono, Rom. 12. probetis quæ sit voluntas Dei, scilicet explicata per præcepta, hactenus D. Thomas.

Christus sanctificatio 1. Cor. 1.

1. Reg. 2.

Hebr. 13.

Ps. 113.

1. Thess. 4.

Sanctitas quid sit.

Rom. 12.

Redemptio, quia libertatis nostræ lytrum appendit Patri. August. serm. 119. de tempore, cap. 2. *Nemo enim præter ipsum Redemptor noster, non auro, non argento, sed sanguine suo*, vnde etiam pretium magnum appellatur. 1. ad Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno*, carne scilicet, vitâ, sanguine, honore eius, ex infami seruitute, ad libertatem filiorum translati. D. Tho. in eum locum, lect. 3. *Dicitur autem pretium redemptionis magnum, quia non est corruptibile, sed æternam habens virtutem, cùm sit sanguis ipsius Dei æterni.* Et in cap. 1. 1. ad Corinth. *Factus est autem nobis redemptio, inquantum per ipsum redempti sumus de seruitute peccati, in quo vera ignobilitas consistit.* Atque ita factus est nobis redemptio, quam redemptionem psal. 110. *misit Dominus populo suo*: & iusti, Eccl. 49. *redemerunt se in fide vitæ suæ*, & iustus est, psal. 102. *qui redimit de interitu vitam suam*, Seruatoris Christi cooperans redemptioni.

Christus redemptio.

1. Cor. 6. Pretium magnum quale.

Eccl. 49. Psal. 102.

Resurrectio, quia & nostræ resurrectionis auctor, quando corpore rediuiuus, sese mortis, cui adstringebamur, triumphatorem ostendit, resurrectione suâ, duas mortes nostras, animæ, nimirum, & corporis soluens, & duas resurrectiones nostras formans; resurrectione suâ à mortuis, nihil hominis perire naturæ, cùm omnia salua sint Deo, satis indicans; vt docet D. August. lib. de verâ Religione, cap. 16. vnde simpla Christi Resurrectio, & Sacramentum renouationis nostræ est, & eius, quæ in fine futura est, euigilationis exemplum, vt scribit D. Augustinus, lib. 4. de Trinit. cap. 13. & Apocal. 20. *Beatus qui habet partem in resurrectione primâ.* Patientiæ autem præmium, resurrectio ipsa est. Varia refert D. Ambros. lib. de Fide contra Arianos, cap. 6. quibus Filius Dei in Sacrâ Scripturâ nuncupatur.

Christus resurrectio.

Apoc. 20.

Ait enim. *Quid est Filius? de eo quod Pater est, Filius idem. Nam Verbum nuncupatur, quia ex proprio ore Diuino processit, & nihil Pater sine eo aut iussit, aut fecit: virtus dicitur, quia verè de Deo, & semper cum Deo est, & omnis potestas Patris in eo consistit. Sapientia, quia arcana cælestia credentibus reuelauit. Dextera, quia per eum omnia opera Diuina perfecta sunt. Brachium, quia ab ipso omnia continentur. Margarita, vt nihil illo pretiosius habeatur. Thesaurus vt in ipso omnes opes cælestes conditæ cognoscantur. Retia, quia per ipsum de mari sæculi gentium multitudo per aquam baptismatis in Ecclesiâ congregatur. Aratrum, quia signo crucis suæ dura pectora subijciuntur. Fons, quia ex ipso sitientia corda, cælestis aquæ gratiâ irrigantur. Petra, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis, quia vtrosque parietes, noui & veteris Testamenti, in semetipso copulauit. Agnus, vt innocentia Christi & passio demonstretur: Homo, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus, quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila, quia post venerabilem Resurrectionem, vt Rex, altam ad Patris penuolat sedem. Leo, quia ipse est Rex Regum, qui mortem ac Zabulum virtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ascensus est. Veritas, quia mendacium nescit. Vita quia vniuersa viuificat.* Dicitur etiam lux, vt est ratio cognoscendi omnia. Speculum, vt est ratio cognoscendi visa & approbata. Exemplar, vt est ratio cognoscendi prædisposita. Liber vitæ, vt est ratio cognoscendi prædestinata, & approbata. Vnde est liber vitæ respectu rerum redeuntium: exemplar, vt existentium: speculum, vt euntium: lux respectu omnium. Et ad exemplar spectat idea, verbum, ars, & ratio, sicut aduertit Viegas in Apocal. Idea, secundum actum præuidendi:

Verbum. Virtus. Sapientia. Dextera. Brachium. Margarita. Thesaurus. Retia. Aratrum. Fons. Petra. Lapis. Agnus. Homo. Vitulus. Aquila. Leo. Via. Veritas. Vita. Lux. Speculum. Exemplar. Liber vitæ.

verbum

verbum secundum actum proponendi: ars secundum actum prosequendi; ratio, secundum actum perficiendi, quia superaddit rationem finis, vel intentionem.

5. Nomina sua homini cōmunicat Christus.

Et hæc sunt axiomata vtrique Christi naturæ communia, & mortali hominum generi ferè communicata: *Axiomata namque sua*, inquit D. Basil. homil. 19. de pœnitentiâ, *Iesus largitur alijs: largitur autem ea, non exacuatus, sed nihilominus habens: Lux est, vos estis lux mundi, inquit. Sacerdos est, & facit Sacerdotes. Quæ sua sunt largitur seruis suis, argumentum hoc est opulentiæ, habere videlicet, & alijs dare.* Exhauriri potest opulentia regum, ex munerum largitione, tantoque pauperiores fieri possunt, quantò plus largiti fuerint; non sic Deus, qui fons bonorum perennis, quique labris tanti fontis os admouentes, ita locupletat, vt de plenitudine eius haurientes impleantur, nec quidquam exhauriant: Quare S. Paulinus lib. 4. epist. ad Seuerum, *Sic & honori suo implicat suos, & prope omnia nomina sua nobis communicat:* & Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 13. *Itaque affectauit Christus Dominus discipulorum, de figuris suis peculiariter nomen commutare, propriùs quàm de non suis*, Simonem Barionam intelligit, quem Dominus, & non alium ex discipulis, Petrum appellauit. Sed & Abrabæ duas literas addidit sui nominis יהוה *Lehoua*: nam cùm is Abram prius diceretur, post additis elementis, *a*, & *h*, Abraham est nuncupatus. Petro nihilominus amplius contulit, quia totum nomen suum illi communicauit, & Petram nominauit; ex quo factum est, vt nomen appellatiuum Christi, fieret nomen proprium Petri, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā*, Matth. 16. vnde D. Basil. homil. de pœnitentiâ, *Petrus, petra est*, inquit, *propter Christum petram, largitur enim Iesus suas dignitates. petra est, & petram facit:* & Maximus Taurinensis Episcopus, serm. 1. de Petro & Paulo; *Petro Christus communionem sui nominis indulsit libenter. Vt enim, sicut Apostolus Paulus edocuit, petra erat Christus; ita per Christum Petrus factus est petra; dicente Domino, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* Neque verò Christus discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, vt inquit Paulinus Nolanus epist. 4. ad Seuerum, verumetiam virtutis suæ fecit participem: ita Prosper Aquitanicus Regiensis Episcopus lib. 2. de vocatione gentium cap. 28. quum inquit, *Hæc fortissima petra, ab illâ principali petrâ, communionem, & virtutis sumpsit, & nominis.* Eam ob caussam Summis Pontificibus electis, primū nomen excidit, maximè si nō satis honestum visum fuerit, vt scribit Petrus Gregor. Syntagmatis iuris lib. 36. cap. 4. num. 3. & aliud nouum imponi solet, ac si renati in nouos essent homines. gloss. in l. proœ. sexti, in verbo Bonifacius; Exemplo Domini nostri Iesu Christi, qui primo Summo Pontifici à se instituto, Simonis nomen, in Petrum, seu Cepham mutauit, can. in nouo. 21. dist. in Cathedram autem Petri vocantur Sūmi Pontifices. c. per venerabilem, qui fil. sint legiti. & proinde illis mutatur nomen exemplo Domini, cuius omnis actio fuit nostra instructio. cap. significasti, de elect. ca. Deus omnipotens. 2. q. 1.

Apostolorū solus Simon Barionas vocatus est Petrus.

Nominis magni literæ duæ datæ Abrahæ.

Matt. 16.

Petrus virtutis Christi factus particeps.

Pontificis summi nomen cur mutetur.

Christus pastor.

Et rursus quanquam de se solo Christus dixerit *Ego sum pastor bonus*. Petrum nihilominus, ouiū quoque pastorem instituit, non nominis modò, sed etiam potestatis communicatione, quando alijs Apostolis prætermissis; Petrum dumtaxat affatus, dixit *Pasce oues meas*. Hinc Arnobius in psal. 138. *Hoc ergo nomen sanctum, & ipsum nominis potestatem, post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus, negatori suo hanc quam solus habuit, tribuit potestatem.*

6. Iesus Christus à chrismate.

Et tandem Dominus meus Iesus, Christus appellatur, à *chrismate*, inquit Tertullianus lib. de baptismo, quod *est vnctio, quæ Domino nomen accōmodauit, facta spiritalis, quia spiritu vnctus est à Deo Patre, sicut in Actis* (cap. 4.) *collecti sunt enim vero in istâ ciuitate aduersus sanctum filium tuum quem vnxisti*, de quo cecinit Propheta regius ps. l. 44. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ, præ participibus tuis:* idcirco autem vngendum oleo lætitiæ, id est, vnguento iucundissimo inquit Soto maior in 1. cap. Cant. esse prædixit, quia ad eius vnctionem seu electionem in regem & sacerdotem diuinitùs fiendam, simul & ad rationem huius nominis Christi respiciebat, quòd ab vnctione, seu vnguento deriuatur, alludens videlicet ad morem & ritum suæ gentis, apud quam reges & sacerdotes, vnguento composito vario, & pretioso vngebantur, cùm inaugurabantur, &c. quare Reges suos christos appellarunt Iudæi, inquit D. August. lib. 1. de Consensu Euangelistar. cap. 13. quorum & regnum, & templum, & sacerdotium, & sacrificium, & vnctio illa mystica, non fuere nisi prænunciando Christo deputata. Christus autem, inquit Tertull. aduersus Praxean, ab vnctionis sacramento, humanæ naturæ vocabulum est, neque proprium nomen est, sed potius appellatiuum *Vnctus enim significatur*, inquit, *vnctus autem non magis nomen est, quàm vestitus, quam calceatus, accidens, non res.* Sic quoque Lactant. lib. 4. institut. cap. 7. *Nam Christus, non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis & regni. Sic enim Iudæi Reges suos appellabant. Erat enim Iudæis antè præceptum, vt sacrum conficerent vnguentum quo perungi possent ij, qui vocabantur ad Sacerdotium, vel ad regnum. Et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ, insigne est regiæ dignitatis assumptæ: sic illis vnctio sacri vnguenti nomen ac potestatem regiam conferebat.* In quam quoque sententiam Rufinus Aquileiensis expositione in symbolum, ait, *Christus quoque vel pontificale, vel regium nomen est. Nam prius & Pontifices vnguento Chrismatis consecrabantur, & reges: sed illi velut mortales & corruptibiles, vnguento materiæ corruptibilis vngebantur; hic verò Sancto Spiritu perunctus, Christus efficitur, sicut Scriptura de eo dicit* (Act. 10.) *quem vnxit Pater Spiritu sancto misso de cælis: Et Isaias præsignauerat* (cap. 61.) *dicens ex persona Filij, Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.*

Act. 4.

Psal. 44.

Vnctus Christus more regū.

Purpura insigne regiū.

Act. 10.

Isa. 61.

Vnus ergo Dominus noster Iesus Christus; & tamen alij dicuntur Christi per eius gratiam, sicut in Psalmo legitur. *Nolite tangere Christos meos*, inquit D. August. Quæstionum super Exod. lib. 6. quæst. 23. Hinc iusti interdum, figuratè & impropriè in scripturâ Christos appellari, adnotauit Procopius in Isa. cap. 45. in illa verba: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Vbi quoque Cyrus, quanquam Persa & non Iudæus, quia tamen diuinitus electus, & ordinatus, & quasi vnctus ad regium munus fuit Christus secundum Hebreorum consuetudinem, qui sibi designatos à Deo reges ita nuncupabant, est appellatus. Et Christiani, tam vnctionis, quàm nominis eius sunt participes; vt enim Christus à chrismate dictus est, *Sic & in nobis carnaliter currit vnctio*, inquit Tertull. lib. de baptismo, *& spiritualiter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aquâ mergimur, spiritalis effectus, quòd delictis liberamur.* Meritò itaque gens Christianorum, vtpote gens sancta, regalis & sacerdotalis, hinc potissimum denominata est, id est, à Christo nomen accepit, vt habetur: Act. 11. vbi D. Lucas ait, discipulos Christi, primū Antiochiæ cognominatos fuisse Christianos; neque enim solùm in regibus & sacerdotibus vnctionis honor permansit, vt inquit D. Cyprianus, seu quiuis alius auctor de operibus cardinalib. titulo de vnctione chrismatis, *sed in om-*

Christi nomen hominibus communicatū.

Psa. 104.

Cyrus Christus dictus est, cur?

Christiani gens sancta.

Act. 11.

in omnem populum Catholicum, effusa est huius gratiæ plenitudo. Vt sicut Christus à chrismate dictus est, eo quòd singulari excellentiæ oleo vnxerit eum Deus; ita & participes eius quotquot sunt, consortes sint tam vnctionis quàm nominis, & dicantur à Christo Christiani, vt sint sui. Christo duce, rectores & duces, & offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati à Deo sanctimonia Sacerdotes. Sic enim, non quidem sacerdotij ordine consecrati, sed laicali sacerdotio funguntur, quotquot illud acceperunt in baptismo, per vnctionem chrismatis: quo propterea vngimur, quia luctatores contra diabolum efficimur, & ideò Christiani nuncupamur, inquit D. August. in cap. 3. Ioan. tract. 33. Quare, vt participatione Christi, Christiani appellationem sortiti sumus, inquit D. Greg. Nyssen. ita & per consequens conuenit, omnium quoque sublimium nominum nos adsciscere communionem, & societatem, vt quemadmodum in catenā. qui eum, qui in extremitate est annulum attraxerit, eos qui continentur inter se cohærentes, necesse sit attrahi, &c. vt enim nomine, sic etiam sanctitate Deo Christo coniungi debemus. Pulchrè D. Bernar. in sententijs: *Christiani à Christo nomen acceperunt: & operæ pretium est, vt sicut sunt hæredes nominis, ita sint imitatores sanctitatis. Tria ergò sunt, quæ in Christo nobis expressa, plenis viribus exercere debemus: videlicet improbare viuaciter sæculi vanitatem: quia Iesus, ne rex constitueretur à turbis aufugit. Exercere viriliter pœnitentiā: quia & Iesus sicut agnus occisus est: Et habere veraciter geminam charitatem, quia Iesus pro inimicis orauit.* Vt cū eodem mellifluo doctore serm. 15. super Cant. dicere possimus *Particeps nominis sum, sum & hæreditatis, Christianus sum; Frater Christi sum Si sum quod dicor, hæres sum Dei, cohæres autem Christi.*

Sa cerdotiū laicale.

Christianus Christum imitari debet

7. Christiani nomine multi, re pauci.

Sed quàm multos videas, qui se Christianos dicunt, qui tamen in re, Christiani non sunt, de quibus meritò dixeris, quod D. Augustinus de hæreticis Enchiridij cap. 5. *Si enim diligēter quæ ad Christum pertinent, cogitantur, nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsā, non est apud eos.* Namque vt scribit Auctor de 12. abusionibus sæculi apud D. Cyprianum, cap. 7. *Christianus qui nominis Christi similitudinē tenet, morum quoque eius similitudinem habere debet: Christianus enim nemo rectè dicitur, nisi qui Christo moribus coæquatur.* Hinc est, quod D. Chrysostomus, serm. aduersus hæreticos, qui ad calcem operum Diui Ephræm Syri habetur, demonstrare se dicat, *non omnes qui dicuntur Christiani, eos esse Christianos: sed solo ipsos nomine vocari, & nudā nominis appellatione seduci ac decipi. Verbo quidem Christiani sunt multi: moribus autem ac vitā, admodū pauci. Habitu quidem apparent Christi discipuli: at viuendi ratione, impij & crudeles. Quemadmodum enim puella aut virgo, donec suam seruat virginitatem, iurè ac meritò virgo vocatur, & est; at postquam ab aliquo decepta est atque corrupta, virginitatemque perdidit, nō amplius est virgo: ita & qui dicitur Christianus, si sua cum Deo pacta transgressus sit, & promissa conculcarit, & Dei verbū rejecerit, gentiliumque opera fecerit: nihil sanè ipsi Christianum dici profuerit.* Quin imò, nomini Christiano mortuus est, qui opera Christiani non facit: non secus atque mortuus dicitur à Tertulliano lib. de carne Christi, in principio; qui non est Christianus, non credendo quod creditum, Christianos facit; & eò magis mortuus, quò magis non est Christianus. Pulchrè D. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 2. *Omnes qui Christiano vocabulo gloriantur, & perditè viuunt, non absurdè possunt videri in filio Noë Cham, figurari, passionem quippe Christi, quæ illius hominis nuditate significata est, & annunciant profitendo, & malè agendo exhonorant.* Quapropter iure ac meritò à nomine suo excidant necesse est, nihilo seciùs, ac filius à filij nomine, qui degenere adfectu, paterno insidiatur honori. *Nam licet omnes admodum Filij membra parentum esse videātur,* inquit Saluianus lib. 3. de prouidentiā, *non putandi tamen sunt membra eorum esse, à quibus affectu cœperint discrepare, quia morum degenerantium prauitate, pereant in salibus beneficia naturæ. Quo fit vt etiam nos, qui nos Christianos esse diximus, perdamus vim tanti nominis, vitio prauitatis. Omnino enim nihil prodest, nomen sanctum habere sine moribus: quia vita à professione discordans, abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem. Vnde cùm penè nullam Christianorum omnium partem, penè nullum Ecclesiarum omnium angulum non plenum omni offensione, & omni letalium peccatorum labe videamus, quid est in quo nobis de Christiano nomine blādiamur? Cùm vtique hoc ipso magis per nomen sacratissimum, rei simus, quia à Sācto nomine discrepamus. Nam & ideò plus sub religionis titulo Deum lædimus, quia positi in religione peccamus.* Quod si D. Hieronymus adolescens, cùm lectionē Ciceronis præferret lectioni Prophetarum, quorū sermo horrebat incultus; percussus ægritudine, raptus ad tribunal iudicis in spiritu corā Sanctis Dei, nō per soporem aut somnij delusionem, sed reuerà vapulauit; quòd non Christianus, vt ipse profitebatur, sed à præside Ciceronianus esse argueretur, quemadmodum ipse scribit epistolā ad Eustochium, de custod. virginit. quæ est 22. Si inquam, Hieronymum legentem curiosiùs Ciceronem, Christiani nomine indignum Domini vltio iudicauit: Quomodo hoc nomine digni erunt, qui per flagitia ac turpitudines suas nomē religionis infamant; qui, vt scriptum est ad Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negāt, cùm sint abominabiles & increduli, ad omne autem opus bonum reprobi, per quos, vt legimus 2. Pet. 2. via veritatis blasphematur, & sacrosanctum nomen Domini Dei, sacrilegorum hominum maledictione, violatur? *Nam cùm hæc sit Christiani hominis fides,* inquit Saluianus lib. 4. de prouidentiā, *fideliter Christi mādata seruare: fit absque dubio, vt nec fidem habeat qui infidelis est: nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat: & apertè hoc totū in id reuoluitur, vt qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur. Nomen enim sine actu atque officio suo nihil est. Nam sicut ait quidam in scriptis suis: Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine nomine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaque vt iisdem verbis etiam nos vtamur: quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto? Sicut etiā per diuinas literas sacer sermo testatus est, dicens:* Prouerb. 11. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Et in nobis *itaque Christianum vocabulum, quasi aureum decus est; quo si indignè vtimur, fit, vt sues cum ornamento esse videamur.* Pulchrè autem, autor lib. de vitā Christianā apud D. Augustinum tomo 9. ca. 1. Christianos, dici nos scribit, id est vnctos: *Vnctos verò nonnisi sanctos viros, & satis Deo dignos, semper fuisse manifestum est, nec alios quàm Prophetas, aut Sacerdotes, aut Reges, &c. Credentes & baptismatis sanctificatione purgati, in Prophetas vngimur, & Sacerdotes & reges, cuius vnctionis quales esse debeamus, admonemur exemplo, vt in quibus tam sancta est vnctio, sit non minùs sancta conuersatio. Ex Sacramento enim vnctionis huius & Christi, & Christianorum omnium, id est, in Christo credentiū, vocabulum descendit & nomen: Quod nomen frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen tibi vsurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christi sunt gere, & meritò tibi Christiani nomen assume. Aut forsitan non esse, sed vocari desideres: hoc satis miserum & fœdum est, te velle vocari quod non sis. Nemo enim ita crēdit ad Christum vt Christianus appelletur, & non sit. Qui Christianus dicitur, Christum se habere Dominum profitetur: Et verè habes, si ei in omnibus obsequatur, & seruias. Si quo minùs, Christi ille non famulus, sed subsannator est & derisor, qui cum se seruum dicit cui seruire dissimulat.* & cap. 6. Nec

Christiano nomini mortuus est, qui opera non facit.

Christiani nomine tenus Chamitæ sunt.

Filij sunt membra parentum.

Nomen sāctum sine morib. non prodest.

D. Hieronymus Ciceronem legens reprehenditur.

Ad Tit. 1.

2. Pet. 2.

Dignitas in indigno, ornamentū in luto.

Prouerb. 11.

Subsannator Christi est.

§. *Nec in hoc nobis quòd nomine tàntùm Christiani dicimur, blandiamur, sed propter hoc etiam iudicandos nos credamus, si nobis nomen frustra vendicemus alienum, &c. Quis tam vanus & miser est, qui aduocatum se, tùm literas nesciat, audeat profiteri? Quis tam insanus & excors, vt se profiteatur militem qui nesciat arma gestare? Nemo enim quodcunque nomen sine causâ sortitur. Sutor vt dicatur, necesse est, vt calceamenta conficiat: vt vocetur quis faber aut artifex, artis peritiam facit: vt negotians nuncupetur quis, carius, quod vilius emerat, distrahit. Huiusmodi exemplis cognoscimus nullū sine actu nomen, sed omne nomen ab actu. Tu ergo quomodo Christianus diceris, in quo Christiani actus non apparent? Christianus, iustitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humilitatis, humanitatis, innocentiæ, pietatis est nomen: & tu illud tibi quomodo defendis & vendicas, cui de tam plurimis rebus nec pauca subsistūt? Christianus ille est, qui non nomine tantùm, sed & opere est: qui in omnibus Christum imitatur & sequitur, qui sanctus, innocens, incontaminatus, intactus est: cuius in pectore malitia non habet locum; cuius in pectore sola pietas consistit & bonitas, qui neminem nouit lædere, & nocere, sed omnibus opem ferre. Christianus ille est qui exemplo Christi, nec inimicos nouit odire, sed magis aduersantibus sibi benefacere, & pro persecutoribus suis & hostibus exorare. Nam qui aliquem lædere, aut nocere paratus est, ille mentitur se esse Christianum.* & cap. 11. *Num tu illum Christianum putas in quo nullus Christianitatis actus est, in quo nulla cōuersatio iustitiæ est, sed nequitiæ, impietatis, & sceleris? An illū Christianum putas, qui opprimit miserum, qui pauperem grauat, qui res alienas concupiscit, qui se vt diuitem faciat, plures efficit indigentes, qui lucris gaudet iniustis, qui de alienis lacrymis cibum capit, qui miserorum ditatur interitu, cuius os assiduè violatur mendacio, cuius labia nonnisi indigna & obscœna & scelesta loquūtur & turpia, qui cùm iubentur distribuere sua, inuadit & aliena?* & cap. 14. *Sed tu Christianum illum putas, cuius nunquam pane vllus saturatur esuriens, cuius potu nullius sitis extinguitur, cuius mensam nemo pauper cognoscit, sub cuius tecto, nec aduena, nec peregrinus aliquando succedit, cuius vestimentis nemo nudus tegitur, cuius pauper nullus fouetur auxilio, cuius bonum nemo sentit, cuius misericordiam nemo cognoscit, qui in nullo imitatur bonos, sed deridet potiùs, & subsannat, & pauperes persequi non cessat? Absit vt huiusmodi Christianus dicatur. Christianus ille est, qui Christum in omnibus imitatur, sicut scriptum est.* 1. Ioan. 2. *qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Christianus est qui cum mœrentibus mœret, cuius ianua nemini clauditur, cuius mensam pauper nullus ignorat, cuius bonum omnes norūt, à quo nemo sentit iniuriam. Sic ergo agamus & viuamus, quos Dominus nominum suorum communione dignatus est, ne hoc ipsum quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videamur.

Artificum nomina, ab opere indita.

Nomen ab actu est.

Christianus, nomen est omnium virtutum. Christianus quid sit.

Quis nō sit.

Ioan. 2.

Capitis 26. §. 3.

Vt nostra accipiat, & meliora facta, reddat Deus.

NOstra sunt & ab humanis accepta, quibus communicare voluit Deus. Homo inprimis appellatur, propter assumptam mortalitatis nostræ carnem, in quâ, inuisibilis in suis Deus, factus est visibilis in nostris, præterquam in peccato: inde etiam filius hominis, hoc est, Adæ: quia scilicet, ex ipsius Adæ carne in virgine propagatâ, formatus filius: vel etiam hominis filius, quia intemeratæ virginis filius, ex Spiritus sancti operatione, non ex carnis naturali propagatione. Est Christus, propter diuinitatem, non participatam, qualis est in alijs Christis Dei, sed naturalem, & coëssentialem Patri, quâ vngitur Christi humanitas. Via, quia per illum aditus est nobis ad felicitatem: Ostium, vt introductor; neque aliud ab ipso ostium est, vti nec via alia, quòd quia iustum est, nonnisi iustos recipit Ioan. 10. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Non potest enim ad Patrem perueniri, nisi per Iesum Christum filium eius. Pastor, cuius ductu in pascuis collocamur, cuius sollicitudine & protectione, aduersus infestam luporum rabiem defendimur, cuius curâ & vigilantiâ quum dispersi fuerimus, congregamur; cuius caritate fracti colligamur, roboramur infirmi, validi cōseruamur. Ouis, vt victima, Isa. cap. 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur.* Agnus, vt perfectus, & tonsus, ibidem, *& quasi agnus coram tondente se obmutescet,* vbi Theodoretus, *Non sine causâ mactationis simul & tonsionis mentionem fecit Propheta: sed, quandoquidem Deus erat & agnus, corpore mactatur, impassibilis mansit diuina natura. Sed neque solùm mactatus est, sed & tonsus, nam secundum humanitatem, mortem sustinuit; vt Deus viuens, & impassibilis permanens, corporis lanam, tonsoribus dedit.* Pontifex vt sacrificus & offerens. Melchisedech, vt matris expers, si diuinā respicis naturam: vt patris nescius, si humanam. Sol denique vt à se lumen habens, & ipsum alijs communicans. Ioan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Lapis fūdamenti: Ecclesiastici cap. 26. *Fundamenta æterna supra petram solidam.* Et Spiritus sanctus per Isaiā Prophetam cap. 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem pretiosum, in fundamento fundatum.* Vitis est vera, cui inserti adhærescunt virides pampini, è cuius succo trahunt, vnde folijs luxurient, & fructu dulcescant. Aqua viua, animorum maculas eluens, & purificans corda, temporalium sitim sedans, & incendium philautiæ nostræ extinguens, de hac aquâ, quæ ipse est, ait Ioan. cap. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Hæc omnia ex ijs quæ infirmitati nostræ subseruiunt, hisque multò ampliora, in se transtulit Deus, vt illa ipsa in nos ab ipso refusa, superiori imbuta virtute, dignationi eius, ad nostram omnium gloriam, & felicitatem famulentur.

1. Nostris humanis vt vere suâ vtitur Deus.

Filius hominis Christus.

Christus.

Via. Ostium.

Ioan. 10.

Pastor.

Ouis. Isa. 53.

2. Pontifex.

Sol. Ioan. 1.

Eccl. 26.

Isa. 28.

Vitis.

Aqua viua.

Ioan. 4.

CAPVT XXVII.

De Patris nomine.

Vt Deus appelletur Pater naturâ.

EST & Pater naturale Dei nomen augustissimum, non humanitùs attributum, sed coæternum Deo, atque adeò in ipsis inexhaustis æternitatis fontibus reconditum, in sæculis inexplicabilibus antiquissimum, sine appellationis principio, ipsius principij quod sine principio est, appellatio relatiua, quâ Pater, non ad se, sed ad filium dicitur, non ex temporis, & propagationis fluxu genitum, sed in altissimis æternitatis, ex Dei Patris cogitatu, generatum: vt quemadmodum nec cœpit filius esse filius, quia æternus filius, ita nec pater, vnquam pater esse cœperit, quia æternus pater. Ideò semper & ab æterno pater, quia filij æterni pater, semperque & ab æterno filius, quia æterni Patris filius: ne si discretionem temporis, aut quasi temporis in diuinis opinemur, Sāctissimæ Trinitatis corruat mysterium; quum ea quæ esse cœperūt, sui esse iacturam possint facere: *Nō præcessit itaque genitor,* inquit Magnus Augustinus, serm. 38. de tempore; *illud quod genuit,* ideò, ait Christus, *Ego & Pater, vnum sumus.* Ioan. 10. *id est, quod & ille, hoc & ego, secundum essentiam, non secundum relatiuum.* Est enim æqualis Patri.

1. Pater, naturale Dei nomen, æternum.

Ioan. 10.

Pater actu semper est pater, non potentiâ.

Semper actu pater, potentiâ nunquam, quemadmodum in humanis vsuvenit, quolibet mortalium existente patre in potentiâ, *Pater*, ergo, *Pater*, inquit D. Greg Nazian. Orat. 23. *ac multò quidem veriùs, quàm qui apud nos id nomen obtinent, tum quia proprio & singulari modo pater est, non autem sicut corpora: tum quia solus, non enim ex coniunctione: tum quia solius, nempe vnigeniti, tùm quia solùm, nec enim ipse, priusquam Pater esset, Filius fuit: tùm quia in totum & totus Pater (quod de nobis certò affirmari nequit:) tùm quia ab initio, nec enim posteriùs pater esse cœpit.* Neque verò eodem modo gignit Deus & homo: nam cùm Deus temporis, principij, perpessionis, fluxionis, corporisúe sit expers, etiam sine his, & absque fœminæ complexu gignit, id quod secus est in homine, vt qui ortus interitusque rationibus subiectus sit, corpore constet, maris fœminæúe sexus in naturâ habeat, & mas fœminæ adminiculum ad prolis seminium, exposcat: proindeque temporum vicissitudines experitur, & ad prolis ortum fit pater, & fit non pater, ad illius interitum.

2. Filius coæternus patri.

Deus autem, nunquam non pater, quia nunquam non seipsum intelligit, & nunquam non generat, intelligendo seipsum: & filius semper est filius, quia semper est Verbum patris, cuius verbi processio, est generatio, id quod nõ accidit in verbo intellectuali creato, quod accidens est, non substantia, sicut verbum patris est substantia patris. Nec vnquam sine Verbo suo pater, neque Verbum sine patre, quia Ioan. 1. *Deus erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum*, vnde apud Diuum August. lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 16. *Summus Pater, verbum suum, seipsum cogitãdo genuit, quod in Patris & Spiritus sancti essentiâ simul coëssentiale subsistit.*

Ioan. 1.

Atque ita filius Deum appellat patrem suum, quia vnus est ipse filius primogenitus, & vnigenitus consubstantialis patri, *qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, ad Philip. 2. illique soli conuenit dicere, *Pater mi*, non autem Spiritui sancto, vel nobis hominibus. Non Spiritui sancto, quia licet ex Dei essentiâ procedat, patri consubstantialis & similis, nõ id habet ex vi, & modo processionis suæ, quâ à patre procedit, sed ipsius naturæ vi in quâ procedit, vnde nec filius est patris, neque Deus pater, est Spiritus sancti pater. Filius autem ex vi processionis suæ habet quod sit filius, & non ex naturâ, in quâ procedit. Nam processio per intellectum, vt talis est, vtque ab hoc vel illo subiecto abstrahit, semper est processio similis, & ideò processio Verbi diuini, est generatio, quia ex vi & modo processionis suæ, illi conuenit procedere simile in naturâ producenti. Ita statuêre Theologi, D. Thom. 1. part. quæst. 13. art. 3. lib. 4. contra gentes cap. 11. quæst. 16. lib. de potentiâ, art. 2. ad 22. argumentum, Scotus in 1. dist. 10. quæst. 1. ad 1. principale: Ferrariensis lib. 4. contra gentes, cap. 19. Caietan. Ianellus Bãnes, Molina, Valentia disputat. 2. quæst. 1. puncto 4. Bellarminus lib. 2. de Christo. cap. 14. cæterique Theologiæ proceres. Ita Elias Cretensis ad Orat. 23. Diui Nazianzeni totidem verbis, *Patrem porrò & Filium audientes, quid aliud quàm eos esse einsdẽ substantiæ docemur? generatio enim est, cùm id quod gignitur, ex gignentis essentiâ, quantum ad essentiam ei simile producitur.*

Philip. 2.

Patrem Deũ vocare, Verbo competit, non Spiritui sancto.

Pater mi, soli Christo dicere licet.

Multò minùs verò, is humanæ facultati ad diuina accessus datur, vt homini liceat Patri Deo dicere, *Pater mi*, notionaliter, scilicet, vt loquuntur Theologi, sic enim pater, vna est persona, ait Rupertus lib. 7. in cap. 8. Matth. quæ in psalmo dicit de isto filio suo, verbo suo, Eructauit cor meum verbum bonũ. quem versiculũ psalmistæ, in hunc modum exposuit Apollinarius,

Psal, 44.

ἐσθλὸν, νωΐτέρη κραδίη τετύγακε μῦθον.

Bonum, nostrum cor, genuit sermonem.

Et ex illo Nazianzenus orat. 49. de fide, Filij cõsubstantialitatem cum Patre confirmat, vt non aliunde sit, quàm ex Patris pectore, deque reconditis vteri & naturæ paterni cordis, absque proiectione, diuisione, sectione, diminutione, perpessione, aut aliâ quauis ratione, ex his quæ in aliorum viuentium generatione cernuntur, vt rectè adnotauit Eusebius lib. 2. de demonstrat. cap. 15. Cyrillus quoque lib. 2. thesauri cap. 13.

Quomodo autem ipsum compellaturi simus, docuit eius vnigenitus, quum discipulis deprecandi formulam sciscitantibus, in hunc modum ab homine orandum respondit Matth. 6. *Pater noster*, voce scilicet, *Pater*, essentialiter acceptâ: rationem discriminis tradit Rupertus lib. 6. in cap. 6. Matth. quum inquit, *Nos, Pater noster, Christus, Pater mi, dicere debuit. Pater noster dicimus huic, & nemo nostrum dicit Pater mi; vnus est filius primogenitus, & vnigenitus, non vti nos gratiæ; sed solus naturæ Filius, cui conuenit dicere, Pater mi; & dixit cùm traderetur, Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, & Pater noster, nusquam legitur dixisse: Cur hoc? Videlicet, quia dissimiliter illi & nobis, Deus, pater est, illum genuit, nos adoptauit.*

Matth. 6.

Pater noster Christus nunquam dixit.

Capitis 27. §. 1.

Exploduntur hæretici negantes Deum, propriè dici Patrem.

1.

EX his, impietatis conuincuntur Eunomiani, Arianique, qui, teste Eliâ Cretense ad Orat. 23 Nazianzeni, paternitatis nomen, impropriè Patri impositum asserebant, neque propter relationem ad filium, sed solùm propter effectricem scientiam, veluti in rebus creatis: quemadmodum etiam Plato, Deum, rerum effectarum patrem nuncupauit. Hesiodus itidem, necnon & Homerus Iouem patrem appellantes, & patrem hominum atque Deorum, propterea, quòd, vt inquit Porphyrius ad eum omnes familiæ referrentur. Vtriusque exemplum est apud Homerũ, vt quum Iliad. 7. canit:

Ζεῦ πάτερ, ἢ Αἴαντα λαχεῖν, ἢ Τυδέος υἱόν.

Iupiter pater (da) vel Aiacem sortiri, vel Tydei filiũ.

Et Iliad. 15.

ὣς φάτ', μείδησεν δὲ πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Sic dixit, risit autem Pater hominumque, Deumque.

Quem secutus Marò Æneidos 2. ita fatur.

Ipse Pater Danais animos viresque secundas

Sufficit. Et Æneidos 1.

Æole (namque tibi Deûm Pater, atque hominum rex

Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Et nos sæpè, artifices rerum earum quæ arte cõstant, patres appellamus, id quod quoque adnotauit Casaubonus in Athenæum Dipnosophistã lib. 1. cap. 1. apud quem, Ἀθήναιος μὲν ὁ τῆς βίβλου πατὴρ eleganter, pro eo qui est auctor libri: siue non habuerint Græci vocabulum, quo autorem significarent, siue Galeno passim lib. 2. de caussis pulsuum, alijsque recentioribus συγγραφεὺς, pro eo quod est *autor*, vsurpare placuerit: Quanquam etiam Galeno familiare, auctorem dogmatis, patrem appellare, lib. qui suprà. ὁ γάρ τοι πατὴρ, inquit, τοῦ δόγματος ὁ θεῖος Ἱπποκράτης, & Theodorito in præfatione libri de hæresibus, quum ait, οἱ διαφόρων δογμάτων πατέρες ἐγένοντο. Plato quoque in Timæo, Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα, ἐμοῦ γε θέλοντος. Quæ Cicero ita vertit, *Quorum operum ego parens effectorque sum, quæ per me facta, hæc sunt indissoluta mea, quanquam omne colligatum*

Patres dicuntur sui operis artifices.

ligatum solùm potest. Et apud Hebræos, primos cuiusque artis inuẽtores, atque cultores industrios, patres appellatos, adnotauit Leonard. Marius Genes. 4. numer. 39. sic Tyri rex Hiramus, alium Hiramum artificem vocat patrem. Bellum quoque omnium parentem dici obseruatum est, πόλεμος ἁπάντων πατήρ. quòd miras rerum mutationes adferat, atque ita plerumque cuncta mouet, vt ex eo nata quodammodo vniuersa videantur, dum victi victorum legibus viuere compelluntur, sicut significauit Maro 4. Georgicon:

Cæsar, dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat iura, viamque affectat Olympo.

Pater opificij sui Deus.

Noluerunt autem sectarij illi, in filij diuinitatem grassatores impij, mẽtem aduertere discrimini, quo, in sacris literis, Deus genitor, vnigeniti filij sui pater dicitur, & pater opificij sui: quod paterni nominis discrimen, ex eo haberi tradit Rupertus lib. 2. de glorificatione Trinitatis cap. 2. quòd in Euangelijs filius, quando cum addicamento nominis possessiui dicit, *Pater meus*, longè altiora significet, quàm quæ nostrûm cuiquam (qui etiam filij Dei nominamur & sumus) conuenire possint, vt quum ait, Ioan. 5. *Pater meus, vsque modo operatur, & ego operor*, hic æqualitatem sui ad patrem ostendit, & in dicendo eum patrem singulariter, inquit Chrysostomus apud D. Tho. in Catenâ: ibi enim vna persona diuina est, pater, & ad vnicum filium Verbum suum refertur. Quum verò absque pronomine possessiuo dicit *Pater*, humiliora de se loquitur, quæ & nobis æquè penè congruãt, vel pusillitati nostræ sint imitanda, quorum pater dignatur esse, vel dici vnus idemque trinus Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, vt quum infit Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: humiliora enim sunt hæc*, inquit Rupertus, *& assumptæ humanitatis, humilitatem sonant; sicut hoc, vado ad Patrem, quia Pater maior me est.: &; rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Patrem sine nomine possessiuo appellat, quum eum, vt dominum suum ratione naturæ assumptæ, secundum quam minor est patre, interpellat: Patrem suum dicit, quum æqualia omnia sibi & patri esse denuntiat. *Non enim dominus eius, pater eius*, inquit D. Augustinus in psal. 138. *nisi quia dignatus est nasci secundum carnem. Pater est Dei, dominus hominis, ergo quia & pater & dominus est, Pater est formæ Dei; dominus formæ serui.* In quam sententiam, D. Hieronymus asserit, istud esse nomen, quod Dei filius manifestauit hominibus: *Cæterum*, inquit ille in cap. 32. Ierem. *propriè nomen Dei, est Pater, quod in Euangelio per Dominum reuelatur dicentem, pater manifestaui nomen tuum hominibus*, Io. 17.

Ioan. 5. — Ioan. 14. — Pater est nomen magnũ quod manifestauit Iesus hominib. — Io. 17.

2. Sed nunquid illud erat veteris instrumenti hominibus cognitum? Isaias enim inter cætera deprecationis suæ cap. 63. ait. *Tu Domine Pater noster, à sæculo nomen tuum*; & apud Ieremiam cap. 3. se patrem inuocari vult Deus, *amodo voca me Pater meus es tu*: & cap. 31. *Factus sum Israëli Pater*, & apud Malachiam cap. 1. de Sacerdotum conquerens irreuerentiâ, sic argumentatur, *Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus?* Addit & ipse Propheta cap. 2. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum?* Et ne suspiceris de protoparente omnium nostrûm, generis scilicet mortalium loquutum fuisse, qui in Sapientiæ lib. cap. 10. *Pater orbis terrarum, appellatur*, explicat sese subsequentibus verbis: *Nunquid non Deus vnus creauit nos?* Accedit D. Nazian. Orat. 37. *Vetus testamentum*, inquit, *apertè Patrem prædicabat, Filium obscuriùs.* Quomodo ergo manifestatum est Patris nomen per Filium, si priusquam manifestaretur, apertè prædicabatur?

Isa. 63. — Ierem. 3. & 31. — Malach. 1. & 2. — Sap. 10.

Eo nomine manifestauit, quo Pater, est vnigeniti & consubstantialis Filij Pater, id quod obscurum veteribus fuit: illa ipsa, quæ de Filio Dei propheticus sermo enunciat, non ad naturalem Dei Patris Filium, sed ad adoptiuum, summaque præ cæteris gratiâ donandum, trãsferentibus. Aliàs autem, satis manifestus, satisque cognitus olim fuit Pater, eo nomine quo Creator vniuersorum est, & pater, & rector. Aut prætereà Patris nomen manifestauit, non eò solùm quòd ipse à patre genitus sit, sed etiam quia dilectus patris, *Patrem quippe non solùm facit quòd genuerit, sed & postquam genuerit, amet*, inquit Elias Cretensis, ad Orationem primam D. Nazianzeni: istud quidem in corporum progenitoribus, de quibus proditum ab Euripide, *Parentum anima, Filij*, imò & ornamenta carissima: quo spectat illud Corneliæ Grachchorum matris apud Valer. Max. lib. 4. cap. 3. quæ, quum Campana quædam matrona apud eam hospita, ornamenta sua pulcherrima ostentaret, mundumque suum muliebrem exponeret, eam traxit sermone, quousque è scholis redirent liberi: quibus domum reuersis, & hæc, inquit, ornamenta mea sunt. Sed neque id in homine tantùm, sed etiam in cunctis animantibus, vt Apollonio Tyaneo placuit; quanquàm veriùs in homine, in quo & amoris sensus & ratio, quum diligere parentes & filios teste Aristotele 7. Ethicor. sit de bonis, & pulchris, & eligibilibus secundum naturam, secundum quam, maior est caritas patris in filium, quàm viri in vxorem, vti testatur Abulensis in cap. 13. Genes. quæst. 781. propterea que, cùm de diligendâ coniuge lex sit posita, nihil de diligenda prole traditum sit, naturâ ipsâ satis per se, imò & plusquam satis in istam affectionem propendente, vnde in Epistolis ad Atticum Cicero, στοργὴν φυσικὴν εἶναι πρὸς τὰ τέκνα: *aduersus sobolem genuinam naturalemque putari beneuolentiam*; & vt Nicobulij ad filium versum referam, qui est apud Nazian.

Pater satis cognitus vt Creator. — Filij anima parentum. — Amor Patris in filium maior amore viri in vxorem.

Philtro nam naturâ patres cum prole ligauit.

Puriùs sublimiusque ista Diuinis inesse cogitabis, vbi nullus amoris modus præscribi potest, quo Pater & eius soboles sese complectuntur, quippe qui immensus, æternus, infinitus increatusque sit, Patris igitur nomen etiam manifestauit Dei filius, quia amoris illius essentialis Spiritus Sancti, ex amantis & amati voluntate manantis; indicium dedit hominibus: *Nunc verò*, inquit D. Nazian. Orat. 37. *Spiritus ipse nobiscum versatur, sese que nobis apertiùs declarat*, cuius Diuinitatem vetus instrumentum subobscurè quodammodo indicauit.

Neque id solùm, sed etiam vniuersi instructorem Deum ac Dominum, euidentissimo dilectionis argumento, naturalis nimirum filij sui, pro opificij sui redimiâ traditione, Patrem esse beneficum in humanum genus, commonstrauit, Ioan. 3. *Sic enim dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, inquit coëssentialis Patri Filius, qui ne caritatis suæ in nos viscera, ob facinoris aduersum se perpetrati indignitatem, atrocitatemque, contraxisse videretur, quòd vnius sit cum Patre voluntatis, vnum etiam vtriusque personæ in creaturam rationalem, amorem esse testatur dicens: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Ioan. 15. hoc est, sicut pater amat Filium gratis in humanâ naturâ, quam assumpsit, ita filius gratis & absque vllo merito nostro amat nos, proque sanctificatis electis suis Patrem deprecans, vt in Deo fiant vnum, sicut ipse est vnum in Patre,

Ioan. 3. — Ioan. 15.

Ioan. 17.

Ioan. 17. *Ego in eis*, inquit, *& tu in me, vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.*

3. Patris nomen Deo propriè convenit. Ephes. 3.

Manet ergo non esse expertem prolis Deum, sicut blatterant Hæretici, atque ideò, Patrē propriè appellari, *ex quo omnis paternitas in cælo, & in terrâ nominatur*, inquit Gentium Apostolus ad Ephes. 3. in quod caput, D. Hieronymus, *Sicut solus bonus, bonos facit, & solus immortalis, immortalitatem tribuit, & solus verus, veritatis nomen impertit; ita & solus Pater, qui creator est omnium & vniversorum caussa substantiæ, præstat cæteris, vt Patres esse dicantur.* Pater est Verbi sui, quod bonum de corde suo fœcundo eructauit, quia ipse bonus. Pater est vnigeniti sui secundum naturam, quo cum ineffabili, atque intermino amoris nexu sociatus, regnum beatitatis constituit, seclusâ omni subiectione, seclusâ omni imperfectione, & veriùs, firmiusque quàm ex parētum cum liberis societate, forma quædam resultat imperij, sicut tradit Philosophorum caput, Arist. lib. 8. Ethic. cap. 10. totidem verbis, ἡ μὲν γὰρ πατρὸς πρὸς υἱεῖς κοινωνία, βασιλείας ἔχει σχῆμα, τῶν τέκνων γὰρ τῷ πατρὶ μέλει. ἐντεῦθεν δὲ καὶ ὅμηρος τὸν Δία πατέρα προσαγορεύει, πατρικὴ γὰρ ἀρχὴ βούλεται ἡ βασιλεία εἶναι. id est. *Patris enim cum liberis societas, quandam regni speciem præsefert, liberorum enim curam gerit pater. Quam ob caussam & Homerus Iouem patrem appellat, vult enim regnum esse paternum quoddam imperium.* Et hoc ipsum beatitatis regnum, quum in præordinatione diuinâ, ab ipsâ iam vniuersi fabricæ institutione, esset intra electos Dei; quēadmodum apud Lucam cap. 17. loquitur Dominus *Regnum Dei intra vos est*: atque protoplasti errore, naturâ hominum in culpam adductâ, sub tyrannico tenebrarum principatu teneretur: regia proles abijt in regionem huius mortalitatis, procul remotam à suâ diuinitate & impassibilitate, facta homo passibilis & mortalis, *accipere sibi regnum & reuerti.* Luc. 19. vt quemadmodum ferunt Antigonum, ingenti prælio hoste superato, belli præmium ad patrem transtulisse, Cyprique ei tradidisse imperium. Cæl. Rodigin. lib. 11. lect. cap. 17. etiam ipse vnigenitus, Deo Patri, fugatis digito Dei dæmonijs, expugnatisque ac profligatis, sui sacri cruoris vi, inferis; rationalis naturæ recuperatum regnum traderet. Atque ita, cuncta in homine, ad suum redirent principiū, in quo sunt vita & regnum: vt si apud Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3. Paulo Æmilio laudi ducitur, quòd Perse rege victo Macedonicis opibus, veterem vrbis paupertatem satiarit; ipse verò nullâ ex parte penates suos locupletiores fecerit, præclarè secum actum existimans, si ex illâ victoriâ, alij pecuniam, ipse gloriā occuparet. Si Scipioni Æmiliano honorificum fuit, post inclytos duos Consulatus, totidemque triumphos, quòd operum suorum ad se laudem, manubias verò ad patriam redundare voluerit: ingens fiat laudis & honoris accessio vnigenito Dei, qui ex tanto sacrosancti cruoris sui impendio, nihilo locupletior, solâ corporis & nominis sui contentus gloriâ, emolumentum omne in nos transtulit, *& fecit nos Deo nostro regnum*, Apoc. 5. vt manubiæ omnes ad patriam cælestem redundarent.

Regnum est quoddam paternum imperium.

Luc. 17.

Luc. 19.

Antigonus.

Paul. Æmilius.

Scipio Æmilianus.

Apocal. 5.

Capitis 27. §. 2.

Vt Deus dicatur pater creaturæ.

1. Pater creaturæ Deus.

Porrò autem, varijs modis Deus facturæ suæ pater appellatur, sicut docet Angelicus Doctor 1. parte quæst. 33. art. 9. Vel enim propter solam vestigij similitudinem dicitur pater, quale in irrationali creaturâ reperitur: hinc illud Iob. cap. 38. *Quis est pluuiæ pater, aut quis genuit stillas roris?* Vel secūdum similitudinem imaginis, atque ita creaturæ rationalis pater nuncupatur. Deuteron. 32. *Nunquid ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te.* Vel secūdum gratiæ similitudinem, est aliquorum pater, qui filij adoptiui dicuntur, atque ex diuinæ gratiæ munere, ad cælestis Hierusalem hæreditatem ordinantur, iuxta illud ad Rom. 8. *Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filij Dei, si autem filij, & hæredes.* Aliquorum verò secundum similitudinem gloriæ, prout ipsi eam modo in regno beatitatis possident, secundū illud ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

Iob. 38.

Deut. 32.

Rom. 8.

Rom. 5.

Pater, est religionis nomen.

Non igitur naturæ tantum, sed etiam religionis nomen est pater, Deorum omnium, vt Seruio placet, epithetum, vnde hæc nata apud Virgil. 4. Georgic. *Oceanum rerū patrem.* & Æneid. 3. *Gradiuumque patrem*, pro Marte, & 1. Georgic. absolutè, pater,

Ipse pater mediâ nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur dextrâ.

Quanquam nominis sui propriâ significatione, quasi iuuans pater, Iupiter appelletur. Bacchus quoque hoc sibi nomen peculiariter vendicauit. 2. Georgicon. *Huc pater ô Lenæe veni.* vbi Seruius, Pater, licet generale sit omnium Deorum, tamen propriè Libero semper cohæret: nam Liber pater vocatur.

Veruntamen, quia sicut Deus beneficæ potentiæ nomē est, inquit Philo Iudæus lib. de somnijs, siue bonitatis, vt lib. 2. legis allegoriarum hic autor tradit. *Vt scias quod etiam res inanimatas nō potentiâ, sed bonitate condidit, eadē, quâ animatas; Oportebat enim, quo magis elucerent meliora, etiam deteriora produci à potentiâ huius ipsius bonitatis summæ caussæ, quæ Deus est:* ita & patris nomen, dulce est, atque beneficum. Falsò proinde hocce pietatis vocabulum. Dijs gentium est attributum, vt qui vim suam non magis benefaciēdo, quàm nocēdo manifestarēt.

Patris nomē soli Deo propriè convenit. Ierem. 3.

Propriè verò soli & vni Creatori omniū Deo, à pietate ac paterno affectu quo suos complectitur, illorum saluti & commodis prospicit, patris nomen tribuitur, Ierem. 3. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis*: & alibi *factus sum Israëli pater, & Ephraim progenitus meus est, & deducam illos per torrentem aquarum in viam rectam, & non impingent*, hoc est, meis vestigijs insistent, inquit Lemnius, exhortatione ad vitam optimè instituendā, cap. 59. me comitabuntur, meæque voluntati acquiescēt, & ego illos tutos præstabo in omnibus vijs suis, nec quidquā illis accedet incōmodi, nec vlla inferetur iniuria, nulla clades, nulla calamitas. Is enim est parēs creaturæ suæ, quia illius figulus & auctor est, de quo Plato in Timæo, *Opificem quidē & patrem mundi inuenire difficile, & cùm eum inueneris prædicare, eloqui vulgò impossibile est*; & Tertullianus lib. 5. contra Marcionem: *Primò quidem, Patrē, Dominum præscribo non aliū agnoscēdum, quàm hominis, & vniuersitatis Creatorem, & institutorem.* Is est, qui cuncta quæ fecit, summâ sapiētiâ moderatur, cuius nutu regitur vniuersa, cuius bonitate conseruātur, ad quē præclarè Nehemias. 2. Machab. 1. *Domine Deus omniū Creator, terribilis & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus iustus, & omnipotēs & æternus.* qui nisi pater creaturæ esset, dissoluerētur protinus, & corruerent vniuersa, vtpote, quæ coram tantâ maiestate, corā tantâ diuinitatis vi, atque potentiâ, nō possent cōsistere. Pulchrè Cyrillus Alexādr. in Apologiâ ad Theodosiū. *Diuina & incorrupta natura tametsi summè glorificata sit, & omnē admirationem superet: paternitatem, ac correspondentem excellētiæ huius potētiæ magnitudini, mansuetudinē habet; Generata siquidē natura, fortissimā illā, & immensā vim ac potestatem, non sustinuisset nisi mansuetudine mixtam.*

2. Machab. 1.

2.

Is est qui Deus Deorum appellatur, non modò vt in illum solum teque spemque tuam reijcias, nulliique fidas præterea sed etiam vt quemadmodum Sol pater Deorū virorumque à quibusdam nuncupatur, quia vnicus, quia notissimus, quia luce

luce & calore complensomnia, quia ab illo stellæ & Luna suum lumen mutuantur: ita ob easdem caussas Deus Deorum Pater est Dominus, cunctarumque creaturarum; hominum verò maximè, quibus per creationem ampliora suæ Diuinitatis & bonitatis beneficia communicauit. Quod si Aristoteles 1. Politicor. 8. Iouem ab Homero meritò Deorum patrem appellatum asserat, quia regium est patris in liberos imperium, quia naturâ parens antecedit genitum, quia adfectu in liberos tenetur. *Imperium autem in liberos*, inquit, *regium est, quod enim procreauit, id amicitiæ ergo, & prærogatiuæ ætatis imperium obtinet, quod regij species est imperij. Quare apium nomen Ioui tribuit Homerus quum dixit, hominum Pater atque Deorum, de eo loquens, qui vniuersitatis rerum est Rex: Naturâ enim regem differre oportet, at genere eundem esse, quod usuuenit seniori erga iuniorem, & procreatori erga suam prolem*: ita visibilium, atque inuisibilium Creator Deus, Pater est, & Rex: Sapientiæ 13. *Speciei enim generator hæc omnia constituit*, ad idearum scilicet similitudinem, quas mente gerit suâ artifex omnium: quo creatore creaturæ indigent, non modò vt sint, sicut proles patre suo generante, sed etiam vt postquam sunt, conseruentur.

Iupiter Deorum Pater.

Sap. 13.

Capitis 27. §. 3.

Vnde dicatur, Pater.

1. Pater vnde dicatur.

Atqui iam, cùm Patris nomenclatura, suę significationis intuitu, multa importet, ad quæ obseruanda, tenetur is, cui istud nominis datur, vt actio significato illius vocabuli respondeat, non superuacanei laboris futurum arbitror, si huiusce nuncupationis etymon, curiosiùs aliquantulò indagauerimus. Πατὴρ ergò, quidā dictum crediderunt, quasi σπατὴρ, à σπείρω. quod est, *semino*, aut παρὰ τὸ πατεῖν ἐν τῇ συνουσίᾳ, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀλόγων ζώων. Varro lib. 4. de linguâ Latinâ, à patefaciendo semine dictum vult. Cornutus in Persium, à patratione, id est, rei venereæ perfectione, quòd patratione factâ, filios procreet pater. Oro, dici visum est, παρὰ τὸ παῖδας τηρεῖν, *à seruandis filijs.* Sequitur Eustathius sic tamen, vt & aliam deriuationem adferat: scribit enim ille, πατὴρ quum de homine dicitur, ita vocatur quasi παῖδας τηρῶν, id est, *ex se genitos seruans*: at quum de Deo, sic appellatur, quasi πᾶν τηρῶν.

Quod si Latini sermonis significatum pressiùs considerauerimus, patris vocabulum à pario quidem deductum esse videbitur, quasi is solus prolem effundat: Ægyptiæ namque gentis sanctio fuit, solum patrem, generis esse auctorem, Cælio Rodigino teste lib. 4. lect. cap. 10. nam matrem, nutrimentum modò, & locum infanti velut substratum præbere, vnde illud Isa. 66. *Si ego qui alios parere facio, ipse non pariam: dicit Dominus.* Nihilominus tamē, etiam patrem inde dictū, quòd patens, quódve patiēs sit, nonnullorū est opinio.

Isa. 66.

Porrò irrideat hanc ματαιοπονίαν, siue inuestigandi nominis diligentiam, qui volet; sanè eum meminisse oportuit, Platonem & Aristotelem Philosophorum Principes: Euripidem & Sophoclem, Poëtarum eruditissimos: Varronem & Ciceronem, Romanorum alterum doctissimum, eloquentissimum alterum, ab hac ratione non abhorruisse, cùm & multa huiusmodi in grauioribus operibus suis ostentarint, & hoc in genere, lusisse vocibus, laudi sibi duxerint. Certissimum quoque Hebræis idioma peruetus esse, eosque totos in thematis inuestigatione, vsque ad ipsam in prima elementa nominis resolutionem versari; quod tantùm abest, vt superuacaneè fiat, aut sit, vt dicitur, νεφέλας ξαίνειν, *nebulas diuerberare*, quin potiùs summâ cum vtilitate & iucunditate, vocabula ad primas radices vsque rimentur, sicut & vocem אב *ab*, quā patrem significant. & est Chaldæis אבא *abba*, sicut à Christo Domino, & Diuo Paulo citatur, *Abba, pater*: à verbo אבה deriuant, quod est, *voluit, placuit, consensit*, vt nimirum pateat, à prolis habendæ desiderio אב *ab*, vocetur, voce ipsâ, & desiderium, & patrem, & voluntatem significante, quæ & habet cognationem quandam cum חבב *chabab*, *dilexit*, vnde חבה *chibbah, amor.* Quare quod in vulgatâ habetur Iob. 34. *Pater mi, probetur Iob vsque in finem*, pro אבי *abi*, id est, *Pater mi*, Chaldæus vertit, & sequitur Pagninus in Thesauro, *volūtas mea*, vel *desiderium nostrum* צבינא *sibeona*, quasi à תאב *thaab, desidero*, dicatur אב *ab*, quocum etiam cognationem habet. Mira siquidem voluntas, mirum desiderium, mirúsque patrum in liberos adfectus est, adeò, vt Aristoteles 3. politicor. scribat, Patrem filijs regnum non relinquere si possit, arduum est, καὶ μείζονος ἀρετῆς, ἢ κατ' ἀνθρωπίνην φύσιν, id est, *eminentioris virtutis, quàm pro hominum captu*, Cælio Rodig. interprete lib. 11. cap. 17. & 21. Inde fit, vt sacra Majestas parentum habeatur, & omnino proxima Deo: vt propterea verissimè Aristoteles lib. 8. Moral. τὸ δυνατὸν γὰρ ἡ φιλία ἐπιζητεῖ οὐ τὸ κατ' ἀξίαν, οὐδὲ γάρ ἐστιν ἐν πᾶσι, καθάπερ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς καὶ γονεῖς, οὐδεὶς γὰρ τὴν ἀξίαν ποτ' ἂν ἀποδοίη, id est, *quod fieri potest, amicitia requirit, non quæ ex dignitate, cui in omnibus paria facere nequimus, Sicut in Dei & parentum honore, quibus pro meritis, nemo vnquam rependat.* Hinc à veteribus proditum est, parentes esse ἀγάλματα τοῦ πάντων πατρὸς Διὸς, id est, *Idola, spectráve patris omnium Iouis*, vt proinde, quemadmodum, qui in Deorum simulacra impios se præstiterint, in Deos ipsos, quorum imagines sunt, impietatem regerunt: ita qui impiè parentes habent, in Deum ipsum hoc impietatis admittūt, cuius imago & imitamentū sūt, circa pignora sua sic se habentes, quemadmodū Deus circa creaturam suam, cuius se patrem propter suam erga illam beneficentiam, vult appellari, Matth. 23. *Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim Pater vester, qui in cælis est, quem inuocat eius vnigenitus.* Marci. 14. *Abba, Pater, omnia possibilia sunt tibi*, & nos in Spiritu S. clamamus, *Abba, Pater*, ad Rom. 8. quibus nominibus, priori Hebraicè; posteriori, Græcè & Latinè, sonantibus, D. Thomâ interprete, indicatur Deus, Pater, nō Hebræorum modò, sed etiam Græcorum & Latinorum, atque adeò omnium gentium & nationum, quòd omnes, ceu filios, pari viscerum adfectu complectatur, singula præiactis naturæ seminibus, in suâ serie multiplicet; multiplicata tueatur, & conseruet.

Iob 34.

2. Pater filijs regnum relinquit si potest.

Patrum Majestas proxima Deo.

Parentes sunt idola Iouis.

Parentes, vt Deus venerandi.

Matth. 23.

Marci. 14.

Rom. 8.

Capitis 27. §. 4.

Reges & Principes, etiam Patres appellantur.

Qvam ob curæ similitudinem Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 4. epist. 42. Majestatem Regiam, definit in hunc modum, *Princeps est Pater publicus, & communis*, scilicet Reip. vt sicut generis auctorem, patrem appellamus, ita, honorificâ & reuerentiæ plenâ Patris appellatione, Principes suorum maximè studiosos, dignemur: vt si quæ populi commodo & vtilitati expediant, curent, patrum habeantur loco, id quod

1. Princeps, pater publicus esse debet.

Veteres à bono Principe exigebant, succlamantes:

Te Ciuem, Patremque geras.

Pastor Rex populorum.

Quod vt ab Agamemnone præstitum est, Homerus bonarum literarum parens, eum ποιμένα λαῶν appellauit; quòd quemadmodum pastori suarum ouium cura incumbit, quò non modo in pascuis ea sortiantur quæ victui sunt necessaria, sed etiam ab incursantium luporum rabie præstet incolumes: sic etiam Principis munus est, fortunarum vel suarum & propriæ quietis impendio, curare, vt populis sibi subiectis benè sit, cùm non eligatur, vt curam omnem ad se suaque conuertat subditorum verò proijciat, verùm vt ipsius vigilantiâ & virtute, qui eum elegerint, in tranquillitate & pace, imperturbatè viuant: id quod grauiter Marcellinus Ammianus pronuntiauit lib. 29. quum definit *Imperium, curam salutis alienæ.* Pulchrè quoque Nicomachus electo ad Imperij fasces Tacito, apud Flauium Vopiscum in Tacito, *Ingens est gloria morientis Principis, Rempublicam magis amare quàm filios.* sic enim fiet, vt potentiâ ad beneficentiam vtantur Principes, quomodo Agamemnon totius Græciæ Imperator, vsus fuisse, præclaro Isocratis in Panathenaico testimonio comprobatur; ταύτην δὲ λαβὼν τὴν δύναμιν, οὐκ ἔστιν ἥν τινὰ τῶν ἑλληνίδων πόλεων ἐλύπησεν, ἀλλ᾽ οὕτως ἐπόῤῥω τούτου, ὡς καί τινας ἐν πολέμῳ καὶ ταραχαῖς, καὶ πολλοῖς ἄλλοις κακοῖς ὄντας τούτων μὲν αὐτοὺς ἀπήλλαξεν. Id est, *Hanc verò potentiam nactus, nulla Græcarum Vrbium est, cui molestus fuerit, sed ab eâ re adeò fuit alienus, vt nonnullos qui bello & turbis, & multis alijs malis agitabantur, illis incommodis liberarit.* De quo etiam Homerus, cùm Iliad. 2. dixisset

Principum officium.

Principis gloria, Rempublic. magis amare quàm filios.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
ᾧ λαοί τ᾽ ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Non oportet per totam noctem dormire Consiliarium virum,
Cui populi sunt commissi, & tot curæ sunt.

Principis est vigilare.

Iliade 10. cunctis Achiuorum Principibus in vtramque aurem dormientibus, nocturnâ vigiliâ consuluisse, cecinit,

ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
εὗδον παννύχιοι μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ·
ἀλλ᾽ οὐκ Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν,
ὕπνος ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.

Cæteri quidem apud naues Principes Achiuorum,
Dormiebant totam noctem, molli domiti somno;
Verum non Atridem Agamemnonem, pastorem populorũ,
Somnus tenebat dulcis, multa animo cogitantem.

2\. Principes sunt publici parentes.

Cogita multorum liberorum parentem, familiæ suæ studiosum, negligentem sui: talis vt sit Princeps bonus, necesse est. *Sunt Principes, publici parentes,* inquit Philo Iudæus, lib. de elect. princip. *Ciuitatum & Gentium, quotquot boni sunt, nec cedunt pietati naturalium.* Sicut enim securis rerum liberis, eorum decori sedulus inuigilat parens, ita populi incrementis Principes, qui potestatem in tyrannidem conuertere formidarint: siquidem *Reges Gentium dominantur eorum, & qui habent potestatem super eos, benefici vocantur,* Luc. 22. vnde Imperatores, Augusti sunt appellati, quasi Rempub. Augentes.

Luc. 22. Augustus vnde dictus.

Quare præclarè mihi dixisse videtur Cyri Regis Dux præstantissimus Chrysantas apud Xenophontem totidem verbis, *Bonus Princeps nihil differt à patre bono: nam vt parentes filijs prouident, vt bona his nunquam sint defutura: ita & Principes.* Ipsum namque regnum, sicut ex Aristotele, 8. Ethic. 10. adduximus, imperium est, suapte naturâ paternum. Sensit istud Fabius Max. teste Plutarcho in eius vitâ: nam cùm ei populus ad imminuendâ, circumscribendamque ipsius dignitatem Minutium collegam æquali cum imperio addidisset, Fabij animum se depressisse quidem opinati sunt, non rectè factâ de eo vno coniectura: at ille, eorum inscitiam suum malum non esse putauit; sed vt Diogenes Philosophus dicenti, illi te derident, respondit se tamen non derideri, quòd eos tantùm derideri putaret, qui sannas curant, & ijs perturbantur: ita Fabius, id quod actum erat æquo animo tulit; sed vt suo nomine, nihil ei illa iniuria dolebat; ita Reipublicæ caussa angebatur, quòd multitudinis imprudentiâ, insanæ Minucij pugnandi cupiditati, ansam proruendi præbuisset, quod vt factum est, atque ab Hannibale circumuentus Minucius cum legionibus, vltimo discrimine periclitaretur: laboranti Minucio, eductis copijs quas secum habebat, suppetias tulit, & seruauit; quare Minucius, recenti beneficio victus, Fabium patris nomine compellauit, *Patrem igitur te benignum ego appello,* inquit, *cùm honorificentius nullum suppeditet nomen: plus enim tibi, quàm parentibus meis debeo, quòd hi vitam mihi modò dederint, tu & mihi, & his simul salutem tueris.* Quid Codrum memorem, qui Atheniensium Rex, cùm ingenti hostium exercitu Attica Regio, ferro & flammis vastaretur, humani auxilij diffidentiâ, Apollinem per Legatos sciscitatus, qui tam graue bellum discuti posset, & Deus, siue dæmon respondisset, si ipse hostili manu occidisset, nihil cunctatus positâ purpurâ, familiari cultu indutus, caritate patriæ pabulantium hostium globo, sese obiecit, vnumque eorum falce percussum, in suam necem concitauit, cuius interitu, ne Athenæ occiderent, effectum est? edixerant aduersa castra, in quibus oraculi rumor percrebuerat, ne Codri corpus quisquam percuteret: elusit edictum Codrus, positis imperij insignibus, & suâ morte, patriæ victoriam peperit, vt habet Valer. Maxim. lib. 5. cap. 6. Quid Ælium Prætorem referam, cuius dicenti, cùm picus in capite eius insedisset, & aruspex eo conseruato, felicem futurum domus suæ statum, Reipublicæ autem infelicem affirmasset; eo verò necato, contrarium vtrumque cessurum, in conspectu Senatus, morsu apprehensum necauit, familiæ suæ mox ruinam, Reipublicæ verò incrementum illicò expertus?

Q. Fab. Maxim. pater est à Minucio appellatus.

Patris nomine nullum honorificentius.

Codrus Rex pro reipub. voluntariè occumbit.

Ælius Prætor Reipubl. quàm familiæ suæ studiosior.

3\.

Et vt à profanis ad sacra conuertamur, cuius animi fuit Apostolus, si non paterni? illius sunt ista. 2. ad Corinth. cap. 12. *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos:* quam in rem, quid continentius dixisse potuit Marcus Curio apud Valer. Max. lib. 4. cap. 3. Qui Samnitibus magnum auri pondus deferentibus, quo vteretur, respondit, superuacaneæ, ne dicam ineptæ legationis ministri, narrate Samnitibus Marcum Curium malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem: atque istud, vt pretiosum, ita malo hominum, excogitatum munus referrote, & mementote me nec acie vinci, nec pecuniâ corrumpi posse. Prosequitur Apostolus, *Non enim debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs:* quasi diceret, secundum Theodoretum, pecuniam non concupisco, sed vestras animas desidero. Scio enim etiam patres filijs diuitias congerere; ego autem ijs etiam qui sunt patres, me plus facturum profiteor. Quia etiam meipsum dono pro vobis. Quod sic explicauit Diuus Chrysostomus homil. 27. in capite 12. Epist. 2. ad Corinth. *Si ipsam carnem insumere oporteat, non parcam propter vestram salutem.* Ecce vt desiderat impendi & superimpendi in Apostolatu Princeps.

2\. Cor. 12. M. Curio pecunia corrumpi non potuit.

Apostoli paternus affectus.

ceps Gentium, pro Incolumitate credentium. Plumbum appellant ex metallis, regium, quod auri vitio excoquendo mixtum, igne peruratur, consumaturque ipsius auri bono, ita regium est πατρονεμία pro suorum libertate, & salute consumi; Neque verò vllum principatum rectè constitutum esse censeo, à quo paternus exulauit affectus: *Arduum est alio pacto regere imperium*, inquit Strabo, Geographiæ lib. 6. *quàm si vni perinde ac parenti, procuratio demandetur.* Rectè ille apud Ioannem Stobæum cap. 46. Verus Princeps magnâ cum dignitate & bonitate præest, magnifica bonorum munera subditis exhibet: victus abundantis salutis omnimodæ, & vitæ tranquillitatis auctor est. Hunc enim sibi finem proponit honestus Princeps, vt subditos felices efficiat. Et tum sanè præ cæteris, qui ab eo gubernantur, inprimis eximius est, cùm illi beatam vitam agunt, qui seipsos ei commiserunt. Siquidem vtilitas publica, non separata est à priuatâ: quin potiùs in vniuersali, singulis etiam vtile cótinetur, & partes in toto seruátur tum in animalibus & Ciuitatibus, tum in alijs quoque naturis, &c. in quibus paterna in subditos munera descripsit, & Principis.

Plumbum, metallum regium.

Principatus nullus, si nō vt parens.

Principis boni finis felices facere.

4\. Verùm age, perpende animo paternæ sollicitudinis æstus: acrior illum cura domat, vt familiæ prospectum sit, vti filius rectè instituatur, vti ad honorum & dignitatum fastigia euehatur: vti filia benè collocetur, namque vt quidam cecinit, *Accumulat curas filia parua Patri.* Nihilo seciùs curandum Principibus, & populorum Rectoribus, quibus propositum esse debet, viris præclaris ornare Vrbes potiùs quàm ædificijs. Id quod Apollonius Iones facere iubet, apud Philostratum eius vitæ lib. 4. cap. 2. vt nimirum magis erga seipsos, quàm erga Vrbis ornatum, prudentiam exerceant, præstantiùs enim illam studiosis viris coronari, quàm porticibus, & picturis, & auri copiâ: pulchras Vrbes, bonis Ciuibus carentes, Iouis Olympij simulacro à Phidiâ composito similari, quod immobile, vbicunque artifici placuerit, permanet: viros autem Homerico Ioui similes, qui quamcumque cæli partem mente & imaginatione comprehendunt. Atque ita fiet vt conciliatis subditorum studijs, fasces suos stabiliant: honori enim eorum vt consulant oportet, à quibus reuerentiam, & obedientiam exigunt. Ecquis autem non se filium geret, si moderatorem suum paterni amoris purpurâ vestitum cernat? Interroganti Regi Babyloniç apud Philostratum lib. 1. cap. 23. qui stabiliter, tuteque regnare posset? respondit Apollonius, *Si multos honoraueris, paucis verò crediderís.*

Patris filiorum curam habere.

Vrbes præclaris viris ornandæ potius quā ædificijs.

Vrbes pulcræ, Iouis simulacro similes. Viri Ioui Homerico similes.

Honorare multos, paucis credere, stabiliter regnare est.

Cùm sensisset Fabius, Plutarcho auctore in Fabio quendam Marsum militem inter socios auxiliares genere & fortitudine primum, cum quibusdam alijs, in exercitu, de defectione colloquia habuisse, non irritauit hominem, sed verbis humanissimè correctum, equo bellico donauit, fidissimumque exinde, promptissimumque habuit, *Iniquè enim comparatum indicabat, si cùm equites & venatores, curâ, exercitatione, alimentisque potiùs quàm flagris & numellis contumeliam & ferociam animalibus adimerent: hominibus aliquis imperans, non maximam castigandi partem in gratiâ & clementiâ poneret, asperiusve suos tractandos putaret, quàm rustici caprificum, pirum syluestrem, aut oleastrum, quas illi arbores cultu mitescere, & in ficum, pirum, oleam, cicures transire dicunt.* Verissimum enim illud Ouidij, lib. 2. de arte:

Fabius militem humanitate sibi deuincit.

Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus,
Frangas, si vires experiere tuas.
Obsequium tigresque domat, tumidosque leones;
Rustica paulatim taurus aratra subit.

5\. Quare Apollonius apud Philostratum lib. 5. cap. 13. Vespasianum ad clementiam prouitat, *Eminentiores*, inquit, *spicas, quæcunque supra cæteras se attollunt, ne amputato: Iniusta est enim in hoc Aristotelis ratio: sed difficiles homines molestosque potiùs tanquam spinas è segetibus aufer: & res nouas molientibus, terribilem te ostende, minitando tamen magis, quàm puniendo.* Præclarè namque Terentius in Adelphis.

Principis clementiâ imperium stabilitur.

Et errat longè quidem meâ sententiâ
Qui imperium credat grauius aut stabilius
Vi quod fit, quàm illud quod amicitiâ adiungitur.

Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, eâ beneuolentiâ sibi subditos, & famulos complexus est, quâ ex se genitam sobolem complecteretur: neque verò illi minori quàm deceat filios amore, hominem prosecuti sunt, patrem eum appellantes: vnde cùm ex leprâ mundandus lauari in Iordane, sicut Elizeus iusserat, dedignaretur, serui, de domini sui, tanquam de paternâ salute solliciti, vt obtemperaret, contenderunt, & impetrarunt, 4. Reg. cap. 5. *Pater mi, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi, lauare, & mundaberis?* descenditque homo ad Iordanem, lauit, & mundatus est. Grata seruorum voluntas; quibus nisi tanquam filijs vteretur, lepræ fœditatem non detersisset: *Inexpugnabile munimentum amor Ciuium*, inquit Seneca, *quid enim optabilius, & pulchrius est, quàm viuere optantibus cunctis?*

Naaman pater est à suis appellatus.

4\. Reg. 5.

Amor ciuiū inexpugnabile munimentum.

Quàm verò subditorum incolumitatem promouere Princeps debeat, Delphini emblemate, anchoram inter æstuantes sæuâ tempestate fluctus demersam, complexu suo dirigentis, non obscurè significauit Alciatus Emblemate 143. additâ hac Epigraphe.

Principis in subditos studium. Delphin cū anchorâ.

Titanij quoties conturbant æquora fratres
Tum miseros nautas, anchora iacta iuuat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutiùs vt possit figier illa vadis.
Quàm decet, hæc, memores, gestare insignia, Reges,
Anchora quod nautis, se populo esse suo:

Ne videlicet, populus periclitans, anchoræ sacræ præsidio destitutus videatur. Hoc ipsum priùs Vespasianus expresserat, percussâ huiusmodi signo monetâ non modò vt ad rem agendam, simul & industriæ celeritatem, & diligentiæ tarditatem adhibendam significaret, ancorâ tarditatem, Delphino celeritatem designante; quâ in significatione vsus est Octauius Augustus hoc symbolo σπεῦδε βραδέως, *Festina lentè.* Vt annotauit cum alijs Conradus Gesnerus. Neque solùm vt regiam majestatem significaret, cùm eâ inter natantia Delphinus vigeat eminentiâ, quâ inter volucres aquila, inter quadrupedia leo; sed etiam vt quantum illa eadem majestas, ad populi necessitatem subleuandam, ne aduersâ casuum tempestate obruatur, sese demittere debeat, apertiùs indicaret. Delphinos enim ferunt, Plinius Historiæ naturalis lib. 9. capite 8. Solinus, polyhistoriæ capite 22. & Gesnerus, præterquam quòd sint hominis amantissimi, vt propterea φιλάνθρωποι vocitentur; tanto catulorum suorum amore teneri, vt non modò educent tenellos, lacte nutriant, sed etiam eosdem gestent infirmos, adultos seruent, & diu comitentur. *Quos & tenellos*, inquit Diuus Basilius homil. 7. Hexameron. *infantiaque infirmos suos catulos, aliquâ perterritos causâ, in ventre rursus suscipere, gestareque ferunt.*

Princeps anchora populi.

Delphini amor catulorum suorū.

Addit

Dicit autem, *Dei*, vt excludat iustitiam hominis, quæ est, quâ homo confidit de proprijs meritis, Rom. 10. Ignorantes Dei iustitiam & suam volêtes statuere, iustitiæ Dei nô sunt subiecti. *In ipso*, scilicet, Christo, id est per Christû, quia ipse factus est nobis iustitia. 1. Cor. 1. Hac Diuus Thomas. *Cùm enim à peccato liber esset*, inquit Theodoret. *mortem peccatorum subijt, vt hominum peccatum solueret, & id vocatus quod nos eramus, nos fecit id quod erat: Iustitiæ enim nobis opera donauit.*

Rom. 10.

Christus verbum.

Verbum, quia ita se habet ad Patrem sicut sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verumetiam propter coniunctionem eius cum Patre, atque vim enuntiatricem: Nam quemadmodum, vt inquit D. Augustinus, humana mens verbum communis locutionis ex se cogitando gignit, & idem verbum in mente & memoriâ simul, vna essentia existit: quum verò mens verbum suum alijs innotescere cupit, cum eadem cogitatione quæ nihil aliud est quàm verbum suum, & cum memoriâ disponit, quod idem verbum corpus vocis induit, & auribus audibile & cordibus audientium visibile procedit, & etiam literis corpus suum ligari, & videri permittit, & tamen inuisibile manens, de essentiâ mentis & memoriæ non recedit: ita Verbum Patris, quod singulariter humanum corpus induit, & se sensibile exhibuit, ipsum tamen inseparabiliter in essentiâ Patris & Spiritus Sancti, inuisibile, & impassibile permansit. Et Deus posuit in nobis verbum reconciliationis, vt verbum Christi habitet in nobis. 1. & Thessalonicen. 2.

Verbum mentis vt gignatur.

1. Thessal. 2.

Christus sanctificatio

1. Cor. 1.

Sanctificatio, quia puritas. 1. ad Corinth: 1. *Factus est nobis sapientia à Deo, iustitia & sanctificatio, & redemptio.* Sanctificamur enim per Christum, inquit D. Thomas lectione 4. inquantum per eum Deo coniungimur, in quo consistit vera nobilitas, secundum illud 1. Reg. 2. *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Vnde dicitur Hebr. vltimo: *Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Pulchrè Diuus Augustinus tract. 108. in Ioan. explicans illa verba Domini, *Et pro eis, ego sanctifico meipsum. Quid est enim*, inquit, *& pro eis sanctifico meipsum, nisi eos inmeipso sanctifico, cùm & ipsi sint ego. Quoniam de quibus hoc ait, vt dixi, membra sunt eius. & vnus est Christus, caput, & corpus.* Et infra. *Quod vt etiam hoc loco certum sit, attende sequentia. Cùm enim dixisset, & pro eis sanctifico meipsum, vt intelligeremus hoc eum dixisse, quòd eos sanctificaret in se, mox addidit, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Quod quid est aliud quàm in me, secundum id quod Veritas est Verbum illud in principio Deus? In quo & ipse Filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro; quia vna persona facta est Verbum & homo. Tunc ergo sanctificauit se in se, hoc est, hominem se, in Verbo se: quia vnus est Christus Verbum & homo, sanctificans hominem in Verbo. Propter sua verò membra, & pro eis, inquit, ego, id est, quod prosit etiam ipsis, quia & ipsi sunt ego: sicut mihi profuit in me, quia homo sum sine ipsis, & ego sanctifico meipsum, hoc est ipsos in me, tanquam meipsum sanctifico ego, quoniam in me etiam ipsi sunt ego. Vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Quid est & ipsi, nisi quemadmodum ego, in veritate, quod ipse sum ego?* Atque ita quoque sanctificatio communicata hominibus est, sicut lego psal. 113. Iudæam factam esse sanctificationem Dei, & Apostolus 1. ad Thessal. 4. ait: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*, nempe si purum Numen cum sanctitate & puritate susceperimus, quod seipsum liberaliter donat volentibus. D. Thomas ibi. Quasi dicat. Omnia præcepta Dei sunt ad hoc, quod sitis sancti: sanctitas enim dicit munditiam & firmitatem. Et omnia Dei præcepta inducunt ad ista, vt quis mundus sit à malo, & firmus in bono, Rom. 12. probetis quæ sit voluntas Dei, scilicet explicata per præcepta, hactenus D. Thomas.

1. Reg. 2.

Hebr. 13.

Ps. 113.

1. Thess. 4.

Sanctitas quid sit.

Rom. 12.

Christus redemptio.

Redemptio, quia libertatis nostræ lytrum appendit Patri. August. serm. 119. de tempore, cap. 2. *Nemo enim præter ipsum Redemptor noster, non auro, non argento, sed sanguine suo*, vnde etiam pretium magnum appellatur. 1. ad Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno*, carne scilicet, vitâ, sanguine, honore eius, ex infami seruitute, ad libertatem filiorum translati. D. Tho. in eum locum, lect. 3. *Dicitur autem pretium redemptionis magnum, quia non est corruptibile, sed æternam habens virtutem, cùm sit sanguis ipsius Dei æterni.* Et in cap. 1. 1. ad Corinth. *Factus est autem nobis redemptio, inquantum per ipsum redempti sumus de seruitute peccati, in qua vera ignobilitas consistit.* Atque ita factus est nobis redemptio, quam redemptionem psal. 110. *misit Dominus populo suo*: & iusti, Eccl. 49. *redemerunt se in fide virtutis suæ*, & iustus est, psal. 102. *qui redimit de interitu vitam suam*, Seruatori Christi cooperans redemptioni.

1. Cor. 6.

Pretium magnum quale.

Eccl. 49.

Psal. 102.

Christus resurrectio.

Resurrectio, quia & nostræ resurrectionis auctor, quando corpore rediuiuus, sese mortis, cui adstringebamur, triumphatorem ostendit, resurrectione suâ, duas mortes nostras, animæ, nimirum, & corporis soluens, & duas resurrectiones nostras formans; resurrectione suâ à mortuis, nihil hominis perire naturæ, cùm omnia salua sint Deo, satis indicans; vt docet D. August. lib. de verâ Religione, cap. 16. vnde simpla Christi Resurrectio, & Sacramentum renocationis nostræ est, & eius, quæ in fine futura est, euigilationis exemplum, vt scribit D. Augustinus, lib. 4. de Trinit. cap. 13. & Apocal. 20. *Beatus qui habet partem in resurrectione primâ.* Patientiæ autem præmium, resurrectio ipsa est. Varia refert D. Ambros. lib. de Fide contra Arianos, cap. 6. quibus Filius Dei in Sacra Scripturâ nuncupatur.

Apoc. 20.

Ait enim. *Quid est Filius? de eo quod Pater est, alius idem. Nam Verbum nuncupatur, quia ex proprio ore Diuino processit, & nihil Pater sine eo aut iussit, aut fecit: virtus dicitur, quia verè de Deo, & semper cum Deo est, & omnis potestas Patris in eo consistit. Sapientia, quia arcana cælestia credentibus reuelauit. Dextera, quia per eum omnia opera Diuina perfecta sunt. Brachium, quia ab ipso omnia continentur. Margarita, vt nihil illo pretiosius habeatur. Thesaurus vt in ipso omnes opes cælestes conditæ cognoscantur. Retia, quia per ipsum de mari sæculi gentium multitudo per aquam baptismatis in Ecclesiâ congregatur. Aratrum, quia signo crucis suæ duta pectora subijciuntur. Fons, quia ex ipso sitientia corda, cælestis aquæ gratiâ irrigantur. Petra, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis, quia vtrosque parietes, noui & veteris Testamenti, in semetipso copulauit. Agnus, vt innocentia Christi & passio demonstretur: Homo, quia secundum carnem propter nos hominis nasci dignatus est. Vitulus, quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila, quia post venerabilem Resurrectionem, vt Rex, altam ad Patris peruolat sedem. Leo, quia ipse est Rex Regum, qui mortem ac Zabulum virtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ascensus est. Veritas, quia mendacium nescit. Vita quia vniuersa viuificat.* Dicitur etiam lux, vt est ratio cognoscendi omnia. Speculum, vt est ratio cognoscendi visa & approbata. Exemplar, vt est ratio cognoscendi prædisposita. Liber vitæ, vt est ratio cognoscendi prædestinata, & approbata. Vnde est liber vitæ respectu rerum redeuntium: exemplar, vt existentium: speculum, vt euntium: lux respectu omnium. Et ad exemplar spectat idea, verbum, ars, & ratio, sicut aduertit Viegas in Apocal. Idea, secundum actum præuidendi: verbum

Verbum. Virtus. Sapientia. Dextera. Brachium. Margarita. Thesaurus. Retia. Aratrum. Fons. Petra. Lapis. Agnus. Homo. Vitulus. Aquila. Leo. Via. Veritas. Vita. Lux. Speculum. Exemplar. Liber vitæ.

verbum secundum actum proponendi: ars secundum actum prosequendi; ratio, secundum actum perficiendi, quia superaddit rationem finis, vel intentionem.

5. Nomina sua homini communicat Christus.

Et hæc sunt axiomata vtrique Christi naturæ communia, & mortali hominum generi ferè communicata: *Axiomata namque sua*, inquit D. Basil. homil. 29. de pœnitentiâ, *Iesus largitur alijs: largitur autem ea, non euacuatus, sed nihilominus habens: Lux est, vos estis lux mundi, inquit. Sacerdos est, & facit Sacerdotes. Quæ sua sunt largitur seruis suis, argumentum hoc est opulentiæ, habere videlicet, & alijs dare.* Exhauriri potest opulentia regum, ex munerum largitione, tantoque pauperiores fieri possunt, quantò plus largiti fuerint; non sic Deus, qui fons bonorum perennis, quique labris tanti fontis os admouentes, ita locupletat, vt de plenitudine eius haurientes impleantur, nec quidquam exhauriant: Quare S. Paulinus lib. 4. epist. ad Seuerum, *Sic & honori suo implicat suos, & prope omnia nomina sua nobis communicat*: & Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 13. *Itaque affectauit Christus Dominus discipulorum, de figuris suis peculiariter nomina commutare, propriùs quàm de nonsuis*, Simonem Barionam intelligit, quem Dominus, & non alium ex discipulis, Petrum appellauit. Sed & Abrahæ duas literas addidit sui nominis יהוה *Lehoua*: nam cùm is Abram prius diceretur, post additis elementis, *a*, & *h*, Abraham est nuncupatus. Petro nihilominus amplius contulit, quia totum nomen suum illi communicauit, & Petram nominauit; ex quo factum est, vt nomen appellatiuum Christi, fieret nomen proprium Petri, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã*, Matth. 16. vnde D. Basil. homil. de pœnitentiâ, *Petrus, petra est*, inquit, *propter Christum petram, largitur enim Iesus suas dignitates: petra est, & petram facit*: & Maximus Taurinensis Episcopus, serm. 1. de Petro & Paulo; *Petro Christus communionem sui nominis indulsit libenter. Vt enim, sicut Apostolus Paulus edocuit, petra erat Christus; ita per Christum Petrus factus est petra; dicente Domino, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* Neque verò Christus discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, vt inquit Paulinus Nolanus epist. 4. ad Seuerum, verumetiam virtutis suæ fecit participem: ita Prosper Aquitanicus Regiensis Episcopus lib. 2. de vocatione gentium cap. 28. quum inquit, *Hæc fortissima petra, ab illâ principali petrâ, communionem, & virtutis sumpsit, & nominis.* Eam ob caussam Summis Pontificibus electis; primũ nomen excidit, maximè si nõ satis honestum visum fuerit, vt scribit Petrus Gregor. Syntagmatis iuris lib. 36. cap. 4. num. 3. & aliud nouum imponi solet, ac si renati in nouos essent homines. gloss. in l. proœ. sexti, in verbo Bonifacius; Exemplo Domini nostri Iesu Christi, qui primo Summo Pontifici à se instituto, Simonis nomen, in Petrum, seu Cepham mutauit, can. in nouo. 21. dist. in Cathedram autem Petri vocantur Sũmi Pontifices. c. per venerabilem, qui fil. sint legiti. & proinde illis mutatur nomen exemplo Domini, cuius omnis actio fuit nostra instructio. cap. significasti, de elect. ca. Deus omnipotens. 2. q. 1.

Apostolorũ solus Simon Barionas vocatus est Petrus.

Nominis magni literæ duæ datæ Abrahæ.

Matt. 16.

Petrus virtutis Christi factus particeps.

Pontificis summi nomen cur mutetur.

Et rursus quanquam de se solo Christus dixerit *Ego sum pastor bonus*. Petrum nihilominus, ouiũ quoque pastorem instituit, non nominis modò, sed etiam potestatis communicatione, quando alijs Apostolis prætermissis; Petrum dumtaxat affatus, dixit *Pasce oues meas.* Hinc Arnobius in psal. 138. *Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem, post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus, negatori suo hanc quam solus habuit, tribuit potestatem.*

Christus pastor.

6. Iesus Christus à chrismate.

Et tandem Dominus meus Iesus, Christus appellatur, à *chrismate*, inquit Tertullianus lib. de baptismo, quod *est vnctio, quæ Domino nomen accõmodauit, facta spiritalis, quia spiritu vnctus est à Deo Patre, sicut in Actis* (cap. 4.) *collecti sunt enim vero in istâ ciuitate aduersus sanctum filium suum quem vnxisti*, de quo cecinit Propheta regius ps. 44. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ, præ participibus tuis*: idcirco autem vngendum oleo lætitiæ, id est, vnguento iucundissimo inquit Soto maior in 1. cap. Cant. esse prædixit, quia ad eius vnctionem seu electionem in regem & sacerdotem diuinitùs fiendam, simul & ad rationem huius nominis Christi respiciebat, quod ab vnctione, seu vnguento deriuatur, alludens videlicet ad morem & ritum suæ gentis, apud quam reges & sacerdotes, vnguento composito vario, & pretioso vngebantur, cùm inaugurabantur, &c. quare Reges suos christos appellarunt Iudæi, inquit D. August. lib. 1. de Consensu Euangelistar. cap. 13. quorum & regnum, & templum, & sacerdotium, & sacrificium, & vnctio illa mystica, non fuere nisi prænunciando Christo deputata. Christus autem, inquit Tertull. aduersus Praxean, ab vnctionis sacramento, humanæ naturæ vocabulum est, neque proprium nomen est, sed potius appellatiuum *Vnctus enim significatur*, inquit, *vnctus autem non magis nomen est, quàm vestitus, quàm calceatus, accidens, non res.* Sic quoque Lactant. lib. 4. institut. cap. 7. *Nam Christus, non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis & regni. Sic enim Iudæi Reges suos appellabant. Erat enim Iudæis antè præceptum, vt sacrum conficerent vnguentum quo perungi possent ij, qui vocabantur ad Sacerdotium, vel ad regnum. Et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ, insigne est regiæ dignitatis assumptæ: sic illis vnctio sacri vnguenti nomen ac potestatem regiam conferebat.* In quam quoque sententiam Rufinus Aquileiensis expositione in symbolum, ait, *Christus quoque vel pontificale, vel regium nomen est. Nam prius & Pontifices vnguento Chrismatis consecrabantur, & reges: sed illi velut mortales & corruptibiles, vnguento materiæ corruptibilis vngebantur; hic verò Sancto Spiritu perunctus, Christus efficitur, sicut Scriptura de eo dicit* (Act. 10.) *quem vnxit Pater Spiritu sancto misso de cælis: Et Isaias præsignauerat* (cap. 61.) *dicens ex personâ Filij, Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.*

Act. 4.

Psal. 44.

Vnctus Christus more regũ.

Purpura insigne regiũ.

Act. 10. Isa. 61.

Vnus ergo Dominus noster Iesus Christus; & tamen alij dicuntur Christi per eius gratiam, sicut in Psalmo legitur. *Nolite tangere Christos meos*, inquit D. August. Quæstionum super Exod. lib. 6. quæst. 23. Hinc iusti interdum, figuratè & impropriè in scripturâ Christos appellari, adnotauit Procopius in Isa. cap. 45. in illa verba: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Vbi quoque Cyrus, quanquam Persa & non Iudæus, quia tamen diuinitus electus, & ordinatus, & quasi vnctus ad regium munus fuit Christus secundum Hebreorum consuetudinem, qui sibi designatos à Deo reges ita nuncupabant, est appellatus. Et Christiani, tam vnctionis, quàm nominis eius sunt participes; vt enim Christus à chrismate dictus est, *Sic & in nobis carnaliter currit vnctio*, inquit Tertull. lib. de baptismo, *& spiritualiter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aquâ mergimur, spiritalis effectus, quòd delictis liberamur.* Meritò itaque gens Christianorum, vtpote gens sancta, regalis & sacerdotalis, hinc potissimum denominata est, id est, à Christo nomen accepit, vt habetur: Act. 11. vbi D. Lucas ait, discipulos Christi, primũ Antiochiæ cognominatos fuisse Christianos; neque enim solùm in regibus & sacerdotibus vnctionis honor permansit, vt inquit D. Cyprianus, seu quiuis alius auctor de operibus cardinalib. titulo de vnctione chrismatis. *sed in om-*

Christi nomen hominibus communicatũ.

Psa. 104.

Cyrus Christus dictus est, cur?

Christiani gens sancta.

Act. 11.

in omnem populum Catholicum, effusa est huius gratiæ plenitudo. Vt sicut Christus à chrismate dictus est, eo quòd singularis excellentiæ oleo vnxerit eum Deus; ita & participes eius quotquot sunt, consortes sint tam vnctionis quàm nominis, & dicantur à Christo Christiani, vt sint sui. Christo duce, rectores & duces, & offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati à Deo sanctimoniæ Sacerdotes. Sic enim, non quidem sacerdotij ordine consecrati, sed laicali sacerdotio funguntur, quotquot illud acceperunt in baptismo, per vnctionem chrismatis: quo propterea vngimur, quia luctatores contra diabolum efficimur, & ideò Christiani nuncupamur, inquit D. August. in cap. 3. Ioan. tract. 33. Quare, vt participatione Christi, Christiani appellationem sortiti sumus, inquit D. Greg. Nyssen. ita & per consequens conuenit, omnium quoque sublimium nominum nos adsciscere communionem, & societatem, vt quemadmodum in catenâ. qui eum, qui in extremitate est annulum attraxerit, eos qui continentur inter se cohærentes, necesse sit attrahi, &c. vt enim nomine, sic etiam sanctitate Deo Christo coniungi debemus. Pulchrè D. Bernar. in sententijs: *Christiani à Christo nomen acceperunt: & operæ precium est, vt sicut sunt hæredes nominis, ita sint imitatores sanctitatis. Tria ergò sunt, quæ in Christo nobis expressa, plenis viribus exercere debemus: videlicet improbare viuaciter sæculi vanitatem: quia Iesus, ne rex constitueretur à turbis aufugit. Exercere viriliter pœnitentiã: quia & Iesus sicut agnus occisus est: Et habere veraciter geminam charitatem, quia Iesus pro inimicis orauit.* Vt cũ eodem mellifluo doctore serm. 15. super Cant. dicere possimus *Particeps nominis sum, sum & hæreditatis, Christianus sum; Frater Christi sum. Si sum quod dicor, hæres sum Dei, cohæres autem Christi.*

Sacerdotiũ laicale.

Christianus Christum imitari debet

Sed quàm multos videas, qui se Christianos dicunt, qui tamen in re, Christiani non sunt, de quibus meritò dixeris, quod D. Augustinus de hæreticis Enchiridij cap. 5. *Si enim diligẽter quæ ad Christum pertinent, cogitantur, nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsâ, non est apud eos.* Namque vt scribit Auctor de 12. abusionibus sæculi apud D. Cyprianum, cap. 7. *Christianus qui nominis Christi similitudinẽ tenet, morum quoque eius similitudinem habere debet: Christianus enim nemo rectè dicitur, nisi qui Christo moribus coæquatur.* Hinc est, quod D. Chrysostomus, serm. aduersus hæreticos, qui ad calcem operum Diui Ephræm Syri habetur, demonstrare se dicat, *non omnes qui dicuntur Christiani, eos esse Christianos: sed solo ipsos nomine vocari, & nudâ nominis appellatione seduci ac decipi. Verbo quidem Christiani sunt multi: moribus autem ac vitâ, admodũ pauci. Habitu quidem apparent Christi discipuli: at viuendi ratione, impij & crudeles. Quemadmodum enim puella aut virgo, donec suam seruat virginitatem, iurè ac meritò virgo vocatur, & est; at postquam ab aliquo decepta est atque corrupta, virginitatemque perdidit, nõ amplius est virgo: ita & qui dicitur Christianus, si sua cum Deo pacta transgressus sit, & promissa conculcarit, & Dei verbũ rejecerit, gentiliumque opera fecerit: nihil sanè ipsi Christianum dici profuerit.* Quin imò, nomini Christiano mortuus est, qui opera Christiani non facit non secus atque mortuus dicitur à Tertulliano lib. de carne Christi, in principio; qui non est Christianus, non credendo quod creditum, Christianos facit; & eò magis mortuus, quò magis non est Christianus. Pulchrè D. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 2. *Omnes qui Christiano vocabulo gloriantur, & perditè viuunt, non absurdè possunt videri in filio Noë Cham, figurari, passionem quippe Christi, quæ illius hominis nuditate significata est, & annunciant profitendo, & malè agendo exhonorant.* Quapropter iure ac meritò à nomine suo excidant necesse est, nihilo seciùs, ac filius à filij nomine, qui degenere affectu, paterno insidiatur honori. *Nam licet omnes admodum Filij membra parentum esse videãtur,* inquit Saluianus lib. 3. de prouidentia. *non putandi tamen sunt membra eorum esse, à quibus affectu cœperint discrepare, quia morum degenerantium prauitate, pereant in talibus beneficia naturæ. Quo fit vt etiam nos, qui nos Christianos esse diximus, perdamus vim tanti nominis, vitio prauitatis. Omnino enim nihil prodest, nomen sanctum habere sine moribus: quia vita à professione discordans, abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem. Vnde cùm penè nullam Christianorum omnium partem, penè nullum Ecclesiarum omnium angulum non plenum omni offensione, & omni letalium peccatorum labe videamus, quid est in quo nobis de Christiano nomine blãdiamur? Cùm vtique hoc ipso magis per nomen sacratissimum, rei simus, quia à Sãcto nomine discrepamus. Nam & ideò plus sub religionis titulo Deum lædimus, quia positi in religione peccamus.* Quod si D. Hieronymus adolescens, cùm lectionẽ Ciceronis præferret lectioni Prophetarum, quorũ sermo horrebat incultus; percussus ægritudine, raptus ad tribunal iudicis in spiritu corã Sanctis Dei, nõ per soporem aut somnij delusionem, sed reuerà vapulauit; quòd non Christianus, vt ipse profitebatur, sed à præside Ciceronianus esse argueretur, quemadmodum ipse scribit epistolâ ad Eustochium, de custod. virginit. quæ est 22. Si inquam, Hieronymum legentem curiosiùs Ciceronem, Christiani nomine indignum Domini vltio iudicauit: Quomodo hoc nomine digni erunt, qui per flagitia ac turpitudines suas nomẽ religionis infamant; qui, vt scriptum est ad Tit. 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem negãt, cùm sint abominabiles & increduli, ad omne autem opus bonum reprobi, per quos, vt legimus 2. Pet. 2. via veritatis blasphematur, & sacrosanctum nomen Domini Dei, sacrilegorum hominum maledictione, violatur? *Nam cùm hæc sit Christiani hominis fides,* inquit Saluianus lib. 4. de prouidentiâ, *fideliter Christi mãdata seruare: fit absque dubio, vt nec fidem habeat qui infidelis est: nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat: & apertè hoc totũ in id reuoluitur, vt qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur. Nomen enim sine actu atque officio suo nihil est. Nam sicut ait quidam in scriptis suis: Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine nomine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaque vt ijsdem verbis etiam nos vtamur: quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto? Sicut etiã per diuinas literas sacer sermo testatus est, dicens:* Prouerb. 11. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Et in nobis *itaque Christianum vocabulum, quasi aureum decus est; quo si indignè vtimur, fit, vt sues cum ornamento esse videamur.* Pulchrè autem, autor lib. de vitâ Christianâ apud D. Augustinum tomo 9. ca. 1. Christianos, dici nos scribit, id est vnctos: *Vnctos verò nonnisi sanctos viros, & satis Deo dignos, semper fuisse manifestum est, nec alios quàm Prophetas, aut Sacerdotes, aut Reges, &c. Credentes & baptismatis sanctificatione purgati, in Prophetas vngimur, & Sacerdotes & reges, cuius vnctionis quales esse debeamus, admonemur exemplo, vt in quibus tam sancta est vnctio, sit non minùs sancta conuersatio. Ex Sacramento enim vnctionis huius & Christi, & Christianorum omnium, id est, in Christo credentiũ, vocabulum descendit & nomen: Quod nomen frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen tibi vsurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christi sunt gere, & meritò tibi Christiani nomen assume. Aut forsitan non esse, sed vocari desideres: hoc satis miserum & fœdum est, se velle vocari quod non sis. Nemo enim ita trãsit ad Christum vt Christianus appelletur, & non sit. Qui Christianus dicitur, Christum se habere Dominum profitetur: Et verè habes, si ei in omnibus obsequatur, & seruiat. Si quo minùs, Christi ille non famulus, sed subsannator est & derisor, qui eum se seruum dicit cui seruire dissimulat.* & cap. 6. Nec

7.
Christiani nomine multi, re pauci.

Christiano nomini mortuus est, qui opera non facit.

Christiani nomine tenus Chamitæ sunt.

Filij sunt membra parentum.

Nomen sanctum sine morib. non prodest.

D. Hieronymus Ciceronem sectans reprehenditur.

Ad Tit. 1.

2. Pet. 2.

Dignitas in indigno ornamentũ in luto.

Prouerb. 11.

Subsannator Christi est.

6. *Nec in hoc nobis quod nomine tãtùm Christiani dicimur, blandiamur, sed propter hoc etiam iudicandos nos credamus, si nobis nomen frustra vendicemus alienum, &c. Quis tam vanus & miser est, qui aduocatum se, cùm literas nesciat, audeat profiteri? Quis tam insanus & excors, vt se profiteatur militem qui nesciat arma gestare? Nemo enim quodcunque nomen sine causâ sortitur. Sutor vt dicatur, necesse est, vt calceamenta conficiat: vt vocetur quis faber aut artifex, artis peritiam facit: vt negotians nuncupetur quis, carius, quod vilius emerat, distrahit. Huiusmodi exemplis cognoscimus nullũ sine actu nomen, sed omne nomen ab actu. Tu ergo quomodo Christianus diceris, in quo Christiani actus non apparent? Christianus, iustitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humilitatis, humanitatis, innocentiæ, pietatis est nomen: & tu illud tibi quomodo defendis & vendicas, cui de tam plurimis rebus nec pauca subsistũt? Christianus ille est, qui non nomine tantùm, sed & opere est: qui in omnibus Christum imitatur & sequitur, qui sanctus, innocens, incontaminatus, intactus est: cuius in pectore malitia non habet locum; cuius in pectore sola pietas consistit & bonitas, qui neminem nouit lædere, & nocere, sed omnibus opem ferre. Christianus ille est qui exemplo Christi, nec inimicos nouit odire, sed magis aduersantibus sibi benefacere, & pro persecutoribus suis & hostibus exorare. Nam qui aliquem lædere, aut nocere paratus est, ille mentitur se esse Christianum.* & cap. 11. *Num tu illum Christianum putas in quo nullus Christianitatis actus est, in quo nulla cõuersatio iustitiæ est, sed nequitiæ, impietatis, & sceleris? An illũ Christianum putas, qui opprimit miserum, qui pauperem grauat, qui res alienas concupiscit, qui se vt ditiorem faciat, plures efficit indigentes, qui lucris gaudet iniustis, qui de alienis lacrymis cibum capit, qui miserorum ditatur interitu, cuius os assiduè violatur mendacio, cuius labia nonnisi indigna & obscœna & scelesta loquuntur & turpia, qui cùm iubentur distribuere sua, inuadit & aliena?* & cap. 14. *Sed tu Christianum illum putas, cuius nunquam pane vllus saturatur esuriens, cuius potu nullius sitis extinguitur, cuius mensam nemo pauper cognoscit, sub cuius tecto, nec aduena, nec peregrinus aliquando succedit, cuius nemo nudus tegitur vestimentis, cuius pauper nullus fouetur auxilio, cuius bonum nemo sentit, cuius misericordiam nemo cognoscit, qui in nullo imitatur bonos, sed deridet potiùs, & subsannat, & pauperes persequi non cessat? Absit vt huiusmodi Christianus dicatur. Christianus ille est, qui Christum in omnibus imitatur, sicut scriptum est,* 1. Ioan. 2. *qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Christianus est qui cum mœrentibus mœret, cuius ianua nemini clauditur, cuius mensam pauper nullus ignorat, cuius bonum omnes norũt, à quo nemo sentit iniuriam. Sic ergo agamus & viuamus, quos Dominus nominum suorum communione dignatus est, ne hoc ipsum quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videamur.

Artificum nomina, ab opere indita.

Nomen ab actu est.

Christianus, nomen est omnium virtutum. Christianus quid sit.

Quis nõ sit.

Ioan. 2.

Capitis 26. §. 3.

Vt nostra accipiat, & meliora facta, reddat Deus.

1. Nostris humanis vt vestuâ vitâ Deus. Filius hominis Christus. Christus. Ostium.

NOstra sunt & ab humanis accepta, quibus communicare voluit Deus. Homo inprimis appellatur, propter assumptam mortalitatis nostræ carnem, in quâ, inuisibilis in suis Deus, factus est visibilis in nostris, præterquam in peccato: inde etiam filius hominis, hoc est, Adæ: quia scilicet, ex ipsius Adæ carne in virgine propagatâ, formatus filius: vel etiam hominis filius, quia intemeratæ virginis filius, ex Spiritus sancti operatione, non ex carnis naturali propagatione. Est Christus, propter diuinitatem, non participatam, qualis est in alijs Christis Dei, sed naturalem, & coëssentialem Patri, quâ vngitur Christi humanitas. Via, quia per illum aditus est nobis ad felicitatem: Ostium, vt introductor; neque aliud ab ipso ostium est, vti nec via alia, quòd quia iustum est, nonnisi iustos recipit Ioan. 10. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Non potest enim ad Patrem perueniri, nisi per Iesum Christum filium eius. Pastor, cuius ductu in pascuis collocamur, cuius sollicitudine & protectione, aduersus infestam luporum rabiem defendimur, cuius curâ & vigilantiâ quum dispersi fuerimus, congregamur; cuius caritate fracti colligamur, roboramur infirmi, validi cõseruamur. Ouis, vt victima, Isa cap. 53 *Sicut ouis ad occisionem ducetur.* Agnus, vt perfectus, & tonsus, ibidem, *& quasi agnus coram tondente se obmutescet,* vbi Theodoretus, *Non sine causâ mactationis simul & tonsionis mentionem fecit Propheta: sed, quandoquidem Deus erat & agnus, corpore mactatur, impassibilis permansit diuina natura. Sed neque solùm mactatus est, sed & tonsus, nam secundum humanitatem, mortem sustinuit; vt Deus viuens, & impassibilis permanens, corporis lanam, tonsoribus dedit.* Pontifex vt sacrificus & offerens. Melchisedech, vt matris expers, si diuinã respicis naturam: vt patris nescius, si humanam. Sol denique vt à se lumen habens, & ipsum alijs communicans. Ioan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Lapis fundamenti: Ecclesiastici cap. 26. *Fundamenta æterna supra petram solidam.* Et Spiritus sanctus per Isaiã Prophetam cap. 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem pretiosum, in fundamento fundatum.* Vitis est vera, cui inserti ad hærescunt virides pampini, è cuius succo trahunt, vnde folijs luxurient, & fructu ducescant. Aqua viua, animorum maculas eluens, & purificans corda, temporalium sitim sedans, & incendium philautiæ nostræ extinguens, de hac aquâ, quæ ipse est, ait Ioan. cap. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Hæc omnia ex ijs quæ infirmitati nostræ subseruiunt, hisque multò ampliora, in se transtulit Deus, vt illa ipsa in nos ab ipso refusa, superiori imbuta virtute, dignationi eius, ad nostram omnium gloriam, & felicitatem famulentur.

Ioan. 10. Pastor. Ouis. Isa. 53. 2. Pontifex. Sol. Ioan. 1. Eccl. 26. Isa. 28. Vitis. Aqua viua. Ioan. 4.

CAPVT XXVII.

De Patris nomine.

Vt Deus appelletur Pater naturâ.

1. Pater, naturale Dei nomen, æternum.

EST & Pater naturale Dei nomen augustissimum, non humenitùs attributum, sed coæternum Deo, atque adeò in ipsis inexhaustis æternitatis fontibus reconditum, in sæculis inexplicabilibus antiquissimum, sine appellationis principio, ipsius principij quod sine principio est, appellatio relatiua, quâ Pater, non ad se, sed ad filium dicitur, non ex temporis, & propagationis fluxu genitum; sed in altissimis æternitatis, ex Dei Patris cogitatu, generatum: vt quemadmodum nec cœpit filius esse filius, quia æternus filius, ita nec pater, vnquam pater esse cœperit, quia æternus pater. Ideò semper & ab æterno pater, quia filij æterni pater, semperque & ab æterno filius, quia æterni Patris filius: ne si discretionem temporis, aut quasi temporis in diuinis opinemur, Sãctissimæ Trinitatis corruat mysterium; quum ea quæ esse cœperũt, sui esse iacturam possint facere: *Nõ præcessit itaque genitor,* inquit Magnus Augustinus, serm. 38. de tempore; *illud quod genuit, ideò,* ait Christus, *Ego & Pater, vnum sumus.* Ioan. 10. *id est, quod & ille, hoc & ego, secundum essentiam, non secundum relatiuum.* Est enim æqualis Patri.

Ioan. 10.

Pater actu semper est pater, non potentiâ.

Semper actu pater, potentiâ nunquam, quemadmodum in humanis vsuvenit, quolibet mortalium existente patre in potentiâ, *Pater*, ergo, *Pater*, inquit D. Greg Nazian. Orat. 23. *ac multò quidem veriùs, quàm qui apud nos id nomen obtinent, tum quia proprio & singulari modo pater est, non autem sicut corpora: tum quia solus, non enim ex coniunctione: tum quia solius, nempe vnigeniti, tùm quia solùm, nec enim ipse, priusquam Pater esset, Filius fuit: tùm quia in totum & totus Pater (quod de nobis certò affirmari nequit:) tùm quia ab initio, nec enim posteriùs pater esse cœpit.* Neque verò eodem modo gignit Deus & homo: nam cùm Deus temporis, principij, perpessionis, fluxionis, corporisúe sit expers, etiam sine his, & absque fœminæ complexu gignit, id quod secus est in homine, vt qui ortus interitusque rationibus subiectus sit, corpore constet, maris fœminæúe sexus in naturâ habeat, & mas fœminæ adminiculum ad prolis seminium, exposcat: proindeque temporum vicissitudines experitur, & ad prolis ortum fit pater, & fit non pater, ad illius interitum.

2. Filius coæternus patri.

Deus autem, nunquam non pater, quia nunquam non seipsum intelligit, & nunquam non generat, intelligendo seipsum: & filius semper est filius, quia semper est Verbum patris, cuius verbi processio, est generatio, id quod nó accidit in verbo intellectuali creato, quod accidens est, non substantia, sicut verbum patris est substantia patris. Nec vnquam sine Verbo suo pater, neque Verbum sine patre, quia Ioan. 1. *Deus erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum*, vnde apud Diuum August. lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 16. *Summus Pater, verbum suum, seipsum cogitãdo genuit, quod in Patris & Spiritus sancti essentiâ simul coëssentiale subsistit.*

Ioan. 1.

Atque ita filius Deum appellat patrem suum, quia vnus est ipse filius primogenitus, & vnigenitus consubstantialis patri, *qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, ad Philip. 2. illique soli conuenit dicere, *Pater mi*, non autem Spiritui sancto, vel nobis hominibus. Non Spiritui sancto, quia licet ex Dei essentiâ procedat, patri consubstantialis & similis, nó id habet ex vi, & modo processionis suæ, quâ à patre procedit, sed ipsius naturæ vi in quá procedit, vnde nec filius est patris, neque Deus pater, est Spiritus sancti pater. Filius autem ex vi processionis suæ habet quod sit filius, & non ex naturâ, in quá procedit. Nam processio per intellectum, vt talis est, vtque ab hoc vel illo subiecto abstrahit, semper est processio similis, & ideò processio Verbi diuini, est generatio, quia ex vi & modo processionis suæ, illi conuenit procedere simile in naturâ producenti. Ita statuêre Theologi, D. Thom. 1. part. quæst. 23. art. 3. lib. 4. contra gentes cap. 11. quæst. 16. lib. de potentiâ, art. 2. ad 22. argumentum, Scotus in 1. dist. 10. quæst. 1. ad 1. principale: Ferrariensis lib. 4. contra gentes, cap. 19. Caietan. Iauellus Bãnes, Molina, Valentia disputat. 2. quæst. 1. puncto 4. Bellarminus lib. 2. de Christo. cap. 14. cæterique Theologiæ proceres. Ita Elias Cretensis ad Orat. 23. Diui Nazianzeni totidem verbis, *Patrem porrò & Filium audientes, quid aliud quàm eos esse eiusdẽ substantiæ docemur? generatio enim est, cùm id quod gignitur, ex gignentis essentiâ, quantum ad essentiam ei simile producitur.*

Philip. 2.

Patrem Deũ vocare, Verbo competit, non Spiritui sancto.

Pater mi, soli Christo dicere licet.

Multò minùs verò, is humanæ facultati ad diuina accessus datur, vt homini liceat Patri Deo dicere, *Pater mi*, notionaliter, scilicet, vt loquuntur Theologi, sic enim pater, vna est persona, ait Rupertus lib. 7. in cap. 8. Matth. quæ in psalmo dicit de isto filio suo, verbo suo. Eructauit cor meum verbum bonũ. quem versiculũ psalmistæ, in hunc modum exposuit Apollinarius,

Psal. 44.

ἐσθλὸν, νοήτιον κραδίη τεκνώσατο μῦθον.

Bonum, nostrum cor, genuit sermonem.

Et ex illo Nazianzenus orat. 49. de fide, Filij cõsubstantialitatem cum Patre confirmat, vt non aliunde sit, quàm ex Patris pectore, deque reconditis vteri & naturæ paterni cordis, absque proiectione, diuisione, sectione, diminutione, perpessione, aut aliâ quauis ratione, ex his quæ in aliorum viuentium generatione cernuntur, vt rectè aduertauit Eusebius lib. 2. de demonstrat. cap. 15. Cyrillus quoque lib. 2. thesauri cap. 13.

Quomodo autem ipsum compellaturi simus, docuit eius vnigenitus, quum discipulis deprecandi formulam sciscitantibus, in hunc modum ab homine orandum respondit Matth. 6. *Pater noster*, voce scilicet, *Pater*, essentialiter acceptâ: rationem discriminis tradit Rupertus lib. 6. in cap. 6. Matth. quum inquit, *Nos, Pater noster, Christus, Pater mi, dicere debuit. Pater noster dicimus huic, & nemo nostrum dicit Pater mi; vnus est filius primogenitus, & vnigenitus, non vti nos gratiâ; sed solus naturâ Filius, cui conuenit dicere, Pater mi; & dixit cùm traderetur, Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, & Pater noster, nusquam legitur dixisse: Cur hoc? Videlicet, quia dissimiliter illi & nobis, Deus, pater est, illum genuit, nos adoptauit.*

Matth. 6.

Pater noster Christus nũquam dixit.

Capitis 27. §. 1.

Exploduntur hæretici negantes Deum, propriè dici Patrem.

I.

Ex his, impietatis conuincuntur Eunomiani, Arianique, qui, teste Eliâ Cretense ad Orat. 23 Nazianzeni, paternitatis nomen, impropriè Patri impositum asserebant, neque propter relationem ad filium, sed solùm propter effectricem scientiam, veluti in rebus creatis: quemadmodum etiam Plato, Deum, rerum effectarum patrem nuncupauit. Hesiodus itidem, necnon & Homerus Iouem patrem appellantes, & patrem hominum atque Deorum, propterea, quòd, vt inquit Porphyrius ad eum omnes familiæ referentur. Vtriusque exemplum est apud Homerũ, vt quum Iliad. 7. canit:

Ζεῦ πάτερ, ἢ Αἴαντα λαχεῖν, ἢ Τυδέος υἱόν.

Iupiter pater (da) vel Aiacem sortiri, vel Tydei filiũ.

Et Iliad. 15.

ὣς φάτο, μείδησεν δὲ πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Sic dixit, risit autem Pater hominumque, Deumque.

Quem secutus Maro Æneidos 2. ita fatur.

Ipse Pater Danais animos vireſque secundas Sufficit. Et Æneidos 1.

Æole (namque tibi Deûm Pater, atque hominum rex Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Patres dicũtur sui operis artifices.

Et nos sæpè, artifices rerum earum quæ arte cõstant, patres appellamus, id quod quoque adnotauit Casaubonus in Athenæum Dipnosophistã lib. 1. cap. 1. apud quem, Ἀθήναιος μὲν ὁ τῆς βίβλου πατὴρ eleganter, pro eo qui est auctor libri: siue non haberent Græci vocabulum, quo autorem significarent, siue Galeno passim lib. 2. de caussis pulsuum, alijsque recentioribus συγγραφεὺς, pro eo quod est autor, vsurpare placuerit: Quanquam etiam Galeno familiare, auctorem dogmatis, patrem appellare, lib. qui suprà. ὁ γάρ τοι πατὴρ, inquit, τοῦ δόγματος ὁ θεῖος Ἱπποκράτης, & Theodorito in præfatione libri de hæresibus, quum ait, οἱ διαφόρων δογμάτων πατέρες γένοντο. Plato quoque in Timæo, Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρ τε ἔργων, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα, ἐμοῦ γε θέλοντος. Quæ Cicero ita vertit, *Quorum operum ego parens effectorque sum, quæ per me facta, hæc sunt indissoluta mea, quanquam omne colligatum*

Ngathum solui potest. Et apud Hebræos, primos cuiusque artis inuẽtores, atque cultores industrios, patres appellatos, adnotauit Leonard. Marius Genes. 4 numer. 39. sic Tyri rex Hiramus, alium Hiramum artificem vocat patrem. Bellum quoque omnium parentem dici obseruatum est, πόλεμος ἁπάντων πατήρ. quòd miras rerum mutationes adferat, atque ita plerumque cuncta nouet, vt ex eo nata quodammodo vniuersa videantur, dum victi victorum legibus viuere compelluntur, sicut significauit Maro 4. Georgicon:

Cæsar, dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat iura, viamque affectat Olympo.

Pater opificij sui Deus.

Noluerunt autem sectarij illi, in filij diuinitatem grassatores impij, mẽtem aduertere discrimini, quo, in sacris literis, Deus genitor, vnigeniti filij sui pater dicitur, & pater opificij sui: quod paterni nominis discrimen, ex eo haberi tradit Rupertus lib. 2. de glorificatione Trinitatis cap. 2. quòd in Euangelijs filius, quando cum additamento nominis possessiui dicit, *Pater meus*, longè altiora significet, quàm quæ nostrûm cuiquam (qui etiam filij Dei nominamur & sumus) conuenire possint, vt quum ait, Ioan. 5. *Pater meus, vsque modo operatur, & ego operor*, hic æqualitatem sui ad patrem ostendit, & in dicendo eum patrem singulariter, inquit Chrysostomus apud D. Tho. in Catenâ: ibi enim vna persona diuina est, pater, & ad vnicum filium Verbum suum refertur. Quum verò absque pronomine possessiuo dicit *Pater*, humiliora de se loquitur, quæ & nobis æquè penè congruãt, vel pusillitati nostræ sint imitanda, quorum pater dignatur esse, vel dici vnus idemque trinus Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, vt quum infit Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: humiliora enim sunt hæc*, inquit Rupertus, *& assumptæ humanitatis, humilitatem sonant; sicut hoc, vado ad Patrem, quia Pater maior me est*: & *rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*. Patrem sine nomine possessiuo appellat, quum eum, vt dominum suum ratione naturæ assumptæ, secundum quam minor est patre, interpellat: Patrem suum dicit, quum æqualia omnia sibi & patri esse denuntiat. *Non enim dominus eius, pater eius*, inquit D. Augustinus in psal. 138. *nisi quia dignatus est nasci secundum carnem. Pater est Dei, dominus hominis, ergo quia & pater & dominus est, Pater est formæ Dei, dominus formæ serui.* In quam sententiam, D. Hieronymus asserit, istud esse nomen, quod Dei filius manifestauit hominibus; *Cæterum*, inquit ille in cap. 32. Ierem. *propriè nomen Dei, est Pater, quod in Euangelio per Dominum reuelatur dicentem, pater manifestaui nomen tuum hominibus*, Io. 17.

Ioan. 5. — *Ioan. 14.* — *Pater est nomen magnũ quod manifestauit Iesus hominib.* — *Io. 17.*

2. Sed nunquid illud erat veteris instrumenti hominibus cognitum? Isaias enim inter cætera deprecationis suæ cap. 63. ait. *Tu Domine Pater noster, à sæculo nomen tuum*; & apud Ieremiam cap. 3. se patrem inuocari vult Deus, *amodo voca me Pater meus es tu*: & cap. 31. *Factus sum Israeli Pater*, & apud Malachiam cap. 1. de Sacerdotum conquerens irreuerentia, sic argumentatur, *Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus?* Addit & ipse Propheta cap. 2. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum?* Et ne suspiceris de protoparente omnium nostrûm, generis scilicet mortalium loquutum fuisse, qui in Sapientiæ lib. cap. 10. *Pater orbis terrarum, appellatur*, explicat sese subsequentibus verbis: *Nunquid non Deus vnus creauit nos?* Accedit D. Nazian. Orat. 37. *Vetus testamentum*, inquit, *apertè Patrem prædicabat, Filium obscuriùs.* Quomodo ergo manifestatum est Patris nomen per Filium, si priusquam manifestaretur, apertè prædicabatur?

Isa. 63. — Ierem. 3. & 31. — Malach. 1. & 2. — Sap. 10.

Eo nomine manifestauit, quo Pater, est vnigeniti & consubstantialis Filij Pater, id quod obscurum veteribus fuit: illa ipsa, quæ de Filio Dei propheticus sermo enunciat, non ad naturalem Dei Patris Filium, sed ad adoptiuum, summaque præ cæteris gratiâ donandum, trãsferentibus. Aliàs autem, satis manifestus, satisque cognitus olim fuit Pater, eo nomine quo Creator vniuersorum est, & pater, & rector. Aut prætereà Patris nomen manifestauit, non eò solùm quòd ipse à patre genitus sit, sed etiam quia dilectus patris, *Patrem quippe non solùm facit quòd genuerit, sed & postquam genuerit, amet*, inquit Elias Cretensis, ad Orationem primam D. Nazianzeni: istud quidem in corporum progenitoribus, de quibus proditum ab Euripide, *Parentum anima, Filij*, imò & ornamenta carissima: quo spectat illud Corneliæ Gracchorum matris apud Valer. Max. lib. 4. cap. 3. quæ, quum Campana quædam matrona apud eam hospita, ornamenta sua pulcherrima ostentaret, mundumque suum muliebrem exponeret, eam traxit sermone, quousque è scholis redirent liberi: quibus domum reuersis, & hæc, inquit, ornamenta mea sunt. Sed neque id in homine tantùm, sed etiam in cunctis animantibus, vt Apollonio Tyaneo placuit, quanquàm veriùs in homine, in quo & amoris sensus & ratio, quum diligere parentes & filios teste Aristotele 7. Ethicor. sit de bonis, & pulchris, & eligibilibus secundum naturam, secundum quam, maior est caritas patris in filium, quàm viri in vxorem, vti testatur Abulensis in cap. 13. Genes. quæst. 781. proptereaque, cùm de diligendâ coniuge lex sit posita, nihil de diligenda prole traditum sit, naturâ ipsâ satis per se, imò & plusquam satis in istam affectionem propendente, vnde in Epistolis ad Atticum Cicero, στοργὴν φυσικὴν εἶναι πρὸς τὰ τέκνα: *aduersus sobolem genuinam naturalemque putari beneuolentiam*, & vt Nicobuli ad filium versum referam, qui est apud Nazian.

Pater satis cognitus vt Creator. — Filij anima parentum. — Amor Patris in filium maior amore viri in vxorem.

Philtro nam naturâ patres cum prole ligauit.

Potiùs sublimiusque ista Diuinis inesse cogitabis, vbi nullus amoris modus præscribi potest, quo Pater & eius soboles sese complectuntur, quippe qui immensus, æternus, infinitus increatusque sit. Patris igitur nomen etiam manifestauit Dei filius, quia amoris illius essentialis Spiritus Sancti, ex amantis & amati voluntate manantis, indicium dedit hominibus: *Nunc verò*, inquit D. Nazian. Orat. 37. *Spiritus ipse nobiscum versatur, sesque nobis apertiùs declarat*, cuius Diuinitatem vetus instrumentum subobscurè quodammodo indicauit.

Neque id solùm, sed etiam vniuersi instructorem Deum ac Dominum, euidentissimo dilectionis argumento, naturalis nimirum filij sui, pro opificij sui redimiã traditione, Patrem esse beneficum in humanum genus, commonstrauit, Ioan. 3. *Sic enim dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, inquit coëssentialis Patri Filius, qui ne caritatis suæ in nos viscera, ob facinoris aduersum se perpetrati indignitatem, atrocitatemque, contraxisse videretur, quòd vnius sit cum Patre voluntatis, vnum etiam vtriusque personæ in creaturam rationalem, amorem esse testatur dicens: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Ioan. 15. hoc est, sicut pater amat Filium gratis in humanâ naturâ, quam assumpsit, ita filius gratis & absque vllo merito nostro amat nos, proque sanctificatis electis suis Patrem deprecans, vt in Deo fiant vnum, sicut ipse est vnum in Patre,

Ioan. 3. — Ioan. 15.

Ioan. 17.

Ioan. 17. *Ego in eis, inquit, & tu in me, vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.*

3.
Patris nomen Deo propriè convenit.
Ephes. 3.

Manet ergo non esse expertem prolis Deum, sicut blatterant Hæretici, atque ideò, Patrē propriè appellari, *ex quo omnis paternitas in cælis, & in terrâ nominatur,* inquit Gentium Apostolus ad Ephes. 3. in quod caput, D. Hieronymus, *Sicut solus bonus, bonos facit, & solus immortalis, immortalitatem tribuit, & solus verus, veritatis nomen impertit; ita & solus Pater, qui creator est omnium & vniversorum caussa substantiæ, præstat cæteris, vt Patres esse dicantur.* Pater est Verbi sui, quod bonum de corde suo fœcundo eructauit, quia ipse bonus. Pater est vnigeniti sui secundum naturam, quo cum ineffabili, atque intermino amoris nexu sociatus, regnum beatitatis constituit, seclusá omni subiectione, seclusâ omni imperfectione, & veriùs, firmiusque quàm ex parētum cum liberis societate, forma quædam resultat imperij, sicut tradit Philosophorum caput, Arist. lib. 8. Ethic. cap. 10. totidem verbis, ἡ μὲν γὰρ πατρὸς πρὸς υἱεῖς κοινωνία, βασιλείας ἔχει σχῆμα, τῶν τέκνων γὰρ τῷ πατρὶ μέλει. ἐντεῦθεν δὲ καὶ ὅμηρος τὸν Δία πατέρα προσαγορεύει, πατρικὴ γὰρ ἀρχὴ βούλεται ἡ βασιλεία εἶναι. id est. *Patris enim cum liberis societas, quandam regni speciem præfefert, liberorum enim curam gerit pater. Quam ob caussam & Homerus Iouem patrem appellat, vult enim regnum esse paternum quoddam imperium.* Et hoc ipsum beatitatis regnum, quum in præordinatione diuinâ, ab ipsâ iam vniuersi fabricæ institutione, esset intra electos Dei; quēadmodum apud Lucam cap. 17. loquitur Dominus *Regnum Dei intra vos est*: atque protoplasti errore, naturâ hominum in culpam adductâ, sub tyrannico tenebrarum principatu teneretur: regiâ proles abijt in regionem huius mortalitatis, procul remotam à suâ diuinitate & impassibilitate, facta homo passibilis & mortalis, *accipere sibi regnum & reuerti.* Luc. 19. vt quemadmodum ferunt Antigonum, ingenti prælio hoste superato, belli præmium ad patrem transtulisse, Cypriq́ue ei tradidisse imperium. Cæl. Rodigin. lib. 11. lect. cap. 17. etiam ipse vnigenitus, Deo Patri, fugatis digito Dei dæmonijs, expugnatisq́ue ac profligatis, sui sacri cruoris vi, inferis; rationalis naturæ recuperatum regnum traderet. Atque ita, cuncta in homine, ad suum redirent principiū, in quo sunt vita & regnum: vt si apud Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3. Paulo Æmilio laudi ducitur, quòd Perse rege victo Macedonicis opibus, veterem vrbis paupertatem satiarit; ipse verò nullâ ex parte penates suos locupletiores fecerit, præclarè secum actum existimans, si ex illâ victoriâ, alij pecuniam, ipse gloriā occuparet. Si Scipioni Æmiliano honorificum fuit, post inclytos duos Consulatus, totidemque triumphos, quòd operum suorum ad se laudem, manubias verò ad patriam redundare voluerit: ingens fiat laudis & honoris accessio vnigenito Dei, qui ex tanto sacrosancti cruoris sui impendio, nihilo locupletior, solâ corporis & nominis sui contentus gloriâ, emolumentum omne in nos transtulit, *& fecit nos Deo nostrō regnum,* Apoc. 5. vt manubiæ omnes ad patriam cælestem redundarent.

Regnum est quoddam paternum imperium.

Luc. 17.

Luc. 19.

Antigonus.

Paul. Æmilius.

Scipio Æmilianus.

Apocal. 5.

Capitis 27. §. 2.

Vt Deus dicatur pater creaturæ.

I.
Pater creaturæ Deus.

PORRò autem, varijs modis Deus facturæ suæ pater appellatur, sicut docet Angelicus Doctor 1. parte quæst. 33. art. 3. Vel enim propter solam vestigij similitudinem dicitur pater, quale in irrationali creaturâ reperitur: hinc illud Iob. cap. 38. *Quis est pluuiæ pater, aut quis genuit stillas roris?* Vel secūdum similitudinem imaginis, atque ita creaturæ rationalis pater nuncupatur. Deuteron. 32. *Nonnè ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te.* Vel secūdum gratiæ similitudinem, est aliquorum pater, qui filij adoptiui dicuntur, atque ex diuinæ gratiæ munere, ad cælestis Hierusalem hæreditatem ordinantur, iuxta illud ad Rom. 8. *Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filij Dei, si autem filij, & hæredes.* Aliquorum verò secundum similitudinem gloriæ, prout ipsi eam modo in regno beatitatis possident, secundū illud ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

Iob. 38.

Deut. 32.

Rom. 8.

Rom. 5.

Non igitur naturæ tantum, sed etiam religiōnis nomen est pater, Deorum omnium, vt Seruio placet, epithetum, vnde hæc nata apud Virgil. 4. Georgic. *Oceanum rerū patrem.* & Æneid. 3. *Gradiuumque patrem,* pro Marte, & 1. Georgic. absolutè, pater,

> *Ipse pater mediâ nimborum in nocte, coruscâ*
> *Fulmina molitur dextrâ.*

Pater, est religionis nomen.

Quanquam nominis sui propriâ significatione, quasi iuuans pater, Iupiter appelletur. Bacchus quoque hoc sibi nomen peculiariter vendicauit. 2. Georgicon. *Huc pater ô Lenæe veni.* vbi Seruius. Pater, licet generale sit omnium Deorum, tamen propriè Libero semper cohæret: nam Liber pater vocatur.

Veruntamen, quia sicut Deus beneficæ potentiæ nomē est, inquit Philo Iudæus lib. de somnijs, siue bonitatis, vt lib. 2. legis allegoriarum hic autor tradit. *Vt sciat quod etiam res inanimas, nō potentiâ, sed bonitate condidit, eadē, quâ animatas; Oportebat enim, quo magis elucerent meliora, etiam deteriora produci à potentiâ huius ipsius bonitatis summæ caussæ, quæ Deus est:* ita & patris nomen, dulce est, atque beneficum. Falsò proinde hocce pietatis vocabulum. Dijs gentium est attributum, vt qui vim suam non magis benefaciēdo, quàm nocēdo manifestarēt.

Propriè verò soli & vni Creatori omniū Deo, à pietate ac paterno affectu quo suos complectitur, illorum saluti & commodis prospicit, patris nomen tribuitur, Ierem. 3. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis*: & alibi *factus sum Israëli pater, & Ephraim progenitus meus est, & deducam illos per torrentem aquarum in viam rectam, & non impingent,* hoc est, meis vestigijs insistent, inquit Lemnius, exhortatione ad vitam optimè instituendā, cap. 59. me comitabuntur, meæque voluntati acquiescēt, & ego illos tutos præstabo in omnibus vijs suis, nec quidquā illis accedet incōmodi, nec vlla inferetur iniuria, nulla clades, nulla calamitas. Is enim est parēs creaturæ suæ, quia illius figulus & auctor est, de quo Plato in Timæo, *Opificem quidē & patrem mundi inuenire difficile, & cùm eum inueneris prædicare. eloqui vulgò impossibile est*; & Tertullianus lib. 5. contra Marcionem: *Primò quidem, Patrē, Dominum præscribo non aliū agnoscēdum. quàm hominis, & vniuersitatis Creatorem, & institutorem.* Is est, qui cuncta quæ fecit, summâ sapiētiâ moderatur, cuius nutu regūtur vniuersa, cuius bonitate conseruātur, ad quē præclarè Nehemias. 2. Machab. 1. *Domine Deus omniū Creator, terribilis & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus iustus, & omnipotēs & æternus.* qui nisi pater creaturæ esset, dissoluerētur protinus, & corruerent vniuersa, vtpote, quæ coram tantâ maiestate. corā tantâ diuinitatis vi, atque potentiâ, nō possent cōsistere. Pulchrè Cyrillus Alexādr. in Apologiâ ad Theodosiū. *Diuina & incorrupta natura tametsi summè glorificata sit, & omnē admirationem superet: patrem tamen, ac correspondentem excellētem huius potētiæ magnitudini; mansuetudinē habet; Generata siquidē natura, fortissimā illā, & immensā vim ac potestatem, non sustinuisset, nisi mansuetudine mixtam.*

Patris nomē soli Deo propriè conuenit.
Ierem. 3.

2. Machab. 1.

2.

Is est qui Deus Deorum appellatur, non modò vt in illum solum teque spemq́ue tuam reijcias, nulliq́ue fidas præterea sed etiam vt quemadmodum Sol pater Deorū virorumq́ue à quibusdam nuncupatur, quia vnicus, quia notissimus, quia

luce & calore complexus omnia, quia ab illo stellæ & Luna suum lumen mutuantur: ita ob easdem caussas Deus Deorum Pater est Dominus, cunctarumque creaturarum; hominum verò maximè, quibus per creationem ampliora suæ Diuinitatis & bonitatis beneficia communicauit. Quod si Aristoteles 1. Politicor. 8. Iouem ab Homero, meritò Deorum patrem appellatum asserat, quia regium est patris in liberos imperium, quia naturâ parens antecedit genitum, quia adfectu in liberos tenetur. *Imperium autem in liberos*, inquit, *regium est, quod enim procreauit, id amicitiæ ergo, & prærogatiua ætatis imperium obtinet, quod regij speciei est imperij. Quare aptum nomen Ioui tribuit Homerus quum dixit, hominum Pater atque Deorum, de eo loquens, qui vniuersitatis rerum est Rex: Naturâ enim regem differre oportet, at genere eundem esse, quod vsuuenit seniori erga iuniorem, & procreatori erga suam prolem*: ita visibilium, atque inuisibilium Creator Deus, Pater est, & Rex: Sapientiæ 13. *Spectei enim generator hæc omnia constituit*, ad idearum scilicet similitudinem, quas mente gerit suâ artifex omnium: quo creatore creaturæ indigent, non modò vt sint, sicut proles patre suo generante, sed etiam vt postquam sunt, conseruentur.

Iupiter Deorum Pater.

Sap. 13.

Capitis 27. §. 3.
Vnde dicatur, Pater.

1. Pater vnde dicatur.

Atqui iam, cùm Patris nomenclatura, suæ significationis intuitu, multa importet, ad quæ obseruanda, tenetur is, cui istud nominis datur, vt actio significato illius vocabuli respondeat, non superuacanei laboris futurum arbitror, si huiusce nuncupationis etymon, curiosiùs aliquantulò indagauerimus. Πατὴρ ergo, quidã dictum crediderunt, quasi σπατὴρ, à σπείρω. quod est, *semino*, aut παρὰ τὸ πατεῖν ἐν τῇ συνουσίᾳ, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀλόγων ζώων. Varro lib. 4. de lingua Latinâ, à patefaciendo semine dictum vult. Cornutus in Persium, à patratione, id est, rei venereæ perfectione, quòd patratione factâ, filios procreet pater. Oro, dici visum est, παρὰ τὸ παῖδας τηρεῖν, *à seruandis filijs*. Sequitur Eustathius sic tamen, vt & aliam deriuationem adferat: scribit enim ille, πατὴρ quum de homine dicitur, ita vocatur quasi παῖδας τηρῶν, id est, *ex se genitos seruans*: at quum de Deo, sic appellatur, quasi πᾶν τηρῶν.

Quod si Latini sermonis significatum pressiùs considerauerimus, patris vocabulum à pario quidem deductum esse videbitur, quasi is solus prolem effundat: Ægyptiæ namque gentis sanctio fuit, solum patrem, generis esse auctorem, Cælio Rodigino teste lib. 4. lect. cap. 10. nam matrem, nutrimentum modò, & locum infanti velut substratum præbere, vnde illud Isa. 66. *Si ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus*. Nihilominus tamẽ, etiam patrem inde dictũ, quòd patens, quódve patiẽs sit, nonnullorũ est opinio.

Isa. 66.

Porrò irrideat hanc ματαιοπονίαν, siue inuestigandi nominis diligentiam, qui volet; sanè eum meminisse oportuit, Platonem & Aristotelem Philosophorum Principes: Euripidem & Sophoclem, Poëtarum eruditissimos: Varronem & Ciceronem, Romanorum alterum doctissimum, eloquentissimum alterum, ab hac ratione non abhorruisse, cùm & multa huiusmodi in grauioribus operibus suis ostentarint, & hoc in genere, lusisse vocibus, laudi sibi duxerint. Certissimum quoque Hebræis idioma peruetus esse, eosque totos in thematis inuestigatione, vsque ad ipsam in prima elementa nominis resolutionem versari; quod tantùm abest, vt superuacaneè fiat, aut fit, vt dicitur, νεφέλας ξαίνειν, *nebulas diuerberare*, quin potiùs summâ cum vtilitate & iucunditate, vocabula ad primas radices vsque rimentur, sicut & vocem אב *ab*, quâ patrem significant. & est Chaldæis אבא *abba*, sicut à Christo Domino, & Diuo Paulo citatur, *Abba, pater*: à verbo אבה deriuant, quod est, *voluit, placuit, consensit*, vt nimirum pater, à prolis habendæ desiderio אב *ab*, vocetur, voce ipsâ, & desiderium, & patrem, & voluntatem significante, quæ & habet cognationem quandam cum חבב *chabab*, *dilexit*, vnde חבה *chibbah*, *amor*. Quare quod in vulgatâ habetur Iob. 34. *Pater mi, probetur Iob vsque in finem*, pro אבי *abi*, id est, *Pater mi*, Chaldæus vertit, & sequitur Pagninus in Thesauro, *volũtas mea*, vel *desiderium nostrum* צבוינא *tsibeona*, quasi à תאב *thaab*, *desidero*, dicatur אב *ab*, quocum etiam cognationem habet. Mira siquidem voluntas, mirum desiderium, mirúsque patrum in liberos adfectus est, adeò, vt Aristoteles 3. politicor. scribat, Patrem filijs regnum non relinquere si possit, arduum est, καὶ μείζονος ἀρετῆς, ἢ κατ' ἀνθρωπίνην φύσιν, id est, *eminentioris virtutis, quàm pro hominum captu*, Cælio Rodig. interprete lib. 11. cap. 17. & 21. Inde fit, vt sacra Majestas parentum habeatur, & omnino proxima Deo: vt propterea verissimè Aristoteles lib. 8. Moral. τὸ δυνατὸν γὰρ ἡ φιλία ἐπιζητεῖ οὐ τὸ κατ' ἀξίαν, οὐδὲ γὰρ ἔστιν ἐν πᾶσι, καθάπερ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς καὶ γονεῖς, οὐδεὶς γὰρ τὴν ἀξίαν ποτ' ἀποδοίη, id est, *quod fieri potest, amicitia requirit, non quæ ex dignitate, cui in omnibus paria facere nequimus, Sicut in Dei & parentum honore, quibus pro meritis, nemo vnquam rependat*. Hinc à veteribus proditum est, parentes esse ἀγάλματα τοῦ πάντων πατρὸς Διός, id est, *Idola, spectráve patris omnium Iouis*, vt proinde, quemadmodum, qui in Deorum simulacra impios se præstiterint, in Deos ipsos, quorum imagines sunt, impietatem regerunt: ita qui impiè parentes habent, in Deum ipsum hoc impietatis admittũt, cuius imago & imitamentũ sũt, circa pignora sua sic se habentes, quemadmodũ Deus circa creaturam suam, cuius se patrem propter suam erga illam beneficentiam, vult appellari, Matth. 23. *Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim Pater vester, qui in cælis est, quem inuocat eius vnigenitus*, Marci. 14. *Abba, Pater, omnia possibilia sunt tibi*, & nos in Spiritu S. clamamus, *Abba, Pater*, ad Rom. 8. quibus nominibus, priori Hebraicè; posteriori, Græcè & Latinè, sonantibus, D. Thomâ interprete, indicatur Deus, Pater, nõ Hebræorum modò, sed etiam Græcorum & Latinorum, atque adeò omnium gentium & nationum, quòd omnes, ceu filios, pari viscerum adfectu complectatur; singula præiactis naturæ seminibus, in suâ serie multiplicet; multiplicata tueatur, & conseruet.

Iob 34.

2. Pater filijs regnum relinquisse potest. Patrum Majestas proxima Deo.

Parentes sunt idola Iouis.

Parentes, vt Deus venerandi.

Matth. 23.

Marci. 14.

Rom. 8.

Capitis 27. §. 4.
Reges & Principes, etiam Patres appellantur.

1. Princeps, pater publicus esse debet.

Qvam ob curæ similitudinem Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 4. epist. 42. Majestatem Regiam, definit in hunc modum, *Princeps est Pater publicus, & communis*, scilicet Reip. vt sicut generis auctorem, patrem appellamus, ita, honorificâ & reuerentiæ plenâ Patris appellatione, Principes suorum maximè studiosos, dignemur: vt si quæ populi commodo & vtilitati expediant, curent, patrum habeantur loco, id quod

Veteres à bono Principe exigebant, succlamantes:

Te Ciuem, Patremque geras.

Pastor Rex populorum.

Quod vt ab Agamemnone præstitum est, Homerus bonarum literarum parens, cum ποιμένα λαῶν appellauit; quòd quemadmodum pastori suarum ouium cura incumbit, quò non modo in pascuis ea sortiantur quæ victui sunt necessaria, sed etiam ab incursantium luporum rabie præstet incolumes: sic etiam Principis munus est, fortunarum vel suarum & propriæ quietis impendio, curare, vt populis sibi subiectis benè sit, cùm non eligatur, vt curam omnem ad se suaque conuertat subditorum verò proijciat, verùm vt ipsius vigilantiâ & virtute, qui eum elegerint, in tranquillitate & pace, imperturbatè viuant: id quod grauiter Marcellinus Ammianus pronuntiauit lib. 29. quum definit *Imperium, curam salutis alienæ.* Pulchrè quoque Nicomachus electo ad Imperij fasces Tacito, apud Flauium Vopiscum in Tacito, *Ingens est gloria morientis Principis, Rempublicam magis amare quàm filios.* sic enim fiet, vt potentiâ ad beneficentiam vtantur Principes, quomodo Agamemnon totius Græciæ Imperator, vsus fuisse, præclaro Isocratis in Panathenaico testimonio comprobatur; ταύτην δὲ λαβὼν τὴν δύναμιν, οὐκ ἔστιν ἥντινα τῶν ἑλληνίδων πόλεων ἐλύπησεν, ἀλλ' οὕτως ἠπόρρω τούτου, ὥς καί τινας ἐν πολέμῳ καὶ ταραχαῖς, καὶ πολλοῖς ἄλλοις κακοῖς ὄντας τούτων μὲν αὐτοὺς ἀπήλλαξεν. Id est, *Hanc verò potentiam nactus, nulla Græcarum Vrbium est, cui molestus fuerit, sed ab eâ re adeò fuit alienus, vt nonnullos qui bello & turbis, & multis alijs malis agitabantur, illis incommodis liberarit.* De quo etiam Homerus, cùm Iliad. 2. dixisset

Principum officium.

Principis gloria, Rempublic. magis amare quàm filios.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Non oportet per totam noctem dormire Consiliarium virum,
Cui populi sunt commissi, & tot curæ sunt.

Principis est vigilare.

Iliade 10. cunctis Achiuorum Principibus in vtramque aurem dormientibus, nocturnâ vigiliâ consuluisse, cecinit,

ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
εὗδον παννύχιοι μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ·
ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν,
ὕπνος ἔχε γλυκερός, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.

Cæteri quidem apud naues Principes Achiuorum,
Dormiebant totam noctem, molli domiti somno;
Verum non Atridem Agamemnonem, pastorem populorũ,
Somnus tenebat dulcis, multa animo cogitantem.

2.
Principes sunt publici parentes.

Cogita multorum liberorum parentem, familiæ suæ studiosum, negligentem sui: talis vt sit Princeps bonus, necesse est. *Sunt Principes, publici parentes,* inquit Philo Iudæus, lib. de elect. princip. *Ciuitatum & Gentium, quotquot boni sunt, nec cedunt pietati naturalium.* Sicut enim securis rerum liberis, eorum decori sedulus inuigilat parens, ita populi incrementis Principes, qui potestatem in tyrannidem conuertere formidarint: siquidem *Reges Gentium dominantur eorum, & qui habent potestatem super eos, benefici vocantur,* Luc. 22. vnde Imperatores, Augusti sunt appellati, quasi Rempub. Augentes.

Luc. 22.
Augustus vnde dictus.

Quare præclarè mihi dixisse videtur Cyri Regis Dux præstantissimus Chrysantas apud Xenophontem totidem verbis, *Bonus Princeps nihil differt à patre bono: nam vt parentes filijs prouident, vt bona his nunquam sint defutura: ita & Principes.* Ipsum namque regnum, sicut ex Aristotele, 8. Ethic. 10. adduximus, imperium est, suapte naturâ paternum. Sensit istud Fabius Max. teste Plutarcho in eius vitâ: nam cùm ei populus ad imminuendã, circumscribendamque ipsius dignitatem Minutium collegam æquali cum imperio addidisset, Fabij animum se depressisse quidem opinati sunt, non rectè factâ de eo vnio coniectura: at ille, eorum inscitiam suum malum non esse putauit; sed vt Diogenes Philosophus dicenti, isti te derident, respondit se tamen non derideri, quòd eos tantùm uerideri putaret, qui sannas curant, & ijs perturbantur: ita Fabius, id quod actum erat, æquo animo tulit; sed vt suo nomine, nihil ei illa iniuria dolebat; ita Reipublicæ caussa angebatur, quòd multitudinis imprudentiâ, insanæ Minucij pugnandi cupiditati, ansam proruendi præbuisset, quod vt factum est, atque ab Hannibale circumuentus Minucius cum legionibus, vltimo discrimine periclitaretur: laboranti Minucio, eductis copijs quas secum habebat, suppetias tulit, & seruauit. quare Minucius, recenti beneficio victus, Fabium patris nomine compellauit, *Patrem igitur te benignum ego appello,* inquit, *cùm honorificentius nullum suppeditet nomen: plus enim tibi, quàm parentibus meis debeo, quòd hi vitam mihi modò dederint, tu & mihi, & his simul salutem tueris.* Quid Codrum memorem, qui Atheniensium Rex, cùm ingenti hostium exercitu Attica Regio, ferro & flammis vastaretur, humani auxilij diffidentiâ, Apollinem per Legatos sciscitatus, quî tam graue bellum discuti posset, & Deus, siue dæmon respondisset, si ipse hostili manu occidisset, nihil cunctatus positâ purpurâ, familiari cultu indutus, caritate patriæ pabulantium hostium globo, sese obiecit, vnumque eorum falce percussum, in suam necem concitauit, cuius interitu, ne Athenæ occiderent, effectum est? edixerant aduersa castra, in quibus oraculi rumor percrebuerat, ne Codri corpus quisquam percuteret: elusit edictum Codrus, positis imperij insignibus, & suâ morte, patriæ victoriam peperit, vt habet Valer. Maxim. lib. 5. cap. 6. Quid Ælium Prætorem referam, cuius dicenti, cum picus in capite eius supersedisset, & aruspex eo conseruato, felicem futurum domus suæ statum, Reipublicæ autem infelicem affirmasset; eo verò necato, contrarium vtrumque cessurum, in conspectu Senatus, morsu apprehensum necauit, familiæ suæ mox ruinam, Reipublicæ verò incrementum illicò expertus?

Q. Fab. Maxim. pater est à Minucio appellatus.

Patris nomine nullum honorificentius.

Codrus Rex pro republ. voluntariè occumbit.

Ælius Prætor Reipubl. quàm familiæ suæ studiosior.

3.

Et vt à profanis ad sacra conuertamur, cuius animi fuit Apostolus, si non paterni? illius sunt ista. 2. ad Corinth. cap. 12. *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos:* quam in rem, quid continentius dixisse potuit Marcus Curio apud Valer. Max. lib. 4. cap. 3. Qui Samnitibus magnum auri pondus deferentibus, quo vteretur, respondit, supervacaneæ, ne dicam ineptæ legationis ministri, narrate Samnitibus Marcum Curium malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem: atque istud, vt pretiosum, ita malo hominum, excogitatum munus referto, & mementote me nec acie vinci, nec pecuniâ corrumpi posse. Prosequitur Apostolus, *Non enim debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs:* quasi diceret, secundum Theodoretum, pecuniam non concupisco, sed vestras animas desidero. Scio enim etiam patres filijs diuitias congerere; ego autem ijs etiam qui sunt patres, me plus facturum profiteor. Quia etiam meipsum dono pro vobis. Quod sic explicauit Diuus Chrysostomus homil. 27. in capite 12. Epist. 2. ad Corinth. *Si ipsam carnem insumere oporteat, non parcam propter vestram salutem.* Ecce vt desiderat impendi & superimpendi in Apostolatu Princeps.

2. Cor. 12.
M. Curio pecunia corrumpi non potuit.

Apostoli paternus affectus.

ceps Gentium, pro Incolumitate credentium. Plumbum appellant ex metallis, regium, quod auri vitio excoquendo mixtum, igne peruratur, consumaturque ipsius auri bono, ita regium est πατρονεμία pro suorum libertate, & salute consumi. Neque verò vllum principatum rectè constitutum esse censeo, à quo paternus exulauit adfectus: *Arduum est alio pacto regere imperium*, inquit Strabo, Geographiæ lib. 6. *quàm si vni perinde ac parenti, procuratio demandetur.* Rectè ille apud Ioannem Stobæum cap. 46. Verus Princeps magnâ cum dignitate & bonitate præest, magnifica bonorum munera subditis exhibet: victus abundantis salutis omnimodæ, & vitæ tranquillitatis auctor est. Hunc enim sibi finem proponit honestus Princeps, vt subditos felices efficiat. Et tum sanè præ cæteris, qui ab eo gubernantur, inprimis eximius est, cùm illi beatam vitam agunt, qui seipsos ei commiserunt. Siquidem vtilitas publica, non separata est à priuata: quin potiùs in vniuersali, singulis etiam vtile cótinetur. & partes in toto seruátur: tum in animalibus & Ciuitatibus, tum in alijs quoque naturis, &c. in quibus paterna in subditos munera descripsit, & Principis.

Plumbum, metallum regium.

Principatus nullus, si nō vt parens.

Principis boni finis felices facere.

4.

Verùm age, perpende animo paternæ sollicitudinis æstus: acrior illum cura domat, vt familiæ prospectum sit, vti filius rectè instituatur, vti ad honorum & dignitatum fastigia euehatur: vti filia benè collocetur, namque vt quidam cecinit, *Accumulat curas filia parua Patris.* Nihilo seciùs curandum Principibus, & populorum Rectoribus, quibus propositum esse debet, viris præclaris ornare Vrbes potiùs quàm ædificijs. Id quod Apollonius Iones facere iubet, apud Philostratum eius vitæ lib. 4. cap. 2. vt nimirum magis erga seipsos, quàm erga Vrbis ornatum, prudentiam exerceant, præstantiùs enim illam studiosis viris coronari, quàm porticibus, & picturis, & auri copiâ: pulchras Vrbes, bonis Ciuibus carentes, Iouis Olympij simulacro à Phidiâ composito similari, quod immobile, vbicunque artifici placuerit, permanet: viros autem Homerico Ioui similes, qui quamcumque cæli partem mente & imaginatione comprehendunt. Atque ita fiet vt conciliatis subditorum studijs, fasces suos stabiliant: honori enim eorum vt consulant oportet, à quibus reuerentiam, & obedientiam exigunt. Ecquis autem non se filium geret, si moderatorem suum paterni amoris purpurâ vestitum cernat? Interroganti Regi Babyloniç apud Philostratum lib. 1. cap. 23. qui stabiliter, tuteque regnare posset? respondit Apollonius, *Si multos honoraueris, paucis verò credideris.*

Patris filiorum curam habere.

Vrbes præclaris viris ornandæ potius quā ædificijs.

Vrbes pulcræ, Iouis simulacro similes. Viri Ioui Homerico similes.

Cùm sensisset Fabius, Plutarcho auctore in Fabio quendam Marsum militem inter socios auxiliares genere & fortitudine primum, cum quibusdam alijs, in exercitu, de defectione colloquia habuisse, non irritauit hominem, sed verbis humanissimè correctum, equo bellico donauit, fidissimumque exinde, promptissimumque habuit, *Iniquè enim comparatum indicabat, si cùm equites & venatores, curâ, exercitatione, alimentisque potiùs quàm flagris & numellis contumeliam & ferociam animalibus adimerent: hominibus aliquis imperans, non maximam castigandi partem in gratiâ & clementiâ poneret, asperiusve suos tractandos putaret, quàm rustici caprificum, pirum syluestrem, aut oleastrum, quas illi arbores cultu mitescere, & in ficum, pirum, oleam, cicures transire dicunt.* Verissimum enim illud Ouidij, lib. 2. de arte:

Honorare multos, paucis credere, stabiliter regnare est.

Fabius militem humanitate sibi deuincit.

Flectitur obsequio curuatus ab arbore ramus,
Franges, si vires experiere tuas.
Obsequium tigresque domat, tumidosque leones:
Rustica paulatim taurus aratra subit.

Quare Apollonius apud Philostratum lib. 5. cap. 13. Vespasianum ad clementiam prouocat, *Eminentiores*, inquit, *spicas, quæcunque supra cæteras se attollunt, ne amputato: Iniusta est enim in hoc Aristotelis ratio: sed difficiles homines molestosque potiùs tanquam spinas è segetibus aufer: & res nouas molientibus, terribilem te ostende, minitando tamen magis, quàm puniendo.* Præclarè namque Terentius in Adelphis.

5.

Principis clementiā imperium stabilitur.

Et errat longè quidem meâ sententiâ
Qui imperium credat grauius aut stabilius
Vi quod fit, quàm illud quod amicitiâ adiungitur.

Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, eâ beneuolentiâ sibi subditos, & famulos complexus est, quâ ex se genitam sobolem complecteretur: neque verò illi minori quàm deceat filios amore, hominem prosecuti sunt, patrem eum appellantes: vnde cùm ex leprâ mundandus lauari in Iordane, sicut Elizeus iusserat, dedignaretur, serui, de domini sui, tanquam de paternâ salute solliciti, vt obtemperaret, contenderunt, & impetrarunt, 4. Reg. cap. 5. *Pater mi, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi, laua re, & mundaberis?* descenditque homo ad Iordanem, lauit, & mundatus est. Grata seruorum voluntas, quibus nisi tanquam filijs vteretur, lepræ fœditatem non detersisset: *Inexpugnabile munimentum amor Ciuium*, inquit Seneca, *quid enim optabilius, & pulchrius est, quàm viuere optantibus cunctis?*

Naaman pater est à suis appellatus.

4. Reg. 5.

Amor ciuiū inexpugnabile munimentum.

Quàm verò subditorum incolumitatem promouere Princeps debeat, Delphini emblemate, anchoram inter æstuantes sæuâ tempestate fluctus demersam, complexu suo dirigentis, non obscurè significauit Alciatus Emblemate 143. additâ hac Epigraphe.

Principis in subditos studium. Delphin cū anchorâ.

Titanij quoties conturbant æquora fratres
Tum miseros nautas, anchora iacta iuuat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imùm
Tutiùs vt possit figier illa vadis.
Quàm decet, hæc, memores, gestare insignia, Reges,
Anchora quod nautis, se populo esse suo:

Ne videlicet, populus periclitans, anchoræ sacræ præsidio destitutus videatur. Hoc ipsum priùs Vespasianus expresserat, percussâ huius modi signo monetâ non modò vt ad rem agendam, simul & industriæ celeritatem, & diligentiæ tarditatem adhibendam significaret, ancorâ tarditatem, Delphino celeritatem designante; quâ in significatione vsus est Octauius Augustus hoc symbolo σπεῦδε βραδέως, *Festina lentè.* Vt annotauit cum alijs Conradus Gesnerus. Neque solùm vt regiam majestatem significaret, cùm eâ inter natantia Delphinus vigeat eminentiâ, quâ inter volucres aquila, inter quadrupedia leo; sed etiam vt quantum illa eadem majestas, ad populi necessitatem subleuandam, ne aduersâ casuum tempestate obruatur, sese demittere debeat, apertiùs indicaret. Delphinos enim ferunt, Plinius Historiæ naturalis lib. 9. capite 8. Solinus, polyhistoriæ capite 12. & Gesnerus, præterquam quod sint hominis amantissimi, & propterea φιλανθρώποι vocitentur; tanto catulorum suorum amore teneri, vt non modò educent tenellos, lacte nutriant, sed etiam eosdem gestent infirmos, adultos seruent, & diu comitentur. *Quos & tenellos*, inquit Diuus Basilius homil. 7. Hexameron. *infantiaque infirmos suos catulos, aliquâ perterritos causâ, in ventre rursus suscipere, gestareque ferunt.*

Princeps anchora populi.

Delphini amor catulorum suorū.

Addit

Delphinus felle caret, vt & apum rex stimulo.

Addit Aristoteles, & annotauit Gesnerus, Delphinum fel non habere, veluti nempe neque stimulum apum Regem: id quod profectò Principi perquam necessarium, ne iræ temeritate, aut legũ asperitate cõmittat, vnde exacerbentur populi: Quò respexit Apollonius inter alia ad Vespasianum, teste Philostrato lib. 5. vitæ eius. cap. 13. dicens: *Lex verò tibi, etiam Rex dominetur. Eris enim in illis ferendis modestior, si tu quoque ipsas non contempseris:* censuit ille, legum obseruantiâ quas Rex non violaret, hominum cœtus contineri, quod Archytas Pythagoræus apud Stobeum cap. 43. totidem verbis expressit, Omnis hominum cœtus, vt ego iudico, ex Principibus ac subditis, & tertiò legibus consistit: Lex alia animata nempe Rex est: alia inanimata, scriptum: & hæc quidem lex, partibus Reipublicæ cæteris præferenda est. Huius enim conseruatione, Rex legitimus erit; Princeps, seu Magistratus, officio suo satisfaciet: populus erit liber: vniuersus autem cœtus felix futurus est. In eiusdem violatione, Rex tyrannus fiet: Magistratus officio suo deerit, populus seruus: totus denique cœtus infelix euadet. Quippe ad omnes in Repub res & actiones perficiendas, tria requiruntur, Imperij administratio, obedientia, & victoria. Administrare imperium, ad meliores pertinet, obedire ad deteriores, vincere ad ambos. Etenim rationalis animæ vis imperat, & quæ ratione caret, obtemperat, simul autem ambæ vincunt affectus. Nam virtus vtrisque, vt decet coniunctis inolescit; & mox à voluptatibus & mœroribus tranquillum, & serenum reddit animum.

Legem sui rex seruet.

Lex animata, rex.

6. Lex & rex, quo differant.

Vix autem quidquam interest, Regis & Legis, asperius vnum, mollius alterum: nimirum, vt qui Rex est auctoritate, Majestatis austeritate immutatâ, lex fit suorum, sicut pater familias exemplo suo, omnis iustitiæ, & æquitatis præco factus, ad cuius normam sese componant cæteri, dilectione ipsâ legum custodiam operante. Hinc Persis lex erat, vt à morte Regis, legum & iuris intermissio per quinque dies fieret, nimirum, vt intelligerent subditi, in quanto pretio Regem, ac legem haberi deceat, Auctor Stobeus. Hinc argutè quidam:

Rege mortuo, leges vt cessent.

> *Qui tibi Rex, lex est, sed littera mollior exit:*
> *Nam legale magis rege quid esse decet?*
> *Qui tibi lex, eadem mutetur littera, rex est,*
> *Nam regale magis lege quid esse decet?*
> *Sic Rex in lege est, sic lex in Rege reposta:*
> *Vt Rex sit, qui lex, asperiore notâ.*
> *Imperium qui si legum moderetur habenis,*
> *Et Rex, & molli lex erit ore, suis.*

Vespasianus orbis deliciæ appellatus.

Qualis mihi fuisse probatur Vespasianus, qui (vt auctor Suetonius in Vespasiano cap. 1.) ob paternam in suos indulgentiam, *orbis delitiæ*, ab ijs meruit appellari. Id quod & alij rerum & hominum moderatores consecuturi sunt, si, quod Lacedæmoniorum Rex Agesilaus, quærenti quonam pacto Princeps inter suos securus ac tutus esset, obseruarint: *Si suis*, inquit, *populis ita imperent, vt parentes filijs*, apud Plutarch. lib. de amico & adulat. Neque enim aliter, quàm plebis amore imperia constabiliri, protrita obseruatio est; hinc illud Isocratis ad Nicoclem. *Nec enim fieri potest, vt vel equis, vel canibus, vel hominibus, vel vlli denique rei quisquam benè rectèque præsit, nisi delectetur ijs quorum ei mandata est curatio. Populus tibi curæ sit, & omnia in eo posita esse putato, vt is imperio tuo delectetur.* Quare rectè Marcus Aurelius, apud Herodotum. lib. 1. *Neque enim pecuniæ vis, aut stipantia satellitum agmina, tueri Principem possunt, nisi illi ipsi, quos regat, animum imperanti, beneuolentiamque accommodent.*

Rex tutè imperat, qui se patrem gerit.

Ecquis porrò bonæ ac fide voluntatis ministros habeat, qui vinculis, tormentis, eculeis, morti subditos suos, non aliter ac feris obiectat? quinimò omnibus reis noxior & sollicitior, omnia metuit, non amicorum fidei credit, non liberorum pietati. Commodum ferunt, magnâ cum sæuitiâ imperium in suos exercuisse, ex quo illud reportauit, vt cùm omnia tam externa, quàm domestica sibi suspecta reddidisset (ita enim à naturâ institutum, vt multos timeat, quem multi timent) barbam capillitiúmve si comptum vellet, prunis ardentibus sibi aduteret, tonsori non ausus se credere, ita Lampridius in Commodo. Quod ipsum factitasse Dionysium Siciliæ tyrannum tradit Cæl. Rodigin. variar. lect. lib. 22. cap. 10. ipsius quoque Filium Dionysium, proprias filias tonsoriam docuisse, à quibus attonderetur. Neque tamen ea præcautio valuit, quin eorum manibus illi opprimerentur, quorum vim metuebant.

7. Principum crudelitas, subditos auertit.

Commodus tonsori se credere non est ausus. Dionys. Tyran. similiter.

Et hoc præterea pessimum habet crudelitas, vt assuefacto immanitati, mores mutare non liceat: Nam cùm Deum, hominesque suorum scelerum testes habeat, si pœnituerit. *Ipsa repentina conuersio ad pœnitentiam, morumque inæqualitas, sæua passim, suspecta habetur*, inquit Egesippus, Excidij Hierosolymitani lib. 1. cap. 9. & cap. 10. Perseuerandum est, scelus scelere defenditur, nec vllus ad meliora patet regressus: & ipsa tyranni mors, animos populi vix conciliabit, quos vita efferata alienos fecit. Ita quærenti Alexandro ex suis apud Egesippum, Quidnam faciens, animos sibi plebis conciliaret, responsum est, *Si morereris*, vix enim fore, cum mortuo, tam grauia perpessi, in gratiam reuerterentur, vt odia aduersus defunctum deponerent. E contrariò, inquit Seneca lib. 1. de Clementia cap. 13. *Is cui curæ sunt vniuersa, quanquam alia magis, alia minùs tuetur, nullam non reipublicæ partem tanquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora: etiamsi ex vsu est animaduertere, ostendens quàm inuitus aspero remedio manus admoueat, in cuius animo, nihil hostile, nihil efferum, &c. sermone affabilis, aceessuque facilis, vultu qui maximè populos demeretur, amabilis, æquis desiderijs propensus, & iniquis acerbus, à totâ Ciuitate amatur, defenditur, colitur, &c. Hic Princeps suo beneficio tutus, nihil præsidijs eget, arma, ornamenti causâ habet.* Quid enim ab optimis Filijs timeat optimus Parens? quid Princeps, qui non alieni compilator, sed Patriæ Pater, ab optimis Ciuibus? Optimum Principis munimentum, propensior in eum voluntas Ciuium, quam suâ humanitate demeretur: si, quod parentes, ita Princeps faciat, *quem appellemus Patriæ Patrem*, inquit Seneca ibid. cap. 14. *Vt faciat datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Atque is est verus veri Principis splendor: namque, vt cum altero Seneca in Octauiâ loquar:

Crudelitati nò melior fit.

Bono principi arma ornamento sunt.

Princeps quis patriæ pater.

> *Pulchrum est eminere inter illustres viros,*
> *Consulere Patriæ, parcere afflictis, ferâ*
> *Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,*
> *Orbi quietem, sæculo pacem suo.*
> *Hæc summa virtus, petitur hac cælum viâ.*

Capitis 27. §. 5.

Etiam quicunque hominum præfecti Patres appellantur.

1. Patres qui dicantur.

CVm autem in quouis genere vitæ, sit principatus quædam species, quod Rex Prouincijs, hoc

hoc Nauarchus classiarijs, Dux militibus; Consules & Senatores, Reipublicæ: grandæui, iunioribus; Præpositi Monachis; qui omnes honoris & reuerentiæ caussâ, Patres appellantur: quibus etiam paria Regibus, similia Creatori, & moderatori Deo officia incumbunt, vt cùm prodesse possint, & obesse, velint quod melius, præsint vt prosint: præstat enim pro cuiusque incolumitate contendere pro viribus, namque, vt habet Ouid. 2. de Ponto.

Conueniens hominum est, hominem seruare voluptas,
Et melior nullâ quæritur arte fauor.

Sequere Deum.

Neque aliud significat, tritum illud, *Sequere Deum*, quandoquidem summus ille quoque Monarchâ, cùm vtrumque possit, iuuare malit, quàm perdere, quod ex rerum creatione, earundemque gubernatione liquet. Non entibus enim dedit essentiam, confusum chaos digessit in ordinem, pugnantes rebus qualitates indidit, repugnantia discordi ligans concordia sociauit, similia ex dissimilibus protulit, æqualia ex inæqualibus, illustria ex obscuris, adeoque nihil est, quod non illius curam, atque beneficæ potentiæ vim sentiat, vt quidquid delinquit deterior essentia, transformetur in melius. Nam si

Principem qui prosit, honorant subditi.

Princeps, sicut Philo Iudæus ait lib. de creatione Principis, *Sic illos qui suo parent imperio tueri debet, vt parens liberos, quo ipse etiam ab alijs vicissim, tanquam ab ingenuis filijs colatur:*

Nam quid erit, quare solito dignentur honore
Numina, si demus nolle iuuare Deos?

Inquit Ouid. lib. 2. de Ponto, elegiâ 9. identidem ab istis præstandum est, à quibus paterna suorum cura, non minor quàm à Principe, & Patre exigitur.

2.

Pater vnus Deus.

Quod si fortè contenderis, non esse dicendum in terris Patrem, vnum esse Patrem Deum, à quo omnia, & de quo Lucretius Poëta antiquissimus,

Denique cælesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus ille idem Pater est.

1. Cor. 4.

Quorsum ergo tot Patres? quorsum & Doctor Gentium Paulus 1. ad Corinth. 4. se Patrem dicit? *Etsi multos Pædagogos habeatis in Christo, sed non multos patres, in Christo enim Iesu per Euangelium, ego vos genui.* Quorsum & apud Psaltem Regium psal. 77. patres memorantur, quibus Deus mira ostendit in campo Taneos? Promptum est quod respondeatur ex Diuo Augustino collat. tertij

Et is solus ad salutem.

Fidei. quæst. 3. & in psal. 77. nimirum, patrem ad Fidem salutemque æternam non esse nisi Deum: honorificentiæ autem causâ propter Euangelicum ministerium, Paulum nuncupari Patrem, sicut & Patres compellantur honoris gratiâ, propter ætatem quidam, curamque pietatis. Latiùs, explicatiusque D. Anselmus in illud

Ephes. 3.

ad Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas nominatur*, quem totidem verbis refero: *Non dico est, nam propriè non dicitur Pater, nisi solus Deus, alij autem ad similitudinem eius, de quibus non est dicendum quod sint Patres respectu Dei, sed nomen illud participant. Paternitas in cælis, id est, inter Angelicos spiritus, ibi enim superiores qui præsunt alijs, & curam super eos habent, Patres nominantur: & in terrâ, id est, inter homines, Dei enim ineffabilis dilectionis vehementia, inæstimabiliter nos dilexit, ac diligit, & gubernat, ideoque Pater noster dicitur. Nos autem & Angeli, per eum dicimur Patres, in similitudine dilectionis & prouidentiæ, quoniam ipsa dilectio & gubernatio, quâ vocamur Patres, ab eo procedit? Ex eo nominatur omnis paternitas. quia quicunque sunt patres, & præsunt alijs paterno affectu, siue in cælo sicut Dominationes cæteris subiectorum ordinibus: siue in terrâ, sicut*

Alij Patres ab imitatione appellantur.

Episcopi & Abbates, alijque Prælati, qui paternâ bonitate alijs præsunt, ab eius imitatione vocabulum paternitatis sortiuntur. Vel Angeli cælorum nobis prouidentes, dicuntur Patres in cælis; & Prælati Ecclesiæ, Patres in terrâ. Possunt cæli, spirituales homines intelligi: terrâ verò carnales. Ipse verò dicitur Pater: vel quia ipse Filium genuit; vel quia creaturas pro moderamine gubernat & regit. Ad cuius similitudinem ob eandem caussam dicuntur patres, vel qui ex seipsis filios generant, vel qui subiectos pio moderamine & studio gubernant. Breuiter Theodoretus in Epist. ad Ephes. cap. 3. *Propriè Pater, & verè Pater Deus. Non enim fuit primus Filius, deinde Pater, sed semper Pater est, & naturâ Pater: alij autem patres siue sint corporales, siue spirituales, è superis traxerunt appellationem. Dicit autem, in terrâ patres eos, qui sunt patres naturâ, cælestes autem Patres vocat spirituales.*

Pater naturâ & pater indulgentiâ.

Diuus porrò Hieronymus lib. 4. in Matth. cap. 23. Aliud esse dicit naturâ patrem, aliud indulgentiâ: vt si hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non autorem nostræ ostendimus vitæ. Quomodo autem vnus per naturam Deus & vnus Filius, non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dei vocentur & Filij, ita vnus Pater non præiudicat alijs, ne abusiuè dicantur Patres. Distinguendum ergo, inquit D. Augustinus quid Diuinæ gratiæ quâ in æternam vitam regeneramur, quid humanæ honorificentiæ caussâ dicatur: cuius quidem testificandæ gratiâ, est & Patris nomen à Veteribus vsurparum: ita enim Homerus de eo, qui nullâ sanguinis cognatione propinquus Odysseâ 17.

Patres honorificentiæ gratiâ dicti.

Ξεῖνε πάτερ, καλέει σε περίφρων Πηνελόπεια.
Hospes pater, vocat te prudens Penelope.

Et Odyss. 8. χαῖρε πάτερ ὦ ξεῖνε: ita quoque Flaccus Mæcenati *Rexque Paterque, audisti coram*. Sallust. etiam de bello Catilinario, *Delecti quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientiâ validum erat; Reipublicæ consulebant: hinc vel ætate, vel curæ similitudine; Patres appellabantur.* Hinc Senatores, quos ad Reipublicæ curam elegerat Romulus, Patres appellauit, teste Plutarcho in Romulo, qui & Patres conscripti, pòst scriptis in eum ordinem pluribus, sunt appellati, eorumque filij Patritij: sed & verendi dicti sunt ab Ouidio.

Patres dicti Senatores.

Curia cum Patribus fuerit stipata verendis.

Senatores quare dicti Patres.

Et Festus, Senatores ideò appellatos dicit Patres, quia agrorum partes attribuebant tenuioribus, ac si liberis proprijs: istud enim paternum est, soboli suæ ita prospectum velle, vt ipsa paternam agnoscat, amet, & reuereatur prouidentiam: qui secus faxint, qui non diribitores, sed direptores,

Princeps aduatus tyrannus est.

——— *Quique student feritate timeri,*
Abductoque hominum cumulant æraria censu.

A quâ re alienum quàm maximè volebat Vespasianum Apollonius, referente Philostrato lib. 5. cap. 13. quum infit, *Diuitias primùm magni æstima, non quæ in occulto repositæ iacent (quid enim hæ ab arenæ cumulo differunt?) nec eæ quæ ex collatione tributorum, à gementibus hominibus proueniunt*, κίβδηλος γὰρ ὁ χρυσὸς, καὶ μέλας, ὃν ἐκ δακρύων ἥκῃ, *aurum enim, sordidumque putandum est aurum, quod ex lacrymis oritur. Diuitijs autem optimè supra Reges omnes vteris, si cum egentibus eas communicaueris*, hæc ille: qui, inquam, aliam inierint orbitam, est quod illud Periandri in animum demittant, *Multis terribilis, caueto multos*: siquidem, non iam potestatem patriam, sed Manlia aut Phalaridis exerceant imperia.

3.

Religiosi sacerdotes, Patres cur dicantur.

Sed pedem refero, vt prætereà promoueam, Asceticos quoque sacerdotio insignitos, Patres inuicem se compellare, siue mutuæ reuerentiæ causâ, siue vt meminerint sese iam eousque prouectos, vt alijs, morum grauitate,

obser-

obseruantiæque regularis austeritate, præire teneantur; iunioresque, si quid per incuriam ab eis commissum fuerit, si quid perperam irrepserit, paternè commonere, benigneque complecti; siue denique, vt fratres illi qui in Cœnobijs Laici dicuntur, hominum genus vt plurimum inordinatum, & sui tenax nominis: siquidem laici à λαός, quod est plebs, dicti videntur: λαὸς autem à λᾶας, vel λάος, quod est lapis, quasi ex iactu lapidum Pyrrhæ vxoris Deucalionis, durum hoc vulgus, & sui cerebri, procreatum sit, sicut adnotauit Pet. Gregor. Syntag. iuris lib. 16. cap. 1. num. 2. Qui, quia vel ignorantes sunt, vel fatui, aut temerè, prout venit in mentem, de omnibus iudicant sine discretione, aut quia cùm fatui sint, tamen se sapientes arbitrantur. Prouerb. 12. *Via stulti recta est in oculis eius*: alios verò stultos putant, & cùm nihil norint, omnia tamen superbè iudicant, & cùm sine sale insulsi imprudentesque sint, alios pro imprudentibus habent, quibuscum propterea non litigandum, quia, vt ait Salomon Prouerb. 17. *Expedit magis vrsæ occurrere raptu fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitiâ*: Nam cùm iudicium in illis deficiat, & in plerisque memoria vitietur, ex quo, ratio quoque ipsa labefactatur; ferè omnia ex arbitrio sibi iusta persuadent, vt solent imperiti, de quibus Terentius in Adelphis, act. 1. scen. 1.

Prou. 12.

Prou. 17.

Imperito homine nihil iniustius.

Hom.ine imperito, nunquam quidquam iniustius,
Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Siue, inquam, vt, qui ad sacerdotia in Monasterijs non ordinantur, ordinatos atque initiatos venerentur, obseruentque, tanquam placidi, obtemperantesque Filij, religionis vinculo sociati, Patres suos spiritales: Et ne infinita replicem, Patres in sacris literis dicuntur, naturâ, gente, admonitione, ætate: Naturâ, *Ego & Pater vnum sumus*, in Diuinis: in humanis autem, *nisi timor Patris mei Isaac*. Gente, *Ego sum Deus patrum tuorum*, &, *Factus sum Israëli Pater*, in Creatore. *Erisque Pater multarum gentium*, in creaturâ. Ætate & admonitione, *Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi*. Sanctum igitur est Patris nomen, eosque quos illud sortiri contingit, ad magna obligat, quæ Episcopis, Prælatis, Archimandritisque cogitanda relinquo. Quemadmodum enim Iustinianus, sicut habet Budæus in Annotationib. ad Pandectas, Patres eos ab Imperatore delectos esse ait, quasi Reipublicæ Patronos, tutoresque; vtque obligarentur ad Rempublicam tuendam, Patris titulo honorabantur Primores, quod nomen est dignitatis plurimum, & inuidiæ minimum præsefert: ita illi ad suorum defensionem ædificationemque decreti sunt; qui si ampliùs auaritiæ quàm largitioni, ædificiorum nominisque sui ostentationi, quàm animorum ædificationi; passioni propriæ & adfectui, quàm æquali erga omnes amori & sollicitudini, tribuerint; violarunt sacrosanctum Patris nomen. Neque secus ac qui *in detrimentum subditorum abutuntur potentiâ, nequaquam Principes, sed hostes appellandi sunt, cùm agant hostilia*, inquit Philo Iudæus lib. de creat. Principis. Tortores illi animorum, inquietissimi, potiùs quàm patres filiorum; sunt præsumendi: quomodo etiam illi qui subditorum actionibus insidiantur venantes quod carpant, quod puniant, plectant; quia vt inquit Isocrates in Areopagitico, τὸ δὲ περὶ τὰς τιμωρίας σπουδάζειν, τοῖς ἐχθροῖς προσήκειν, *Supplicijs infligendis inuigilare, hostium est*.

Pater dicitur quis, modis pluribus.
Ioan. 10.
Gen. 31.
Exod. 3.
Ierem. 31.
Gen 17.
Deuter. 32.

Patris obligatio magna

Princeps hostis est qui non se Patrem gerit.

Supplicijs inuigilare hostile est.

Capitis 27. §. 6.

Vt Deus hominum, adoptione nuncupetur Pater.

I.

VTriusque, visibilis atque inuisibilis fabricæ artifex Deus, eo quidem nomine quo Creator, totius opificij sui Pater est: sed longè eminentiori ratione, Pater est omnium hominum, quos cùm Regni sui hæredes instituisset, filios suos esse voluit, non naturâ, sed adoptione, quo trahi potest illud D. Augustini serm. 27. de verbis Domini in Matth. *Attolle oculos ad Patrem, qui te per lauacrum genuit: ad Patrem, qui per Filium te redemit, & dic Pater noster: bona præsumptio, sed moderata: Patrem dicis, quasi Filius, sed noli tibi aliquid specialiter vendicare, solius Christi specialis Pater est: nobis omnibus in commune est Pater, quia illum solum genuit, nos creauit*. Creauit, & quidem propter bonitatem suam, ad quam referri volens hominem, generum, specierumque gradus, qui in naturâ cernuntur, ita in ordinem distribuit, vt inuicem connexi, quæ inferiora sunt illorum, sint propter superiora, elementa propter mixta, mixta propter plantas, plantæ propter animalia, animalia propter hominem, tum ad victum & vestitum, tum ad adiutorium & medicinam: homo autem, & in eodem ipso quæcunque condita sunt, propter ipsum, propter Deum: id quod ferè prosecutus est Tullius lib. 2. de Naturâ Deorum, totidem verbis. *Non est credendum, mundum hunc arborum & plantarum causâ, aut bestiarum, creata esse, sed eorum gratiâ qui ratione vtuntur, vt Athenas, & Lacedæmonem, Atheniensium Lacedæmoniorumque causâ putandum est conditas esse: omniaque quæ sunt in his Vrbibus, eorum populorum rectè esse dicuntur. Sic quæcunque sunt in mundo, Deorum & hominum putanda sunt*: & post pauca: *Vt Fides igitur & tibias, eorum causâ factas dicendum est, qui illis vti possunt, sic ea quæ diximus, solis ijs sunt parata, qui vtuntur: nec si quæ bestiæ furantur aliquid ex his, aut rapiunt illarum quoque causâ nata esse dicemus. Neque enim homines mur.um [illegible] formicarum causâ frumentum condunt, sed coniugum & liberorum: ita bestiæ furtim fruuntur, homines palàm & liberè*. Ita ergo pondus istud rerum constituit Deus, vt quæ infra hominem sunt, homini famularentur, cui cùm, ceu prouidus parens, in hunc modum consultum iret, Pater nuncuparetur: eundemque ad se, sicut cætera referens, quorum estopifex Dominus & Creator appellaretur. Quo respexisse videtur D. Bernardus serm. 3. super *Salue*, quum inquit, *Quod Pater est, tibi est, quod Dominus & Creator, sibi est: etenim propter semetipsum fecit omnia*. Neque enim ob aliam caussam creauit terram, nisi vt hominum esset habitaculum, inquit D. Hieronymus, qui suum adorarent, & intelligerent creatorem.

Pater hominum Deus.

Creata omnia propter hominem, hic propter Deum.

2.

Ideoque Pater, non vnius populi modo, verùm & vniuersarum terræ nationum dici gaudet, idque ab ipsius creaturæ initio; quod quidem à nobis ita concipiendum est. Nam cùm ex nihilo, domicilium suis numeris vndequaque absolutum, homini mox futuro adornasset Deus, non antè Dominus appellatus est, quàm esset Pater indicatus; & ratio est, quia à figmento nobilissimo, quod manibus tractabat, consilio formabat, amari voluit vt Pater, non autem timeri vt Dominus, præsertim quia *Quodcunque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus*, vt inquit Tertull. lib. de Resurrect carnis. In quam sententiam D. Chrysostom. hom. 33. in Dominica. 18. post Pentecosten, *Non vult Deus, vt timeatur ab hominibus quasi Dominus, sed vt diligatur* quasi

Deus est appellatus Pater priùs quàm Dominus: quare.

Christus in limo Adæ futurus cogitabatur

quasi pater, quia adoptionis spiritum donauit hominibus. Nam si conceperimus ab initio creati hominis caussam, intelligemus; quia Deus se magis patrem voluit esse hominũ, quàm Dominum. Non enim dixit tantummodo, Faciam hominem, sed faciamus hominem secundum imaginem nostram: similare autem conuenit filijs ad patres suos, non etiam seruis ad dominos suos. Similitudo verò, conciliatrix, imò genitrix amoris est. & illa maximè quæ est filij ad patrem; hominis ad ipsum Deũ, ad cuius imaginem & similitudinem proximè formatus est homo. vt in procreantem & increatum amorem, suo feratur amore: vt propterea hominum pater maiori sermonis proprietate, dicendus sit Deus, quàm mortales illi, à quibus genitali seminio procreamur. Quare & nos per adoptionem, quam definiunt esse personæ extraneæ, in filium, vel nepotem vel deinceps, legitimam assumptionem, fimus legitimi filij Dei; atque ad participandam hæreditatem ex gratiâ admittimur, hoc enim est adoptare, vt dicit D. Tho. in 3 dist. 10. adoptio enim naturam imitatur: §. minorem, de adopt. apud Iustin. § & hæc adeo, eodem, quam factam olim per incisionem capillorum lego, pilum enim ponere, sanctioris cuiusdam deditionis signum, & regiæ maiestatis insigne est. Ea ratione mos fuit apud Longobardos, in adoptione filiorum, incidendi capillum per patrem qui adoptaret. Quemadmodum Paulus Diaconus lib. 6. histo. Longobard. cap. 15. meminit Carolum Francorum regem, misisse filium suũ ad Luthprandum Longobardorum regem, vt iuxta morem capillum eius susciperet, qui eius cæsariem incidens pater eius effectus est: multisque regijs muneribus donatum, genitori remisit. Ita nos dum sacratiori deditione adoptamur, pilos, hoc est, vel superflua præscindimus renuntiantes mundo, carni, Satanæ & pompis eius, vt in Dei familiam adscribamur, vel cogitatus nostros, qui capillis sunt indicati, vti & nos totos Deo Patri, consecramus, in cuius potestatem adoptione transimus.

Pater hominum Deus propriè dicitur.

Adoptio quid.

Adoptionis ceremoniæ.

Capilli inciduntur.

Adoptiui sumus Dei.

Capitis 27. §. 7.
An pater vitæ necisq́; potestatem in liberos habeat?

I.

Dira patrum immanitas, qui paternum & regalem principatum, filijs tanquam seruitijs & vilibus mancipijs abutentes, vertunt in tyrannidem, tremendam Domini appellationem, quam seruitus induxit paternâ grauitate erga filios suauissimos, habentes potiorem. Non sine ignominia, Indorum gentes quædam referente Alexand. ab Alexandro lib. 2. cap. 25. pueris adolescentibus, etsi magnæ fortunæ, & amplis opibus forent, pro seruis vtebantur, quanquam id facerent, vt illi seruitutem experti, quantum decus foret libertas, perdiscerent. Pari, aut certè maiori notâ aspergebãtur Cretenses & Lacones, quibus commune fuit, etiam ab ingenuis filijs seruilia exigere. Omnino autem à paternâ humanitate alienum, pignora sua, aut fluuio perdere, veluti Celtis familiare fuit: nuper natos filios scutis impositos in Rheno collocare, vt qui vndarum vim euitassent, legitimi; oppressi, ex adulterio illegitimi haberentur: aut iudicio de ijs facto, quod deformes & segnes futuri sint, qui tum, secus Taygetum præcipiti loco exponebantur, vt habet Alexander Sardus de morib. ac ritibus gentium lib. 1. cap. 8. aut etiam diuendere velut Thebani, atque seruilem in modum educare, quod Phrygibus fuit familiare, aut grauiùs vindicare, vt inquit Budæus in Annot. reliquis ad Pandect.

Filijs vt seruitijs vti tyrannicum.

Indi.

Cretenses, Lacones.

Celtæ.

Thebani. Phryges.

Neque enim patriam illam potestatem, quæ priscis illis Romanis, Romuli legibus in liberos fuit: de quâ Iustinianus Institut. lib. 1. titulo. 9. de patria potestate; probare possum, vt de illis pater citra iudicium, etiam capitaliter statuere posset, vt habet Cæl. Rodigin. lib. 11. cap. 17. & sui iuris esse, satis pronuntiauit, L. Horatius apud Tit. Liuium decad. 1. lib. 1. vbi cùm Duumviri Horatio filio perduellionem iudicassent, atque inde prouocatione ad populum certaretur, proclamauit se filium iure cæsum iudicare: ni ita esset: patrio iure in filium animaduersurum fuisse. Exuisse namque videntur naturam, non dicam hominum, inquit Petrus Gregor syntag. iuris. lib 36. cap. 24. num. 22. sed omnino ferarum, quæ pro suis maximè occumbunt catulis qui in proprios liberos sæuiũt morte. Delphini ita fœtus diligunt, vt eos sequantur, & vnà ideò cum his capiantur: Ælian. lib. 1. de nat. animalium. cap. 18. qui & de Vulpansere ait apud Gesnerũ, pullos suos vehementer amat, eandemque operam quam perdix in eis tuendis ponit: nam ante suos fœtus sese prouoluens, aucupi spem sui capiendi ostendit: hi verò interea cùm venator illuditur, elabuntur: quibus fugâ elapsis, is sese alis alleuans discedit, ac sæpè vi pulli facilius elabantur, capiendum se venatoribus præbet; id quod & Horus Apollo in literis hieroglyphicis tradit. Herodotus lib. 2. Ægyptij ex volucribus vulpanseres sacros esse aiunt; quibus honorem habent, quia sunt pullorum suorum amantes, inquit Ælianus. Pulchrè Lucretius lib. 2. de rerum nat. vaccæ, de amisso vitulo, luctum exprimit.

> *Nam sæpè ante Deûm vitulus delubra decora*
> *Turicremas propter mactatus concidit aras:*
> *Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen.*
> *At mater virides saltus orbata peragrans,*
> *Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,*
> *Omnia conuisens oculis loca: si queat vsquam*
> *Conspicere amissum fœtum, completque querelis,*
> *Frondiferum nemus assistens, & crebra reuisit*
> *Ad stabulum, desiderio perfixa iuuenci, &c.*

Quid? brutæ animantes pro catulis suis dimicant, atque sese pro eorum incolumitate, vulneribus & morti objiciunt, & homo pignora sua parricidali manu necabit impune? Sanè Deiotarus, instar Scorpionum qui fœtus suos deuorant, vno dempto subtilissimo, qui se matris clunibus imponendo, tutus & à morsu, & à caudâ loco fiat, qui demùm, catulorum parricidium naturâ talione vindicâte, genitores supernè cõficit, vt placet Plin. l. 11. c. 25. & Arist. l. 5. hist. animal. cap. 16. Deiotarus, inquam, omnes filios suos vnico excepto, quò is esset potentior, ratione impiâ atque barbarâ, iugulauit: refert Seneca lib. 1. de Clemẽtia cap. 14. Neque ab hac immanitate Lucium Brutum, Cassium, Aulum Fuluium vindicarim, quorum primus filios suos, tanquam si Tarquinij dominationem à se expulsam reducerent, comprehensos, proque tribunali virgis cæsos, & ad palum religatos, securi percuti iussit: alter filium affectati regni crimine domi damnauit, verberibusque affectum, necari iussit: tertius verò filium, quòd Catilinæ castra sequeretur, in medio itinere abstractum, supplicio mortis affecit, de quibus Valer. Max. lib. 5. cap. 8. Quare non immeritò Erixonem equitem Romanum, populus in foro graphijs confodit, quòd filium suum flagellis occidisset, narrat Alex. ab Alexand. lib. 4. cap. 8. similes namque habent labra lactucas, ait diuerbium, meritò enim fit, vt populi vlciscentis experiatur furorem, qui in propriam genituram immanis

Patria potestas improbatur.

Delphini amor fœtus sui.

Vulpanseris, Perdicis.

Scorpio parentes parricidii reos conficit.

Deiotarus filios occidit.

Brutus. Cassius & Fuluius.

Erixo graphijs à populo confossus.

 fuit:

Persæ parricidas execrantur.

fuit: cùm & Persarum gens, illos qui in vxorem, aut liberos violentas manus iniecissent, veluti si sanctissima Deorum templa violassent, impios conscceleratosque duxerint.

Bodini argumenta, pro tuendâ potestate patriâ.

2

Patriam potestatem legitimam esse asserit Bodinus.

I. Argum.

SEntiat interea, vt volet Bodinus lib. 1. de republicâ, cap. 4. Nullam rempublicam benè constitui, nullam efflorescere moribus: nisi vitæ, necisque in liberos genitoribus tradatur autoritas. Cõstitisse firmiter rem Romanam olim, quamdiu ea potestas penes procreatores illibata fuit: vt verò cum imperio inclinari cœpit, sublatâ filiorum in parentes pietate ipsse pessum, atque totius eandem virtutis & splendoris impietate, vitijs, vitæque improbitate in humanam consuetudinem sese protrudentibus fecisse naufragium. Qui enim infirmâ basi subsistat Respublica? qui familiæ, quæ Reipublicæ bases sunt & columnæ, benè firmentur & formentur, nisi summo in liberos iure administrentur?

II. argum.

Decipi porrò Iustinianum, & qui eum secuti, Institut. lib. 1. titulo 9. de patriâ potestate, cùm volunt ius patriæ potestatis, ita proprium ac peculiare fuisse Romanis, vt nulla præterea gens, extremo exemplo in filios iure animaduerterit: Aristoteles namque in Politicis & Dion Chrysostomus orat. 15. Persas: l. in suis, de liber. & posthu. Celtas: Iul. Cæsar Commentarior. de bello Gallico lib. 6. Gallos ius spiritus & gladij in liberos vxoresque, non secus ac in seruitia olim habuisse meminerunt. Quod quidem ius in thori socios, quanquam Romulus teste Dionysio Halicarnass. lib. 2. de antiq. Roma ad quatuor tantùm casus reuocarit, quoad filios tamen, nullis finibus circumscripsit, immò potiùs ampliauit, patrij iuris esse decernens, quidquid adquirit filius, vt constat ex l. placuit, de adquirenda hæredit. Cæterùm hanc patriam potestatem ducentis post annis lege XII. tabularum roboratam, quibus, apud Aulum Gellium Noct. Atticar. lib. 5. cap. 19. ad tertium vsque, si primò, secundóve sui redimiam filius appendisset, parenti concessum diuendere, siue tertiò mancipare. Et hunc morem in Tartariâ & Moscouiâ, etiamnum vigere.

III. argum.

Denique tandem, eam potestatem iuris esse naturalis & diuini, quod cunctis gentibus sacrosanctum illibatumque est. Nam quod imperium immediatè à naturâ tributum est hominibus, nisi paternum in filios? Imperent Principes subditis, Magistratus ciuibus, Dux militibus, Dominus seruis, Magister discipulis: istud aut consuetudine aut humano vel gentium iure introductum est: solus parens, tãquam vera summi Imperatoris, Patrisque vniuersorum imago, ex se genitis, iure naturæ imperat. Adstipulari ius diuinum Deuter. 21. vbi vtrique parenti, filium contumacem & proteruum, desertâ caussâ, lapidibus obruendi sit potestas, dummodo supremum illud patriæ potestatis ius, coram iudice, etsi nullâ rei scientiâ instructo, exerceatur: Quâ sanctione cautum est, nè filius per iram occumberet, néve clam (quod sicariorum facinus esse videtur, l. Diuus. ad leg. Pompeiam, de parricidijs) dissimulandi dedecoris caussâ, necaretur, cùm exempla suprema, ad aliorum terrorem præcipuè sint instituta.

Patria potestas in filiorum vitam, ex scripturâ.

Exempla suprema ad aliorum terrorem esse.

Exod. autem 21. & Leuit. 20. Deuteron. 21. decerni, vt filius, qui asperiore verbo vel facto, patri aut matri fuerit iniurius, morte moriatur. Cæterùm hîc iudicis esse caussam cognoscere ad coërcitionẽ corporis pro qualitate & asperitate delicti, pœnæ autem irrogationem parentum committi arbitrio: tantus verò est parentum in filios adfectus, teste Iurisconsulto l. isti quidem. ff. de eo quod metus caussâ, vt molestijs & malis filiorum magis, quàm suis sæpiùs teneantur, & diuexentur, vt propterea lethaliter etiam ab ijs se verberari ferant æquiùs, quàm illos videant iudicij seueritatem experiri. Quod si modò ista parentum in filios potestas esset integra, fore vt tribunalia non opplerentur litibus, sed illicò aut dirimerentur, aut extinguerentur, non solùm quæ filijs & patribus intercedunt, verumetiam quæ fratribus & sororibus, nepotibúsve; cùm matrimonium filiorum ius vitæ & spiritus non adimeret parenti, æquè in eius potestate permanente filio, & qui ex eo geniti, nepote neptíve, & cæteris deinceps vt habet Iustinian. lib. 1. institut. tit. 9. de patriâ potest. l. 3. de ijs qui sunt sui. l. 5. cod. l. si maritus. 7. de potest. patr. Ista ferè Bodinus.

Filij coniugati, & qui ex eo geniti olim in patria potestate fuerunt.

Bodinus refellitur.

3.

Naturalia perimere princeps nõ potest.

VErum age Bodine, nunquid illud est ignem gladio dissecare? Nunquid ius illud sacrum cunctisque gentibus intemeratum; quod videris adstruere, tuamet sententiâ iugulas? Nam cui vnquam principũ licuit, quæ naturalis sunt legis, suâ lege tollere? Scitum illud Iustiniani lib. 3. Institut. tit. 1. de hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur, *naturalia iura ciuilis ratio, perimere non potest*: vnicuique autem mortalium sui defendendi facultatem natura dedit, quare rectè Molinæus Consilio. 19. numero 19. *Quantumuis, alioqui culpabili, defensio etiam commoda & opportuna, non debet, immo non potest denegari, nec coarctari, sed esset contra ius diuinum & naturale.* Et Abulensis, damnatissimis etiam hominum omnium, vel in crimine notorio, legem naturæ copiam defensionis dare, adeò vt Molinæus supra num. 17. iudicium ob defensionem denegatam, vel omissam, nullum esse, vel annullandum tradat; quò spectat illud Senecæ in Medæâ.

Reo, locus defensionis dandus.

Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Defensio est legis naturæ.

Hinc etiam Guicciardinus histor. lib. 10. *Defensio est ex lege naturæ, cunctis mortalibus communis, Summi Dei voluntate, gentiumque consensu comprobata, vnà cum mundo orta & desitura, cui neque ciuiles, neque Pontificiæ leges, hominum placito nixæ, & chartis exaratæ, derogare possunt. Non est enim hæc ab hominibus facta lex, sed ab ipsâ naturâ in omnium hominum pectoribus, atque animis insculpta, inscripta, infixa.* Accedit declaratio Pontificia Clementis V. Clementinâ Pastoralis, de sententia & re iudicatâ, dicentis, *De crimine graui, delato, facultas defensionis, quæ à iure naturali prouenit, adimi non valet; cùm illa tollere Imperatori non licuerit, quæ iuris naturalis existunt.* Atqui hîc manifestè cõtra ius naturæ itum fuisset, si parentum dictis ita standum foret vt incognitâ à iudice caussâ, atque nulla filijs auertendi discriminis datâ facultate, Magistratus patrum exequeretur voluntatem, quam vel crudelitas, vel malitia, vel ignorantia in obliquum traxisse posset. Scitè Menander

Incognitâ à iudice caussâ plecti nemo potest.

ἀνεξέταστον μὴ κόλαζε μηδένα.
Inexaminatum ne punias vllum.

Præterea lex naturalis & diuina vetat quemquam morte damnare, vno contra se dicente testimonium Deuter. 17. Hanc destruis tuâ potestate patriâ, per quam satis esse videtur patris solius testimonium, vt accusatoris, iudicis, & testis personam sustineat, cùm tamen etiam ex Menandro,

Testimonio vnius non standum.

κατηγορεῖν οὐκ ἔξεστι, καὶ κρίνειν ἅμα.
Accusare non licet & iudicare simul.

4\. Verum enimuerò quæ lex vsquam gentium, rei caput, testium, iudicisúe vnquam tradidit arbitrio, quamuis, illi plures essent, & contestes, & vt dicitur Attici, exque Iouis tabulis; hi, multâ legum peritiâ instructi, & mediæ, quod aiunt, aginæ æquilibrato impetu ferantur? Sola namque certitudo in iudicijs, testimoniorumque cōformitas spectatur: ideoque testes iteratis discutiuntur quæstionibus, vti, si qua interuenerit peruersitas, si qua prauitas, si qua inductio, si qua maleuolentia, excutiatur: difficile namque est, omnes circunstantias præuertisse iudicio, vbi quis rei, de qua testatur, spectator non fuerit: indeque factum est, vt Daniel propheres, re vltrò citroque diligēter cognitâ, testes qui aduersus Susannam deposuerant, crimine falsi condemnarit: fitque etiam subinde, vt si testes in omnibus omnino consenserint, iniquum testimonium, & ex condicto, eundem sermonem protulisse comperiantur, sicut docet D. Tho. 2. 2. quæst. 70. art. 2 ad 2. & D. Chrysostomus homil. 1. in Matthæum, indicauit: quare nō illi qui multa in rei, vel actoris caussam dixerit, sed illi qui post multa, eadem repetierit, maior fides haberi solet.

Testes vt discutiendi.

Testimoniū iniquum si testes in omnibus omninò consentiunt.

5\. Neque etiam iudicibus, quantumuis virtute & eruditione purgatissimis, ea libertas vnquam ex lege fuit, vt pro voluntatis suæ arbitrio reum damnarent, vel absoluerent, cùm tam humano, quàm diuino iure, litis contestatæ formam sequi teneantur, atque secundum allegata & probata iudicare. Quam iudiciorum exercendorum legem, quæ ex humana diuinaque ratione est, omnino suppressam oportuit, si, cur extrema paterentur filij, à parentibus exigere magistratus non posset, si non in facinus inquirere, an legitimè comprobatum fiet, suppliciōne an absolutione dignum. Quid? in iudicisne, an verò legis potestate est, vitæ & mortis arbitrium? Sanè Iustinianus Imperator lib. 4. institut. tit. 17. de officio iudicis, ita monet, aut potiùs iubet, *Et quidem illud in primis obseruare debet iudex ne aliter iudicet, quàm legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est.* Cùm enim certæ pœnæ singulorum peccatorum sint, vti de verborum & rerum significat. Habeo lib. 4. πιθανῶν, id est, *verisimilium*, inquit, *pœna non irrogatur, nisi quæ quaque lege, vel quo alio iure specialiter huic delicto imposita est*, ait Vlpianus ibidem lib. 3. ad l. Iuliam Papiam: atrocioribus autem delictis, atrocior pœna irroganda est, quandoquidem delicto pœna commensuranda sit. Hinc pœna, sontibus, & contumelias inferentibus, eo maior esse debet, quo personæ, quibus inferuntur, sunt honorabiliores. §. pœna autem, de iniur. apud Iustin. & lib. Institut. tit. 18. de publicis iudicijs ait, *Lex asperrimum crimen, noua pœnâ persequitur.* Hinc lex Pompeia de Parricidijs, aliud irrogat supplicij genus: aliud l. Cornelia de sicarijs: aliud l. Iulia, de vi publicâ seu priuata: aliud l. Flauiæ de plagiarijs, & ita de cæteris.

Iudex pro suo arbitrio, damnare nō potest.

Legis illud est.

Pœna maior, quò persona dignior est offensa.

6\. Et vt præteream potestatem illam patriam, non esse iuris naturæ, cùm neque apud omnes ea fuerit; neque si talis esset, abrogari non potuit; Frustra etiam es Bodine, si dixeris legem illam Deuteronomij, quâ plures testes ad deminutionem capitis requiruntur, esse iudicialem, atque adeò ad Euangelij aduentum exspirasse: originem enim suâ traxit ex iure naturæ, quod, ad capitis pœnam decernendam, amplius requirit, quàm vnius testificationem, quòd is vnus promptiùs quàm duo, passione, fraude, vel malitiâ peruerti possit. Et Christus ipse Ioan. 8. & Matth. 18. cum Apostolo 2. ad Corinth. 13. tanquam ex naturæ principijs ortam, ratam esse voluit, humanorumque iudiciorum regulam. Esto, introductum sit legibus humanis, vt in hac causâ plures, in illâ pauciores testes adhibeantur: quod agimus est, iuris naturæ esse, vt in causâ capitis vel mutilationis, non minus, quàm duo testificentur, ita Lessius lib. 2. de iure & iustitiâ cap. 30. dubitatione 4. numero 25. vbi etiam docet, non posse rempublicam dare auctoritatem principi, vt quando aliâ ratione non est certus de crimine, ex dicto vnius testis condemnare possit.

Patria potestas non est iuris naturę.

Testium pluralitas est iuris naturæ.

Non itaque vitæ & necis potestas, lege diuinâ, accessit patribus in liberos, neque institutū vt solius parentis dicto proditâ, nec auctoritate iudicis discussâ caussa, filius necaretur illicò, cùm de vita & spiritu hominis laturum sententiam, diu multùmque cunctari oporteat, id quod diuerbio dicitur, τὸ ἐν δίκῃ κρίνειν, *ne de lite pronuntiet.* Quod ipsum etiam ex illo Deuteron. 21. quo Bodinus in suam sententiam vtitur, haberi potest. Nam si ibi de patriâ potestate quidquam: si illius vi, parens de filij contumacis & proteruj capite, decernere queat, & iudicis tantum præsentia expetatur, quò exemplaris fiat executio: hoc ius, patris esset, vtpote capitis familiæ, non autem matris, quia matres non habent in liberos potestatem. § fœminæ, de adopt. l. mulierum. C. eod. §. cæteri, de hæred. qualit. & differen. apud Iustin. l. nulla, de suis & legit. 4. §. nam testament. de bono poss. cont. tab. l. riam & fœminæ: de adopt. in P. quòd ipsæ tutelâ egeant alienâ, nec sint suæ potestatis, ideoque nec alios regere possint. ca. indecorum, ca. 3. de ætat. & qualit. neque alios in suâ potestate habere. l. sic eueniet. ad l. Iul. de adult. l. fin. de legit. tute lib. 5 C. tit. 30. §. minores. de excusa. tuto. l. filium habeo. ad Senatum. Maced. P. Atqui lex vnanimem vtriusque parentis consensum requirit, vt filius Magistratui denuntietur: testium ergo illi, vel accusatorum & testiū simul, fungentur munere, non iudicum; in Magistratu, quam iurisdictionem ipsi non habuerint, esse agnoscentes. Nec erat satis si alteruter parentum cum extraneo apud iudicem deponeret, sed vterque parens, omnino requirebatur, vt cùm contumacem filium, iure suo, omnibus modis coërcere studuissent, nec valuissent, insuper passi iniuriam, criminis atrocitatem, quàm vltra ferre non possent, apud Magistratum, emendandam proderent: atque inde Iudex quod nullus affectus paterno amore sit potentior, talem esse intelligeret, in quam meritò inquirendum, & vindicandum iudicaret. Valdè enim, imò verò, omnino patres filiorum saluti, honori, bonisque student natura impellere l. scrip. vnd. lib. P. l. cùm ratio. de bon. damnat. in P. vnde existimauit Arist. lib. 8. Ethicor. ad Nicomach. cap. 10. & 11. societatem patris & filium, regni præseferre effigiem, non patriæ potestatis ratione, sed sollicitudinis, curæque paternæ, vt filijs bene sit. *Nati enim*, inquit, *patri sunt curæ Et hinc Homerum Iouem patrem vocasse, ipsum namque regnum, imperium est suapte naturâ paternum Et regis amicitiam in eos qui reguntur, in excellentiâ beneficij consistere; confert enim beneficia in eos, qui ab ipso reguntur, Siquidem cùm sit bonus, curam ipsorum habet, quod bene se habeant, vt ouium pastor: sic natura pater filiorum, & auus nepotum, & rex eorum quibus præsidet imperium obtinet*: & quamdiu, inquit idem Philosophus lib. 5. Ethic. cap. 6. *filius paruus est, & non separatus, pars ipsius est patris, se verò nemo vult lædere.* Quamobrem

Iudex cùm de capite rei agitur, cunctari debet.

Matres non habent potestatem in liberos.

Paterno amore adiectus nullus potentior.

Patris & filij societas, regni est effigies.

Filius paruus pars patris est.

obrem valde torquentur & sæuiunt parentes, ob contumeliam illatam filijs, magisque interdum, quàm si ipsis inferretur. l. isti quidem. quod metus. cau: in P. & vt ait Apollonius Rhodius apud Petr. Gregor. lib. 11. Syntag. iur. cap. 5. n. 11.

Parentes acerbi sunt in filiorum iniurijs.

Valde acerbi suos propter liberos parentes. Lib. 4. Argonaut.

Hocque cum brutis etiam commune, & vt Papinian. lib. 10. Thebaidos.

——— sic aspera tygris
Fœtibus abreptis Scythico deserta sub antro
Accubat, & tepidi lambit vestigia lecti.

7. Nec est quod Magistratus diuidat Bodinus, vnum qui executioni paternæ adsistat tantùm, alterum qui de re cognoscat, & iudicet, cùm nonnisi admissâ in parentes iniuriâ filij extremo exemplo plecterentur, sicut aduertit Caietanus, & Abulensis, quæst. 19. in cap. 21. Exodi. Crudum enim nimis, ob quamcunque contumaciã, patres filijs vitam eripere.

Patriam potestatẽ quæ sequantur incommoda.

Sed, prô Deum immortalem! assertâ isthac potestate patriâ, nonne consectarium est, vnicum mundi vinculum quo tenentur omnia, in homine dissolui? reciprocos, nimirum, patrum & filiorum amoris adfectus, quos pectoribus nostris natura insculpsit, expungi, eradi, eliminari, & in istorum vicem, nobis formatis concrescere, in parentes μῖσος ἀγρικὸν, siue agreste odium, filijs ad seruitiorum naturam, quasi agnato timore proiectis? Verum namque illud Antisthenis Philosophi, ὅστις δ' ἑτέρους δέδοικε δοῦλος ὢν λέληθεν ἑαυτόν. *Quisquis alios metuit, seruus est licet nesciat.* Timor autem parens est odij, quod affatim per Ciceronem pro Syllâ confirmatum est, quum infit; *Hoc natura est insitum, vt quem timueris, quicum de vitâ, fortunisque contenderis, cuius ex insidijs euaseris, hunc semper oderis.* Vnde natum illud Ouidij:

Timor, odij parens.

Si sapis, ô custos, odium (mihi crede) mereri
Desine: quem metuit, quisque perisse cupit.

Et Arist. in Rhetor. οὐδεὶς, ὃν φοβεῖται, φιλεῖ, *nemo, quem metuit, diligit.* Macrobius quoque lib. 7. Saturnal. cap. 11. *Non potest amor cum timore misceri:* vt propterea de filijs eiusmodi dixerim, quod prouerbio de seruis iactatur, totidem nobis hostes esse quot seruos, aio, quot filios. *Non habemus illos hostes, sed facimus,* inquit Macrob. *cùm in illos superbissimi, contumeliosissimi, crudelissimi sumus,* &c. Domi enim animos induimus tyrãnorum, & non quantum decet, sed quantum libet, exercere volumus in seruos, &c.

Tyrannus quis domi.

At qui iam liberos in officio contineas, qui intelligant se duram habeant seruire seruitutem? qui suspectam semper habeant parentum consuetudinem? & qui continuò extrema sibi imminere formident? *Omnia mala plus terrere solent eos, qui ipsa futura expectant, quàm vbi iam acciderint, molestare,* inquit Diogenes Cynicus, apud Nanum in Polyanthea. Et sanè inter suspecta, malè viuitur; atque quod timor, diuturni officij magister esse non queat, vt habet Tullius Philippica 2. Filij vt ab officio recedant, parentes non colant, necesse est. Qui nunc illi parentes senio grauatos alant? qui consilia illorum expetant? qui monita benignè habeant, si odium parentum cum ij s lacte desuxerint? Immò verò, quoniam *res est imperiosa* timor, vix inuenias, qui non propterea verenda patrum prodant, & subsannent.

Timor magister diuturni officij esse non potest.

8. Adhæc, si ius vitæ necisque Patribus in liberos foret, illâ potestate freti, in minas & aspera ruerent faciliùs: & quos blandè educare in disciplinâ & correctione Domini debeant, proritarent acerbiùs, ad iracundiam prouocarent, atque terrore concussos, in pusillanimitatem degenerare compellerent, contra consilium Apostoli ad Ephes. 6. & ad Coloss. 3. *Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Vbi molestiâ non esse afficiendos filios docet, sicut explicat Theodoret. sed in pietate educãdos. etenim, vt inquit Ouidius. *Vires subtrahit ipse timor.* Hinc D. Hieronymus, *Sicut igitur in filijs obsequium, & subiectionis merces est demonstrata, ita parentibus moderatum iubetur imperium, vt non quasi seruis, sed quasi filijs, præesse se nouerint.* Quod etiam egregiè copiosèque disseruit Stephanus Guazzus lib. 3 de ciuili conuersatione, vbi cùm dixisset, cognitionem Dei, iustitiam, veritatem, & bonos mores infundendos tenellis filiorum animis, edocendosque ita viuere, ac si quotidie essent morituri, subdit, *Procure di tenerlo in freno, piu tosto con l'amore, che col timore, & gli auezzi ad operar diritamente più per propria voluntà, che per tema altrui, perche non è honesto che l'huomo libero impari à viuer con seruitù, oltre che la tema non è sicura guardia della virtù:* id quod grauiter pronunciauit Cicero lib. 2. officiorum, *Malus custos diuturnitatis metus: contraque beneuolentia fidelis, vel ad perpetuitatem.*

Potestas patria, nimis acerba filijs.

Ephes. 6. & Coloss. 3.

Parentum imperium moderatũ.

9. Quodque caput est: filij summum illud imperium reueriti, facilè à patribus adducentur, vt aduersus Rempublicam, Principem, aut Religionem sæua moliãtur: neque periculum auertet l. ille à quo. §. vlt. ff. ad Trebellianum, per quam in huiusmodi caussa, filius à patriâ potestate eximitur; aut enim filio incumbit, arcanam patris in maleficium inductionem probare, vt à patriâ potestate absoluatur, quod sanè difficulter admodùm faciet, & ni fecerit, qui cauebit? qui euadet? qui tutus erit? quid non formidabit ab irritata tam sæuè patris summâ potentiâ? Aut si, sese ad perduellionis facinus à patre sollicitatum fuisse, sit denuntiasse satis, quò lex illum paterno subducat imperio: quid istud est, nisi armare contra parentes filiorum manus? Aut enim falsò deferent, aut impio facinore parentum fata præuertent, quò grauissimum istiusmodi paternæ potestatis iugum à ceruicibus suis excutiant.

Patria potestatis timore perduelles fient filij, aut parricidæ.

10. Eapropter iure optimo Aristoteles 8 Ethico. cap. 10. Persarum in liberos imperium, tyrannicum vocat: neque lenius erit iudicium de Moscouitis, quos necis & vitæ potestatem in filios habere, scribit Sigismundus Liber Baro, cõmentar. reru. Moscouit. Non de Romanis, de quibus Dionys. Halicarnass. lib. 2. antiq. Roma. *Romanorum autem legislator, id est, Romulus, omnem vt ita dicam, potestatem dedit patri in filium, idque toto vitæ tempore: siue in carcerem eum mittere, siue flagris cædere, siue vinctum ablegare ad rustica opera, siue necare libeat, etiamsi filius tractet remp. etiamsi magistratus gerat maximos, etiamsi liberalitatis laudem publicè sit emeritus.* Non mitiùs quoque de Gallis iudicabitur, apud quos eam potestatem fuisse contendit Bodinus, & confirmat Bartholomæus Chassaneus ad §. 3. tit. *des enfans de plusieurs licts.* in gl. 1. versu licet. gl. §. 1. &c. in cons. Burg. vbi notat fuisse iudicatum suo tempore in Senatu Parisiensi, filios Gallorum esse in potestate parentum, parũm autem, aut nihil ad rem est, siue Iustinus, siue Accursius, & sequaces in §. ius autem, in verbo, Romanor. de patriâ potest. contrarium senserint. Non enim ex hoc minùs erit tyrannicum hoc imperium. Quare Imperatores Adrianus & Diocletianus, Vlpianus item: vir multâ legum peritiâ instructus, quam Romani homines, id est, qui iure Romano vterentur, vitæ necisque potestatem haberent in filios, execrati sunt,

Persarum imperium tyrannicum.

Romanorũ.

Gallorum.

Adrian. Imper & Diocletian Vlpianus item, patriam potestatem execrantur.

sunt. Cur enim patri filium necare concessum sit, cùm vitam auferre, publicæ sit potestatis, non priuatæ? cùm in morte cuiuslibet damnum sit communitatis? cùm & naturali patris pietati aduersetur? Martianus scribit Adrianum deportatione in insulam affecisse patrem quendam, qui filium necauerat adulterantem cum nouercâ: quòd patria potestas non debeat in atrocitate, sed in pietate consistere.

Patria potestas non in atrocitate, sed pietate consistere debet.

II. Patres duri quidam & scelerati.

Nec est quòd adferatur, paternum amorem tantâ potestate esse potentiorem, vt propterea nihil acerbum, nihil sæuum à parentibus metuendum siet. Numque vt prætercam illos, qui Religionis caussâ, filiorum vitam prodegerunt, sacras profanasque euolue historias, & plures fuisse comperies, qui immanitate barbarâ, in propria viscera desæuientes, filios suos lacerarunt, deuorarunt, vt illi ipsi, in quibus vitam accepissent liberi, essent scelerata extinctorum conditoria, qui filios vel infando nouercarum amore, vel de affectatis imperij fascibus suspectos, quiúe aut religiosâ superstitione, vel aliquo aliò metu aut cupiditate, patrem exuentes vt tyrannum agerent, confoderunt; nempe, *Tam duri quidam, & tam scelerati patres sunt*, inquit Seneca lib. 6. de beneficijs cap. 4. *vt illos auersari & ciurare, ius, fasque sit.*

Iuuentus frænanda. Indulgentia nimia venenum.

Non inficior intereà, iuuenili licentiæ fræna inijcienda, ne prona in vitium, per scelera effundatur, atque excussa patrum reuerentia, refractario spiritu contra feratur, néve nimiâ indulgentiâ, quæ castorum morum est venenum, gnati segnes fiant. Quemadmodum enim vestes quibus rarò vtimur, ferè à tineis eroduntur, ita pueri qui nimis indulgenter habentur, ferè à morbis, internisque animi vitijs corrumpuntur. Egregiè itaque Alexander, qui cùm filium inutilem abdicasset, propterreaque reprehensus ab vxore, quòd ex eo esset, cùm in terram exspuisset, & hoc, inquit, ex me est, at non vtile. Stobæus serm. 23. cui simile illud Aristippi, qui inclamante quodam, quòd sic filium abijceret, negligeretque, quasi ex ipso natus non esset: an non, inquit, & pituitam, & pediculos à nobis natos, veluti inutiles procul à nobis abijcimus? sensit enim eos non habendos pro filijs, qui nihil haberent alioqui, quo se parentum affectui commendarent, nisi quod ab ipsis progeniti sunt. Laërtius lib. 2. Eiusmodi namque filiorum ingenia videas, vt tantò illos genuisse luctuosum sit, quantò morigeros habuisse, delectabile.

Alexander eiectum à se filium, vt sputum habuit.

Aristippus vt vermicus ex se natus.

Augustus Cælibatum optat.

Augustus Cæsar apud Suetonium, cùm Iuliam filiam, ac neptem relegasset, deinde Agrippam priùs adoptatum post sordidum ac ferox ingenium abdicasset, ad omnem horum mentionem exclamare solebat versu Homerico,

αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι!

O vtinam cælebs vixissem, orbusque perissem!

Nec aliter illos appellabat, quàm tres vomicas, seu tria carcinomata sua, cauitque testamento, ne, si quid accidisset Iuliæ filiæ & nepti, sepulcro suo inferrentur: qua de re, leges quoque ad coërcendam filiorum licentiam, sanctæ sunt. Hinc emancipati liberi, in potestatem patris reuocantur per ingratitudinem, si contumaces in patres, vel atroci iniuriâ, vel acerbitate conuitij affecerint. l. 1. de ingrat. lib. C. idque præter leges Romanas, confirmat D. Chrysostomus homil. 1. in psal. 115. dicens, reduci per ingratitudinem filios in potestatem parentum, sicut & liberos in seruitutem: quia non emancipantur ideò, vt beneficia patris contumelijs ab eo disiungant. *Nec sunt debita filiorum votis patrum vota*

Iulia filia & neptis, cum Agrippa ab Augusto eiecti.

Filij emancipati per ingratitudinem, ius emancipationis perdunt.

cessabant, vt parenti copiâ liberos suos etiam potestate, magis proprijs obsequijs mancipatos: cùm intelligant ijs obsequij plus debere, à quibus meminerint se à sacris vinculis exutos, inquit Constantinus Cæsar l. 1. de offic. præt. lib. 1. C. tit. 43. Et vt prætercam lege diuinâ Deuter. 21. decretos lapides ad contenendam filiorum contumaciam: Ephori legem testamentariam condiderunt, quâ Patribus liberum fuit, hæreditatem suam cui vellent ad dicere. Hunc morem Romanis quoque fuisse ferunt, ne filiusfamilias defuncti parentis voluntatem, actione, sed postulatione tantùm in cōtrouersiam adduceret, néve patrem, nisi honoris caussâ, appellaret: Atque ita ferocientes iuuenum animos, temperari posse putarūt. Quod hic ago, est, nō excarnificandos liberos, qui reprehensionibus, monitionibus, adhortamentisque & verecundiâ, doceri & emendari mauelint, quàm tragicè lacerari.

Lapides cōtumaci filio decreti.

Filios ab hæreditate excludere, quando licuit.

Capitis 27. §. 8.

Digressio ad filios, vt in parentes humani sient.

EXecranda porrò filiorum impietas, qui quāuis sint πατρὸς ἐξ ἀγαθοῦ γένος, suauitatis obliti, in omnem distorti nequitiam, eos à quibus argumentum vitæ sumpserunt, seueriùs habent. Primam naturæ legem esse, diligere parentes, scripsit Valerius Max. lib. 5. cap. 4: eamque illius vim esse habemus ex Demosthene con. Aristogitonem, vt contra eam esse dicat, eos diligere, qui parentes etiam iustè necarint, *Si legem naturæ tuetur*, inquit, *quæ vna & hominibus & feris ex æquo est sancita, vt parentes diligant, malè vult ijs* (Aristogiton) *qui illos peremerunt.* Per hanc legem filius patri ac matri reuerentiam debet. l. congruentiùs, & l. filia tua. 5. de patr. potest. C. & alimenta. l. si quis à liberis, de liber. agnosc. Hæcque præcepto diuino roboratur, quo iubentur filij, honorare, venerari, audiréve in omnibus parentes. Exod. 2. Matth. 12. Mar. 3. & D. Paul. ad Ephes. 6. ad Coloss. 3. can. si dominus. 11. quæst. 3. *Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim beneplacitum est in Domino.* Deuter autem 3. *Maledictus qui non honorat patrem & matrem suam.* Iure quoque ciuili, persona parentis filio semper honesta & sancta videri debet. l. liberto & filio, de obseq. à lib. & lib. par. & patr. præstan. in P. sanctum autem est id quod inuiolabile est. l. sanctum, de rer. diuis. in P. Sic Pamphilus apud Terentium in Hecyra, act. 3. scen. 4.

Nam me parenti potiùs quàm amori obsequi
Oportet.

Et apud Æschylum in Prometheo ligato, cùm Vulcanus ægre admodum adduci posset vt Prometheum ligaret, iussus tandem à Ioue patre id facere, ait,

Ἀκηδιάζειν γὰρ πατρὸς λόγους βαρύ.

Negligenter agere sermones patris graue est.

Pulchrè Epictetus Enchiridij, cap. 3. *Pater appellatur, curandus est, cedendum ei in omnibus, ferendus cùm aut obiurgat, aut verberat. Sed malus pater est: at natura, te non bonō patri, sed patri conciliauit.* Quapropter grauissimum scelus est parentes contemnere, exasperare, vel acceptorum beneficiorum vicem non reddere: quod quidem Dominus ipse vindicare solet, vti & beneficis contrà, præmia largiri. quod sanè non prætermissum est à Platone. lib. 11. de legibus, vbi ait, *Oedipum contemptum à filijs, eis illis imprecatum est, quæ exaudita effectaque à Deo, apud omnes feruntur. Amintora quoque Phœnici filio iratum illi maledixisse ferunt, & Hippolyto Thesea, plurimisque alios alijs, quibus apertissimum factum est à Deo preces parentum aduersus filios exaudiri. Nihil enim impreca-*

II. Filij inhumani.

Lex prima naturæ, parentum dilectio.

Ephes. 6. Coloss. 3. Deuter. 3.

Patris persona, filio semper honesta, & sancta.

2.

Parentes exasperare grauissimum.

Parentum imprecationes perniciosissimæ.

precatione parentis, non iniuriâ perniciosism filio. Caueant igitur illam filij & extimescant, ne contumaciâ suâ, aut proteruiâ, à parentibus iustè cōmotis, extorqueant; & patres ipsi videant vt in pignora sua carissima, moderati sint: prosequitur Plato. *Nemo enim cùm Pater, aut mater contemnitur, tunc solùm à Deo putet orationes exaudiri, sed cùm etiam honorantur; ac ideò cùm latiores bona liberis à Deo petunt, exaudire similiter eum existimare debemus. Atque nobis aqua inde distribui: nam aliter in bonis distribuendis, aequi non essent. Quod longè abesse à Deo necesse est.* Vt ergo benedictionis paternæ effectus à Deo expectandus est, quemadmodum Genes. 27. in benedictione Iacob ab Isaac, & Gen. 49. in benedictione Ioseph, & filiorum eius à Iacob, videre est: ita quoque maledictionis paternæ fructus sunt à vindice Deo, veluti in Cham, siue in Chanaan eius filio Gen 9. cognosci potest, ratum autem est, quod Ecclesiastici 3. habetur, *Benedictio Patris, firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vnum proferam quo muneris sui erga progenitores suos admoneantur filij, ex horrore iudicij diuini.

Parētes pro liberis orātes exaudit Deus.

Eccl. 3.

Thomas Brabantinus lib. 2. apum. cap. 14. scribit totidem verbis, Quidam adolescens in partibus Galliæ sub Philippo rege, peruicacissimæ vitæ, vt illud quod de Ismaele scriptum est Gen 16. manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, in eo videretur ita impletum, vt nec parentes proprios quiescere sustineret, sed ad amarissimum vitæ finem perduceret: post quos & ipse miserabiliter infirmatus, & in agone positus, sumptis Ecclesiasticis sacramentis, subitò inter manus assistentium clamans, horribiliter exiliuit dicens: Surgite omnes, arma accipite, iuuate me contra proprium patrem, quia omnium inimicorum meorum ductor factus est, & me conatur occidere. Et hoc dicens, quasi contra ingredientem multitudinem ad ostium ire conabatur. Nec mora, cadens, euersis terribiliter oculis, clamauit exspirans; Heu me, pater meus modò validissimo lapide frontem meam percutiendo contriuit. Hi autem qui assistebant, neminem quidem videbant, sed quasi turbas se comprimentium & ingredientium audiebant. Vide ergo qui nec patrem propitium habere potuit, quantis diuinæ vindictæ animaduersionibus, dignus sit. Non tamen eum qui apparuit, illius patrem fuisse dixeris, sed spiritum bonum, vel malum. Sap. 5. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum contra insensatos.*

Filius proteruus damnatur.

Gen. 16.

Sap. 5.

Sancitam porrò filiorum in parentes pietati remunerationem, præterquam quod in iure diuino exaratum legimus, indicauit Græcus senarius,

Pietas filiorum in parentes remunerata.

ἰχνιῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Viues diu, si vergentes in senium parentes cōnutrieris.

Et apud Homerum, quidam Iliade 4. quòd hoc antiquissimorum debitorum, & à naturâ manantium, non persoluisset, longæuus non fuisse traditur, —— οὐδὲ τοκεῦσι

θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν ἔπλετ᾽. *neque parentibus*

Gratiam charis retulit, breuis verò ei ætas Fuit.

Ingratitudo filiorum punita.

Quod metricè sic redditum lego apud Pierium Valerianum,

Et quoniam charis nunquam genitoribus æquum
Reddidit officium, immaturâ est morte peremptus.

Neque verò in filiorum ingratitudinem minùs sæuitum, quàm in contumaciam, quando vel Sibylla Erithræa, lib. 2. oraculi, damnandos æquè tradat, ignis supplicio, & iura liberalitatem paternam libertatis, & donationes factas bonorum, reuocant, donantibus tamen volentibus, & conquerentibus; permittuntque liberos exhæredare: libertas quoque per ingratitudinem in seruitutem reuocatur l. 2. de liber. & eorum liber. formula autem reuocationis ex instituto Athenarum memoranda fuit, per quam libertate, Libertus de ingratitudine conuictus exuebatur. *Superſedeo*, inquit, *te habere ciuem, tanti muneris impium æstimatorem. Nec adduci possum vt credam vrbi vtilem, quem domi scelestum cerno. Abi igitur, & esto seruus, quoniam liber esse nescitis.* Et certè haud beneficium esset præstitutus prudens, qui illum, in quem conferret, non bene vsurum cognosceret. Namque vt Seneca inquit lib. 4. de beneficijs cap. 27. *Quemadmodum malè haec coniunxit, qui illam cōtumeliosam & sæpè repudiato collocauit: quomodo malus pater familias habebitur, qui negotiorum gestorum damnato patrimonij sui curam mandauerit: quomodo dementissimè testabitur, qui tutorem filio reliquerit pupillorum spoliatorem: sic pessimè beneficia dare dicetur, quicunque ingratos eligit, in quos peritura conferat.* Et leges generaliter ingratitudinis actionem concedunt in eos, qui benemeritis non retulerint gratiam vt ait Lucianus in abdicatu. Apud Græcos, si quis parentes nō obseruet, ciuitas in iudicium eum compellit, ac reprobat, magistratibusque omnibus indignum existimat, tanquam ab illo non possint, neque sacrificia piè sacrificari, neque aliud quidpiam, nec iustè agi, testis Xenophon lib. 2. de gest. & dict. Socrat. Bulgarorum rex, anno Dominicæ incarnat. 868. vt narrat Martin. Polon. lib. 4. Chronicōr. cùm ea gens à Gentilium superstitione ad Christi sacra transisset, tantâ perfectione post acceptam baptismi gratiam viuere cœpit, vt abdicato imperio, eoque filio suo natu maiori tradito, Monachus effectus sit. Sed cùm filius rex constitutus, prædas ageret, ebrietatibus, comessationibus & libidinibus vacaret quodque deterrimum est ad gentilitatis ritus populum recenter baptizatum, magno studio reuocaret: pater in Monachatu ista audiens, ardenti Christianæ religionis zelo commotus, dimisso religionis habitu, resumptoque imperio, adscitis secum qui Deum timerent, filium regno exuit, atque effossis oculis in carcerem misit; minorique natu filio rege constituto, cum paris periculi interminatione, si à patria intentione deficeret, habitum sacrum resumpsit. Indignus, nempe, imperio, indignus hominum conuersatione & consortio, indignus qui cælum videret, iudicatus est, qui tanta perfidiâ, pij patris canos funestaret.

Ingratitudo Libertum in seruitutem reuocat.

Beneficia ingratis collata, pereunt.

Parentes contemptui magistratu indigno.

Bulgarorum rex filium regno & oculis priuat.

Quare rectè Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 7. *Honorantes patrem cælestem, etiam corporis nostri parentes honoremus. Nam Christianorum est placida prima pietas, honorare parentes, & labores educationis rependere, atque omni studio quæcunque ad eorum quietem pertinent, curare.* Debent autem, præter reuerentiam, patribus & matribus alimenta filij: & contrà l. si quis à liberis. de liber. agnosc. l. nec filium de patr. potest. & in pari causâ potiùs consulendum Matri quàm Patri scribit Phalaris, Pauriolæ fil. epist. 19. propter maiora ab ea accepta beneficia, quia nos tulerit, pepererit, educauerit, & alios infinitos labores pro nobis subierit. Nam & bruta progenitoribus suis subueniunt, hos mures gliresque senectâ fessos alunt insigni pietate, Plin. lib. 8. cap. 53. Merops genitores suos reconditos pascit. Plinius lib. 10 cap. 33. Ciconiæ, genitricum senectam inuicem educant. Plinius librò 10. cap. 23. Ferunt namque eas parentibus iam senio confectis, aut aliter alimenta conquirere non valentibus, ne-

4 Filij parentibus honorem & alimenta debent.

Mater præferenda.

Bruta parentibus subueniunt.

Mures & glires.

Merops.

cessaria suggerere: nec pati patrem, matrémve hoc illucque cibi causâ errare, sed dare operam vt in cubili maneant, & labore eorum quos genuerint, educauerintque, pascantur, ob quod Romano vsu, piæ vocentur, ita Pier. Valerian Hieroglyphicor. lib. 17 cap. 1. ipso rerum conditore maximo insignibus indicijs, in brutis ipsis animantibus præmonstrante, quid à benè institutis filijs, parentibus debeatur: nam, vt Cicero, inquit, cùm pietas sit virtutum fundamentum, patrem filius vt Deum vereri debet, & colere: neque enim multò secus parens liberis est. Et ne hominum aut naturæ leges curiosiùs vestigemus: primum omnium humanarum rerum decretum, post tria de Diuino cultu edita, de parentum veneratione ab æternâ lege manauit: Et quia ex naturæ instituto est, Solon censeri eum ignobilem atque obscurum statuit, qui parentes non enutrisset, æquum namque est, mutuas operas reddere parentibus: quare interpretes qui ius naturæ secuti sunt, cauerunt, vt liberi parentes alant, aut vinciantur Cæl. Rodig. lib. 11. cap. 17. & Alex. ab Alexand. lib. 4. cap. 8.

Filius Patrē vt Deum vereri debet, & colere.

5.

Impius in parentes filius bufonis incursu punitus.

Quo in genere impietatem, non inultam aliquando tulit Deus. Narrat Cantipratensis, lib. 2. apum, cap. 7. In Normanniæ partibus virum quendam fuisse admodum diuitem, sed minimè nobilem, cui vnicus erat filius dilectus, quem cùm nobilis quidam, filiæ suæ in coniugium expetisset, impetrauit vt ille, quamuis cunctabundus & pauidus, cunctis bonis cederet, fore autem, vt illi, matrique, quamdiu aduixerint, abundantissimè filius prouideret. Quid actum est? lautiusculè quidem filius & nurus, homunculos anno primo habuere, altero, minùs copiosè, tertio inuerecundiùs quàm decebat: Quarto autem, ex ædium opposito, domuncula nuru suggerente exstruitur, vt senum indecentia minus esset onerosa iuuenibus, vbi illis secretiùs insufficienter necessaria ministrarent. Pertulit ibi senex cum paupercula ac decrepitâ vxore egestatem, vixque in ædes filij introspicere audebat, eâ per clientulum procurante, quibus carere non poterat. Contigit autem vt visum à se anserem infixum veru, in domo filij, torreri, renuntiaret vxor marito, rogaretque vt is filium adiret quò semel famem expleret copiosè, se verò paucis esuriem mitigare. Baculum cui innititur rapit senex, properat ad filium, quem ipse videns ad se venientem, tollit ab igne, assaturam, & abscondit: atque patri obuius, quid rei sit, inquirit. Re dissimulatâ senex domum regreditur. Interim assaturam ad focum referri iubet filius, sed ecce, dum iussa exequitur puella, atrum bufonem anseris pectori infixum exclamat, concurritur, excutere herus conatur, sed in eius faciem bufo inuolat, & firmiter hæret, nequidquam alijs excutere conantibus: dixisses autem hominis præcordia tangi vel ad minimum monstri illius contactum, ita enim ille sensibiliter angebatur. Multæ eum videre Normanniæ, Galliæque Ciuitates sic affectum, atque palam, ex Diœcesani Episcopi iussu, id sibi accidisse prædicantem, quod in parentes ingratus extitisset, discerent a ij vicem reddere parentibus, & quam nutricationis humanitatem forent experti, effœtæ progenitorum senectæ redderent: nec ante monstrum hoc disparuit, quàm ad pœnitentis lachrymas & Sanctorum quorundam preces, inclinaretur Deus.

6.

Pietatis filiarum in parentes exempla.

Celebre contrà fuit apud Valer. Maximum. lib. 5. cap. 4. filiarum pietatis exemplum, quarū altera matrem crimine capitali damnatam, atque in carcere inediæ addictam, proprio lacte sustentauit: Alia patrem suum consimili fortunâ affectum, parique custodiæ traditum, iam vltimæ senectutis, velut infantem, pectori suo admotum aluit. Quo non penetrat? inquit Valerius, quid non excogitat pietas, quæ in carcere seruādorū parentum nouā rationem adinuenit? Excusserit natas diligenter carceris custos, ne quid cibi inferret, cauere tamen non potuit, ne genitricem, genitoremque suis vberibus sustentarent: Qua ex re, laudem sibi, suæque vitæ satoribus libertatem, tanquam pietatis insigne, pepererunt. Quid fratres Siculos memorem, qui Ætnâ monte, torrentes ignium in Catanensem agrum euomente, parentes humeris elatos, per medios ignes portarunt, præstiterunt incolumes? horum Silius meminit, piosque appellat.

Et Catane genuisse pios celeberrima, fratres.

Sedenim vetera sunt hæc, neque nostris consona moribus: cùm vix iam sit, qui non efferri patres suos maulit, quàm superstites, pietatis debito afficere. Verum enim illud,

Filij parentum obitum expetunt.

Filius ante diem, Patris inquirit in annos.

Quid de illis censeam, qui non horrent in eos, quibus honor primâ naturæ lege impendendus est (pro infandum scelus!) parricidales manus inijcere? Persæ negant vnquam filium legitimum occidisse patrem, vt ait Herodotus libro 1. Immane, acerbum, atrox nimis est, & ab humanis auribus alienum, eos adducere in exemplum, qui ferinis armati visceribus, feris ipsis crudeliores, vel parentes ob senium interfecerunt, quorum meminit Alexander Sardus lib. 1. de moribus ac ritibus Gentium cap. 13. totidem verbis, *Sogdiani interficiunt parentes, more ab Alexandro sublato interficiunt & Treballi, fustibus Sardi, tanquam eos qui otiosè degant: In Sardinia enim plectuntur ignaui; & qui in otio viuunt coguntur rationem reddere, vnde alantur.* Quanquam & ipsi pòst à suis necarentur quoque, parricidali consuetudine, pœna talionis scelus vindicante, quemadmodum significauit Euripides in Supplicib. act. 1.

Parricidæ.

Otiosi vnde viuant rationem reddere coacti.

τοῖς τεκοῦσι γὰρ
δύστηνος, ὅστις μὴ ἀντιδουλεύει τέκνων
κάλλιστον ἔρανον δοὺς γὰρ, ἀντιλάζυται
παίδων παρ' αὐτοῦ τοῖα, ἂν τοκεῦσι δῷ.

Parentibus enim
Infelix, quisquis non mutuam officij reponit gratiam.
Pulcherrimo quippe munere dato vicissim,
A liberis suis, iisdem remunerabitur, quæ parentibus dederit.

Ideoque Thales apud Laert. lib. 1. filios subinde admonebat, vt parentibus benè facerent, his verbis, Quale præmium rependeris parentibus tuis, tale à liberis expectato. Hoc autem, & in feris obseruatum videmus: lacerat enim parentem vipera, lacerat & leæna, quæ tandem à fœtibus quoque suis lacerantur, id quod tradidit D. Basilius homil. 9. in Hexamer. quum ait, *Animalia quæ alijs exitium ferunt, minùs sunt fœcunda: qua propter leonis vix leæna mater euadit. Edi namque partum, vnguium acie, lacerato, in exitu, vtero, vulgo ferunt. Viperas etiam vtero matris eroso, fama est in lucem exire: detentes scilicet mercedes, præmiumque parenti reddentes.* Quo fit, vt crudelitas crudelitate, scelus, scelere, vindicetur. Nisi quod interdum, cōtumaces & proterui in parentes suos liberi, à dæmonio arrepti, misera carnificinâ torqueantur, quemadmodum de Carolo Crasso Ludouici Regis filio apud Sigebertū in Chro. anno 873. & de Nicone adolescente apud Simeonem Metaphrastem in vitâ Sancti Parthenij legimus, deque alijs alibi, quos hostis ille ob parentum contemptum cru-

7.

Filij quales fuerint in suos parentes, tales in se filios suos experientur. Vipera, & Leæna in partu rumpuntur.

Carolus Crassus, & Nicon, parentib. iniurij à dæmone arrepti.

deliter habuit, aut horrendâ morte peremit.

Teterrum nimis est, vel eos etiam referre, qui parentes verberarunt, aduersus quos Solon nullas leges constituit, quòd nullos tales exstituros existimaret, teste Maximo serm. 25. qui ve, (quod deterrimum est) sæuo facinore, familias suas funestarunt: qualis ille Publicius Maleolus Ciuis Romanus, qui seruorum præsidio matrem necauit: qualis Nero, qui Octauiam, Orestes qui Clytemnestram, Ninia Nini Regis Babyloniæ filius & Regni hæres, qui Semiramidem, Alcmeon Atheniensis, qui eiusdem consors sceleris, genitricem suam, parricidio detestando confodit: alijque consimiles, in quos legibus & iudicijs, extremo exemplo animaduersum est. Sit istud hac in re satis, eos violatæ naturæ reos censeri, indignosque esse qui geniti sint; non secus ac patres ipsi, qui paterni nominis obliti, tanquam si lusorium seu inane foret, pietatis humanæ iura proculcantes, in suam genituram, velut tigrides, desæuiunt. Hoc ebrius furore Herodes Ascalonita, Alexandrum & Aristobulum filios suos, indolis præstantissimæ adolescentes, falsis adductus suspicionibus, laqueo suffocauit, Orosius lib. 7. cap. 3. Sigismundus Rex, Sygiricum filium nouercæ criminationibus, affectati regni suspectum, iniecto loro dormienti, atque illud ad se inuicem duobus pueris trahentibus, extinxit, Gregorius Turonensis, de gestis Francorum lib. 3. cap. 5. Sed ab hac oratione, ad aliam me orationem conuerto, sumpto inde argumento, quòd Dominus, in precatiunculis nostris, se patrem inuocari velit, succinctam tradens hanc precandi formulam, *Pater noster qui es in cælis*, atque inprimis de oratione, nostra instituetur oratio.

Matricidæ.

Herodes Ascalonita filios occidit.

Sigismundus rex filium suum, nexu præfocauit.

CAPVT XXVIII.

De Oratione Dominicâ.

Cur Dominus velit nos orare?

1. REctè admodum Diuus Gregorius in præfat. cap. 1. libri Iob. vbi aliqua ædificandi populum occasio sese obtulerit, deberc Doctorem illi rei aliquid impendere, & ab orationis instituta stylo deflectere: &, vt inquit Diuus Ambrosius serm. 16. in psal. 118. ad illa verba, *Oculi mei defecerunt in salutare tuum*: excusans se, quòd fuerit paulò prolixior, velut nauigantes & itinerantes, vbi aliquem locum amœnum & speciosum viderint, delectationis capiundæ gratiâ, nonnihil in eo demorantur, pascuntque oculos, & animum leuant, nec moram vllam itineri suo iniecisse putant, diutiusculè immorando, sed lucrum fecisse: ita in occurrente nouo dicendi campo insistendum tantisper, & aliquid dandum animo, vtilitati audientium & instructioni, ne quod ille, apud Aul. Gellium Noct. Atticar. lib. 17. cap. 3. carpenti librum Homeri, in quo versus aliquis deesset, Non, inquit, in eo libro versus, sed vobis planè magister defuit; itidem à plerisque respondeatur, nihil quidem in libris sacris, ad instructionem deesse, sed doctorem qui enucleet; piperis granum, vim nullam exercere, nisi teratur: libros scriptos, vt inquit Gellius lib. 14. Noct. cap. 2. esse mutos magistros, in viuæ vocis penuriâ. Eapropter modò ad describendam orationem conuertimur, vbi aliquid de oratione, quæ est sermocinatio, tetigerimus.

Doctoris munus salutaria ex occasione inserere.

Scriptura, sicut piper, terenda.

Libri scripti, magistri muti.

2. Oratio itaque, siue loquendi facultas, mortalium generi, modò concessa est, hac secernimur à brutis: *Nam reliquis natura nostra dotibus, nihil cæteris animantibus antecellimus: sed ab illis longè, tum celeritatem, tum robore, tum alijs facultatibus superamur*, inquit Isocrates ad Nicoclem. Est autem oratio, maximè verò illa, quæ non in ore, sed in pectore nascitur imago mentis, & animi cuiusque, vt placuit Dionysio Halicarnassæo in præfat. historiæ, & Isocrati oratione 2. de permutatione. Aristoteles quoque περὶ ἑρμηνείας, ait, ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ, τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ, *sunt igitur voces, eorum quæ in animâ sunt symbola, & scripta, eorum quæ in voce*: vnde homo, animal λογικὸν Græcis, quod rationale & loquens dicitur: vt propterea Diuus Basilius epist. 176. *Indicium quod viuamus, orationem esse vnam*, pronuntiarit: & in homil. ad illa verba, *Moises attende tibi*, ait, sermonem siue locutionem, Deum, hominibus largitum, propter conseruationem communionis societatis humanæ, & ad communicationem secretorum mentis, quæ alias, nisi eo modo, cognoscere queat. Neque verò quis aliud quidquam voluisse præsumitur, quàm dixerit, nec dixisse, quàm quod priùs mente agitarit. l. *in ambiguis de reb. dub.* in P. l. *Labeo, de supell. legat*. *Hæc enim est*, inquit Isocrates ad Nicoclem, *quæ de rebus iustis & iniustis, de turpibus & honestis leges tulit, quæ nisi constituta & distincta fuissent, nulla existere potuisset hominum consociatio. Hac & improbos arguimus, & viros præstantes ornamus. Per hanc & stolidos erudimus, & prudentes exploramus. Nam ita dicere vt decet, rectè sentiendi maximum signum esse credimus: atque oratio vera, legitima, & æqua, honestâ ac fidelis animi simulacrum est.* Vbi consignatissimè dixit, orationem, veram, legitimam, & æquam: alioquin enim, lingua prodiga, infrenisque, semper fluens, & æstuans colluuione verborum teterrimâ, loquentiæ satis, sapientiæ parum & pectoris ostendit, neque semper mentem patefacit, vt docet Diuus Augustinus lib. de Magistro, cap. 13. quòd qui loquelas audit, quid in animo dicentis sit, cernere nequeat

Loquelâ secernimur à brutis.

Oratio est imago mentis.

Voces sunt symbola eorum quæ sunt in anima.

Oratio vitæ indicium.

Lingua garrula fallax.

Docendi itaque, commemorandique gratiâ, nos loqui inuentum est, inquit idem Doctor sanctus ibidem, cap. 7. *Deo autem quem doceri aut commoneri existimare non possumus, id verba valeant, vt vel nos ipsos commonefaciamus, vel alij commoneantur, doceanturve per nos.* Oratione, animi nostri affectus prodimus, sensibilia intelligenti. Deo verò, mentis nostræ eleuatione, dum illum consulimus, dum obsecramus, dum petimus, dum gratias agimus, neque enim vocis, sed cordis præcipuè auditor est Deus. Quapropter, Oratio, apud D. Damasc. lib. 3. cap. 24. est mentis in Deum eleuatio.

Oratione cur vtamur.

Oratio, quid sit.

3. Quoniam igitur, ex quo nascimur in arenam producimur, multorum aduersariorum vim inimicam experturi, cui ferendæ vires nobis non suppetunt, multò minùs euincendæ, nisi suppetias implorauerimus, peregrinantibus nobis & laborantibus necessaria est oratio. Et vt D. Bernardus inquit, serm. 4. de altitudine & bassitudine, *Labor iste, fratres, exilij & paupertatis nostræ nos admonet, profectò & iniquitatis. Vt quid enim morte afficimur totâ die, in ieiunijs multis, in vigilijs abundantiùs, in laboribus & ærumnis? nunquid ad hæc creati sumus? Absit: nam licet homo natus sit ad laborem, sed minime ad laborem creatus est: natiuitas est in culpâ, ideò & in pænâ. Omnes enim nos oportet gemere cum Propheta* psal. 50.) *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Aliena ab vtrisque prima creatio, quia sicut nec culpam, ita nec pænam Deus fecit. Quid de eâ quæ maior est omnium, morte videlicet, apertè Scriptura testa-*

Orandi necessitas.

Psal. 50.

Sap. 2. Sap. 1.

tur (Sap. 2.) *Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Et in alio loco (Sap. 1.) *Deus mortem non fecit. Itaque sicut laborantibus manibus, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu: sic, imò & multò meliùs laborante corpore, mens quoque ipsa suo intenta sit operi, vt non vacet. Caussam laboris cogitet in labore, vt ipsa ei pœna quam patitur, culpam pro quâ patitur, repræsentet. Et dum videt vulnerum ligaturam, ipsa sub pannis vulnera meditetur.* Planè enim miseriarum vallis est vita præsens, vt meritò Deum inuocare, & auxilium petere debeamus.

Oratio virtutis signũ.

Orationem tanti fecit Diuus Chrysostomus, vt lib. 1. de orando Deum, diceret, *Cùm videro quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei feruidâ vehementique curâ teneri, continuò mihi palam est, eum nihil egregiæ dotis in animo habere. Rursus vbi conspexero insatiabiliter adhærentem cultui Diuino, idque in summis damnis numerantem, si non continuò orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum esse meditatorem, ac Dei templum. Etenim si vestitus hominis, si incessus pedum, si risus dentium declarat qualis sit: multò magis deprecatio signum est totius iustitiæ, virtutis, & pietatis.* Neque mirum videri debet, si tanti illam æstimarit, quandoquidem per eam, ad diuitiarum æternarum possessionem via sternatur, id quod Marulus parabola 25. significauit, dicens, Quidam paupertate compulsus mendicare cœpit, & primò ostiatim panem petens abundè sibi alimenta comparabat, deinde diuitum conciliabula circumiens nõ modicam colligebat pecuniam, Igitur eleemosynis tandem diues factus dicere solebat, mendicos priùs oportere fieri, qui diuites euadere cupiunt. Hæc enim parabola, orare nos admonet, & quasi mendicos, in omni loco, omnique die, sublatis in cælum manibus deprecari, si pane illo vesci volumus, quem gustando nunquam esuriemus, si opibus illius ditari, quas nec fur surripere, nec tinea corrumpere potest. Petite, inquit, & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quid ergo cunctamur? ipse iubet poscere, qui solus potest dare, & nisi paratus esset tribuere, postulare non præcepisset.

Mendicus sis priùs quã diues fias.

Matt. 7.

4.

Oratione erigendus animus in Deum.

Quare degeneris omninò sit animi, & nisi caducitio rerum temporalium cibatu sese oblectantis; & ab insidiatore capi volentis, qui per orationem non se erigit. Diuus Epiphanius ad Phisiologum scribit, vulpem vbi esuritione tentatur, nec habet quo famem expleat, in aprico loco resupinari, atque continere animam, quam cùm aues ita humi abiectam despiciunt, tanquam ad mortuam, gregatim deuolant, in eaque sessitantes veluti illudunt; sed eas vulpes mortuam simulans, rostro appropinquantes, ore hiante atque imminente apprehensas deuorat. Idem tradit apud Conradum Gesnerum Michaël Heros, additque vulpem priusquam ita se resupinet, in argilla rubrâ volutari inquinarique, vt vulnerata, & sanguine cruenta appareat: quam cùm ita iacentem viderint corui, cornices, aliæque aues præsertim rapaces, gaudent tanquam de hoste mortuo, atque aduolantes comprehenduntur, saltem vna ex eis. Ait quoque Gesnerus, vulpem, cùm sit dolosa, lusum cum lepore quandoque simulare, vt incautum tandem apprehensum deuoret. Symbolum est Dæmonis, qui, vt Persiano hoc vtar Satyra 5.

Vulpis astus vt famem obsonet.

Dæmon vulpi similis.

Astutam rapido seruans sub pectore vulpem.

Dum incautos homines suis vult irretire fraudibus, propositâ sensibilium escâ, ad quæ consectanda delabantur, ab oratione affectum auertit, innectitque dolis, ne in sublime elati quæ sursum sunt sapiant; quod argumentum, prosequitur Diuus Chrysostomus, lib. de orando Deum, orationem instar manus esse dicens, quam Aristoteles organum organorum appellare consueuit; ad orationem quippe omnes virtutes tendunt, vt ait Cassianus coll. 9. cap 2. ipsaque omnibus virtutibus, velut manus, instrumentis efformandi operis, vtitur, siue ad praxim omnes eas redigit: Mira siquidem aduersus aëream potestatem, inimicam pietati, tentationesque eius, & aduersitates, virtus orationis est: hac sanctificantur creaturæ, quibus contraria potestas abuti desiderat. 1. ad Timoth. 4. *Scimus enim omnem creaturam sanctificari per verbum Dei & orationem.* Cedere namque illa cogitur, & quam nulla vis humana frangere vel domare potest, humilis oratio eneruat planè, non placando, sed vincendo. Hæc fidei stabilimen est, à quâ tamen & ipsa mouetur, propterea Dominus eam inculcat, Luc. 22. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, &c.* Hieronymus citatus à D. Tho. in Catenâ. Marci 14. *In tentationem intrare dicitur,* inquit, *qui orare negligit.* Et D. Augustinus sermo. 37. de verbis Domini: *Quid est in tentationem intrare nisi à fide deficere? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit: in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.* Ne nos itaque è fidei petrâ deiiciat inimicus, oratione opus est; ad quam quoque fides est necessaria: Namque, vt inquit ibidem D. August. *Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non credit? vnde & Beatus Apostolus, cùm ad orandum exhortaretur, ait* (ad Rom. 10.) *omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit: & vt ostenderet fidem esse fontem orationis, nec posse ire riuum, vbi caput aquæ siccatur, adiunxit, atque ait, Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Ergo vt oremus, credamus, & vt ipsa non deficiat fides, quâ oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.* Hæc est animarum nostrarum præsidium, ita Diuus Chrysost. hom. 3. in epist. ad Philemonem. *Est autem magnum quoddam & salutare bonum oratio, animarumque nostrarum, firma custodia, tutissimumque præsidium.* Et rursus, *Expugnamus hostes nostros precibus, & supplicationibus. Si enim contra armatos ad eum modum pugnauerunt Veteres, multò magis contra inermes ita pugnandum nobis erit: ita vincebat Ezechias Assyrium, ita Moises Amalechitas, ita Ascalonitas Samuel; ita Israël triginta duos Reges. Si vbi armis opus erat, & exercitu, & pugnâ, relictis armis ad orationem confugerunt: vbi duntaxat orationibus conficienda sunt negotia, quomodo non multò magis orandum est?* Hæc est sitientis animæ potus, ita D. Bernardus serm. 18. in Cant. *Accedat cibo boni operis orationis potus componens in stomacho conscientiæ, quod benè gestum est, & commendans Deo. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem. Humectat interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans, ordinansque charitatem, & impinguans mores.* Neque potus tantùm, sed etiam esurientis animæ cibus, est oratio, Ita D. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel, cap. 6. nos ad eum cibum capiendum adhortans, *Hunc cibum menti nostræ deferamus,* inquit, *qui multâ attritus meditatione, cor hominis; sicut illud cæleste manna confirmet.* Hæc est neruus & vita animæ, quâ si teipsum destitueris, perinde feceris ac si piscem ex aquâ extraxeris: vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio. Hæc nos infert cœlo, & sociat Angelis, ita D. Chrysostomus, lib. 2. de orando Deum. *Namque in reliquis multum discriminis est inter conditionem Angelorum & hominum, siue naturam expendas, siue viuendi genus, siue sapientiam. Cæterum orare commune est opus Angelorum pariter & hominum. Deprecatio te separat à brutis animalibus, hæc te sociat Angelis. Quin facilè fiet, vt in illorum Ciuitatem*

Oratio est instar manus.

1. Timoth. 4

Oratio fidei stabilimen.

Luc. 22.

In tentationem intrare est à fide deficere.

Fides oranti necessaria.

Rom. 10.

Oratione vincuntur hostes.

Oratio potus animæ.

Animæ cibus.

Nos sociat Angelis.

quis

qui facilè transferatur, in illorum vitam & consortium, in illorum honorem, nobilitatem, sapientiam, intelligentiam, qui per omnem vitam precibus vacare studuerit.

Rationes cur nos orare velit Dominus.

5. Orationem solus Deus docet.

IDcircóne nostras exigit orationes Deus? Idcircóne ipse docuit vt se vellet orari, quod Deus solus docere potuit, vt inquit Tertull. lib. de oratione, & ab ipso ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius iam tunc cùm ex ore Diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cælũ, commendans Patri, quæ filius docuit? Tribus ferè de caussis quidpiam ab homine peti solet; vel quia is à quo petitur ignorat quantis egeat ille qui petit, petitione autem ipsâ instruitur: at hæc ratio non militat in Deo, non enim illum oramus, vt aliquid ei notificemus, dicit namque D. Hieronymus, nos orantes, non esse narratores, sed oratores, aliud est enim narrare ignoranti, aliud petere à sciente, sicut etiam D. Chrysostomus ait, non oras, vt doceas, sed vt flectas. *Nouit enim Pater vester*, ait Dominus, *quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo.* Matth 6. Vel quia is, ad quem dirigitur petitio, non semper amat, vel saltem non ita feruenter supplicem amat, vt suopte adfectu ad benefaciendum inducatur, ideoque ipsâ petitione commouendus excitandusque est: sed neque hoc in Deo esse potest, semper enim ipse nos, etiam vsque in delicias amat. Ioannis 16. *In illa die in nomine meo petetis, & non dico vobis quia ego rogabo Patrem, ipse enim pater amat vos*: neque quomodocunque amat, sed vt rem sibi carissimam, velut pupillam oculi sui, vade Zachar. 2. ait, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*: in quem locum D. August. lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 30. *Vocat Deus seruos suos pupillam oculi sui propter excellentissimum dilectionis affectum, quo nos prosequitur.* Vel denique, etiamsi is qui rogatur nouerit indigentiam alterius, & eum amet, non tamen illi incumbit subsidium ferre, eiusque miseriam subleuare; ideoque summis votis ab eo contendendum est, vt subueniat: at Dei munus est, opem nobis egentibus ferre, quia pater noster vocari, & esse vult: paterni autem officij est, liberis, vt benè sit, prouidere: quare Luc. 11. inquit, *Si ergo vos cùm sitis mali nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se?* Cognoscit ergo Deus egestatem nostram antequam inuocemus eum, vt subueniat, amat vt subuenire velit, cui & subuenire incumbit, vt Patri. Quorsum ergo à nobis rogari vult?

Oradi caussæ tres.

Matth. 6.

Ioan. 16.

Zachar. 2.

Patris officium.

Luc. 11.

6. Orare cur nos velit Deus.

Hanc quæstionem mouet Diuus Basilius libro 2. de constitut. Monast. capite 2. ad quam pluribus respondet; atque inprimis multa nobis à Diuinâ liberalitate tribui, siue temporalia siue spiritualia, quæ nunquam petimus, nec cogitamus: id quod ab experientiâ probat Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Stromatum: Quis enim nostrûm petijt à Deo animam, corpus, & vt Christianus fieret: Quis Solem in dies, Lunam, & sidera, in noctes, hisque similia, postulauit vnquam? Deinde, plura interdum nobis à Numinis bonitate concedi, quàm orauerimus, quemadmodum in Isaiæ 38. caput, probat D. Hieronymus exẽplo Ezechiæ, qui cùm in suâ ægritudine, ex quâ cessurus videbatur è viuis, vitam sibi à Domino prorogari exorasset, non modò impetratæ valetudini, annos vitæ quindecim adiecit Dominus, sed insuper illum de inimicis suis victoriam reportaturum confirmauit, de quâ tamen nihil cogitarat. Quam in sententiam pulchrè D. Ambrosius, super illud, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Pulcherrimum, inquit, *affectandæ conuersionis exemplum, quod tam citò latroni venia relaxatur, & vberior est gratia, quàm precatio, semper enim plus Dominus tribuit, quàm rogatur: ille enim rogabat, vt memor sui esset Dominus, cùm venisset in regnum suum. Dominus autem ait: Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Sensit & Augustini parens Monycha hanc Diuinæ beneficentiæ largitatem, & confessa est, cumulatiùs sibi, suisque lacrymis datum diuinitùs, quàm postularat, quando suum Augustinum, non modò catholicum, quod tantùm petebat, sed etiam seruũ Dei, hoc est, religiosum Monachum vidit extra spem sæculi, de quo nihil minus cogitabat.

Oranti plura confert Deus quam petat.

Luc. 23.

Tertiò denique, multa velle Deum nos petere, non quasi ignorantiâ laboret eorum quæ postulaturi sumus, sed præ amoris sui in nos magnitudine: quam suspiciens D. Chrysostomus lib. 1. de orando Deum, exclamat, *Iam vero quis non obstupescat & admiretur, tantam benignitatem ac beneuolentiam quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum bonorum largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus?* Largitio quippe Diuina est, quòd homo Deum roget, neque enim est par ratio hominis petentis ab homine, & hominis petentis à Deo: nam quod homo petat ab homine, ipsius petentis motio est, quod autem petat à Deo, ipsius Dei motione fit, Dei donum est, & gratia spiritualis. Id quod adnotauit D. Ambros. epist. 84. Deus enim est qui nos facit petere, vt in petitione nostrâ virtutes exerceantur: Nam cùm oratio, siue petitio facta Deo, fit actus supremæ virtutis quæ dicitur religio, dum ea fit, multarum secum virtutum admittit exercitium: velut fidei, quòd is qui petit, credat fieri posse, quod petit. Spei quoque. *Nemo quippe orat, nisi quod credit & sperat*, inquit D. Bernard. homil. 4. super Missus. Charitatis denique, humilitatis, & patientiæ: dum diligitur is, cuius munera expetuntur & sperantur; dum submittitur animus, nudantur defectus, egestas panditur: dum auxiliares expectantur manus.

Oratio est Dei motione est.

Oratio est actus religionis.

His accedunt complures aliæ rationes propter quas Deus nos orare velit: vnam tradit D. Hieronymus in illud Ieremiæ 29. *Orabitis me & ego non exaudiam vos*: scilicet, vt Deus, quod præstiturum se decreuit, cum merito donet, cuius munere digni effecti sumus, ipsâ bonâ & debitâ petitione: est autem egregium & optabile, cum dignitate obtinere, quod quis quærit & petit: siquidem multa sunt, quæ licet Deus intendat facere, nisi oratus, dispos ùit concedere, vt inquit Abulen. tomo 3. in Matth. cap. 10. quæst. 10. quò spectat illud D. Bernardi homil. 4. super Missus, *vult autem à se requiri Deus, etiam quod pollicetur. Et ideò fortè multa quæ dare disposuit, priùs pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur. Sic pius Dominus qui omnes homines vult saluos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos præuenit tribuendo, quod retribuat gratis, agit ne gratis tribuat.* Altera est D. Augustini epist. 120. de gratiâ noui testamenti vt nimirum rationalis creatura construatur, non vt instruatur Deus: *Nouit enim Pater vester, ait Dominus, quid vobis necessariũ sit priusquam petatis ab eo* (Matt. 6.) *sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales caussas ad æternam veritatem referre, siue petendo quid erga se fiat, siue consulendo quid faciat, qui pius mentis affectus est, vt ipsa construatur, non vt Deus instruatur. Nam & hæc quædam contestatio rationalis creaturæ est, quod non sibi ipsa fit bonum quo beata fiat, sed illud incommutabile, cuius participatione etiam sapiens efficitur.*

7. Ierem. 29. Oramus vt cum merito impetremus.

Matth. 6.

8. Vt tenacites Deo adhæreamus.

Tertiam assignat D. Chrysost. homil. 30. in Genes. vt noster videlicet in Deum inardescat affectus,

affectus, eique tenaciùs adhæreamus, quomodo parentes volunt rogari à filijs suis, vt amor eorum ipsâ petitione crescat: *Neque enim renuens preces nostras differt, sed hac arte sedulos nos efficiens ad semetipsum attrahere vult. Nam & Pater, quamuis benignus, quando à puero rogatus abnuit, quasi non volens dare, non vt neget, sed vt ardentiùs petat, & sibi magis conciliet.* Huc spectat quod D. Augustinus epist. 121. ad Probam, cap. 8. Deum etsi nostras necessitates nouerit, velle tamen nos orare, quia vult nos dilatari, quod enim petimus, valdè magnum est, & nos ad illud recipiendum parui & angusti; per orationem autẽ dilatamur secundum illud 2. Corint. 6. *Dilatamini, ne sitis iugum ducentes cum infidelibus:* ait enim, *Qui nouit bona data dare filijs suis, petere nos & quærere, & pulsare cõpellit. Quod quare faciat, qui nouit quid nobis necessarium sit, priùs quam petamus ab eo, mouere animum potest, nisi intelligamus quod Dominus & Deus noster, non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quò possimus capere, quod præparat dare. Illud enim valde magnum est: sed nos ad capiendum parui & angusti sumus. Ideo nobis dicitur, dilatamini, ne sitis iugum ducentes cum infidelibus. Tanto quippe illud, quod valdè magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color, nec auris audiuit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capaciùs, quantò id & fideliùs credimus, & speramus firmiùs, & desideramus ardentiùs:* propter quod dixit Hugo, quod oratio sit pia mentis, & humilis, conuersio, fide, spe, & caritate subnixa. Quomodo autem, nisi per dilectionem dilatari animus potest? Oratione fit, vt dilatentur spatia caritatis; oratione roborantur animæ potentiæ, ad opera virtutum exercenda: oratione, curritur in odorem vnguentorum sponsi, quorum suaueolentia ipsa perfunditur: hinc Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum:* exhilaratur quippe animus orationis fragrantiâ, & ad currendum & decurrendum virtutis stadium fortiùs accingitur; exhilaratus autem dilatatur, & capax fit Dei, quem oratio in mentem trahit, velut anima, spiritum vitæ. Origenes lib. 4. homiliar. in Cant. homil. 1. *Trahit enim vnaquæque anima, & assumit ad se Verbum Dei, pro capacitatis & fidei suæ mensurâ, libens enim trahitur, & gratissimè ad eruditas animas venit, & trahi se ab illis indulgenter accipit, benigneque concedit. Cùm autem traxerint ad se animæ Verbum Dei, & sensibus suis inseruerint, & dulcedinis eius, atque odoris senserint suauitatem, plenæ vigoris atque alacritatis, currunt post ipsum, non lento gradu, nec tardis passibus, sed rapido cursu, & totâ properatione festinant, quemadmodum & ille qui dicebat, sic curro vt comprehendam.* Trahimus, inquam oratione dilectionis feruore accensâ, Deum, & in vota nostra demittimus, à quo & trahimur, & magis trahimur, quemadmodum præclaro elogio significauit D. Dionys. Nominum Diuinor. cap. 3. vbi orationem velut catenam è cælo demissam esse ait, per quam qui ascendunt, etsi catenam ad seipsos trahere videantur, veriùs tamen ipsi in cælum trahuntur. Quando enim precatiunculas nostras ad Deum dirigimus, nihilo fit ipse propior, aptior, atque ad nos audiendos paratior, cùm propè sit semper, & in nobis sit: sed nos potiùs capiendis illius beneficijs præparamur & quodammodo ad illum trahimur, Deiformesque efficimur: ait porrò, *Ipsa quidem Dei bonitas, adest omnibus, non autem illi adsunt omnia. Vbi verò ipsum castissimis precibus, animoque purgato inuocamus, nos quoque illi adsumus. Itaque nos ipsos ad celsiorem Diuinorum clarissimorumque radiorum contuitum, orationibus inprimis comparamus. Veluti si lucidissimâ catena ex cælesti summitate suspensâ, & huc vsque pertingente, nos semper eam manibus alternis in anteriora porrectis capiamus, trahere quidem ipsam videmur, re autem verâ non illam ipsi deducimus, quippe quam supra, infraque habeamus præsentem, sed ipsi magis ad sublimiores illustrium radiorum fulgores promouemur:* quibus fulgoribus, mẽs serenatur, inflammaturque; & à sæculi perturbationibus perpurgatur.

2. Cor. 6.

Oratio, quid?

Orationis affectus.

Cant. 1.

Anima trahit ad se verbum Dei.

Oratio, catena è cælo demissa.

Quarta ratio peti potest ex D. Basilio de constitut. Monast. cap. 2. idcircò Deum nostras exposcere orationes, vt donum Dei, morbosque suos agnoscat homo, quia enim gratiam & gloriam orando petit, neque ea sine remissione peccatorum idetur, orantem suorum peccatorum reminisci oportet, vt curentur, & omnes sanentur ægritudines, dono Dei, quod tantò pluris faciendum est, & ne amittatur metuendum quantò, petendo & obsecrando impetratur difficiliùs: siquidem, quæ cum labore parta, studiosiùs seruari solent. *Dominus,* inquit D. Basil. *quæ tibi expediant, meliùs ipse intelligit, quàm tu, & eâ re fortasse differt quæ daturus est, vt hoc modo magis te ad assiduitatem vocet, & vt intelligas quod sit donum Dei, vt datum diligenter custodias. Siquidem nititur vnusquisque, quod magno labore inuenit, id maiore quadam diligentiâ custodire, ne eo amisso, labores etiam vnà cum eo, suos multos amittat.* Atque ita ad humiliationem prodest oratio, submittat enim sese oportet quisquis petit, illi, à quo petit.

9. Orat homo vt morbos suos, & Dei donum agnoscat.

Quinta rursus est D. Chrysostomi homil. 19. in Matth. vt nimirum Deus per orationem nos sibi reddat familiares: *Etsi,* inquit, *sciat Pater vester, quid nobis opus sit, cuius tandem rei gratiâ nos oportet orare? vt scilicet Deum non doceas, sed inflectas: vt familiaris efficiaris interpellationis frequentiâ, vt humilieris orando, vtque peccatorum tuorum sæpè recorderis:* in quibus verbis aliquot ex dictis caussis comprehendit: quomodo D. August. quoque in lib. de serm. Domini, alias insuper addens, quum inquit: *Rursum quæri potest, siue rebus, siue verbis orandum sit, quid opus sit ipsâ oratione, si Deus iam nouit quid nobis necessarium sit? nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat, & purgat, capaciusque efficit, ad excipienda diuina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur: non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare suam lucem, sed nos non semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia: fit ergo in oratione conuersio cordis ad Deum, & purgatio interioris oculi, cum ea quæ cupiebantur temporaliter excludantur, vt acies cordis simplicis, ferre possit simplicem lucem, & in eâ manere cum gaudio quo beata vita perficitur.* Est quippe oratio colloquiũ quoddam & conuersatio cum Deo, vt inquit D. Greg. Nyssen. in exhortatione ad orationem, ex quâ conuersatione familiari, intellectus hominis illustratur, inflammatur affectus: quę duo homini sunt perquam necessaria vt beatus sit; propterea Dauid psal. 33. ad accessum Dei per orationem nos euocat, quum ait, *Accedite ad eum & illuminamini:* quia *sicut Sol lucem præbet corpori,* inquit D. Chrysost. lib. 1. de orando Deum, *sic animæ lumen est precatio. Proinde, si cæco damnosum est non intueri lumen & Solem, quantò grauiùs est homini Christiano si non assiduè deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat?* velut itaque ad visionem exterioris luminis diffusio requiritur, quis enim facilè in tenebris videat? ita, vt ratio quæ recta sunt discernat, oportet vt super intellectuales oculos, splendor Solis illius effulgeat, qui illuminat omnem hominem, quod orando & conuersando cum eo fit, quia ille est qui docet omnem hominem scientiam Psal. 93. In cuius rei argumentum narrat Cassian. lib. 5 de institutis Patrũ, Abbatem Theodorum, iugi septem dierum, totidemque noctium oratione, cuiusdã propositionis explanationẽ obtinuisse: ita nempe per orationẽ lux sapientiæ intellectui infunditur, accenditur adfectus, id quod testatum satis dicentibus

Oratio nos facit familiares Deo.

Psal. 33.

Psal. 93.

filis

obrem valde torquentur & sæuiunt parentes, ob contumeliam illatam filijs, magisque interdum, quàm si ipsis inferretur. l. isti quidem. quod metus. cau: in P. & vt ait Apollonius Rhodius apud Petr. Gregor. lib. 11. Syntag. iur. cap. 5. n. 11.

Parentes acerbi sunt in filiorum iniurijs.

Valde acerbi suos propter liberos parentes. Lib. 4. Argonaut.

Hocque cum brutis etiam commune, & vt Papinian. lib. 10. Thebaidos.

——— sic aspera tygris
Fœtibus abreptis Scythico deserta sub antro
Accubat, & tepidi lambit vestigia lecti.

7. Nec est quod Magistratus diuidat Bodinus, vnum qui executioni paternæ adsistat tantùm, alterum qui de re cognoscat, & iudicet, cùm nonnisi admissâ in parentes iniuriâ filij extremo exemplo plecterentur, sicut aduertit Caietanus, & Abulensis, quæst. 19. in cap. 21. Exodi. Crudum enim nimis, ob quamcunque contumaciã, patres filijs vitam eripere.

Patriam potestatẽ quæ sequantur incommoda.

Sed, prô Deum immortalem! assertâ isthac potestate patriâ, nonne consectarium est, vnicum mundi vinculum quo tenentur omnia, in homine dissolui? reciprocos, nimirum, patrum & filiorum amoris adfectus, quos pectoribus nostris natura insculpsit, expungi, eradi, eliminari, & in istorum vicem, nobis formatis concrescere, in parentes μῖσος ἀγρικὸν, siue agreste odium, filijs ad seruitiorum naturam, quasi agnato timore proiectis? Verum namque illud Antisthenis Philosophi, ὅστις δ' ἑτέρους δέδοικε δοῦλος ὢν λέληθεν ἑαυτόν. *Quisquis alios metuit, seruus est licet nesciat.* Timor autem parens est odij, quod affatim per Ciceronem pro Syllâ confirmatum est, quum infit; *Hoc natura est insitum, vt quem timueris, quicum de vitâ, fortunisque contenderis, cuius ex insidijs euaseris, hunc semper oderis.* Vnde natum illud Ouidij:

Timor, odij parens.

Si sapis, ô custos, odium (mihi crede) mereri
Desine: quem metuit, quisque perire cupit.

Et Arist. in Rhetor. οὐδεὶς, ὃν φοβεῖται, φιλεῖ, *nemo, quem metuit, diligit.* Macrobius quoque lib. 7. Saturnal. cap. 11. *Non potest amor cum timore misceri:* vt propterea de filijs eiusmodi dixerim, quod prouerbio de seruis iactatur, totidem nobis hostes esse quot seruos, aio, quot filios. *Non habemus illos hostes, sed facimus,* inquit Macrob. *cùm in illos superbissimi, contumeliosissimi, crudelissimi sumus,* &c. Domi enim animos induimus tyrãnorum, & non quantum decet, sed quantum libet, exercere volumus in seruos, &c.

Tyrannus quis domi.

At qui iam liberos in officio contineas, qui intelligant se duram seruire seruitutem? qui suspectam semper habeant parentum consuetudinem? & qui continuò extrema sibi imminere formident? *Omnia mala plus terrere solent eos, qui ipsa futura expectant, quàm vbi iam acciderint, molestare,* inquit Diogenes Cynicus, apud Nanum in Polyanthea. Et sanè inter suspecta, malè viuitur; atque quod timor. diuturni officij magister esse non queat, vt habet Tullius Philippica 2. Filij vt ab officio recedant, parentes non colant, necesse est. Quî nunc illi parentes senio grauatos alant? quî consilia illorum expetant? quî monita benignè habeant, si odium parentum cum ij s lacte desuxerint? Immò verò, quoniam *est imperiosa* timor, vix inuenias, qui non propterea verenda patrum prodant, & subsannent:

Timor magister diuturni officij esse non potest.

8. Adhæc. si ius vitæ necisque Patribus in liberos foret. illâ potestate freti, in minas & aspera ruerent faciliùs: & quos blandè educare in disciplinâ & correctione Domini debeant, prouitarent acerbiùs, ad iracundiam prouocarent, atque terrore concussos. in pusillanimitatem degenerare compellerent, contra consilium Apostoli ad Ephes. 6. & ad Coloss. 3. *Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Vbi molestiâ non esse afficiendos filios docet, sicut explicat Theodoret. sed in pietate educãdos. etenim, vt inquit Ouidius. *Vires subtrahit ipse timor.* Hinc D. Hieronymus, *Sicut igitur in filijs obsequium, & subiectionis merces est demonstrata, ita parentibus moderatum iubetur imperium, vt non quasi seruis, sed quasi filijs. præesse se nouerint.* Quod etiam egregiè copiosèque disseruit Stephanus Guazzus lib. 3 de ciuili conuersatione, vbi cùm dixisset, cognitionem Dei, iustitiam, veritatem, & bonos mores infundendos tenellis filiorum animis, edocendosque ita viuere, ac si quotidie essent morituri, subdit, *Procuri di tenerlo in freno, piu tosto con l'amore, che col timore, & gli auezzi ad operar diritta'mente più per propria volunià, che per tema altrui, perche non è honesto che l'huomo libero impari à viuer con seruitù, oltre che la tema non è sicura guardia della virtù:* id quod grauiter pronunciauit Cicero lib. 2. officiorum, *Malus custos diuturnitatis metus: contraque beneuolentia fidelis, vel ad perpetuitatem.*

Potestas patria, nimis acerba filijs.

Ephes. 6. & Coloss. 3.

Parentum imperium moderatũ.

9. Quodque caput est: filij summum illud imperium reueriti, facilè à patribus adducentur, vt aduersus Rempublicam, Principem, aut Religionem sæua moliatur: neque periculum auertet l. ille à quo. §. vlt. ff. ad Trebellianum, per quam in huiusmodi caussa, filius à patriâ potestate eximitur; aut enim filio incumbit, arcanam patris in maleficium inductionem probare, vt à patriâ potestate absoluatur, quod sanè difficulter admodùm faciet, & ni fecerit, quî cauebit? quî euadet? quî tutus erit? quid non formidabit ab irritatâ tam sæuè. patris summâ potentiâ? Aut si, sese ad perduellionis facinus à patre sollicitatum fuisse, sit denuntiasse satis, quò lex illum paterno subducat imperio: quid istud est, nisi armare contra parentes filiorum manus? Aut enim falsò deferent, aut impio facinore parentum fata præuertent, quò grauissimum istiusmodi paternæ potestatis iugum à ceruicibus suis excutiant.

Patria potestatis timore perduelles fient filij, aut parricidæ.

10. Eapropter iure optimo Aristoteles 8 Ethicor. cap. 20. Persarum in liberos imperium, tyrannicum vocat: neque lenius erit iudicium de Moscouitis, quos necis & vitæ potestatem in filios habere, scribit Sigismundus Liber Baro, cõmentar. reru. Moscouit. Non de Romanis, de quibus Dionys. Halicarnass. lib. 2. antiq. Roma. *Romanorum autem legislator, id est, Romulus, omnem vt ita dicam, potestatem dedit patri in filium, idque toto vitæ tempore: siue in carcerem eum mittere, siue flagris cædere, siue vinctum ablegare ad rustica opera, siue necare libeat, etiamsi filius tractet remp. etiamsi magistratus gerat maximos, etiamsi liberalitatis laudem publicè sit emeritus.* Non mitiùs quoque de Gallis iudicabitur, apud quos eam potestatem fuisse contendit Bodinus, & confirmat Bartholomæus Chassaneus ad §. 3. tit. *des enfans de plusieurs licts.* in gl. 1. versu licet. gl. §. 1. &c. in consf. Burg. vbi notat fuisse iudicatum suo tempore in Senatu Parisiensi, filios Gallorum esse in potestate parentum, parùm autem, aut nihil ad rem est, siue Iustinus, siue Accursius, & sequaces in §. ius autem, in verbo, Romanor. de patriâ potest. contrarium senserint. Non enim ex hoc minùs erit tyrannicum hoc imperium. Quare Imperatores Adrianus & Diocletianus, Vlpianus item, vir multâ legum peritiâ instructus, quam Romani homines, id est, qui iure Romano vterentur, vitæ necisque potestatem haberent in filios, execrati sunt,

Persarum in liberos imperium, tyrannicum.

Romanorũ.

Gallorum.

Adrian. Imper & Diocletian. Vlpianus item, patriam potestatem execrantur.

sunt. Cur enim patri filium necare concessum sit, cùm vitam auferre, publicæ sit potestatis, non priuatæ? cùm in morte cuiuslibet damnum sit communitatis? cùm & naturali patris pietati aduersetur? Martianus scribit Adrianum deportatione in insulam affecisse patrem quendam, qui filium necauerat adulterantem cum nouercâ: quòd patria potestas non debeat in atrocitate, sed in pietate consistere.

Patria potestas non in atrocitate, sed pietate consistere debet.

II. Patres duri quidam & scelerati.

Nec est quòd adferatur, paternum amorem tantâ potestate esse potentiorem, vt propterea nihil acerbum, nihil sæuum à parentibus metuendum fiet. Numque vt prætercam illos, qui Religionis caussâ, filiorum vitam prodegerunt, sacras profanasque euolue historias, & plures fuisse comperies, qui immanitate barbarâ, in propria viscera desæuientes, filios suos lacerarunt, deuorarunt, vt illi ipsi, in quibus vitam accepissent liberi, essent scelerata extinctorum conditoria, qui filios vel infando nouercarum amore, vel de affectatis imperij fascibus suspectos, quiúe aut religiosâ superstitione, vel aliquo aliò metu aut cupiditate, patrem exuentes vt tyrannum agerent, confoderunt: nempe, *Tam duri quidam, & tam scelerati patres sunt*, inquit Seneca lib. 6. de beneficijs cap. 4. *vt illos auersari & ejurare, ius, fasque sit.*

Iuuentus frænanda. Indulgentia nimia venenum.

Non inficior interea, iuuenili licentiæ fræna inijcienda, ne prona in vitium, per scelera effundatur, atque excussa patrum reuerentia, refractario spiritu contra feratur, néve nimiâ indulgentiâ, quæ castorum morum est venenum, gnati segnes fiant. Quemadmodum enim vestes quibus rarò vtimur, ferè à tineis eroduntur, ita pueri qui nimis indulgenter habentur, ferè à morbis, interdùmque animi vitijs corrumpuntur. Egregiè itaque Alexander, qui cùm filium inutilem abdicasset, proptereaque reprehensus ab vxore, quòd ex eo esset, cùm in terram exspuisset, & hoc, inquit, ex me est, at non vtile. Stobæus serm. 23. cui simile illud Aristippi, qui inclamante quodam, quòd sic filium abijceret, negligeretque, quasi ex ipso natus non esset: an non, inquit, & pituitam, & pediculos à nobis natos, veluti inutiles procul à nobis abijcimus? sensit enim eos non habendos pro filijs, qui nihil haberent alioqui, quo se parentum affectui commendarent, nisi quod ab ipsis progeniti sunt. Laërtius lib. 2. Eiusmodi namque filiorum ingenia videas, vt tantò illos genuisse luctuosum sit, quantò morigeros habuisse, delectabile.

Alexander ejectum à se filium, vt sputum habuit.

Aristippus vt vermiculos ex se natos.

Augustus Cælibatum optat.

Augustus Cæsar apud Suetonium, cùm Iuliam filiam, ac neptem relegasset, deinde Agrippam priùs adoptatum post sordidum ac ferox ingenium abdicasset, ad omnem horum mentionem exclamare solebat versu Homerico,

αἴθ᾽ ὄφελον ἄγαμός τ᾽ ἔμεναι, ἄγονός τ᾽ ἀπολέσθαι!
O vtinam cælebs vixissem, orbusque perissem!

Iulia filia & neptis, cum Agrippa ab Augusto ejecti.

Nec aliter illos appellabat, quàm tres vomicas, seu tria carcinomata sua, cauitque testamento, ne, si quid accidisset Iuliæ filiæ & nepti, sepulcro suo inferrentur: qua de re, leges quoque ad coërcendam filiorum licentiam, sanctæ sunt. Hinc emancipati liberi, in potestatem patris reuocantur per ingratitudinem, si contumaces in patres, vel atroci iniuriâ, vel acerbitate conuitij affecerint. l. 1. de ingrat. lib. C. idque præter leges Romanas, confirmat D. Chrysostomus homil. 1. in psal. 115. dicens, reduci per ingratitudinem filios in potestatem parentum, sicut & liberos in seruitutem: quia non emancipantur ideò, vt beneficia patris contumelijs ab eo disjungant. *Nec sanè debita filiorum votis patrum vota*

Filij emancipati per ingratitudinem, ius emancipationis perdunt.

cessabant, vt parenti copiâ liberos suos eruant potestate, magis proprius obsequijs mancipatos: cùm intelligant isti obsequij plus debere, à quibus meminerint se à sacris vinculis exutos, inquit Constantinus Cæsar l. 1. de offic. præt. lib. 1. C. tit. 43. Et vt prætercam lege diuinâ Deuter. 21. decretos lapides ad conterendam filiorum contumaciam: Ephori legem testamentariam condiderunt, quâ Patribus liberum fuit, hæreditatem suam cui vellent addicere. Hunc morem Romanis quoque fuisse ferunt, ne filiusfamilias defuncti parentis voluntatem, actione, sed postulatione tantùm in cõtrouersiam adduceret, néve patrem, nisi honoris caussâ, appellaret: Atque ita ferocientes iuuenum animos, temperari posse putarũt. Quod hic ago, est, nõ excarnificandos liberos, qui reprehensionibus, monitionibus, adhortamentisque & verecundiâ, doceri & emendari maueliat, quàm tragicè lacerari.

Lapides cõtumaci filio decreti.

Filios ab hæreditate excludere, quando licuit.

Capitis 27. §. 8.

Digressio ad filios, vt in parentes humani sient.

Execranda porrò filiorum impietas, qui quãuis sint πατρὸς ἐξ ἀγαθοῦ γένος, suauitatis obliti, in omnem distorti nequitiam, eos à quibus argumentum vitæ sumpserunt, seueriùs habent. Primam naturæ legem esse, diligere parentes, scripsit Valerius Max. lib. 5. cap. 4: camque illius vim esse habemus ex Demosthene con. Aristogitonem, vt contra eam esse dicat, eos diligere, qui parentes etiam iustè necarint, *Si legem naturæ tuetur*, inquit, *quæ vna & hominibus & feris ex æquo est sancita, vt parentes diligant, malè vult ijs* (Aristogiton) *qui illos peremerant.* Per hanc legem filius patri ac matri reuerentiam debet. l. congruentiùs, & l filia tua. 5. de patr. potest. C. & alimenta. l. si quis à liberis, de liber. agnosc. Hæcque præcepto diuino roboratur, quo iubentur filij, honorare, venerari, audiréve in omnibus parentes. Exod. 2. Matth. 12. Mar. 3. & D. Paul. ad Ephes. 6. ad Coloss. 3. can. si dominus. 11. quæst. 3. *Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim beneplacitum est in Domino.* Deuter autem 5. *Maledictus qui non honorat patrem & matrem suam.* Iure quoque ciuili, personâ parentis filio semper honesta & sancta videri debet. l. liberto & filio, de obseq. à lib. & lib. par. & patr. præstan. in P. sanctum autem est id quod inuiolabile est. l. sanctum, de rer. diuil. in P. Sic Pamphilus apud Terentium in Hecyra, act. 3. scen. 4.

I. Filij inhumani.

Lex prima naturæ, parentum dilectio.

Ephes. 6. Coloss. 3. Deuter. 5.

Patris persona, filio semper honesta, & sancta.

Nam me parenti potiùs quàm amori obsequi Oportet.

Et apud Æschylum in Prometheo ligato, cùm Vulcanus ægre admodum adduci posset vt Prometheum ligaret, iussus tandem à Ioue patre id facere, ait,

Ἀκηδιάζειν γὰρ πατρὸς λόγους βαρύ.
Negligenter agere sermones patris graue est.

2.

Pulchrè Epictetus Enchiridij, cap. 3. *Pater appellatur, curandus est, cedendum ei in omnibus, ferendus cùm aut obiurgat, aut verberat. Sed malus pater est: at natura, te non bono patri, sed patri conciliauit.* Quapropter grauissimum scelus est parentes contemnere, exasperare, vel acceptorum beneficiorum vicem non reddere: quod quidem Dominus ipse vindicare solet, vti & beneficis contrà, præmia largiri. quod sanè non prætermissum est à Platone. lib. 11. de legibus, vbi ait, *Oedipus contemptus à filijs, ea illis imprecatus est, quæ exaudita effectaque à Deo, apud omnes feruntur. Amintora quoque Phœnici filio iratum illi maledixisse ferunt, & Hippolyto Thesea, plurimisque alios alijs, quibus apertissimum factum est à Deo preces parentum aduersus filios exaudiri. Nihil enim impreca-*

Parentes exasperare grauissimum.

Parentum imprecationes perniciosissimæ.

precatione parentis, non iniuriâ perniciosissimi filio. Caueant igitur illam filij & extimescant, ne contumaciâ suâ, aut proteruiâ, à parentibus iustè cõmotis, extorqueant; & patres ipsi videant vt ista pignora sua carissima, moderati sint: prosequitur Plato. *Nemo enim cùm Pater, aut mater contemnitur, tunc solùm à Deo putet orationes exaudiri, sed cùm etiam honorantur; ac ideò cùm latiores bona liberis à Deo petunt, exaudire similiter eum existimare debemus. Atque nobis aqua inde distribui: nam aliter in bonis distribuendis, aequi non essent. Quod longè abesse à Deo necesse est.* Vt ergo benedictionis paternæ effectus à Deo expectandus est, quemadmodum Genes. 27. in benedictione Iacob ab Isaac, & Gen. 49. in benedictione Ioseph, & filiorum eius à Iacob, videre est: ita quoque maledictionis paternæ fructus sunt à vindice Deo, veluti in Cham, siue in Chanaan eius filio Gen 9. cognosci potest, ratum autem est, quod Ecclesiastici 3. habetur, *Benedictio Patris, firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vnum proferam quo muneris sui ergà progenitores suos admoneantur filij, ex horrore iudicij diuini.

Parẽtes pro liberis orãtes exaudit Deus.

Thomas Brabantinus lib. 2. apum. cap. 14. scribit totidem verbis, Quidam adolescens in partibus Galliæ sub Philippo rege, peruicacissimæ vitæ, vt illud quod de Ismaële scriptum est Gen 16. manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, in eo videretur ita impletum, vt nec parentes proprios quiescere sustineret, sed ad amarissimum vitæ finem perduceret: post quos & ipse miserabiliter infirmatus, & in agone positus, sumptis Ecclesiasticis sacramentis, subitò inter manus assistentium clamans, horribiliter exiliuit dicens: Surgite omnes, arma accipite, iuuate me contra proprium patrem, quia omnium inimicorum meorum ductor factus est, & me conatur occidere. Et hoc dicens, quasi contra ingredientem multitudinem ad ostium ire conabatur. Nec mora, cadens, euersis terribiliter oculis, clamauit exspirans; Heu me, pater meus modò validissimo lapide frontem meam percutiendo contriuit. Hi autem qui assistebant, neminem quidem videbant, sed quasi turbas se comprimentium & ingredientium audiebant. Vide ergo qui nec patrem propitium habere potuit, quantis diuinæ vindictæ animaduersionibus, dignus sit. Non tamen cum qui apparuit, illius patrem fuisse dixeris, sed spiritum bonum vel malum. Sap. 5. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum contra insensatos.*

Filius proteruus damnatur. *Gen. 16.*

Eccl. 3.

Sap. 5.

Sanctiam porrò filiorum in parentes pietati remunerationem, præterquam quod in iure diuino exaratum legimus, indicauit Græcus senarius,

ἰκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Viues diu, si vergentes in senium parentes enutrieris.

Pietas filiorum in parentes remunerata.

Et apud Homerum, quidam Iliade 4. quòd hoc antiquissimorum debitorum, & à naturâ manantium, non persoluisset, longæuus non fuisse traditur, ——— οὐδὲ τοκεῦσι

θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν ἔπλετ'. *neque parentibus*

Gratiam charis retulit, breuis verò ei ætas fuit.

Ingratitudo filiorum punita.

Quod metricè sic redditum lego apud Pierium Valerianum,

Et quoniam charis nunquam genitoribus æquum
Reddidit officium, immaturâ est morte peremptus.

Neque verò in filiorum ingratitudinem minus sæuitum, quàm in contumaciam, quando vel Sibylla Erithræa, lib. 2. oraculi, damnandos æquè tradat, ignis supplicio, & iura liberalitatem

3.

paternam libertatis, & donationes factas bonorum, reuocant, donantibus tamen volentibus, & conquerentibus: permittuntque liberos exhæredare: libertas quoque per ingratitudinem in seruitutem reuocatur l. 2. de liber. & eorum liber. formula autem reuocationis ex instituto Atheniarum memoranda fuit, per quam libertate, Libertus de ingratitudine conuictus exuebatur. *Supersedeo, inquit, te habere ciuem, tanti muneris impium æstimatorem. Nec adduci possum vt credam vrbi vtilem, quem domi scelestum cerno. Abi igitur, & esto seruus, quoniam liber esse nescisti.* Et certè haud beneficium esset præstiturus prudens, quidlibet, in quem conferret, non bene vsurum cognosceret. Nanque vt Seneca inquit lib. 4. de beneficijs cap. 27. *Quomodo maxi fiat coniugij, qui illam cõtumeliojo & sæpè repudiato collocabit: quomodo malus pater familias habebitur, qui negotiorum gestorum damnato patrimonij sui curam mandauerit: quomodo dementissimè testabitur, qui tutorem filio reliquerit pupillorum spoliatorem: sic pessimè beneficia dare dicetur, quicunque ingratos eligit, in quos peritura conferat.* Et leges generaliter ingratitudinis actionem concedunt in eos, qui benemeritis non retulerint gratiam vt ait Lucianus in abdicatô. Apud Græcos, si quis parentes nõ obseruet, ciuitas in iudicium eũ impellit, ac reprobat, magistratibusque omnibus indignum existimat, tanquam ab illo non possint, neque sacrificia piè sacrificari, neque aliud quidpiam, nec rectè agi, testis Xenophon lib. 2. de gest. & dict. Socrat. Bulgarorum rex, anno Dominicæ incarnat. 868. vt narrat Martin. Polon. lib. 4. Chronicõr. cùm ea gens à Gentilium superstitione ad Christi sacra transisset, tantâ perfectione post acceptam baptismi gratiam viuere cœpit, vt abdicato imperio, eoque filio suo natu maiori tradito, Monachus effectus sit. Sed cùm filius rex constitutus, prædas ageret, ebrietatibus, comessationibus & libidinibus vacaret quodque deterrimum est ad gentilitatis ritus populum recenter baptizatum, magno studio reuocaret: pater in Monachatu ista audiens, ardenti Christianæ religionis zelo commotus, dimisso religionis habitu, resumptoque imperio, adscitis secum qui Deum timerent, filium regno exuit: atque effossis oculis in carcerem misit; minorique natu filio rege constituto, cum paris periculi intermminatione. si à patriâ intentione deficeret, habitum sacrum resumpsit. Indignus, nempe, imperio, indignus hominum conuersatione & consortio, indignus qui cælum videret, iudicatus est, qui tanta perfidiâ, pij patris canos funestaret.

Ingratitudo Libertum in seruitutem reuocat.

Beneficia ingratis collata, pereũt.

Parentum contemptor magistratu indignus.

Bulgarorum rex filium regno & oculis exuit.

Quare rectè Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 7. *Honorantes patrem cælestem, etiam corporis nostri parentes honoremus. Nam Christianorum est placida prima pietas, honorare parentes, & labores educationis rependere, atque omni studio quæcunque ad eorum quietem pertinent, curare.* Debent autem, præter reuerentiam, patribus & matribus alimenta filij: & contrà l. si quis à liberis. de liber. agnosc. l. nec filium de patr. potest. & in pari causâ potiùs consulendum Matri quàm Patri scribit Phalaris, Pauriolæ fil. epist. 19. propter maiora ab ea accepta beneficia, quia nos tulerit, pepererit, educauerit, & alios infinitos labores pro nobis subierit. Nam & bruta progenitoribus suis subueniunt, hos mures glíresque senectâ fessos alunt insigni pietate, Plin. lib. 8. cap. 57. Merops genitores suos reconditos pascit. Plinius lib. 10. cap. 33. Ciconiæ, genitricum senectam inuicem educant. Plinius libro 10. cap. 23. Ferunt namque eas parentibus iam senio confectis, aut aliter alimenta conquirere non valentibus, ne-

4.

Filij parentibus honorem, & alimenta debent.

Mater præferenda.

Bruta parẽtibus subueniunt. Mures. & glires. Merops.

cessariæ

cessaria suggerere: nec pati patrem, matrémve, huc illucque cibi causâ errare, sed dare operam vt in cubili maneant, & labore eorum quos genuerint, educauerintque, pascantur, ob quod Romano vsu, piæ vocentur, ita Pier. Valerian Hieroglyphicor. lib. 17. cap. 1. ipso rerum conditore maximo insignibus indicijs, in brutis ipsis animantibus præmonstrante, quid à benè institutis filijs, parentibus debeatur: nam, vt Cicero, inquit, cùm pietas sit virtutum fundamentum, patrem filius vt Deum vereri debet, & colere: neque enim multò secus parens liberis est. Et ne hominum aut naturæ leges curiosiùs vestigemus: primum omnium humanarum rerum decretum, post tria de Diuino cultu edita, de parentum veneratione ab æternâ lege manauit: Et quia ex naturæ instituto est, Solon censeri eum ignobilem atque obscurum statuit, qui parentes non enutrisset, æquum namque est, mutuas operas reddere parentibus: quare interpretes qui ius naturæ secuti sunt, cauerunt, vt liberi parentes alant, aut vinciantur Cæl. Rodig. lib. 11. cap. 17. & Alex. ab Alexand. lib. 4. cap. 8.

Filius Patrē vt Deum vereri debet, & colere.

5. Impius in parentes filius bufonis incursu punitur.

Quo in genere impietatem, non inultam aliquando tulit Deus. Narrat Cantipratensis, lib. 2. apum, cap. 7. In Normanniæ partibus virum quendam fuisse admodum diuitem, sed minimè nobilem, cui vnicus erat filius dilectus, quem cùm nobilis quidam, filiæ suæ in coniugium expetisset, impetrauit vt ille, quamuis cunctabundus & pauidus, cunctis bonis cederet, fore autem, vt illi, matrique, quamdiu aduixerint, abundantissimè filius prouideret. Quid. actum est? lautiusculè quidem filius & nurus, homunculos anno primo habuere, altero, minùs copiosè, tertio inuerecúdiùs quàm decebat: Quarto autem, ex ædium opposito, domuncula nuru suggerente exstruitur, vt senum indecentia minus esset onerosa iuuenibus, vbi illis secretiùs insufficienter necessaria ministrarent; Pertulit ibi senex cum paupercula ac decrepitâ vxore egestatem, vixque in ædes filij introspicere audebat, eâ per clientulum procurante, quibus carere non poterat. Contigit autem vt visum à se anserem infixum veru, in domo filij, torreri, renuntiaret vxor marito, rogaretque vt is filium adiret quò semel famem expleret copiosè, se verò paucis esuriem mitigare. Baculum cui innitatur rapit senex, properat ad filium, quem ipse videns ad se venientem, tollit ab igne, assaturam, & abscondit: atque patri obuius, quid rei sit, inquirit. Re dissimulatâ senex domum regreditur. Interim assaturam ad focum referri iubet filius, sed ecce, dum iussa exequitur puella, atrum bufonem anseris pectori infixum exclamat, concurritur, excutere herus conatur, sed in eius faciem bufo inuolat, & firmiter hæret, nequidquam alijs excutere conantibus: dixisses autem hominis præcordia tangi vel ad minimum monstri illius contactum, ita enim ille sensibiliter angebatur. Multæ eum videre Normanniæ, Galliæque Ciuitates sic affectum, atque palam, ex Diœcesani Episcopi iussu, id sibi accidisse prædicantem, quod in parentes ingratus extitisset, discerent a ij vicem reddere parentibus, & quam nutricationis humanitatem forent experti, effœtæ progenitorum senectæ redderent: nec ante monstrum hoc disparuit, quàm ad pœnitentis lachrymas & Sanctorum quorundam preces, inclinaretur Deus.

6. Pietatis filiarum in parentes exempla.

Celebre contrà fuit apud Valer. Maximum, lib. 5. cap. 4. filiarum pietatis exemplum, quarũ altera matrem crimine capitali damnatam, atque in carcere inediæ addictam, proprio lacte sustentauit: Alia patrem suum consimili fortunâ affectum, parique custodiæ traditum, iam vltimæ senectutis, velut infantem, pectori suo admotum aluit. Quo non penetrat? inquit Valerius, quid non excogitat pietas, quæ in carcere seruãdorũ parentum nouã rationem adinuenit? Excusserit natas diligenter carceris custos, ne quid cibi inferrēt, cauere tamen non potuit, ne genitricem, genitoremque suis vberibus sustentarent: Quã ex re, laudem sibi, suæque vitæ satoribus libertatem, tanquam pietatis insigne, pepererunt. Quid fratres Siculos memorem, qui Ætnâ monte, torrentes ignium in Catanensem agrum euomente, parentes humeris elatos, per medios ignes portarunt, præstiterunt incolumes? horum Silius meminit, piosque appellat.

Et Catane genuisse pios celeberrima, fratres.

Filij parentum obitum expetunt.

Sed enim vetera sunt hæc, neque nostris consona moribus; cùm vix iam sit, qui non efferri patres suos mauelit, quàm superstites, pietatis debito afficere. Verum enim illud,

Filius ante diem, Patris inquirit in annos.

Quid de illis censeam, qui non horrent in eos, quibus honor primâ naturæ lege impendendus est (pro infandum scelus!) parricidales manus inijcere? Persæ negant vnquam filium legitimum occidisse patrem, vt ait Herodotus libro 1. Immane, acerbum, atrox nimis est, & ab humanis auribus alienum, eos adducere in exemplum, qui ferinis armati visceribus, feris ipsis crudeliores, vel parentes ob senium interfecerunt, quorum meminit Alexander Sardus lib. 1. de moribus acritibus Gentium cap. 13. totidem verbis, *Sogdiani interficiunt parentes, more ab Alexandro sublato interficiunt & Treballi fustibus Sardi, tanquam eos qui otiosè degant: In Sardinia enim plectuntur ignaui; & qui in otio viuunt coguntur rationem reddere, vnde alantur.* Quanquam & ipsi pòst à suis necarentur quoque, parricidali consuetudine, pœna talionis scelus vindicante, quemadmodum significauit Euripides in Supplicib. act. 1.

Parricidæ.

Otiosi vnde viuant rationem reddere coacti.

τοῖς τεκοῦσι γὰρ
δύστηνος, ὅστις μὴ ἀντιδοὺς τέκνοις
κάλλιστον ἔρανον δοὺς γὰρ, ἀντιλάζυται
παίδων παρ' αὐτοῦ τοιάδ' ἂν τοκεῦσι δῷ.

Parentibus enim
Infelix, quisquis non mutuam officij reponit gratiam,
Pulcherrimo quippe munere dato vicissim,
A liberis suis, ijsdem remunerabitur, quæ parentibus dederit.

7. Filij quales fuerint in suos parentes, tales in se filios suos experientur. Vipera, & Leæna in partu rumpuntur.

Ideoque Thales apud Laërt. lib. 1. filios subinde admonebat, vt parentibus benè facerent, his verbis, Quale præmium rependeris parentibus tuis, tale à liberis expectato. Hoc autem, & in feris obseruatum videmus: lacerat enim parentem vipera, lacerat & leæna, quæ tandem à fœtibus quoque suis lacerantur, id quod tradidit D. Basilius homil. 9. in Hexamer. quum ait, *Animalia quæ alijs exitium ferunt, minùs sunt fœcunda: quapropter leonis vix leæna mater euadit. Edi namque partum, vnguium acie, lacerato in exitu, vtero, vulgo ferunt. Viperas etiam vtero matris eroso, fama est in lucem exire: decentes scilicet mercedes, præmiumque parenti reddentes.* Quo fit, vt crudelitas crudelitate, scelus, scelere, vindicetur. Nisi quod interdum, cõtumaces & proterui in parentes suos liberi, à dæmonio arrepti, misera carnificinâ torqueantur, quemadmodum de Carolo Crasso Ludouici Regis filio apud Sigebertũ in Chro. anno 873. & de Nicone adolescente apud Simeonem Metaphrastem in vitâ Sancti Parthenij legimus, deque alijs alibi, quos hostis ille ob parentum contemptum cru-

Carolus Crassus, & Nicon, parentib. iniurij à dæmone arrepti.

deliter habuit, aut horrendâ morte peremit.

Tetrum nimis est, vel eos etiam referre, qui parentes verberarunt, aduersus quos Solon nullas leges constituit, quòd nullos tales exstituros existimaret, teste Maximo serm. 25. quive, (quod deterrimum est) sæuo facinore, familias suas funestarunt: qualis ille Publicius Maleolus Ciuis Romanus, qui seruorum præsidio matrem necauit: qualis Nero, qui Octauiam, Orestes qui Clytemnestram, Ninia Nini Regis Babyloniæ filius & Regni hæres, qui Semiramidem, Alcmeon Atheniensis, qui eiusdem consors sceleris, genitricem suam, parricidio detestando confodit: aliique consimiles, in quos legibus & iudicijs, extremo exemplo animaduersum est. Sit istud hac in re satis, eos violatæ naturæ reos censeri, indignosque esse qui geniti sint; non secus ac patres ipsi, qui paterni nominis obliti, tanquam si lusorium seu inane foret, pietatis humanæ iura proculcantes, in suam genituram, velut tigrides, desæuiunt. Hoc ebrius furore Herodes Ascalonita, Alexandrum & Aristobulum filios suos, indolis præstantissimæ adolescentes, falsis adductus suspicionibus, laqueo suffocauit, Orosius lib. 7. cap. 3. Sigismundus Rex, Sygiricum filium nouercæ criminationibus, affectati regni suspectum, iniecto loro dormienti, atque illud ad se inuicem duobus pueris trahentibus, extinxit, Gregorius Turonensis, de gestis Francorum lib. 3. cap. 5. Sed ab hac oratione, ad aliam me orationem conuerto, sumpto inde argumento, quòd Dominus, in precatiunculis nostris, se patrem inuocari velit, succinctam tradens hanc precandi formulam, *Pater noster qui es in cælis*, atque inprimis de oratione, nostra instituetur oratio.

Matricidæ.

Herodes Ascalonita filios occidit.

Sigismundus rex filium suum, nexu præfocauit.

CAPVT XXVIII.

De Oratione Dominicâ.

Cur Dominus velit nos orare?

1\. RECTÈ admodum Diuus Gregorius in præfat. cap. 1. libri Iob. vbi aliqua ædificandi populum occasio sese obtulerit, debere Doctorem illi rei aliquid impendere, & ab orationis institutæ stylo deflectere: &, vt inquit Diuus Ambrosius serm. 16. in psal. 118. ad illa verba, *Oculi mei defecerunt in salutare tuum*: excusans se, quòd fuerit paulò prolixior, velut nauigantes & itinerantes, vbi aliquem locum amœnum & speciosum viderint, delectationis capiundæ gratiâ, nonnihil in eo demorantur, pascuntque oculos, & animum leuant, nec moram vllam itineri suo iniecisse putant, diutiusculè immorando, sed lucrum fecisse: ita in occurrente nouo dicendi campo insistendum tantisper, & aliquid dandum animo, vtilitati audientium & instructioni, ne quod ille, apud Aul. Gellium Noct. Atticar. lib. 17. cap. 3. carpenti librum Homeri, in quo versus aliquis deesset, Non, inquit, in eo libro versus, sed vobis planè magister defuit; itidem à plerisque respondeatur, nihil quidem in libris sacris, ad instructionem deesse, sed doctorem qui enucleet; piperis granum, vim nullam exercere, nisi teratur: libros scriptos, vt inquit Gellius lib. 14. Noct. cap. 2. esse mutos magistros, in viuæ vocis penuriâ. Eapropter modò ad describendam orationem conuertimur, vbi aliquid de oratione, quæ est sermocinatio, tetigerimus.

Doctoris munus salutaria ex occasione inserere.

Scriptura, sicut piper, terenda.

Libri scripti, magistri muti.

2\. Oratio itaque, siue loquendi facultas, mortalium generi, modò concessa est, hac secernimur à brutis: *Nam reliquis natura nostræ dotibus, nihil cæteris animantibus antecellimus: sed ab illis longè, tum celeritatem, tum robore, tum alijs facultatibus superamur*, inquit Isocrates ad Nicoclem. Est autem oratio, maximè verò illa, quæ non in ore, sed in pectore nascitur imago mentis, & animi cuiusque, vt placuit Dionysio Halicarnassæo in præfat. historiæ, & Isocrati oratione 2. de permutatione. Aristoteles quoque περὶ ἑρμηνείας, ait, ἔςι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ, τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ, *sunt igitur voces, eorum quæ in animâ sunt symbola, & scripta, eorum quæ in voce*: vnde homo, animal λογικὸν Græcis, quod rationale & loquens dicitur: vt propterea Diuus Basilius epist. 176. *Indicium quod viuamus, orationem esse vnum*, pronuntiarit: & in homil. ad illa verba, *Moises attende tibi*, ait, sermonem siue locutionem, Deum, hominibus largitum, propter conseruationem communionis societatis humanæ, & ad communicationem secretorum mentis, quæ alius, nisi eo modo, cognoscere queat. Neque verò quis aliud quidquam voluisse præsumitur, quàm dixerit, nec dixisse, quàm quod priùs mente agitarit. l. *in ambiguis de reb. dub.* in P. l. *Labeo, de suppell. legat. Hæc enim est*, inquit Isocrates ad Nicoclem, *quæ de rebus iustis & iniustis, de turpibus & honestis leges tulit, quæ nisi constitutæ & distinctæ fuissent, nulla existere potuisset hominum consociatio. Hac & improbos arguimus, & viros præstantes ornamus. Per hanc & stolidos erudimus, & prudentes exploramus. Nam ita dicere vt decet, rectè sentiendi maximum signum esse credimus: atque oratio vera, legitima, & æqua, honesti ac fidelis animi simulacrum est.* Vbi consignatissimè dixit, orationem, veram, legitimam, & æquam: alioquin enim, lingua prodiga, infrenisque, semper fluens, & æstuans colluuione verborum teterrimâ, loquentiæ satis, sapientiæ parum & pectoris ostendit; neque semper mentem patefacit, vt docet Diuus Augustinus lib. de Magistro, cap. 13. quòd qui loquelas audit, quid in animo dicentis sit, cernere nequeat.

Loquelâ secernimur à brutis.

Oratio est imago mentis.

Voces sunt symbola eorum quæ sunt in anima.

Oratio vitæ indicium.

Lingua garrula fallax.

Docendi itaque, commemorandique gratiâ, nos loqui inuentum est, inquit idem Doctor sanctus ibidem, cap. 7. *Deo autem quem doceri aut commoneri existimare non possumus, id verba valeant, vt vel nos ipsos commonefaciamus, vel alij commoneantur, doceanturve per nos.* Oratione, animi nostri affectus prodimus, sensibilia intelligenti. Deo verò, mentis nostræ eleuatione, dum illum consulimus, dum obsecramus, dum petimus, dum gratias agimus, neque enim vocis, sed cordis præcipuè auditor est Deus. Quapropter, Oratio, apud D. Damasc. lib. 3. cap. 24. est mentis in Deum eleuatio.

Oratione cur vtamur.

Oratio, quid sit.

3\. Quoniam igitur, ex quo nascimur in arenam producimur, multorum aduersariorum vim inimicam experturi, cui ferendæ vires nobis non suppetunt, multò minùs euincendæ, nisi suppetias implorauerimus, peregrinantibus nobis & laborantibus necessaria est oratio. Et vt D. Bernardus inquit, serm. 4. de altitudine & bassitudine, *Labor iste, fratres, exilij & paupertatis nostræ nos admonet, profectò & iniquitatis. Vt quid enim morte afficimur totâ die, in ieiunijs multis, in vigilijs abundantiùs, in laboribus & ærumnis? numquid ad hæc creati sumus? Absit: nam licet homo natus sit ad laborem, sed minimè ad laborem creatus est: natiuitas est in culpâ, ideò & in pœnâ. Omnes enim nos oportet gemere cum Propheta* (psal. 50.) *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Aliena ab vtrisque prima creatio, quia sicut nec culpam, ita nec pœnam Deus fecit. Quid de eâ quæ maior est omnium, morte videlicet, apertè Scriptura testa-*

Orandi necessitas.

Psal. 50.

Sap. 2. Sap. 1.

(Sap. 2.) *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Et in alio loco* (Sap. 1.) *Deus mortem non fecit. Itaque sicut laborantibus manibus, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu: sic, imò & multò meliùs laborante corpore, mens quoque ipsa suo intenta sit operi, vt non vacet. Caussam laboris cogitet in labore, vt ipsa ei pœna quam patitur, culpam pro qua patitur, repræsentet. Et dum videt vulnerum ligaturam, ipsa sub pannis vulnera meditetur.* Planè enim miseriarum vallis est vita præsens, vt meritò Deum inuocare, & auxilium petere debeamus.

Orationem tanti fecit Diuus Chrysostomus, vt lib. 1. de orando Deum, diceret, *Cùm videro quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei feruidâ vehementique curâ teneri, continuò mihi palam est, eum nihil egregia dotis in animo habere. Rursus vbi conspexero insatiabiliter adhærentem cultui Diuino, idque in summis damnis numerantem, si non continuò orauerit, conijcio talem omnis virtutis firmum esse meditatorem, ac Dei templum. Etenim si vestitus hominis, si incessus pedum, si risus dentium declarat qualis sit: multò magis deprecatio signum est totius iustitiæ, virtutis, & pietatis.*

Oratio virtutis signũ.

Neque mirum videri debet, si tanti illam æstimarit, quandoquidem per eam, ad diuitiarum æternarum possessionem via sternatur, id quod Marulus parabolâ 25. significauit, dicens, Quidam paupertate compulsus mendicare cœpit, & primò ostiatim panem petens abundè sibi alimenta comparabat, deinde diuitum conciliabula circumiens nõ modicam colligebat pecuniam, Igitur eleemosynis tandem diues factus dicere solebat, mendicos priùs oportere fieri, qui diuites euadere cupiunt. Hæc enim parabola, orare nos admonet, & quasi mendicos, in omni loco, omnique die, sublatis in cælum manibus deprecari, si pane illo vesci volumus, quem gustando nunquam esuriemus, si opibus illius ditari, quas nec fur surripere, nec tinea corrumpere potest. Petite, inquit, & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quid ergo cunctamur? ipse iubet poscere, qui solus potest dare, & nisi paratus esset tribuere, postulare non præcepisset.

Mendicus fis prius quã diues fias.

Matt. 7.

4. Quare degeneris omninò sit animi, & nisi cadaueritio rerum temporalium cibatu sese oblectantis: & ab insidiatore capi volentis, qui per orationem non se erigit. Diuus Epiphanius ad Phisiologum scribit, vulpem vbi esuritione tentatur, nec habet quo famem expleat, in aprico loco resupinari, atque continere animam, quam cùm aues ita humi abiectam despiciunt, tanquam ad mortuam, gregatim deuolant, in eaque sessitantes veluti illudunt; sed eas vulpes mortuam simulans, rostro appropinquantes, ore biante atque imminente apprehensas deuorat. Idem tradit apud Conradum Gesnerum Michaël Herus, additque vulpem priusquam ita se resupinet, in argillâ rubrâ volutari inquinarique, vt vulnerata, & sanguine cruenta appareat: quam cùm ita iacentem viderint corui, cornices, aliæque aues præsertim rapaces, gaudent tanquam de hoste mortuo, atque aduolantes comprehenduntur, saltem vna ex eis. Ait quoque Gesnerus, vulpem, cùm sit dolosa, lusum cum lepore quandoque simulare, vt incautum tandem apprehensum deuoret. Symbolum est Dæmonis, qui, vt Persiano hoc vtar Satyra 5.

Oratione erigendus animus in Deum.

Vulpis astus vt famem obsonet.

Dæmon vulpi similis.

Astutam vapido seruant sub pectore vulpem.

Dum incautos homines suis vult irretire fraudibus, propositâ sensibilium escâ, ad quæ consectanda delabantur, ab oratione affectum auertit, innectitque dolis, ne in sublime elati quæ sursum sunt sapiant; quod argumentum, prosequitur Diuus Chrysostomus, lib. de orando Deum, orationem instar manus esse dicens, quam Aristoteles organum organorum appellare consueuit; ad orationem quippe omnes virtutes tendunt, vt ait Cassianus coll. 9. cap. 2. ipsaque omnibus virtutibus, velut manus, instrumentis efforamdi operis, vtitur, siue ad praxim omnes eas redigit. Mira siquidem aduersus aëream potestatem, inimicam pietati, tentationesque eius, & aduersitates, virtus orationis est: hac sanctificantur creaturæ, quibus contraria potestas abuti desiderat. 1. ad Timoth. 4. *Scimus enim omnem creaturam sanctificari per verbum Dei & orationem.* Cedere namque illa cogitur, & quam nulla vis humana frangere vel domare potest, humilis oratio eneruat planè, non placando, sed vincendo. Hæc fidei stabilimen est, à quâ tamen & ipsa mouetur, propterea Dominus eam inculcat, Luc. 22. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, &c.* Hieronymus citatus à D. Tho. in Catenâ. Marci 14. *In tentationem intrare dicitur,* inquit, *qui orare negligit.* Et D. Augustinus sermo. 37. de verbis Domini: *Quid est in tentationem intrare nisi à fide deficere? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit: in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.* Ne nos itaque è fidei petrâ deijciat inimicus, oratione opus est; ad quam quoque fides est necessaria: Namque, vt inquit ibidem D. August. *Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non credit? vnde & Beatus Apostolus, cùm ad orandum exhortaretur, ait* (ad Rom. 10.) *omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, salutis erit: & vt ostenderet fidem esse fontem orationis, nec posse ire riuum, vbi caput aquæ siccatur, adiunxit, atque ait, Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Ergo vt oremus, credamus, & vt ipsa non deficiat fides, quâ oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.* Hæc est animarum nostrarum præsidium, ita Diuus Chrysost. hom. 3. in epist. ad Philemonem. *Est autem magnum quoddam & salutare bonum oratio, animarumque nostrarum firma custodia, tutissimumque præsidium.* Et rursus, *Expugnamus hostes nostros precibus, & supplicationibus. Si enim contra armatos ad eum modum pugnauerunt Veteres, multò magis contra inermes ita pugnandum nobis erit: ita vincebat Ezechias Assyrium, ita Moises Amalechitas, ita Ascalonitas Samuel; ita Israël triginta duos Reges. Si vbi armis opus erat, & exercitu, & pugnâ, relictis armis ad orationem confugerunt: vbi duntaxat orationibus conficienda sunt negotia, quomodo non multò magis orandum est?* Hæc est sitientis animæ potus, ita D. Bernardus serm. 18. in Cant. *Accedat cibo boni operis orationis potus componens in stomacho conscientiæ, quod benè gestum est, & commendans Deo. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem. Humectat interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans, ordinansque charitatem, & impinguans mores.* Neque potus tantùm, sed etiam esurientis animæ cibus, est oratio, ita D. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel, cap. 6. nos ad eum cibum capiendum adhortans, *Hunc cibum menti nostræ deferamus,* inquit, *qui multâ atritus meditatione, cor hominis; sicut illud cæleste manna confirmet.* Hæc est neruus & vita animæ, quâ si teipsum destitueris, perinde feceris ac si piscem ex aquâ extraxeris: vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio. Hæc nos infert cœlo, & sociat Angelis, ita D. Chrysostomus, lib. 2. de orando Deum. *Namque in reliquis multum discriminis est inter conditionem Angelorum & hominum, siue naturam expendas, siue viuendi genus, siue sapientiam. Cæterum orare commune est opus Angelorum pariter & hominum. Deprecatio te separat à brutis animalibus, hæc te sociat Angelis. Quin facilè fiet, vt in illorum Ciuitatem*

Oratio est instar manus.

1. Timoth. 4.

Oratio fidei stabilimen.

Luc. 22.

In tentationem intrare est à fide deficere.

Fides orandi necessaria.

Rom. 10.

Oratione vincuntur hostes.

Oratio potus animæ.

Animæ cibus.

Nos sociat Angelis.

quis

quis facilè transferatur, in illorum vitam & consortium, in illorum honorem, nobilitatem, sapientiam, intelligentiam, qui per omnem vitam precibus vacare studuerit.

Rationes cur nos orare velit Dominus.

5. Orationem solus Deus docet.

IDcircóne nostras exigit orationes Deus? Idcircóne ipse docuit vt se vellet orari, quod Deus solus docere potuit, vt inquit Tertull. lib. de oratione, & ab ipso ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius iam tunc cùm ex ore Diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cælũ, commendans Patri, quæ filius docuit? Tribus ferè de caussis quidpiam ab homine peti solet;

Orandi caussæ tres.

vel quia is à quo petitur ignorat quantis egeat ille qui petit, petitione autem ipsâ instruitur: at hæc ratio non militat in Deo, non enim illum oramus, vt aliquid ei notificemus. dicit namque D. Hieronymus, nos orantes, non esse narratores, sed oratores, aliud est enim narrare ignoranti, aliud petere à sciente, sicut etiam D. Chrysostomus ait, non oras, vt doceas, sed vt flectas. *Nouit enim Pater vester*, ait Dominus, *quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo.* Matth 6. Vel quia is, ad quem dirigitur petitio, non semper amat, vel saltem non ita feruenter supplicem amat, vt suopte adfectu ad benefaciendum inducatur, ideoque ipsâ petitione commouendus excitandusque est: sed neque hoc in Deo esse potest, semper enim ipse nos, etiam vsque in delicias amat. Ioannis 16. *In illa die in nomine meo petetis, & non dico vobis quia ego rogabo Patrem, ipse enim pater amat vos*: neque quomodocunque amat, sed vt rem sibi carissimam, velut pupillam oculi sui, vnde Zachar. 2. ait, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*: in quem locum D. August. lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 30. *Vocat Deus seruos suos pupillam oculi sui propter excellentissimum dilectionis affectum, quo nos prosequitur.* Vel denique, etiamsi is qui rogatur nouerit indigentiam alterius, & cum amet, non tamen illi incumbit subsidium ferre, eiusque miseriam subleuare; ideoque summis votis ab eo contendendum est, vt subueniat: at Dei munus est, opem nobis egentibus ferre, quia pater noster vocari, & esse vult: patris autem officij est, liberis, vt benè sit, prouidere: quare Luc. 11. inquit, *Si ergo vos cùm sitis mali nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se?* Cognoscit ergo Deus egestatem nostram antequam inuocemus eum, vt subueniat, amat vt subuenire velit, cui & subuenire incumbit, vt Patri. Quorsum ergo à nobis rogari vult?

Matth. 6.

Ioan. 16.

Zachar. 2.

Patris officium.

Luc. 11.

6. Orare cur nos velit Deus.

Hanc quæstionem mouet Diuus Basilius libro 2. de constitut. Monast. capite 2. ad quam pluribus respondet; atque inprimis multa nobis à Diuinâ liberalitate tribui, siue temporalia siue spiritualia, quæ nunquam petimus, nec cogitamus: id quod ab experientiâ probat Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Stromatum: Quis enim nostrûm petijt à Deo animam, corpus, & vt Christianus fieret: Quis Solem in dies, Lunam, & sidera, in noctes, hisque similia, postulauit vnquam? Deinde, plura interdum nobis à Numinis bonitate concedi, quàm orauerimus, quemadmodum in Isaiæ 38. caput, probat D. Hieronymus exẽplo Ezechiæ, qui cùm in suâ ægritudine, ex quâ cessurus videbatur è viuis, vitam sibi à Domino prorogari exorasset, non modò impetratæ valetudini, annos vitæ quindecim adiecit Dominus, sed insuper illum de inimicis suis victoriam reportaturum confirmauit, de quâ tamen nihil cogitarat. Quam in sententiam pulchrè D. Ambrosius, super illud, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Pulcherrimum, inquit, *affectandæ conuersionis exemplum, quod tam citò latroni venia relaxatur, & vberior est gratia, quàm precatio, semper enim plus Dominus tribuit, quàm rogatur: ille enim rogabat, vt memor sui esset Dominus, cùm venisset in regnum suum. Dominus autem ait: Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Sensit & Augustini parens Monycha hanc Diuinæ beneficentiæ largitatem, & confessa est, cumulatiùs sibi, suisque lacrymis datum diuinitùs, quàm postularat, quando suum Augustinum, non modò catholicum, quod tantùm petebat, sed etiam seruũ Dei, hoc est, religiosum Monachum vidit extra spem sæculi, de quo nihil minus cogitabat.

Oranti plura confert Deus quam petat.

Luc. 23.

Tertiò denique, multa velle Deum nos petere, non quasi ignorantiâ laboret eorum quæ postulaturi sumus, sed præ amoris sui in nos magnitudine: quam suspiciens D. Chrysostomus lib. 1. de orando Deum, exclamat, *Iam verò quis non obstupescat & admiretur, tantam benignitatem ac beneuolentiam quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum bonorum largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus?* Largitio quippe Diuina est, quòd homo Deum roget, neque enim est par ratio hominis petentis ab homine, & hominis petentis à Deo: nam quod homo petat ab homine, ipsius petentis motio est, quod autem petat à Deo, ipsius Dei motione fit, Dei donum est, & gratia spiritualis. Id quod adnotauit D. Ambros. epist. 84. Deus enim est qui nos facit petere, vt in petitione nostrâ virtutes exerceantur: Nam cùm oratio, siue petitio facta Deo, sit actus supremæ virtutis quæ dicitur religio, dum ea fit, multarum secum virtutum admittit exercitium: velut fidei, quòd is qui petit, credat fieri posse, quod petit. Spei quoque. *Nemo quippe orat, nisi quod credit & sperat*, inquit D. Bernard. homil. 4. super Missus. Charitatis denique, humilitatis, & patientiæ: dum diligitur is, cuius munera expetuntur & sperantur; dum submittitur animus, nudantur defectus, egestas panditur: dum auxiliares expectantur manus.

Oratio est Dei motione.

Oratio est actus religionis.

7. His accedunt complures aliæ rationes propter quas Deus nos orare velit: vnam tradit D. Hieronymus in illud Ieremiæ 29. *Orabitis me & ego non exaudiam vos*: scilicet, vt Deus, quod præstiturum se decreuit, cum merito donet, cuius munere digni effecti sumus, ipsâ bonâ & debitâ petitione: est autem egregium & optabile, cum dignitate obtinere, quod quis quærit & petit: siquidem multa sunt, quæ licet Deus intendat facere, nisi oratus, disposuit concedere, vt inquit Abulen. tomo 3. in Matth. cap. 10. quæst. 10. quò spectat illud D. Bernardi homil. 4. super Missus, *vult autem à se requiri Deus, etiam quod pollicetur. Et ideò fortè multa quæ dare disposuit, priùs pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur. Sic pius Dominus qui omnes homines vult saluos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos præuenit tribuendo, quod retribuat gratis, agit ne gratis tribuat.* Altera est D. Augustini epist. 120. de gratiâ noui testamenti vt nimirum rationalis creatura construatur, non vt instruatur Deus: *Nouit enim Pater vester, ait Dominus, quid vobis necessariũ sit priusquam petatis ab eo* (Matt. 6.) *sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales caussas ad æternam veritatem referre, siue petendo quid erga se fiat, siue consulendo quid faciat, qui pius mentis affectus est, vt ipsa construatur, non vt Deus instruatur. Nam & hæc quædam contestatio rationalis creaturæ est, quod non sibi ipsa fit bonum quo beata fiat, sed illud incommutabile, cuius participatione etiam sapiens efficitur.*

Ierem. 29. Oramus vt cum merito impetremus.

Matth. 6.

8. Vt tenacites Deo adhæreamus.

Tertiam assignat D. Chrysost. homil. 30. in Genes. vt noster videlicet in Deum inardescat affectus,

affectus, eique tenaciùs adhæreamus, quomodo parentes volunt rogari à filijs suis, vt amor eorum ipsa petitione crescat: *Neque enim renuens preces nostras differt, sed hac arte sedulos nos efficiens ad semetipsum attrahere vult. Nam & Pater, quamuis benignus, quando à puero rogatus abnuit, quasi non volens dare, non vt neget, sed vt ardentiùs petat, & sibi magis concilietur.* Huc spectat quod D. Augustinus epist. 121. ad Probam, cap. 8. Deum etsi nostras necessitates nouerit, velle tamen nos orare, quia vult nos dilatari, quod enim petimus, valdè magnum est, & nos ad illud recipiendum parui & angusti; per orationem autē dilatamur secundum illud 2. Corint. 6. *Dilatamini, ne sitis iugum ducentes cum infidelibus*: ait enim, *Qui nouit bona data dare filijs suis, petere nos & quærere, & pulsare cōpellit. Quod quare faciat, qui nouit quid nobis necessarium sit, priùs quam petamus ab eo, mouere animum potest, nisi intelligamus quod Dominus & Deus noster, non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quò possimus capere, quod præparat dare. Illud enim valde magnum est: sed nos ad capiendum parui, & angusti sumus. Ideo nobis dicitur, dilatamini, ne sitis iugum ducentes cum infidelibus. Tanto quippe illud quod valdè magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color, nec auris audiuit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capaciùs, quantò id & fideliùs credimus, & speramus firmiùs, & desideramus ardentiùs*: propter quod dixit Hugo, quòd oratio sit pia mentis, & humilis, conuersio, fide, spe, & caritate subnixa. Quomodo autem, nisi per dilectionem dilatari animus potest? Oratione fit, vt dilatentur spatia caritatis; oratione roborantur animæ potentiæ, ad opera virtutum exercenda: oratione, curritur in odorem vnguentorum sponsi, quorum suaueolentia ipsa perfunditur: hinc Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*: exhilaratur quippe animus orationis fragrantiâ, & ad currendum & decurrendum virtutis stadium fortiùs accingitur; exhilaratus autem dilatatur, & capax fit Dei, quem oratio in mentem trahit, velut anima, spiritum vitæ. Origenes lib. 4. homiliar. in Cant. homil. 1. *Trahit enim vnaquæque anima, & assumit ad se Verbum Dei, pro capacitatis & fidei suæ mensurâ, libens enim trahitur, & gratissimè ad eruditas animas venit, & trahi se ab illis indulgenter accipit, benigneque concedit. Cùm autem traxerint ad se animæ Verbum Dei, & sensibus suis inseruerint, & dulcedinis eius, atque odoris senserint suauitatem, plenæ vigoris atque alacritatis, currunt post ipsum, non lento gradu, nec tardis passibus, sed rapido cursu, & totâ properatione festinant, quemadmodum & ille qui dicebat, sic curro vt comprehendam.* Trahimus, inquam oratione dilectionis feruore accensâ, Deum, & in vota nostra demittimus, à quo & trahimur, & magis trahimur, quemadmodum præclaro elogio significauit D. Dionys. Nominum Diuinor. cap. 3. vbi orationem velut catenam è cælo demissam esse ait, per quam qui ascendunt, etsi catenam ad seipsos trahere videantur, veriùs tamen ipsi in cælum trahuntur. Quando enim precatiunculas nostras ad Deum dirigimus, nihilo fit ipse propior, aptior, atque ad nos audiendos paratior, cùm propè sit semper, & in nobis sit: sed nos potiùs capiendis illius beneficijs præparamur, & quodammodo ad illum trahimur, Deiformesque efficimur: ait porrò, *Ipsa quidem Dei bonitas, adest omnibus, non autem illi adsunt omnia. Vbi verò ipsum castissimis precibus, animoque purgato inuocamus, nos quoque illi adsumus. Itaque nos ipsos ad celsiorem Diuinorum clarissimorumque radiorum contuitum, orationibus inprimis comparamus. Veluti si lucidissimâ catena ex cælesti summitate suspensâ, & hucvsque pertingente, nos semper eam manibus alternis in anteriora porrectis capiamus, trahere quidem ipsam videmur, re autem verâ non illam ipsi deducimus, quippe quam supra, infraque habeamus præsentem, sed ipsi magis ad sublimiores illustrium radiorum fulgores promouemur*: quibus fulgoribus, mēs serenatur, inflammatur, que; & à sæculi perturbationibus perpurgatur.

2. Cor. 6.

Oratio, quid.

Orationis effectus.

Cant. 1.

Anima trahit ad se verbum Dei.

Oratio, catena è cælo demissa.

9. Quarta ratio peti potest ex D. Basilio de constitut. Monast. cap. 2. idcircò Deum nostras exposcere orationes, vt donum Dei, morbosque suos agnoscat homo, quia enim gratiam & gloriam orando petit, neque ea sine remissione peccatorum detur, orantem suorum peccatorum reminisci oportet, vt curentur, & omnes sanentur ægritudines, dono Dei, quod tantò pluris faciendum est, & ne amittatur metuendum, quantò, petendo & obsecrando impetratur difficiliùs: siquidem, quæ cum labore parta, studiosiùs seruari solent. *Dominus*, inquit D. Basil. *quæ tibi expediant, meliùs ipse intelligit, quàm tu, & eâ re fortasse differt quæ daturus est, vt hoc modo magis te ad assiduitatem vocet, & vt intelligas quod sit donum Dei, vt datum diligenter custodias. Siquidem metitur vnusquisque, quod magno labore inuenit, id maiore quadam diligentiâ custodire, ne eo amisso, labores etiam vnà cum eo, suos multos amittat.* Atque ita ad humiliationem prodest oratio, submittat enim sese oportet quisquis petit, illi, à quo petit.

Orat homo vt morbos suos, & Dei donum agnoscat.

Quinta rursus est D. Chrysostomi homil. 19. in Matth. vt nimirum Deus per orationem nos sibi reddat familiares: *Etsi*, inquit, *sit Pater vester, quid nobis opus sit, cuius tandem rei gratiâ nos oportet orare? vt scilicet Deum non doceas, sed inflectas: vt familiaris efficiaris interpellationis frequentiâ, vt humilieris orando, vtque peccatorum tuorum sæpè recorderis*: in quibus verbis aliquot ex dictis caussis comprehendit: quomodo D. August. quoque in lib. de serm. Domini, alias insuper addens, quum infit: *Rursum quæri potest, siue rebus, siue verbis orandum sit, quid opus sit ipsâ oratione, si Deus iam nouit quid nobis necessarium sit? nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat, & purgat, capaciusque efficit, ad excipienda diuina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur: non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare suam lucem, sed nos non semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia: fit ergo in oratione conuersio cordis ad Deum, & purgatio interioris oculi, cum ea quæ cupiebantur temporaliter excludantur, vt acies cordis simplicis, ferre possit simplicem lucem, & in eâ manere cum gaudio quo beata vita perficitur.* Est quippe oratio colloquiū quoddam & conuersatio cum Deo, vt inquit D. Greg. Nyssen. in exhortatione ad orationem, ex quâ conuersatione familiari, intellectus hominis illustratur, inflammatur affectus: quę duo homini sunt perquam necessaria vt beatus sit; propterea Dauid psal. 33. ad accessum Dei per orationem nos euocat, quum ait, *Accedite ad eum & illuminamini*: quia *sicut Sol lucem præbet corpori*, inquit D. Chrysost. lib. 1. de orando Deum, *sic animæ lumen est precatio. Proinde, si cæco damnosum est non intueri lumen & Solem, quantò grauiùs est homini Christiano si non assiduè deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat?* velut itaque ad visionem exterioris luminis diffusio requiritur, quis enim facilè in tenebris videat? ita, vt ratio quæ recta sunt discernat, oportet vt super intellectuales oculos, splendor Solis illius effulgeat, qui illuminat omnem hominem, quod orando & conuersando cum eo fit, quia ille est qui docet omnem hominem scientiam Psal. 93. In cuius rei argumentum narrat Cassian. lib. 5. de institutis Patrū, Abbatem Theodorum, iugi septem dierum, totidemque noctium oratione, cuiusdā propositionis explanationē obtinuisse: ita nempe per orationē lux sapientiæ intellectui infunditur, accenditur affectus, id quod testatum satis dicentibus

Oratio nos facit familiares Deo.

Psal. 33.

Psal. 93.

illis

Luc. 24.

illis Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via?* & ex hac voluntatis inflammatione, gaudium spirituale concipitur, quemadmodum significauit illa quæ dicit Cantic. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te.* In cellaria Regis ingreditur, qui familiaris eius effectus, vino suauiora cum illo miscet colloquia. Diuus Chrysostomus suprà, *Nam verè profectò, cũ Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi per quam simul & Angelis copulamur, & ferietatem quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus est deprecatio, superans interim etiam illorum dignitatem, si tamen maius est Angelorum dignitate, colloquium miscere cum Deo. Atqui, quod sublimius sit ipsi nos docent, multo quidem cum tremore vota sua offerentes: cæterùm nobis quidem exemplum præbentes, vnde sciamus, ac discamus, quòd quisquis Deum adit, multo cum gaudio, multoque rursum cum tremore, id facere oporteat. Tremore quidem dum metuimus ne videamur indigni, qui Deum precibus alloquamur: rursus gaudio repleamur, reputantes honoris magnitudinem, quod Deus mortalium genus, tantâ ac tali suâ curâ dignatus sit, vt assiduè Diuino colloquio frui liceat. Per quod etiam illud assequimur, vt & mortales, & temporarij esse desinamus, naturâ quidem mortales, sed colloquio consuetudineque quam agimus cum Deo, ad immortalem vitam transeuntes.* Vnde D. Augustinus dixit eum rectè nosse viuere, qui rectè nouit orare. Hoc autem orans attendat præcipuè, vti monet Abulensis in cap. 32. Genes. ad illa verba Patriarchæ Iacob, *Minor sum omnibus miserationibus tuis.* Scilicet, quibus verbis magis humilietur, & quibus in amorem crucifixi pauperis inflammetur, vtrumque enim expedit. Omnibus enim humiliari congruit, & ardere: status tamen conditionem sequendo, incipientibus magis humiliari conuenit, quàm ardere, quia viride lignum, ardori igneo indispositum, magis in fumum quam in flammam euaporat: proficientibus autem ardere congruentissimum, & inebriari in torrentibus vbertatis patentium vulnerum, pauperis crucifixi: laboret ergo passionalia, & affectuosa quædam verba proferre, ad amorem tenerrimum prouocantia, donec desiderio ardens dicat cum sponsâ, fulcite me floribus, constipate me malis, quoniam amore langueo. Hæc ille. Quia, vt inquit D. Augustinus lib. de orando Deum, dignior sequitur effectus, quando feruentior præcedit affectus.

Cant. 1.

Orans rectè viuit rectè.

Cur Deus non exaudit semper orationes?

10.

HOc sanè quæri potest, quandoquidem velit nos orare, datâ fide, nos accepturos quæ petierimus, petite, inquit, & accipietis, & tamen plerosque constat passos fuisse repulsam, aut si exauditi sunt, non illicò petita consecutos. Sed huic quæstioni fiet satis, si primùm aduerterimus, orationum, aliam esse meritoriam tantum, aliam, impetratoriam tantùm, aliam meritoriam, & impetratoriam simul. Duo denique esse in oratione, finem scilicet, & obiectum. Vt meritoria sit oratio, à charitatis fonte fluat necesse est, & hæc est oratio iusti, cui præmium ex iustitiâ debetur, non tamen est impetratoria eius quod petitur; quia impetratio non importat ordinem iustitiæ, sed misericordiæ, seu liberalitatis, quando inter petentem, & is à quo petitur, nullum necessariò iustitiæ debitum intercedat. Hinc est, vt iusti pleraque petant pro quibus non exaudiuntur, meritum tamen orationis habent, quò fit vt quanquam ab obiecto decidant, quod est res quæ petitur, & ad quam ordinatur oratio, non tamen excidant à fine, qui est vita æterna, ad quam precatio itidem ordinationem habet. Sic orauit, Deuter. 3. Moises, nec exauditus est, quanquam Deo super omnes veteris instrumenti Prophetas fuerit acceptissimus, & Domini voce laudatus Numer. 12. dicentis de Moise, *In omni domo meâ fidelissimus est.* Non exauditus Samuel, pro Saule orans 1. Reg. 15. & Dominus Ierem. 15. *Si steterint Moises, Samuel, & Daniel coram me, non est anima mea ad populum istum:* id est, etiamsi stent coram me, orando pro populo isto, non impetrabunt; vt diligam eum. Non exauditus quoque gentium Doctor, qui, vt testatur, 2. Corinth. 12. pro stimulo carnis à se auferendo frustra precatus est. Cur ita, nisi quia, quod non expediebat, petebat? quia tamen orauit, orationis meritum non amisit, illud quoque non habiturus, nisi orasset. Origenes in epist. ad Roman. *Interdum etiam quæ contraria sunt saluti cupimus infirmitate cogente. Sicut enim quis in ægritudine corporis, non ea quæ sanitati conducunt, sed ea quæ præsens desiderium suggesserit, poscit à medico, ita & nos in huius sæculi infirmitate languentes, interdum à Deo petimus, quod non expedit nobis.* Sic Apostolus sentiens stimulum sibi grauem esse ad singularis medici confugit auxilium; vt eum remoueret, instanter orans; id quod trina rogatione significatur: Sed non abigit à vulnere mordax emplastrum medicus sanitatem intendens, quamuis pluribus instet apud eum ægrotus: sic neque Deus postulantis voluntatem attendit, sed vtilitatem.

Meritoria.

Oratio triplex.

Oratio iusti, etsi non exaudiatur, meritum tamen habet.

Obiectum & finis orationis.

Num. 12.

Ierem. 15.

Oratio impetratoria tantùm est, quam fundit peccator, nec procedit ex charitate; estque solùm respectu obiecti, id est, eius quod petitur: nec habet ex seipsâ vnde impetret, sicut illa quæ ex charitate est, meritum ad præmium habet; sed solùm ex liberalitate eius à quo petitur: ideoque volens impetrare, non semper impetrat quod petit. Præclarè D. August. enarrat. in psal. 85. de vtraque hac oratione. *Si Deum inuocasti certus esto, quia id fortè quod volebas temporaliter, ideò non dedit, quia non tibi proderat. Ædificetur in hoc cor vestrum fratres, cor Christianum, cor fidele, ne incipiatis tristes facti, veluti fraudati desiderijs vestris, ire in indignationem contra Deum. Etenim non expedit aduersus stimulum calcitrare. Recurrite ad Scripturas Exauditur Diabolus & non exauditur Apostolus. Quid vobis videtur? quomodo exaudiuntur Dæmones? Petierunt se ire in porcos, & concessum eis est. Quomodo exauditus est diabolus? Petijt Iob tentandum, & accepit. Quomodo non exauditus est Apostolus? In magnitudine, inquit, reuelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt auferret eum à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Exaudiuit eum quem disponebat damnare, & non exaudiuit eum quem volebat sanare. Nam æger petit multa à medico, non dat medicus, non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad sanitatem.* Ita peccator potest petere vt mala eueniant proximo, & impetrare. Sic nobilis quidam Germanus magiæ nomine infamis, in vxorem exardescens, cùm imprecatus esset vt Diabolum pareret, illa peperit monstrum aspectu horridum. Bodinus lib. 2. cap. 7. Dæmonomaniæ. Et hoc, aut quid simile, dira petenti contingere potest. Iustus autem, quanquam in ordine ad obiectum non exaudiatur, exauditur tamen in ordine ad finem: quia enim voluntas potiùs est de fine, quàm de eo quod propter finem petitur, vel appetitur, vt colligitur Ethicor. 3. ideò, quando Deus videt non concordare, id quod piè orans petit, cum fine pro quo petit, quod accidit ex errore iudicij nostri, cùm nesciamus quid orandum sit, ad Rom. 8. magis exaudit desiderium ex quo petitur, quàm id quod petitur; & ita magis facit volun-

Impetratoria.

Precatur quidam ex vxore malorum nasci, & monstrũ editur.

Rom. 8.

voluntatem petentis, quàm si daret ei quod petit, & contingeret illud esse contra salutem æternam, finis enim petitionis est vita æterna, & Dei gratia attendit illud. Ita Abulensis in cap. 7. Matth. quæst. 15. ad primum. Ideò ergo non cōcedit plerumque Deus, quod piè orans petit, vt semper donet quod magis petit.

Meritoria simul & impetratoria.

Alia est oratio, meritoria simul & impetratoria, quæ omninò ex charitate est, qua quidem, vel parua impetrantur, vel magna; temporalia, vel spiritualia: & his supereminens ipsius petitionis bonum quod & temporalibus etsi necessarijs rebus, præstat; de quibus Dominus iubet nos non esse sollicitos, concedit ea tamen petenti, quemadmodum scribit D. Bernardus serm. 5. in Psal. Qui habitat, totidem verbis: *Nam & hæc ipsa Pater noster cælestis benignissimè pietate ministrat, ob duplicem scilicet caussam: ne vel omnino crederemus suspensum si ista negaret, & sic desperaremus; vel illorum nimia sollicitudo, spiritualis exercitij fieret detrimentum. Sine his enim, neque viuere, neque Deo seruire est. Cæterùm quantò strictiùs, tantò melius.* Quodque cum re illâ magnâ, quam petimus, societatem habet, vnde duplex beneficium reportamus, siquidem petitio ipsa in sinum petentis conuertitur. Ideoque Marci 11. dicitur, *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis & fiet vobis.*

Marci 11.

Oratio ista quatuor requirit.

Ad quam meriti & impetrationis efficaciam, quatuor requiri traduntur, nempe vt piè, perseueranter, pro se, & quæ ad salutem sunt, orans petat. Pietas ad latriam spectat, vt in oratione Deo debitus cultus exhibeatur, cùm ipsa sit latriæ actus. Perseuerantia non patitur inter orationem & consecutionem medium, sed orationis assiduitatem exigit, donec obtineatur quod Deus definito tempore se daturum decreuit. Pro se, malitiam excludit alienam quâ effectus orationis, quantumcunque iusti hominis impediri potest. Quæ sunt ad salutem; excludūt ex parte obiecti, quæ non conueniunt ad salutem, petuntur tamen, sed Deus, quia hominem diligit, postulata nō largitur, vtpote qui vera bona dare designarit. Sunt & aliæ nonnullæ conditiones, quæ ad has reuocari possunt, velut fiduciâ in petendo. Iacobi 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans:* humilitas. psal. 101. *respexit in orationem humilium.* Paupertas siue indigentia rei quæ petitur: psal 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* & his similes. Concurrentibus ergo illis quatuor priùs enumeratis conditionibus, omnis qui petit accipit, siue peccator fuerit, siue iustus.

Iac. 1. Psal. 101. Psal. 9.

11. Orātem cur nō mox exaudiat Deus.

Neque tamen in vita nostra illicò descendit Deus; quod erat altera quæstionis pars: quia cū plurimam electorum suorum curam gerat, quid illis ad æternorum bonorum cōsecutionem magis expediat nouit: differt ergo, etiam quæ pollicetur dare, vel vt iustos illustriores reddat, eorumque præclaram fidem omnibus manifestet: ita D. Chrysost. hom. 38 in Gen. vbi idcirco Abrahamum, non statim ac exauditus est, sed multos post annos, promissionum diuinarum compotem factum scribit; neque enim fore, vt iusti illius virtus tam clara apud omnes euaderet, si mox speratâ prole & promissâ, donarijsque suis illum auxisset Deus, qui & Chananæam distulit, vt non solùm petitionem illius exaudiret, sed & vt illā ipsam in toto orbe nobilem faceret: vel differt, vt extendatur desiderium nostrum, & diuinorum bonorum capax fiat: ita D. August. tractatu 4. in epist. 1. Ioan. totidem verbis. *Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est. Quod autem desideras, nondum vides: sed desiderando capax efficeris, vt cùm venerit quod videas, implearis. Sicut enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est quod dabitur, extendis sinum vel sacci, vel vtris, vel alicuius rei: nosti quantum missurus es & si vides quia angustus est sinus, extendendo facis capaciorem: sic Deus, differēdo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem. Desideremus ergo Fratres, quia implendi sumus. Videte Paulum extendentem sinum, vt possit capere quod venturum est. Ait, Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim. Fratres, ego me nō arbitror apprehendisse. Quid ergo agis in hac vitâ, si nondum apprehendisti? Vnum autem, quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis. Extentum se dixit, & secundum intentionem sequi se dixit. Minorem se sentiebat ad capiendum quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Hæc est vita nostra, vt desiderādo exerceamur.* Et quia desiderium dilatum est pœna, secundum illud Prouerb. 13. *Spes quæ differtur affligit animam. Omnipotens Deus,* inquit D. Hieron. lib. 2. in Thren. *quid nobis profuturum esse valeat, sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, vt augeat vtilitatem, vt purgetur vita per pœnam, & quietis tranquillitas, quia hic inueniri non valet, alibi quæratur.* Sic nō missus est Angelus ad Danielem statim, atque exauditus est, & rationem reddit D. Hieron. in cap. 10. Daniel. *Data est,* inquit, *ei per moram occasio amplius Deum deprecandi, vt ex eo quod plus desiderat per laborem, plus audire mereatur.* Quinetiam hac iusti pœnâ, & labore delectatur Deus, sicut testatur D. Gregor. lib 9 Moral. cap. 15. *Quia quò ardentiùs à nobis quæritur, eò de nobis suauiùs lætatur: quasi quoddam quippe ei ex pœnâ gaudium facimus, cùm per iusta desideria, pro eius nos amore castigamus.* Et rursum lib. 26. cap. 15. pugnam nostram docens protrahi ad coronam, ait: *Non ergo qui tardiùs auditur, credat quod à supernâ curâ negligatur. Sæpè enim, quia nostra desideria celeriter non sunt, exaudiuntur, & quod impleri concitè petimus, ex ipsâ meliùs tarditate prosperatur. Sæpè vox nostra eo perficitur, quo differtur, & cum superficie tenus petitio negligitur, vota nostra altiùs in cogitationum radice comprimentur: sicut & semina messium, gelu pressurâ solidantur, & quo ad superficiem tardiùs exeunt, eò ad frugem multipliciora consurgunt. Desideria itaque nostra, dilatione extenduntur, vt proficiant; proficiunt vt ad hoc quod perceptura sunt, conualescant, labor protrahitur pugnæ, vt crescat corona victoriæ. Suos ergo Dominus, cùm velociter non exaudit, quo repellere creditur, trahitur. Internus quippe est medicus, & quo voces ægri audire dissimulat, eo ægritudinis finem procurat.*

Philip. 3.

Prou. 13.

Atque hinc est, quod D. Bernardus, tum cap. 6. suarum meditationum, tum serm. 5. feriæ 4. Cinerum, orationem tantopere commendet; totidem eam inculcans verbis. *Nemo vestrum Fratres, paruipendat orationem suam. Dico enim vobis, quia ipse ad quem oramus, non paruipendit eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet eam in libro suo. Et vnum indubitanter è duobus sperare possumus: quoniā aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse vtilius. Nos enim quid oremus sicut oportet, nescimus, sed miseretur ille super ignorantiam nostram: & orationem benignè suscipiens, quod nobis aut omnino non est vtile, aut non tam citò dari necesse est, minimè tribuit. Oratio tamen infructuosa nō erit: ita sanè si fecerimus quod monemur in Psalmo, id est, si delectemur in Domino; Ait enim Dauid, Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Ad hoc conare, ad hoc intende, vt in rebus terrenis non delecteris, sed in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Sed considera quòd petitiones cordis dixerit, quas approbat iudicium rationis. Tanta super te cura est Deo tuo, vt quoties ignorans quæris quod tibi inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud vtiliori dono.* Atque ita fit vt Sācti ad salutem per omnia exaudiantur, quam desiderant: Quidam autem exaudiantur ad voluntatem, non ad salutem. Sic Paulus exauditus est ad salutem, quādo carnis stimulum auferri à se postulauit; exauditus est diabolus ad voluntatem, quando Iobum tentare expetijt, sed ad damnationem; ideò enim tentandus Iob illi concessus

Psal. 36.

12. Orationes vel ad salutem exaudiuntur vel ad voluntatem.

est, vt probaretur ad coronam, quo probato, ille esset cruciandus. Dæmones exaudiuntur, & in porcos intrant, vt pateat quia ijs dominantur, qui porcorum vitam viuunt: Paulus non est exauditus: imò veriùs, exauditus est Apostolus, non exauditi dæmones; horum voluntas completa est; illius sanitas perfecta est: quod enim Deus non dat piorum voluntati, dat saluti. De Samuele agens D. Gregor. in 1. lib. Reg. lib. 4 cap. 2. *Propheta*, inquit, *orans non auditur, populus Deum abijciens, Regemque petens, auditus est. Quid hoc esse dixerimus, nisi quia mirò & tremendo Diuinæ incomprehensibilitatis iudicio, sancti viri pro reprobis orantes, exaudiri nequeunt; in adimplendis verò suis prauitatibus, audiri ipsi reprobi delinquentes possunt, vt illis libera iniquitas, æternæ vindictæ meritum augeat, & istis ex affectu compassionis, merces perpetuæ retributionis accrescat?*

Ex dictis patet quanta sit orationis dignitas, vt quæ nos ad Angelorum transferat contubernium, & Dei familiares efficiat: quanta sit necessitas, cùm eam expetat Deus tanquam medium per quod Deiformes efficimur: quanta denique sit eius virtus, animans hominem & aduersus inimicas potestates corroborans, siue aëreas, quando D. Hilarion in Cypro insulâ, teste D Hieron. in eius vitâ, tantâ eas orationum instantia flagellarit, vt ducentos fermè tam viros quàm mulieres, qui ad se conuenerant, intra hebdomadam ab eis liberaret. Vt innumeros alios prætereeam, quos orationis virtus, inferis terribiles fecit.

Oratio, flagellum dæmonis.

CAPVT XXIX.

Quid sit oratio, & quæ eius species?

1\. Oratio est actus intellectus, seu oris ratio.

ORationem esse actum intellectus, vel rationis docent Theologi & Cassiodo. dictam vult orationem, quasi oris ratione, vt suo nomine significet oratio, quandam expressionem alicuius actus rationis factam per officium oris. Ratio autem duplex est practica vna, ad quam pertinet oratio: speculatiua altera, cuius actus etiam duplex est. Primus, componere & diuidere, & hic ad orationem dialecticam spectat, quam sic descripsit Aristoteles 1. Peri Hermenias. Secundus est, discurrere ex vno in aliud, vt ex cognitis incognita innotescant, & hic ad orationem Rhetoricam spectat, quæ non vnam, sed plures argumentationes, plures diuisiones & compositiones continet, & quanquam tum in genere demonstratiuo, tum deliberatiuo, & iudiciali versetur, præcipuè tamen in iudiciali, in quo aliquid à Iudice petitur. Inde translatum nomen, oratio, ad significandam petitionẽ, quam facimus Deo: quia veluti ea quæ in iudicio petuntur, postulationes vel orationes vocantur, inquantum iudici incumbit curare, vt actus nostri iusti sint. Ita Dominum rogamus, tanquam auctoritate summâ instructum & iudicem, qui curam & generalem actuum nostrorum prouidentiam habet.

Ratio duplex.

Postulationes quæ dicantur.

Secundum hoc Damascenus, orationem definiuit esse petitionẽ decentium à Deo, quâ in definitione, orationis essentiam complexus est, magis propriè, quàm vllâ aliâ eius definitione comprehendi possit. Quare cùm D. August. dicit Orationem esse pium mentis affectum, directum in Deum, non formaliter, sed materialiter ipsam descripsit, quomodo ira describitur esse sanguis accensus circa cor; quæ formaliter est appetitus vindictæ, ex illâ accensione sanguinis: eiusmodi quoque est definitio illa Glossæ in 1. ad Thessal. 5. *Oratio est Desiderium boni*, id est, ipsa res orata; nam id quod oramus est, quod desiderium nostrum bonum compleatur. Ita illa orationis descriptio, est affectus mentis directus, id est, ipsa directio affectus, quæ ad rationem practicã spectat, non est formalis. Et cùm affectus mentis dupliciter in Deum dirigatur, vel tanquam in obiectum, vel tanquam in illum, à quo, velut à causâ efficiente explendus est; primus directionis modus, non pertinet ad orationem, sed ad amorem, & est potentiæ appetitiuæ, non autem intellectiuæ, quia qui amat, sic affectum dirigit. Secundus autem modus est rationis dirigentis affectum in Deum, illi ostendendo desiderium, & petendo vt illud compleat, quod ad rationem practicam spectat, quia illius est, ordinare & dirigere affectum in finem consequendum: quomodo intelligenda est D. Augustini definitio. Quia tamen, nihil impedit actum rationis motæ à voluntate in suum finem, tendere in finem charitatis, qui est vniri Deo, quod præcipuè est in oratione petendum, & proinde respicit id quod petitur; & accedere ad Deum, quod se habet ex parte petentis. D. Damascenus dixit Orationem esse ascensum, siue eleuationem mentis in Deum, per quam mala deprecamur, vel bona nobis, alijsque petimus, vel Deo benedicimus.

Oratio, & petitio decentium à Deo.

Affectus mentis dupliciter in Deũ dirigitur.

Oratio est eleuatio mentis in Deum.

Ad perfectum autem orationis actum, quæ dicitur petitio decentium à Deo, quatuor veluti orationis communiter acceptæ partes, scilicet, prout est quoddam totum eas includens, necesse est concurrere, vt quidam aiunt, quas Apostolus 1. ad Timoth. 2. enumerasse visus est, quum infit, *Obsecro igitur primùm omnium, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus qui in sublimitate constituti sunt.* Et in eam sententiam pulchrè D. Ambros. lib. 6. de Sacramentis cap. 5. *Inchoari debet oratio à laude Dei, vt roges omnipotentem Deum, cui possibilia sunt, qui habet voluntatem præstandi. Sequitur obsecratio, sicut Apostolus docuit dicens, Obsecro ergo primùm fieri obsecrationes, gratiarum actiones. Prima ergo oratio, laudem debet habere Dei, secunda supplicationem, tertia postulationem, quarta gratiarum actionem. Non debes quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed antè à laudibus Dei. Vnde & Oratores isti sapientes, hanc habent disciplinam, vt iudicem fautorem sibi præstent, incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum sibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipit rogare iudicem, vt patienter dignetur audire, Studet & tertiò postulationem suam depromere, quid petat, exprimere. Quartò, quomodo cœpit à laudibus Dei, sic debet in Dei laude desinere.* Ista ad orationis actum requisita, Syluester, verbo, Oratio, hoc ordine recensuit, Orationem quâ ad Deũ acceditur, quæ est eleuatio mentis in Deum: petitionem quæ significatur nomine postulationis, quâ aliquid proponitur Deo ad obtinendũ: obsecrationem, id est, ob sacra precationem, quæ est ratio impetrandi ex parte Dei: & gratiarum actionem, siue laudem, quæ est ratio impetrandi ex parte petentis, gratias namque de acceptis beneficijs agentes, ampliora meremur accipere.

2\. Orationis perfectæ partes quatuor.

1\. Timoth. 2.

Et hæc est D. Thomæ sententia, qui 2. 2. quæst. 83. art. 17. in oratione, orantis ad Deum accessum requirit, qui adiunctũ habeat intellectus ad eundem adscensum. Et oratio vocatur, Petitione siue postulatione, quæ vel determinatè fiat, & propriè postulatio dicitur; vel indeterminatè, vt quum quis petit iuuari à Deo, & supplicatio nominatur; vel etiã solius facti enarratione, veluti Ioan. 11. *Ecce quem amas infirmatur*, & insinuatio nuncupatur. Et rationem impetrandi id quod petitur, vel ex parte Dei, & est eius sanctitas, propter quam exaudiri petimus, Daniel 9. *Propter temetipsum, inclina Deus meus aurem tuam*, & est obsecratio, id est per sacra contestatio, siue attestatio, veluti quum oramus, per natiuitatem, per passionem Dominicam, per Christum, per quem omnis oratio fieri debet, vt iusta sit, inquit Diuus August.

3\.

Ioan. 11.

Daniel. 9.

Oratio omnis per Christum fieri debet.

August. enarrat. in psal. 118. vel ex parte petentis, & est gratiarum actio pro donis acceptis, per quam potiora promeremur.

Totidem cæremonijs supplicationes institutas protrita obseruatio est, nam veteribus Græcis recepti moris fuit, vt supplicantes, caput, dexteram, & genua eius qui se ingererent supplices, contingerent: nec totum tamen caput, sed mentum modò, vt scribit Plinius lib. 11. cap. 45. quia sit in nobis pars ea principalis: Dexteram verò quoniam inibi maxima insit ad agendum facultas. Genua, propter motus & progressionis necessitatem. Quæ tria symbolicè, consensum, actionem, progressum, ad ea quæ peterentur præstanda, complecti videntur, & veluti auguria fumis supplicandi. Vel certè vt ostenderent in amplexandis genibus, suam humilitatem & miseriam, auxilio & ope alienâ egentem. Attrectando autem mento siue barbâ, & prensandâ dexterâ, implorare se insinuarent, tum prudentiam eius (quæ in capite residet: nullam autem capitis partem commodiùs tangere poterant, quàm mentum) vt sibi consilio adesset: tum iustitiam in tribuendo cuique quòd suum est; cuius fundamentum est fides, fidei autem symbolum, dextera: quâ etiam opus facere, & auxilium ferre consueuimus. Et certè contraxisse aut occuluisse dexteram spem omnis veniæ præcisam notat: & in genubus misericordiæ sedem consecratã fuisse à vetustate memorat Seruius: quod Plinius suprà, disertissimè his verbis extulit, Hominis genibus inest & quædam religio, obseruatione gentium. hæc supplices attingunt, adhæc manus tendunt, hæc vt aras adorant: fortassis quia inest ijs vitalitas, quippe quorum inanitate perfossâ, ceu iugulo, spiritus fugiat. Vide cap. 13. §. 1. nu. 4.

Supplicantium formula.

Genua cur apprehendant supplices.

4. Rhetores imitamur qui in impetrandis beneficijs tria requirunt, primùm vt impetrans assignet caussam cur debeant petita concedi: secūdò, vt eam caussam rationabilem esse ostēdat; tertiò, vt petitionem concludat: in oratione namque nostrâ, misericordiæ diuinæ genua cōtingimus, expandentes humiliter miseriam nostrã, alienæ opis indigam, & caussam futuræ concessionis assignamus, non merita nostra, sed miserationem diuinam. Dan. 9. *Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Caput tangimus, quum hac caussâ excogitatâ, meditamur, sacrum illud miserationum diuinarum, nostræ salutis esse caussam, vnde sequitur oratio, quæ est ascensus mentis in Deum, siue vnio & consensio quædam cum eo: Psalmista. *Ego orationem meam ad te Domine.* Tertiò sequitur postulatio per cōtactum dexteræ, quæ fidei symbolum est significata. Iacob. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* In his agnosce consensum, actionē, & progressum orationis: & quæ sequuntur de acceptis beneficijs, gratiarum actiones. 1. Thessal. vlt. *In omnibus gratias agite.* Ad Philip. 4. *In omni oratione & ob secratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.*

Oratores vt aliquid impetrent tria obseruent.

Daniel. 9.

Psal. 68.

Iacob. 1.

1. Thessal. 5.

Philip. 4.

5. Atque ista quidem non modò in integro sacrosancti missæ sacrificij actu concurrere manifestum est, in quo obsecrationem, vsque ad corporis & sanguinis dominici consecrationē, esse, obseruauit D. Thomas, in c. 1. epist. 2. ad Timot. quòd ibi sacrorum cōmemoratiò fiat, ex quibus impetrandi fiducia gignitur: orationem in consecrationis mysterio. quòd ibi eorum quæ Christus egit, fit meditatio: Postulationem pro se, pro viuis, & mortuis, in alijs vsque ad communionem: in fine autem, gratiarum actionem: sed interdū quoque in vno eodemque orationis actu, veluti in Ecclesiæ orationibus; exemplo sit ea quæ est Trinitatis, vbi dicitur *Omnipotens*, quoad orationem; *qui dedisti*, quoad gratiarum actionem; *præsta quæsumus*, quoad postulationem; & *per Dominum nostrum*, quoad obsecrationem.

Missæ sacrificij obsecrationes triplices.

Orationes Ecclesiæ tribus perficiuntur.

Cæterùm istæ orationis partes, siue species (vt volunt, D. Bernard. Glossa in 2. cap. Timoth. 1. Alexander, & alij) sunt veluti gradus quidam per quos ad desiderata conscendimus, à statu culpæ in statum gratiæ, iustitiæ, & gloriæ. Obsecratio namque est velut adiuratio, quâ vtimur in rebus difficillimis, qualis est conuersio peccatoris, veluti quum dicimus, per vulnera, per cruorem; & Virgo sacratissima interpellat filium suū pro nobis, per vbera sua, & impetrat. Petitio est oratio quâ postulantur aliqua bona pro peccatoribus conuersis. Postulatio, est petitio gloriæ pro ijs qui sunt iustificati. Actio gratiarū fit pro beneficijs acceptis, & infortuniorum euasione. Vel, sicut Abbas Isaac, apud Cassianum collat. 9. qui illos proficientium gradus esse dicit: Obsecrationes pro ijs fiunt, qui in virtute progressus facere meditantur, interea tamen adhuc grauantur peccatorum mole. Orationes verò, quādo pro proficientibus imploramus gratiam, per quam in virtute progrediantur, qui nullius peccati conscientiâ onerantur. Postulationes autem fiunt ab eis, qui admodū in vitâ spirituali promoti, sanctâ præsumptione, siue fiduciâ misericordiæ Deī, tantâ adducuntur, vt pro impuratis, impiatisque peccatoribus, orationes suas interponere audeant. Gratiarum tandem actiones ab ijs, qui ita liberi sint, vt sese dispositos, idoneosque putēt, peraccensæ contemplationi instituendæ, ad quā sese, tanquam gratiarum actioni, applicant.

Obsecratio. quid?

Petitio.

Postulatio.

Gratiarum actio.

D. porrò Bernardus, tum sermone de quatuor modis orandi, tum in sententijs, docens, cur intra sacrarium diuinæ exauditionis, peccatoris oratio non admittatur, Apostoli 1. ad Timotheū 2. verba, ad quatuor orationis species referens, pulchrè explicauit, orationes puro, obsecrationes verecundo, postulationes amplo, gratiarum actiones, affectu deuoto fieri, dicens. *Sicut æger, inquit, ad medicum; sic esse debet peccator ad creatorem suum. Qui ergo peccator est, debet orare Deum, sicut æger medicum. Duobus autē modis impeditur oratio peccatoris, vel nullâ, vel nimiâ luce. Nullâ luce illustratur, qui peccata sua nec videt, nec confitetur. E contrario, nimiâ luce obruitur, qui ea tanta videt, vt de indulgentiâ desperet. Horum neuter orat. Quid ergo? Temperanda est lux, vt peccata sua videat peccator, & confiteatur, ac pro ipsis oret, vt remittantur. Primò ergo, eius oratio debet fieri verecūdo affectu: hoc autem fit, cùm nondum peccator audet per seipsum accedere ad Deum, sed quærit aliquem sanctum virum, aliquem sanctum pauperem spiritu, qui sit in orâ vestimenti Domini, tanquam fimbria, per quam habeat accessum: huius orationis tenuit typum illa Euangelica mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, capitque sanari, accessit, & intra se cogitauit dicens, Si tetigero fimbriam vestimēti eius, salua ero. Secunda oratio, fit puro affectu: & hoc fit, quando scilicet peccator iam per seipsum accedit, & ore proprio confitetur. Talis orationis reliquit nobis exemplum illa peccatrix quæ rigauit pedes Domini, & capillis capitis sui tersit, de qua dictum est à Domino, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Tertia oratio effunditur amplo affectu: & hoc fit, quando is qui pro se orauerat, orat iam pro alijs: sic orauerunt Apostoli pro muliere Chananæâ pro filiâ suâ rogante: Dimitte, inquiunt, illam, quia clamat post nos. Quarta oratio emittitur de uoto affectu, quæ de cordis puritate, sine vllâ hæsitatione, cum gratiarum actione depromitur: Talem orationem fecit ipse Dominus, quando quatriduanum de monumento Lazarum resuscitauit, & ait, Pater gratias ago tibi, quia audisti me. Tales orationes docuit nos Apostolus facere frequentes, dicens. Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Hæc de orationis religiosæ partibus.

Luc. 8.

Luc. 7.

Matt. 15.

Ioan. 11.

1. Thess. 5.

Capitis 29. §. 1.

Conueniensne sit orare, & quando orandum.

1. Infirmitatis incõmoda.

ÆGer est quispiam? omnia impatiẽter habet: molestus vnicuique est: nil occurrit quod placeat, nil quod ex voto fit: irascitur vxori, liberis, domesticis, incusat inculpatque medicum; mollis lectulus tanquã spinæ, illũ torquet: inuisitur ab amico? importunus aduenit. Nõ inuisitur? stomachari libet. Externa sunt illa quæ ægritudinem corpoream grauãt, internũ est & æternum quo leuari potest: verum solatium quærit? inde expetat vnde queat adipisci: desuper, omne solamen & leuamen est, ibi mentem figat: ibi animum colligat, nõ in mari modò, aut in prælio vir fortis apparet, exhibetur etiam in lectulo virtus, vbi ægrotus experimentum sui capit. Neque quidquã impedit corpus ærumnosum & iacens, nõ animi inopia vel egestas, quo minùs mens in Deum assurgat. Igitur, cui cum morbo res est, oratione eluctari debet: vt enim ille, qui citharã canere solitus, vt inquit D. Ambrosius lib. de Iacob. cap. 8. si eam dissipatam resolutis neruis, & confractam viderit, atque vsum eius interruptũ senserit, abijcit eam, nec eius numeros requirit, sed voce seipsum mulcet: ita vir probus citharã corporis ægritudine fractam, & eneruem, iacere patietur, & corde se oblectabit, eriget se in Deũ.

Virtus etiã in lectulo probatur.

Sed nunquid frustra sunt preces? Instituuntur enim illæ, vt flecti animus possit eius ad quẽ dirigũtur; at Deus, nec flecti, nec ab institutis semel decretis recedere potest, certa enim & immutabilis est eius prouidẽtia, quã nostra curat. 1. Reg. 15. Triumphator in Israël nõ parcet, & pœnitudine non flectetur: superfluum igitur erit, orare Deum. Precantes quoque miseriam suã ignorãti aperiunt, vt ille ad liberaliter succurrẽdum indigentiæ cognitæ moueatur, quemadmodũ cap. 28. num. 5. diximus: at Deus, nouit quibus indigemus, antequam inuocemus eum: & honoratius, liberaliusque est, dare non petenti, quàm petenti, quia, vt ait Seneca, nulla res cariùs emitur, quàm quæ precibus empta est. Quod Verinus expressit disticho.

1. Reg. 15.

Beneficium spõtaneum gratissimũ.

Quod precibus vendis, pretium tibi vile videtur:
An mihi res emitur, carior vlla, prece?

Vnde Cicero in lib. de Amicitiã, *Hac igitur prima lex amicitiæ sanciatur: vt ab amicis honesta petamus, amicorum causâ, honesta faciamus; neque expectemus quidem dum rogemur, sed studium semper adsit, cunctatio absit.*

2. Orationem esse inutilẽ qui senserint.

Hac in re, erratum omninò ab ijs, qui nõ modò naturalia sed etiam humana omnia ex necessitate agi censuere, quocunque tandem modo id fiat, siue ex immutabilitate decretorum diuinorum, siue ex stellarum necessitate, siue ex caussarũ connexione, aut aliter. Reiecerunt enim illi orationem, si non quoad eius necessitatem, saltem quoad vtilitatem, & meritum; quia nisi sit libera, meritum non habet: diuino autem consilio, eodem semper modo se habente, siue fiat, siue nõ fiat, nihil sit profutura.

Errauit omninò Pelagius qui teste D. Augustino hæresi 88. & epist. 106. naturæ hominis, sufficientem vim tribuens ad salutem & ad media, necessitatẽ, vtilitatemque orationis proscripsit. Qui error, antiquissimus fuisse videtur, vt patet ex illo Ecclesi. 16. *Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti.*

Ecclef. 16.

Errauerunt illi, qui quòd res humanas temerario casu, sine gubernatore, fluctuare censuerint, orationes eliminarunt, vanum esse iudicantes, nostrarũ rerum incurium, precibus interpellare: de quibus Malach. 3. *Dixistis, vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius, & ambulauimus tristes coram Domino?*

Malach. 3.

Errauerunt illi, qui tantam vim orationi tribuẽre, vt illam solam, etiam sine baptismo, ad salutem consequendam, satis esse dicerent: qui error Massilianorum fuit apud D. Damascenum; & Adelphi cuiusdam, de quo in Histor. tripart. lib. 7. cap. 11.

Orationi vis baptismi tributa.

Errauerunt denique & illi, qui quidem licet humana nostra, prouidã Numinis curã Regi asseuerarint, eam tamen variabilẽ esse cogitarunt, flectique precibus nostris, quas admittunt, vt aliter propter illas faciat Deus, quàm quòd ab æterno se facturum decreuerit.

3. Sed frustra sunt errones illi, & in rhombum turpissimè impegerunt, qui vt elidantur, vno fasce quid respondeatur, complectar. Certissimum igitur est, & ex dicendis cap. 40. de prouidẽtiã, amplius elucescet, humana temerario impulsu omnino nõ fluctuare, sed immutabili Numinis prouidentiã ordinari, & regi: hominis salutem nõ humanis viribus, aut soli orationi, sed gratiæ diuinæ, alijsque bonis operibus donandam esse. Quapropter, non esse superuacaneas mortalium preces, quia non fiunt, vt flectatur, aut immutetur prouidentia Dei, sed potiùs vt ea adimpleatur, hoc est, vt fiat id quod ab æterno, nõ aliter se facturum Deus decreuit quàm quod orationibus, quas itidem ab æterno futuras præuidit, postulauerimus. Huic nõ absimili ratione à deterrimo errore ad saniora renocatus est Ludouicus Lantgrauius, vir alioqui bene doctus, quem Cæsarius lib. 1. hist. cap. 27. vt omnem vitam licentiùs in vitijs extraheret, sic argumentatum refert: Si prædestinatus sum, nulla peccata mihi poterunt regnum cælorum auferre: si præscitus nulla bona mihi illud valebunt conferre: atque ideò cuiuis flagitio sese immersit. Sed cùm in morbum incidisset, aduocato Medico, de remedijs consuluisse, cui Physicus prudens, nõ minùs Theologiæ, quàm medicinæ peritus, erroris illius memor, Domine, inquit, si dies supremus tibi aduenerit, nulla vis medica, te morti eripiet. Sin autem conualescere ex hac infirmitate debueris, superuacanea erit medicina. At ille. Quî sic loqueris? nisi mei curã diligens habeatur, potero & à meipso, & ab alijs imperitis negligi, & sic fata mea præuertere. Hoc gratanter & hilariter accepto, Physicus reposuit: Si credis vitam tuam posse medicinã protelari, cur id de pœnitentiã & iustitiæ operibus credere abnuis, quæ sunt antidota animæ? sine his anima moritur, sine his ad sanitatem quæ est in futurã vitã, non peruenitur. Admisit verborũ pondus Lantgrauius, & eiurato errore suo, Physicum illum pro animæ suæ medico habuit. Sicut ergo per bona opera certa fit vocatio nostra, ita per orationes, certa fiunt dona Dei. Quod D. Prosper. lib. 2. de vocat. gentium cap. vltimo, confirmat, testimonio Tobiæ cap. 6. vbi Angelus eum orare iubet pro suã & vxoris suæ sanitate, quam Dominus ab æterno impertiri decreuerat. *Cùm ceperis esse cum illã*, inquit Angelus, *surgite primùm ambo, & deprecamini Dominum cæli, vt detur vobis misericordia & sanitas: & nolite timere, tibi enim destinata est ante sæcula, & tu eam sanabis.* *Quamuis ergo*, inquit D. Prosper. *quòd statuit Deus, nullã possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi: nec per electionis propositum, liberi arbitrij deuotio relaxatur: cùm implendæ voluntatis Dei sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutũ fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserint, non solùm secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita, coronentur.* Adulterum igitur est, impium est, sacri-

Oratio est vt adimpleatur prouidentia.

Ludouicus Lantgrauius.

sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, vt dispositio diuina violetur, inquit D. Cyprian. epist. 40. Veruntamen quid ad illud D. Chrysostomi; non oras vt doceas, sed vt flectas? Dicendum est, impropriam esse locutionem qua Deus dicitur flecti per orationem; nō enim flectitur, id est, mutatur, vt det id quod aliàs nullo modo esset daturus, sed flectitur, vt det id, quod sine oratione, daturus non erat: sicut enim disposuit de re vt eueniat, ita etiam disposuit de medijs per quæ euentura sit, inter quæ actus ille orationis censeri debet.

Oratione vt flecti dicatur Deus.

Sed neque oratione nostrâ instruitur Deus, sed ipsi nos per eam, in Deū, incitamus: qui singulari suâ munificentiâ, multa dat non rogatus, & multa dare non decreuit nisi rogatus. Petite, inquit & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.

Oratione, nos in Deū excitamus.

Luc. 11.

4. Orare natura docet.

Ex his, quàm sit conueniens orare, liquet; & eam certè conuenientiam natura docet, qua impellente in repentinis casibus, in cælum manus, oculosque oraturi, & gratias acturi, naturaliter tollimus. Recta namque ratio pręscribit, vti Deū oremus, vti peccatorum nostrorū veniam, diuinam gratiam, charitatem, aliaque saluti nostræ conuenientia, etiam atque etiā postulemus. Hinc orauit Abel, orauit Enos, orauerūt & iusti omnes veteris instrumenti, quibus non erat certa forma præfixa, neque in rebus petēdis, neque in petēdi modo: quia vel illi non instituebantur præcipuè ad vitam contemplatiuā, qui est status perfectorum, & oratio, contemplationis pars: vel quia vetus instrumentum sola tēporalia promitteret, ad quæ petenda, orandi forma præscribi nō debuit, ne plus æquo illorum amori inhiarent; quæ vitam sanctiùs instituenti, contemnenda erant, quomodo ea contempsit D. Ioānes Baptista, qui à populari vitâ segregatus, & ipse certam orandi formam habuit, quam discipulis suis tradidit, quos à terrenis auocare, & ad cælestis vitæ contemplationem erudire volebat; hinc illi Luc. 11. *Domine doce nos orare, sicut Ioānes docuit discipulos suos.*

Luc. 11.

Tradūt Hebræi tres orationes, seu petitiones factas à tribus viris sāctis, notatu dignas. Primò igitur Isaac petijt vt aliqua pœna infligeretur hominibus, vt seipsos cognoscerēt, vel vt à malo recederent, & ideò data est ei caligo oculorum. Secūdò, facta est à Iacob petitio, vt homini ante mortem, morbus aliquis immitteretur, per quē conuerteretur ad Deum, & ideò dedit morbum ipsi Iacob, ante quē nullus homo ægrotabat, sed subitò moriebatur. Tertiā fecit Ezechias, scilicet vt homines post morbum sanari possent, quia, vt ipsi dicunt, quicunque ægrotabāt ante tempora Ezechiæ, in ipsa ægritudine moriebantur. Sed facessant istę fabulæ, quas falsitatis fornax cōflauit: erroneum enim est, neminē ante Isaac pœnā aliquā affectum fuisse: & testatur scriptura, & detestatur errorem Cain, cui membrorum tremor in pœnam & in signum datus, Genes. 4. testatur diluuium. Gen. 7. & pentapolis in pœnam cælitùs missa deflagratio. Falsum est, Iacob fuisse primū, qui ex morbo, è viuis abierit: Genes. namque 25. Abraham, erat dierum multorum, defecitque, & mortuus est; atqui deficere, est vsque ad mortē resolui, quod fit altero principiorum radicalium consumptione, quæ restaurari nequit, per quam harmonia corporis soluitur. Falsum est Ezechiā primū fuisse qui ex morbo conualuerit: legimus enim Gen. 12. Pharaonem magnis plagis percussum, & postea sanatum: Iobum quoque pessimâ ægritudine, toto corpore fluente tabo percussū, & ex eâ recreatum. cap. 42. Veriùs nos triplici prece apud Deum instare debere: veluti namque tria sunt præcipuè propter quæ & clamare, & auxilium inuocare solemus, aquarum repentina exundatio, incendium,

Oremus maximè in tribus casibus.

Nam tua res agitur paries cùm proximus ardet

& hostes: ita quotidie nobis, orādi, atque opem implorandi, aduersus totidem mala, recurrit occasio: vt quum aquarū tribulationis illuuie grauamur, clamandum tunc cum Psalmista ps. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* quum ignis concupiscentiæ, vel iræ diuinæ, nos adurit, de quo Deut. 32. *Ignis accēsus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima:* quum hostes, diaboli, & hæretici insidiantur. 1. Petri 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiēs circuit quærens quem deuoret:* tunc propitiandus est Deus. 2. Paralip. 20. *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Quod si nulla te grauis vrget necessitas, orare nihilominus debes, vel vt Deum laudes, vel vt illi gratias agas: quia fieri interdū potest, vt qui orare diu omiserit, peccet mortaliter. Direxerat oculos ad Dominum cōuersus ille de quo Cæsarius lib. 6. de miraculis cap. 30. qui cùm tentaretur grauiter, stans in oratione, sic est Dominum allocutus: verè Domine, si nō liberaueris me ab hac tentatione, ego matri tuæ cōquerar: & pius Dominus, simplicitatis magister, & amator humilitatis, ac si timeret apud matrem accusari, cōuersū querimoniam præuenit, & tentationē mitigauit: Vide alterius orantis in sua afflictione exauditam simplicitatem: Narrat ibidem Cæsarius cap. 31. quòd cùm Magister Ioannes Abbas Sancti Trudonis, tempore quodam visitaret sibi familiarē reclusam, & illa fleret, ait Abbas, quid habes mulier? quare lacrymaris? respondēte illa, ego perdidi Dominum meū, notans deuotionis feruorem. Abbas sciens illius simplicitatē, dixit, circui angulos cellæ tuæ, & dic, Domine, vbi es? responde mihi, forsan in aliquo foramine muri reperies illum: quæ verba fœmina intelligēs simpliciter, id fecit, & inuenit. Nunquam enim suâ spe fraudatur recursus ad Deum, qui sanè iure naturali & diuino haberi debet, quia omnis actus ad æternā salutem necessarius, est quoque ex præcepto diuino necessarius, actus orationis est eiusmodi; siquidem tenemur omnes nostræ salutis curam gerere, & media ad eam inquirere, quòd significauit Dominus Matth. 6. vbi iubens nos esse securos de his quæ ad vitæ corporalis vsum spectant, præcipit, vt primùm quæramus regnū Dei & iustitiam eius, atque adeò, ea quæ ad salutem æternam consequendā fuerint necessaria; quæ quia aliunde, quàm à Deo haberi nequeunt secundū illud Ioan. 15. *Sine mē nihil potestis facere*, ad Deū vtique pro ijs impetrādis, oratione recurrendum est. Ista de orādi conuenientiâ.

Psal. 68.

Deut. 32.

1. Pet. 5.

2. Parel. 20.

Orationis omissio quādo mortalis.

Orare est iuris naturalis, & diuini.

Ioan. 15.

Cæterùm nunc videndum quādo orare oporteat, vt orandi præceptum non violetur, quod quia ex affirmatiuis est, aliquando quidem, at nō semper obligat. Ad huiusce quæstionis elucidationem, illud inprimis aduerterim, orationem dupliciter considerari posse, scilicet, vel vt est determinata, sicut ministrorum Ecclesiæ, vel vt indeterminata, sicut personarum priuatarum.

5. Oratio dupliciter considerater.

Primo modo oratio est præcepti, & omnes Ecclesiæ ministri, tam beneficiati, quàm in sacris constituti, ad preces Horarias, siue Canonicas, quotidie semel plenè recitandas tenentur, secūdum statuta Ecclesiarum quibus ministrāt, ita vt si in aliquibus Ecclesijs cōsuetudo habeat, quotidie aut ferè, officiū defunctorū dicere, hoc quoque nomine horarū canonicarū cōprehendatur.

Horas canonicas legere qui teneantur.

Tenentur quoque ministri Ecclesiæ ad missarū celebrationem, sed non omnes, quia missarum

celebratio, onus est Ecclesiæ, vel beneficij, & non personæ, sicut est onus horarum persoluendarũ, quod inde patet, quia si quis vel minimum beneficiũ habeat, quotidie tenetur ad horas canonicas plenè decurrendas semel, neque qui centũ habuerit beneficia, ad ampliùs tenetur: si tamen ista beneficia seruitium exigunt, tenebitur fortasse ad totidem missas per alios celebrandas. est igitur onus hoc reale, & non personale: vtrũque tamen pertinet ad orationem determinatã. Huc quoque spectat, quod ex voto, quod ex Confessarij impositione, quod ex lege aliquã, vel rationabili consuetudine, aut fundatoris statuto, orare quis tenetur. Non enim in his satisfacit qui aliter, quàm quod præscriptum est facit: neque impositum à Confessario orandi onus adimpleuit, qui anteuertit aut postponit orandi dies, aut coram altari non designato, orat.

Oratio indeterminata.

Indeterminata oratio quæ est priuatarũ personarum, est aliquando sub præcepto, aliquando non: indeterminatam voco, quæ neque ad hoc, vel illud, neque ad multum vel paucum, aliquid præfixum habet, sed sufficit quod fiat, siue conceptis verbis, siue mente. Vnũquemque hoc præcepto teneri sentit Syluester, verbo oratio, nu. 8. vt primùm rationis vsum attigerit; Sed hoc non placet, cùm ad primã rationis lucem nemo detur qui aduertisse potuerit; & fateor ũ sit potuisse priùs veniali notã inspergi, quàm mortali omninò fœdari. Quare sic censeo, cum communi Nauarri, & aliorum, tum, vnumquemque Christianum, sub culpæ mortalis reatu, teneri ad orationem cùm propria virtus & probitas vehementer agitata tentatur, neque est, vnde existimet posse se à grauissimã peccati mortalis tẽtatione, & inde secururã dãnatione liberari, nisi oratione: quia enim quisque aliquando vitam æternã petere teneatur, etiam spiritualia illa bona procurare tenetur, quæ ad illam sunt necessaria, & quæ nisi per orationes, Deo sic decernẽte, obtineri possunt. Obligat præterea priuatum, orãdi

Orandi obligatio.

præceptum, in magna necessitate, præsertim spirituali proximi, quũ illi orationi succurri posse putatur. vt cũ duo districtis gladijs acriter pugnantes de vitã periclitantur. Sicut enim vt Nauarrus habet ex Paludano, attento solo iure diuino, tunc dũtaxat tenemur mendicare, & propter Deum, panem materialem petere, quum nõ subest alia ratio conseruandi vitam nostram corpoream, aut alterius qui nostræ fidei, curæque creditus est: ita tunc demum tenemur orare, & petere bona, ad nostrã vel proximi salutem necessaria, quando nulla alia subest illius conseruandæ ratio. Cuius petitionis necessitas, facit, vt tantã sollicitudine, probi parentes, suos infantulos doceant orationem Dominicã & Salutationem Angelicam, eamque quotidie recitandam inculcent; quorum defectu, lustricis parentibus hoc ipsum præstandũ iniungitur. De consecrat. dist. 4. cap. *Vos antẽ omnia*.

Videntur quoque teneri ad orandum personæ priuatæ, illis diebus, qui ad hoc ab Ecclesiã sunt instituti. vt sunt solemniores diuorũ feriæ, quæ ne aliquo opere corporali polluerentur, idcirco cauit Ecclesia, vt orationi intendere, diuinis incũbere, & ad Ecclesiã conuenire quilibet possit, suamque intentionem in diuinis audiendis ministris confirmare, & vota pro seipsis offerre, quemadmodum ministri pro vniuerso populo offerunt.

Etsi enim neque iure naturali, neque positiuo diuino, tempus aliquod certum præfixum sit, in quo oretur, ita vt orãdi præceptum, solùm obliget pro tempore necessitatis, nisi iuramentum, votum, acceptata pœnitentia, consuetudo, statutum, aut aliunde orta obligatio interuenerit. Recurrunt tamen orandi tempora, quæ sine oratione præterire, nemo Christianus potest vel debet. Dauid Iudæorum Rex congrua orationi tẽpora obseruabat, ter orans quotidie. Psal. 54.

Psal. 54.

Vespere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. & aliquando septies. *Septies in die laudem dixi tibi*: nonnunquam etiam mediã nocte. ps. 118. *Mediã nocte surgebam ad confitendũ tibi.*

Psal. 118.

Quod tempus maximè feriatum est, & orationi opportunissimũ iudicauit D. Bernardus serm. 86. in Cãt. quum ait, oraturo *Tempus feriatum commodius, optimũque; maximè autem cùm profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc planè liberior exit puriorque oratio. Consurge in nocte, inquit, in principio vigiliarum tuarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Quàm secura ascendit de nocte oratio, solo arbitro Deo, sanctoque Angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam! Quàm grata & lucida, verecundo colorata rubore! Quàm serena & placida nullo interturbata clamore vel strepitu! Quàm denique munda atque sincera nullo respersa puluere terrenæ solicitudinis, nullã aspiciẽtis laude, seu adulatione tentata!*

Thren. 2.

Oratio nocturna. secura.

Christus Dominus, orãdi tempus præscripsit, Vespertinum: vespere facto orauit in mõte oliuarum Luc. 22. Nocturnum. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. 6. & Antelucanum; nam valde diluculo surgens in desertum locum secessit, ibi oraturus: & penè cõtinuum: *Oportet semper orare, & non deficere.* Luc. 18. D. Petr. Act. 10. ascendit in superiora vt oraret circa horam sextã, & Act. 3. Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonã. D. Cyprian. in orationẽ Dominicã; obseruatas dicit a Daniele, & tribus pueris horas, tertiam, sextam nonam, itidemque ab Apostolis, his verò adiunctas, matutinam, vespertinam, & nocturnam: horarum Canonicarum institutionem, quæ hodie in Ecclesiã frequentatur, confirmans. Et certè harum horarum vsum non esse nouum, apertis verbis indicauit D. Hieronymus, in epistolis ad Lætãm & Demetriadem. Et D. Clemens Romanus, Pontifex & Martyr, lib. 8. Cõstitutionum Apostolicarũ cap. 34. inter traditiones Apostolicas Episcopo & Clero seruandas, hanc refert; Precationes facite manè, horã tertiã ac sextã, & nonã, & vesperè, atque ad galli cantũ. Manè gratias agentes quod illuminauerit nos, nocte sublatã & reddita die. Tertiã quòd eã horã Pilatus iudicium aduersus Dominum pronuntiauerit: Sextã, quòd eã horã in crucẽ actus sit. Nonã, quòd tum omnia mota & tremefacta sint Domino crucifixo, quia horrerent audaciam impiorum Iudæorum, & contumeliam Domini ferre non possent. Vesperè, quòd noctem dederit ad requiescendum à laboribus diurnis. Ad galli cantum, quòd eã horã nuntiet aduentum diei, ad faciendũ opera lucis. Precum autem horariarum canonicè recitandarum institutionem Sigebertus in Chronicis, & Radulphus Tungrensis, Diuo Damaso, cum D. Ambrosio, & Hieronymo, assignant, & cõsimilem psalmorum per totam hebdomadam iam inde, tum in Romanã, tum in Mediolanensi Ecclesiã, distributio. Quos imitatus D. Benedictus, psalterium in septẽ horas diuisit. vt singulis septimanis, integrum psalterium diceretur. Vt autẽ non modò in Ecclesiã, sed quotidie à presbyteris, septem preces horariæ canerẽtur, institutum ferunt à Pelagio II. Singulis quoque horis, præfationis loco, Diuum Gregorium adiunxisse, illud Psalmi Dauidici, *Deus in adiutorium meum intende.* Porrò vt totidem horæ precariæ, quotidie in laudem Diuæ Virginis, & in sabbato solemniter recitarentur, statutum est ab Vrbano II. in Concilio apud Claremontem anno

Luc. 22. & Marci 6. Luc. 6. & 18 Orationis tempus.

Act. 3.

Horarum canonicarum vsus antiquus.

Psalterium in septem horas diuisum.

anno 1096. vt adnotauit Iacobus Pamelius in D. Cyprian. Sed de his audiamus Cyprianum dogmatizantem. *In orationibus verò celebrandis*, inquit, *inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, sextam, nonam: sacramento scilicet Trinitatis, quæ in nouissimis temporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum Trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quarta procedens, declarat alteram Trinitatem. Et quando à septimâ nona completur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur: quæ horarum spatia, iam pridem spiritaliter determinantes adoratores Dei, statutis & legitimis ad preces temporibus seruiebant, & manifestata postmodum res est, sacramenta olim fuisse, quòd antè sic iusti precabantur. Nam super discipulos horâ tertiâ descendit Spiritus Sanctus, qui gratiam Dominicæ repromissionis impleuit. Item Petrus horâ sextâ in tectum superius ascendēs, signo pariter & voce Dei monentis instructus est, vt omnes ad gratiam salutis admitteret, cùm de emundandis gentilibus, ante dubitaret. Et Dominus horâ sextâ crucifixus, ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit: & vt redimere & viuificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. Sed nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiquitus obseruatas, orandi nunc & spatia & sacramenta creuerunt. Nam & manè orandum est, vt resurrectio Domini matutinâ oratione celebretur, quod olim Spiritus Sanctus designabat in Psalmis dicens, Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, manè exaudies vocem meam, manè assistam tibi, & contemplabor te. Et iterum per Prophetam loquitur Dominus, Diluculo vigilabunt ad me dicentes, eamus & reuertamur ad Dominum Deum nostrum. Recedente item sole ac die cessante, necessariò rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus & dies est verus, sole ac die seculi recedente, quando oramus & petimus, vt super nos lux denuò veniat, Christi precamur aduentū, lucis æternæ gratiā præbiturum.* & post pauca. *Quod si in Scripturis sanctis, Sol verus, & dies verus est Christus, horâ nullâ à Christianis excipitur, quo minùs frequenter ac semper Deus debeat adorari, vt qui in Christo, hoc est, in sole & in die verò sumus; insistamus per totum diem precibus & oremus: & quando mundi lege decurrens alternis vicibus nox reuoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filijs lucis, & in noctibus, dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? Aut quando sol ei, & dies non est, cui sol & dies Christus est? Qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus.* Et exemplū ponit orationis continuæ, in Anna viduâ, quæ Luc. 2. *Non recedebat de templo, ieiunijs & orationibus seruiens nocte & die.*

Psal. 5.

Ose 6.

Luc. 2.

7. Orandum in omni occasione.

Quare non solùm descriptis illis temporibus orandum videtur, sed etiam quacunque aliâ ad Deum confugiēdi occasione oblatâ, veluti in angustiâ, ad imitationem Christi, quem cùm Marci 6. & Ioan. 6. & Matth. 14. turba vellet Regem supra se constituere, in montē oraturus ascendit. Fugit inquit Ioan. Nec illud repugnat, inquit D. August. de concord. Euang. nec enim caussa orandi contraria est caussæ fugiendi: quandoquidem & hinc Dominus transfigurans in se corpus humilitatis nostræ vt conforme faceret corpori gloriæ suæ, per id quoque docebat hanc esse nobis magnam caussam orandi, quando est caussa fugiendi. Item, aliquod opus bonum auspicaturi, orare debemus: & pòst gratias agere. Christianos olim tempore Traiani, ante lucem ad orationem conuenire solitos, narrat historia Ecclesiast. lib. 3. cap 33. & habet Tertull. in Apologetico aduersus gentes, de Plinio Secundo, à Traiano ad ordinandam Bithyniam post consulatum misso, hæc referens: *Plinius enim secundus cùm Prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit Traianum Imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo, & ad conferendam disciplinam; homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibentes. Tunc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos verò puniri oportere.* In quibus verbis breuissimè & elegantissimè Plinius totam Christianæ Religionis disciplinam comprehendit, quæ duobus stat nititurque præceptis, vt Deum per Christum colat, & inter homines virtutem constanter exerceat.

Ioan. 6.

Oratio antelucana.

Christianorum institutum.

Cum gratiarum actione, ante & post cibum orauit Dominus, accepit enim panes & benedixit aspiciens in cælum, Marci 6. & Lucæ 9. quæ benedictio fuit gratiarū actio de accepto à Domini benignitate cibo, Ioan. 6. & cùm gratias egisset distribuit. & Matth. 26. Hymno post cœnā dicto, exijt in montē Oliueti, Christi exemplo, cœna Christianorum olim, potiùs disciplina dici merebatur quàm cœna, de quâ Tertull. Apologet. aduersus Gentes, cap. 39. *Si honesta caussa est conuiuij, reliquum ordinem disciplinæ æstimate, quid sit de religionis officio: nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittitur. Non priùs discumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt. Bibitur quantum pudicis est vtile; ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, vt quisque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit, inde disceditur, non in cateruas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum,* audiant & contineant noctiuagi, lucifugæ sicarij, quos rusquinatores vocant, *sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ; vt qui nō tam cœnā cœnauerint, quā disciplinā.*

Matth. 26.

Orandum ante & post cœnam.

8. Orandum Concionatori.

Christus Dominus postquam turbam pauit in deserto, illâ dimisâ ascendit in montem orare solus, vt nouerit Concionator postquam prædicauerit ad orationem sibi confugiendū, vt si quid verbo profecerit, gratias agat, atque in Deum refundat auctorem, à quo omne bonum, qui suæ cōmunione perfectionis, illustrem eum fecit, illud per ipsum operans, quod per insipientissimū, & ineptissimū quemque efficere poterat. Exemplo Christi, D. Augustinus, post singulos sermones atque tractatus, ad hanc orationem confugere consueuit. *Conuersi ad Dominum Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei, quantum potest paruitas nostra, maximas, atque veras gratias agamus, precantes totò animo singularem mansuetudinem eius, vt preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur: inimicum quoque à nostris actibus & cogitationibus suâ virtute expellat, fidem multiplicet, mentem gubernet, spirituales cogitationes concedat, & ad beatitudinem suam perducat: Per Iesum Christum Filium suum Dominum nostrum, qui cum eo viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.* Coronidis loco hic adijciam, Theodosium iuniorem in omnibus Dei Opt. Max. auxilium implorare solitum, siue bella imminerent, siue aëris tempestas desæuiret. Vnde Leo Pontifex Summus eum semper religiosissimum & pijssimum Augustum in suis epistolis, quas plures ad eū scripsit, appellarit, auctor Cuspinianus. & Carolum V. Imperatorem quotidie suas horas Canonicas, vt vocant, manè lege consueuisse, quas ita extendebat, inquit Laurentius Surius in Chronico, ad annum Christi 1558. vt bis tantùm ferè, quantum Presbyteri semper manè legeret: A cœnâ semper redisse ad longissimas preces suas, quæ duarum plerumque erant Horarum, sicut & Matutinæ. Addit Gulielmus Zenocarus lib. 5. de vitâ Caroli, eum nouas preces in singulas expeditiones cōcepisse, atque propriâ manu conscripsisse, septem ferè Psalmorum longitudine productas: & has à suis confessoribus approbatas, quotidie in agmine & acie existentem legisse. Diuertisseque non-

Theodosius iunior.

Carolus V.

nunquam (quum in oratione incalesceret) per speciem lotij reddendi, aut alui exonerandi, ab agmine, vt prolixiùs feruentiusque oraret. Idcircò de eo quosdam dicere solitos, Carolus sæpiùs cum Deo, quàm cum hominibus loquitur (addit Surius) & diutiùs.

Capitis 29. §. 2.

Quod sit orandum assiduè.

1. Testamenta duo, timoris & amoris.

Apostolus ad Galatas 4. vtrumque testamentum alterum alteri conferens, vnum timoris, alterum amoris; vnum cui munuscula tanquã seruis, data; alterum cui hæreditas ceu filijs promissa: vnum per Agar Ancillam significatum, alterum per Saram liberam, ait, *Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra,* luculenter significans, nos electos esse in ciues Sanctorũ, & domesticos cælestis illius Ciuitatis, cuius filij nominamur, quæ libera est, per Saram significata, neque vlli prorsus seruituti, doloribus, ærumnis, luctuique obnoxia. Per hoc enim quòd aliqui fiunt alicuius Ciuitatis ciues, vt inquit D. Thomas, in eum locum lect. 7. filij quoque eius efficiuntur: & quilibet ciuis alicuius Ciuitatis, dicitur esse filius eius, & ipsa Ciuitas, est sicut mater eius; ita Threnor. 6. *Filij Sion inclyti*, de ciuibus Sion. Et Luc. 23. *Filiæ Hierusalem nolite flere.*

Galat. 4. — Thren. 6. — Luc. 23.

2. Ecclesia duplex.

Et quia huiusce matris contemplatio duplex esse potest, vel vt per eã generamur, & est Ecclesia militans, vel vt in cuius spem filiationis generamur, secundum illud 1. Petri 1. *Regenerauit nos in spem viuam,* & est Ecclesia triumphans: à quatuor proprietatibus vtrique statui conuenientibus illam descripsit Apostolus: à sublimitate, quæ vel est apertę visionis, & perfectę fruitionis Dei, qualis in Ecclesiã triumphante futura est: vel fidei & spei, qualis est sublimitas Ecclesiæ militãtis: vnde ait, *Illa autem quæ sursum est:* & cùm addit *Hierusalem,* quod est, *pacis visio* à pace illã describit, quæ est tum in triumphante. Isa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*: tum in militante Ecclesiã, vtpote, quę in Christo pacis auctore quiescat. Ioan. 16. *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.* Tertiò à libertate, quæ vtrique Ecclesiæ cõmunis est. *Libera est,* inquit. & ad Rom. 8. *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Et vltimò, à fœcunditate, *quæ est mater nostra:* militans quidem vt generans, triumphans autem vt in cuius finem generamur: militans vt parturiens & in parturitione dolor; triumphans vt pariens, & in partu gaudium: quia linteo gloriæ *Abstergit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra: quia prima abierunt.* Apocal. 21.

1. Pet. 1. — Isa. 32. — Ioan. 16. — Rom. 8. — Apoc. 21.

3. Ciuitates duæ.

Velut autem impiorũ hominum, dæmonumque, vna tandem erit Babylonia quam efficient contemptus Dei societate coniuncti: ita iustorũ, hominũ & Angelorũ vna erit Ciuitas Hierusalem, quã cõstituent, amoris Diuini vnitate copulati, *vt nõ quatuor,* inquit D. Aug. l. 12. de Ciuit. Dei, cap. 1. *duæ scilicet Angelorum, totidemque hominum, sed duæ potiùs ciuitates hoc est societates, meritò esse dicantur: vna in bonis, altera in malis, non solùm Angelis, verùm etiã hominibus constituta.* Ad Babylonem refertur illud Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius* & ad vnius societatis Sanctorum constitutionem, reportatur vnica ouis inuenta, ad nonaginta nouem in deserto congregatas, hoc est ad Angelorum contubernia, assumitur homo: Neque metuendum est, non comparem naturam, tanquam suo indignam cõsortio cælestes illos Spiritus repudiaturos, quòd sese homo sæpè sæpiùs Diuinæ Maiestatis reũ constituerit: namque, vt D. Anselmus lib similitudinũ inquit, si D. Petrum à suã societate repellerent, respondere posset, ô Gabriel, si me despicis, si me aspernaris quia abnegaui, & eiuraui Dominum meum, quod non fecisti, non es mortem pro illius nomine passus, quod ego feci.

Matth. 25.

Angeli non respuunt hominum societatem.

4. Angelus & homo, fratres.

Sunt igitur homines & Angeli, fratres & conciues, & quamuis naturà ab inuicem secernãtur, in gratuitis tamen eiusdem esse ordinis censentur, ideoque humanos vultus in apparitionibus suis induunt; ideò homines, tanquã suę consortes gloriæ diligunt, ad quã non disparibus vtrimque medijs, sub vno eodemque hominis & Angeli capite Christo, accessus datur. Solùm quod differunt est, quia Angeli continenti laude, absque vllã interpolatione Deo præcantant iucundum Alleluia, quod homines, mortalis vitæ, varijs distracti curis, facere nequeunt, propter quas deprecari illos oportet, & dicere, *Dimitte nobis debita nostra,* Pulchrè D. August. in expositione Psal. 148. *Celestia tranquilla sunt, pacata sunt, ibi semper gaudium, nulla mors; nulla ægritudo, nulla molestia, semper laudant Deum Beati. Nos autem adhuc in imo sumus. Sed quum cogitamus quomodo ibi laudetur Deus, cor ibi habeamus, & non sine caussã audimus, Sursum corda. Leuemus cor sursum, ne putrescat in terrã: quoniam placet nobis quòd ibi agunt Angeli. Modò nos spe, sed postea re, sed cùm illuc venerimus.* Et, *Vnde, quoniam peregrinamur, miseri adhuc sumus; & quò redituri in spe beati: & quò cùm redierimus, in re beati:* & rursus. *Quale præceptum dedit illis Deus? Quale, nisi vt laudent illum? Beati quorum hoc est negotium, laudare Deum. Non arant, non seminant, non molunt, non coquunt. Opera enim sunt ista necessitatis: ibi necessitas non est. Non furantur, non deprædantur, non adulterantur. Opera enim sunt ista iniquitatis, ibi iniquitas non est. Non frangunt panem esurienti, non vestiunt nudum, non suscipiunt peregrinum, non visitant ægrotum, non concordant litigiosum, non sepeliunt mortuum. Opera enim sunt ista misericordiæ, ibi autem nulla miseria est, in quã fiat misericordia.* Ista sunt consuetudinis humanæ, nos enim mortales, abiecti, proiecti, terra & cinis, rerum vicissitudini obnoxij; multis grauamur corporis necessitatibus, quibus vt succurramus, multis quoque impedimur, quo minùs iuges Deo laudes decantare possimus. Frustràne ergo sine intermissione orare iubemur, si ab oratione intercedentibus vitæ humanæ incommodis repellimur? *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* ait Dominus Luc. 18. qui & pernoctabat in oratione, inquit D. Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel, cap. 6. non vt sibimet prodesset, sed vt nos doceret, frequens enim oratio, quandam operatur disciplinam orandi, quia ipse vsus, docibiles facit Deo, indocibiles, negligentiã, &c. & ad Christi imitamentum, *Apostoli orare diebus ac noctibus non destiterunt,* inquit D. Cyprian. epist. 8. *Et Dominus quoque ipse disciplinæ magister & exempli nostri via, frequenter & vigilanter orauit.* Quorsum ista in exemplum proponuntur, si imitari non libeat? Sanè Origenes homil. vnic. in cap. 1. lib. 1. Regum, explicans illa verba, sine intermissione orate: & D. Basil. homil. in psal. 30. ad illa, *Semper laus eius in ore meo:* meritò quærunt, quî istud fieri possit? Multa intercedere vsus humani, cibi, potus, somnique tempora recurrere, & ad corporis necessitatẽ respicientia colloquia, ob quæ intermittenda videatur oratio. Et respõdent neminem iustorum absque vllã interpolatione orationi vacare posse, si solùm communiter oratio accipiatur: Si verò omnem actum iusti, qui secundum Deum fit, ad orationem referas, quia vir studiosus continenti, atque indiuulsã actionum suarum serie Deum laudat, sine intermissione orabit, nisi iustus esse desinat: dicta igitur, factaque illius, siue bibit, siue edit, siue dormit, laudes sunt Creatoris. Id quod hoc Dauidico insinuatũ scribit Origen. *Eleuatio manuũ mearũ sacrificiũ vespertinũ: nam per manus, inquit, opera intelliguntur.*

Angeli iuges Deo laudes canunt.

5. Luc. 18.

Oratio frequens disciplinam parit.

Psal. 30.

Orandum semper.

Psal. 140.

Eleuat

eleuat manus ille qui eleuat actus suos à terrâ, & conuersatio eius adhuc in terrâ ambulantis, in cælo est. Excelsi ergo actus, & sublimes, quos videntes homines, magnificant Patrem cælestem, eleuatio manuum dicitur, & sacrificium vespertinum. An non & in lege id per mysterium docebatur, quando eleuatis manibus Moisi, vincebatur Amalech, vincebat autem quando illæ deponebantur? In his intelligere debemus, quia donec famulus Dei eleuat actus suos ad Deum, vincit gens Dei, cùm autem deiecerit, & dimiserit manus, id est actus suos, vincit Amaleck inimicus Dei. In quam quoque sententiam Diuus Augustinus enarrat, in psalm. 148. quum ait, *Laudate Dominum, dicis tu alteri, & dicis ipse sibi; quum se omnes exhortantur, omnes faciunt quod hortantur. Sed laudare totis votis: id est, vt non solùm lingua, & vox vestra laudet Deum, sed vt conscientia vestra, vita vestra, facta vestra. Etenim laudamus modò in Ecclesijs quando congregamur: quum quisque discedit ad propria, quasi cessat laudare Deum. Tunc desinis laudare Deum, quando à iustitiâ, & ab eo quod illi placet, declinas. Nam si à vitâ bonâ nunquam declines: lingua tua tacet; vita tua clamat; & aures Dei ad cor tuũ. Quomodo enim aures nostræ ad voces nostras, sic aures Dei ad cogitationes nostras.* Et hoc est quod D. Basil. ait suprà, *Cogitatio quæ de Deo est semel impressa, & velut sigillo obsignata in mente, potest iam Dei rectè appellari semper in animâ existens, & talis, quum dormit, cor vigilat.* Vnde Theodoretus in prioris ad Thessal. 5. *Nec hoc quidem est ex ijs, quæ fieri non possunt*, nempe, quod Apostolus ait, sine intermissione orate, *facilè est enim etiam comedenti, Deum laudare, & ei qui iter ingreditur, Diuinum auxilium postulare.*

Vita bona, oratio continua.

6. Orationis acceptio duplex.

Ex quibus liquet, orationem dupliciter accipi posse, vel secundum essentiam suam, vel secundum virtutem & effectum inde secutum: veluti namque proijcere lapidem quoad essentiam actus, non durat, nisi quamdiu manus lapidi adhibetur; durat autem virtute, quamdiu lapis ille iactus mouetur, donec debilitatâ motionis virtute, vel quiescat, vel contrario motu feratur, nisi rursus impellatur: ita de oratione est: perseuerat quoad essentiam, quamdiu durat formatio conceptuum si mentalis est, vel prolatio verborum, si vocalis. Quantum verò ad virtutem, orationis efficacia perseuerat in operibus, scilicet desiderium illud, quod ad operandum nos mouet, continuatur in nostro opere, donec tanta sequatur remissio feruoris caritatis, vt nisi rursum nouo orationis spiritu impellatur, deorsum animus ad deteriora consectanda feratur.

7. Orare semper nemo potest.

Primo itaque modo, orare nemo semper potest, nec debet, aliquid enim dandum humanæ consuetudini, opera misericordiæ exercenda, & si quæ huiusmodi, orationis actum interrumpunt; quia cùm oratio sit pars vitæ contemplatiuæ, vt inquit Hugo de S. Victo. contemplationi autem indiuulsæ vacare nemo debeat, sed interdum sese ad actionem extendere, ita neque orationi sic acceptæ, insistendum iugiter. Hinc Marcus Marulus lib. 2. cap. 1. Ne continenter orando, defatigatus quandoque concidat animi vigor, & cogitationibus diffluat, atque dilabatur, rectè maiores nostri horas diei diuiserunt, alias orationi, alias actioni, alias verò lectioni. Hinc quidam tradunt, Virginem beatam, postquam à parente in templo cultui Diuino fuit dedicata, à manè ad horam tertiam precibus: à tertiâ ad nonam manuũ labori; tum sumpto cibo, à nona ad vesperam, scripturarum meditationi operam dare consueuisse, hæc ille.

Beatiss. Virginis in templo exercitium.

8.

Secundo autem modo, oratio continuari debet, sicut & motiuum eius, quod est vitæ æternæ desiderium, quod in nostris bonis operibus perseuerat. Durat enim orationis virtus in opere bono, iuxta illud Glossæ 1. Thessal. 5. *Non cessat orare, qui non cessat benè agere.* Ad quod vt quisque semper tenetur, tenetur & semper orare: & semper orat, & nunquam deficit, qui aliquid agit, quod ad vitæ beatitatem ordinatur. Hinc Diuus Augustinus Epist. 121. ad Probam viduam, cap. 9. *In fide, spe & charitate, continuato desiderio semper oramus. Sed ideò per certa interualla horarum, & temporum, etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc agendum nos ipsos acriùs excitemus. Ac per hoc quod ait Apostolus, sine intermissione orate, quid est aliud quàm beatam vitam quæ nulla nisi æterna est, ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate? Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus, & oremus semper. Sed ideò ab alijs curis, atque negotijs, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebriùs inflammetur.*

Orat semper qui benè semper agit.

In hanc sententiam D. Anselmus explicat illud Apostoli 1. Thessal. 5. *Sine intermissione orate.* Id est, inquit ille, vt nullo die intermittatis certa tempora orandi. Sed & continuum desiderium cordis, continua oratio est, non enim possumus semper esse prostrati, sed qui vult intermittere orare, non intermittat desiderare. Sic enim orabat Moises Exodi 14. cui tacenti dixit Dominus, *Quid clamas ad me?* clamabat enim corde, quamuis nihil diceret ore.

1. Thess. 5.

Exod. 14.

9. Tripliciter sine intermissione, aliquis orare dicitur. 1.

Quia ergo semper exercendum est quod semper prosit, vt inquit Tertullianus, & omni momento & quotidie oratio hominibus est necessaria, tripliciter fieri posse, vt illud Apostoli, *Sine intermissione orate*, ampleatur, docet D. Thomas in eum locum, lect. 2. Primo enim semper ille orat, qui statutas orationis horas non intermittit, sicut is semper adesse dicitur, qui statis horis nunquam non adest, secundum illud 2. Reg. 9. *Tu comedes panem in mensâ meâ semper*: eam quippe Dominus à nobis in orando perseuerantiam requirit, quâ efficiamur idonei accipere quod petimus, in eo positam, non quidem vt ab oratione nunquam cessemus (hoc enim vitæ mortalis conditio non ferret) sed vt nullas orandi occasiones, siue interdiu, siue noctu oblatas, negligamus. Id quod perfectorum est, spiritualem vitam profitentium, Ecclesiæve ministrorum præcipuè, quibus incumbit efficere, vt non solùm habitu, sed etiam actu, orationis glutino, Deo coniungantur, quam frequentatam dicimus potiùs, quàm perpetuam: qualis fuit eorum de quibus D. August. epist. 121. cap. 10. *Dicuntur fratres in AEgypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras euanescat; atque hebetetur intentio.* Ideò verò, hebdomadæ dies, qui à signis cælestibus, siue planetis, sæculariter denominantur, Beatus Syluester feriarum nomine insigniuit, vt nouerint Ecclesiastici à sæcularium negotiorum curis continuò sibi feriandum esse, & perperam illos agere, qui operibus laicis, qui commercijs, ne dicam, intemperantiâ, & incontinentiâ (quod turpissimum, fœdissimumque est) feriatos dies; malè feriati polluunt.

2. Reg. 9.

Orationes iaculatoriæ Monachorum Ægypti.

Feriæ nomẽ cur datum diebus hebdomadæ.

10. Abbatis Lucij continua oratio.

Sine intermissione orabat Abbas Lucius Speculi exempl dist. 2 exemplo 146. ad quem cùm Euchitæ Monachi, à continuâ oratione Oratores appellati, venissent, eosque interrogasset, num quid operis manibus exercerent; num manducarent, num dormirent; & si ista agerent, quisnam pro illis per ista interruptæ orationis interualla oraret; nec haberent quod responderent, nisi quòd opus manuale nullum contingerent, sed sicut dicit Apostolus, sine intermissione

Euchitæ, opus manuale non faciebant, cur.

ne orarent, & interea manducarent quoque & dormirent: respondit, ignoscite fratres quia ecce non facitis, quod dixistis. Ego autem ostendo vobis, quia operãs sine intermissione oro. Sedeo enim iuuante Deo, atque palmulas plectens, plectrum mihi facio & dico Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Hocne orare est? omnino, inquiunt illi. Et senex, quum totam diem extendero laborans, & orans corde, vel ore, sedecim circiter nummos lucrifacio, duos ex his in stipem ad ostium pono, quos qui accipit, pro me orat tempore quo reliquos manduco, vel dormio, atque ita per gratiam Dei impleo præceptum quod scriptum est, sine intermissione orate. Hanc orandi formam præscripsit Dominus orans, & post orationem ad turbas & discipulos suos, eos docturus reuertens: eam obseruauit D. Paulus: operabatur enim Act. 20. *quoniam ad ea quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et ad Rom. 1. *Sine intermissione memoriam facio vestri semper in orationibus meis.*

Act. 20. *Rom. 1.*

11. Orationis cultores. D. Bartholomæus, D. Iacobus. D. Martha.

Orationi insistebat assiduè Diuus Bartholomæus Apostolus, qui centies in die, & centies in nocte flexisse genua, dum orationes iteraret, fertur. D. Iacobo Alphæi, vtrumque genu in modũ camelorum procumbendi assiduitate, occalluerunt. Diuã Martham, centies per diem, & cẽties per noctem submittere genua solitam ferunt, dum illum supra cælos regnantem adorat, quem in terris morantem suscepisse hospitio, beneficij loco habuit: non iam minus supplicando solicita, quàm olim fuerat in ministrando, inquit Marulus lib. 2. cap. 1.

Senex in Thebaide.

Abbas Ioannes Eunuchus, cùm esset in Thebaide, ingressus cellulam senis cuiusdam in Cœnobio Abbatis Apollo, vidit, quia vbi stare ad orationem solebat, tabula erat supposita: vbi autem genua figebat & manus, concauum erat plus quàm digitorum quatuor. Ex frequentiâ quippe & vsu continuæ orationis, cauauerat tabulam. Sophronius, Prati spiritualis cap. 184.

D. Benedictus.

Apud Sublacum, qui ab vrbe distat quadraginta milliaribus, locus est adeò angustus, vt nec erecto corpore stare, nec in genua se erigere quis possit: in longum tamen ita porrectus est, vt humani corporis longitudinem ferat: ibi trienniũ agens D. Benedictus, continuâ se in oratione prostrauit, & politissimus, & præ nimiâ æqualitate lubricus euasit, cùm tota speluncę pars tam intra quàm extra, saxum sit longè asperrimum.

Thrasilla.

D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 16. Virginis Thrasillæ amitæ suæ meminit, quam cùm vitâ functam lauare vellent, genibus, cubitisque concretam callorum duriciem apparuisse: palamque factum exanimi iam corporis indicio, quanta illi adhuc viuenti, sanctarum precum cura studiumque fuerit.

Volbodus Episc. Leod.

Volbodus Leodiensis Episcopus, continenti poplitum flexione, grandes genibus obduxit callos, frigoris, vigiliæ, inediæ, adeò patiens fuit, vt sæpiùs hyeme nudis pedibus in templis pernoctaret. Maximus pauperum amator & fautor, quos subinde necessitatijs iuuit. Floruit anno 1021 Hieron. Zieglerus de viris illustr. German. Quod si sic orarunt, inquit Marulus, qui iam Spiritus S. igne excocti, omni puriùs auro renitebant: & qui terrenis omnibus superiores, mente alatâ cælos iam ipsos erant transgressi; quid nos facere oportet, qui peccata peccatis cumulantes, quotidie Diuinam in nos indignationem prouocamus. Submissiùs supplicare debet, qui grauiùs delinquit: & tam perseueranter animum intendere orando, atque pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, fortissimâ intentione superet, & petita consequatur: siue autem consequatur quod petit, siue non consequatur, semper perseueret in oratione. Et non solùm gratias agat si consequatur, sed etiam si repulsam passus fuerit. Nam quum Deus aliquid nobis denegat, non minus est quàm si concessisset, inquit D. Chrysost. homil. 30. in Gen. 11. Nescimus enim nos quid nobis conducat sicut ipse nouit.

Oranti abnuere Deum annuere est.

12. Desiderium vim orationis habet.

Secundò, *Semper*, id est continuè orate, inquit D. Thomas: sed tunc oratio, sumitur pro effectu orationis. Est enim oratio interpretatio, seu explicatio desiderij, quia quando aliquid desidero, tunc illud orando peto, ideò & oratio est petitio decentium à Deo, & ideò desiderium habet vim orationis, vnde Psalmista ait, *Desideriũ pauperũ exaudiuit Dñs.* Omnia ergo quæ facimus, ex desiderio proueniunt: atque ita, quũ omnia bona quæ facimus ex desiderio boni proueniãt, oratio in bonis quæ facimus, manet. Quemadmodum diximus suprà num. 8. & rursum dicere, non abs re est.

Psal. 10.

Festiuitas indefinens non interrupta oratio.

Origenes homil. 23. in Num. cap. 28. istud vocat primam festiuitatem Domini, quæ dicitur indesinens, quia non aliquando quidem agenda est Deo, aliquando verò non agenda festiuitas, sed semper & indesinenter, iustus agere debet diẽ festum, quod significatur sacrificio, quod in matutinis & vespertinis, indesinenter mandatur offerri. *Has ergo festiuitates Dominus dicit, Et obseruabitis dies festos meos. Dies ergo festus est Domini, si & sacrificium indesinens offeramus, si sine intermissione oramus, ita vt ascẽdat oratio nostra, sicut incensum in conspectu eius mane, & eleuatio manuum nostrarum fiat el sacrificium vespertinum. Est igitur primò solemnitas sacrificij indesinentis, quæ à cultoribus Euangelij eo modo quo diximus, debet expleri. Sed quoniam sicut Propheticus sermo perdocuit, dies festi peccatorum conuertuntur in luctum, & cantica eorum in planctum, certum est, quia qui peccat, & agit diem peccati, agere non potest diem festum. Et ideò illis diebus, quibus peccat, offerre non potest indesinens sacrificium Deo. Sed ille offerre potest, qui indesinenter custodit iustitiam, & conseruat semetipsum à peccato.* Hactenus Origen.

Amos 8.

Quod vt facere quis valeat disertis verbis docet D. August. in psal. 34. exponens illa verba, *Lingua mea meditabitur iustitiam tuam totâ die laudem tuam. Et cuius lingua,* inquit, *durat totâ die meditari laudem Dei? Suggero remedium vnde totâ die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, benè age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum. Lingua tua quid agit, nisi laudet conscientia tua? & quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis vt reficiaris, noli inebriari, & laudas Deũ. Discedis vt dormias, noli surgere ad malefaciendum, & laudasti Deum. Negotia agis, noli fraudem facere, & laudasti Deum. In innocentia operum tuorum, prepara te ad laudandum Deum totâ die.* Ita D. Augustinus, & Cassian. collat. 1. cap. 17. nõ solùm probat orationem assiduam, sed etiam ad eam Monachum instituit. Sic enim habet: Ideò frequens lectio, & iugis adhibeatur meditatio Scripturarũ: vt exinde nobis spiritualis memoriæ tribuatur occasio: idcirco decantatio crebra Psalmorum, vt assiduè nobis compunctio ministretur, idcirco vigiliarum omnium, ieiuniorumque sedulitas, vt extenuata mens, non terrena sapiat, sed cælestia meditetur, &c. idem ferè collat. 10. cap. 9. Ad perpetuam autem Dei memoriam possidendam, erit hæc inseparabiliter proposita formula pietatis, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina,* idque inculcat adeò, vt tandem addat, Hunc versiculum tibi meditanti, somnus obrepat, donec incessabili eius exercitatione formatus etiam per soporem eum decantare consuescas: vide Climacum gradu 29. Et certè istud fuit peculiare Sanctorum studium, quo sic orandi assiduitate incaluerunt, vt indiuulsi ab oratione, infestantis dæmonis terriculamẽta flocci facerẽt.

Psal. 34.

Laudes Deo dicuntur in omni bona actione.

Ps. 69.

Theodo-

13.
Orationi assidui D. Dominicus.

Theodoricus de Appoldia lib. 3. vitæ D. Dominici Prædicatorum Fratrum Antesignani, eum ita orationi intentum fuisse narrat, vt nocte quadam ad preces ante aram prostratum, cùm malus dæmon interturbare vellet, grandem lapidem à tecto Ecclesiæ deiecerit, idque eo impetu, vt tota Ecclesia eius casu circumsonaret. Vsque adeò autem capiti eius fuisse propinquum lapidem, vt iubes capitij eius partem contingeret. Sed viro Dei nihil se mouente, hostem terribili voce eiulantem, cũ multâ ignominiâ abiecisse.

Lupicinus & Romanus.

Non absimile est, quod narrat Gregor. Turonens. in vitâ Sanctorum Lupicini, & Romani Fratrum, apud Aloysium Lippomanum tomo 8. Ij enim intra Lorensis deserti eremum vitam degebant austeriorem, herbarum solis victitantes caudicibus. Id Dæmonibus miris modis erat exosum: lapidibus enim vrgere hos Dei seruos per singulos dies perseuerabant: quin quotiescunque pro more suo genua ad orandum Deum deflexissent, statim imber lapidum, proijcientibus dæmonibus, in eos decidebat, adeò vt sæpè vulnerati immensis dolorum cruciatibus torquerentur: at illi orationum perseuerantia, hostilem impetum deuicerunt. & eiectis inde dæmonibus, reliquum vitæ, sanctè peregerunt.

14.
Orat indefessè, qui eleëmosynam erogat.

Quia verò parùm prodest oratio, nisi bonis operibus associetur, stabiliaturque, quibus tota incalescat, atque lucidiori caritatis flammâ, inimicæ potestatis vmbras, solium stellatum Dei aditura, electetur, addit tertiò D. Thomas, indefesse eum orare, qui eleëmosynam dat, quia qui eleëmosynam accepit, orat pro te, etiam te dormiente: quemadmodùm Abbas Lucius suprà, num 10. testatur. Quin imò oraturos Christianos, eleëmosynas primùm erogare præcipit D. Chrysostomus homil 43. in cap. 16. prioris ad Corinth. monens vt vnusquisque in suis ædibus, eoque in loco, vbi oraturus recedere solet, arculam collocet pauperibus, in eamque semper, priusquam ad orationem accedat, eleëmosynam inferat & sic demum preces suas faciat. Et rursus in 2. cap. prioris ad Timotheum homil. 6. inquit, infructuosam esse orationem absque eleëmosyna, & prolixè disputat, non esse absque eleëmosyna orationibus vacandum, & meritò, quia vt inquit D. Basil. homil. 8. in diuites auaros, *Deus manum non aperit, quoniam fraternitatis caritatem occlusimus. Supplicantium vox frustra clamat, & in aëra euanescit ac dissipatur. Nam & nos rogantes, minimè audimur. Sed quæso quales sunt nostræ preces? qualis oratio? Viri, propter paucos, mercaturis vacant; pauci admodum mecum ad orandum relinquuntur, & hi tædio affecti, oscitantesque, ac continuò huc illucque se versantes, denique obseruantes, quando is qui psalmos canit, versum expleat, vt tanquam è vinculis, ac aliquâ custodiâ è templo liberentur, &c.* Quæ eleganter in hanc sententiam prosequitur. Et apud Salomonem legimus Eccl. 29. *Conclude eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Et iterum Prouerb. 21. *Qui obturat aurem ne audiat imbecillum, & ipse inuocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum.* In quæ verba D. Cyprianus lib. de opere & eleëmosynis. *Neque enim promereri misericordiam Dei poterit, qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de Diuinâ pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.* Namque, vti Tertullianus Exhortatione ad Castitatem, inquit. *Oratio de conscientiâ procedit. Si conscientia erubescit, erubescit oratio. Spiritus ducit orationem ad Deum. Si spiritus reus apud se sit, conscientia erubescit, quomodo audebit orationem ducere ad altare?* Quare rursum Diuus Cyprianus in Orationem Dominicam, hortatur, ne deprecaturi, vacuas in cælum manus leuemus, inanes ad nos recituras orationes, quas ieiunium & eleëmosyna non comitantur. *Orantes autem*, inquit, *non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniant: inefficax petitio est, quum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: vtique & sermo non habens fructum, promereri Deum non potest, qui nulla est operatione fecundus: Et ideò Scriptura Diuina instruit dicens: Bona est oratio cum ieiunio & eleëmosynâ. Nam qui in die iudicij præmium pro operibus & eleëmosynis redditurus est; hodie quoque ad orationem cum operatione venienti, benignus auditor est.* Quod exemplo Tobiæ & Centurionis confirmat, quorũ orationes & eleëmosynæ ascenderunt in conspectum claritatis Dei.

Ecel. 29. — Prou. 21. — Tob. 12.

15.
Orationi miscenda ieiunia.

Ieiunia quoque orationi misceri debent, quibus ipsa vehementiori ardeat & impleatur adfectu; ieiunijs enim preces accendi videntur, etiam physicè, quoniam calor, alimento humido destitutus, acrior & feruentior redditur. Ieiunio vires orationi accedere, non dissimulauit D. Bernardus serm. 4 de Quadragesima, vbi ait, *Ieiunium, orationi deuotionem & fiduciam donat. Et vide quemadmodum sibi inuicem ieiunium & oratio socientur, sicut scriptum est, frater adiuuans fratrem, ambo consolabuntur. Oratio virtutem impetrat ieiunandi, & ieiunium gratiam promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat, oratio sanctificat ieiunium, & Domino repræsentat.*

Eccl. 35.

16.
Peregrini, de patriâ iucunde fabulantur.

Iam tandem, vt finem dicendi faciam, quum Apostolicis, & Domini verbis infatigabili assiduitate orationi incumbere iubemur: profectò admonemur cælestis Hierusalem, in cuius spem generati sumus, & ciues illius designati, ad quam velut peregrini suspiramus: Cùm enim familiare sit vnicuique in patriam suam benè adfecto, non illibenter de loco natalium suorum sermocinari, eumque, quanquam non admodum clarus sit, magni supra modum facere: ceu Vlysses, Itacæ suæ, villæ humilioris vnde oriundus erat, fumos, præ cæterarum Regionum Sole meridiano, clariores splendidioresque habuit: sic prodit animum, prodit patriæ cælestis adfectum hominis oratio, atque laudum Diuinarum continuata successio. Quod opus, sicut cælestis aulæ Senatoribus, ita homini ad beatarum Mentium consortia adspiranti, est maximè propriũ: vt ex quo solo, facilè coniectare liceat, quinam sint cæli Ciues, qui verò minimè. Orationes enim sunt ad cælum suspiria, & laudes Deo decantatæ supernorum Ciuium cum Deo colloquia, quas qui nõ agitat, qui terræ adfixus hæret, oblitus officij sui, oblitus Dei sui; is non cælestis Hierusalem Ciuis, non filius; sed terræ potiùs genitura quædam, dici debet.

Fumi domestici sole alieno clariores.

17.
Oratio diuinos facit.

At videas diuinos homines, quibus oratio mentis saturitas & pabulum fuit, diuinum quiddam oculis & vultu ab oratione spirare, atque ita præceptâ quadam cælestis Ciuitatis suæ gloriâ, præfulgere. Philiberti Abbatis apud Rothomagum Galliarum Vrbem, in Ecclesiâ deprecantis oculi, veluti duo sidera fulgere visi sunt: Marul. lib. 2. cap. 1. Apparebat in carne Diui Bernardi gratia quædam, spiritualis tamen potiùs quàm carnalis: in vultu velut claritas quædam præfulgebat, non terrena vtique, sed cælestis: in oculis Angelica quædam puritas, & columbina simplicitas radiabat. Tanta erat interioris eius hominis pulcritudo, & euidentibus quibusdam indicijs foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ, copiosè perfusus homo quoque exterior, videretur: vitæ eius lib. 3. cap. 1.

Philibertus Abbas. — D. Bernard.

D. Seruatius.

Seruatio Traiectensi Episcopo oranti, igneus supra verticem globus apparuit: qui mox in sublime euolans, cælum petijt: testatus in ignis specie, orationum eius feruorem; in splendore, vitæ

D. Sabas.

vitæ puritatem: in ascensu meritorum altitudinem: Marulus lib. 2. cap. 1. S. Sabam orationis dono clarum, cùm aliquando ad suburbia Constantinopolis venisset, Iustinianus Imperator, missis ei obuiam Epiphanio Patriarchâ, iuuenibus imperatorijs & satellitibus, qui eum ad se honorificè deducerent: non tanquam terrenum aut mundanum aliquem, sed velut vnum ex Angelis, & ciuem supernæ Hierusalem suscepit: Quem postquam adhuc procul procedentem agnouit Imperator, ille quoque cernebat aliquid simile ei, quod viderat Anastasius Imperator: videbat enim quandam coronam eius capiti impositam, eleganti quodam splendore decoratam, & micantem luce omnis generis gratiarum.

18. Oratio est victima.

Insuper oratio est victima præcipua, per quam nos Dei esse profitemur. Hanc veritatem testatur & ipsa lex (vt habet Philo Iudæus lib. de victimis, quem citauimus supra cap. 18. §. 1. num. 5.) quæ iubet poni duo altaria, materiâ, loco, & vsu differentia: alterum enim è saxis collectitijs impolitis exstruitur in atrio iuxta templi vestibulum ad immolandas victimas: alterum verò aureum, situm post primum velum impenetralibus, nemini conspicuum nisi Sacerdotibus functionis suæ tempore castitatem seruantibus, quod adolendis odoribus est extructum. Quid autem significant odores, nisi preces, quarum suffitu suauissimo capitur & delectatur Deus?

Oratio est basis virtutum.

Credentes in Christum lapides esse viuos, quibus spirituale ædificium construitur, & templum Dei, quod estis vos, Scriptura pronuntiat: in quo ædificando, licet omnes virtutes in animâ esse debeant, vt homo salutem consequatur, inquit D. Chrysost. lib. 1. de orando Deum, *Cæterum precatio seu radix & basis, omnibus cæteris substernitur. Neque secus ac nauem & domum, ea quæ substrata sunt, validam reddunt, ac ne soluatur, continent: ita vitam nostram orandi studium continet, & vbique firmam reddit, adeò vt absque hoc, nihil nobis boni possit contingere, neque quod ad salutem conducat.* Firmatur ergo, fundaturque precationibus tanquam validioribus quibusdam lapidibus, spiritualis structura templi: *Sed in hoc ædificio ecclesiæ, oportet esse & altare*, inquit Origenes homil. 9. in cap. 8. & 9. Iosue. *Vnde ego arbitror, quod quicunque ex vobis lapidibus viuis apti sunt in hoc & prompti vt orationibus vacent, & vt die noctuque obsecrationes offerant Deo, ipsi sunt ex quibus Iesus ædificat altare: sed lapides sunt integri, quibus ferrum non est iniectum.* Et in illo templo, & in illo altari aureo propter charitatem, hoc [illegible] animâ, & in corde hominis iusti, adoletur thus orationis mundum, in odorem suauitatis Deo.

Apoc. 5.

Ideò Apocal. 5. Propheta Euangelicus, vidit in cælo viginti quatuor seniores, qui ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.

Apoc. 8.

Ideò Apocal. 8. Angelus stabat ante altare habens thuribulum aureum, cui data sunt incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum, & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli, coram Deo.

Iudic. 13.

Angelus in flammâ sacrificij ascendit.

Ideò Iudicum 13. cùm sacrificium Manue offerret Deo, & ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flammâ ascendit. Ideò dirigi in cælum orationem suam precabatur Dauid, & instar odoris fragrantissimi, ex altari cordis sui aureâ caritatis flammâ succenso euaporantem efferri vsque ad conspectum & nares Dei.

Psal. 140. Orationis vis.

psal. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Blanda vis, sed potentissima, orationis, quæ cæli claustra reserans, Deo ipsi vim quandam facit, & de eius thesauris, mirabiles Diuinæ Clementiæ educit effectus.

Act. 16.

Actuum 16. *Mediâ nocte Paulus & Silas adorantes laudabant Deum, & audiebant eos qui erant in custodiâ. Subitò verò, terræ motus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: & vniuersorum vincula soluta sunt.* Neque hoc solùm, sed præterea, ne custos carceris sibi vim inferret, & vt cum omni domo suâ conuerteretur, impetrauit, imperauitque oratio. Audiamus D. Chrysostomum homil. 36. in eum locum. *Et hoc studeamus etiam nos facere, & aperiemus nobis, non carcerem, sed cælum. Si orauerimus, & cælum aperire poterimus. Elias etiam clausit, & aperuit cælum oratione. Est etiam in cælo carcer: Quæcunque ligaueritis in terrâ, erunt ligata & in cælo. Oremus per noctem, & soluemus hæc vincula. Nam quòd preces peccata soluant, persuadeat nobis vidua; persuadeat nobis ille amicus, qui intempestâ nocte perseuerat, ac pulsat: persuadeat nobis Cornelius: orationes tuæ, inquit, & eleemosynæ ascenderunt coram Deo. Persuadeat nobis Paulus dicens: Quæ autem verè vidua est, & desolata, sperauit in Deum, & adhæret precibus die ac nocte. Si de viduâ ille hæc dicit, de infirmâ muliere, multò magis de viris. Et iam dixi, & nunc dico, excitemur, nocte, etiamsi non multas preces facias, vnam fac cum sobrietate, & sufficit, etiamsi non sit media nox, saltem sub ipsum diluculum. Ostende quod non corporis solùm est vox, sed etiam animæ.* Et cætera, quæ in hanc sententiam eleganter prosequitur.

CAPVT XXX.

De excellentia Orationis Dominicæ.

1. Cant. 1.

QVod sponsa Cant. 1. sponsi sui languens amore; meum cordis erumpat affectum, vt dicat intrepida, *Osculetur me osculo oris sui*: Ecclesiæ veteris exprimitur desiderium, Verbi Dei, in carne nostra mortali deprecantis aduentum: ita Gregor. Nyssen. orat. 1. in Cant. ita Origenes lib. quatuor homiliar. in Cant. homil. 1. ita D. Gregor. magnus Moral. lib. 14. cap. 22. quasi dicat sponsa, vtinam mihi contingeret, vt dilecti mei fruerer præsentiâ, & oris proprij ipsius osculo salutarer, eundemque mihi vicissim salutare liceret, & nuptiarum fœdere eidem sociari: nam quòd ista sint illius vota ad quæ suspirans adspirabat, inde patet, quòd osculari sit actus præsentiæ, neque enim cuiquam nisi præsenti, oris basia offeruntur: & per osculum, quæ pridem desponsata erat, sponsi nuptias appetebat.

Osculari est actus præsentiæ.

Alexius Comnenus lib. 2. Constitut. qui inscribitur, Ius orientale. *Orientis Imperator præter arrhas, addit etiam inter solemnia nuptiarum, & osculum.* Quod est etiam Arrhabo nuptiarum, inquit Petrus Gregorius Syntagmatis iuris lib. 8. cap. 8. n. 3. si eâ mente præbeatur, vsque adeò efficax, vt osculo dato, donatio facta ab sponso præmoriente, pro mediâ parte valeat, pro alia autem infirmetur, vniuersam autem infirmari, si osculum ante mortem alterius non fuerit secutum ex constitutione Constantini. l. si à sponso. 16. de donatio. ant. nup. l. 5. de sponsa. in C. Theodos. Osculum siquidem quoddam initium consummationis nuptiarum esse videtur, & fruitio sponte quodammodo. Atque oscula signum & symbolum habent cuiusdam dilectionis maioris quàm vulgaris. Idcirco & oscula libidinis prænuntia esse possunt, & honoris. Actus enim ad vtrumque relatus fuit osculi, inquit Clemens Alexandr. lib. 3. Pædagog. cap. 11. Interdum tamen, non sine aliqua nominis distinctione adhibita: nam, vt plerumque oscula, officiorum sunt: basia pudicorum affectuum: suauia libidinum, inquit Ælius

lius Donatus in Eunucho. enarrans illud Terentij : *Thais mea, meum suauium.*

Libidinis, inquam, nuntia esse possunt, vt apud Ouidium :

Oscula si dederis, fiam manifestus amator.

Columbæ osculum libidinosum.

Idque in columbis videre est, Ælianus namque lib. 1. de varia hist. cap. 15. ex Aristotele lib. 6. de histor. animal cap. 2. refert, masculum è columbis non priùs in feminam ascendere, quàm osculum ei dederit, nec recipere fœminas marium commercium, si vacuum sit osculo. Hinc quàuis olim Catonis auctoritate institutum, vt propinqui feminis osculum darent, vt scirent an temetum olerent, hoc enim vino nomen fuit, vnde & temulantia appellata, inquit Plin. lib. 14. cap. 13. cui attestatur Aul. Gellius lib. 10. cap. 23. vbi ipsas mulieres cognatis osculum ferre vult ex institutione, reprehendendi causâ, vt odor indiciũ faceret, si bibissent. Et Plutarch. in vitâ Romuli, mulieres olim, tantum frontes virorum, & necessariorum hominum osculatas fuisse, & viros mulierum, adnotarit. Non tamen omnium, siquidem Nonius Marcellus ex 4. de Repub. Ciceronis libro tradit, apud Romanos, si qua erat mulier famosa, ei cognationem osculum nõ detulisse. Pòst tamen apud Italos, & Hispanos maximè, suspecta fuerunt mulierum oscula, vsque adeò, vt ex eo arguant vxorem adulteram, quæ alteri viro porrexerit : eiusque causâ, dote priuandam censent, ceu adulteram; & tradit Ioan. à Ripa. in rubric. de iudic. quia & iure Pôtificio receptum est, priuari dote mulierem, quæ de adulterio conuicta sit, eamque maritum lucrari. Veruntamen, quid patriæ consuetudo habeat, spectandum est : nam si, vt Arnobius lib. 2. contra gentes, habet, Propinquas feminas osculari ius est, vt sobrias probent : si, vt ait Tertull. Apologet. cap. 6. oscula propinquis offerri necessitas erat, vt spiritu iudicarentur : moribus regionum fit, vbi non sunt ita superstitiosi homines, vt oscula simplicia, suspicione careant : qualia quæ tum in admittendis, tum in dimittendis amicis offeruntur, aut etiam aliàs : nam vt puella apud Theocritum ait Eidillio 28.

Μὴ χαύχω Σατυρίσκε, κενὸν φίλαμα λέγοντι.
τὸ στόμα μὲν πλύνω, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.

Ne gloriare Satyrisce, inane osculum esse dicunt.
Lauo os meum, & osculum despuo.

Osculari prensis auriculis.

Quo ex genere, illud quoque osculi genus esse potest, quod inter cæteras antiquæ venustatis blanditias frequentatum obseruauit Gulielmus Canterus lib. 6. nouarum lectionum cap. 15. quod solebant pueri, parentes, aut alios, aut amantes inter se, alterius auribus apprehẽsis osculari, qui mos, iniectis in maxillas manibus, nostris adhæsit : id illi χύτραν, siue ollam vocabât. fortean, quòd in eo gestu, vt caput ollæ, ita aures ansarũ formam referrent, vnde Iulius Pollux l. 10. c. 24.

Λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν.

Ollam prehensis osculator auribus.

Meminit huius consuetudinis Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. quem quoque inter felicis anni euentus enumerat Tibullus.

Et fætum matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.

Plutarch. in eo qui de audiendo inscribitur, rationem adfert, quòd puerorum aures bonis sint imbuendæ colloquijs. Gyrald. dialog. 6 hist. Poët. Aliũ huiusce osculandi formulæ finem, commentus est Petrus Gregorius, pudori & honestati conuenientem : nempe, vt pueri deluderent, dolore aurium, oscula frequentare : quos istis deliniri, & corrũpi fuisset periculum : vt propterea Tyberius Cæsar apud Suetonium in Tiberio cap. 34. quotidiano edicto oscula prohibuerit. *Summâ igitur cautione communicandũ est osculum*, inquit Athenagoras Philosophus in Apolog. *vt non aliter quam pia salutatio, vel potiùs adoratio quædam habeatur.* Eiusmodi fuisse, non inter propinquos modò, sed etiam inter alios, tum apud Hebræos, Romanos, & Græcos, tum apud barbaros, beneuolentiæ siue honoris, & religionis oscula, vsu recepta legimus.

2. Hebræi osculis sæpè excipiunt.

Nam & Hebræi sese mutuis osculis salutare consueuerunt. Exempla sunt cùm alibi sæpè, tum Genes. 29. vbi Iacob Racheli occurrit osculo : & hospitem suum Laban ruens in eius oscula, duxit in domũ suam : & cap. 45. Ioseph osculatur fratres suos : Exodi 18. Egressus Moises in occursum Ietro cognati sui, adorauit, & osculatus est eum. Sic hoc amicæ salutationis symbolo, proditor ille Iudas, osculo Dominum tradidit Iudæis Mat. 25. Mar. 14. Luc. 25. cuius proditoriæ actionis typus, præcesserat in Amase, sub specie osculi à Ioab interfecto : 2. Reg. 20. *Dixit itaque Ioab ad Amasam. Salue mi frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amase, quasi osculans eum.* Et Dominus Luc. 7. exprobrat hospiti suo contra peccatricem murmuranti, *Osculum mihi non dedisti.*

2. Reg. 20.

Luc. 7.

Romanorũ osculandi mos.

Romanis quoque principibus mos fuit, vt abeuntes redeuntesve peregrè Senatum oscularẽtur : quod omissum in Nerone exprobrat Suetonius, quòd is neque veniens, neque proficiscens, quenquam osculo vel salutatione impertierit. Aulus Vitellius vt est apud Sueton. in Vitellio. cap. 7. obuios quoslibet milites caligatos osculabatur. Galba, apud eundem in Othone cap. 6. osculo Othonem excepit, eo die quo illi mortem parauit. Dabantur & ab Imperatoribus oscula manuum in amoris signum, auctor Plutarch. in vitâ Catonis Vticensis : Plebs, populusque Romanus, se, dato osculo, salutabat : quod in desuetudinem posteà abijt. Græcorum quoque hunc osculandi morem fuisse, satis ex Orpheo cõuinuincitur in Argonauticis, vbi Chiron excipit Heroës.

Græcorum.

Ast vbi præclaros reges ad limina viait,
Excipit adsurgens, & lætus ad oscula quemque.

Persarum.

Persæ salutationis loco sibi occurrentes mutuis osculis excipiunt, si pares sint, inquit Herodotus : alter paulò humilior, genis dũtaxat oscula libat : at multò inferior, honoratiorem prostratus adorat.

Herodot. lib. 1.

Moscouitarum.

Inter Moscouitas frequẽtata quoque oscula, scribit Sigismundus liber Baro, in Commẽtarijs rerum Moscouitar. apud Petrũ Gregor. Syntag. iuris. lib. 8 cap. 8. num. 10.

3. Oscula religionis.

Religionis denique oscula habita sunt. Cicero meminit statuæ Herculis apud Agrigentinos cuius rictus ac mẽtum paulò sit attritius, quod precibus ac gratulationibus, non solùm id venerari, sed osculari solent. Græci, deosculatâ manu, perfectam esse precationem arbitrabantur, ait Lucian. lib. de salutat. Est hodie quoque in consuetudine positum, vt salutaturi potentiores, vel quibus honorem exhibendum existimant manũ ori admoueant. Mos certè vsque ab impiâ & ridiculâ veterum qui multos Deos colebant, superstitione propagatus. Solebant enim & illi, cùm aut fanum aliquod præterirent, aut lignum, lapidémve aliquem aspicerent, in quo diuinitatis aliquid esse opinarentur, manum ad os referre, & tenui murmure, illos ligneos, aut lapideos Deos, vt sibi fauerent, precari.

Christiani inter oscula pacem sibi apprecãtur.

Olim in Christianâ Ecclesiâ festâ luce, quicunque sacrorum Christianorũ causâ sacerdotibus assistebant, dum rem diuinam facerent, pio instituto osculo pacis, mutuam inter se firmabãt charitatem. Sabelli lib. 6. cap. 1. exemplor. Occasio huius ex D. Pauli verbis, ad Rom. 16. fluxit,

Rom. 16.

vbi inquit, *Salutate inuicem in osculo sancto.* Haymo super eum locum. Inter hæc oscula Christianos pacem sibi mutuò precari, adnotauit Origenes lib. quatuor homiliar. in Cant. hom. 1. vnde vulgò osculum pacis appellatum sit: de quo Chrysost. in illo de Compunctione cordis. *Nam osculum pacis porrigere tempore quo munera offeruntur, in vsu est. Sed vereor ne fortè plures ex nobis, labijs hoc tantummodo faciant, cùm Christus pacem, non ex ore, sed ex corde desideret, & affectu velit proximum, non ex labijs salutari.*

Episcopi dextram auersam osculandam dant.

Nostri Antistites dexteram manum auersam adeuntibus religiosè osculandam porrigunt, inquit Polydor. de Inuent. Plin. lib. 28. cap. 2. quē citauimus cap. 13. §. 1. num. 4. dicit esse aliquam religionē in dexterâ, quæ in fide porrigitur, quæ osculis auersa appetitur. *In adorando*, inquit, *dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus, quod in læuum fecisse Galli religiosius credunt.* Vnde & Seruius Honoratus in 1. Æneid. ad illa, *Oscula libauit* &c. dixit osculum esse religionis.

4. Osculorum solemnitas approbata.

Quia igitur honoris & amoris oscula significationem habent, quorū apud Romanos approbata solemnitas, lege Iustiniani Imperatoris l. 1. de domest. & protecto. lib. 12. C. tit. 7. *Domestici ac protectores principis osculandi cùm salutauerint vicarios sui culminis habeant potestatem: pœna enim sacrilegij similis erit, si his honorificentia non deferatur, qui contingere nostram purpuram digni habiti sunt:* osculum legitimi amoris, osculum sororium, castum; osculum nuptiale sponsa expetit: siquidēm per osculum sponsalia firmata, maiori vinculo vinciuntur, & ad nuptias accedunt. *Quid enim faciunt qui ora mutuò tangunt quàm animas coniungunt, si modò corporis sui terminum transire possent? quod cùm nequeant, circa corpus veluti fores adstare supplices videntur*, inquit Phauorinus apud Ioan. Stobæ. cap. 65. *Osculetur*, inquit, *me osculo oris sui.* Da Pater æterne, vt filius tuus labella labellis imprimat Ecclesiæ tuæ, in assumptâ humanitate visibili, nihil animulæ meæ, ad illius animam transitum impediat, vt viuam ego, iam non ego, sed viuat in me Christus, & vita mea abscōdita sit cum Christo in Deo. Vsque modò, audiui voces seruorum suorum Patriarcharū & Prophetarum, admisi oscula per Moisen, & sacros Vates data: cur differt; cur procrastinat oris sui osculum, qui toties per ministros suos se vēturum & nuptias cōfecturum pollicitus est? Pulchrè D. Bernard. serm. 2. in Cant. *Osculetur me osculo oris sui. Senserat nimirum in spiritu quisquis tunc spiritualis esse poterat, quantà foret gratia diffusa in labijs illis: propterea loquens in desiderio animæ aiebat: Osculetur me osculo oris sui, nimirum omnimodis cupiens tantæ suauitatis participio nō fraudari. Dicebat enim perfectus quisque: Quò mihi ora hæc semiuerbia Prophetarū? ipse potiùs speciosus formâ præ filijs hominum, ipse me osculetur osculo oris sui: Non audio iam Moisen: impeditioris siquidem linguæ factus est mihi: Isaiæ labia immunda sunt: Ieremias nescit loqui, quia puer est: & Prophetæ omnes elingues sunt. Ipse, ipse quem loquuntur, ipse loquatur, ipse me osculetur osculo oris sui. Non in eis iam, aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebrosa aqua in nubibus aëris: sed ipse me osculetur osculo oris sui, cuius gratiosa præsentia, & admirandæ fluenta doctrinæ, fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam. Quem vnxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis, nunquid non ex ipso mihi vberior infunditur gratia, si tamen dignetur me osculari osculo oris sui? Cuius vtique sermo viuus & efficax, osculum mihi est, non quidem coniunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animarum, sed planè infusio gaudiorum, reuelatio secretorum, mira quædam, & quodammodo indiscreta commixtio superni luminis, & illuminatæ mentis. Adhærens quippe Deo vnus spiritus est. Meritò proinde visiones & somnia non recipio, figuras & ænigmata nolo: ipsas quoque Angelicas fastidio species. Quippe & ipsos longè superat Iesus meus specie suâ & pulchritudine suâ. Non ergo alium siue Angelum siue hominem, sed ipsum peto osculari me osculo oris sui. Nec sanè præsumo me osculandum iri ab ore ipsius: (est enim hoc assumpti hominis vnica felicitatis, & prærogatiuæ singularis) sed humiliùs ab osculo oris sui peto me osculari: quod commune vtique est multorum, qui dicere possunt: Et nos omnes de plenitudine eius accepimus. Intendito. Sit os osculans, Verbum assumens: osculatum, caro quæ assumitur: osculum verò, quod pariter ab osculante & osculato conficitur: persona ipsa ex vtroque compacta, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Hac ergo ratione Sanctorū nemo dicere præsumebat, Osculetur me ore suo: sed tantùm osculo oris sui: ipsi sanè seruantes prærogatiuam istam, cui singulariter semelque os Verbi impressum tunc est, cùm ei se corporaliter plenitudo omnis diuinitatis indulsit. Felix osculum, ac stupenda dignatione mirabile: in quo nōn os ori imprimitur, sed Deus homini vnitur.* Hoc osculum oris, diuinitatis nempe cum humanitate vnionē tantopere differri molestiùs habebat sponsa.

Cant. 1.

Ioan. 1.

Os osculans Verbum, osculatum assumpta caro. osculum ab vtroque.

5. Incarnatio cur nō facta sub initio mundi.

Cur illud tam sublime, tamque necessarium humano generi mysterium, non statim ab initio in statu innocentiæ, neque mox vt à propaginis nostræ primo parente peccatū admissum est, sed tum priùs cùm venisset plenitudo temporis, vt inquit Apostolus ad Galat. 4. nimirum quando plenitudo & abundantia temporalium, obliuionem & inopiam fecerat æternorum, inquit D. Bernard. serm. 1. de aduentu, expleri decuerit: aliquot rationibus ex D. Thoma 3 part. quæst. 1. art. 5. ostendi potest. Nam cùm illud, ad humanæ naturæ præcipuè reparationem decretum, ordinatumque sit: manifestum est non fuisse conueniens Dei filium ante hominis lapsum, Ecclesiæ suæ incarnationis osculo iungi. Nulla enim nisi infirmo medicina paratur: & vt Matth. 9. Dominus. *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus, non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Denique oportuit hoc mysteriū ab Angelis hominibusque priùs fide teneri, Christumque creditū adorari, in quo totius salutis & gloriæ suæ spem repositā haberent, vt inquit Franciscus Suarez in 3. part. D. Tho. quæst. 1. disput. 6. sectio. 2.

1. Ratio.

Matth. 9.

Sed neque statim vt ab homine peccatum est, illud adimpleri oportuit, vt quoniam eius lapsus ex superbiæ fonte defluxerat, priùs humiliaretur, & liberatore se indigere cognosceret, quàm erigeretur: quare Glossa ordinar. in illud ad Galat. 3. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris*, ait, *Magno Dei consilio factum est, vt post hominis casum, nō illicò Dei filius mitteretur.* Priùs itaque, ad huius susceptionē mysterij, præparandi fuerunt homines, id quod tantâ temporum intercapedine, quanta, ad Verbi Dei in carne aduentum intercessit, curatū est. Ac primùm quidem directè, per legem naturalem, generalē promissionē & Mediatoris spem; quâ in lege homo arbitrij sui potestati relictus, vt virium suarum periculum faceret, defecit: deficienti, lex scripta data est, expressiores prophetiæ, plures cæremoniæ & sacrificia, Christū promittentia, atque præfigurantia: sed & hac lege datâ, morbus inualuit, acrioribusque malis homo, non legis, sed naturæ vitio, conflictari cœpit, vt magis, magisque suam miseriā agnosceret. Secundò verò quasi indirectè huic mysterio parabatur, permittente scilicet Deo, vt ait Apostolus ad Rom. 11. & ad Gal. 3. omnes ferè homines sub peccato & incredulitate concludi, vt perspectâ naturæ suæ fragilis infirmitate, & ex dilatione tanti beneficij, eiusdem crescente necessitate, desideria quoque Seruatoris crescerēt, & clamarent ad medicum, humiliterque gratiæ quærerent auxilium. Hanc rationem elucidauit D. Bernard. serm. 1. de Aduentu: totidem verbis, *Venit enim*, inquit, *non in initio, nec in medio tēporis; sed in fine. Nec incongruè factum est, sed verè sapienter disposuit sapientia, vt cùm magis esset necessarium, tunc primò ferret auxilium; pronos ad ingratitudinem Adæ filios*

Galat. 3.

bies non ignorant. Verè enim aduesperascebat, & inclinata erat iam dies, recesserat paululum Sol iustitiæ: ita vt exiguus nimis splendor eius aut calor esset in terris. Nam & lux diuinæ notitiæ parua admodum erat, & abundante iniquitate, feruor refrigerat charitatis. Iam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, cessabant velut desperatione victi, præ nimiâ vtique duritiâ hominum, & obstinatione: at ego (ait filius) tunc dixi, ecce venio. Diuus quoque Gregor. Nyssen. à Theophylacto, in illud ad Hebr. 9. *Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad reprobationem peccati, per victimam sui ipsius manifestatus est*, citatus in hæc verba: *Quemodo infiniti medici, intus adhuc febri corpus subpurgāte, quam, per morbum facientes adhuc caussas, accenditur, nullum adhibent ægroto ex cibis auxilium, expectantes tantisper, dum malum hoc ad summum increuerit, sic & nobiscum actum est. Expectauit animarum medicus, donec vniuersa malitiæ ægritudo ponderetur.*

Heb. 9.

Secundò, vt quemadmodum in acquisitione boni, ab imperfecto ad perfectũ fit progressus, ita ab imperfectâ ratione legis, tum naturæ, tum Mosaicæ, genus humanum ad legis gratiæ perfectionem traduceretur. *non enim prius quod spiritua e est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* 1. Cor. 15. quare oportuit vniuersum paulatim perfici, vt scribit D. August. lib. 83. quæstionum, quæst. 43. & in singulis ætatibus habere decorem suũ: sicut homo in ipsâ corporis ætate, paulatim progreditur ab infãtiâ, vsque ad senectutem. *Et quicunque*, inquit, *ad certam sapientiam peruenerunt, nonnisi ab eadem veritate suarum sigillatim ætatum opportunitate illustrati sunt. A quâ veritate, vt populus sapiens fieret, ipsius generis humani oportuna ætate homo susceptus est.* Hoc est quod dixit Apostolus, *at cùm venit plenitudo temporis*, secundum Theodoretum: ait enim significari, conuenienti tẽpore, quod Deus præfiniuit, misisse filium suum, vt humanæ naturæ susceptionis impleret mysterium.

2. Ratio. 1. Cor. 15. Galat. 4.

Tertiò, propter verbi incarnati dignitatem, in cuius fidem ac venerationem accendendi erant homines multis plurium retrò sæculorum prædictionibus & figuris, vt post longam expectationem ardentiori caritatis affectu susciperent. sic D. August. tract. 31. in Ioan. *Multi dicunt, quare non ante venit Christus? quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta sunt tempora. Sciebat enim quando venire deberet. Primò per multam seriem temporum & annorum prædicendus fuit: non enim aliquid paruum venturum fuit: diu fuerat prædicendus, semper tenendus: quantò maior iudex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat.* Hoc argumentum, latiùs prosecuti sunt Irenæus lib. 4. contra hæreses. cap. 75. Theodoretus lib. 6. de curand. Græcor. affectionib. ad finem. Eufeb. lib. 1. hist. cap. 2. Leo Papa serm. 3. de Natiuit. c. 4. Nyssen. Orat. de Natali Domini. Chrysostomus homil. 9. ad populum. Vbi inter cætera, *Non si aliquid vile est, ideò statim dari debet; nam etiam solidus cibus vilis est, non tamen datur in principio.*

3. Ratio. Vilia non statim dãda.

Quartò tandem, ne ita citò, post tanti suscepta beneficia mysterij, fidei feruor tepesceret. Futurum enim erat, vt, si Dominus in mundi primordijs, ore diuinitatis, hominem sibi copulasset in osculum; pauci admodum essent qui eius præsentiâ fruerentur, qui doctrinam ex eius ore legerent, qui affluentis gratiæ in eius aduentu communicatæ participes fierent: Vnde exiguus quoque esset hominum numerus, quibus vel à Christo, vel ab eius discipulis Euãgelium prædicari posset. Ex quo rursus fieret, vt labentibus paulatim temporibus, pristinus fidei charitatisque feruor langueisceret: morbus enim ille agnatus homini est, non insistere multum diuque cum feruore, virtutis officio: sicut & ante incarnationis œconomiam, in ipsâ Dei cognitione, morumque honestate visum est, & post annuntiata reparationis nostræ mysteria, in Ecclesiæ decursu, quæ mox à primo feruore cœpit deficere donec tandem sub mundi finem penè extinctus labatur in cineres, quod Luc. 8. significatum videtur, his verbis, *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terrâ?* Si ergo ipsa mundi primordia humanitatis suscepte beneficio Christus illustrasset, primæ illæ fidei flammæ, pauco tempore, & in paucis arsissent hominibus: pòst vero, deductâ in plures hominum propagine, quando maior eorum multitudo tanti remedij necessitate premeretur, iam fides huius mysterij plurimùm obscurata esset; vnde fieret, vt pauciores, doctrinæ & gratiæ illius beneficijs fruerentur: quod Theodoretus loco suprà citato, significasse videtur, quum ait: *Si in principio mortem subijsset, quando peccatum non perinde effusum fuisset, nemo deinde credidisset.*

4. Ratio. Iudicium h. genes. Luc. 8.

Capitis 30. §. 1.

Prima orationis Dominicæ excellentia, est eius dignitas.

ERgo tandem venit desideratus cunctis gentibus, & ore diuinitatis, humanitati suæ sacrosanctæ impresso, Ecclesiam sponsam, osculatus est osculo oris sui. Et quot fuere eius prædicationes, quot doctrinæ, morumque præcepta, tot eius oscula fuerunt. Quàm blandum, quàm suaue, quàm excellens porrò illud osculum, quod ab ore eius mellifluo datũ est, quum dixit Math. 6. *Sic ergo vos orabitis, Pater noster qui es in cælis?* Præstantiæ huius osculi, orationis huius excellẽtiæ, ad tria capita reducuntur, sicut ostendit Innocẽtius III. lib. 1. de officio missæ cap. 10. dignitatẽ, breuitatem, & sufficientiã. Dignitas ab auctore qui eam composuit, petẽda est: breuitas ex verbis quibus ipsa componitur & ordinatur; sufficientia ex petitionibus quas continet, atque earũ ordine. De singulis agendum nobis est.

1. Doctrina & præcepta Christi, tot eius oscula fuerunt. Matt. 6. Osculum Christi datũ Ecclesiæ, oratio Dominica.

Quod primam huiusce orationis Theologicæ excellentiam, atque præstantiam spectat, auctorem habuit, non Moisen, non Isaiam, non Ieremiam, aut aliquem ex Prophetis, sed illum de quo dixit Pater æternus Matt. 17. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Illum de quo ad Coloss. 2. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* vt inde sumeretur orationis huius dignitas, vnde eius habebatur auctoritas. Cyprianus in Orat. Dominicam: *Multa & per Prophetas sermos suos dici Deus voluit & audiri, sed quãtò maiora sunt quæ Filius loquitur, quæ Dei sermo, qui in Prophetis fuit propriâ voce testatur: non iam mandans vt paretur venienti via, sed ipse veniens & viam nobis aperiens & ostendens; vt qui in tenebris mortis errantes improuidi & cæci priùs fuimus, luce gratiæ illuminati, iter vitæ duce & rectore Domino teneremus.* Cùm igitur discipuli Domini, vias mortalium damnari, & affectum humani cordis à terrenis ad cælestia transferendum intellexissent: omnia quippe de carnalibus in spiritualia renouabat noua Dei gratia, superinducto Euangelio expunctore totius retrò vetustatis, inquit Tertull. siue, vt Titus ait, apud D. Thomam in catenâ Luc. 11. cùm nouam conuersationem vidissent discipuli, nouam formam orationis postulauerunt dicentes, doce nos orare, sicut Baptista suos discipulos docuit: *Docuerat & Ioannes discipulos suos adorare*, inquit Tertull. lib. de oratione, *sed omnia Ioannis, Christo præstruebantur, donec ipso aucto (sicut idem Ioannes prænunciabat, illum augeri oportere, se verò deminui) totum præministri opus, cum isto spiritu, transiret ad Dominum.* (nõ sanè dictum à Tertul. hic, vti nec lib. 4. cont. Marcion. c. 8. nec lib. de baptismo. c. 10. spiritũ propheticum Ioannis, translatum in Dominũ: quia vnus idemque spiritus, omnia operatur in omnibus.)

1. Excellentia orationis Dominicæ. Matth. 17. Coloss. 2. Orandi formulam cur petierint Apostoli.

tribus.) *Ideò nec exstat in qua verba docuerit Ioannes adorare; quòd terrena cælestibus cesserint.* At præceptor cælestis, modum orandi præscripsit dicens, *Cùm oratis, dicite Pater noster, &c.* Aliud est Principis legatos loquentes audire, aliud multoque præclariùs & enucleatiùs, ipsum regem; serui illi sunt, & præscriptas dicendi leges habent, quas præterire non licet: at hic Dominus est, qui, quæ singulariter dicat, in arcanis suis habet, testatur Apostolus ad Hebr. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis, locutus est nobis in filio, per quem fecit & sæcula.* Quidnam locutus est? Aperuit quidem aliàs os suum, & quinam beati forent pronuntiauit, at hic doctrinam exquisitissimam, formulã orãdi, omnibus numeris absolutissimam elocutus est Dei filius. Decuit enim vt illa persona iungeretur naturæ humanæ per osculum diuinitatis, per quam genus humanum peculiari quadam ratione docendum erat, ea verò persona est Verbum diuinum, iuxta illud Sap. 1. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Ita enim à Patre æterno sumus per verbum eius edocti, sicut discipulus docetur verbo Magistri, inquit D. Thomas. Hinc lib. de Orat. Tertullianus: *Dei spiritus, & Dei sermo, & Dei ratio sermo rationis, & ratio sermonis & spiritus. Vtrumque Iesus Christus Dominus noster nobis discipulis noui testamenti, nouam orationis formam determinauit. Oportebat enim in hac quoque specie nouum vinum nouis vtribus recondi, & nouam plagulam nouo assui vestimento.* Ex interfecti Leonis ore, Iudic. 14. Samson, mellis fauum, quem examen apum ibi confecerat, sumpsit: & ecce ex ore Christi, qui leo de tribu Iudà Apocal. 5. fauum mellis doctrinæ cælestis, & sanctæ precationis acceperunt Apostoli, quem vniuerso orbi communicarunt. Prouerb. 16. *Fauus enim mellis sermones pulchri.* Vnde Psaltes regius ps. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Quid enim suauius disciplinà? quid eruditione melius? quid dulcius Domino? gustate & videte quàm suauis est Dominus. D. Cyprian. suprà: *Qui fecit viuere, docuit & orare, benignitate ea, scilicet, quà & cætera dare & conferre dignatus est, vt dum prece & oratione quam filius docuit, apud Patrem loquimur, faciliùs audiamur.* Et paulò pòst. *Amica & familiaris oratio est Deum de suo rogare; ad aures eius ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filij sui verba cùm precem facimus: qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cùm ipsum habeamus apud Patrem aduocatum pro peccatis nostris; quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri Verba promamus.* Aut da grauiora, aut da meliora, si potes. Certè nulla vsquam maior dignitas orationis, quàm eius quam sacra Trias elaborauit; & Pater æternus, verbo suo pronuntiauit.

Hebr. 1.

Locutus olim Deus in Prophetis, at nunc in filio.

Sap. 1.

Iudic. 14.

Oratio Dominica fauus mellis.

Prou. 16.

Psal. 118.

2.

Attendite ergo populi, attendite filij hominũ, quia os Domini locutum est: nam si Isaias cap. 1. ob magnitudinem argumenti quod tractaturus erat, cæli, terræque aures beneuolas sibi dari postulet, dicens, *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est*, siue cõtinens, pro contento, ad auditionem inuocet vt placet D. Hieronymo & plerisque expositoribus, quòd quæ dicturus est, attentionem merentur, quia verbũ Dei est: siue reuera cæli & terræ elementum, res inanimes prouocet, testesque adesse velit eorũ quæ Deus locutus, quod ad rei exaggerationem mirabiliter facit, vt alijs visum est: si, inquam, ipsum cælum & ipsa terra loquenti Deo attentionẽ debent, quantò magis homo, qui sensum & rationem habet, ad quem dirigitur ipsum Dei verbum, cuius ergò illa facta sunt, cui inseruiũt omnia, vt ipse Creatori? Audite ergo homines; non iam Angelos mysteria reuelantes: non Moisem legem promulgantem: non Prophetas, turgentes comminationum globos, ærumnarum, calamitatis & miseriæ plenos explodentes: sed audite os Domini, Verbũ Patris, audite Deum, Deum ipsum audite; non fulgurantem, non tonantem, vt in monte Sinà: non eiulantem, non plorantem, velut in præsepio similem omnibus hominibus emisit vocem plorans, sed omninò mellifluâ odorataque voce spirantem, amabili suauitate hominum genus afflantem: *Dicetis*, inquit, *Pater noster, qui es in cælis.*

Isa. 1.

Os Domini, Verbum.

Quàm felix, faustum, fortunatumque est talem ac tantum vitæ nancisci doctorem? Primus discendi ardor, est magistri nobilitas, inquit D. Ambros. lib. 2. de Virgin. ecquis autem maior haberi magister potest eo qui est essentialis sapientia Patris? *Dedit vobis doctorem iustitiæ*: Ioël 2. Moises peccati doctor, & minister mortis fuit, per occasionem, quia dans legem, & non gratiam per quã adimpleretur peccatores nos constituit; non legis vitio quæ peccati nos conuincit, & sancta est, sed nostro, qui seu saxa aspera, duri ac steriles, cælestem diuinorum mandatorũ pluuiam excipimus, vnde Apostolus 1. Cor. 15. *Virtus peccati, Lex.* At Christus iustitiæ doctor, facultatem dat & gratiam adimplendi, quæ in lege iubentur, cuius doctrina, *Virtus Dei est in salutem omni credenti.* Rom. 1. Moises, doctor fuit seueritatis, minarum, ac terroris: at Christus doctor est gratiæ, mansuetudinis, & clemẽtiæ: breuis differentia Legis & Euangelij, inquit D. Augustinus, timor, & amor. Lex per Moisem in seruitutem generabat: Christus per Euangeliũ nos generatim adoptionem filiorum Dei, dicetis, inquit, *Pater noster.* Hinc nobis ansa gaudij, hinc exultandi copia atque præclaros istos diuinæ œconomiæ effectus suspicienti seges amplissima. Datus est nobis doctor iustitiæ. Grande bonum magistri boni.

Magistri nobilitas, primus discendi ardor.

Ioël. 2.

Moises peccati doctor, & minister mortis.

1. Cor. 15.

Rom. 1.

Differentia legis & Euangelij timor & amor.

Circiter annum Christi 1473. sic floruit Leodiensis schola, vt tum ibi bonis literis inuigilarẽt nouem Regum Filij viginti quatuor Filij Ducũ, nouemdecim filij Comitum exceptis Baronum, Nobilium, & aliorum filijs, quorum immensus fuit numerus: Hedio in Chronic. German. Philippus Macedonum Rex, nato Alexandro ad Aristotelem scripsit. Non tam se suscepto filio lætari, quàm quod Aristotelis natus eã ætate qua ab eo posset ita erudiri, vt dignus Macedonico regno euaderet; maiore spe in eius institutione positâ, quã vel in regno, vel in cæteris, qui tunc viuerent Philosophis. Fulgos. lib. 2. cap. 5. Eam epistolam, quoniam curæ, diligẽtiæque in liberorum disciplinas hortamentum est, ad cõmouendos parentum animos exscripsit in hanc sententiam Aul. Gell. Noctium Atticar. lib. 9. c. 3. Philippus Aristoteli salutem dicit: Filium mihi genitum scito, quòd equidem Dijs habeo gratiã: non proinde quia natus est, quàm pro eo, quòd eum nasci cõtigit temporibus ætatis tuæ. Sperò enim fore, vt eductus, eruditusque abs te, dignus existat & nobis, & rerum istarum successione. Euclides Megarensis, quum disciplinæ Socraticæ percupiens esset, neque tamen Athenas, vbi profitebatur Socrates, auderet ire, quòd capitale foret, si quis Megarensium Athenis aut Atheniensium Megaris, propter mutuum vtriusque vrbis odium deprehenderetur: sub noctem tunicâ lõgâ muliebri indutus millia passuum amplius viginti ad ipsum Philosophũ commeabat, vt vel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque eius fieret particeps. Rursus sub lucẽ eâdem indutus veste redibat: Aul. Gell. lib. 6. c. 10. Platonẽ tanti fecit Aristoteles discipulus, teste Marsilio in vità Platonis, vt nomini eius aram in templo cõstruxerit,

3.

Schola Leodiensis florida.

Philippi gaudium de magistro erudito.

Philippi epistola.

Euclidis discendi studium.

Aristoteles Platoni aram erexit.

xerit, statuamque consecrauerit, in qua scriptū erat. Hunc esse illum, quem probi omnes meritò debeant imitari, & commendare. Extant Criniti versus in Parthenicis:

Hæc illa est ara floribus redimita suaue olentibus,
Quam gratus bene merenti statuit discipulus seni:
Tituloque hoc testatus animum suum, atque officium,
Platonem probandum probè à probis.

[M. Anton. Frontoni statuam.] M. Antonius Philosophus, tanto Frontonem suū præceptorem amore prosecutus est, vt ei statuam à Senecа impetrarit. Volat. l. 23. Antropologiæ. Astrologiā editum Berosus, huic ob diuinas prædictiones, Athenienses, publicè statuam mauratā lingua statuere: Plinius lib. 7. cap. 37. capite autē 30. [Beroso Athenienses. Dionysius.] Platoni, inquit, Sapiētiæ Antistiti Dionysius tyrannus, aliàs sæuitiæ, superbiæque natus, vittatam nauem misit obuiam: ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit. [Plato.] Marsilius in vitâ Platonis, hunc quotidie de tribus Deo gratias agere solitum scribit, quòd ipsum fecisset hominem, non bestiam: Græcum non barbarum: & quod natus esset tempore Socratis, quo præceptore vteretur. [Præceptori Christo gratiis agendæ.] Quid nos ad hæc qui Christiani dicimur? qui ab vnguiculis Christi doctrinam imbibimus? Quæ non gratitudinis vota animo concipere, & opere explere tenemur? quas non in corde tantorum beneficiorū memoriæ aras, & statuas consecrare, qui non in hominem, sed in Deum ipsum, non inflantis ac proinde inanis scientiæ, sed vitæ doctorem ac magistrum incidimus: proh dolor! tantis muneribus ingrati nomen diuinitatis in blasphemiam gentium damus: [Christianor. in Christum ingratitudo.] bona discimus, & mala facimus, in lege gloriamur, & per præuaricationem legis Deum inhonoramus. *Et ideo hoc ipso Christiani deteriores sunt*, paganis, inquit Saluianus lib. 4. de prouid. qui meliores esse deberent: *Non enim probant quod confitentur, & impugnant professionem suam moribus suis: magis enim damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat: & reatus impij est, pium nomen.* Meliorem mētem, ô Deus! vt quemadmodum Moises apud Israelitas suos gloriatur nullam gentem sub cælo esse, quæ tam iusta instituta & iura habeat, atque Israelitæ Deuter. 4. ita nos exhibitione operum, vitalibus præceptis, Doctore te, instituti, iure, meritoque gloriemur.

[4. Libri, pretio magno empti.] Quod reliquum est, si Sapientum scripta, summo in honore habita olim fuerunt, vt Plato Philolai Crotoniatæ Pythagorici libros tres, cētum minis, siue decem millibus denariūm, etiam in difficultate rei familiaris, mercatus est, ex quibus multa in suū Timæum vsurpauit: & Aristoteles libros paucul os Speusippi Philosophi emit talētis Atticis tribus: ea summa fit numi Romani H. S. duo & septuaginta millia, quæ summa cōficit propè tria milia aureorum, vt habet A. Gellius. Noct. Attic. lib. 3. cap. 17. Si Plinius iunior, vt ipse testatur lib. 3. epistolar. quum procuraret in Hispaniā, potuit vendere suos Cōmentarios Largio Licinio quadringentis millibus nomūm. Si Isocrates viginti talentis vnam orationem vēdidit: Plin. Secundus lib. 7. nat. histor. cap. 30. [Aristotelis libri diuinitùs conseruati.] Si (quod obseruatione dignum est) Aristotelis libri diuinā quadam sorte, per mille nongentos annos, inter tot barbarorum incursiones, & maximorum imperiorum ruinas, & præstantissimorum auctorum interneciones, conseruati sunt, & singulari quadam ratione quater opimorum spoliorum loco, velut in triumpho ducti. Si Alexander Magnus inter spolia Darij Persarum regis vnguentorū scrinio capto, quod erat auro, gemmisque, & margaritis pretiosum, varios eius vsus, amicis demonstrantibus librorum Homeri custodiæ dandum censuit: vt pretiosissimum humani animi opus; quam maximè diuiti opere seruaretur: Plin. lib. 7. cap. 29 illudque ad Homeri commendationem secum ferebat, & cum illo ceruici supposito dormiebat. [Pandectarū libri.] Pandectæ Iuris, Iustiniani Imperatoris iussu editæ sunt anno Dominicæ incarnationis 534. si harū autographum, in custodiâ summi Magistratus Florentiæ est, vt scribit Catellianus Cotta in memorabil. Iuris verbo, Pandectas. Nec ostēditur, nisi rarò admodum, idque honoris gratiā, facibus accensis. [Doctrinæ Dei quæ veneratio impendenda.] Si, inquam, tantum honoris & venerationis, tantùmque pretij Sophorum dogmatibus exaratis impensum est: quæ non veneratio? quæ non reuerentia & honor Christianæ doctrinæ, quām proprio ore nobis inscripsit & tradidit Sapiētia & Spiritus Dei? Si ad testamenti tabularum custodiam præcepit Deus Exod. 25. arcam fieri de ligno sethim, deauratam auro mūdissimo intus & foris; vbi arcam Dei sanctissimam, orationē Dominicam, quæ in succincto volumine, vniuersam legem continet, reponemus? Nulla arca præstantior corde humano, si fuerit *circumtecta ex omni parte auro caritatis*, ad Hebr. 9. Hanc concinnauerat Vates regius eloquijs Dei custodiendis ps. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt nō peccem tibi.* [Psal. 118.] Sit quoque cor nostrum scrinium, in quo hoc osculum oris Dei, thesaurum thesaurorum, Dei ipsius munus excellentissimum, orationem hanc theologicam, verba quæ pronūtiauit ille, qui est sermo & verbum Patris; ore proprio orare nos docens, tribus de caussis, vt adnotauit D. Bernardinus Senēsis, lib. de Christianā perfectione serm. 6. [Oratio Dominica Dei munus.] [1.] primò quidem, vt maiorem ei orationi, reuerētiam & honorem exhibeamus: nam si veneramur togam Saluatoris, rem inanimem, quia illū mortalitatis nostræ circtorio amictum attigit, quantò magis suspiciendum, venerāndumque est verbum Dei, ex ipsius Dei ore prolatum, quod & vita est. ad Hebr. 4. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax.* [Hebr. 4.] [2.] Secundò, vt cum gustu & maiori suauitatis sapore pronuntietur, & masticetur dēte cordis ad rimanda cum dulcedine, illius profunda mysterij: ideò enim ps. 44. *Diffusa est gratia in labijs tuis*: [Psal. 44.] sicut namque is qui saccaro aut melle os delibutum habet, nil nisi suaue despuit: ita mel & saccarum habent, ista quæ ab ore Christi verba procedunt. [3.] Tertiò, vt impetrandi fiducia nobis maior detur? nam cūm Deus sit summè misericors & iustus, nos inuocantes nō aliter audire debet, nisi in ijs quæ ad eius honorem, & nostram conducunt salutem, quæ vt sint, quia nescimus, nisi ipse nos docuerit; ne in ijs disquirendis & procurādis sollicitì vagaremur, hanc orationem ordinauit suauissimus Iesus, atque composuit, petenda complectentem: quam tanti fecere Apostoli, teste D. Gregorio lib. 7. Registri, cap. 63. vt cum hac solùm hostiam aut oblationem consecrare cōsueuerint, & omnis populus apud Græcos in missā pronuntiare; [Oratione solā dominica sacrificium perfecerunt Apostoli.] Sacerdotes verò nostri post canonem super oblata corporis & sanguinis Domini, proferre soleant.

Capitis 30. §. 2.

De secunda excellentia orationis Dominicæ, quæ est breuitas.

[1. Breuitatis in dicēdo laus.] Lacedæmoniorum institutum fuit, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, id est, pauca quidem, verùm planè argutissima, quod Homerus Menelao Lacedæmonio, ob argutam breuiloquentiā affinxit. Lacones enim paucissimis verbis plurimum sententiæ complectuntur, quod dicendi genus laudatissimum: Plutarchus in Phocione; orationē pecuniæ similem ait, quæ materiæ minimum, pretij & valoris plurimum habet. Lycurgus vt magnam pecuniæ partem minimi valoris

loris esse volebat ad tollendam cupiditatem, ita verbulo vno multa exprimi ad tollẽdam loquacitatem Aristoteles 2. de animalib. hominis linguam, modicum membrum, cæterorum comparatione, esse dixit, quam propterea, ne vulgaretur, natura reclusit. Plin. lib. 7. cap. 16. Dentes, inquit, nec cibo tantùm & alimentis necessarij; quippe vocis sermonisque regimen primores tenent, concentu quodam excipiẽtes ictum linguæ, seriemque structuræ, atque magnitudine mutilantes, molientésve, aut hebetantes verba, & cùm defluxere, explanationem omnem adimentes: hos, tanquam vallum natura linguæ opposuit, ne petulanter euagaretur, & labia adiecit, vt duplici septa claustro, minimùm excurreret, vt inquit Bias. Quapropter Hesiodus Poëtarum prudentissimus, inquit Aul. Gellius lib. 1. cap. 15. noct. Attic. linguam non vulgandam, sed recondendam esse dicit, perinde vt thesaurũ. Eiusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta, & parca, & modulata sit.

> Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
> φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.
> *Optimus est homini linguæ thesaurus & ingens*
> *Gratia, quæ parcè mensurat singula verbis.*

2.
Loquax velut vrbs non cincta mœnibus.

Hinc Solon intempestiuè garrulũ & loquacem, vrbem incinctam mœnibus esse dixit, domum absque ianuis, nauem sine gubernaculo, equum sine fræno, doliũ absque cooperculo. Velut enim in vrbem, aut domũ, quæ nullo clauditur ostio, aditus sine delectu patet vniuersis, ingredi egredique volentibus: ita quidquid temerè in buccam venit, os quod nullo prudentiæ, discretionisque clauditur ostio, euomit. Propterea Dauid ps. 140. *Pone*, inquit, *Domine custodiam ori meo, & ostiũ circunstantiæ labijs meis.* & Eccl. 28. *Ori tuo facito ostia, & seras*: cur hoc, nisi vt sermonem in mẽtem intingamus, & os nostrum quod ratio claudit, eadẽ aperiat? sicut dixit Chrysostomus in ps. 140. *Os nostrum perpetuò custodiamus, rationem ei tanquam clauem adhibentes.* Et D. Gregor. lib. 7. moral. c. vlt. explicans datam à Psalmista similitudinem: *Qui ergo*, inquit, *ori suo poni non obstaculũ, sed ostium petijt, & apertè docuit, quod & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari, quatenus os discretum, & congruo tempore vox aperiat, & rursus cõgruo taciturnitas claudat.* Ne simus, vt Aristides ait, ex vomẽtibus, sed ex eorum numero qui accuratè dicũt. Nauis autem sine gubernaculo, à ventis agitata huc illucque circumfertur: ita lingua, quam ratio non moderatur. Scriptura quoque monet, vt velut equum indomitum os infrænemus: Eccl. 28. *Facito frænos ori tuo rectos*, quod explicans D. Ambros. l. 1. Offic. c. 3. ait, *Restringatur lingua habenæ vinculis, frænos habeat suos, quibus reuocari possit.* Et de vase sine Num. 19. habetur: *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.* Quem locũ sic illustrat D. Gregor. Moral. 23. c. 4. *Tegmen operculi, vel ligatura, est censura disciplinæ, qua quisquis non premitur quasi vas immundum, pollutumque reprobatur: quasi enim vas sine operculo, vel ligaturâ, polluitur, qui per studium ostensionis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur.* Distillarius nisi vas operculo & ligaturâ strinxerit, nihil discludet: sic nihil nisi fumos verborum vaporat os indisciplinatum: vas erat sponsa habens operculum, de quâ sponsus, *Fauus distillans labia eius.* Non effunduntur instar fumi in vaniloquium, sed intincta mẽti sub rationis tegmine, stillant sapientiam: *Fauus distillans*, inquit, hoc est, velut in stateram guttatim fluens, vt ex numero, põdere, & mensura, sermones eius breues dignitatem accipiãt. Sophocles, *Orationi breui, multum inest sapientiæ*: quare sapientis est plurima posse paucis verbis bene cõplecti: vnde Ausonius de breuiloquentiâ Pythagoræ, epist. 12. ad Paulinum:

Psal. 140.
Eccl. 28.
Lingua frænanda.
Eccl. 28.
Num. 19.
Prou. 5.

> *Est etenim comis breuitas: sic fama renatum*
> *Pythagoram docuisse refert, cùm multa loquaces*
> *Ambiguis sererent verbis, contra omnia solùm*
> *Est, respondebat, vel Non: ô certa loquendi*
> *Regula: nam breuius nihil est, nec plenius istis,*
> *Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.*
> *Nemo silens placuit, multi breuitate loquendi.*

3.
Phocion à breuitate sermonis laudatus.
Matt. 6.

Hinc Atheniensibus admirationi fuit adstricta breuitas Phocionis, quẽ teste Plutarcho in præceptis Politicis, Demosthenes verborum suorũ securim appellabat. Hinc Dominus Matt. 6. orationem commendans, à multiloquio procul nos esse iubet, *Orantes autem*, inquit, *nolite multum loqui sicut Ethnici faciunt, putant enim, quod in multiloquio exaudiantur.* Non enim agmine verborum adeundũ ad Dominum, inquit Tertullianus, quem vltrò suis prospicere, certi sumus: & Athenodorus Philosophus, multũ eos damnari debere aiebat, qui longis orationibus Deum fatigarent, eaque peterent, quæ peti ab eis homines scire nollent: rogãdumque de ijs tantum, Deum esse, quæ minimè molestè homines ferant, etiãsi ab omnibus intelligantur. Scitè quidem: *Optimi hominum in dicendo breuissimi sunt.* Et garrulæ nimis linguæ intẽperãtia apud Romanos probrosa fuit. Vnde Cic. 1. de Oratore: *Quid enim est tam furiosum, quam verborum vel optimorum & ornatissimorum sonitus inanis; nullã subiectã sententiã, nec scientiã?* quam in sententiam Æschylus inquit,

> *Tyrannicum quiddam est, multa scire loqui.*

M. Cato atrocissimus huiusmodi vitij insectator est, inquit A. Gellius, namque in Oratione in M. Cæcilium, impendio loquacem: Nunquam, inquit, tacet, quem morbus tenet loquẽdi, tanquã veternosum bibendi, atque dormiẽdi: & rursus, quid ego dicerem amplius? quem ego denique credo, in pompâ vectitatũ iri ludis pro Citeriâ; ac spectatoribus sermocinaturum. Citeria, effigies quædam erat arguta & loquax, quæ ridiculi gratia in pompâ vehebatur: cui Locutuleium, inaniter & fastuosè blatterantem, confert Cato: qui vel vti taceat, vel vti loquatur, frusto panis conduci potest: quod insaniæ impropè est. Sic enim videas quosdã scatere verbis, inquit Gellius, sine vllo iudicij negotio, cũ securitate multâ & profundâ, vt loquentes plerũque videãtur, loqui sese nescire. Quod si continuò, & multa, celeriterque loqui, inquit Nicostrat. apud Stobæũ, signum esset prudentiæ, tum hirundines, dicerentur multò sapientiores nobis; quas aues Pier. Valerian. Hieroglyphicor. lib. 22. cap. 29. garrulitatis symbolum, inter cætera, esse describit, vnde per præceptũ illud Pythagoricum ὁμορρόφους χελιδόνας μὴ ἔχειν, contubernales hirundines nõ habendas, D. Hieron. & Cyrillus cum Aristotele consentientes, abstinẽdum à commercio garrulorum & susurronum intelligunt: Albertus & Ælianus apud Gesnerum, hirundines garrulas & loquaces vocant. Meritò Homerus vnũ ex omnibus Thersiten ἀμετροεπῆ ἀκριτόμυθον, loquentem sine iudicio & modo appellabat: verba illius multa ἄκοσμα, incompta strepẽrium sine modo graculorum similia esse dicit, inquit Gellius. Turpe siquidẽ est, inquit Menander, quum quis disertus dicendo, inanes linguâ sermones eiaculatur. Sicut nãque vt Euripid. in Antiope scripsit, Decorum silentiũm corona est viri boni: contrà loquacitas, neque iucundũ aliquid habet, & mala est conuersationi, & inutilis ciuitati: & in Bacchis, Infrenis oris, ac illegitimæ stultitiæ, finis est infortunium.

Hirundines, garrulitatis symbolum.

Linguæ garrula mala.

Hoc est, quod Scriptura monet, *in multiloquio nõ deerit peccatum*: cui accedit Euripides: ἀχαλίνων στομάτων ἀνόμου τ' ἀφροσύνας τὸ τέλος δυστυχία, *Effrenioris*

Prouerb. 10.

Effrenationis oris & exlegis, dementia extremum infelicitas occupat. Quod Phauorinus apud Gellium non de ijs tantùm pronuntiari dicit, qui impia, aut illicita dicerét, sed vel maximè de hominibus quoque posse dici, stulta & immodica blaterantibus, quorum lingua tam prodiga, infrenisque sit, vt fluat semper, & æstuet colluuione verborũ teterrimá. In quæ enim non impingat breuia, sine temone nauis, ventorum excepta ludibrio? Quam feram, quem hospitem, excludet vrbs aut domus, cuius continuò patent ianuæ, nec est vigil aut excubitor, qui sepiat eam? In quæ præcipitia non fertur indomitus & infrenis equus? in quos fumos non resoluetur vas feruẽs, nec opertum: quæ non mala ciet lingua incontinens, futilis, humidis & lapsantibus verbis defluens? Propterea Dominus orationes nostras luxuriare verbis non vult, sed esse adstrictas iubet, quum ait, *Orantes nolite multum loqui.* Quid ergo? damnantúrne preces longiores? Nunquid orantes assiduè, velut limitæ purpuratæ, explodentur iudicio? Si ita est, vt quid Dominus ipse erat pernoctãs in oratione Dei: & cùm omnis Christi actio nostra sit instructio, vt quid ad imitationem Saluatoris, Diuorum in orationibus diurna nocturnaque protelatio? quis ferat damnari, quod approbare, laudareque nemo nõ possit? Quàm præclarum genua frontemque D. Iacobi, ob frequentatas per orationem in terram prostrationes callo florescere? Asellæ Monachæ Romanæ præ orandi frequentiá, genua camelorum instar occalluisse, scribit D. Hieron. in eius vitá. Apollonius Abbas cẽtũ genuflexionibus die noctúque precationes repetijsse perhibetur: auctor Marul. lib. 2. cap. 1. vbi etiam Arsenij Abbatis meminit, cui mos erat vnoquoque sabbathi die submissis genibus à vespere vsque mane orationem protelare, facie ad Orientem versá, vt illum adoraret orientem, de quo per Prophetam, *Ecce vir oriens nomen eius.* Moisis quoque Abbatis sermoné facit qui noctem penè totam orando peruigilare solitus sit, ac ne sopori succumberet, recto corpore, patentibusque oculis perstare itaque dæmonum tendiculas atque dolos, qui sopitum voluptuosis phantasmatum imaginibus ad illicita prouocabant, superasse. De Elpidio Abbate memoriæ proditum est, quòd per quinque & viginti annos nunquam se ad occidentem verterit, semper ferè orans, & illum cui nomen Oriens, iugiter contẽplans Marul. lib. 5. cap. 8. Quid Paulum Libycum memoré, qui Monachorum quingentorũ quondam Abbas in Africâ, nullo vitæ suæ die, quidquã priùs egit aut percepit, quàm trecentas orationes, genibus prouolutus, Domino reddidisset? Et ne numero fortè delinqueret, trecentos lapides ponebat, & singulis orationibus lapidem mittebat in sinum? Tripart. hist. lib. 8. cap. 1. & Pallad. in histor. Sanctorum Patrum cap. 23.

4. Oratio sit breuis. Matth. 6.

D. Iacob.

Asella Monacha.

Apollonius Abbas.

Arsenius.

Moises Abbas.

Elpidius Abbas.

Paulus Lybicus.

Nunquid verò hi, innumerique alij, quos recensere longum foret, longiori insistentes precationi, Domini præscriptum violarũt? Minimè, sanè: Quâ ergo mente dictum à Domino: *Orantes nolite multum loqui?* ipse, eius quã exigit breuitatis caussam, subdit quũ ait, *sicut Ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio exaudiantur.* Ethnicos, gentiles vocat ab ἔθνος, quod est, *gens, natio,* ἔθνος autem ab ἔθος dictum volunt, quod est, *mos, consuetudo.* Vnde Ethnici ita dicti, quod naturæ in quá genérati sunt moribus, sine verá Dei cognitione, & alieni à Christianá religione, viuant, quemadmodũ scripsit Isid lib 8. Origin cap. 10. Illi ergo idolomaniæ morbo laborantes, vel dæmonas orabant, vel ipsum Deum: si dæmonas, verborum illis necessaria fuit fœcunditas, vt animi sui sensuum ignaros instruerẽt, & quid peterent, multo verborum agmine patefacerent. Scitè D. Aug. de serm. Dom. in monte, apud D. Tho. in Catena Matth. 6. *Sicut Hypocritarum est præbere se spectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus, ita est Ethnicorum, id est, Gentilium, in multiloquio suo se putare exaudiri.* Cùm enim non putarent Deos suos esse vbique præsentes, garrulá, clamosaque voce, sese illos ad se euocare arbitrabantur: exẽplo sint Sacerdotes & Prophetæ Baal. 3. Reg. 18. qui surda in voces suas Numina, à manè ad meridiem vsque magna contẽtione inuocabant, *Fecerunt, & inuocabant nomen Baal, de manè vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet. Transiliebantque altare quod fecerant. Cumque esset iam meridies illudebat illis Elias dicens. Clamate voce maiore. Deus enim vester est, & forsitã loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Illudebat, inquit, illis, nec illi sibi illudi cogitabant, quòd ita esse putarẽt, vnde sequitur, *Clamabant ergo voce magnâ, & incidebant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Si Deum ipsum oratione colebant, duplici errore circa naturã Diuinitatis inficiebantur, vt aduertit Lyran. in cap 6. Matth. vno quòd multiiugi sermonum copia, desideria, conceptusque suos, quos aliàs ignoraret, Deo palam facere sese putarent, veluti recenditos animi nostri motus, homo homini, cõceptis verbis indicamus. Altero, quod importuno sermone fatigatum Numẽ, à suá sententiá recedere & in aliã ire, sibi omnino persuaderent: quomodo Iuno, Venusque coram Ioue caussam dicentes, inducit Virg. Æneid. 10 & alteram earum eam obtinere. Qua ex re, duplici Deum morbo laborare cõstituebant, ignorantiá, & mutatione, quod infidelitatis est: in nobis enim est Deus, & oculis eius intimi nostri recessus patent, neque ab eo quod semel dixit, vllis precationum illecebris, vllá suadá, deijci potest.

August. lib. 2. de serm. Dom. in mon. cap. 3.

1. Reg. 18.

Ethnicorum error circa diuinitatem

Et istud est multiloquiũ, quod damnat Dominus veniens de infidelitate, inquit Glossa: de quo D. August. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 2. *Et verò omne multiloquiũ à Gẽtilibus venit, qui exercenda linguæ potiùs quam mundando animo dant operam. Et hoc nugatorij studij genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur: arbitrantes Deum sicut hominem iudicem, verbis adduci in sententiã.* Quare qui multam precem cõglomerat, quasi ex pluribus verbis nostris, plura cognoscat Deus, aut blandiente suadâ animũ mutet peccato mortali se obstringit, plura licet, paucáve dicat. Non secus ac multiloquij arguendus est, qui inhonesta, vel nõ decentia petit, nam cũm supra rationem petat, quod supra rationem est, multum est, etiamsi duabus tantum syllabis expresseris. Ita Philemon apud Ioan. Stobæ: Eum, inquit, qui nihil opportunè dicit, longũ existima, licet duas tantum syllabas pronũtiarit. At benè dicentem ne longum existimes, etsi permulta dixerit, & longo tempore. Huius indiciũ, Homerum accipe. Is enim nobis myriades scribit versuum, nullus tamen Homerum appellauit longum. Ita multiloquus non est, quisquis longiori etiam oratione petit quod petẽdum est. Hinc D. Chrysost. apud D. Tho. suprà, *Dissuadet igitur per hoc inanem locutionem in orando, puta, cùm non petimus decẽtia à Deo: sed pōtentatus & gloriã inimicos superare, & pecuniarum abundantiam. Iubet ergo hic non lõgas orationes facere. Longas autem dico, non tempore, sed multitudine eorum quæ dicuntur: permanere tamen oportet eos qui petunt: Orationi enim, ait Apostolus, instantes: non tamen iubet decem millium versuum orationem componere, & corde tenus enunciare, quod occultè insinuat, quum dixit, nolite multum loqui.* Quid autem est multum loqui nisi aut multa petere, aut in orando rem necessariam superfluis verbis agere? non in multa diffundendus est animus, vnum petendum est; quia *porrò vnum est necessarium,* inquit Dominus, & hoc vnum quærebat Psalmista: quum diceret: *vnam petij à Domino, hanc requiram.* Et quænam illa gratia?

5. Orans multis quando peccat mortaliter.

Oratione decentia petenda sunt.

Luc. 10.

V 4

loris esse volebat ad tollendam cupiditatem, ita verbulo vno multa exprimi ad tollēdam loquacitatem Aristoteles 2. de animalib. hominis linguam, modicum membrum, cæterorum comparatione, esse dixit, quam propterea, ne vulgaretur, natura reclusit. Plin. lib. 7. cap. 16. Dentes, inquit, nec cibo tantùm & alimentis necessarij; quippe vocis sermonisque regimen primores tenent, concentu quodam excipiētes ictum linguæ, seriemque structuræ, atque magnitudine mutilantes, molientésve, aut hebetantes verba, & cùm defluxere, explanationem omnem adimentes: hos, tanquam vallum natura linguæ opposuit, ne petulanter euagaretur, & labia adiecit, vt duplici septa claustro, minimùm excurreret, vt inquit Bias. Quapropter Hesiodus Poëtarum prudentissimus, inquit Aul. Gellius lib. 1. cap. 15. noct. Attic. linguam non vulgandam, sed recondendam esse dicit, perinde vt thesaurū. Eiusque esse in promendo gratiam plurimam, si modesta, & parca, & modulata sit.

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς, πλείση δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.
Optimus est homini linguæ thesaurus & ingens
Gratia, quæ parcu mensurat singula verbis.

2. Loquax velut vrbs non cincta mœnibus.

Hinc Solon intempestiuè garrulū & loquacem, vrbem incinctam mœnibus esse dixit, domum absque ianuis, nauem sine gubernaculo, equum sine fræno, doliū absque cooperculo. Velut enim in vrbem, aut domū, quæ nullo clauditur ostio, aditus sine delectu patet vniuersis, ingredi egredique volentibus: ita quidquid temerè in buccam venit, os quod nullo prudentiæ, discretionisque clauditur ostio, euomit. Propterea Dauid ps. 140. *Pone*, inquit, *Domine custodiam ori meo, & ostiū circunstantiæ labijs meis.* & Eccl. 28. *Ori tuo facito ostia, & seras*: cur hoc, nisi vt sermonem in mērero intingamus, & os nostrum quod ratio claudit, eadē aperiat? sicut dixit Chrysostomus in ps. 140. *Os nostrum perpetuò custodiamus, rationem ei tanquam clauem adhibentes.* Et D. Gregor. lib. 7. moral. c. vlt. explicans datam à Psalmista similitudinem: *Qui ergo*, inquit, *ori suo poni non obstaculū, sed ostium petijt, & aperte docuit, quod & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari, quatenus os discretum, & congruo tempore vox aperiat, & rursus cōgruo taciturnitas claudat.* Ne simus, vt Aristides ait, ex vomētibus, sed ex eorum numero qui accuratè dicūt. Nauis autem sine gubernaculo, à ventis agitata huc illucque circumfertur: ita lingua, quam ratio non moderatur. Scriptura quoque monet, vt velut equum indomitum os infrænemus: Eccl. 28. *Facito frænos ori tuo rectos*, quod explicans D. Ambros. l. 1. Offic. c. 3. ait, *Restringatur lingua habenæ vinculis, frænos habeat suos, quibus reuocari possit.* Et de vase sine Num. 19. habetur: *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.* Quem locū sic illustrat D. Gregor. Moral. 23. c. 4. *Tegmen operculi, vel ligatura, est censura disciplinæ, qua quisquis non premitur quasi vas immundum, pollutumque reprobatur: quasi enim vas sine operculo, vel ligaturā, polluitur, qui per studium ostensionis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur.* Distillarius nisi vas operculo & ligaturā strinxerit, nihil discludet: sic nihil nisi fumos verborum vaporat os indisciplinatum: vas erat sponsa habens operculum, de quā sponsus, *Fauus distillans labia eius.* Non effunduntur instar fumi in vaniloquium, sed intincta mēri sub rationis tegmine, stillant sapientiam: *Fauum distillant*, inquit, hoc est, velut in staterem guttatim fluens, vt ex numero, pōdere, & mensura, sermones eius breues dignitatem accipiāt. Sophocles, *Orationi breui, multum inest sapientiæ*: quare sapientis est plurima posse paucis verbis bene cōplecti: vnde Ausonius de breuiloquentiā Pythagoræ, epist. 12. ad Paulinum:

Psal. 140.
Eccl. 28.
Lingua frænanda.
Eccl. 28.
Num. 19.
Prou. 5.

Est etenim comis breuitas: sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert, cùm multa loquaces
Ambiguis sererent verbis, contra omnia solùm
Est, respondebat, vel Non: ô certa loquendi
Regula: nam breuius nihil est, nec plenius istis,
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo silens placuit, multi breuitate loquendi.

3. Phocion à breuitate sermonis laudatus. Matt. 6.

Hinc Atheniensibus admirationi fuit adstricta breuitas Phocionis, quē teste Plutarcho in præceptis Politicis, Demosthenes verborum suorū securim appellabat. Hinc Dominus Matt. 6. orationem commendans, à multiloquio procul nos esse iubet, *Orantes autem*, inquit, *nolite multum loqui sicut Ethnici faciunt, putant enim, quod in multiloquio exaudiantur.* Non enim agmine verborum adeundū ad Dominum, inquit Tertullianus, quem vltrò suis prospicere, certi sumus: & Athenodotus Philosophus, multū eos damnari debere aiebat, qui longis orationibus Deum fatigarent, eaque peterent, quæ peti ab eis homines scire nollent: rogādumque de ijs tantum, Deum esse, quæ minimè molestè homines ferant, etiāsi ab omnibus intelligantur. Scitè quidam: *Optimi hominum in dicendo breuissimi sunt.* Et garrulæ nimis linguæ intēperātia apud Romanos probrosa fuit. Vnde Cic. 3. de Oratore: *Quid enim est tam furiosum, quam verborum vel optimorum & ornatissimorum sonitus inanis, nullâ subiectâ sententiâ, nec scientiâ?* quam in sententiam Æschylus inquit,

Tyrannicum quiddam est, multa scire loqui.

M. Cato atrocissimus huiusmodi vitij insectator est, inquit A. Gellius, namque in Oratione in M. Cæcilium, impendiò loquacem: Nunquam, inquit, tacet, quem morbus tenet loquēdi, tanquā veternosum bibendi, atque dormiēdi: & rursus, quid ego dicerem amplius? quem ego denique credo, in pompā vectitatū iri ludis pro Citeriā; ac spectatoribus sermocinaturum. Citeria, effigies quædam erat arguta & loquax, quæ ridiculi gratia in pompā vehebatur: cui Locutuleium, inaniter & fastuosè blatterantem, confert Cato: qui vel vti taceat, vel vti loquatur, frusto panis conduci potest: quod insaniæ propè est. Sic enim videas quosdā scatere verbis, inquit Gellius, sine vllo iudicij negotio, cū securitate multā & profundā, vt loquentes plerūque videātur, loqui sese nescire. Quod si continuò, & multa, celeriterque loqui, inquit Nicostrat. apud Stobæū, signum esset prudentiæ, tum hirundines, dicerentur multò sapientiores nobis; quas aues Pier. Valerian. Hieroglyphicor. lib. 22. cap. 29. garrulitatis symbolum, inter cætera, esse describit, vnde per præceptū illud Pythagoricum ὁμορρόφιας χελιδόνας μὴ ἔχειν, contubernales hirundines nō habendas, D. Hieron. & Cyrillus cum Aristotele consentientes, abstinēdum à commercio garrulorum & susurrōnum intelligunt: Albertus & Ælianus apud Gesnerum, hirundines garrulas & loquaces vocant. Meritò Homerus vnū ex omnibus Thersiten ἀμετροεπῆ ἀκριτόμυθον, loquentem sine iudicio & modo appellabat: verba illius multa ἄκοσμα, incompta strepetium sine modo graculorum similia esse dicit, inquit Gellius. Turpe siquidē est, inquit Menander, quum quis disertus dicendo, inanes linguā sermones eiaculatur. Sicut nāque vt Euripid. in Antiope scripsit, Decorum silentium corona est viri boni: contrà loquacitas, neque iucundū aliquid habet, & mala est conuersationi, & inutilis ciuitati: & in Bacchis, Infrenis oris, ac illegitimæ stultitiæ, finis est infortunium.

Hirundines, garrulitatis symbolum.

Hoc est, quod Scriptura monet, *in multiloquio nō deerit peccatum*: cui accedit Euripides: ἀχαλίνων στομάτων ἀνόμου τε ἀφροσύνας τὸ τέλος δυστυχία.

Linguæ garrulæ mala.

Effrenioris

Prouerb. 10.

Effrenatio oris & exlegis, dementia extremum infelicitas occupat. Quod Phauorinus apud Gellium non de ijs tantùm pronuntiari dicit, qui impia, aut illicita dicerêt, sed vel maximè de hominibus quoque posse dici, stulta & immodica blaterantibus, quorum lingua tam prodiga, infrenisque sit, vt fluat semper, & æstuet colluuione verborû teterrimâ. In quæ enim non impingat breuia, sine temone nauis, ventorum excepta ludibrio? Quam feram, quem hospitem, excludet vrbs aut domus, cuius continuò patent ianuæ, nec est vigil aut excubitor, qui sepiat eam? In quæ præcipitia non feretur indomitus & infrenis equus? in quos fumos non resoluetur vas feruês, nec opertum: quæ non mala ciet lingua incontinens, futilis, humidis & lapsantibus verbis defluens? Propterea Dominus orationes nostras luxuriare verbis non vult, sed esse adstrictas iubet, quum ait, *Orantes nolite multum loqui.* Quid ergo? damnantúrne preces longiores? Nunquid orantes assiduè, velut limitæ purpuratæ, explodentur iudicio? Si ita est, vt quid Dominus ipse erat pernoctâs in oratione Dei: & cùm omnis Christi actio nostra sit instructio, vt quid ad imitationem Saluatoris, Diuorum in orationibus diurna nocturnaque protelatio? quis ferat damnari, quod approbare, laudareque nemo nô possit? Quàm præclarum genua frontemque D. Iacobi, ob frequentatas per orationem in terram prostrationes callo florescere? Asellæ Monachæ Romanæ præ orandi frequentiâ, genua camelorum instar occalluisse, scribit D. Hieron. in eius vitâ. Apollonius Abbas cétû genuflexionibus die noctuque precationes repetijsse perhibetur: auctor Marul. lib. 2. cap. 1. vbi etiam Arsenij Abbatis meminit, cui mos erat vnoquoque sabbathi die submissis genibus à vespere vsque mane orationem protelare, facie ad Orientem versâ, vt illum adoraret orientem, de quo per Prophetam, *Ecce vir oriens nomen eius.* Moisis quoque Abbatis sermonê facit qui noctem penè totam orando peruigilare solitus sit, ac ne sopori succumberet, recto corpore, patêribusque oculis perstare: itaque dæmonum tendiculas atque dolos, qui sopitum voluptuosis phantasmatum imaginibus ad illicita prouocabant, superasse. De Elpidio Abbate memoriæ proditum est, quòd per quinque & viginti annos nunquam se ad occidentem verterit, semper ferè orans, & illum cui nomen Oriens, iugiter contêplans: Marul. lib. 5. cap. 8. Quid Paulum Libycum memorê, qui Monachorum quingentorû quondam Abbas in Africâ, nullo vitæ suæ die, quidquâ priùs egit aut percepit, quàm trecentas orationes, genibus prouolutus, Domino reddidisset? Et ne numero fortè delinqueret, trecentos lapides ponebat, & singulis orationibus lapidem mittebat in sinum? Tripart. hist. lib. 8. cap. 1. & Pallad. in histor. Sanctorum Patrum cap. 25.

4. Oratio sit breuis. Matth. 6.

D. Iacob.

Asella Monacha.

Apollonius Abbas.

Arsenius.

Moises Abbas.

Elpidius Abbas.

Paulus Lybicus.

Orantes cur non multû loqui debeant.

Nunquid verò hi, innumerique alij, quos recensere longum foret, longiori insistentes precationi, Domini præscriptum violarût? Minimè, sanè: Quâ ergo mente dictum à Domino: *Orantes nolite multum loqui?* ipse, eius quâ exigit breuitatis caussam, subdit quû ait, *sicut Ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio exaudiantur.* Ethnicos, gentiles vocat, ab ἔθνος, quod est, *gens, natio*, ἔθνος autem ab ἔθος dictum volunt, quod est, *mos, consuetudo.* Vnde Ethnici ita dicti, quod naturæ in quâ generati sunt moribus, sine verâ Dei cognitione, & alieni à Christiana religione, viuant, quemadmodû scripsit Isid. lib. 8. Origin. cap. 10. Illi ergo idolomaniæ morbo laborantes, vel dæmonas orabant, vel ipsum Deum: si dæmonas, verborum illis necessaria fuit fœcunditas, vt animi sui sensuum ignaros instruerêt, & quid peterent, multo verborum agmine patefacerent. Scitè D. Aug. de serm. Dom. in monte, apud D. Tho. in Catena Matth. 6. *Sicut Hypocritarum est præbere se spectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus, ita est Ethnicorum, id est, Gentilium, in multiloquio suo se putare exaudiri.* Cùm enim non putarent Deos suos esse vbique præsentes, garrulâ, clamosaque voce, sese illos ad se euocare arbitabantur: exêplo sint Sacerdotes & Prophetæ Baal. 3. Reg. 18. qui surda in voces suas Numina, à manè ad meridiem vsque magna contêtione inuocabant, *Fecerunt, & inuocabant nomen Baal, de manè vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet. Transiliebantque altare quod fecerant. Cumque esset iam meridies illudebat illis Elias dicens. Clamate voce maiore. Deus enim vester est, & forsitâ loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Illudebat, inquit, illis, nec illi sibi illudi cogitabant, quòd ita esse putarêt, vnde sequitur, *Clamabant ergo voce magnâ, & incidebant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Si Deum ipsum oratione colebant, duplici errore circa naturâ Diuinitatis inficiebantur, vt aduertit Lyran. in cap. 6. Matth. vno quòd multiiugi sermonum copia, desideria, conceptusque suos, quos aliàs ignoraret, Deo palam facere sese putarent, veluti reconditos animi nostri motus, homo homini, côceptis verbis indicamus. Altero, quod importuno sermone fatigatum Num ê, à suâ sententiâ recedere & in aliâ ire, sibi omnino persuaderent: quomodo Iuno, Venusque coram Ioue caussam dicentes, inducit Virg. Æneid. 10. & alteram earum eam obtinere. Qua ex re, duplici Deum morbo laborare cô stituebant, ignorantiâ, & mutatione, quod infidelitatis est: in nobis enim est Deus, & oculis eius intimi nostri recessus patent, neque ab eo quod semel dixit, vllis precationum illecebris, vlla suadâ, deijci potest.

August. lib. 2. de serm. Dom. in mon. cap. 3.

1. Reg. 18.

Ethnicorum error circa diuinitatem.

Et istud est multiloquiû, quod damnat Dominus veniens de infidelitate, inquit Glossa: de quo D. August. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 2. *Et reuera omne multiloquiû à Gêtilibus venit, qui exercendæ linguæ potiùs quam mundando animo dant operam. Et hoc nugatorij studij genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur: arbitrantes Deum sicut hominem iudicem, verbis adduci in sententiâ.* Quare qui multam precem côglomerat, quasi ex pluribus verbis nostris, plura cognoscat Deus, aut blandiente suadâ animû mutet peccato mortali se obstringit, plura licet, paucáve dicat. Non secus ac multiloquij arguendus est, qui inhonesta, vel nô decentia petit, nam cûm supra rationem petat, quod supra rationem est, multum est, etiamsi duabus tantum syllabis expresseris. Ita Philemon apud Ioan. Stobæ: Eum, inquit, qui nihil opportunè dicit, longû existima, licet duas tantum syllabas pronûtiarit. At benè dicentem ne longum existimes, etsi permulta dixerit, & longo tempore. Huius indiciû, Homerum accipe. Is enim nobis myriades scribit versuum, nullus tamen Homerum appellauit longum. Ita multiloquus non est, quisquis longiori etiam oratione petit quod petêdum est. Hinc D. Chrysost. apud D. Tho. suprà, *Dissuadet igitur per hoc inanem locutionem in orando, puta, cùm non petimus decêtia à Deo: sed pôtentatus & gloriâ inimicos superare, & pecuniarum abundantiam. Iubet ergo hic non lôgas orationes facere. Longas autem dico, non tempore, sed multitudine eorum quæ dicuntur: permanere tamen oportet eos qui petunt: Orationi enim, ait Apostolus, instantes: non tamen iubet decem millium versuum orationem componere, & corde tenus enunciare, quod occultè insinuat, quum dixit, nolite multum loqui.* Quid autem est multum loqui nisi aut multa petere, aut in orando rem necessariam superfluis verbis agere? non in multa diffundendus est animus, vnum petendum est; quia, *porrò vnum est necessarium*, inquit Dominus, & hoc vnum quærebat Psalmista: quum diceret: *vnam petij à Domino, hanc requiram.* Et quænam illa gratia?

5. Orans multis quando peccat mortaliter.

Oratione decentia petenda sunt.

Luc. 10.

Mundana animum in plura distrahunt.

vt inhabitem in domo Domini, inquit; non mundana petit, quia multa sunt, & in multa animũ secant, mentemque sollicitam reddunt, & turbant: sed vnum, animum non diuidit, & quietem adfert. Hoc petendum, non verborum ambitu, aut ornatu; *Quia Deus, non vocis, sed cordis auditor est*, inquit D. Cyprian. in Orat. Dominicam: *Nec admonendus est clamoribus qui cogitationes hominũ videt, probante Domino & dicente: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? & alio loco: Et scient omnes Ecclesiæ, quia sum scrutator renis & cordis. Quod Anna in primo Regnorum libro Ecclesiæ typum portans, custodit & seruat; quæ Dominum non clamosâ petitione, sed tacitè & modestè intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occultâ, sed manifestâ fide: loquebatur non voce, sed corde: quia sic Deum sciebat audire; & impetrauit efficaciter quod petijt, quia fideliter postulauit.* Quod si clamet Vates Regius, & dicat Deo, *Intellige clamorẽ meum.* Psal. 5. *Clamor in scripturis non vocis, sed cordis est*, inquit in eum Psalmum D. Hieron. *vnde Apostolus ait, Clamantes in cordibus nostris, Abba Pater; Quando igitur gemitus noster, & conscientia deprecatur, istum clamorem intelligis Deus, vnde dixit & Ieremias, non taceat pupilla oculi tui. Videte quid dicat, non taceat pupilla oculi tui. Clamat ad Deum, vtique si clamat, lingua clamat, non pupilla oculi, sed quomodo clamamus in cordibus nostris, quando cum gemitu Dominum deprecamur, sic quando lacrymas ad Deum fundimus, eo tempore pupilla oculi nostri clamat ad Dominum.* In oratione clamat, qui Deum corde & fletibus interpellat: sunt lacrymę, fontes, quibus irrigantur orationis flores è corde protuberantes. Chrysost. homil. de Annâ & Samuelis educatione, tom. 1. *Resarta sunt virtutum* (scilicet orationes) *quæ nunquam marcescunt, longè vernis floribus redolentiora, vt quæ non aquarum fontibus, sed lacrymarum imbre rigantur. Neque enim proinde omnium fontes floridos reddunt hortos, vt plantam deprecationis, fontes lacrymarum irrigantes faciunt in summam altitudinem excurrere*: nempe vsque ad Deum, qui orantis clamorem, non corporis voce editũ, quæ cum strepitu verberati aëris promitur, sed voce cordis, quæ hominibus silet, Deo autẽ sicut clamor sonat, intelligit. *Intellige clamorem meũ*, inquit Propheta, vbi D. August. *Benè ostendit quis sit iste clamor, qui interior de cordis cubili sine strepitu corporis perueniat ad Deum: quandoquidem vox corporalis auditur, spiritualis autem, intelligitur.* Quare D. Gregor. lib. 33. Moral. *Veraciter orare*, inquit, *est amaros in compunctione gemitus, & non composita verba resonare.* Verborum namque apparatus, affectata elegantia, & magna de paruis prooemia, pro multiloquio habentur, si propter se quærãtur, quia cùm oratio magis ad animum, quàm ad verba ornata pertineat, illis loquentiæ phaleris occupata mẽs silet, etsi lingua loquatur. De cantu, idem censendum est, si oblectandarum aurium gratiâ quæratur: ita D. Greg. 92. dist. cap. in sancta, quum ait, quod consuetudo reprehensibilis erat constitutos in Diaconatu modulationi vocis inseruire, quos ad prædicationis officium, ad eleëmosynarum studium vacare conguebat: & subditur: *Vnde fit plerumque in sacro mysterio dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur, & cantor Deum moribus stimulet, cùm populum vocibus delectet.* Huiusce cõsectandi modulaminis studio aliquando sese irretitũ fatetur D. Bernard. Meditationum suarum cap. 11. totidem verbis, *Sæpè ad sacrum mysterium vocem meam fregi, vt dulciùs cantarem, & magis delectabar in vocis modulatione, quàm in cordis cõpunctione. Deus verò cui non absconditur quidquid illicitum perpetratur, non quærit vocis lenitatem, sed cordis puritatem. Nam dum cantor mulcet populũ vocibus, Deum irritat prauis moribus.* Secus tamen est, si ista quærantur quò animus ad deuotionem & spirituale gaudium concitetur, quam ob rem ab Ecclesiâ vsurpantur vnde de seipso D. August. ait, quòd fleret vberrimè in Hymnis, & Canticis, suaue sonantis Ecclesiæ vocibus vehementer affectus, & quod voces illæ influebant auribus eius, & eliquebatur veritas in cor eius, & fluebant lacrymæ, & benè illi erat cum illis.

Luc. 15. Apoc. 2. Psal. 5. Rom. 8. Thren. 2. Pupilla orat. Clamare in oratione, quid sit. Ps. 5. Orare veraciter. Cantus, aurium oblectamentum vituperatur.

6. Sed vt, quæ preces tumultuosa loquacitate & iactantiâ eximãtur, quæ verò minime, dilucidiùs fiat: statuamus quæri posse de oratione quæ fit ex debito communi, aut priuatâ; determinatâ vel indeterminata; meritoriâ vel satisfactoriâ: laudatoriâ vel petitoriâ. Si de cõmuni agatur, quæ est ministrorum Ecclesiæ, multiloquio vacat, quantumuis lõga fuerit; quia est commensurata rectæ rationi, secundum id quod sapiens siue prudens determinauit; nam cùm recta ratio in moralibus sit regula operationum, id quod à sapiente secundum illam præscriptum est, nec superabundat nec deficit, vt multum, vel paucũ dici possit; sed medium tenet, in quo virtutẽ consistere, dixit Arist. 2. Ethic. Hinc est quod Officium Diuinum, siue preces horariæ; ad quas omnes sacris initiati, & beneficia habentes, quotidie semel plenè persoluendas tenentur, licet alioquin prolixæ, & plusculum temporis requirere videantur, absolutè tamen, quia mensuræ suæ æquantur, non dicuntur magnę sed cõmẽsuratę. Si de priuatâ oratione sit sermo, aut illa ex necessitate definita est, aut non; si sit definita, vt quum pœnitenti post exomologesim peccatorum certa præscribitur oratio, siue parua illa fuerit, siue magna, multiloquio nõ subiacet, quia commensurata est, & tantum ille loquitur, quantum tenetur. Sin autem determinatè necessaria non fuerit; multum vel parum orare quiuis potest; nec violati præcepti reus tenetur, cum nullum sit positum: *Absit autem ab oratione multa locutio*, inquit D. August. ad Probam, *sed nõ desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio: nã multum loqui, est in orando rem necessariã superfluis agere verbis: multum autem precari, est eum quem precamur, diuturnâ cordis excitatione pulsare: nam plerumque hoc negotiũ, plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu.* Atque ita oratio dicetur prolixior ex tempore non ex verbis. Si de meritoriâ vel satisfactoriâ loquamur; quę ad faciendum satis, solùm, siue pręcipuè instituitur, expedit eam diuturniorem esse, quia ad hoc, non requiritur deuotionis feruor, qui in prolixiori oratione tepescere consueuit, sed sufficit, si in charitate bono animo fiat, & tanquam opus pœnale & difficilè assumatur, quod ad satisfaciendũ est satis. Si verò meritum præcipuè spectetur; quia primarium in oratione est deuotio, siue feruoris desiderij cõcitatio quædam: eam tamdiu continuari oportet, quamdiu feruor ille excitatur, quo fatiscente, ipsa quoque interrumpenda est oratio, ne fastidio onerata naturâ, pigrior sit ad eam recursus: vnde in Collat. Patrum, *Frequenter enim, sed breuiter est orandum, ne immorantibus nobis, inserere aliquid nostro cordi insidiator possit inimicus.* Si per modum diuinæ laudis excurrat oratio, velut in plerisque Psalmis Dauidicis, in quibus nulla fit petitio, sed diuinarum laudum sola enarratio, nihil subest periculi si multa dicamus; quia nihil petimus, sed laudamus tantùm. Sin autem per modum petitionis: breuis vt sit, oportet, & in eâ tamdiu morandum quamdiu durat desiderij affectus, exemplo Domini, qui quãuis tertiò repetita oratione Patrem rogarit, eundem tamen sermonem dixit, in quo, prolixiùs orasse perhibetur, quia licet pauca verba efferret; circa id quod petebat, longo tenebatur affectu. Hinc D. August. ad Probam, *Non vt quidam putant, hoc est orare in multiloquio, si diutiùs oretur. aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus:* Propterea suo magisterio Dominus breuem nobis orandi formam tradidit. *Dicens*, inquit, *Pater noster, qui es in cælis.*

Oratio communis. Oratio priuata. Oratio meritoria vel satisfactoria. Oratio laudatoria. Oratio petitoria.

7. Quanta in hoc oratione breuitas, & in breuitate mysteria! Cyprian. in Orat. Domin. *Qualia autem*

Orationis Dominicæ breuitas cõmendatur.

autem sunt Orationis Dominicæ sacramenta, quàm multa, quàm magna breuiter in sermone collecta, sed in virtute spiritualiter copiosa; vt nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus atque orationibus nostris, cælestis doctrinæ compendio comprehendatur. Admiranda prorsus quæ in tantillo orationis huius corpusculo membra, & membrorum virtus, continentur. Non minùs, imò magis mirabilem rebus in paruis, quàm in magnis se natura præbet, sicut D. Hieron. epist. ad Nepotian. significauit; & Arist. 1. de partibus animal. nulla tam exigua, tam abiecta esse animalia, quæ non spectatiore naturæ artificio emineant. In teredine & culice, naturæ subtilitatem exaggerat Plin. lib. 11. cap. 2. floridè verbis. In magnis siquidem corporibus, aut certè maioribus, facilis officina sequaci materia fuit. In his tam paruis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? vbi tot sensus collocauit in culice? & sũt alia dictu minora. Sed vbi visum in eo prætendit? vbi gustatum applicauit? vbi odoratum inseruit? vbi verò truculentam illam & portione maximam vocem ingenerauit? quá subtilitate pennas adnexuit? prælõgauit pedum crura? disposuit ieiunam caueam, vti aluũ? auidam sanguinis, & potissimum humani, sitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori, quo spiculauit ingenio? Atque, vt in capaci, cùm cerni non possit exilitas, ita reciproca geminauit arte, vt fodiendo acuminatum pariter, sorbẽdoque fistulosum esset. Quos teredini ad perforãda robora cum sono teste dentes affixit? potissimumque è ligno cibatum fecit? Sed turrigeros elephãtorum miramur humeros, taurorumque colla, & truces in sublime iactus, tigrium rapinas, leonũ iubas, cùm rerum natura nusquam magis, quàm in minimis tota sit. Miremur nos tot tantaque cælestis doctrinæ mysteria imò vniuersam Theologiam, tam paucis verbis huius orationis contineri, quæ pro exordio sex voculas habet; pro textu petitiones septem: pro epilogo dictionem vnam, scilicet, Amen. Tertul. lib. de oratione. *Breuitas ista magnæ ac beatæ interpretationis substantia fulta est, quantamque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Neque enim propria tantùm orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem, sed omnem penè sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ: vt reuera in oratione breuiarium totius Euangelij comprehendatur.*

Natura in paruis mirabilis.

8.

Artefacta quędam minimis circumscripta spatijs, & ipsos artifices miramur, qui paruis in voluminibus industriá artificij subtilitate, aut magna repræsentarunt, aut minima omnibus partibus suis discretissimè expresserũt. In nuce inclusam Iliada Homeri, carmen in membrana scriptum, tradidit Cicero, inquit Plin. lib. 7. cap. 21. Callicrates ex ebore formicas, & alia tam parua fecit animalia, vt partes earum à cæteris cerni nõ possent. Myrmecides quidam in eodem genere inclaruit, à quo quadrigam ex eadem materiá, quam musca integeret alis, fabricatam, & nauẽ, quam apicula pinnis absconderet. Ista, inquam, miramur: nec mirabimur, si oratio talis est, quã Deus docuit, vt in eá omnem pacem nostram salutari sermone breuiarit? De hac intelligi potest, quod per Isaiam prædictum est, cap. 10. *Consummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Quam auctoritatem citat Apost. ad Rom. 9. *Verbum enim consummans & abbreuians in æquitate, quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram:* quantò autem aliquod verbum est magis perfectum, tantò est altius, & per consequens, magis simplex & breue, inquit D. Tho. ibi. Theodoretus autem, *Abbreuiatum verbum, fidem appellauit,* inquit; & D. Thomas, Euangelium; ratio vtriusque coincidit, quia quod lex multis præceptis docuit: hoc fides siue Euangelium, duobus præceptis comprehendit. Diliges Deum; diliges proximum: vnde Gloss. interlinear. Verbum breuiatum, inquit, est charitas. Quid antẽ aliud charitas, quàm amor Dei & proximi? & hic amor cõtinetur in duobus illis primis verbis, *Pater noster*, nam dicendo *Pater*, amorem significamus, quem Deo debemus; & dicendo, *noster*, amorem proximo debitum: lex autem tota istis duobus amoribus concluditur. Quam in sententiam præclarè D. Cyprian. in Oratione Dominic. *Hoc tam per Isaiam Prophetam fuerat ante prædictum, cùm plenus Spiritu sancto de Dei maiestate ac pietate loqueretur. Verbum consummans, inquit, & breuians in iustitia; quoniam sermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ. Nam cùm Dei sermo Dominus noster Christus omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni sexui, atque ætati præcepta salutis ediderit præceptorũ suorum fecit grande compendium, vt in disciplina cælesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret. Sic cùm doceret quid sit vita æterna, sacramentum vitæ, magná & diuiná breuitate complexus est, dicens: Diliges Deum tuum de toto corde tuo, & proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pẽdet & Prophetæ.* In quibus verbis, vnam atque alteram rationem complexus est, earum quas breuitatis tantæ, D. Bonauentura tradidit lib. de vitijs; vt in disciplina cælesti, discentium memoria non laboraret, vt loquitur Cyprianus.

Oratio Dominica salutem nostram breuiatam continet.

Isa. 10.

Rom. 9.

Isa.

9.

Breuibus itaque Dominus hanc orationem cõplexus est, primo, vt ea faciliùs addisceretur, ob quam caussam dixit Horat. *Quidquid præcipies, esto breuis:* & Plato iussit leges quàm paucissimas esse: Charilaus Laconum Rex interrogatus cur paucas admodum leges sanxisset Lycurgus, respondit, pauca dicentibus, legum item paucitas sufficit. Secundò, vt memoriá meliùs teneatur; laborat enim infirma memoria non minùs continendo, quàm complectendo. Memoria necessarium maximè vitæ bonum, inquit Plin. lib. 7. cap. 24. hac Deus nihil dedit homini sanctius, nihil vtilius, & ad eruditionem aptius. est hęc thesaurus disciplinarum omnium artiumque studio & labore quęsitarũ custos fidelissima, inquit Sabellicus: huius vim & thesauros inexplicabiles satis mirari nequit D. August. lib. 10. Confess. quæ non tantùm eorum quæ sunt, imagines, sed & ea quæ sciuntur tantùm; insuper verò & quorum obliti sumus, species in suis receptas abyssis continebat: Seneca lib. 1. declamationũ, se illá viguisse testatur: Hanc memoriam, inquit, aliquando in me floruisse, vt non tantùm ad vsum sufficeret, sed in miraculum vsque procederet, non nego: nam duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta referebam; & ab ijs qui ad audiendum præceptorem nostrum conuenerant, singulos versus à singulis datos, cùm plures quàm ducenti efficerentur, ab vltimo incipiens vsque ad primum recitabá. Nec ad complectenda tantùm quæ vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda quæ acceperam. Corsicum quendam adolescentem iuris ciuilis studiosum Patauij se nouisse, M. Ant. Muretus lib. 3. variar lect. asserit, qui ad triginta sex millia nominum, eo quo recitata essent ordine, absque cũctatione recensere poterat, vel etiá conciso, aut retrogrado; quam artem paucorum dierũ spatio Francisco Molino Patricio Veneto, non sine magna omnium admiratione communicauit. Cyrus Rex, omnibus in exercitu suo nomina reddidit, inquit Plin. supra, Valer. Max. lib. 8. cap. 7. Solin. cap. 7. & alij. Quippe cui mirandũ videretur, inquit Xenophon Expeditionis lib. 5. si qui in sordidá arte versantur singuli norunt artis suæ instrumentorum nomina: & medicus nomina tenet, & instrumentorum & medicamentorum,

Orationem breuem cur dederit Dominus.

Memoriã qui valuerint.

torum quibus vtitur; & Imperator ita sit fatuus, vt nesciat nomina subditorum Ducum, quibus ei opus est pro instrumentis vti, & dum anticipare quidquam velit, & dum cauere, & dum audientiam inijcere, & dum terrere, & dum honorare quandoque quenquam cupiat, decorum ei esse videbatur, quemque suo nomine appellare. Themistocles Atheniensium Dux, Ciuium suorum nomina, memoriter tenebat. Cic. lib. 2. de Finibus. Mithridates duarum & viginti gentiũ Rex, totidem linguis iura dixit, pro concione singulas, sine interprete effatus, inquit Plinius, lib. 7. cap. 24. & vt quemque ab eo appellari visus fuit, perinde lingua & oratione ipsius, non minùs scitè, quàm si gentilis eius esset, locutus est, inquit Aul. Gellius, Noct. Attic. lib. 17. cap. 17. Petrus, Petri Lombardi frater, Trecensis Presbyter Comestoris nomẽ accepit, quòd sacræ Scripturæ auctoritate in suis scriptis & concionibus tam expeditè vteretur, atque si eam in ventrem memoriæ ingestam concoxisset, & in sui substantiam conuertisset, auctor Trithemius. Innumeri sunt qui memoriæ gloriam adepti, multa semel audita, illi tenaciter inscripsere: quam Musarum matrem, non inscitè dixit Poeta sapiens, nec minùs prudens, Lethen huic contrariam apud inferos statuit: ex quâ bibisse complures legimus, qui fragile hoc naturæ bonum, morbo, casu vel ictu amisere Antonium Caracallam, virum alioqui literis & Philosophiâ doctum, postea tanta cepit doctrinæ obliuio, ac si literarum nomen nunquam audiuisset, testis Suidas. Georgius Trapezuntius, vir doctissimus, omnium literarum Græcarum Latinarumque in senio oblitus est, Volater. lib 21. Antropologiæ. Quidam Athenis vir eruditissimus, cùm ictum lapidis capite excepisset, cætera omnia tenacissimâ memoriâ retinens, literarum tantummodo, quibus præcipuè inseruierat, oblitus est. Valerius Max. lib. 1. cap. 8. & Plin. lib. 7. cap. 24. Qui & quendam ex præalto tecto lapsum, matris, affinium & propinquorum omnium, oblitum scribit, alium ægrotum seruorum etiam, sui verò nominis Messalam Coruinum Oratorem. Grammaticus quidam ex asino præceps ruens literarum cepit obliuionem, meminit Apollinarius in 2. Epigrammatum Græcorum.

Memoria Musarum mater.

10.

Oratio Dominica, perceptu facilis.

Sed vt in gradum reuertar, nullus est tam labilis memoriæ, nullus tam incapax disciplinæ, ne infans quidem qui loqui sciat, quin hanc orationem breuem, memoriæ suæ facilè inscribat. Quare D. August. & habetur de Consecrat. dist. 4 cap. *Vos ante omnia*, parentes lustricos adhortatur vti filiolos suos doceant, Pater noster & Credo, &c. quia istud, quisquis Christianus haberi vult, scire tenetur, cùm credere, ad fidem spectet, orare ad spem, præcepta verò, siue decalogus ad caritatem. Cera tractabilior est puerorum ætas, & in quemuis habitum sequax. Figulinum vas quamdiu sub rota est, recens ac molle, ducitur facilè, & vel tenui filo secatur, sin autem siccitate induruit, rumpetur potiùs quàm inflectatur aut secetur: ita puer sub rotâ natiuitatis siue malæ inclinationis, de quâ psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, mollis ac cereus flecti, ductum sequitur, qui si in prauâ inclinatione indurnerit, confringetur citiùs morte, atque in infernum rotabitur, quàm in bonum flectatur.

Psal. 50.

Quare parentes, quibus incumbit sobolem suã curare, informato filios vestros doctrinâ fidei, & moribus, præite illis virtutum & pietatis exemplis, proteruos corrigite, hoc & Sapiens iubet, Eccl. 30. *Curua ceruicem eius in iuuentute: & tunde latera eius dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Sed vereor vt plures sint suibus similes, quæ vt porcellos suos sartos tectos habeant, armantur, ad vim vel arcendam vel inferendam homini aut alteri animanti, siue lupus, siue visus fuerit, ipsæ autem illos deuorãt: sic enim ita affectos videas, vt quanquam filios suos ab externâ iniuriâ protegant ac vendicent, prauè tamen educando deuorent. Quotus enim quisque est, qui non ætatulam illam, fabulis turpiloquio, imprecationibus malis, nomenclaturis, blasphemijs suis corrumpat? qui non spurcis cantilenis dehonestet? qui non corrideat filijs similia molientibus? Ecquis autem puer non imbibat, tanquam testa recens, admissam parentum nequitiam, quam domi, quam foris audit, videt? Istam in animum demittere, contubernale est, nisi innata ad virtutem semina, & propensio, salubriori doctrinâ concitentur. Turpissimum autem est, ea in degenerem statum sic commorari, vt aliò quàm quò instituta sunt, vergant. Apud Plutarchum in Pericle, Cùm Cæsar quondam videret Romæ peregrinos quosdam homines opulentos, sinu suo caniculos aut cercopithecos fouere, illisque supra modum blandiri, sterilesne forent eorum vxores, non insulsè quæsiuit; sapienter reprehendens, quòd à naturâ datam in hominem adfectus propensionem, in beluas inclinarent. Nihilò minùs castigatione egent, qui sciendi, addiscendique studium animis nostris à naturâ tributum, ad inania quædam, ad nugas, & futilia transferunt, quæ vtilia sunt & honesta, atque animis rectè instituendis idonea, negligunt. Alia est oculi, alia intellectus nostri ratio, oculus cum aliquâ passione res sibi obiectas recipit ad quas recipiendas cum indifferẽtiâ, prout ex repræsentatæ sunt, cogitur: non sic est de intellectu, quia in potestate cuiusque est eo vti vt volet: ideoque illum serijs rebus & conducibilibus applicare addecet: vt autem color ille maximè gratus est oculo, qui viuax & suauis, visum confortat, atque corroborat; ita intellectui nostro ea præcipuè conueniunt, quæ à sensibilibus auocãt, & ad boni proprij contemplationem cum delectatione alliciũt: quo in genere sunt illa indolis rectè institutæ rudimenta, ad quæ tradenda parentes, ad quæ edicenda filij tenentur: quos plerumque cantus inconditos, vel borum acerbitates, parentum delíquia, memoriæ inscribere magis videas, quàm hæc sana: experientiâ vidimus, etiam in grandæuis, parco nominibus: Quâ fronte verò se quis dicat Christianum qui Symbolum & Orationem Dominicam memoriter non teneat? qui nõ discere conabitur? qui filios suos vel filias suas vt ipsi teneant, fideliter non docet? *Vsquequo paruuli diligitis infantiam*: Prou. 1. *& Stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam?* Instrumenta artis suæ vnusquisque callet; mendicus, quomodo suadeat nouit: multa parẽtum industriâ filij ad mendicitatẽ comparantur: quanto autem artificio gratiam eorum demereri conantur, apud quos mẽdicant; & hominẽ Christianum dices, qui quod præcipuum est nominis Christiani, ignorat? miles inermis ab hoste capitur facilè, armatus resistit: Sanctus Petrus Martyr, recitando symbolum fidei, aduersus Patruum volentem ipsum auocare à fide præualuit. Turpe est parentum vecordiâ, surculos virtutum nobis naturæ beneficio insitos, syluescere, turpius luxuriantes ramusculos correctionis falce non resecare; turpissimum, parentes ipsos, filios suos, ceu lignum inutile, suo exemplo tartari ignibus inuutrire. Audiamus D. Augustinum tomo 10. sermo. 215. de tempore. *Nam nescio quâ fronte*

Parentes fidei doctrinam liberis tradant.

Eccl. 30.

Cæsar caniculos sinu fouentes reprehendit.

Orationis Dominicæ ignarus Christianus dici nequit.

Prouerb. 1.

fronte se Christianum dicat, qui paucos versus in symbolo, vel in oratione Dominica parare dissimulat. Filios quos in baptismo excipitis, scitote vos Fideiussores pro ipsis apud Deum extitisse. Et ideò tam illos quos de vobis nati sunt, quàm illos quos de fonte excipitis, semper castigate atque corrigite, vt castè, & iustè, & sobriè viuant. Et vos ipsi ita agite, vt si vos filij vestri imitari voluerint, non vobiscum in igne ardeant, sed simul vobiscum ad præmia æterna perueniant.

Patres spirituales filiolos instruere debent.

3. Tertia ratio cur ita sit breuis hæc oratio, est, ne tædio recitantem afficiat; velut enim edulia etiam lautiora, si sumantur copiosiùs, nimietate fastidium pariunt, atque ad ea, natura grauata facilè non recurrit, ita animus longâ prece fatigatus, fit ad eandem oscitantior.

4. Quarta ratio ex eodem D. Bonauentura, est; vt ea sæpè repetatur, centies autem repetita, sua breuitate placebit. Non vnâ eadem que continuâ genuflexione Diua Martha, & Sanctorum plurimi, Deum adorandum duxerunt: sed Martham centies per diem, & centies per noctem, submittere genua solitam ferunt, dum illum supra cælos regnantem adorat, quem in terris morantem suscepisse hospitio, beneficij loco habuit, nô iam minus in supplicando sollicita, quàm olim fuerat in ministrando, inquit Marulus lib. 1. cap. 3. Et Sanctus Hugo Episcopus Gratianopolitanus quamuis ægrâ valetudine, vnâ nocte trecentas Orationes Dominicas explebat: cumque à suis corriperetur quòd hæc agendo, non solùm suo fatigationem corpori, sed etiam imbecillitatis augmenta præberet: respondebat ille, non solùm non hinc suis incrementa miserijs, sed insuper magna prouenire remedia. Surius 1. Aprilis. Omnibus, & vbique locorum, hac breuitate orandi, ita consulitur, vt promptum sit cuique quomodo oret; & inter necessarias vitæ humanæ operas, quid corde meditetur, quid ore promat, ad imitamentum eorum, quorum meminit D. Hieron. in epistolâ ad Marcellam de Bethleem scribens, totidem verbis: In Christi villulâ, tota rusticitas, & extra psalmos, silentium est. Quocunque te verteris, arator stiuam tenens, Alleluia decantat. Sudans messor psalmis se auocat, & curuâ attondens vitem falce vinitor, aliquid Dauidicum canit. Hæc sunt in hac Prouincia carmina: hæ vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones: hic pastorû sibilus, hæc arma culturæ, &c.

S. Martha.

S. Hugo Episcopus.

Orandum inter operandum.

5. Quinta ratio, ne properanter decurratur, & sacra verba commanducentur: quod vitium plerisque nostrûm adhæret, dum horarum pensum, nô quàm benè, sed quàm citò expediatur, curamus, missarumque solemnia, præcipuè verò si pro defunctis, requiem, decantetur, laceramus, flagellamusque.

6. Sexta & postrema, vt fiduciâ habeamus, quòd nostras preces Deus audire velit; vnde Glossa interlinearis, *Inter salutaria monita & diuina quibus consulit credentibus, formam orandi proposuit, & orationes composuit breuibus verbis, vt sit fiducia citò annuendi, quod breuiter vult rogari*: Experientiâ namque compertum est, eum qui petita velit concedere, non cunctari: & ante expletâ petentis orationê, indicendo silentium occurrere; notum sibi esse quid petatur: contra verò, qui nolit in petentis vota inclinari, quantumuis longâ oratione fatigetur, abnuere: quomodo serui Dauid 1. Regum 25. venientes ad Nabal, instructâ oratione cômeatum petituri, non sunt exauditi: contra verò Achimelech 1. Reg. 21. duobus auditis verbis, Dauidis necessitati mox subuenit.

Capitis 30. §. 3.

De tertiâ excellentiâ Orat. Dominicæ, quæ est, sufficientia.

1. HOmerum Græcæ sapientiæ antistitem, quem Platonici in pauonem abijsse dixerunt, quòd tantam rerum varietatem poëticis coloribus ornatam explicuerit, velut alterum Apollinem cum suis Musis, in medio Poëtarum residentem, atque ore poemata, quæ illi exciperent, fundentem, Veteres repræsentarunt: hoc symbolo indicantes, reliquos omnes Poëtas ab vno Homero, tanquam à primario Poëseos parente, omnem suam versuum condendorum facultatê hausisse. Haud secus Matth. 5. & 6. depingitur Dominus in monte sedens in medio discipulorum suorum, & aperto ore suo docens eos, *Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cælis: Nam quia stupida mens hominû*, inquit D. August. serm. 126. de tempore, *& ignara cælestium, nec scire, nec inuenire poterat, quemadmodum Deum dignè precaretur, ipse verus Dominus & magister ostendit & docuit, per se quidem Sanctos Apostolos, per illos autem, nos, quomodo debeamus orare.* Fecit Dominus velut Psaphus, qui teste Maximo Tyrio, aues quasdâ priuatim docuit dicere Psaphus est Deus, quæ ita edoctæ, atque dimissæ, alias itidem auiculas istud sonare docuerunt, vnde ex earum garritu, opinio Diuinitatis Psaphi sic conlecuta. Acceperunt enim Apostoli eam orationem à Domino, & ab ipsis peruenit ad nos, quoniam in omnem terram exiuit sonus eorum.

Homerus in pauonem conuersus.

Orandum quid esset nesciebamus.

Psaphus, auiculas docet.

Rerum nostrarum, nostraque salutis satagit Deus, qui sponte sua in omnes beneficus, cùm sit summum bonum, summo sua bona communicandi desiderio feruet: vltroque communicat, vt qui nec auarus sit, nec inuidus, nec quoquam egeat, sed plenissimè quod conferat in thesauris suis reconditum habeat; quapropter Iudæorum oratio præcipua, teste Iosepho lib. 2. contra Apion. non eò instituta fuit, vt bona peterêt à Deo, sed vt datis, benè iusteque vterentur. Velut enim mater lactis abundans, exuberâtia sibi vbera desugi, beneficij loco reponit, leuamenque sentit: ita Deus turgentes bonorum mammas gerens, si experantur, gaudet; præsertim cùm hominem condiderit, vti testantur Theologiæ Proceres, vt esset cui bonitatem suam communicaret. Neque hoc solùm; sed etiâ inuitat assiduè, qui se adeant, qui labellula infigant amoris, ad gustandam gratis dulcedinem suauitatis eius: sicut per Isaiam 55. dicit, *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac.* Et ne laboremus accedentes ad ipsum, ipsemet libellum supplicem, quo cum adiri vult, componit: Et vt pleniùs de eius magnificâ liberalitate informemur, summû quod dare potuit, dedit, seipsum offerens cruci, vt sacri sui cruoris expressione vitam nobis donaret: quodque recapitulatam in se continet totius amoris & liberalitatis summam mirabili potestatis suæ artificio, seipsum nobis, quotidie sumêdum in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, præbuit. Quidni ergo permutatorias nobis literas dederit, quarum fide impetremus quidquid impetratum voluerimus? Ad omnia quippe sufficiunt.

Bona sua Deus desiderāter communicat.

Iudæi orantes non petebant bona, sed vt bonis benè vterentur.

Isa. 55.

2. Et hæc est tertia huius orationis excellentia, scilicet, sufficientia. Ipsa enim penus est omnium petendorum, & quamuis breuis sit numero verborum, grandis est pondere sententiarum. Tertul. lib. de orat. *Compendijs paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta. Quot simul expungûtur officia Dei, honor in Patre, fides testimoniû in nomine, oblatio obsequij in voluntate, cômemoratiô spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorû in deprecatione, solicitudo tentationû in postulatione tutelæ.*

Sufficientia Orationis Dominicæ.

Hanc

Hanc proinde si cum cæteris omnibus orationibus conferamus, mare quoddam est, de quo dicere possumus quod Salomon Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare; & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.*

Eccles. 1.

Disputent Philosophi cum suo Aristotele. 2. Meteoror. cap. 2. cur mare fluminum accessionem non sentiat, dicantque ideò esse, quia quantũ aquæ in mare influit, tantundẽ solis radijs exhauritur, exsiccaturque, & in vapores euanescit: quod breuissimo temporis spatio fieri potest, postquam in mare flumina sese exonerarunt: quia in vastissimo maris spatio superlabentes fluminum aquæ, ac diffusæ, nullo negotio exhalantur, & vaporant, quæ in suis alueis diutiùs conseruantur, velut aquæ cyathus super latam mensam effusus, mox siccessit; in vase autem etiam Soli exposito, seruatur diutiùs. Disputent, de fontium, fluminumque origine, atque eam è mari esse pronuntient, quod sacræ Paginæ oracula tradunt. Vnde D. Hieron. ad 1. cap. Ecclesiastæ. Putant, inquit, quidam aquas dulces, quæ in mare fluunt, vel ardente desuper Sole consumi, vel salsuginis maris esse pabula: Ecclesiastes autem noster, & ipsarum aquarum conditor, eas dicit per occultas venas ad capita fontium regredi, & de matrice abysso in sua ebullire principia. Et ne impossibile videatur, aquas suopte ingenio graues, ad summa vsque montium cacumina eluctari, atque non modò terræ, sed ipsius quoque maris superficie conuexâ superiores euadere, occurrit D. Basilius hom. 4. Hexamer. aquam maris, spiritu flatúve interius mouente sursum ad scaturigines impelli. *Mare*, inquit, *fluitans: at permeans per cuniculos fistulares, & angustos; mox vbi obliquus, aut certè rectà in sublime surrectis excursibus se occupatum deprehenderit, ab agitante compulsum spiritu, superficie terræ vi disruptâ, erumpit, atque foras emicat.* Occurrit & eadem ratione Plinius lib. 2. cap. 65. dicens aquam permeare totam terram, intrà, extrà, suprà, venis, vt vinculis discurrentibus, atque etiam in summis iugis erumpere, quò, spiritu acta, & terræ pondere expressa, siphonum modo emicat: tantumque à periculo decidendi abest, vt in summa quæque & altissima exiliat. Hæc ille. Occurrunt alij aquam maris, per multiplices terræ venas ac fibras decurrentem, amaritudinem ponere, indeque fieri leuiorem, atque vi cælestium corporum in commune naturæ bonum prolectam, in fontes & flumina decurrere, & in mare vt iterum fluat, exonerari. *Occulto enim itinere subit terras*, inquit Seneca Natural. quæstionum lib. 3. cap. 5. *& palàm venit, secretò reuertitur, colaturque in transitu mare: quod per multiplices anfractus terrarum verberatum, amaritudinem ponit, & prauitatem saporis in tanta soli varietate exuit, & in sinceram aquam transit.*

Mare cur non redundet accessu fluminum.

Fontes & fluuij vnde oriantur.

Quærant, inquam, illi, quis sit fontium, fluminumque è mari egressus, eorundemque in ipsum recursus, neque tot fluminum quotidiano accessu crescat. Sanè quod ait Ecclesiastes, de mari, hoc liberè de Oratione Dominicâ affirmarim, ipsam nempe esse oceanum, in quem quotquot sunt, fuerunt, vel erunt orationes, influunt; nec earum augetur accessu; ex quo orationum omnium fontes & flumina scaturiunt, nec decessu minuitur. Sicut enim Luna comparatione sui cæli, instar puncti est; & tota aduentitia aqua, siue ex fontibus, siue ex fluminibus, siue aliunde in mare feratur, comparata ad maris vastitatem per quam expanditur, vnius propemodum guttæ instar se habet: ita orationes cæteræ ad hanc comparatæ, quapropter non intumescunt petitiones septem aliarum orationum multiplicitate neque decrementum patiuntur; siue in exitu siue in regressu. Nam si quidquid dici aut componi potest, literis viginti tribus alphabeti totum describitur, ità septem Orationis Dominicæ petitionibus comprehenduntur omnia quæ licitè peti possunt: ita D. August. epist. 121. ad Probam cap. 12. totidem verbis. *Nam quamlibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis vel præcedendo format vt clareat, vel consequendo attendit vt crescat, nihil aliud dicimus quàm quod in istâ Oratione Dominicâ positum est, si rectè & congruenter oramus. Quisquis autem id dicit, quod ad istam Euangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non illicitè orat, carnaliter orat: quod nescio quemadmodum non dicatur illicitè, quandoquidem spiritu renatos, nonnisi spiritaliter decet orare. Qui enim dicit, verbi gratiâ, Clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis. Et. Prophetæ tui fideles inueniantur: quid aliud dicit, quàm Sanctificetur nomen tuum? Qui dicit, Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus: Quid aliud dicit, quàm, veniat regnum tuum? Qui dicit, itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mei omnis iniquitas; quid aliud dicit quàm, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ? Qui dicit paupertatem & diuitias ne dederis mihi; quid aliud dicit quàm: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie? Qui dicit: Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius: aut; Domine si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala: quid aliud dicit, quàm: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Qui dicit, aufer à me concupiscentias ventris, & desiderium concubitus ne apprehendat me: quid aliud dicit quàm: Ne nos inferas in tentationem? Qui dicit, Erue me de inimicis meis Deus, & ab insurgentibus super me libera me: Quid aliud dicit quàm: Libera nos à malo? Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil inuenies, quod non ista Dominica contineat, & concludat Oratio. Vnde liberum est alijs atque alijs verbis, eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum alia dicere.* Hactenus D. Augustinus impurum quippe est, quidquid de istis fontibus non hauritur, quidquid non ad ideam hanc coram Deo profamur. Non qualiscunque aqua ad sedandam sitim est idonea, non turbida, non stagnans, non lutosa, non infecta putore: hæc enim morbum ciet potiùs quàm sitim pellat; viua sit oportet, vel ex ipsorum fontium scatebris haustâ, vel ex eorum decurrentibus riuulis: sic se habet omnis oratio, nisi enim ex Dominicæ Orationis oceano, aut ex petitionum eius venis hauriatur, nihil prodest. *O verè cælestis oratio, quæ tota est oratio!* exclamat D. August. serm. 135. de tempore. Est excellentissima omnium orationum, inquit Abulensis, in qua sapientissimè recollecta sunt omnia, quæ petenda, & appetenda sunt: non enim petimus, nisi quæ appetimus, bonum autem est quod omnia appetunt, ait Arist. 1. Ethicor. quia verò boni quædam speciem habent, reuera autem bona non sunt, ea tamen per errorem appetimus, vera bona, quæ sola peterentur in oratione eligenda fuerunt, ideoque Christus, quid desiderandum, quidvè petendum sit, hac oratione conclusit, extra quam nihil rectè petitur, quod non reducatur ad illam, quia oratio est petitio decentium à Deo, vti inquit Diuus Damascenus.

Flumina omnia comparatione maris, instar guttæ vnius habentur.

3.

Eccl. 36.

Psal. 79.

Ps. 118.

Ps. 133.

Prouerb. 30.

Ps. 131.

Eccl. 23.

Ps. 58.

Iam si ordinem, in quem digesta est, spectemus: mirabili constructa est artificio, nihil in eâ diffusum, nihil confusum, nihil distortum, nihil non apprimè ordinatum, quia petenda, eo ordine quo petenda sunt ponuntur; ordo autem est debita partium dispositio, quem rebus in omnibus inesse tanti refert, vt dicat D. Ambrosius in psal. 118. octonario 4. Scire quæ agenda sunt, & ordinem ignorare, non est perfecta cognitio;

4. *Orationis Dominicæ ordo.*

cognitio: nam sæpè offendunt res deordinatæ, & ignorantia ordinis conturbat naturam negotiorum, & formam meritorum. Et Deus amat ordinem, vnde Apostolus ad Rom. 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: & D. August. l. 15. de Ciuit. Dei. cap. 22. virtutem ipsam definit esse ordinem amoris, & nihil præterea. Quia ergo diuersæ sunt bonorum species, quædam magna sunt, quædã parua, alia magis, alia minùs necessaria, ita est ordo in petitionibus: vtrũque Christus docuit, orare, & quis in orando modus seruandus sit. Manifestum autem est primum quod homo appetit, esse vt sit beatus, tum demum media per quæ beatitudinem cõsequatur, ideoque primùm ponitur in hac oratione beatitudo, secundò verò media, per quæ ad illam perueniatur. Et quò amplius clareat huius orationis sufficientia: aduerterim omnem petitionem, vel ad bona obtinenda, vel ad mala auertenda, esse institutam: Petitio bonorum appellatur precatio, altera, deprecatio, vnde quidam, sic vtrumque expressit.

Rom. 13.

Precatio, & deprecatio quid sit.

Da bona, siue rogere Deus, seu nulla rogere;
Et mala siue rogere nega, seu nulla rogere.

In bonis sunt vel cælestia, vel supernaturalia, vel temporalia: cælestia secundâ petitione continentur, *Adueniat regnum tuum*; supernaturalia, primâ & tertiâ, *Sanctificetur nomen tuum*, *Fiat voluntas tua*: temporalia petuntur in quartâ, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: atque ita omne genus bonorum hac in oratione petitur. Malorum tria sunt quoque genera, iuxta tres temporis differẽtias. Omne siquidem malum, aut est præsens, aut præteritum, aut futurum: præteritum remoueri petimus quintâ petitione, *Dimitte nobis debita nostra, &c.* malum futurum, sextâ; præsens verò, septima, *Sed libera nos à malo.*

Bonorum tria genera.

Malorum tria genera.

Distribuitur autem hæc oratio in tres partes, in exordium, textum siue narrationem, & epilogum, sicut antè monuimus. Procemium sex continetur dictionibus; conclusio, vnicâ. Petitiones distinguuntur iuxta duas vitas, corpoream & spiritualem. D. August. serm. 182. de tempore, *Hæc oratio*, inquit, *compendiosis verbis, id est, septem petitionibus, omnes species orationis comprehẽdit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, aut pro delendis commissis. Harum septem petitionum, tres prius positæ, pertinent ad æternitatem: quatuor sequentes ad vita præsentis necessitatem.* Et homil. 42. *Quatuor ergo ista propter vitam nostram quotidianam, nobis necessaria sunt, tria verò illa propter æternam.* Enchiridij verò cap. 115. *In tribus æterna poscuntur, in reliquis quatuor, temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda, sunt necessaria*: quia [nimirum] ex temporali vitâ itur ad cælestem[;] hic initiamur, & velut infans in matris vtero formatur, & ad vitam præsentem præparatur: ita vita præsens præparatio quædam est ad vitam futuram, donec veniat quod perfectum est, tunc complebuntur istæ tres petitiones, quæ hic inchoantur, quia nonnisi imperfectè Dei voluntatem facere possumus, corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam; & pro modulo scientiæ, est modulus amoris, obscura autem scientia, nisi imperfectum amorem habet. Eapropter cùm in mundum velut in theatrum peregrini personam acturi, producti sumus, quarta petitio, quæ de commeatu agit, pane scilicet quotidiano, medium locum tenet, vt in patriam commigraturi, non frui, non exsatiari temporalibus se debere putent tanquam si forent æterna, sed refocillari tantùm, ad auctum virium. *Quemodo ergo si essemus peregrini*, inquit D. August. lib. 1. de Doctrinâ Christianâ cap. 4. *qui beatè viuere nisi in patriâ non possemus, eaque peregrinatione vtique miseri, & miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel*

Orationis Dominicæ in tres partes distributio.

Vita præsens est ad futuram præparatio.

terrestribus, vel marinis vehiculis, quibus vtendum esset, vt ad patriam, quâ fruendum erat, peruenire valeremus: quòd si amœnitates itineris, & ipsa gestatio vehiculorum nos delectares, conuersi ad fruendum his quibus vti debuimus, nollemus citò viam finire, & peruersâ suauitate implicati alienaremur à patriâ, cuius suauitas faceret beatos: sic in huius mortalitatis vitâ peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus vbi beati esse possumus, vtendum est hoc mundo, non fruendum, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, hoc est, vt de corporalibus, temporalibusque rebus, æterna & spiritalia capiamus.

Rom. 1.

Quia verò arrogantiæ & rusticitatis notâ insimularetur, sicut tradit D. Ambros. lib. 6. de sacramẽtis. cap. 5. qui volens quidpiam à rege obtinere, nulla præmissâ procemij vrbanitate, absolutè diceret, hoc mihi, rex, vel illud, dato: ideò sapientes statim orationis suæ principio, in alterius sese beneuolentiam insinuant, eius nominis honorificâ commemoratione, quo præcipuè is à quo aliquid impetratum volunt, delectatur, quod à muliere Thecuâ obseruatum 2. Reg. 14. vbi multo suadelæ artificio, Dauidem, nouies Dominum suum regem compellauit: neque à Bersabee 3. Reg. 1. prætermissum. Ideoque Dominus ipse, *Cùm in omni deprecatione beneuolentia cõcilianda sit*, inquit D. August. tomo 10. lib. 2. de sermone Domini in monte. cap. 4. *eius quem deprecamur, deinde dicendum quid deprecemur, laude illius ad quem oratio dirigitur, solet beneuolentia conciliari, & hoc in orationis principio poni solet, in eo nihil aliud nos dicere iussit, nisi, Pater noster qui es in cælis.*

5.

Thecuites beneuolentiam captat.

Sicut ergo oratio rhetorica habet suum exordium, vt adnotauit D. Tho. in 4. dist. 15. quæst. 18. ita quoque oratio deuota. Hoc tamen interest, quòd orationis rhetoricæ exordium fit, vt is cui loquimur, reddatur attentus, docilis, beneuolus, hic autem fit prolocutio vt orantis affectus & deuotio excitetur. Porrò autem, quia secundum Tullium lib. 1. rhetoricor. quatuor modis captari beneuolentia solet; nempe vel ex personâ iudicis, ipsum laudando: vel ex parte rei quæ tractatur eius magnitudinẽ dignitatemque ostendendo: vel à personâ petentis, eius merita commemorando apud eos de quibus bene sit meritus: vel à personâ aduersariorum, animos auditorum in eos prouocando: in hac oratione, quod agimus nostrum est: nihil aduersus alterũ molimur: & res quam tractamus ipsemet Deus est, ad quem ex hac præfatione, nostra nos desideria dirigere intelligimus, quod non intelligeremus, si à primâ statim petitione ordiremur: ita vt duobus modis ista exordij formulâ noster affectus concitetur. primò ex parte Dei, quum illius laudem prædicamus; secundò ex parte nostri, quum infirmitatem, miseriamque nostrã, cui subuentum cupimus, consideramus: ideoque à laude eius qui cuncta creauit, quique propterea omnis creaturæ pater appellatur, exordium sumimus.

Oratio Dominica cur exordium habeat.

CAPVT XXXI.

Quanta sit vis paterni nominis.

1.

Diuina essentia, cui se reges conformare tantopere desiderant, omnium rerum essentias, naturásve, tribus præcipuè attributis complectitur, immortalitate, potentiâ, & bonitate: ex his diuinior est bonitas, & omnium præclarissima: elementa namque ex Philosophorum sententiâ, & vacuum, immortalitatem quoque & incorruptibilitatem, sortita sunt: vi & potentiâ valent, terræ motus, fulmina, concitatiores ventorum procellæ, aquarum torrentium impe-

Bonitas attributorum præstantissimum.

impetus, & inundationes: at iusti & æqui particeps fieri, nihil, nisi diuinum potest. Quapropter, cùm triplici mortales erga Deum moueantur affectu, existimantes illum beatum, timendum, & amandum: videntur illum quia æternus est, felicem & beatum putare: timere, quia potens est: amant autem quia bonus est. Et sanè quamuis nullâ virtute magis claret princeps, quàm iustitiâ, maximè tamen clementiâ & bonitate, quò fit vt Clementissimi epitheto, principes honoremus: Deumque ipsum sub simili nomenclaturâ inuocemus, quum dicimus *Pater noster*: & meritò quidem, quia si principem salutaturi, ab eminentiori illius titulo sermonem nostrum auspicamur; in Deo eminet bonitas, & superexaltat misericordia iudicium.

Pater noster. Quæ laus hac maior? quod epithetum honoris grandius? Creatoris immensitatem professus Abraham, illum Dominũ Deum appellauit Genes. 15. *Domine Deus quid dabis mihi?* Moises Exodi 34. dominatorem: at nos qui bonitatem eius profitemur, Patrem. *Sic incipiendo*, inquit D. August. serm. 126. de tempore, *bonitatem Dei & gratiam protestamur: nam quando nos terrestres & miseri, & imbecilles, & inutiles serui auderemus vultum leuantes ad cælum dicere, Pater noster, nisi ipse per suum vnigenitum hanc fiduciam præstitisset, sicut scriptum est, Quotquot autem eum receperunt dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Accepta igitur potestate Patrem vocamus Deum, quia per fidem spiritum adoptionis accepimus, vt nos factos Dei filios gratulemur.*

Genes. 15.
Exod. 34.

Ioan. 1.

2.
Hominis Christiani dignitas.

Magna hominis Christiani dignitas, vt ad vnigeniti filij Dei consortium assumptus, Patrem appellet Deum: Adolescentem in aulâ Principis manumitti, siue rude donari præclarum est, cui ex tunc deinceps tanquam nobili defertur, & de medijs suo statui conuenientibus prouidetur. Serui eramus ex summi Imperatoris familia, ab ipsâ primâ nostri per creationem institutione, solemnibus institutis filij Dei in assumpto homine, rude donati sumus, atque in libertatem asserti. Et si in seruorum gratiam Saturnalia Romæ, aliudque solemne pro ancillis festum, decretum scribit Macrob. lib. 1. Satur. cap. 10. & 11. Dominus seruitutem legis in libertatem gratiæ commutaturus, timorem in amorem, vetus testamentum in nouum, in gratiam nostri, solemne indixit festum transitionis seruorum in filios, non per generationem, sed per regenerationem, quod D. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 26. per imperatam Abrahæ circuncisionẽ; quãdo de Sarâ promissus est filius, significatum scribit, istamque gratiam ad omnes pertinere docet, quòd omnes, nõ solùm filij, verumetiam serui, vernaculi, & empticij, circuncidi iussi sint. *Quid enim aliud circumcisio significat*, inquit, *quàm vetustate exutâ naturam renouatam? Et quid aliud quàm Christum octauus dies, qui hebdomadâ completâ, hoc est, post sabbatum resurrexit? Parentum mutantur & nomina, omnia resonant nouitatem, & in testamento veteri obumbratur nouum. Quid est enim quòd dicitur testamentum vetus, nisi occultatio noui? Et quid est aliud quod dicitur nouum, nisi veteris reuelatio?* Vetus testamentum sub seruitute erat continens Agar, & filios eius: nouum est Saræ vxoris Abrahæ: in veteri testamento Deus in signo Leonis erat constitutus, fulgurabat, tonabat, terrebat: in nouo, ad signũ transijt Virginis, dilectus quemadmodum filius vnicornium. Monocerotem ferunt amore virginum & odore allici: quare proposita in feræ cõspectum virgo, aduenienti sinum aperit, inquit Gesnerus. E. in quem illa omni ferocitate depositâ, caput inclinat, vbi somno capta velut inermis comprehenditur: ita in oblatâ virgine mãsuefactus est Deus, & captus ab humanitate suâ, in quâ non ampliùs terroris & domini, sed amoris & Patris ignes in nos spiraret: & quemadmodum radij solares per nubem circulati, vehementiorem excitant calorem, nosque propterea ex ardentiori calore futuram pluuiam cõiectare solemus; ita diuinitas per humanitatis suæ nubem loquens, maiores amoris sui flammas & caritatis ignes, in nos emitteret, quibus arderemus, atque gratiæ depluuio in virtutum bonorumque operum segetem fœcundaremur.

Monocerotes in sinu virg. capitur.

3.
Exod. 20.

In veteri testamento, Dei nomen erat Dominus. Ego sum Dominus Exod. 20. quod nomen decies quinies ibi repetitur: in nouo, Dei nomẽ Pater est, & in sermone in monte se Christus decies quinies Patrem vocat. D. Bernard. serm. 15. in Cant. Sicut nomen Abram versum est in Abraham, & Sarai in Sara, ita nomen Dominus versum est in Pater. Vt quid verò tanta vtriusque testamenti correspondentia, nisi quia per correlatiuorum legem, vetus generabat seruos, & Deus se Dominum gerebat: nouum verò, filios, quos Deus libertate donans & in familiam suam adoptans, se vt Patrem habet. *Multa enim sunt dicta in laudem Dei*, inquit D. August. lib. 2. de sermo. Domini in monte, cap. 4. *quæ per omnes sanctas Scripturas variè latèque diffusa poteris quisque considerare, cùm legis: nusquam tamen inuenitur præceptum populo Israël, vt diceret Pater noster, aut oraret Patrem Deum: sed Dominus eis insinuatus est tanquam seruientibus, id est, secundum carnem adhuc viuentibus. Hoc autem dico, cùm mandata legis acciperent, quæ obseruare iubebantur. Nam Prophetæ sæpè ostendunt eundem Dominũ Deum etiam Patrem eorundem esse potuisse, si ab eius mãdatis non aberrarent.* Et sermone 182. de tempore. *Dicamus ergo, Pater noster, cui non timore sed amore famulamur. Non hoc populo priori dictum est, vt Patrem oraret, sed Dominus insinuatus est eis, cui non filiali obediebant amore, sed seruili subijciebantur timore.* Beneficij magnitudinem miratur D. Chrysologus in orat. Dominicam, sermone 67. 68. & 71. vbi cùm creaturas cælestes quas Deus condidit, hominem in admirationem rapere dixisset, ait: Sed nihil ita miratur, cælum, terra, & omnis creatura, sicut de hoc quod ex me audietis, quod seruus audeat appellare Patrem Dominum suum, criminosus reus, vocat iudicem suum progenitorem. terrestris creatura per vocem filij adoptatur in cælum, qui perdidit bona terrena, factus est hæres cælestium. Ponderat istud D. Ambrosius lib. 5. de sacramentis cap. 4. atque primam huius orationis vocem extollendo, inquit, *Vides quàm breuis oratio, & omnium plena virtutum? Primus sermo, quanta gratia? O homo, faciem tuam non audebas ad cælũ attollere, oculos tuos in terram dirigebas; & subitò accepisti gratiam Christi. Omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo seruo, factus es bonus filius: ideò præsume, non de operatione tuâ, sed de Christi gratiâ: Gratiâ enim saluati estis; Apostolus ait: Non ergo hic arrogantia est, sed fides: prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lauacrum genuit, ad Patrem qui per Filium te redemit; & dic, Pater noster: bona præsumptio, sed moderata.* Cuius nos auctorem Deum habemus, dum se à nobis Patrem iubet appellari. *Patrem quippe dicendo*, inquit D. Chrysost. homil. 20. in cap. 6. Matth. *& veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & iustificationem, & sanctificationem, & filiorum adoptionem, & hæreditatem Dei, & fraternitatem cum vnigenito copulatam, & sancti Spiritus dona largissima, vno sermone significauit. Impossibile enim est, Deum Patrem vocari ab eo, qui non hæc omnia bona fuerit assecutus.*

Iudæi non orarunt Patrem Deũ.

Ephes. 2.

4
Patris nomen sacrum & plenum amoris.

Sacrum planè est Patris nomen, & amoris plenissimum: nullusque affectus est paterno potior; sicut asseruit Arist. 2. Polit. cap. 1. vnde filij

eis

ἀπὸ τοῦ φιλῶ, id est, ab amore, dicti videntur, quasi dixeris filium esse ipsummet amorem. Hinc Deus, amorem expressit quum de Isaaco immolando statuit Gen. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac.* Demosthenes ob filij mortem in lacrymas prolapsus est; damnauit affectum quidam, cui ille, at nescis. quid sit esse Patrem: sed nec ipse Solon in casu simili sibi temperat à lacrymis. Risu excepit Agesilaum quidam, quòd filio colludens, equitaret in arundine. Sed hic affectus non hominis modò, verumetiam aliorum animantium est: Herodios & Pelecanos itidem vt Ciconias in pullis suis enutriendis, singulari beneuolentia vti, scribit Ælianus. & Gesnerus, nempe, vt cùm aliunde cibus nô suppetit, esculenta quæ priùs ederant, euomant, & in educandos fœtus conuertant; & ad volandũ pullis imperitis duces sint. Pelecani cùm suos à serpente filios occisos inueniunt, lugent, seque, & sua latera percutiunt, & sanguine excusso, corpora mortuorum sic reuiuiscunt, inquit D. Hieron. in epistolis: quod & Kiranides, Isidorus, Physiologus, Albertus, & alij paulò aliter prodiderunt, ex quibus Gesnerus, Pulli pelecanorum vbi parum adoleuerint, mox parentes suos percutiunt in faciem: cuius illi iniuriæ impatientes pullos colaphisant rostris, & interficiunt, deinde miserti eorum lugent: & tertiâ (vt volũt) die mater sua latera aperit, & sanguinem super filios suos mortuos effundens, viuificat eos; resurgunt autem quodam naturali modo. Ægyptij etiam vulturem ardentissimo amore suos pullos prosequi tradunt, & per centum ac viginti dies in terrâ commorando, ita vt nusquam humo tollatur, sic in alendam prolem incumbere, vt non se ex pullorum loco commoueat; ac si quãdo nutrimenti facultas desit, ne fame pulli pereant, femori suo vulnus infligere, & effluentem sanguinem eis exsorbendum dare.

Gen. 22.

Herodij, Pelecani, & Ciconiæ in sobolem affectus miri.

Pelecani, vt matris cruore ad vitã reuocentur.

Leones, Pantheræ & Tigrides fœtus suos vehementer amant, & pro ipsis contra venatores pugnando, quæuis tela & mortem quoque contemnunt, Oppianus lib. 3. de venatione. Mirum quod de pantherâ scribit Plinius lib. 8 cap. 17. iacentem in mediâ viâ hominis desiderio, cuidam repente apparuisse, qui cùm pauore cœpisset regredi, feram circumuolutari, homini blandientem, ac conflictatam se mœrore, qui ex pantherâ intelligi posset, indicare. Fœta erat, catulis procul in foueam delapsis. Primum ergo miserationis fuit, non expauescere: proximum, ei curam impendere: secutusque quâ trahebat vestem leni vnguium iniecta, vt caussam doloris intellexit, simulque salutis suæ mercedem, exemit catulos: eaque cum ijs prosequente, vsque extra solitudines deductus: læta atque gestiente: vt facile appareret gratiam referre, & nihil inuicem imputare, quod etiam in homine rarum est, ita Plinius. Vrsæ fœtus rigentes apprimendo pectori fouent, non aliter in cubitu quàm oua volucres, & vt venandum sit pro alimoniâ eos docent; quod & aquilæ suis pullis præstant. Perdices pullos suos docent, vt quoties venator instet, supini sternant, sese, glebâ, festucisue corpori veluti integumento superingestis: ipsæ venatorẽ aliò interim abducunt. Ciconiæ fœtus suos ad volatum instruunt, testis Plutarch. lib. quod bruta ratione vtantur. Luscinia modulos suos pullos docere, versusque quos imitentur tradere scribit Aristoteles; audit, attenta discipula, redditque vicibus cantum: intelligitur emẽdatæ correctio, & in docente quædam reprehensio: vnde lusciniæ pulli si qui capiantur adhuc cantandi rudes, interque homines alantur, ideò peius canunt, quòd ante legitimum tempus à magistris parentibus subducti fuerint. Elephãtes priùs animam amittunt, quàm catulos suos recenti partu editos deserant. Quantus matrum in hoc genere in suam sobolem sit amor, inquit Ælian. multis etiam aliunde argumentis constat; hoc verò præcipuè. Cùm in foueam pullum suum incidisse mater perspexisset, ne minimam quidem moram interposuit, nec eius cursum vlla ad pullum consequendum segnitia tardauit, quin vehementi dolore affecta quanto maximo posset incitato incursu, in delapsum filium præceps ageretur, amboque eodem casu morte occumberent; hic quidem materno pondere pressus contereretur, illa verò præcipitata, caput diffringeret: Amnem transituri parentes nô modò minimos præmittunt, ne maiorum ingressu atterẽte alueum, crescat gurgitis altitudo, vt habent Plin. & Solin. sed teneros quoque pullos dentium protectorum eminentia, matres ferunt, ac simul tanquam vinculo promuscide illos complectentes, transvehunt. Delphini quoque magna caritas erga gnatos est. Iam robustioribus mater ad venationem præit, nec priùs quàm adultos deserit. Catuli, si quod periculum sit in ora parentum ingrediuntur. Paruos semper aliquis grandior comitatur vt custos, ita Plin. & Aristoteles: Maiores natu, scilicet parentes, duces se præbent minoribus, donec adoleuerint. Cùm verò grex eorum procedit, minores in primâ acie sunt, inquit Paraphrastes Oppiani. Quod si ea animalia, eorum quæ procrearunt tanto studio tenentur; nil mirum si homini mente prædito, magna insit in propriam genituram, vis amoris; præsertim cùm intelligat filium quamdiu paruus est, nec est separatus à Patre, ipsius Patris partem esse, vt ait Arist. 5. Ethic. 6. & lib. 1. magnor. moralium; cap. 34. habetique pro eadem personâ. l. finali. C. de impub. apud iurisconsultos, & pro eadem voce. §. ei verò, de inutilil. stipulat: quare cùm nemo vnquam se lædere velit, sed pro viribus, naturali iure sese defendat, illatamque iniuriam propellere nitatur, paterni nominis pietas facit, vt suæ soboli esse quàm optimè parens desideret. Iam si Razias quidam de senioribus lib. 2. Machab. cap. 14. Vir amator ciuitatis, pro affectu Pater Iudæorum appellatus est: quantò potiùs Deus, cui nemo in amore cõferri potest, Pater noster dicendus est? Isa. 63. *Tu es Pater noster & Abraham nos non cognouit*, comparatiuè scilicet, quasi dicat: nihil est Abraham nobis tui cõparatione: ideoque Christus Matth. 23. *Et Patrem nolite vobis vocare in terris, vnus enim Pater vester qui est in cælis*, quia nimirum nemo qui iure caussæ perfectioris Pater noster sit, nisi Deus est.

Panthera catulis in foueam lapsis, vt prouideat.

Vrsæ fœtus vt foueant.

Filius quãdiu Paruulus, est pars Patris.

Isa. 63.

Matt. 23.

5. Patres nostri, imperfectè sunt nobis patres. Homo namque ex animâ & corpore cõstat, animam immediatè è cælo sortimur: & Plato mentem existimauit esse totum hominem, corpus verò vas quoddam solummodo & animæ receptaculum, & veluti vestimentum: in quo tamen errauit, namque vt doctè ratiocinatur Aristot. 9. Ethic. cap. 4. corpus est pars essentialis hominis; anima verò pars eius præcipua: Patres naturales formationi hominis materiam solùm conferunt figurando corpori: sed neque omnem corporis materiam substituunt, quia ad substantiam corporis non solùm pertinet quod in primâ generatione substratum est, sed præterea alimentum, quod in substantiam aliti conuertitur. Quod non ignorauit mulier illa virtute constantiæ prædita, quæ filios ad mortem fortiter tolerandam animans 2. Machab. dicebat eis,

Patres nostri sunt imperfectè Patres.

2. Machab. 7

eis, *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam; & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed mundi creator:* quod & Isa. 46. confirmatum videtur, *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israël qui portamini à meo vtero, &c.* in vtero formamur ipsius Dei: in Dei vtero ferimur, portamur per omnem ætatem.

Isa. 46.

Diximus aliàs Patris nomen Deo tribus modis appropriari, singulariter, specialiter, & generaliter; singulariter dicitur Pater respectu Christi per generationem æternam, siue, vt loquuntur Theologi, nomen Pater accipitur notionaliter & personaliter, & significat primam Sanctissimæ Triadis personam, dicitur & essentialiter, & sic tribus personis Trinitatis conuenit, quâ in significatione dicitur sacra Trias, pater omnium creaturarum, Deut. 32. *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit te, & creauit te,* hoc sensu D. Franciscus, vocabat omnes creaturas sorores, Specialiter Deus est pater iustorum, qui sunt filij adoptiui, de hac paternitate dicitur Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est.* Generaliter Deus est Pater creatione, hoc est per imaginem impressam: at paternitas per adoptionem fit per similitudinem & conformitatem hominis cum Deo in bonis gratuitis.

Deut. 32.

Matt. 5.

Quanquam ergo alias dixerimus hominem ab ipsâ iam sui constitutione in adoptionem transisse (quod vt inficiari quis possit, non satis video) reuera tamen respectu bonorum maximè adoptio est, ad quos Apostolus, *Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater.* ad Rom. 8. *Quare non tantùm Pater*, inquit D. August. serm. 14. de verbis Apostoli. *Quid sibi vult, Abba Pater? Si enim quæris quid sit Abba; respondetur tibi, Pater; Abba enim Hebraicè, Pater dicitur. Quare voluit vtrumque Apostolus ponere? quia videbat lapidem angularem, quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli, non sine causâ dictum Angularem, nisi quia in osculum recipit vtrumque parietem de diuerso venientem.*]

Adoptio filiorum Dei bonos potissimùm respicit.

Rom. 8.

Ista receptio in osculum vtriusque parietis per lapidem angularem Christum, est eorum qui ad vitam præordinati sunt adoptio: Iudæorum & gentium, vt iam non timore, sed amore, in vnius fidei structuram adducti, & charitatis cemento adunati, Deo famulentur, non tanquam serui, sed tanquam liberi, patrem inuocantes Deum: quod nomen sicut & matris appellatio, est magnæ dulcedinis, inquit Aristoteles 2. Polit. cap. 1. relatus ab Abulẽsi in cap. 21. Exod. quæst. 19. Estque ita acceptum, ita gratum vniuersorum conditori Deo, vt illius vnigenitus, exordiũ precationis nostræ facturus eo statim vsus sit tanquam medio ad captandam eius beneuolentiam aptissimo. Neque enim vsquã gratior Deo vox, & ad impetrandum quod voles, efficacior. Illa, illa est, quæ summæ pietatis præcordia pulsans, misericordiæ aditus reserat, atque vltrices irati Numinis temperans manus, facit, vt quod seruis futurum erat ad pœnam, filijs sit ad medelam. *Patrem se magis quàm Deum voluit dici*, inquit D. Chrysost. *vt nobis magnam fiduciam daret ad petendum, & spem largam ad impetrandum.* Seruorum est metu concuti, neque quod postularint, à Dominis continuò impetrare, suam enim illi non Dominorum vtilitatem, spectant: secus filij, qui & iusta petunt, & paterni commodi magis quàm proprij rationem habent: quam in rem liceat nobis D. Bernardi mella sublingere, qui sermone 3. super Salue regina, inquit, *Pater sanè non metuitur cùm Pater sit: Patris est semper misereri & parcere. Paterna vox est, percutiam & ego sanabo. Non est proinde quod à Patre formides: si quando ferit: emendat, non vindicat. At cogitantem quod Patrem offenderis, est certè quod pudeat, etsi non quod terreat.*

Patris nomẽ Deo gratissimum.

Filius paterni commodi rationem habere debet.

O immensam Dei & Domini nostri benignitatem? qui pudore magis, ceu filios suauissimos, non terrore & plagis tanquam seruos, assumpto pijssimo Patris nomine, non seuero illo Domini, mortalium genus à corruptelâ vitæ reuocare satagit, vt si propter admissæ prauitatis conscientiam, à Deo & Domino irato fugerimus; in memoriam reuocato hoc Patris nomine, audeamus ad placidum Patrem confugere, qui, quod nemo prudens puniat, quia peccatum est, sed ne peccetur; sicus inquit Plato, *Si quando ferit, emendat, non vindicat.*

Capitis 31. §. 1.

Patrem dici, quasi pascentem, & patentem.

VIm paterni nominis pleniùs indicaturi, vocem pater à pasco, vel pateo, vel etiam à verbo patior deductã volunt: & ita quidem ad benefici parentis munus pertinet, pascere nempe filios suos: quis autem curam & sollicitudinem parentum in nutriendâ, fouendâ & alendâ prole referat? Multa illis subeunda sunt: & si egenti succurri non potest, lacrymãdum. Numeror. 11. Ductabat turmas Isacidarum in deserto Moises: & pondus vniuersi populi illius visum est ipsi graue, illis præcipuè carnes postulantibus; quare patris muneri cum filiorum necessitati prouidere incumbit, sese imparem sentiens, conqueritur apud Deum: *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo? &c. Vnde mihi carnes vt dem tanta multitudini?* quasi dicat, si genuissem, æquiùs istos labores ferrem. Etsi nihil tangatur Deus curam nostri gerens, habeatque affluentissimè quòd donet, magno tamen amoris affectu, creaturæ suæ congrua alimenta ministrat: nec quisquam liberaliùs, nec quisquam magnificentiùs: agnouit Iacob iam senex Gen. 48. quum dixit, *Dominus pascit me à pueritiâ meâ vsque ad diem hanc:* & Dauid psal. 22. *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.* Et passim in sacris voluminibus, homines dicuntur oues pascuæ: quod si ista præstitit vt Dominus, quid non faciet vt pater? Quanta nostri sollicitudine laboret (si tamen laborat) cùm creatione, tum conseruatione manifestum fit: cùm in nullâ materiâ præexisteremus nos condidit. vt conderet, adiecit consilium. *Faciamus hominem*, sexto creauit die, Philo de opificio, post omnia perfecta quæ erãt homini ad vsum, hominem creauit: velut nauis antequam sublatis anchoris prouehatur portu, oneratur commeatu: velut paterfamilias, antequam filiam nuptui tradat, ædes illi construit, omnibus suis instructam numeris: sic mundum Deus. Creationi accessit conseruatio; neque enim eius quod creauit curam abijcit Deus, velut quidam tigribus immaniores fœturam suam obuijs quibusque desertam exponunt. Inanis ille Philosophus fuit, qui sobolem suam negligẽs, cùm desertor sui sanguinis argueretur, respondebat, etiam pediculos ex nobis natos, nos reijcere. Aliter, aliter Deus, qui à se producta conseruat, alioquin abitura in nihilum, quemadmodum si sigillum aquæ infigas, figura sigilli tamdiu hæret, quamdiu manus sigillum impressum tenet: ideoque psal. 138. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam:* Omnia quippe hac conseruatione egent, ob dependentiam quam habent à Deo, quod sic explicauit D. Tho. 1. part,

1\. Pater à pasco, pateo, vel patior.

Num. 11.

Gen. 48.

Psal. 22.

Prouidentia conseruat quæ creauit.

Psal. 138.

part. quæst. 104. art. 1. quando agens imprimit in passum formam, quæ sit eiusdem rationis cũ formã quam habet, tunc effectus dependet ab agente in facto esse, sed non in conseruari, quia res se conseruant virtute formæ impressæ, sicut patet in igne, qui ab altero igne genitus sine generante conseruari potest. Contrà verò, quia sol producens plantam, non communicat formam suam plantis, non generat secundum formam suam specificam, sed secundum æquiuocam; ideoque plantæ ab eo dependent in conseruari: veluti lux in aëre à sole producta, quo recedẽte, recedit. Ob hanc caussam cæli, Angeli, homines, orbes, planetæ, & quæcunque creatrix eduxit Dei manus, non solum in esse primo creationis à Deo dependent, sed etiam in conseruari. Ideò tanquam Pater prouidet quæ ad cõseruationem sunt necessaria, pascit nos à iuuentute nostrã, & instar pelecani, quãuis percussus ab adultis iam filijs Israel, percussus iniquitatibus nostris, licet ad modicum tempus irascatur, recordatur misericordiæ, & euiscerans sese, suo nos pascit & viuificat cruore.

2. Pater omnibus patet Deus.

Ideò patens quoque pectus habet ad omnem quippe filij accessum patere pater debet, & in propatulo habere quæcunque filij necessitas, nõ modò verbis & postulationibus indicata, sed etiam sub solum Patris aspectum prodita, postularit. Ecquod autem ostium æterni Patris domus, pulsanti non patuit? Ecquis thesaurus incognitus, Deum Patrem non ignoranti? *Deum ignorantes*, inquit Tertul. lib. de pœnitentiã. *rem quoque eius ignorent, necesse est, quia vniùs thesaurus omnino extraneis patet.* Ecquæ cella vinaria, in quam filij sitientes non introducti, vino caritatis inebriandi? Ne quid occlusum esset adire cupientibus, ne quid occultum haurire & depromere volentibus: ipse promus condus Dominus noster Christus Iesus, qui cum Patre & Spiritu sancto, Pater noster est, in crucem sublatus, nuda corporis patere voluit, vt ex ea constitutione, nobis, qui nisi per corporum formas inuisibilia intelligimus, coniectare liceret, quàm apertus, quàm patens, paratusque sit diuinitatis in hominem animus, quæ sub isto corporis velamento latitabat. Ecce vt brachia pandit, non modò quò validius serpentem rugientem, aliquid de Christo tanquam de alio homine suspicantem opprimat, verumetiam vt homini ad se venienti vltroneum complexum ferat, nudum vestiat gratiã, famelicum satiet à vulnere.

Psal. 33.

Accedite ad eum & illuminamini, inquit Psaltes regius, reddunt alij, *& illuminati sunt*: sicut enim fenestram soli lucido aperienti, difficile discernere est, priùsne sit ipsam aperuisse, quàm solem admisisse: ita etiam, promptam illam beneficentissimi Patris voluntatem consideranti, non est facilè dijudicare, priúsne accesseris ad illum, quàm ille ad te, priùsne apprehenderis; quàm ab illo apprehendaris. Sed quid dico, non facilè? aio verò, impossibile, quoniam nisi trahente patre Deo, quisquam accedit ad Patrem Christum, patrem patentem & expectantem, vt infundaris amplexui, lateri, vulneribus; & omni bono perfundaris; extra quem, nullum bonum est, quod per patentem bonæ, sinceræque voluntatis fenestram, desiderium animæ implere possit. Hinc natum illud D. Bernardi in diuersis, sermone de miseria humanã, totidem verbis.

Patre trahẽte itur ad Christum.

Extra Christum nihil est quod animam impleat.

Quid quæris extra illum? quid desideras præter illum? quid tibi placet sine ipso? ipse fecit omnia: ipse habet omnia: ipse est omnia: quodcunque bonum cupis, quodcunque pulchrum quæris. quodcunque dulce & delectabile requiris, totum in ipso inuenies, & in ipso perfrueris. Si gaudere vis, ipse gaudium est: si te pugnare delectat, ipse palma est. Si coronari vis, ipse corona est. Si vincere cupis, ipse victoria est. Si potentiam desideras, ipse potentia est. Si fortitudinem quæris, ipse fortitudo est. Si iustitiam vis habere, ipse iustitia est. Si amas sapientiam, ipse fons sapiẽtiæ est. Si caritatem vis, Deus caritas est. Si diuitias appetis, ipse diues est. Si pulcritudinem vis habere, summa pulchritudo ipse est. Si plenitudinem quæris omnis boni, ipse plenitudo est. Si gloriam & honorem cupis, vera gloria & summus honor Deus est. Si pacem vis, pax æterna ipse est. Quidquid boni quæris, summum bonum, & omne bonũ ipse est. Imò semper est totus desiderabilis, totus dulcis, totus amabilis, totus suauis, & totus delectabilis. Hæc Pater mellifluus. Talis autem est patens omnibus Pater, qui ista omnia nobis dare paratior, promptiorque est, quàm nos ipsi accipere.

Capitis 31. §. 2.

Cur Pater quasi patiens dictus?

1. Pater, ab eo quod patiẽs sit, dicitur.

TErtium Patris significatum est patiens. Arduum est patrem esse, & magnis conditionibus obnoxium. Hinc Menander Comicus.

> εἶον τέ γενῆσαι πατέρα παιδων ἐν λύπῃ,
> φόβῳ, φροντὶς, πέρας οὐδὲν ἐστι.
> *Patrem esse plurimum habet molestiæ,*
> *Metusque, & curas infinitas.*

Omitto rectæ institutionis, atque disciplinæ vel artis tradendæ debitum, non quò ditiores, sed quò meliores euadant filij: quod qui prætererit, non secus illi filius est, quàm qui ex mœchiã editus, veteri Solonis Atheniensium legislatoris lege, patri in suã necessitate, nihil tenetur: quomodo patrem Mœcho parem significauit, qui liberos instruere negligit. In tolerandis filiorum morbis patientiam specto, cum eã proborum parentum prudentia coniunctam, qui obiurgare liberos nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter solent, aliquando etiam admonere verberibus, neque extrema experiri, nisi vbi cõsumpta remedia: memores eius quod dixit Menander,

Morbos filiorum vt ferre debeãt Patres.

> *Qui durissimus videtur Filio in admonendo,*
> *Verbis quidem asper est, reipsa verò Pater.*

Multa illi antè tentant, quibus dubiam indolem & peiore loco iam positam reuocent: & si seuerius quidpiam agere compellantur, amant in filio quod odisse non possunt, odio habent & plectunt, quod nec amare, nec tolerare pij genitores valent. Etenim quemadmodum regi nemo tam vilis esse debet, sicut inquit Seneca lib. 1. de Clementiã, cap. 16. vt illum perire non sentiat, qualiscunque enim, pars imperij est: ita filiorum nemo, qui si per flagitia sua pereat, illum perire non sentiat pater, etiam iudex: pars enim patris est filius. Obnoxij sit ille animi, atque infelicis ingenij, sic, vt nec monitis cedat, nec emendationibus, tamen, *Tardè sibi membra sua pater abscindat*, inquit Seneca præfati libri cap. 14. *etiam cùm absciderit, reponere cupiat, & in abscindendo gemat, cunctatus multum, diuque. Propè enim est, vt libenter damnet, qui citò: propè vt iniquè puniat, qui nimis.* Rectè Theophrastus apud Io. Stobæum, non exposcendas citò à quoquam peccatorum pœnas dixit, vt non quod animositati gratum, sed quod rationi consultissimum videtur, id semper agatur. Venia autem vltione melior est, inquit Pittacus: Illa namque mitis est ingenij, hæc autem ferini. Quantumlibet enim pater à filio neglectus, & per inscitiam, incogitanti-

amque lasciuæ adolescentiæ contemptus, pater est tamen, patiens itaque vt sit, necesse est: atque reuertentem ad saniora filium benignè suscipiat Patris vniuersorum exemplo qui patiens admodum psal. 85. *patiens & multæ misericordiæ*; psal. 144. *patiens & multum misericors*, & alibi sæpè: & silentio fert contumelias filiorum, quas cum grauioribus supplicijs expiare posset vt Dominus & creator, dissimulat & ignoscit vt pater: nec quenquam visceroso miserationum suarum complexu extorrem habet, quoniam miserationes eius super omnia opera eius. vnde D. August. lib. Meditationum cap. 2. totidem verbis, *Tu factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Vnde de temetipso per quendam seruum tuum dixisti, miserationes eius super omnia opera eius, & quasi de singulo loquentem, de vniuerso populo tuo te dixisse confidimus, misericordiam autem meam, non dispergam ab eo: nullum enim spernis, neminem abijcis, neminem perhorrescis, nisi qui fortè amens te exhorruerit. Nam qui custodiunt vanitates frustra, vt Ionas cecinit, misericordiam suam, id est, Dei erga se, derelinquunt.*

Psal. 85.
Psal. 144.

2.
Synagoga facta est lexna patri Christo.

Ecce autem miserationum diuinarum longanimitatem, quam qui colunt, timent, ac venerantur: præcipuo quodam studio & beneuolentiâ à Deo coronantur. In omnem prona nequitiam, per scelera, & libidines suas laxatis habenis effundebatur Synagoga, atque se patris, & tanti patris oblita filiam, infirmantis velut gallina, super eam, contra patrem & Dominum hostilia agebat: at paternorum viscerum memor Deus, non grauius quam flagitiorum commemoratione vlcisci voluit, non quò ipsa confricatis ac recrudescentibus vulneribus exasperaretur, sed quò pudore emendata, à facie instantis vindictæ fugiens, ad patrem euaderet secura. *Leua oculos tuos in directum*, inquit Dominus per prophetam suum Ieremiam cap. 3. & *vide vbi non prostrata sis, polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis, &c. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Dux, id est, vir virginitatis meæ, cuius nominis siue appellationis rationē tradit Philo lib. de Cherubim exponens illum locum Ieremiæ, totidem verbis, *Decet enim impollutam, intactam, puramque & verè virginem naturam cum Deo colloqui, longè diuerso modo quàm apud nos fit. Homo enim quando liberos sibi quærit ex virginibus, reddit mulieres. At Deus quando incipit cum anima habere consuetudinem, eam, quæ modò mulier fuit, restituit in virginitatem pristinam. Quandoquidem sublatis degeneribus & minimè virilibus cupiditatibus quibus effœminata fuerat, generosas & integras virtutes in earum locum substituit.* ita redeunti animæ pater est Deus, vt loquentem audiat. Adstringitur enim miserationi pater, vt se inuocantis filij, quantumuis etiam fraude impia obligati, voci intendat. Inde est, quod patris vnigenitus, *qui non confunditur, fratres nos vocare dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* ad Hebr. 2. patientiam & misericordiam pro crucifigentibus se deprecaturus, ait Luc. 23. *Pater ignosce illis.* Pro se autem interpellans, quia omnem iustitiæ diuinæ rigorem experiebatur nulli adstrictus noxæ, nulliusque propterea patientiæ, nullius misericordiæ egens, *Deus, Deus meus*, inquit, *vt quid me dereliquisti?* nam si pro hostiliter aduersum se gerentibus rogans, non patrem, sed Deum appellâsset, ad vindictam, non ad misericordiam Deum prouocasset, inflexisset.

Ierem. 3.

Christus fratres nostros dici voluit.
Psal. 21.
Luc. 23.

Miseratio Diuina in puniendo.
Thren. 2.

Quod si tamen quandoque facinoribus impunitatem non concedentibus, extrema experiri compellatur, castigat ad frugem, non plectit ad interitum; significauit Ieremias Threnor. 2. *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam à perditione.* Ecce quomodo dissipare cogitat vt ædificet, tēdit funiculum ad structuram, qui excidio inutilis. Itaque (vt mihi quidem videtur) phonascum se gerit Deus, qui citharæ neruos, tāquam quæstionis fidiculas aut equulei, nunc intendit, nunc remittit, donec harmoniam eliciat: quandoquidem & quas intendit pœnas vt vindex, & quas remittit vt patiens, futuræ morum concinnitati attemperet.

3.
Iustitiæ imago ficta.

Non abs re Philosophi, iustitiam carpento impositam à mulierculis bijugibus trahi finxerunt, quarum vna districtum gestaret ensem, altera bacillo innixa, & quasi impedita, tardiùs progrederetur: hoc enim est, quod vulgo dici solet, Dijs laneos esse pedes. manus verò ferreas: patiens enim est Deus, & nisi coactus iustitiæ seueritatem exercet. Rectè Saluianus lib. 8. de prouidentiâ & iudicio: *Quidquid malorum quotidie, pœnarumque perferimus, censura est diuinæ manus: quā vtique censuram nos inardescere facimus, & peccatis nostris iugiter commouemus. Nos cælestis iræ ignem accendimus, & excitamus incendia quibus ardeamus.* Et lib. 4. *Quid ergo de pœnarum acerbitate querimur? vnusquisque nostrûm se punit. Et ideò Propheticum hoc ad nos dicitur: Ecce omnes vos ignem accenditis, & vires præbuistis flammæ, ingredimini in lucem ignis vestri, & flammæ quam accendistis. Totum namque humanum genus hoc ordine in pœnam æternam ruit, quo scriptura memorauit. Primū enim ignem accendit, postea vires ignibus præbet, postremò flammam ingreditur quam parauit. Quando igitur sibi primum homo æternum accendit ignem? scilicet cum primum peccare incipit. Quando autem vires ignibus præbet? cùm vtique peccata peccatis cumulauit. Quando vero ignem æternum introibit? quando irremediabilem iam maiorū omnium summam crescentium delictorum iniquitate compleuerit. Sicut Saluator noster ad Iudæos principes ait: Implete mensurā patrum vestrorum serpentes, progenies viperarum.* Sicut ergo qui munitissimas vrbes obsidet, aut firmissimas arces vrbium capere & subruere conātur, omnibus eas telorum & machinarum generibus oppugnant, ita nos ad expugnādam Dei bonitatem, patientiam & longanimitatem, omni peccatorum scelere, quasi omni telorū genere pugnamus: & Deum cogimus vindicare, quod per Isaiam cap. 1. satis indicauit, *Heu*, inquit, *cōsolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*: ecce Patris gemitum, *heu!* quia dolens, & tanquam si passionis illius affectu moueretur vindicat: sicut quoque tactus dolore cordis intrinsecus chasmaticâ illa eluuie aquarū, afflixit, deleuit incredulos: quia enim pater est & Dominus, Domini seueritatem, paternâ pietate temperat.

Isa. 50.
Matt. 23.
Isa. 1.

Filius vt si Patrem Dei imiteris.

Quia verò τοῦ πατρός ἐςὶ τὸ παιδίον, *patrē refert sua proles*, vt cōmuniter iactari solet, velis remisque nobis elaborandum est, vt patientissimū atque indulgentissimum patrem omnium Deū, si filij esse & probari volumus, nostrâ patientiâ, atque indulgentiâ quātum humanitùs datur, referamus. *Dicitur quidem & pater tuus*, inquit D. August. serm. 15. de verbis Apostoli, *quem imitatus fueris, & propter ipsam imitationem dicitur impijs, vos à patre diabolo estis, qui nec generauit nostram naturam nec condidit, sola in illa seductio est præcedentis, imitatio consequētis.* Itaque si ante redemptoris gratiā & mundus erat pater noster, & diabolus, non ex ipso nascēdo, vt inquit D. August. serm. 52. de tempore, sed ipsius nequitiam imitando, (non enim ex ipso nasci, non ab ipso creari potuimus, sed vt noster esset, imitatio nostra fecit) nūc quum per Christi gratiam Deus sit pater ijs, quibus moritur pater hic mundus, & patris diaboli nequitia euitatur, eiurato patre mundo & patre diabolo, abijciamus opera tenebrarum, patrum scilicet istorum in ac-

Diabolus vt pater dicatur.

in actionibus nostris saucientem nequitiam, & induamur arma lucis, vt Pater noster ipse sit Deus, qui Pater luminum Iob. cap. 1. Rupertus autem lib. 5. in cap. 5. Matth. *Vnde verò Pater tuus? nimirum ex eo, quod non contentus es obseruare illud antiquum dictum, diliges amicum tuum, & odies inimicum tuum: sed ad illius dicti supplementum, si esurierit inimicus tuus, cibasti illum: si sitiuit, dedisti illi potum, vt vinceres in bono malum, quæ totius eleëmosynæ laudanda perfectio est. Inde est ille Pater tuus, & tu tanti patris filius, iuxta conditionem dicentis, benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est.* Præcipuum namque imitamentum, ex quo qui verè sunt filij gratiæ Dei, cognoscuntur, est inimicorum dilectio, quam cum patientiâ operaris. Sicut ergo Deus cùm nullius egeat, tamen suapte naturâ gaudet omnibus benefacere, ita qui Deum Patrem appellant, debent gratis de omnibus, quod in ipsis est, benè mereri.

Iob. 1.

CAPVT XXXII.

Deus vt Pater noster sit, & quidem in cælis:

IN diuerbium abijt, *Conueniunt rebus nomina sæpè suis*, secundum namque cuiusque rei naturam & proprietatem, nomina imponi consueuerunt, vnde Isidorus lib. 1. cap. 6. nomen, quasi notamen esse dixit, id est, rei manifestatio, cui nihil falsitatis inesse debeat. Quapropter apud Veteres tanta nominum cura fuit, vt si probra hominum, sanctiora quædam, vel etiam virorum illustrium nomina vsurparent, indignarentur vehementissimè: testis Aul. Gell. lib. 9. cap. 2. vbi Herodi Attico viro consulari, dolori & ægritudini est, in nullius rei homine, qui se Philosophum diceret, cùm præter barbam & pallium nihil haberet, illustrissimum Philosophiæ nomen exsordescere.

1. Nomina ex rei naturâ imponuntur

Neque Gentilibus solùm id curæ fuit, vt sanctissima nomina in deterrimis hominibus damnarent, sed iure quoque Canonico cautum est, illustri eos nomine excidere, qui probrosi esse cœperint: ita Nicolaus Pontifex 2. quæst. 2. cap. scelus, dubitat, vtrum Lotharius Rex, ob patratum scelus, Regis nomine compellari debeat: Stephanus quoque Antistes summus 33. quæst. 2. cap. Admonere, Astulphum paternè cum lacrymis, & cordis ægritudine admonens, filium quidem appellat, sed qui ob perpetratū immanè homicidiū, filij nomine indignus iudicetur, quia, vt ibi Glos. *Si re prineris, nec nomen habere mereris.*

Quantò minùs peccator, filius Dei appellari merebitur, qui viuifici signi desertor, sub peccati vexillis meret, factus inimicus? qui mortiferi criminis violentiâ, & istius amantissimi nominis & cæli possidendi iure excidit? Iura contestantur, propriè & absolutè filiorum pronunciationem ad eos tantum pertinere, qui legitimâ nati sunt coniunctione, & matrimonio. l. Filium 6. iuncta glo. de ijs qui sunt sui vel alieni iur. lib. 1. P. tit. 6. Paulus Iureconsult. qui propter eruditionem Coryphæus Iureconsultorum dictus est. l. quia semper. de in ius vocand. lib. 2. P. tit. 4. Authentica. nunc soli, de natu. lib. C. cur hoc, nisi quia probrosi fœtus, castus amor, à quo filij, dicuntur filij, esse non potest? nisi quia spurius, nothus, manzer, in patris hæreditatem non admittuntur? nisi quia isti patrum suorum sunt scelera, quibus dehonestantur? sciteEuripides in Phœniss. Act. 3.

οὐ γὰρ ὃ μὴ καλόν, οὔποτε ἔφυ καλόν,
οὐδ' οἱ μὴ νόμιμοι παῖδες, ματρὶς λόχευμα
μίασμα πατρός.

Non enim quod per se non est honestum, poterit dici honestum,
Neque liberi illegitimi honesti matribus, sed & patri
Scelus & piaculum.

Ita filius non est, qui ex illegitimo peccati partu procreatus, extorris factus est cælo: sed est genitura diaboli, quales Iudæi, testante Domino Ioan. 8. & dicente illis, quum se non ex fornicatione natos dicerent, sed Abrahamum habere patrem, *vos ex patre Diabolo estis*: quare Christo non tantùm insideliter spreto, sed etiam crudeliter necato patrem habere Deum non possunt, nec dici amplius populus Dei, vt adnotauit Ioannes Carion, Chronicor. lib. 2. tit. de septuaginta hebdomadar. supputatione: non enim peccator populus, populus est Dei. Hinc Isa. 1. Iudæi, principes Sodomorum appellantur. & Ezechiel. 16. radix eorum, & generatio eorum de terra Canaan.

Ioan. 8.

Iudæi non possunt Deū habere Patrem.

Natalium olim diligens, nec vana inquisitio. Narrat Strabo lib. 15. apud Indos, vrbis præfectos tertij ordinis fuisse, qui natiuitates & mortes, quando & quomodo factæ essent, perscrutarentur, idque tributorum gratiâ, tum ne bonæ, malæve natiuitates & mortes laterent. Profitebantur quoque Romani nomina edebantque diē & Consulem natiuitatis pueri. l. cùm de ætate 13. & l. penult. de proba lib. 22. P. tit. 3. l. 1. si minor se maior. dix. l. 2. C. tit. 3. Et Plato dial. 6. de legibus sanxit pro magistratibus legitimè creandis, vt quo tempore comitia haberentur, vnusquisque candidatorum, in arâ Dei nomen suum & patris & tribus & gentis, in tabulâ scriptum deponeret: quemadmodū adnotauit Petr. Greg. syntagmatis iur. lib. 10. cap. 3. Quo illa spectabant nisi vt illegitimæ natiuitates, aut è catellâ, catellóve, spurio, vel spuriâ editi catuli, qui vt plurimum insolentes sunt, à publicis honoribus & magistratu arcerentur. quando Deuteron. 23. ab Ecclesiastici ministerij functione, etiam ad decimam vsque generationem repelluntur? *Non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini vsque ad decimam generationem.* In quem locū Abulensis quæst. 1. manzeres, nothos, spurios, & alios de fornicatione repelli scribit, ne essent tribuni, centuriones, quinquagenarij, decani; quia isti, inquit propter defectū natalium, multū contemptibiles sunt, & periculum est, tales exaltare, quia subditi, non æquo animo tales tolerant: & ideo Ecclesia tales ordinari prohibuit & aliquam Ecclesiasticam accipere dignitatem. Sic quoque in familiâ Dei nomē habere non potest, quisquis peccato obnoxius, nefario partu diaboli progenies constitutus est: neque filij honore gaudere, vt iure meritoque Deum pietatis hac & potestatis appellatione, adire valeat, dicendo *Pater noster*. O miseriam prurientis peccati voluptatulæ, quâ vt scalperis, exasperato ardet dolore vritque; & ex filio regni, tartari mancipium facit.

2. Natalium ratio olim magna.

Deuter. 23.

Excutiendum illud infamæ seruitutis iugum, vt ex ignobili & despectâ conditionis, in meliorem sortem translati, nominis ingenui stemma sortiamur. Ecquod autem vsquam nobilius? quidve illustrius, quid magnificentius, quid opulentius, quid denique suauius, quàm hominem qui è terrâ vilissimo elemento formatus, qui putredo & vermis, vsque adeò sublimari, vt filius nuncupetur Dei? *Homo nouus, renatus, & Deo suo per eius gratiam restitutus, Pater, primo in loco dicit, quia filius esse iam cœpit*, inquit Diuus Cyprianus de Oratione Dominicâ. Magna omnipotentis Dei bonitas, qui non Angelos solùm excellentiâ naturæ suæ prælustres, sed homines quoque, imbecillitatis atque ærumnarum spolia, filios vocat, & paterno complectitur affectu. Pulchrè Diuus Augustinus serm. 135. de tempore cap. 1. *Ad magnum genus pertinere cœpisti.*

Fratres sunt omnes in Christo, cuiuscunque sint dignitatis.

Sub isto Patre, fratres sunt Imperator & miles: sub isto Patre fratres sunt diues & pauper. Omnes Christiani fideles diuersos in terrâ habent patres, alij nobiles, alij ignobiles: vnum verò Patrem omnes innocant, qui est in cælis. Si ibi est Pater noster, ibi nobis præparatur hæreditas. Talis est autem iste Pater, cum quo possideamus quod donat: est quippe in æternum Pater, cui non succedimus in hæreditate veluti patribus nostris vitâ functis, sed conregnamus, nullo regnantis Patris decremento, sed nostræ incremento gloriæ.

3.

Quare cùm dicimus, *Pater noster*, & adoptionis filiorum gratiam commemoramus, quæ non est meritorum nostrorum, sed benignitatis Dei; & charitas excitatur, vt habet Diuus Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 4. *Quid enim charius* (ait) *filijs debet esse quàm Pater? Et supplex affectus, cùm homines dicunt Deo, Pater noster: & quædam impetrandi præsumptio quæ petituri sumus, cùm priùs quàm aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, vt sinamur dicere, Pater noster, Deo. Quid enim iam non det filijs petentibus, cùm hoc ipsum antè dederit, vt filij essent? Postremò quanta cura animum tangit, vt qui dicit, Pater noster, tanto Patre non sit indignus. Si enim quisquam Plebeius Senatorem grandioris ætatis ab eo ipso Patrem vocare permittatur, sine dubio trepidabit, nec facilè audebit, cogitans humilitatem generis sui, & opum indigentiam, & plebeiæ personæ vilitatem. Quantò ergo magis trepidandum est appellare Patrem Deum, si tantæ sunt labes, tantæque sordes in moribus, vt multò iustiùs eas à suâ coniunctione Deus expellat, quàm ille Senator cuiusuis mendici egestatem. Quandoquidem ille hoc contemnit in mendico, quò & ipse potest rerum humanarum fragilitate deuenire, Deus autem in sordidos mores nunquam cadit: & gratias misericordiæ ipsius, qui hoc à nobis exigit, vt Pater noster sit, quod nullo sumtu, sed solâ bonâ voluntate comparari potest: Admonentur etiam hic diuites, vel genere nobiles secundum seculum, cùm Christiani facti fuerint, non superbire aduersus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt Deo, Pater noster: quod non possunt verè ac piè dicere, nisi se fratres esse cognoscant.*

Oranti nihil denegat pater.

Ideò enim, *Pater noster*, dixit, & non, *meus. Quia*, inquit Diuus Cyprianus de Oratione Dominicâ, *pacis Doctor & vnitatis magister, singillatim noluit & priuatim precem fieri, vt quis cum precatur, pro se tantùm precetur*: & mox. *Publica est nobis, & communis oratio: & quando oramus, non pro vno, sed pro toto populo oramus, quia totus populus vnum sumus. Deus pacis & concordiæ magister qui docuit vnitatem, sic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipse portauit. Quia*, inquit Diuus Chrysostomus homil. 14. imperfecti in Matth. *libenter audit Deus, quando Christianus non solùm pro se, sed pro altero orat, pro se enim orare, naturæ est; pro altero gratiæ. Pro se orare necessitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem est ante Deum oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.*

Fraternitatis caritas duplex.

Et cùm duplex fraternitatis charitas inueniatur, naturæ vna, altera gratiæ; secundum illam quæ est naturæ, lib. de Noë cap. 26. dicit Diuus Ambrosius, *Fratres sunt omnes quos rationalis naturæ quidam vterus effudit, & eiusdem matris generatio copulauit: Eadem enim natura omnium mater est hominum: & ideò fratres sumus omnes, vnâ atque eadem matre generati, cognationisque eodem iure deuincti. Ideoque & Deus fratrem appellauit eum à quo sanguis fratris exquiritur, significans magis ab his periculum pertimescendum, qui fraterno sibi iure sociantur*: Fratres sunt quoque reliquæ creaturæ omnes, etiam nequam ille Angelus qui malitiâ suâ, à filij nomine apostatauit, & factus est diabolus, & fratrum accusator dicitur, in quem propterea caritatis nostræ affectus nullus esse potest, nisi quatenus in eo

Angelus malus, a filij nomine apostatauit.

Diuina iustitia amatur, atque creatricis potentiæ consilij admiramur. Noluit tamen sapientia patris, vt diceremus, *Pater mi*, vt omittam, solius esse Christi hoc modo Patrem interpellare, sed, *Pater noster*, vt dilataretur & extenderetur anima nostra propter Creatoris sui amorem, ad dilectionem triplicis generis creaturarum, sicut scripsit Diuus Bernardinus Senensis libro de Christianâ Religione, sermone 6. capite 2. cuiusmodi sunt, spirituales, rationales, & corporeæ. Spirituales sunt Angeli, qui Iob. 2. filij Dei dicuntur adoptione, quos propterea velut fratres nostros diligimus. Rationales, sunt homines, ad quos extenditur amor noster, vt per eum adimpleatur duplex charitatis præceptum, amor Dei scilicet, quum dicimus *Pater*, & amor proximi, quum dicimus noster, sicut ante monuimus, *Vt pro communi scilicet corpore precem fundas*, inquit Diuus Chrysostomus hom. 20. in cap. 6. Matth. *& vbique non tam propria commoda, quàm proximorum petas, quandoquidem & inimicitias interimis, & superbiam reprimis, & explodis inuidiam, & introducis matrem bonorum omnium charitatem, & humanarum rerum inæqualitatem prorsus expellis, & miram Regis cum paupere æqualitatem ostendis honoris. Quid enim noxæ de terrenâ ignobilitate metuendum est, quando cælesti omnes nobilitate coniungimur? cunctis vnam atque eandem nobilitatem donauit Deus, cùm dignatus est omnium Pater vocari.* Extenditur & animâ ad amandum corporea, propter charitatis abundantiam quâ homo fertur in Creatorem suum: amandæ quippe sunt creaturæ Dei, propter Deum dilectum: tum quia etiam propter hominem factæ sunt, homo autem propter Deum, sicut eleganter prosequitur Diuus Augustinus, vel quiuis alius auctor lib. de diligendo Deum cap. 3. in hanc sententiam: *Factus ergo Angelus siue homo propter Deum dicitur esse, non quia Deus creator & summè beatus, alterutrius indigeret officio, quia bonorum nostrorum non eget; sed vt seruiret ei, & frueretur eo, cui seruire regnare est. In hoc proficit seruiens, non ille cui seruitur. Et sicut factus est homo propter Deum, sic factus est mundus propter hominem vt ei seruiret. Positus est ergo homo vt ei seruiretur, & vt ipse seruiret, vt acciperet vtrumque, & refluerent totum ad bonum hominis, & quod accepit obsequium, & quod impendit.*

Pater noster dicimus propter triplex creaturarum genus.

Homo propter Deum factus est.

4.

Inuitamur ergo ad amorem, sed præcipuè gregalium nostrorum, cùm dicimus *Pater noster*, sub quâ appellatione, nos fratres esse profitemur, hoc est arctissimo charitatis vinculo compaginatos; quia frater, Aulo Gellio lib. 13. cap. 10. idem est, quod, ferè alter Matth. 23. *Omnes vos fratres estis.* Et Act. 4. *Credentium erat anima vna & cor vnum in Deo.* Tanta fuit inter Diuum Petrum & Andream, fratres, dilectio, vt quod vni fuit cordi, fuerit & alteri, piscatu vterque vixit, vterque Christum secutus, vterque Apostolus, & vt extrema primis responderent, cruci ambo affixi, vt quorum mens semper vna fuisset, vnus esset & exitus, inquit Sabellicus lib. 3. cap. 7. Catoni Vticensi nihil fratre Cæpione carius, nihil amantius fuit; vnde quærentibus, quem maximè amaret? etsi adhuc admodum puer esset, respondit, fratrem Cæpionem: quem secundum? æquè fratrem: & tertium: quousque eodem subinde repetito responso, destitit alter à percunctando: vbi adoleuit, confirmauit etiam atque etiam, eam in fratrem beneuolentiam, auctor Plutarch. in Catone. Hoc fraternum expostulat nomen, vt deposito odio, irâ, contentione, æmulatione, inuidiâ, & ceteris id genus furijs, in mutuam opem, fraternæ charitatis vinculo sociati, conspiremus.

Matth. 23. Act. 4.

Hoc

Hoc exigit *Pater noster, qui es in cælis*, vt quemadmodum ipse dilexit nos, sic ipsi nos inuicem diligamus. D. Cyprian. de Orat. Dominicâ: *Meminisse itaque fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat & ille de nobis*: & nobis hæreditatem conferat, cuius sit indicium, quum dicitur:

5. Cælestis patris filij cælestes esse debent.

Qui es in cælis, tanto excellentior omnibus creaturis, quò inter creata, omnia cælum eminentius, vt & ad illam regionem in quâ Patrem nostrum commorari fatemur, summo desiderio properemus, vt ex Collat. Patr. refert D. Tho. in illum locum. *Qui es in cælis*, inquit D. Chrysost. homil. 14. imperfecti in Matth. *vt erubescamus nos terrenis rebus subjternere, scientes nos Patrem cælestem habere. Sicut enim degener Filius ad opprobrium pertinet generosi patris, sic & Christianus iniustus, ad blasphemiam pertinet Dei iusti; Nam sicut per bonos Christianos Deus glorificatur, sic per malos blasphematur.*

Psal. 2. Psal. 112. Psal. 122.

Scriptura frequenter Deum in cælis esse dicit. Psal. 2. *Qui habitat in cælis irridebit eos.* Psal. 112. *Quis sicut Dominus Deus noster qui in cælis habitat.* Psal. 122. *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis.* Aristoteles lib. 1. de cælo, cap. 3. omnibus à naturâ insitum esse dicit, Deum in cælo habitare, vnde frequenter apud Poëtas: *Superique habitator olympi*: & modò de Deo Patre dicitur ad illius gloriæ commendationem; *qui es in cælis*: Chrysost. homil 20. in cap. 6. Matth. *Cùm verò Deum dicit esse in cælis, non ibi eum hoc dicendo concludit, sed à terrenis abducit orantem, eumque supernis habitaculis, ac regionibus affigit excelsis.* Qualiter autem Deus sit in cælis, & vbique, antea tradidimus, simulque errorem Anthropomorphitarum de situ & membris Dei, prodidimus: nec illum esse in loco, sicut scribit Damascen. lib. 1. cap. 16. sed ipsum esse locum sui ipsius, implere omnia, esse super omnia, & continere omnia: dici autem esse in loco, vbi manifestiores fiunt operationes eius: atque ita esse in cælo, quia ibi eum præcipuè laudant Angeli, eiusque voluntati obtemperant: ibi Diuina Majestas, bonitas & misericordia magis coruscant: ibi cælorum pulchritudo & circumlationes eorum, ibi Solis splendor, Lunæ & stellarum decor, atque omnium istorum in hæc inferiora influxus, enarrant sapientiam & gloriam Dei. Quare Aristot. 1. Meteoror. dixit, hunc inferiorem mundum superioribus lationibus esse continuum, à quibus hic inferior gubernetur.

Deus est sibi locus.

Præterea in cælis esse dicitur, vt erectis sursum animis, inde petamus quæ cælestem Patrem dare addecet; non illa quæ terrestris hæc machina, atque adeò interitui obnoxia profert, sed cælestia nunquàque interitura. Velut enim in dandis muneribus, cauebimus, ne superuacua mittamus: vti ait Seneca lib. 1. de beneficijs cap. 20. vt feminæ aut seni arma venatoria; aut rustico libros, aut studijs, ac literis dedito retia. Æquè ex contrario circumspiciemus, ne dum grata mittere volumus, suum cuique morbum exprobratura mittamus: sicut ebrioso vina, & valetudinario medicamenta. Maledictum enim incipit esse, non munus, in quo vitium accipientis agnoscitur: sic in expetendis beneficijs, eius ratio habenda est, à quo expetuntur: vt non à milite libri, canes venatici, aut equus phaleratus à clerico; pudor enim esset hæc ab illis postulare: ita & pudor est, à cælesti, terrestria petere, quando & omnes orationis huius petitiones nil aliud nisi cæleste sonant.

Munera quæ & quibus danda.

Deus in cælis, id est, in Sanctis.

Aut etiam in cælis, secundum D. Augustinum de sermone Domini in monte lib. 2. cap. 5. *id est, in sanctis & iustis. Non enim spatio locorum continetur Deus, sed tantùm corpora, quæ non possunt esse nisi in loco. Sed si in cælis tanquam in superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aues, quarum vita est Deo vicinior. Non autem scriptum est, Prope est Dominus excelsis hominibus, aut eis qui in montibus habitant: sed scriptum est, Prope est Dominus obtritis corde: quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodum terra, appellatus est peccator, cùm ei dictum est, Terra es, & in terram ibis: sic cælum iustus è contrario dici potest. Iustis enim dicitur, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Quapropter si in templo suo habitat Deus, & Sancti templum eius sunt, rectè dicitur, Qui in cælis es, qui es in sanctis. Et accommodatissima ista similitudo est, vt spiritaliter tantùm interesse videatur inter iustos & peccatores, quantùm corporaliter inter cælum & terram. Cuius rei significandæ gratiâ, cùm ad orationes stamus, ad Orientem conuertimur, vnde cælum surgit: non tanquam ibi sit Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui vbique præsens est, non locorum spatijs, sed majestate potentiæ: sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, id est, ad Dominum cùm ipsum corpus eius quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est, ad corpus cæleste conuertitur.*

Psal. 33.

Iustus cælũ dici potest.

Orantes ad orientem conuertimur.

Vel denique dicitur: *Qui es in cælis*, propter simplices; qui Deum, neque rem aliquam spiritualem extra locum esse, intelligere non valent, quibus proinde melius est, quamdiu aliter non possunt, intelligant Deum in cælo esse, quàm in terrâ: sic consequenter D. Augustinus: *Conuenit etiam gradibus religionis, & plurimum expedit, vt omnium sensibus & paruulorum & magnorum benè sentiatur de Deo. Et ideò qui visibilibus adhuc pulchritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare: quoniam necesse est, vt cælum præferant terræ, tolerabilior est opinio eorum, si Deum, quem adhuc corporaliter cogitant, in cælo potiùs credant esse, quàm in terrâ. Vt cùm aliquando cognouerint dignitatem animæ cæleste etiam corpus excedere, magis eum quærant in animâ, quàm in corpore etiam cælesti: & cùm cognouerint quantum distat inter peccatorum animas & iustorum, sicut non audebant, cùm adhuc carnaliter saperent eum in terrâ collocare, sed in cælo: sic postea meliori fide vel intelligentiâ, magis eum in animis iustorum, quàm in peccatorum, requirant.*

Magnum prorsus ad virtutem incitamentum cogitata in animis iustorum, tanquam in cælo suo, Numinis præsentia: hac cogitatione armatus, illustris populi Iudaici Dux Iudas Machabæus, omni fiduciâ in Deum proiectâ, insignem de potentissimo hoste Nicanore victoriam reportauit: hac consideratione, corroboratâ Susannâ Daniel. 13. grauissimam lapsus carnis tentationem vicit. Hac cogitatione Diuus Ephræm Syrus apud Metaphrastem, impudicas mulieres eius tentantes pudicitiam, ad frugem reuocauit. Diuus quoque Pafnutius Abbas Thaidem, scortum nobile, se ad congressum inuitantem, ad pœnitentiam adduxit, & cælo reddidit. Marul. lib. 4. cap. 10. Hanc cogitationem inculcabat Dorotheus Abbas, Dositheo discipulo suo, Nunquam, inquit, cordi tuo Deus excidat; cogita semper Deum tibi præsentem, & te coram illo stare. Ista enim præsentiæ Dei consideratio, hominem ab impietatis studio, vel sola auocare debet, quemadmodum de se testatur Propheta Regius psalm. 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commonear.* Hæc cogitatio hominem in officio continet, & ab incursantium animæ hostiũ impetu, tutelâ præsidioque protegit, & fulsit: D. Basilius interrogatus: Cuius animus temerè euagatur, otioque se dat? quis frequenter irascitur? quis humanas laudes auidè captat? quis ad

Præsentia Dei cogitata fortem reddit. Iudas Machabæus.

Susanna.

Ephræm.

Pafnutius.

Psal. 15.

opera

opera spiritualia piger est? quis actiones suas ad Dei gloriam non refert? quis inter orandum mente semper distrahitur? ad hæc singula, hoc vnum respondit: Qui non semper cogitat, Deum cogitationum & actionum suarum inspectorem esse. Hæc enim vna recordatio, si assidua esset, contra omnia vitia remedium sufficiens esse posset: lapsui proximus est, qui eam negligit: perfectioni verò qui eam menti infixam habet. Nam si quis, ait Idiota, Deum semper haberet ante oculos pro regula omnium suarum operationum, & in operationibus suis omnibus, nec propriam vtilitatem, nec gloriam, nec voluptatem quæreret: sed solùm vt Deo placeret, breui perfectus euaderet, & semper in omnibus prosperaretur: nimirum, quia inhabitantem in se Deum habet, quod profitetur dicens, *Pater noster qui es in cælis*, hoc est, in iustorum cordibus, si cum hoc affectu teneat iustitiam.

CAPVT XXXIII.

Cur dicatur, Sanctificetur nomen tuum?

1\. PRoprium est amoris, rem amatam sibi vnire & incorporare: & ipse per se amor, omnium aliarum rerum negligens, animos in cupiditatem boni, illius qui amatur, non sine spe mutuæ caritatis, accendit: vnde fit vt qui Dominum amat, amet & seruum eius, imò & canem: sequitur amorem zelus, quo benè esse amato concupiscimus, de bono eius gaudemus, dolemus de malo: inhonoratum sperni, ægrè habemus; debitis honoribus affici congratulamur. Hoc zelo (qui in amore amicitiæ est, quemadmodum zelotypia in amore concupiscentiæ) affectus Dauid, ps. 118. ait, *Vidi præuaricantes & tabescebam, quia non custodierunt legem tuam.* Et qui verè Deum amat, non potest non eodem affectu eius laudem, gloriam, & honorem procurare; adeò autem illo arsere discipuli Domini, vt vitrices è cælo flammas, in nomen sanctum blasphemantes, irruere postularint. Idcirco nos pro excellentiâ amoris quem in Deum habere debemus, honorem eius ante omnia petimus, dicentes *Sanctificetur nomen tuum.*

Amorem sequitur zelus.

Ps. 118.

Vt autem quâ ratione nomen Dei sanctificari velimus, intelligatur. Vox, sanctus, multa significat, & vt illa quæ ad rem quam tractamus spectant, assumamus. Iurisperiti à verbo sancio deriuant, quod est fortificare, corroborare, confirmare, cuius supinum est, sanctum, id est, firmum stabile, inuiolabile, & sanctæ res sunt, quæ ab iniuriâ hominum, sanctione, seu lege aliquâ tuta sunt, l. sanctum. 8. de rerum diuisio. & l. sacra. 9. §. propriè ex loco sancto. eod. Alij à sagminibus deducunt, seu hierabotane, seu verbenâ herbâ, quam fæcialis ex arce cum suâ terrâ euulsam, vt auctor est Plinius lib. 22. cap. 2. cùm legatus ad hostes clarigatumque mitteretur, id est, res raptas clarè repetitum, secum deferebat. d. l. sanctum. & ibi. Budæ: meminit Liuius lib. 1. dum de fæciali ad populum Albanum mittendum agit, & alibi; vnde fiebat inuiolabilis, non secus quàm apud Germanos, legatus per caduceum, & apud Gallos legatus fæcialis per paludamentum, quod vocant *Cotte d'armes*, quo sacrosancti & inuiolabiles sunt Quare & legum auctoritas firma sanctio dicitur l. sanctio legum, 41. de pœn. Muri ciuitatis sancti, & portæ sanctæ l. sacra. 9. §. propriè, de rerum diuis. l. 1. eod. non quia lapides, cæmentum, vel ligna sancta sint, sed quia lex, quæ vim & læsionem vetat, sancta est. Et pœna capitis olim in eum, qui ista violasset, decreta est. Institut. de rer. diuis. §. si quis verò, aut scalis admotis muros transcendisset, vel qui occupasset, vel vsurpasset: Grande apud Romanos piaculum, & pro hostilitate putatum aliter quàm per portas vrbem ingredi: quapropter Remus ipse temeritatis suæ pœnas dedit. Lucan. 1. Pharsa.

Sanctus vnde dicatur.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Plato tamen, sanctum explicat esse, quod ad Dei curam pertinet. Annius Viterbiensis, in commentario ad 2. lib. Berosi, idem censet, & vocem sanctum, à sangui: hanc autem, à saga deriuatam: Sagam autem interpretatur Festus, Sacerdotem, expiatorem, inquit Petr Gregorius lib. 33. syntag. iur. cap. 14. n. 4. & D. Hieronymus lib. de interpretat. Hebraicis, sacrificulum, immolatorem.

2\. A voce, Sanctus, factum est verbum, Sanctifico, quod est, sanctum facio: inde dicimus *Sanctificetur nomen tuum.* Ecquis autem nomen Dei sanctificare potest, quod in seipso sanctificatum est? Ezechiel. 39 *Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israël.* & quidem adeò sanctum, vt cetera nisi participatam ab eo sanctitatem habere queant: quapropter Eccl. 17. *Nomen sanctificationis*, appellatur. Tertull. lib. de orat. *Ceterum, quando non sanctum & sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cùm ceteros sanctificet ex semetipso?* Chrysost. hom. 14. imperfecti in Matth. *Quomodo sanctificatur ab homine, qui sanctificat homines? Aut, quod sanctum est, vt quid sanctificatur?* Hoc vt intelligamus, præsupponendum est, dupliciter aliquid dici posse sanctificari: Primò quidem, si nouam, aliquam sanctitatem quam priùs non habuerat, indipiscatur: illius namque susceptione, sanctificatur: ita rationalis creatura Sacramentorum Ecclesiæ susceptione, vel etiam ipsius contritionis vi extra Sacramentum sanctificatur: ita priuilegio quodam singulari, Ieremias Propheta, D. Ioannes Baptista, ab vtero matris, fuerunt sanctificati. Itaque in hac vitâ, quæ nobis ad cælum via, esse sanctificatum, est esse gratificatum per receptionem gratiæ, vel augmentum eius, iuxta illud Apocal. 22. *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Quia sanctitas viæ, est gratia, sicut sanctitas patriæ, est gloria, quæ in clarâ Dei visione consistit. In hac significatione Dei nomen sanctificare, impossibile est, quia per semetipsum, & in semetipso, sanctissimum, sanctificatumque est: reusque esset blasphemiæ, qui hoc sensu Dei nomen sanctificari postularet.

Ezechiel. 39.

Eccl. 17.

Sanctificationis modus duplex.

Apocal. 22.

Secundò, res aliqua sanctificari dicitur, cùm eius sanctitas manifestatur, quod pluribus modis fit: glorificatione, laudatione, prædicatione, timore, honore, amore, admiratione: quomodo Exod. 20. præcipit Deus, *Memento vt diem Sabbati sanctifices.* Non quòd Iudæi aliquam sanctitatem huic diei essent allaturi, cùm eam ipse Dominus, in creationis exordio sanctificarit, sed vt haberent sanctam, cui reuerentiam & honorem, & obseruantiam tribuerent. Atque in hunc modũ Dei nomen vt sanctificetur, postulamus: *Nõ quod deceat homines benè Deo optare*, inquit Tertul. lib. de orat. *quasi sit & alius, de quo ipsi possit optari, aut laboret, nisi optemus. Planè benedici Deum omni loco ac tempore condecet, ob debitam semper memoriam beneficiorum eius ab omni homine. Sed & hoc benedictionis vice fungitur.* D. Chrysost. hom. 20. in cap. 6. Matth. gloriam quoque Dei hîc commendari scribit: *Digna prorsus ab eo, qui eum Patrem appellauit, oratio, nihil omninò priùs quàm pro illius gloriâ supplicare, omnia verò reliqua secundo loco ducere. Sanctificetur quippe, est glorificetur. Qui quidem gloriam propriam maiestatis suæ plenam*

Exod. 20.

Sanctificetur nomen id est glorificetur.

Sanctificatur nomen, id est glorificatur.

nam semper obtinet, & æqualem iugiter permanentem; prosequitur Tertul. *Cui illa circumstantia Angelorum, non cessat dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Proinde igitur & nos Angelorum si meminerimus candidati, iam hinc cælestem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediscimus:* & initiamur cælo, tum hujus, tum duarum consequentium petitionum impetrationibus, quæ in hac vitâ exordium capiunt; nam & sanctificatio nominis Dei, ab aduentu Christi in carnem, cæpit agi, reuelato Patris nomine in filio; & in fine sæculi regnum charitatis eius manifestabitur, & voluntatis eius perfectio, quæ mansura sunt in æternum, completa, atque consummata, in illâ vitâ quæ nobis promittitur. Hoc quantum ad gloriam Dei, quo modo quoque D. Bernard. serm. 6. in feriâ quartâ Cinerum, interpretatur: *Sanctificetur nomen tuum. Nomen eius*, inquit, *gloria eius. Et illa quando non sancta? Fieri tamen dicitur sancta gloria eius, cùm in sanctitate glorificatur à nobis: sicut & voluntatem eius quæ æterna est, in nobis (vt nostra fiat) fieri postulamus. Hoc ergo primum fieri petimus, quod maximum est, vt nobis gloriæ illius innotescat sanctitas illibata.* Quæ gloria cùm sit hominis finis primarius, emergit ex ijs quæ homines debent Creatori: debent autem vt potenti timorem, timete Dominum omnes Sancti eius: vt sapienti honorem; vt bono amorem, quia autem nullum horum per nos possumus, propterea petere iubemur, *Sanctificetur nomen tuum.* Vt sicut in cælo ab Angelis, sic in terrâ ab hominibus glorificetur. Illa namque clausula, *Sicut in cælo & in terrâ*, tertiæ petitioni adiecta; duas quoque priores determinat; sic censet D. Bernard. sermo. de obedientiâ patientiâ, & sapientiâ: quum inquit: *Quam nimirum adiectionem, duabus quoque præcedentibus petitionibus, nihilominus reor aptandam, vt Patrem nostrum qui in cælis est, exoremus, quatenus & nomen eius sanctificetur, & regnum eius adueniat, & voluntas fiat. Hæc omnia sicut in cælo, sic & in terrâ, alioquin vbi non sanctificatur nomen eius? vbi iam regnum eius non venit, quando in nomine Iesu omne genu flectitur? Scio te quia sis, sanctus Dei, dixit ipse malignus. At longè aliter, & dissimili prorsus affectione, nomen istud sanctificatur in cælis, vbi tam inenarrabili iucunditate clamatur; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.*

Gloria Dei quomodo fiat sancta.

Itidem sentiunt Auctor innominatus homil. 14. in Matth. & Caietan. super Matth. cap. 6. Non autem dicit, sanctificetur tam ardenter in terrâ, sicut in cælo, quia, vt monuit Diuus Bernardus hoc fieri nequit; sed tantùm, *Sicut*, non signans quantitatem, sed imitationem, vt cum charitate, quamuis dispari, ad Cælituum imitationé, Diuinas laudes decantemus.

3. Præterea petimus nomen Dei sanctificari, id est, sanctum haberi ab omnibus gentibus, vt nulla sit natio, nulla terræ plaga, quæ non agnoscat, Dei nomine, nullum vsquam esse sanctius quod colat, quod veneretur, quod amet: hoc in votis habebat Propheta Regius, cùm diceret psal. 66. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes*: euersis nimirum Idolis, dirutisque eorum fanis. Ita D. August. lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 5. quum inquit, *Primum autem omnium quæ petuntur, hoc est, Sanctificetur nomen tuum. Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt sanctum habeatur ab hominibus: id est, ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Neque enim quia dictum est, Notus in Iudæa Deus: in Israël magnum nomen eius: sic intelligendum est, quasi alibi minor sit Deus, alibi maior: sed ibi magnum est nomen eius, vbi pro suæ maiestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur sanctum nomen eius, vbi cum veneratione, & offensionis timore nominatur. Et hoc est quod nunc agitur, dum Euangelium adhuc vsquequaque per diuersas gentes innotescendo, commendat vnius Dei nomen per administrationem Filij eius.*

Psal. 66.

Ps. 75.

Quod ipsum etiam docet in psalm. 103. concione 1. explicans illud, *Domine Deus meus, magnificatus es nimis*: ait enim; *Si nos quisquam interroget, quid est quod petitis vt sanctificetur nomen Dei? aliquando enim sanctum non est, vt modò sanctificetur? Et tamen, nisi vellemus fieri, non peteremus vt fieret. Alia est enim gratulatio, alia oratio. Gratulamur ex eo, quod est, oramus vt sit quod nondum est. Quid est ergo sanctificetur nomen tuum? Et intelligimus, quod hic dictum est, Domine Deus meus magnificatus es nimis: hoc est sanctificetur nomen tuum, sanctum sit apud homines nomen tuum. Sanctum est enim semper nomen tuum, sed quibusdam immundis nondum est sanctum nomen tuum. Dicit enim Apostolus, omnia munda mundis: immundis autem & infidelibus, nihil est mundum.* Et post pauca. *Quid ergo rogamus? Sanctificetur nomen tuum in illis hominibus, qui per infidelitatem nondum habent nomen Dei sanctum: quibus nondum est ille Sanctus, qui per se, & in se, & in Sanctis suis Sanctus est.* Sic sanctificatum est per prædicationem Apostolorum nomen Dei, atque per vniuersum orbem, sanctum esse, disseminatum est: quod vt iugiter declaretur, conseruetur, & propagetur, petimus: quò dicant omnes, *Sit nomen Domini benedictum*, non quòd benedictionem accipiat ab homine, sed ad eum modum quo dicitur Apocal. 5. *Dignus est Agnus accipere virtutem & Diuinitatem*, non quod eam non haberet, sed vt hominibus innotesceret, quomodo accinctus gladio, per legitimam occasionem eo euaginato, gladium suum habere dicitur: & Christus Ioan. 17. dixit, *Clarifica me, Pater, claritate quam habui à principio.* Hanc in sententiam, D. Bonauentura, tria nominis Dei epitheta, siue proprietates, adnotauit, nimirum terribile, admirabile, laudabile. Terribile dicitur, vt comparatur cum potentiâ, quæ est attributum patris: mirabile vt refertur ad sapientiam, quæ Filio tribuitur: & laudabile vt comparatur cum bonitate, quæ est Spiritus sancti attributum; porrò sanctificatur nomen Dei, quantò magis in animis nostris radicatur, perpetaturque tanquam terribile ex cognitione potestatis; & admirabile, per cognitionem sapientiæ: & tandem laudabile, per cognitionem bonitatis infinitæ.

Ps. 103.

Ad Tit. 1.

Apoc. 5.

Ioan. 17.

Nominis Dei tres proprietates, personis conuenientes.

4. Hinc potest etiam intelligi *Sanctificetur nomen tuum, non in se, sed in nobis*, inquit Diuus Hieronymus lib. 1. in cap. 6. Matth. *Si enim propter peccatores nomen Dei blasphematur in gentibus, è contrario, propter iustos sanctificatur.* Nã qui bona opera nostra viderint, laudant Deum, & sanctificant illum, glorificantes Patrem qui in cælis est: hinc 1. Petri 2. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Qui verò mala opera nostra conspexerint, detrahunt Deo, & blasphemant nomen eius, quia sic agentem in viuis esse patiatur, vel temporalibus bonis frui, aut in dignitate præesse: & hoc potissimùm quando is qui perperam agit, alios docere tenetur, contra quos Apostolus ad Rom. 2. *Qui alium doces, teipsum non doces, qui prædicas non furandum & furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis. Qui abominaris Idola, sacrilegium facis. Qui in lege gloriaris per præuaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes.* Blasphemia quoque est, quando is, qui aliorum delicta ex officio, & status sui conditione vindicare debet, peccat; quomodo Dauid Rex, qui criminum pœnas ab alijs deposcere debebat, admisit ipse adulterium cum homicidio. cur proinde 2. Reg. 12. dicitur, *Blasphemare fecisti inimicos nomen Domini propter verbum hoc*, id est, propter peccatum, quod commisisti.

1. Petr. 2.

Nomen Dei malâ vita blasphematur.

Rom. 2.

Blasphemat Iudex peccato se obstringens.

2. Reg. 12.

Atque

Atque in his, quia peccatum propter exemplum grauius esse videtur, quàm sit in seipso, etsi dimittatur culpa, non tollitur pœna: translato namque Dauidis peccato, subditur, *Filius qui natus est tibi, morte morietur.*

Sanctificatur Dei nomen sanctis Christianorum moribus.

Hoc itaque sensu *Rogare orantem iubet*, inquit D. Chrysostomus homil. 20. in cap. 6. Matth. *vt & per vitam nostram glorificetur, quod & superiùs professò commemorauit, dicendo; sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Nam & Seraphim glorificantia Deum, hac voce resonant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Sanctificetur, hoc est glorificetur. Dignare*, inquit, *vitam mundâ conuersatione seruare, vt per nos cuncti te omnino glorificent.* Et homil. 9. ex varijs in Matth. *Quæ est ista sanctificatio Dei, nisi vt sanctis moribus viuentes, in nobis Deus sanctificetur? Nam quicunque corde puro & pacifico cum omnibus hominibus viuit, loquitur veritatem in corde suo, & dolosè non agit sub linguâ suâ: in hoc videntes homines bona opera, clarificant Patrem qui in cælis est.* Ecce quomodo quod in se sanctum est Dei nomen, sanctificatur in nobis; vt cùm illud sanctificauerimus in nobis, tunc & ipsum nos in se sanctificet, nisi enim illud sanctificauerimus, nisi operam dederimus vt non violetur sanctitas eius in nobis, ipsum nos non sanctificabit: dixit enim ipse Dominus, sancti estote, quia ego sanctus sum. *Quid est, sancti estote*, inquit Chrysost. *nisi præcepta mea implete, voluntatem meam facite, in vijs meis ambulate? Cùm ista feceritis, sanctificetur Pater vester.*

Leuit. 11.

5\.

Ex his nascitur alius sensus, qui est D. Cypriani, vt petamus à Deo sanctificari, id est fieri sancti: quem sensum eatenus admitto, quatenus non excludat priores, qui genuini magis esse videntur; ne putemur omnia nobis, nihil autem Deo postulare; quem quia super omnia diligere tenemur, eius quoque gloriã & honorem petere nos oportet: quomodo in suis orationibus Ecclesia à Christo instructa postulat. Sententia D. Cypriani hæc est, Dicimus *Sãctificetur nomen tuum, non quod optemus Deo vt sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo, vt nomen eius sanctificetur in nobis. Cæterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit: Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, id petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus; & hoc quotidie deprecamur, opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assiduâ repurgemus.* Secundum hanc acceptionem, potest & alia deriuatio vocis, *Sanctus*, assignari, vt sit quasi *Santerr*, id est *sine terrâ*. Ad quem enim peruenit sanctificatio Dei, sanctus erit, & tantò sanctior quantò minùs sese terrenis negotijs implicuerit. Velut namque impurum id dicitur, quod deteriori se admixtum est, vt si argentum auro misceatur; tenue vinum, præstantiori: ita impurum est cor, in quo sunt affectiones mundanæ. quibus polluitur.

Sanctificari nomen Dei est in pietate perseuerare.

Sanctus quasi sine terrà.

Et vt prætercam aliam sanctificationis significationem, in quâ pro castitate vsurpatur, & mentis atque corporis puritate, tum apud D. Ephræm. Syrum serm. de patientiâ & compunctione, vbi eam, & in hoc sæculo laudem & gloriam, & in futuro coronam immarcessibilem habituram, scribit: & in Antirrhetico, siue controuersiâ de virginitate; non abijciendam monet, alludens ad illud 1. Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione: vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, &c.* vbi per sanctificationem Apostolus non obscurè, continentiam, seu castitatem intelligit: tum apud Cassian. lib. 6. cap. 15. & 16. vbi ostendit quomodo castitatis virtus, sanctificatio vocetur. D. Basil. de Instit. Monach. cap. 78. DD. Augustin. & Ambros. in 1. ad Thessal. 4. Chrysostomum in eamdem epist. cap. 3. homil. 4. vbi inter alia, sanctificationem siue sanctimoniam vocat, excellentem mentis castitatem, & alios, qui in eam mentem scripserunt: pro quâ sanctificatione, quæ donum Dei est, orare debemus, & illam tenere, non abijcere, sine quâ Dominum nemo videbit, inquit D. Ephræm. in Antirrhetico de virginitate.

1. Thessal. 4

Vt, inquam, istud inuolutum silentio: Ecquod illud est nomen quod sanctificari postulamus? Fortean tetragrammatum illud ter venerandum Iehoua, quod laminæ inscriptum aureæ, in fronte Aaronis dum sacerdotio fungeretur, sanctificari voluit Deus, Exodi 28. Ideò enim capiti eius præfixum voluit Oraculum hoc nomen, vt quàm glorificandum, quamque venerandum sit, indicaret. Consueuimus dicere, nos capite nostro gestare eum quem suspicimus, ac veneramur: & Regum diplomata, si quæ ad nos peruenerint, in honoris ac reuerentiæ testimonium; capiti nostro superponimus. Apud Sinenses in Quæstorum ærariorum ædibus, inerat mensa aurea, in quâ Regis regnantis nomen inscriptum erat, prædiuite tapetio tecta; certis autem solemnioribus anni diebus, tollebatur tapetium, & nomen illud manifestabatur, quod Sinenses magno concursu venerabantur, tanquam si Rex ipse præsens foret. Plato in Philebo magnam semper Diuinis Nominibus tributam reuerentiam scribit: D. Franciscus, teste D. Bonauent. in eius vitâ, cap. 10. ipsum Domini nomen non solùm cogitatum, verumetiam prolatum & scriptum, reuerentiâ volens honorare præcipuâ, fratribus persuasit aliquando, vt omnes schedulas scriptas vbicunque repertas, colligerent, mundoque loco reponerent, ne fortè sacrum illud nomen contingeret conculcari.

Iehoua.

Nomen Regis, Persis quomodo honoretur.

Nõ hoc, neque vllũ aliud ex septuaginta duobus quæ Hebræi adferũt, sed nouum prorsus est nomen Dei quod sanctificari petimus, quod Filius reuelauit; nempe, *Pater*: Tertull. de Oratione, *Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat: etiam qui de ipso interrogauerat Moises, aliud quidem nomen audierat: nobis reuelatum est in Filio. Iam enim Filius nouum Patris nomen est: & apertiùs; nomen tuum manifestaui hominibus. Id ergo vt sanctificetur postulamus.* Nomen gratiæ, nomen amabile, *Pater*, quod Filius, qui naturale est Patris nomen, honoris causâ nominauit, prætermissis proprijs: quemadmodum enim Deus illa minimè prodidit, cùm legẽ daret, *Ne quis Moisis discipulus assuescat vllo modo appellationem Dei contemnere* (inquit Philo. lib. 3. de vita Moisis exponens illud Exod. 2. *Non assumes nomen Dei tui in vanum*) *semper enim amabilis est ac plausibilis; quandoquidem ne mortalium quidem parentum nomina proferunt hi, quibus est cordi pietas: sed omissis proprijs honoris causâ vtuntur naturalibus, patrem appellantes matremque.* Ita, tacitis alijs Nominibus Diuinis, Patris nomen nobis sanctificandum proditur.

Nomen nouum Dei.

6\.

Quia verò persona Patris, iure ciuili, semper honesta & sancta videri debet l. Liberto, & filio, de obseq. à lib. & libert. parent. & patr. præstand. in P. sanctũ autem est, quod inuiolabile est. l. sanctum, de rer. diuis. in P. sanctis viris, dolori atque ægritudini est, sanctum illud & amabile nomen, quod capitibus nostris semper imminere deberet, ab impijs conculcari: vt meritò in eos ad vltionem, & vindictam armari videantur; & iustè apud pijssimum patrem conqueri, cur illos superesse patiatur, nec vindicet, & dicere: *Quare siles impio conculcante iustiorem se?* narrat Marulus lib. 3. cap. 2. ex D. Dionysio ad Demophilum, quod Carpus, Pauli Apostoli discipulus, cùm fidelem quendam ab infideli subuersum

Abac. 1.

Carpus D. Pauli discipulus.

sum cerneret, præ dolore languere cœpit. Vnde, quod ut converterentur orare debuisset, ut ambo de vita decederent, optavit: veritus ne hi alterius suasu, & alterius exemplo alij corrumperentur. Vidit autem in quiete illos in fornacem ardentē à spiritibus immūdis trahi, violēterque impelli: & cùm eo spectaculo delectari cœpisset, aspexit Christum cum Angelis è cœlo delabi in terram, ipsosque ab ignis periculo ereptum accedere. A quo & audiuit, iterum paratum se pro peccatoribus pati. Hac visione admonitus pro vtriusque conuersione Domino supplicauit: & quos antea mori concupierat, demum in fide viuificatos recepit. Pamboni apud Socratem lib. 4. cap. 23. & Tripart. lib 8. cap. 1. nimius corporis cultus & curiosior vestium ornatus nobilis scorti, lacrymas excussit, quod homines, nō sic curarent placere Deo, quemadmodum illa tantaā victimā, placere mundo. Quod si in pectoribus nostris vel minima zeli istorū Patrum scintilla arderet, non cōmitteremus, vt pateremur, tam indignā, aduersus sanctum Dei nomen patrari, quæ quotidie oculis nostris obuersantur.

Pambo.

7. Hoc vnusquisque apud se agat, vt nomen Dei sanctificetur. *Immola Deo sacrificium laudis*, inquit Vates Regius psal 49. *& redde altissimo vota tua.* In Dei nomen, nomen dedimus: cur nō reddimus? cur filij patrem dehonestamus? cur regenerati in spem hæreditatis ęternæ, cōuertimur ad alienos? Assurgamus in laudem nominis sancti vitæ & morum castimoniā. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei*, inquit oraculum per Psalmistam: sanctificatio enim nominis sancti, inchoatio est beatitudinis, & iter quoddam ad æternam laudem, sine fine mansuram in templo cælesti, vbi omnes dicent gloriā, quod nunc faciunt beati illi Spiritus, qui non cessant vna voce trishagium hymnum clamare. D. Bernard. serm. 11. in Cant. *Nihil ita propriè quendam in terris repræsentat cælestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, Scriptura dicente, Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabūt te.* Quare siue in aduersis tenteris, siue in prosperis periclitteris, nullum tempus intermittas, quin sanctifices nomē Dei: habes enim in vtroque vnde sanctificetur nomen Dei, id quod eleganter tradit D. August. in psal. 32. explicans illa verba: *Confitemini Domino in citharā, in psalterio decem chordarum psallite ei: Mementote, inquit, citharam ex inferiore parte habere quò sonat, psalterium ex superiore. Ex inferiore vitā, id est, terrenā, habemus prosperitatem & aduersitatem, vnde Deum laudemus in vtroque, vt semper sit laus eius in ore nostro, & benedicamus Dominū in omni tempore. Est enim quædam terrena prosperitas, est quædam terrena aduersitas: ex vtroque laudandus est Deus vt citharizemus.* Et post pauca, explicatis tum quæ ad prosperitatis statum spectant, tum quæ ad aduersitates referuntur. *Siue tibi abundet terrenum aliquid, gratias age illi qui dedit: siue tibi desit, siue fortè damno tibi auferatur aliquid citharizа securus. Non est enim ille tibi ablatus qui dedit, quamuis tibi ablatū fuerit, quod dedit. Eia, sic inquam citharizа securus, certus in Deo tuo. Tange chordas in corde tuo, & dic tanquam in citharā in inferiore parte bene sonante, Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; Sit nomen Domini benedictum. Iam verò cùm attendis superiora dona Dei, quid tibi contulerit præceptorum, quā doctrinā cælesti te imbuerit, quid tibi desuper ex illius veritatis fonte præceperit, conuertere & ad psalterium, & psalle Domino in psalterio decem chordarū. Præcepta enim Legis decē sūt.*

Psal. 49.

Psal. 49.

Cæleste statum repræsentant laudantes Deū.

Psal. 32.

Iob 1.

Hoc est quod à nobis requirit Deus vt sanctificetur nomen Patris in cælis, id est, in nobis: hoc sacrificium laudis, cuius suffitus acceptior est Deo, quàm mactata victima. Philo. de victimis. *Non gaudet Deus hecatombis, id est, centenū boum victimis, cùm sit rerum cunctarum Dominus, nec vllius indigeat. Mauult pias mētes & sanctitatis meditatores. Imò etiamsi nihil afferant ipsos comp'ellitur absolutos in omni virtutum genere pro victimis optimas adducētes hymnos in seruatorem suum, ac benefactorem, partim vocales, partim absque ore, linguaque conceptos in animo, & sic quoque penetrantes ad Deum; quantumuis non sentiantur humanis auribus.* Quam in mentē Lactantius quoque lib. 6. Institut. c. 25. & 44. *Verbo enim sacrificari oportet Deo*, inquit, *siquidem Deus verbum est, vt ipse confessus est. Summus igitur colendi ritus est ex ore iusti hominis ad Deum directa laudatio.* Quo in genere sacrificij præstitit ille, de quo D. Gregor. lib. 4. dialog. c. 47. Quidam Frater, dictus Merulus, vehementer lacrymis, eleemosynis, & orationi intentus: psalmodiæ autem cantus ex ore illius, pene nullo tēpore cessare consueuerat, excepto cùm alimenta sumeret, vel dormiret. Huic nocturna visione apparuit, quia ex albis floribus corona de cælo in caput illius descendebat. Qui mox molestiā corporis occupatus, cū magnā securitate animi, atque hilaritate defunctus est. Ad cuius sepulchrum, dum Petrus qui nunc monasterio præest, sibi sepulchrum facere post annos quatuordecim voluisset, tanta, vt asserit, de eodem sepulchro fragrantia manauit, ac si omnium generis flores fuissent.

Pius mentes pluris facit Deus quàm victimas.

Psalmodiæ intentus quantum glorificatus.

Beatus Wolfgangus Antistes Ratisponēsis nomen Domini frequenter & sanctè vsurpabat, is cū in exercitu Ottonis II. Imperatoris aduersus Lotharium Francorum regem mouentis, à quo iniuriam acceperat, Lutetiam vsque peruenisset; in reditu ad fluuium quendam deuenit, qui quòd intumuisset, multos abripiebat: quare præsenti periculo commotus, suspiciens in cælū, suis bene precatus, ac benedicens, eos incunctanter flumē transire iussit: quibus adhuc cunctantibus, & Franco interim à tergo acriter instante, ipse primus in nomine Domini (quod in eius ore semper versabatur) fluuiū ingressus, suos animauit. Nec quisquam eorū vllum expertus est periculū. Quod factum, vir sanctus silentio premi voluit, Baron. to. 10 an. 978.

Wolfgangus in ore Dei nomen semper habuit.

Sanctificatum quoque est nomen Christi in ore & corde D. Ignatij Martyris, de quo D. Thomas Aquinas, in opusculo de expositione Orat Dominicæ: quod cū Traianus requireret ab eo, vt nomen Christi negaret, reddidit non posse se illud ab ore suo dimittere: cui Traianus, auelletur ab humeris caput tuum, & sic dimittes: at Christi Athleta, etsi de ore abstuleris, nunquam tamen de corde eripere poteris. Hoc enim nomen cordi meo inscriptū habeo, & ideò ab eius inuocatione cessare non valeo. Quod audiens Traianus, & probare cupiens, serui Dei abscisso capite, cor eius extrahi iussit, & inuētum est habens nomen Christi in se scriptum literis aureis. Posuerat enim super cor suum, hoc nomen quasi signaculum. Quam historiam paulò aliter nos cap 44. tradidimus. Vtinā verò ita in nobis sanctificetur nomen Dei, vt illud nunquam ab ore, nunquam à corde nostro dimittamus. Vide d. cap. 34. §. 7. num. 13.

D. Ignatius Martyr nomen Dei in ore & corde habuit.

CAPVT XXXIIII.

Quid sibi velit, Adueniat regnum tuum.

Qvis satis expendat huiusce petitionis momenta, quæ tanta sunt, vt ad eam omnis totius Euangelij prædicatio terminetur? inde, D. Ioānes Baptista, mortales ad pœnitentiam cohortari cœpit. Matt. 3. inde Seruator noster, prædicationis suæ sumpsit exordium. Matt. 4. idem cum Ioāne thema prosecutus: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnū cælorum.* Quod quidem prædicare, ita cordi fuit Christo,

1. Euangelij finis, regnū Dei.

Matth 3.

Christo, vt progressum & finē suæ prædicationis conformans principijs, cùm quidam abeuntem vellent apud se retinere, necessariæ profectionis suæ caussam hâc dederit. Luc. 4. *Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnū Dei: quia ideò missus sum.* Apostolos suos miserit prædicare regnū Dei Luc. 9. quibus nullum aliud obiectū in quod intenderent, tradidit, nisi: *Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquabit regnum cælorum.* Et post resurrectionem suam, per dies quadraginta apparens eis, loquebatur de regno Dei Act. 1. atque adeò, & principium, & media, & finis prædicationis Christi huc referuntur.

Luc. 4. *Luc. 9.* *Act. 1.*

Rectè autem post petitionem sanctificationis nominis Dei in omnibus planè mortalibus, quæ per susceptū vbique terrarum Christi Euangeliū, perque præceptorū eius obseruantiā, futura est, subditur: *Adueniat regnum tuum*, tanquam merces scilicet operum sanctificationis diuini nominis, vt cōciliato per eam sanctificationē, in patronū & amicum rege gloriæ, veram gloriam cōsequamur. Sed quia multifariā regnū dici potest, videamus quibus de regnis hæc petitio instituatur.

2. Regnorum diuisio.

Primùm ergo; regnum, in cæleste, terrenū, & infernorum secari potest: Cæleste, in æternæ beatitudinis statum, & regnū lucis & gratiæ in hac vita. Infernorum verò, in tenebrarum interiorū regna, & exteriorum. Terrenū in regnū hominum, & regnum Dei, hoc in adoptionis & creationis regna: illud bifariam scindit Plato, apud Laert l. 3. in eius vita, vt aliud sit secundum legē, aliud secundum genus: secundū legem constare Carthaginensium regnum, quod sit ciuile. Lacedæmoniorum autem & Macedonum, secūdum genus, quòd haberent successionem quandā per genus. Nos, in spirituale regnum partimur, & tēporale. Et vt ab hac postremâ sectione ad superiores per gradus ascēdamus, Imperia & principatus, tribus potissimum modis contingunt hominibus, armis, electione, successione. Quod armis paratum sit regnum, tota Iudicum testatur historia, vbi regno eiectis idololatris regibus, Israëlitæ iustis armis illud occuparūt: qui & ipsi propter flagitia sua, temporali Babyloniorum regno, iustissimè subiecti sunt. 4 Regum c. 24. & 25. & 2. Paralip. 36. Omitto Christianos iustū sibi ex iustâ caussa Hierosolymitanum parauisse imperium. Carolum Magnum in Saracenos, & Cæsares Arianos, quos regno deturbauit. Clodoueum in Germaniæ regulos, quos sustulit: Frācorum regem in regulos Galliæ, acquisiuisse imperiū, & eorum regna, vt sunt Suessonum, Neustriæ, Aureliæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, Lugduni, Biturigum, Tolosæ, Aluerniæ, cæteraque in formā prouinciæ redegisse. Electione regna conferuntur, vel infeudatione, vel solēnibus suffragijs. Infeudatione dātur à superioribus, in prouincijs & regnis, vel quæ suæ sunt potestatis, vel quæ hominium illis debent, & fidem iurant, veluti à Summo Pōtifice Hierosolymorum, Siciliæ, Aragonum, regna, &c. & ab Imperatoribus, qui plura habēt sub se regna tributaria. Electione spirituales & temporales principatus legitimè decernuntur, Pontifici Maximo, Cardinalibus, Patriarchis, alijsque Antistitibus. Sæculares principatūs vel in vnum vel in plures transferuntur: si in vnum, est Monarchia & regnum: si in plures Aristocratia optimatum: si in paucos oligarchia; si in populum democratia. Ita ferè Petrus Gregor. syntag iur. lib. 18. cap. 2. Per successionē in filios fit quoque regnorum translatio. In Hialâ Indorū Republ. reges ex duabus familijs per successiones assumebātur. In Galliâ primogenitus regis mortui ex genere succedit, si nō fuerint filij superstites, ad proximiorē ex genere diadema defertur. Atque ista quidem de regno hominum.

Imperia tribus modis accidūt homini.

Quod autem ad regnum adoptionis, id est, amoris & charitatis, siue etiam ad regnū creationis attinet, quomodo D. Chrysost. hom. 39. in 1. Cor. 15. regnum secundum scripturam partitus est. Vtrūque regnum Domini est: Omniū enim Iudæorum, Ethnicorum, Dæmonum, & aduersariorum, opificij & creationis lege, rex est Deus. Iure autem adoptionis, per quam pater est constitutus, cùm patris in filios regale sit imperium, fidelium & Dei amantium, & vltrò ei se committentium, rex est peculiariter, id est, familiaritate, & curâ: vnde ait, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ.* Matt. 28. Quia enim, *Aliud est regem esse, & aliud regnare*, inquit idē Chrysostomus homil. 14 imperfecti in Matth. *Ecce enim Deus naturaliter rex est, sed non in omnibus regnat, nec omnes homines sunt regnum eius, quia nec faciunt omnes voluntatem ipsius. Nam iniquis hominibus, non Deus, sed diabolus regnat, cuius faciunt voluntatem.*

Regnum adoptionis est regnum amoris. *Matth. 28.*

3.

Regnum autem infernorum, est regnum tenebrarum peccati. & diaboli. Vnde dicitur, non regnet in mortali corpore vestro peccatū: & Apostolus ad Ephes. 6. nobis colluctationem esse asseruit, aduersus mundi rectores tenebrarū harum. *Non dixit aduersus rectores enim mundi istum*, inquit D. Chrysost. hom. 14. imperf. in Matt. *sed addidit mundi tenebrarum, quia non totius mundi sunt domini dæmones, sed tantummodo tenebrarum quæ sunt in mundo. Tenebræ autem mundi dicuntur homines iniqui, sicut & Sancti, lux mundi appellantur: sicut Apostolus ait: Fuistis aliquādo tenebræ, nunc autem lux in Domino. Quia sicut per Sanctos Deus ostenditur in hoc mundo, sic per iniquos homines obscuratur. Et potestatem quidē Deus habet in hominibus, & perdere omnes si vult, sicut & illorum principem diabolū. Nam sicut diabolus, cùm sit in potestate Dei, tamen quoniam quantum ad propositum suum nō vult esse Dei, non est de regno Dei: sic & omnes peccatores, quamuis sint in potestate Dei, tamen quia nolunt esse sub Deo, non sunt regnū Dei.* Tyrannicus est principatus diaboli, vtpote qui eos, quos internarum tenebrarum imperio premit, ad exteriorū barathri tenebrarū regna, cruciandos trahat: cùm tamen principis sit studere, vt subditi in pace & quietè viuant. Porrò autem regnum lucis & gratiæ, est præsens sanctorum status, qui gratia & veritate per Christum fontē luminis & gratiæ, initiātur cælo. Chrysost. hom. 14. Imperfecti in Matt. *Regnum Dei dicuntur & sancti, sicut scriptum est, & colligent zizania de regno eius: hoc est de populo Christiano.* Est enim Ecclesia militās regnum filij hominis, quod ipse in cruce assumpsit: ibi enim *Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*, psal. 92. In hoc regnū à regno iniquitatis translati sumus à patre misericordiarū, *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum*: ad Coloss. 1. & de quo regno, quia nunquam dissipabitur, scriptū est psal. 144. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.*

Ephes. 6. *Ephes. 5.* *Psal. 92.* *Coloss. 1.* *Psal. 144.*

Dicitur quoque scriptura sacra, & sensus legis, qui in Ecclesiâ militante custoditur, regnū lucis, quod ablatum à Iudæis habentibus adhuc velamen in corde suo, vt daretur genti facienti fructum Matt. 3. Ita quoque Chrysost. *Regnum Dei dicitur iustitia, sicut scriptum est, Auferetur à vobis regnū Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* Sunt & virtutes regnum. Est fides regnū, quæ est sicut granum synapis Matt. 13. Est charitas quæ nunquā excidit, regnum dissipans omnia regna in statua designata Dan. 2. Sunt & opera iustitiæ regnum, de quo Luc. 12. *Quærite regnum Dei, & iustitiam eius.* Et vt verbo absoluam, regni lucis & gratiæ Christi,

Luc. 12.

sti, ty-

sti, typus fuit regnũ Dauid, quo aduenĩéte, regnũ Saulis quod typus erat regni Iudæorũ, regni tenebrarum, dissipatum est. D. Cyprianus: *Postquam cessauit circa illos nomen paternũ, cessauit & regnũ.*

4. *Regnum adoptionis omnibus omnibus aduenire.*

Tandem verò Regnum cæleste, est Ecclesia triumphans Sanctorũ in cælo regnantiũ, siue gloria cælestis, & beatitudo, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, qui in totius boni possessione, & contemplatione consistit.

Ex his, quo de regno in hac petitione métio fiat, satis liquet, quando, *Adueniat regnum tuum*, inquit Tertull. lib. de orat. *ad id pertinet, quod & fiat voluntas tua, in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat, in cuius manu cor omniũ regum est. Sed quidquid nobis optamus in illũ auguramur, & illi deputamus, quod ab illo expectamus:* vel enim pro omnibus omnino hominibus postulamus, vt illis adueniat regnum Dei, sic D. Hieronymus lib. 1. in cap. 6. Matt. c. 6. *Adueniat regnum tuum, vel generaliter pro totius mundi petis regno, vt diabolus in mũdo regnare desistat: vel vt in vnoquoque regnet Deus, & nõ regnet peccatum in mortali hominum corpore.* Et in hunc modũ pro regno adoptionis postulare videmur, vt illud ad omnes perueniat qui creationis iure Dei sunt, sed in quibus nondum regnat Deus, vt sublatâ iniquitate, & mortis dominio, vigeat & floreat iustitia & vita. *Sic intelligendũ est & de iustitiâ*, inquit D. Chrysost. hom. 14. imperfecti in Matth. *quia modò & iustitia & iniquitas regnant: cùm autem extincta fuerit iniquitas sublato diabolo, tunc iustitia sola regnabit.* Nam quemadmodũ in cunctis gentibus nomen Dei sanctificari postulauimus, ita modò regnum eius per adoptionis energiã in omnibus omnino nationibus, manifestari petimus. Ita D. August. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 6. *Non enim & hoc ita dictum est, Adueniat regnum tuum: quasi nunc Deus nõ regnet etiam in terrâ cùm in eâ regnauerit à constitutione mundi. Adueniat ergo accipiendum est, manifestetur hominibus. Quemadmodum enim & præsens lux, absens est à cæcis, & eis qui oculos claudunt: ita regnum Dei, quamuis nunquam discedat è terris, tamen absens est ignorantibus.* Vt itaque regnum adoptionis & iustitiæ filiorũ Dei, quod gentibus ignotum est, per prædicationem in illis notũ fiat, & manifestetur, petimus, quæ res, inquit D. August. pertinet ad sanctificationem nominis Dei. In quam mentem D. Cyprianus, *Regnũ Dei repræsentari nobis petimus, sicuti & nomẽ eius, vt in nobis sanctificetur, postulamus. Nam Deus, quando non regnat? aut apud eum quando incipit quod & semper fuit, & esse non desinit:* Quod & D. Chrysost. hom. 14. Imperf. eleganter prosequitur, totidem verbis; *Quia interim duo sunt regna in mũdo Dei, & diaboli, id est, iusti & iniqui, & hoc quæritur vt tollatur de medio regnum diaboli, id est, iniqui, vt veniat tantùmmodo regnum Dei, id est, iusti: ideò dicit, tuum vnum regnum adueniat, quia interim non omnes sunt Dei.* Et addit: *Quod tunc fiet, quando omnes iniqui cum principe suo diabolo, mittentur in stagnum flammeum infernorum.*

Regnum lucis in nobis aduenire petimus.

Vel etiam particulariter petimus vt regnũ lucis & gratiæ in nobis adueniat, per quod cælituũ regno præparemur. D. August. lib. 50. homil. hom. 42. *Optamus & venire regnum eius; veniet etsi nolimus. Sed optare & rogare vt veniat regnum eius, nihil aliud est, quàm optare, vt dignos nos faciat regno suo, ne forte, quod absit, veniat, & non nobis veniat. Eis tantùm venturum est, quibus dicitur, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Illis nõ veniet quibus dicitur, Discedite maledicti in ignem æternum. Quid est, vt regnum nobis veniat? vt bonos nos inueniat.* Prius enim iustificatis gratiæ & illuminatis veritatis regno donandi sumus, quò nostræ premantur cupiditates, quàm regnum cæleste cõsequamur. Pulchrè D. Chrysost. homil. 9. ex vari. in Matt. *Adueniat, id est, in me veniat, vt & ego efficiar rex regens limum carnis meæ: terrã meam, quæ fuit maledicta, spinis & tribulis plena. Ideò dictum est, & nũc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Qui iudicat terram carnis suæ, rex est carnis suæ. Sed non potest homo regere carnem suam, nisi rectus à rectore suo. Nam quãdiu concupiscit spiritus aduersus carnem, caro aduersus spiritũ, quia hæc duo sibi inuicem aduersantur, vt non ea quæ volumus faciamus, nondum venit regnum Dei in nobis. Sed quando subdita est caro spiritui, aduenit regnum Dei in nobis.*

Rex carnis suæ iustus.

Regale est nulli seruire libidini, quod Isocrates ad Nicoclem, eleganter dixit, *Idque maximè regium putato, si nullis libidinibus seruias: sed cupiditates magis in potestate habeas, quàm ciues tuos.* Regnũ hoc petimus, quod in Spiritu sancto datur: vnde sic quoque intelligere possumus *Adueniat regnum tuum*, spiritũ tuum scilicet cõmunicando, regni tui participes fac homines in hac vitâ ænigmaticè, in alterâ perfectè; quod D. Gregor. Nysseno placuisse videtur, qui apud Luc. 11. legit *Adueniat Spiritus sanctus tuus, qui sanctificet nos.*

5. *Regnum cæleste petimus.*

Et quia, vt habet D. Aug. epist. 121. ad Probã, *In eo quod dicimus adueniat regnum tuũ, quod seu velimus seu nolimus, vtique veniet, desiderium nostrũ ad illud regnũ excitamus, vt nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur.* Glossa ait, *Congruè sequitur, vt post adoptionem filiorum, regnũ petamus, quod filijs debetur.* Erigimur in superna fluenta fontis vitæ, & hiatu cordis haurire gestimus, quantũ sufficiat, vt adimpleamur ab vberibus æternitatis eius, tunc enim priùs satiabimur cùm apparuerit gloria eius, quam postulamus quoque dicẽtes *Adueniat regnum tuum.* D. Cyprian. lib. de Orat. Dominicâ: *Regnum nostrũ petimus aduenire à Deo nobis promissum, Christi sanguine & passione quæsitum, vt qui in sæculo antè seruiuimus, postmodum Christo dominante regnemus.* Et mox: *Bene autem regnum Dei petimus, id est regnũ cæleste, quia est & terrestre regnum. Sed qui renũtiauit iam sæculo maior est & honoribus eius, & regno: & ideò, qui se Deo & Christo dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat.* Meminit enim cuius patris sit filius, & in quam hæreditatem sit vocatus. D. Chrysost. homil. 20. in cap. 6. Matth. *Hoc quoque gratissimi omnino serui est, neque inhærere præsentibus, neque magnum aliquid ea quæ videntur reputare, sed ad patrem semper vrgeri, semperque in futurũ gestire, quod certè de optimâ oritur conscientiâ & mente terrenis omnibus omnino exutâ.* quomodo D. Paulus regni cælestis sitiens, cupiebat dissolui & esse cum Christo.

Regnũ Dei Christus.

Cùm autem Regnum Dei, secũdum D. Chrysost. hom. 14 Impert. dicatur etiam retributio & tribulatio, quam accipiũt aut iusti pro mercede iustitiæ, aut peccatores pro culpâ peccati; & Christus ipse, est regnum Dei, vt inquit D. Cyprian. *quem venire quotidie cupimus, cuius aduentus vt citò nobis repræsẽtetur optamus. Nam cùm resurrectio ipse nostra sit, quia in ipso resurgimus: sic & regnum Dei potest ipse intelligi, quia in illo regnaturi sumus.* ait D. Hieron. lib. 1. in c. 6 Matt. cap 6. *Attendendũ est, quòd grandis audaciæ sit, & puræ conscientiæ regnum Dei postulare, & iudicium non timere.*

Regnum qui petit, iudicium timeat.

Nam vt inquit D. Chrysost. homil 9. ex varijs, *quæ conscientia est, quæ sit præparata ad regnum illud iudicij? & quare dicebatur, non intres in iudicium cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens?* Sed nouit Sanctus testimonio cõscientiæ suæ, cùm apparuerit regnum Dei, vt habetur in Collat. eius se futurum esse consortem: quare non ad iudiciũ, sed ad redemptionem aduentum Christi iudicis & regni Dei postulat, & quum regnum Dei, quod vt adueniat oramus, ad consummationem sæculi tendat optat maturiùs regnare, & non diutiùs seruire. Hoc votũ Christianorũ, inquit Tertull. cõfusio nationum exultatio Angelorũ, propter quod conflictamur, imò potiùs propter quod oramus. Et quãuis præfinitum in oratione non esset de postulando regni aduentu, vltrò eam vocem postulassemus, festinantes ad spei nostræ complexum.

Capitis 34. §. 1.

Regna mundi caduca: regnum Dei stabile, & desiderabile.

1. Itaque quum dicimus, *Adueniat regnum tuum*, sanctitatem & in sanctitate perseuerantiam, & felicitatem æternam postulamus. *Quid orant qui iam sancti sunt*, inquit D. August. apud D. Tho. in Catenâ Matt. 6. *nisi vt in ea sanctitate quæ iam illis data est, perseuerent. Neque enim aliter veniet Dei regnum, quod his qui perseuerant vsque in finem, certum est esse venturum.* Dicitur autem, gloria Beatorum, regnum, vt eius perpetua felicitas, firmitasque significetur: fors huius regni alia est à sorte regnorum mundi, quæ multis vicissitudinibus, mutationibusque agitantur, hoc autem fixum stabileque est. Potestas æterna quæ non auferetur. Daniel. 7. cap. typum habemus regnorum mundi, *Videbam in visione meâ nocte*, inquit, *& ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ. Aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius: & sublata est de terra, &c.* Vidit quatuor bestias, ex quibus vna interfecta est, & corpus eius traditum est ad comburendum igni: aliarũ autem bestiarum ablata est potestas, & tempora vitæ constituta sunt eis, vsque ad tempus & tempus. Territus Daniel isto aspectu, accessit ad vnũ de assistentibus Deo, & quæsiuit ab eo de omnibus his qui respondit significari quatuor regna mundi. Leæna Assyriorum robur significari volunt: Vrso Persarum imperium: Pardo Alexandrum siue monarchiam Græcorum: Quarto animali Romanorum imperiũ, in gentilitate. Ecce autem quàm fragilia sint potentissima totius orbis regna, quamque varijs obnoxia casibus, vt non immeritò Hecuba apud Senecã in Troade: questa Calamitatem euersa Troiæ, dicat:

> *Quicunque regno fidit, & magnâ potens,*
> *Dominatur aulâ, nec leues metuit Deos,*
> *Animumque rebus credulum lætis dedit:*
> *Me videat, & te Troia: non vnquam tulit*
> *Documenta fors maiora, quàm fragili loco*
> *Starent superbi.*

Quasi dicat regina, & Priami regis vxor, nec sedem, nec statum habēt regna, nec reges. Quamuis enim, Alexander Magnus apud Plutarchũ in eius vitâ, rerum seu gentium omnium ferè potitus, dicere soleret, omnes homines sub imperio Dei esse; principatum autē seu regium dominatum obtinere, atque alijs hominibus imperare, diuinum quiddam esse; & Homerus propterea, varijs locis, Reges ab Ioue natos, & educatos dicat: si tamen extimâ regni facie dimissâ, ad intimam considerandam te contuleris; iurabis in verba Seleuci apud Plutarch. An seni tractanda respubl. dicentis, Si sciret vulgus, scribere solùm ac legere multas epistolas quàm sit laboriosum, diadema, ne humo quidem tollere dignaretur. Rectè Isocrates ad Nicoclem. *Nam cùm honores eorum & diuitias, & imperia intuentur, omnes eos Dijs similes esse censent, qui soli rerũ potiuntur. Cùm verò timores & pericula considerant, memoriaque retinentes vident, alios, à quibus minimè oportebat interfectos: alios erga suos coniunctissimos delinquere coactos, alijs vtrumque accidisse: rursus quouis modo viuere, melius esse putant quã in huiusmodi calamitatibus vel vniuersa Asiæ dominari.* Habent præterea quo excidant, & quo non tanti fiāt regna. Monarchias quatuor sub imagine viri grandis proposuit Deus Danieli, cuius caput aureum erat, pectus argenteũ, venter æneus, crura ferrea & pedes partim fictiles, partim ferrei: sed ecce lapis paruulus de petrâ, istam machinam conterit: quàm facilè imperiorum moles diruatur, inde licet colligere, lapillus vnus, satis est ad illorum excidium, quæ licet ampla videantur, parua sunt tamen, & ipsum Romanum Imperiũ quod in omnes ferè orbis plagas prorogatum videtur: aspectu quidem grande, reipsâ tamen perangustum & instar puncti censendum est. Et nihilominus qui eximiam liberalitatē profiteri voluerunt, dimidiam puncti vnius partem, obtulerunt, velut Assuerus reginæ Hester. cap. 5. Herodes Antipas saltatrici Marci 6. longè aliter, totius orbis visibilis atque inuisibilis Monarcha Deus, ijs quibus bene vult, neque eius beneuolentiam respuunt, regnum suum offert integrũ, non diuisum, non à se diuulsum, felicitatē nempe æternam, non aliquam eius portionem, sed totam, quæ ideò regnum appellatur, quia sicut regnum est potestas excellens, status sublimissimus, & culmen honoris, quantum in hac vita haberi potest, idemque in re quod imperiũ, quia rex ab imperatore nihil differt, nisi quia Romanis exosum fuit nomen regis, placuit Cæsari assumere nomen Imperatoris: ita felicitas æterna, summum est hominis bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit 1. Cor. 2. status excellentissimus, de quo Dominus Moisi Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonũ.*

2. Quod si boni tanti, si status illius vndequaque perfecti vel modicũ radium explicare possemus, mirabiles in nobis sui amores excitaret. Legerat quidam Philosophus, Platonis libros de immortalitate animæ, & tanto affectus est gaudio, vt quò citiùs futuro animorum statu à Platone descripto frueretur, voluntariâ sui cæde, fata sua præuerterit. Sed quàm dispari conceptu Plato futuram animæ sortem explicauit, ei quæ reuera in futura regni illius beatitate cernetur? Gennadius Carthaginensis medicus, homo religiosus, atque erga pauperum curam impigrâ misericordiâ facillimoq; animo benignissimus, dubitabat aliquando cùm esset adhuc adolescens, & in his eleemosynis feruentissimus, vtrum esset vlla vita post mortem. Viso his per quietem cõspicuo iuuene, qui primò eum ad quãdam duxit ciuitatē, vbi audire cœpit sonos suauissimæ cãtilenæ vltra solitam notamque suauitatem: & tunc intento quidnam esset, ait, Hymnos esse beatorum atque sanctorum. Deinde posterâ nocte reuersus, ab eo petijt, an eum agnosceret? respondit, & nosse se illum, & somnij meminisse. Iterum ab eo interrogatus, vbi eius corpus esset, & quid ageret? Cũ respõdisset, in lecto esse, ac dormire, illigatosque esse, & clausos, & otiosos oculos in eodem corpusculo, quibus nihil videret. Quo rursum quærente, qui ergo sunt isti oculi quibus me vides? obticuit: & argumēto cui respõderi nõ poterat, didicit, quemadmodũ tunc dormiens, cernebat per quietem, quamuis clausis oculis corpus in lecto iaceret, ita vitâ functo homine crederet eius spiritũ viuere, ac videre posse. A somno igitur excitatus, credidit vitam manere post mortē, eamque beatam, atque Sanctorum hymnis frequentatam, quorum vel in somnis audito concentu, mirificè oblectabatur. D. August. tomo 2. epist. 100. ad Euodium.

Huius quoque futuri regni radiolo illustratus gentilis quidam, Christianus effectus est, de quo Tho. Cantipratensis lib. 2. apum c. 54. Cùm quidam nobilis adhuc gētilis in exercitu barbarorũ febre acutissimâ laboraret, in maniam prolapsus, dormientibus qui circa illum aderant, in vastam euasit eremũ nudus, vbi tertiâ nocte digestâ siue euaporatâ morbi causâ, sui compos factus, horrere tenebras & solitudinem cœpit, ignorãs quò se errabundus verteret: & ecce post tēporis modicũ discussis tenebris, vidit in montis cacumine lumen

[Margin notes: Gloria beatorum cur dicatur regnum. — Daniel. 7. — Regna mũdi bestijs quatuor significata. — Principatus diuinum quiddã est. — Monarchiæ quatuor. — Felicitas æterna regnum cur dicatur. — 1. Cor. 2. Exod. 33. — Philosophus futurum animorum status amore, se necat. — Gennadius. — Gentilis ex phrenetico fit fidelis.]

lumen ingẽs, ad quod manibus, pedibusque reptans ascendit, vbi regem admirabilem, sole ipso splendidiorem, in aureo throno sedentẽ vidit, & ad eius dextram, reginam incomparabili decore fulgidam: vidit & mixtim iuuenes & seniores, in thronis aureis assidẽtes, mirabilique hymnorũ concentu auras implentes. Vt hæc vidit gentilis homo, obstupuit: quem vnus ministrorũ à rege missus, nudum vestibus induit, & ad regem perduxit. Cui rex, nihil (ait) in rebus humanis aliquando simile vidisti? & ille, nihil, Domine; & rex ad eum, Ego sum Deus Christianorũ, rex & Dominus sempiternus. Tu autem redibis ad populum tuum, & perquirens, inuenies in gente Hungaricà, quæ mixta est genti tuæ, duos presbyteros Christianos, talis habitus, & talis formæ, à quibus erudieris ad normam Christianæ fidei. Quæ vt ille audijt, renuebat sanctorum societate frustrari, atque à tanto bono auelli. Cui rex, impossibile est, inquit, te nobiscum manere, sed si Christianorum fidem susceperis, vt præcepi, societate meâ frueris. Hoc dicto miles sedens in equo albo, suscepit illum, & in exercitum populo mirante reduxit, mãsitque apud eum diebus tribus, & posteà repente disparuit. Quæsiuit ille nobilis presbyteros, & cũ multis alijs, Christianam fidem suscepit, in quã piè & sanctè vixit. O si quis illorum subijsset pectora, quantis in regnũ cæleste motibus agitari vidisset, promptũ fuisset in eorum cordibus inscriptũ legere *Adueniat regnum tuum*; cuius repromissio facta Sap. 5. *Accipiet regnum decoris: & diadema speciei de manu Domini.* Regnum decoris vocat perfectum animæ dominatũ super corpus gloriosum clarũ & subtile, agile & impassibile, quando anima subiecta erit perfectè voluntati Dei, & corpus volũtati animæ: diadema verò speciei, quasi duo demat mala vitæ præsentis, culpam scilicet & pœnam, vel ignorantiã animæ, & corruptionis potentiam in corpore, vt scribit in hunc locum Robertus Holcot. coronã hanc regiam accipient, non de manu Angeli, sed de manu Domini, id est, de Christo, qui est manus Dei, quia per filium omnia operatur pater, vel de potestate iudiciariâ Christi, absterget enim Deus omnem lacrymam desiderij huius, ab oculis iustorum: nunquam interiturum illis conferens diadema regni. Abeunt & intereunt regna mundi, regna timoris, & de regibus eorum dicitur, regnauit & mortuus est; non sic de regno gloriæ & regibus, qui fixam, firmam, stabilemque perpetuitatem habent.

Sap. 5.

Capitis 34. §. 2.

Regnum Dei inenarrabile, cuius aliquid prægustatum in hac vitâ.

1\. QVis enarret magnificentiam gloriæ sanctitatis Dei, quam repromisit Deus diligentibus se? Si vniuersum mare, in guttulas aquæ diuisum, in tot linguas verteretur quot essent guttulæ, in tot Cicerones, in tot Demosthenes, frustra essent, si enarrare attentarent, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, de cælestis regni magnitudine. Ibi anima satiabitur, ibi corpus dotabitur, *Mensuram bonam, plenã, confertam, coagitatam, supereffluentem reddent in sinum vestrum.* Anima implebitur donis gloriæ, visione scilicet, comprehẽsione & fruitione, quæ tribus virtutibus Theologicis respondent: visio fidei, sicut audiuimus sic vidimus, comprehẽsio spei; fruitio charitati. Corpus quatuor dotibus præditum erit: impassibilitate, claritate, subtilitate, agilitate, quæ quatuor virtutibus cardinalibus respondebunt; & omne istud bonum ex diuinæ essentiæ visione redundabit. Ibi trãsformabit Deus corpus humilitatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ. Ibi beatificabitur oculus cordis ex visione Dei, & oculus corporis ex visione sacræ humanitatis Christi, à cuius dextris adstat regina virgo & mater Dei Maria in vestitu deaurato. Eapropter, vt loquitur D. Ephræm Syrus tomo 3. de vniuersali resurrect. &c. totidem verbis, Abluamus lacrymis frequenter animas nostras, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illã inquinentur multi: vt in illo purissimo, ac splendidissimo lumine cõstituti, in quo non est ruga vel macula, contemplemur ineffabilem atque inæstimabilẽ, ac beatam illam Christi Saluatoris nostri naturam: vbi Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Ibi omnem contemplabimur naturam Angelorũ & Archangelorum, Virtutum & Potestatum. Ibi, Fratres, videbitis, quæ à seculo nobis conspicienda reseruata sunt, ineffabilia bona. Ibi cõtuebimini sanctam ciuitatem, quæ est omnium in præsenti lugentium mater. Illic ex vberibus eius, cõsolationis lac potabitis. Illic de torrente epulationis bibetis. Illic filij Dei vocabimini. Illic, regni vobis portæ aperientur, & in penetralia Patris introibitis. Illic vobis omnes ostẽdet sanctos. Illic vobis apparebit Sol iustitiæ. Illic ingrediemini & lætabimini, tãquam vituli soluti à vinculis. Illic, renouabitur sicut aquilæ iuuẽtus vestra. Illic, terrã repromissionis conspicietis. Illic, sub alis eius protegemini, quemadmodum si mater suũ protegat filium. Illic videbitis & lætabimini, de quibus in hoc sæculo citra cessationẽ planxistis. Illic percipietis coronam pulchritudinis, & vestẽ iucunditatis de manu Domini, & dicetis: Lætetur anima mea in Domino, induit enim me indumẽto salutis & iustitiæ, & circũdedit me veste lætitiæ. Tanquam sponso circũposuit mihi mitram, & tanquã sponsam ornauit me ornamento. Illic saturabimini, quicunque esuritis ac sititis iustitiam. Illic fulgebitis sicut Sol in regno ac throno Patris vestri. Illic immortalia sæcula, & in æternũ permanẽtia reperietis. Illic in immortalia sæcula viuetis. Illic donabitur vobis vita sine perturbationibus ac fluctibus, & longitudo dierũ. Illic, vox lætantium & exultantiũ. Illic præparatus est vobis locus in domo Domini, & in muris eius, & nomen sempiternũ quod non delebitur: ipse enim Dominus, nomen est vestrum. Neque erit vestri similis quisquam, si conuersi fueritis in cæleste gaudium, in die illâ, quã iudicabit Deus occulta hominum. Hactenus D. Ephræm.

Luc. 6.

Visio, comprehensio & fruitio tribus respondent virtutibus.

Apoc. 21.

Galat. 4.

Psal. 102.

Isa. 61.

Matt. 5.

Matt. 24.

Is. 56.

D. Augustinus Meditationũ lib. cap. 25. tom. 9. de cælesti hac gloriâ, deque cæli incolis agens, concipit animo eminentissimam quandam ciuitatem, præsigni excellentiâ atque præstãtiâ splendidam, qualem coniunctis viribus & opum potentiâ reges omnes ædificare nõ valeant, eamque menti suæ obijciens, sic alloquitur. *O mater Hierusalem, ciuitas sancta Dei, charissima Sponsa Christi, te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat mens mea. O quàm decora, quàm gloriosa, quàm generosa tu es. Tota pulchra es, & macula non est in te. Exulta & Lætare formosa filia Principis, quia concupiuit rex speciem tuã, & amauit decorem tuum speciosus formã præ filijs hominum.* Tanta autem est ciuitatis illius pulchritudo & iucunditas, tanta lucis æternæ, quæ est sapientia & veritas incommutabilis, hilaritas vt quamuis ad vnam tantùm diem, in summæ sapientiæ & incommutabilis veritatis contemplationem, admittendi essemus, iure meritoque plures anni sæcularis voluptatis, præ illius desiderio cõtemnendi forent, vnde Vates regius inquit psal. 83. *Melior est dies vna in atrijs tuis, super millia.* Quid enim ad hanc diem sæcularis vitæ regia maiestas

Regni cælestis gloria.

Psal. 83.

& cōmoda? Quid anni deliciarũ quamplurimi? Quid sunt voluptatum mundanarum perniciosissimæ illecebræ, quæ dum placent, dum admittuntur, diem diei adimunt suum?

2. Cælestia prægustantes, quomodo affecti.

Quod si ad stillam immortalis gloriæ, ita inebriatus fuerit D. Petrus, vt anteriorum omnium oblitus, in posteriora tantummodo lucis æternæ, totus raperetur. Si luctātes adhuc, & ad modicũ eluctantes mortalium animæ, Christi sponsi amore flagrantes, interdum anticipato quodam diuinæ largitatis effectu, in cellaria regni cælorũ introductæ, vt vitæ immortalis gaudia, quæ beatorum animæ cum Christo regnantium in ipsis cælorum cellarijs & regno pleno haustu bibunt; subodorentur & prægustent; ita perfunduntur voluptate, vt mũdana omnia supergressæ, seipsis præ gaudio iam maiores, extra seculum, extra se esse videantur? Quid erit, cùm rex ipse videbitur in decore suo? Subodoratus videbatur cælituum gaudia D. Augustinus, quum vix compos sui dicebat lib. 10. Confess. cap. 40. *Et aliquādo intromittis me in affectum multum inusitatum, introrsus ad nescio quā dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista nō erit.* Intromissus quoque videbatur ille quum dicebat, psal. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.*

Psal. 30.

Cælestia spectanda.

Eapropter ad istud decus, ad istam gloriā totis animis adspirare & contendere debemus, vt nos cælestis patris filios esse comprobemus; Naturale quippe est filijs familias, si peregrinentur, reditũ ad ædes paternas optare. Tobias iunior, c. 10. opulentum sortitus connubium, tanto paternæ domus tenebatur desiderio, vt in nuptiali conuiuio Ragueli socero suo postulanti vt apud se maneret, non obtemperarit, quamuis salutis nuntium ille ad patrem eius se missurũ reciperet. At nos multò feruentiùs, ad Patris cælestis domũ adspirare debemus, atque singulis horis ingeminare *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* ps. 83. Illuc spectabant Sāctorum Patrum vota, vnde illa Dauidis psal. 25. *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*: & psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitātibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Veruntamen, quo illi tendebant, quibus adhuc clausum erat cælũ? flammeo Angelus gladio, eius aditum impediebat: Angeli in ministerium à Deo missi, mortalibus leuamini quandoque & solatio erāt, neque tamen patebat ad superos via, quā monstrarent; ideoque nemo Sanctorũ illam calcauit Gen. 37. *Descendam*, inquit Iacob, *ad filium meum Ioseph*: non dicit, ascendam. Sublatus erat ab oculis eorũ ascensus, & obserata peccato cæli claustra, necdũ Christi sanguine erant reserata: & nihilominus tantis vitæ futurę æstuabant desiderijs. Quid nos quibus reseratæ cæli fores; ad quod, litrum sanguinis filij Dei, nobis aditũ parauit? animemur & excitemur tantò ardētiùs in supernæ ciuitatis nostræ desiderium, quantò status gratiæ differt à statu legis, & naturæ; & dicamus *Adueniat regnum tuum*, sine dilatione, sine morâ.

Ps. 83.

Ps. 25.

Ps. 119.

Gen. 37.

3.

Status namque Ecclesię, sicut scribit D. Dionysius Ecclesiasticę Hierarchię cap. 5. est medius inter statum Synagogæ & gloriæ: status autē medius est alteri extremo vicinior, quàm extremũ oppositum: ideò D. Paulus 2. Cor. 5. *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cælis.* Non dixit, habebimus, quemadmodũ obseruauit D. Anselmus ibi: sed, *habemus*, quia nihil obstat nisi ex parte, quominus illius simus: quod Apostolus ad Philip. 1. significauit *Cupio dissolui & esse cum Christo*, nō enim optaret sic dissolui, si quod fuisset naturæ obstaculum. De patribus veteris testamenti Abrahamo & alijs, postquam illos recensuit Apostolus ad Hebr. 11. addit, *Iuxta fidem mortui sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.* Et loquitur secũdum Chrysostomũ, ad similitudinem nautarum, inquit D. Tho. ibi. lect. 4. qui quando primò vident portũ, prorumpunt in laudem, & salutant ciuitatem ad quam vadunt. Ita sancti Patres videntes per fidē Christum venturum & gloriam, quam per ipsum cōsecuturi erant, salutabant, id est, venerabātur ipsum: & veluti qui à portu longiùs, coorta tempestate, abducti, arcentur ab ingressu; ita vrgēte adhuc Numinis irâ, diuina illos iustitia ab introitu in patriam cælestem, ad quam peregrini suspirabant, remouebat, donec superueniente misericordiâ, salutis serenum inductum est, & liber accessus in portum datus. Quantò itaque cælo propinquiores sumus, tātò auidius ad illius regnum anhelare nos oportet: exemplo Diuæ Monicæ, Sancti Augustini matris, quæ ingenti cælestis regni desiderio flagrans, de illo, apud Ostia Tiberina, è viuis migratura, loquebatur cum filio, sicut testatur ipse Augustinus l. 9. Confess. cap. 10. & 11. qualis nimirũ futura esset vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Et inhiantes ore cordis in superna fluenta fontis vitæ, perambulabant gradatim cuncta corporalia, & ipsum cælum, vnde sol, & luna, & stellæ lucent super terram, attingentes regionem vbertatis indeficientis, vbi Deus pascit Israel in æternum veritatis pabulo, vbi vita sapientia est, per quam fiant omnia ista, & quæ fuerunt, & quæ futura sunt, vilescebatque mundus iste inter verba cum omnibus delectationibus suis: vnde illa aiebat: fili, quantum ad me attinet, nullâ iam re delector in hac vitâ. Quid hic faciam, & cur hic sim, nescio, iam consumpta spe huius seculi. Vnum erat, propter quod in hac vitâ aliquantum immorari cupiebam, vt te Christianum Catholicum viderem priùs quàm morerer. Cumulatiùs hoc mihi Deus meus præstitit, vt te, etiam contemptâ felicitate terrenâ, seruum eius videã. Quid hic facio?

2. Cor. 5.

Philip. 1.

Hebr. 11.

Cælo vicinIores sumus, quàm Patres vett. tis instrumenti.

D. Monica inhiabat in superna fluenta fontis vitæ.

Sanctum Nicolaum Tollentinatem ex Eremitarum D. Augustini familiâ, qui ex totis ante obitum mensibus, paulò ante nocturnas preces, singulis noctibus suauissimum Angelorum concentum audiuit, qui illi quasi prægustationem futuræ vitæ præbebat, quo illius desiderio arsisse credimus, ad cuius iucunditatem tam iucundè inuitābatur? Declarauit ipse, qui frequēter illud Apostoli dictum in ore habebat, Cupio dissolui, & esse cum Christo: quique in extremo spiritu inusitatis gaudij vocibus gestiens, caussam rogatus; vix compos sui præ rei magnitudine, respōdit; Dominus meus Iesus Christus, sanctissimæ matri suæ, & Augustino Patri nostro innixus, mihi dicit, Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudiũ Domini tui. In quibus verbis expirauit.

Capitis 34. §. 3.

Non sunt condignæ passiones nostræ ad futuram gloriam.

1.

Regnandi cupido tanta mortales quandoque incessit, vt nihil intentatum relinquerēt, quò vel ad imperij fasces peruenirēt, vel iam adeptos stabilirent. 4. Reg. 11. *Athalia mater Ochoziæ, videns mortuum filium suũ, surrexit & interfecit omne semen regium.* Quid non egit, quid non molitus Absalon, aduersus Dauid patrem suum Regem. 2. Reg. 15.

4. Reg. 11. Athalia.

Absalon.

vt

Semiramis. Ut ad Imperij culmen pertingeret? Semiramis Regina Assyriorum, dum capillos discriminat, nuncio accepto de defectione subditorum, præpropere collecto exercitu, non prius comam colligere voluit, quàm defectores subegisset. L. Iunius Brutus, filios suos, & vxoris suæ fratres occidit, quòd eos pro restituendo Tarquinio coniurasse cognouerat. Quod factum Virgilius, posteaquam laudabiliter commemorauit, continuò clementer exhorruit: cùm enim dixisset:

Brutus.

—— Natosque Pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.

Mox deinde exclamauit, & ait,

Infelix, vtcunque ferent ea facta minores.

Quomodolibet, inquit, ea facta posteri ferant, id est, præferant, & extollant, qui filios occidit, infelix est. Et tanquam ad consolandum infelicem subiunxit:

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Hæc sunt duo illa, inquit D. August. l. 5. de Ciuit. Dei, cap. 18. totidem verbis, libertas & cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta compulere miranda Romanos. Quid ergo magnum est, pro illâ æternâ cælestique patriâ, cuncta seculi huius quælibet iucunda blandimenta contemnere, si pro hac temporali atque terrenâ, filios Brutus potuit & occidere, quod illa facere neminem cogit? Sed certè difficiliùs est filios interimere, quàm quod pro istâ faciendum est, ea quæ filijs congreganda videbantur, atque seruanda, vel donare pauperibus, vel si existat tentatio, quæ id pro fide atque iustitiâ fieri compellat, amittere. Felices enim vel nos vel filios nostros, non diuitiæ terrenę faciūt, aut nobis viuentibus amittendæ, aut nobis mortuis, à quibus nescimus, vel fortè à quibus nolumus, possidendæ: sed Deus felices facit, qui est mentium vera opulentia. Si pro libertate moriturorum, & cupiditate laudum, quę à mortalibus expetuntur, occidi filij à patre potuerunt, quid magnum est, si pro verâ libertate, quæ nos ab iniquitatis & mortis, & Diaboli dominatu liberos facit, nec cupiditate humanarū laudum, sed charitate liberandorum hominum, non à Tarquinio Rege, sed à Dæmonibus, & Dæmonum Principe, non filij occiduntur, sed Christi pauperes inter filios cōputantur? Si alius etiam Romanus Princeps cognomine Torquatus, filium, non quia cōtra patriam, sed etiam pro patriâ, tamen quia contra imperium suum, id est, contra quod imperauerat Pater Imperator, ab hoste prouocatus iuuenili ardore pugnauerat, licet vicisset, occidit: ne plus mali esset in exemplo imperij contēpti, quàm boni in gloriâ hostis occisi: vt quid se iactent, qui pro immortalis patriæ legibus, omnia quæ multò minùs quàm filij diliguntur, bona terrena contemnunt? Si Furius Camillus etiam ingratam patriam, à cuius ceruicibus acerrimorum hostium Veientium iugum depulerat, damnatusque ab æmulis fuerat, à Gallis iterum liberauit, quia non habebat potiorem vbi posset viuere gloriosius: cur extollatur, velut grande aliquid fecerit, qui fortè in Ecclesiâ ab inimicis carnalibus grauissimam exhonorationis passus iniuriam, non se ad eius hostes hæreticos transtulit, aut aliquam contra illam ipse hæresim condidit, sed eam potiùs quantum valuit, ab Hæreticorum perniciosissimâ prauitate defendit: cùm alia non sit, non vbi viuatur in hominum gloriâ, sed vbi vita acquiratur æterna? Si Mucius, vt cū Porsennâ Rege pax fieret, qui grauissimo bello Romanos premebat, quia Porsennam ipsum occidere non potuit, & pro eo alterum deceptus occidit, in ardentem aram ante oculos eius dexterâ extendit, dicens: multos tales, qualem illum videret, in eius exitium coniurasse; cuius ille fortitudinem & coniurationē talium perhorrescens, sine vlla dilatione se ab illo bello, factâ pace compescuit: quis regno cęlorum imputaturus est merita sua, si pro illo non vnam manum, neque hoc sibi vltro faciens, sed persequente aliquo patiēs, totum flammis corpus impenderit? Si Curtius armatus, equo concito, in abruptum hiatum terræ se præcipitem dedit, Deorum suorum oraculis seruiens, qui iusserant, vt illud id quod Romani haberent optimum mitteretur: nec aliud intelligere potuerunt, quàm viris armisque se excellere, vnde videlicet oportebat, vt Deorum iussis in illum interitū vir præcipitaretur armatus; quid se magnum pro æternâ patriâ fecisse dicturus est, qui aliquem fidei suæ passus inimicum, non se vltrò in talem mortem mittens, sed ab illo missus, obierit quandoquidem à Domino suo eodemque Rege, patriæ suæ certius oraculum accepit: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere?* Si se occidendos certis verbis quodámodo consecrantes Decij deuouerunt, vt illis cadentibus, & iram Deorū sanguine suo placantibus, Romanus liberaretur exercitus: nullo modo superbiant sancti Martyres, tanquā dignum aliquid pro illius patriæ participatione fecerint, vbi æterna est & vera felicitas, si vsque ad sanguinis sui effusionem non solùm suos fratres, pro quibus fundebatur, verùm & ipsos inimicos à quibus fundebatur, sicut eis præceptum est, diligentes, charitatis fide, & fidei charitate certarunt? Si Marcus Puluillus dedicans ædem Iouis, Iunonis, Mineruæ, falso sibi ab inuidis morte filij nunciatâ, vt illo nuncio perturbatus abscederet, atque ita dedicationis gloriam collega eius consequeretur, ita contempsit, vt eum etiam proijci insepultum iuberet: & sic in eius corde orbitatis dolorē gloriæ cupiditas vicerat: quid magnum se pro Euangelij sancti prædicatione, qua ciues supernæ patriæ de diuersis liberantur & colliguntur erroribus, fecisse dicturus est, cui Dominus de sepulturâ patris sui sollicito ait: *Sequere me, & sine mortuos sepelire mortuos suos?* Si M. Regulus ne crudelissimos hostes iurando falleret, ad eos ab ipsâ Româ reuersus est, quoniam sicut Romanis eum tenere volentibus respondisse fertur, posteaquam Afris seruierat dignitatem illic honesti ciuis habere non posset: cumque Carthaginenses, quoniam contra eos in Romano Senatu egerat, grauissimis supplicijs necauerunt: qui cruciatus non sunt pro fide illius patriæ contemnendi, ad cuius beatitudinem fides ipsa perducit? Aut quid retribuetur Domino pro omnibus quæ retribuit, si pro fide quæ illi debetur, talia fuerit homo passus, qualia pro fide, quam perniciosissimis inimicis debebat, passus est Regulus. Hactenus D. August.

Libertas & cupiditas laudis ad magna compellunt.

Torquatus.

Camillus patriæ defensor.

Mucius Scæuola.

Curtius.

Matt. 10.

Decij.

M. Puluillus.

Matt. 8.

M. Regulus.

Si pro imperio terreno, pro peritura gloriâ Romani tam mirāda præstiterūt, quid non audeat, quid non acerbum, atrox, ferum toleret, quid nō faciat homo Christianus, pro cælestis regni obtentu, præsertim sublato iam naturæ impedimēto? Instandum est, operatione, corde, voce, quibus oratur, & colitur Deus & suspirijs adeunda patria nostra, à qua exulamus: illa, illa petenda est, illa expetenda, cùm dicimus: *Adueniat regnū tuū.*

Sed cur dicit, *Adueniat*, quandoquidē non cæli ad animam veniunt, sed animæ ad cælum vadāt. Nunquid congruentiùs diceretur, Domine, fac vt veniamus in regnum tuum? Nequaquam: nō enim naturæ est, sed gratiæ regnum cælorū consequi: quare sic diuina sapientia ordinauit, vt priùs nomē eius sanctificari in nobis, quàm gloriâ, postulemus. Veluti si quispiā nobilis, aliquot

2. Regnum cęlorum consequi non est naturæ.

miliarium iter susceperit, vt adeat hæreditatem, quæ illi ex propinqui morte obtigerit; rogatus quo tendat? respondebit, se in talem vocatum hæreditatem; atque illam adire, vt in illius possessionem se intromittat; hoc sermone palam professus ius suum, quod ad illam hæreditatem habet; procul tamen abest à domo, & bonis; in quæ parat se immittere, estque opus vt ipsemet personaliter vadat: sic etiam regni cælestis possessio, ad nos non veniet, sed nos ad eam ire debemus: neque tamen regnum illud adire possumus, nisi priùs ad nos venerit: & ratio est, quia felicitas æterna, quæ regni nomine hic exprimitur, licet sit vltimus finis hominis, non est tamen finis naturalis, sed supernaturalis, ideoque non naturæ viribus, sed ex Dei gratiâ solùm haberi potest; scriptū est enim: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.* Ad Tit. 3. Et: *Gratiâ enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur*: ad Ephes. 2. Quod tamen non ideò dictū est, quasi non etiam ex meritis nostris regnū cæleste nobis adueniat: sunt enim opera nostra ad hoc obtinendum requisita, tanquam illius meritoria: quanquam meritum non ex nobis, sed ex Deo sit, gratiâ eius illud operáte in nobis, *vt cùm Deus coronat merita nostra*, inquit D. August. Epist. 105. ad Sixtum, *nihil aliud coronet quàm munera sua.*

Tit. 3.

Ephes. 2.

Nam cùm duplex humanæ actionis consideratio esse possit; vel vt est à libero arbitrio, vel vt est à Spiritu Sancto, sicut scribit D. Tho. 1. 2. quæst. 114. art. 3. spectata secundum substantiā operis, & vt à libero arbitrio proficiscitur, nihil condignitatis habet ad futuram gloriā quæ reuelabitur in nobis: considerata vero vt à Spiritus S. gratiâ procedit, condignitatem sortitur à Spiritus S. virtute & gratiâ Christi, quæ mouet nos ad operandum, quo sensu dixit Dominus Ioan. c. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*: quæ etsi meritis nostris, iure adoptionis sit debita, per cuius gratiam consortes facti sumus Diuinæ naturæ & filij gratiæ ipsius, si filij autem, & hæredes; gratis nihilominus cōferri dicitur, & gratia appellatur, ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.* Debetur itaque operanti bonum, non ex meritis, quanquam meritis detur, sed ex promissione gratuitâ summi Imperatoris Dei: nō secus ac victori in hastiludio, quod Rex spōte suâ proposuerit præmium, debetur; non ex dignitate operis, sed ex liberali promissione Regis. Ideoque D. August. ad Sixtum suprà. *Vnde & ipsa vita æterna, quæ vtique in fine sine fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita quibus redditur non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiā ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur: nec ideò quia meritis nō datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur.* Verè igitur opera nostra bona sunt meritoria vitæ æternæ; sed quia horū fundamentū est gratia Dei, dicuntur etiam gratia; vt prima caussa ad regnū cæleste sit gratia Dei, subsequens verò, merita nostra: quare quum dicimus, *Adueniat regnum tuum*, non ex meritis nostris, sed ex misericordiâ Dei, fieri in nobis regnum eius postulamus, nostrarum quippe virium non est, ex tam humili loco, ad tantum honoris culmen assurgere.

Actio alia à libero arbitrio, alia à gratiâ.

Ioan. 4.

Rom. 6.

Opera bona sunt meritoria vitæ.

Veruntamen dicet fortasse quispiam, si gratis datur regnum Dei; si ex gratiâ, cur Deus à nobis exigit merita? varias sanè ob caussas: tum quia Diuinæ bonitatis est iustitiam & misericordiam suam in omnibus operibus suis ostendere: tum quia alioqui ansa conquerendi daretur Diabolo, quare Dominus ne ipsis quidem Angelis vitā beatam, nisi ex meritis dedit: tum vt maioris fiat, difficilia enim quæ pulchra, pluris autē fit res, maiore quæ parta labore est, & maiore cum gustu & delectatione possidetur: ideoque carum dicitur, & quod pretiosum est, & quod amatum: & beati illi cælicolæ congaudent & cōgratulantur sibi vehementer, quòd hîc tendiculas diaboli, carnis & mundi eluctantes euaserint: & Virgines, Martyres, & Doctores, aureolis redimiti gestiunt. Ad maiorem præterea honoris cumulū; velut enim commendatior est nobilitas propriâ virtute partâ, quàm accepta à maioribus; ita honori est, ex meritis ad gloriam gradus. Denique, vt membra capiti conformentur, Matt. 10. *Non est discipulus super Magistrum, nec seruus super Dominū suum.* Quapropter, 1. Ioan. 2. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Ambulauit autē Christus vias difficiles: Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christū, & ita intrare in gloriam suam?* Propterea bellè admodū D. Franciscus, qui cùm ad imitamentū Christi, cui se totum, laboresque suos consecrarat, humilem & pauperem admodum vitam degeret, rogatus ab irrisore fratre carnis suæ, vnam sudoris sui guttam vendere, reposuit, Ego iam pridem illam vendidi Domino meo, & maximo quidem pretio. Quæ vox cùm sit omniū Sanctorum, & Deus illorum sudores in adamantes gloriæ velit conuertere, inuitat illos è regno lucis & gratiæ, vbi labores & sudores ad regnum cælestis vitæ, quemodo eleganter descripsit D. Ephræm Syrus, De varijs tormētis inferni, tom. 1. his verbis: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, in supernâ Ciuitate, vbi & omnes Angeli mei, magno gaudio reficiūtur. Venite ad me omnes in gaudium illud ineffabile atque inexplicabile, ad illa bona, in quæ prospicere desiderant Angeli; vbi chori sunt & agmina iustorū. Ibi sinu Abrahæ excipiētur, qui tribulationes sustinuerunt: sicut aliquando & Lazarus mendicus exceptus est. Ibi, aperientur perpetuorum meorū bonorum thesauri. Ibi quæ sursum est Hierusalem, primogenitorum mater. Ibi, in beatâ terrâ mansuetorum. Venite ad me omnes, & ego reficiam vos. Ibi, vbi cūcta sunt sedata, & seditionis expertia. Vbi cuncta patēt, & manifesta sunt: vbi nullus iniuriæ illator, aut tyrannus: vbi non adest peccatū, aut macula: vbi lux inaccessibilis, & gaudium ineffabile. Beati qui lugent: lugete, pœnitentiam agite, conuertimini, ac venite ad me; & ego reficiam vos. Vbi non est labor, nec lacrymæ, non cura neque sollicitudo, neque dolor aut fletus. Conuertimini filij hominum & ego reficiam vos. Vbi neque masculus, aut fœmina. Vbi nō est diabolus, neque mors, neque ieiuniū, neque tristitia, neque contentio, neque æmulatio sed omnia in omnibus, gaudium & pax, & lætitia, & requies, & gloriatio. Conuertimini ad me, & ego vos reficiam. Vbi refrigerij est aqua, & herbæ virentis locus, vineaque abvniuersorū exculta Deo, vsque ad beatam illam mansuetorum terram, in quâ ego vitis vera germino, cuius agricolam patrem meum nostis. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Vbi vita immortalis, & fons omnis benignitatis. Venite ad me omnes, & ego reficiam vos. Vbi solus amor, perenne gaudium, & sempiterna lætitia. Lux non aduesperascens, Sol non occidens. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Vbi vita perfecta, & fons totius bonitatis. Tollite iugum meum super vos, & discite quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Vbi sonus festum diem celebrantium, vbi sapientiæ thesauri, & scientiæ occulta reuelantur, &c. quæ hic Sanctus prosequitur: & nos dicentes *Adueniat regnum tuum*, postulamus à Deo, regnum absque fine, secula sempiterna, gaudium incomparabile.

2. Gratis regnum datur, & merita exiguntur.

Matt. 10.

1. Ioan. 2.

Luc. 24.

D. Franciscus sudorem suum Domino vendidit.

Matt. 11.

CAPVT

CAPVT XXXV.

Quid petamus, cùm dicitur, Fiat voluntas tua?

1\. CONgruè admodum post sanctitatis Diuini nominis inuocationem super nos, in quo vniuersum mortale genus, cognosceret, & prædicaret Deum Patrem vniuersorum, & filium eius, quem misit vnigenitum, vt saluaretur mundus per redemptionem ipsius, & sanctificantem Spiritum Sanctum. Post designatum hominis reformati finem, quem instructus appetat: fit modò progressus ad ea, per quæ finem illum, ex Seruatoris nostri Iesu meritis, simus consecuturi. regnum scilicet illud beatitudinis, in quo vita beata perficietur in Sanctis, sicut nũc in cælestibus Angelis. Ideoque dicitur, *Fiat voluntas tua: sicut in cælo & in terra. Vidisne optimam consequentiam?* inquit D. Chrysost. hom. 20. in cap. 6. Matth. *Nam cùm desiderium imperauerit futurorum, atque ad perfectionem illam nos iusserit semper vrgeri, quamdiu tamen illuc non pergimus, etiam hic degentes iubet cõseruationem cum cæli habitatoribus habere communem. Nam desiderari quidem conuenit cælos, & ea quæ habentur in cælis: tamen & antequam superna illa præstetur habitatio, cælum quodammodo fieri iussit è terrâ, vt scilicet tales sint etiam dum in eâ degunt: ita & omnia faciant & loquantur, quasi qui prorsus conuersentur in cælo.* Omninò enim decet nos voluntatem Dei perficere, quoniam & ipse vnigenitus Patris, non venit in mundum factus homo, vt suam, sed vt Patris voluntatem faceret. Ioan. 6.

Matt. 6.

Cælum è terrâ fieri, vt iussit Deus.

Conditor namque hominis Deus, ne frustra creaturam ratione præditam condidisse videretur, *Nunquid enim vanè constituisti filios hominum?* psal. 88. in finem illam ordinauit, qui non minus bonum esset quàm beata vita, quam velit omnem hominem consequi, sicut testatur Christus Ioan. 6. *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, vt omnis qui credit in me, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quæ quidem voluntas, cùm iam, tum in Angelis, tum in cælum receptis beatorum hominum spiritibus, adimpleta sit, itidem eam in nobis adhuc peregrinis fieri postulamus: vt quemadmodum illi, nullo errore obnubilante eorum sapientiam, nullâ miseriâ impediente eorum beatitudinem (vt inquit D. August.) Deo perfruuntur, ita fiat in Sanctis, qui in terra sunt, & de terrâ quantum ad corpus, facti sunt.

Psal. 88.

Finis hominis, beata vita.

Ioan. 6.

Dicimus ergo: *Fiat voluntas tua: Non quod aliquis obsistat quo minùs voluntas Dei fiat*, inquit Tertull. lib. de orat. *& ei successum voluntatis suæ oremus, sed in omnibus petimus fieri voluntatem eius; vt in nobis fiat voluntas Dei in terris, vt possit scilicet fieri & in cælis. Petimus ergo substantiam & facultatem voluntatis suæ subministret nobis, vt salui simus & in cælis & in terris, quia summa est voluntatis eius, salus eorum quos adoptauit.*

2\. Hac voce, *Fiat*, principes tam Ecclesiastici, quàm Seculares, in decretis, sanctionibus, concessionibus, & placitis suis, vt quod egerint, firmum, stabile, fixum, & ex voluntate suâ esse significent, vti consueuerunt: vt quum dicunt, *Fiat quod petitur, tale est beneplacitum nostrum, aut, voluntas nostra, sic volumus, sic nobis placet, motu proprio* & similia, quibus, quod voluntate sanxerint, immutabile esse innotescat. Mutabilis interea est eorum voluntas, vt quæ à voluendo dicta sit, quod ipsa volubilis, & in quamuis partem sit flexilis. Volubilitatis autem eius rationes sunt primùm, quod naturâ suâ sit libera, proindeque moueri modò in hoc, modò in illud possit: deinde, quòd res in se perfectè non videat, sed pluribus actibus ad eã cognoscendam indigeat, nunc hoc videndo, postea aliud; vnde sequitur voluntatis mutatio. Præterea, quia singulas rei circumstantias non satis examinamus, imò nec rerum consequentias & euentus, videre possumus: vnde fit, vt animus alibi, atque alibi appareat, prout fert ventus, siue vt ij qui in naui, arbitrio ventorum, feruntur: siue vt insulæ quædam in aquis vagantes, vt notauit ex Grutero Lipsius in Senecæ epist. 35. At semper eadem vult Deus: non natat eius voluntas, nõ vagatur, quod est fixum & fundatum: quia inuariabilis est eius voluntas. Num. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis vt mutetur.* Ad Hebr. 6. *In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationes hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Duæ autem istæ res immobiles sunt consilium seu voluntas Dei, & iuramentum. Et Isa. 46. *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet*; Nisi enim vel secundum scientiã mutetur Deus, quâ cognoscat aliquod bonũ quod antea non cognouit: vel secundũ intellectus apprehensionem, quâ id apprehendat sub ratione boni, quod priùs non sic apprehenderat: vel incipiat aliquo bono carere, vel egere, quo antea nõ carebat, voluntas eius variari nullo modo potest; quia non fertur illa nisi in bonũ conueniens, sub tali ratione apprehensum per intellectum: sunt autẽ huiusmodi mutationes in Deo impossibiles.

Voluntas Principum mutabilis.

Voluntas Dei firma.

Num. 23.

Hebr. 6.

Consilium & iuramentum Dei immobile.

Isa. 46.

3\. Quæ cùm ita sint, cùm nullius motionis, mutationisque capax sit Dei voluntas, sed sicut decretum est ab æterno, ita futurum sit, quidquid illi placitum fuerit, frustra videtur peti, *Fiat voluntas tua*, maximè cùm Iurisperiti sit C. de thesau. l. vnica. frustra id precibus peti, quod iure communi conceditur. Quid igitur opus rogare vt fiat, quod non potest non fieri? Nunquid vana esset petitio rogantis Deum vt ignis ardeat, vt flumina deorsum fluant; vt ferrũ non natet, sed subsidat? Quanquam tamen interea his omnibus potentior sit voluntas Dei, quia *omnia quæcunque voluit, fecit Dominus*: nihil est quod possit resistere volũtati eius, vnde sicut est rerum naturæ auctor, ita etiã in eâ dispensat prout vult, vt definitis temporibus, aliter, atque aliter se habeat: sic Daniel. 3. ignis præualidus fornacis ardentis, ne pilum quidem triũ puerorum ambussit: sic Iosue 3. Iordanis fluuius, in contrarium fluxũ versus est, vt siccis vestigijs Israëlitæ illum pertransirent, cuius inusitati euentus caussam quærit Dauid Ps. 113. *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* sic 4. Reg. 6. securis ferrum natat. Nihil horum, aut aliarum rerum naturaliũ est, quod etsi determinatas operationes habeat, non subiaceat absolutæ Dei potentiæ, sub quâ diuersas, quàm quò eius natura spectet, actiones sortiatur: immotâ tamẽ, atque sibi semper eadem cõstante voluntate Dei, per quam etiam fit, vt quod ab ordine sibi præstituto aliquo intercurrente impedimento, deflexerit, in Diuinæ prouidentiæ ordinem reducatur. Id quòd fiet conspicuũ, si quod in caussis formalibus euenire experimur in ordine quoque caussarum agentium accidere cogitemus. In caussis namque formalibus, etsi res aliqua in formâ particulari errare possit, nunquam tamen fiet, vt à formâ vniuersali recedat, veluti si quid, in sensibilium vegetabiliumque ordine, ita erratum est, vt nec animal sit nec planta, non euadet tamen quin sub ente contineatur. Ita euenit in ordine caussarum agentium: aliquis euentus exorbitat ab ordine caussæ proximæ, at nõ ab ordine caussę vniuersalis, quæ omnes caussas particulares complectitur: & ratio est, quia si aliqua caussa particularis in suo effectu exorbitat, istud accidit, ex particularis caussæ impeditæ defectu, quæ sub ordine caussæ vniuersalis continetur. adeò vt

Petitur frustrà quod iure communi conceditur.

Ps. 113.

vt ille defectus ordinis particularis, nullo modo possit se subtrahere ab ordine caussæ vniuersalis. Quare cùm voluntas Dei sit omniũ rerum caussa vniuersalis, impossibile est illam frustrari. Ex quo sequitur, vt si aliquid videatur recedere ab ordine Diuinæ voluntatis secundum vnum ordinem, appropinquet alteri eiusdem voluntatis ordini. Ita dogmatizat D. Ansel. lib cur Deus homo, cap. 15. Qui enim recedit à cælo ex vnâ parte, appropiat cælo secundum aliam partem: *Qui recedit à voluntate Dei preceptiuâ, cadit in voluntatem punitiuam mediante permissione.* Filij Iacob voluerunt impedire ne Ioseph illis imperaret, ideoque vendiderunt illum, & tamen illa fuit caussa, cur in illos imperium adeptus sit, vnde dicebat Gen. 45. *Non vestro consilio: sed Dei voluntate huc missus sum, &c.*

Voluntas Dei frustrari non potest.

Gen. 45.

4. Quod si quispiam opposuerit illud, Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* & quod 1. Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*: cùm tamen non omnes saluentur. Vnde videtur non vtique fieri quod Deus vult fieri, humanâ scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Frustra est, quisquis illud dixerit, tanquam si Dei voluntas superata sit hominum voluntate, & infirmissimis nolendo impedientibus, non potuerit facere potentissimus quod volebat. *Et vbi est illa omnipotentia*, inquit D. August. Enchirid. cap. 97. tom. 3. *quâ in cælo & in terrâ, omnia quæcunque voluit fecit, si colligere filios Herusalem voluit, & non fecit? An potius & illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit; sed eâ quoque nolente, filios eius collegit ipse quos voluit: quia in cælo & in terrâ non quædam voluit & fecit, quædam verò voluit & non fecit, sed omnia quæcunque voluit fecit.* Congregauit igitur Deus etiam Hierosolymâ inuitâ ac renitente, filios eius, quotquot voluit secundum propositũ voluntatis suæ. Veluti si quispiam Præfectus Regius externũ mercatorem, cum gregibus ouium, Galliam prætereuntem cohiberet, quod greges illi vsui futuri sint principi: reluctaretur ille, & in carcerem mitteretur, caussam autem redderet præfectus, quia noluisti greges illos dimittere, quos tamen ipso inuito, in suâ potestate haberet: ita hic, congregare volui, & noluisti, quia te inuitâ congregaui.

Matt. 23.
1. Tim. 2.

Filios Ierusalem congregauit Dominus ipsâ nolẽte.

5. Non igitur frustrà petitur adimpleri voluntas Dei, non quia nutans & vaga sit, sed quia cùm illius abyssum ignoremus, siue quid absolutè futurum decreuerit, siue orationes nostras adhiberi, supplicamus eam omnibus notam fieri: id quod cùm non vno sed multis modis euenire possit vel dicimus, *Fiat voluntas tua*: hoc est, voluntas tua, iustitiæ & misericordiæ effectibus, conspicua fiat, siue in bonum, siue in malum cedant hominibus: *vt sua cuique tribuantur*, inquit D. August. lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 6. *quod fit in extremo iudicio, vt iustis præmium; peccatoribus damnatio tribuatur, cùm agni ab hædis separabuntur.* Nec mouere debet quod damnatio reproborum, quæ est iustitiæ effectus petatur, quia, vt inquit Tertull. lib. de orat. vel eo nobis benè optamus, quòd nihil sit mali in Dei voluntate, etiamsi quid prò meritis cuiusque secus irrogatur, &c.

Voluntas Dei vt fiat, rectè petitur.

Vel etiam generaliter petitur fieri voluntas Dei vbique terrarum: ita D. Chrysost. hom. 20. in cap. 6. Matt. *Non dixit fiat in me, vel in nobis, voluntas tua, sed prorsus vbique terrarum, vt scilicet eradicetur error, & veritas inseratur, atque vndique vitijs explosis, virtus reuertatur; inque illius cultu, nihil prorsus terra distet à cælo. Si enim hoc fuerit, nihil quantum spectat ad meritum, superna ab inferioribus discrepabunt (etsi sit habitantium natura dissimilis) cùm scilicet alios nobis Angelos terra demõstret.* Sicut enim pro orbe terrarum precamur *Adueniat regnum tuum*, vt extirpato diaboli principatu, solus regnet in omnium cordibus Deus, & eius regnum in omni natione stabiliatur: ita quoque pro orbe terrarum oratio cuilibet nostrûm iniuncta est, quâ fidelibus in voluntate Dei permanentiam, infidelibus ad eam faciendã ingressum postulamus, siquidẽ ad regnum Dei, nisi voluntas eius fiat, perueniri non potest. D. August. de bono perseuerant. apud D. Tho. in Catena. Matt. 6. *Ex hoc autem euidenter ostenditur contra Pelagianos, initium fidei esse donum Dei, quando pro infidelibus, vt habere fidem incipiant, sancta orat Ecclesia. Cùm etiam in Sanctis iam sit facta Dei voluntas: cur vt fiat adhuc petũt, nisi vt perseuerent in eo quod esse cæperunt?* Cælum itaque quodammodo fieri è terrâ poscimus, vt omnibus omninò mortalibus ad supernarum virtutum perfectiones gradientibus, eò perueniant, vt hic degentes voluntatẽ Dei perficiant. Chrys. hom. 20. in Matt. 6. *Quod igitur dicit omninò etiam tale est, sicut ibi omnia fiunt liberè, & non alia quidem audiunt Angeli, alia verò contemnunt, sed voluntati cedunt Diuinæ, & in omnibus obsequuntur: Potentes, inquit, virtute facientes verbum eius: sic etiam nos effice dignos qui non ex medio, sed prorsus ex integro, ea quæ in tua sunt voluntate faciamus.* Quæ omnia, vno verbo complexus est D. August. epist. 121. ad Probam, cap. 11. *Nobis*, inquit, *ab illo precamur ipsam obedientiam, vt sic in nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cælestibus ab Angelis eius.* Quod & lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 6. tradit. *Item Fiat voluntas tua, rectè intelligitur, obediatur præceptis tuis sicut in cælo & in terrâ, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus: non quod ipsi faciant vt velit Deus: sed quia faciunt, quod ille vult, id est secundum voluntatem eius.* D. Hieron. lib. 1. in cap. 6. Matt. *Vt quomodo Angeli tibi inculpatè seruiunt, in cælis, ita in terrâ seruiant homines.*

Fidei initiũ donum est Dei.

Psal. 102.

Vel sensus est, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ*, hoc est, sicut in Sanctis & iustis, ita & in peccatoribus, sic vt oremus etiam pro inimicis. D. August. lib. 2. de serm. Domini in mõte: *Quid enim sunt aliud habendi, contra quorum voluntatem, Christianũ & Catholicum nomen augetur: vt ita dictum sit: Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ, tanquam si diceretur, faciant voluntatem tuam sicut iusti, ita etiam & peccatores vt ad te conuertantur.* D. Cyprian. de orat. Dominica. Potest & sic intelligi, vt quoniam mandat & monet Dominus etiam inimicos diligere, & pro ijs quoque qui nos prosequuntur orare: petamus & pro illis qui adhuc terra sunt, & necdum cælestes esse cœperunt, vt & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conseruando & redintegrando perfecit. Nam cùm discipuli ab eo non iam terra appellentur, sed sal terræ: & Apostolus primum hominem vocet de terræ limo, secundum verò de cælo: meritò & nos, qui esse debemus patri Deo similes (qui solem suum oriri facit super bonos & malos, pluit super iustos & iniustos) sic Christo monente oramus & petimus, vt precem pro omnium salute faciamus. Vt quomodo in cælo, id est, in nobis per fidem nostram Dei voluntas facta est vt essemus è cælo, ita & in terrâ, hoc est, in illis non credentibus fiat voluntas Dei, vt qui adhuc sunt primâ natiuitate terreni, incipiant esse cælestes, ex aquâ & spiritu nati. Hactenus D. Cyprian. & ex illo D. August. epist. 107. ad Vitalem, eodem sensu.

Potest etiam exponi de voluntate Dei, quæ est vt nos seruemus mandata eius. Quæ est voluntas eius, nisi obedientia, charitas, humilitas, mansuetudo, benignitas, castitas? hæ virtutes ex voluntate Dei descendunt. Voluntas Dei est, inquit D. Cyprian. quam Christus fecit & docuit: humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam nõ facere, & factam posse tolerare: cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere amare

Voluntas Dei sunt mandata Dei.

re in illo, quod Pater est, timere quod Deus est. Christo nihil omninò præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit, charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter ac fidenter assistere: quando de eius nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, quâ confitemur; in quæstione fiduciam, quâ congredimur, in morte patientiam, quâ coronamur: hoc est cohæredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere, &c. Et dicitur, *Sicut in cælo, & in terrâ,* vt quia Angeli & Sancti, qui cælum colunt, Dei voluntatem complent, cùm nihil velit Deus, quod illi non faciant, quia nec intellectu à supremo lumine errare, nec voluntate à summo bono possunt deficere: nos autem qui in terrâ versamur, ab errandi periculo non abfumus: ideò diuinâ ope roborari postulamus, vt quemadmodum Angeli in cælo, nullius faciunt voluntatem nisi Dei tantummodo, ita nos in terris solius Dei voluntates exequamur. Tertul. *Est & illa Dei voluntas quam Dominus administrauit prædicando, operando, sustinendo. Sic enim ipse pronunciauit non suam sed Patris facere se voluntatem: sine dubio, quæ faciebat, ea erant voluntas Patris, ad quæ nunc nos, velut ad exemplaria prouocamur, vt & prædicemus, & operemur, & sustineamus ad mortem vsque. Quæ vt implere possimus, opus est Dei voluntate.*

6. Cæli & terræ nomine caro & spiritus intelliguntur.

Vel per cælum & terram accipiamus carnem & spiritum, Tertul. Ex interpretatione enim figuratâ, inquit carnis & spiritus, nos sumus cælum & terra. Chrysost. *Quid est, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ? In animâ meâ & carne meâ, in cælo mentis meæ fiat voluntas tua.* D. August. lib. 2. de ser. Domini in monte, cap. 6. *Fiat voluntas Dei sicut in cælo & in terrâ: id est, vt quemadmodum spiritus non resistit Deo sequens & faciens voluntatem eius: ita & corpus non resistat spiritui vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur, & in carnalem consuetudinem prona est; quod erit summa pacis in vitâ æternâ, vt non solùm velle adiaceat nobis, sed etiam perficere bonum. Nunc enim velle, inquit, adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio; quia nondum in terrâ sicuti in cælo, id est, nondum in carne sicut in spiritu facta est voluntas Dei. Nam & in miseriâ nostrâ fit voluntas Dei, cùm ea patimur per carnem quæ nobis mortalitatis iure debentur, quam peccando meruit nostra natura. Sed id orandum est, vt sicut in cælo, ita & in terrâ fiat voluntas Dei: id est, vt quemadmodum corde condelectamur legi, secundum interiorem hominem, ita etiam corporis immutatione factâ, huic nostræ delectationi nulla pars nostra terrenis doloribus seu voluptatibus aduersetur.* D. Cyprian. *Nam cùm corpus è terrâ, & spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus: & in vtroque, id est, & corpore & spiritu, vt Dei voluntas fiat, oramus.* Voluntas ergo ista intelligitur, quâ Deus nos vult in primũ nostrę creationis statum, dignitatemque restitui; quo in statu, quâ in dignitate, inter hominem superiorem inferioremque pacata erant omnia, nihil caro aduersus spiritũ molliebatur, nihil sensualitas aduersus rationem: Quamdiu enim anima ante peccatum, creatori suo subiecta perseuerauit, fuit domina corporis, ita vt nihil graue aut molestum in illo sentiret: ast postquam præuaricata est; sentire cœpit corruptionem, mortalitatem, grauedinem, sensualitatisque aduersus rationem pugnam: ex quo altare contra altare erectum est, lex aduersus legẽ. Rom. 7. *Inuenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati,* & ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Hinc inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus aduersus se inuicẽ, quotidiana congressio, vt non quæ volumus, ipsa faciamus: dum spiritus cælestia & diuina quærit, caro terrena & sæcularia concupiscit: & ideò petimus inter duo ista, ope & auxilio Dei concordiam fieri: vt dum in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est anima, seruetur: inquit D. Cypr. vult enim Deus, vt ablatâ istâ contrarietate, statui innocentiæ dedicemur, quò plena fiat totius hominis sanctificatio: ait enim Apost. 1. Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione,* id est, corpus suum (vt adnotauit Theodoretus) seruare liberum ab omni fornicatione, hoc est, à vitijs & peccatis; vt terrestria cælestibus cedant, spiritalia & diuina prævaleant: & aliquâ concordiâ inter corpus & animam hîc intercedente, caro desiderijs animæ subijciatur, & reuertatur homo in gradum conditionis suæ, quâ factus est in animam viuentem; ne per desideria corporis repugnet Deo, vt sicut spiritus nõ resistit Deo, ita & corpus non resistat spiritui.

Rom. 7. — Rom. 7. — Galat. 5. — 1. Thessal. 4.

Cæli Christus, terra Ecclesia.

Aut etiam tandem hic intellectus esse potest, vt cælum sit Christus, terra autem, Ecclesia, vt quemadmodum fit voluntas Dei in cælo, id est, in Christo, qui est perfectè subditus Patri, ita fiat voluntas Dei in terrâ, id est, in Ecclesiâ: & omnia membra eius obtemperent Deo, sicut Christus obtemperauit Patri factus obediens vsque ad mortem, ad Philip. 2. Ita D. August. lib. 2. de serm. Dom. citato, totidẽ verbis: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ: sicut in ipso Domino nostro Iesu Christo, ita & in Ecclesiâ: tanquam in viro qui Patris voluntatem impleuit, ita & in feminâ quæ illi desponsata est. Cælum enim & terra, conuenienter intelligitur, quasi vir & femina: quoniam terra, cælo fœcundante, fructifera est.* Isti sunt modi quibus adimpleri petimus voluntatem Dei.

Capitis 35. §. 1.

Quænam sit voluntas illa? & de voluntatis Diuinæ diuisione.

1. Voluntati Dei resistere nemo potest.

VErumtamen cur istud petimus, quandoquidem velimus nolimus fiet voluntas Dei? vnde D. Bernard. velint nolint, non modò homines sed etiam dæmones, & faciunt, & patiũtur quod prouidentia summa disposuit: ideò, fiat voluntas tua? Respondet D. Cyprianus, nos orare, non vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus, quod Deus vult, ita quoque D. Chrys. hom. 14. imperf. in Matth. Nam Deo quid obsistit quò minùs quod velit faciat? omnia vtique quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Sed quia nobis à Diabolo obsistitur, inquiunt D. Cyprian. & August. l. 4. contra duas epistolas Pelagian. quò minùs per omnia noster animus atque actus, Deo obsequatur, oramus & petimus vt fiat in nobis voluntas Dei, quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est ope eius & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentiâ & misericordiâ tutus est. Petimus vt nobis permittat, siue concedat facere voluntatem suam in terrenis, sicut in cælestibus, vt adhærens homo Deo sicut Angelus, vnus cum eo spiritus sit, inquit D. Bern. Petimus vt sicuti Angelis suis quos fecit in spiritu, ita donet nobis spiritualiter viuere, inquit Chrysost. quomodo Angeli qui carnem non habent, vel alijs modis suprà positis. Quia enim in quibusdam non completur Dei voluntas sine nobis: ideò conuenienter rogamus, *Fiat voluntas tua.*

Voluntas Dei multiplex. Act. 13. Psal. 102. Ps. 110.

Sed quia multiplices variæque esse videntur Dei voluntates, siquidem Scriptura S. voluntates Dei effert numero pluratiuo. Act. 13. *Inueni Dauid Filium Iesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Psal. 102. *Notas fecit Moisi vias suas, filijs Israël voluntates suas:* & ps. 110. *Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates eius,* vel, *ordinata secundum omnes voluntates suas.* Inquirendum de Diuinâ

unâ voluntate: an plures sint? Et quidem propriè loquendo, vna est tantummodo voluntas Dei quæ cogitanda est per modum perfectissimi actus, qui non sit aliud quàm ipsa Diuina essentia: nam cùm velle, sit actio immanens, non potest in Deo esse aliud velle, aliud esse, quia quidquid in Deo formaliter est, eius essentia est, quod postulat omnimoda eius simplicitas. Nostro tamen intelligendi modo, ea quæ re idem sunt, ratione distinguentes, concipimus in Deo aliquid per modum potentiæ, siue virtutis exercendi actum volitionis, ab actuali exercitio præscindentis. Atque ita plures quoque in Deo voluntates ponimus, videlicet antecedentem, consequentem, voluntatem signi & beneplaciti.

Antecedens

Antecedens Dei voluntas est, quâ Deus absolutè vult aliquid, non referendo specialiter ad aliquem finem, meritum, aut demeritum: hoc modo vult Deus omne bonum, quod in se bonum est, & detestatur contrarium: vult omnes homines saluos fieri, quia enim voluntas est appetitus boni per intellectum apprehensi, meliusque sit homines esse bonos & beatos, quàm esse malos & damnari, idcirco hac voluntate vult illis gaudium & tranquillitatem: non vult infernum, non bella, non mortes.

Consequens

Voluntas consequens, est quâ Deus vult aliquid respectu finis alicuius, vel considerato merito & demerito, quomodo Deus vult quædam ad suam gloriam esse perfecta, & alia ad eandem nominis sui gloriam non esse perfecta: sic vult vitam æternam bonis, in meritorum præmium, in quo conuenit hæc voluntas cum antecedenti; discrepat autem quod Deus malis pœnam velit, bella, hostes, infernum.

Beneplaciti.

Voluntas beneplaciti est secundum quā Deus vult quidpiam determinatè, & absolutè compleri, quod sibi placet, & hæc se tam ad beneficia præstanda, quàm ad pœnas inferendas extendit, vnde non multum à voluntate consequente differt, nisi quod non dicat respectum ad antecedentem.

Signi.

Voluntas signi nuncupatur exterius quoddam indicium, ex quo inter creaturas de voluntate interiori solet iudicari; vnde hæc impropriè voluntas dici solet, quemodo signum accipere solet nomen rei signatæ: sic eleemosynam dicimus caritatem, misericordiam: codicillum vocamus testamentum. Et differt ab antecedente, quia voluntas antecedens non requirit aliquod indicium siue signum externum, sed veram potiùs & realem Diuinæ voluntatis complacentiam, quantum in ipso est, quæ non extendit se nisi ad ea quæ ex suâ bonitate Deus amat, non autem ad ea quæ facit requirentibus hominum demeritis. Voluntas autem signi, non consistit in aliquo actu voluntatis interno, quamuis eiusmodi actum soleat supponere; sed in externo signo & indicio.

2. Voluntatis signi, signa quinque.

Signa autem, in quæ hæc voluntas diuiditur, sunt quinque, præceptum, prohibitio, consilium, operatio, & permissio, vnde versus

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Et hæc dicuntur voluntatem Dei, quia sunt illius signa, sicut signum iræ, ira appellatur: Non dicuntur autem voluntas signi respectu eorundem obiectorum: sed præceptum quidem & consilium respectu operis boni, quod in præcepto aut consilio est: prohibitio verò & permissio respectu operis mali quod vetatur, aut permittitur. Operatio autem respectu alicuius, quod ex tali opere natum est sequi. Atque ita in Deo multæ numerantur voluntates, vna propriè dicta, aliæ autem metaphoricè; velut enim quando affectus humani tribuuntur Deo, conueniunt illi tantùm metaphoricè, secundum analogiam effectus; vt quia castigare est effectus iræ, ideò dicitur irasci quia castigat: ita in voluntate est, quia enim præcipit Deus, significat se velle vt faciamus, quia prohibet, significat se velle vt nō faciamus; quia consulit, significat quoque se velle vt faciamus, & hæ omnes voluntates signi, sunt metaphoricè voluntates, vna autem est propriè voluntas, nempe beneplaciti: quæ semper impletur; altera non sic: quanquam nobis melius esset, si semper hæc voluntas signi, & antecedens impleretur quàm consequens & beneplaciti; nam per voluntatem antecedentem cùm velit Deus omnes saluari, essemus omnes beati: & per voluntatem signi omnes essemus boni, & iusti, vult enim Deus vt obseruemus mandata eius & prohibitiones, per quæ homo fit iustus.

Voluntas beneplaciti semper impletur.

Permissio & operatio.

Quod attinet ad permissionem & operationem, licet interdum voluntas signi dicantur, quòd vnum opus Dei, accipiatur tanquam signum alterius operis, quod velit Deus, vt quum ex insperato peccatorem conuertit, signum est quòd velit illum ad salutem perducere: quódve permissio, sit signum quod nolit impedire peccatum Deus, quia non tenetur; Si has voluntates, ad voluntatem beneplaciti referamus, semper implentur: siue bonum spectemus quantum ad impletionem siue operationem, quod non solùm vult Deus, sed etiam adiuuat vt velimus & faciamus; siue malum, quod permittit: quod non fieret contra voluntatem eius, si ipse nullo modo fieri vellet, ad quod tamen nihil omninò confert, nisi quòd non velit malè operantis liberum arbitrium impedire.

3. Voluntas antecedens nostra culpâ non adimpletur.

Ex his manifestum fit, necessarium esse nos orare, vt voluntas Dei fiat, qualiscunque illa sit. Nam si de voluntate antecedente & signi, sit quæstio, cùm illa non semper impleatur, non ex impotentia Dei, sed ex hominis culpâ resistentis voluntati Diuinæ; oramus vt illa fiat, & præcepta, prohibitiones, & consilia, seruentur ab omnibus, & cooperemur gratiæ Dei. Si de voluntate consequente & beneplaciti loquamur: etsi necesse sit eam semper compleri, quia tamen Deus, futura quædam ordinauit, quæ nisi nostræ orationes interponerentur, futura non essent, oramus illa fieri.

Vel etiam, Diuinam voluntatem adimpleri petimus, non quod Deus illam solus compleat, aut homo solus, sed, fiat, scilicet per auxilium gratiæ Dei, & liberum nostrum arbitrium: quia, vt inquit D. Chrysost. hom. 31. in Matth. sicut terra non fructificat sine pluuiâ, nec pluuia prodest sine terrâ, ita nec liberum arbitrium sine gratiâ Dei, nec gratia Dei sine libero arbitrio: inde est illud D. Augustini serm. 15. de verbis Apostoli tom. 10. *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.* & lib. 10. Confess. cap. 29. *Domine da quod iubes, & iube quod vis.* Quare rectè D. Chrysost. homil. 14. imperfecti in Matth. *Communiter autem accipi debet, quod ait, Sicut in cælo & in terrâ, id est, Sanctificetur nomen tuum sicut in cælo & in terrâ. Adueniat regnum tuum sicut in cælo & in terrâ. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terrâ. Et vide quàm cautè locutus est, non dixit: Pater sanctifica nomen tuum in nobis: Adueniat regnum tuum super nos: Fac voluntatem tuam in nobis. Nec iterum dicit, Sanctificemus nomen tuum: Suscipiamus regnum tuum; Faciamus voluntatem tuam: ne hoc aut Dei tantum, aut hominis tantùm esse videatur: sed mediè dixit & impersonaliter: nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habuerit adiutorium Dei, sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit.*

Petimus ergo præcipuè Diuinam voluntatem fieri,

fieri, quæ manifestata est in præceptis, manifestata in consilijs, vt adiuti gratiâ Dei, quam inuocamus, non tantùm præcepta impleamus, sed etiam ad ea quæ sunt supererogationis, & continentur in consilijs, nos extendere valeamus: quæ quidem tendentibus ad perfectionem proponuntur, vt sunt, paupertas voluntaria, castitas perpetua, & obedientia integra. Quærēti diuiti, Quid faciendo vitam æternam possidebo? respondit Dominus: Serua mandata: & ille, hæc omnia feci, inquit, ab adolescentiâ meâ: reddidit Christus, Si vis perfectus esse, vade omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Hoc est consilium Domini, quod vt perficiamus, robur & auxilium petimus, ad thesaurum in cælis propositum adspirantes. Et quāuis vnusquisque ad consiliorum obseruantiam non teneatur, tenetur tamen sub mortali ea non contemnere, sed reuereri tanquam vtilia, & ad consecutionē regni cælestis conuenientia: qui enim contemnit consilium, eum quoque cōtemnit, qui illud proponit. Imò si quispiam iuraret se nunquam seruaturum aliquod consilium, peccaret mortiferè, quia hoc esset impedimentum ponere Spiritui sancto.

Consilia nō cōtemnenda sub m.

Capitis 35. §. 2.

Diuinæ voluntati, nostram esse conformandam.

1\. O Tempora, ô mores! plures hoc temporis inuenias, quos si reprehenderis, si commonefeceris, mox in aliorū errata incurrere audias, dicentes, Viden istum? est fur; Viden alterum? ebriosus est. Ille aleator, alter scortator. Et vt cōpendio efferam aiunt cum Pharisæo Luc. 15. *Non sum sicut cæteri hominum.* Quibus responderi potest quod D. Chrysost. homil. 29. in Act. *Ne mihi dicas non scortor, quæ enim vtilitas, si non scorteris quidem, sed auarus es: passer licet non ex omni parte, à pede tamen detinetur solum, & ita perit, & in laqueo irretitus stat, & nihil illi prosunt alæ capto pede: ita & tu non per fornicationem, sed per auaritiam captus es.* Hoc est quod ait D. Iacob. cap. 2. *Qui peccauerit in vno factus est omnium reus.* Velut in ludo positâ conditione, quod qui puncta decem attigerit, vincat, & quod constitutum est efferat; qui nouem cōsecutus fuerit perinde se habet ac si nihil prorsus consecutus sit, quia partem amisit; ita Deus ludens in orbe terrarum legem posuit quæ denario præceptorum numero cōtinetur: qui vult æternæ beatitudinis brauium consequi, denarium illum impleat necesse est, alioqui excidet parti, & totius iacturam feret: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Mat. 19. omnia, scilicet, quia si vel vnum violaueris, reus eris totius legis, quamuis inueniaris nouem præceptorum obseruator: ratio est, quia per violationem vnius præcepti, amittitur charitas, quâ sublatâ, opera nostra nihil ad vitā æternam conferunt, & moriuntur illa, quæ aliàs viuificauerat charitas, neque reuiuiscūt nisi redditâ charitate. Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitiâ suâ, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius; nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur. In præuaricatione quâ præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur,* tantum nempe est vnius peccati virus, vt operibus bonis in eo factis, vitam impediat, adimat operibus viuis. Ad leonis rugitum animalia omnia figunt gradum, etiam quæ eum nūquam viderunt, vel experta sunt inquit auctor lib. de naturis rerum. Et D. Ambros. lib. 6. Hexamer. c. 3. *Voci eius,* inquit, *tantum inest terror naturaliter, vt eius* *animantia quæ per celeritatem impetum eius euadere possunt, rugientis eius sonitu, velut quadam vi, attonita, atque illa deficiunt.* Ita lethalis peccati rugitus in animâ tantus est, vt illam eneruet attonitam, ne gradū promoueat ad salutem atque virētes operū eius bonorum ramos, arefaciat. Quanta calamitas! Si mercator diues post multos pelagi, terra ve labores, ab Indis in portum delatus, fortunas omnes suas luderet, & vnico aleæ iactu, illarū naufragium faceret: quid hac re calamitosius vsquā haberi posset? Ita calamitosum est admodum, magnam bonorum operum supellectilem. Multus plurium annorum laboribus acquisitā, vnius peccati demerito perdere, & æternis addici supplicijs; quæ non secus ob vnum quàm ob plura peccata mortifera incurruntur, cum eâ tamen differentiâ, vt pœna damni existēte in omnibus damnatis æquali, pœna sensus grauiùs torqueātur, qui plura grauioraque scelera patrarint. Apocal. 18. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Hanc pœnarū inferni varietatem adstruamus exemplo. Narrat Speculum exemplor. dist. 2. exemplo 204. B. Macariū, cùm eremum aliquādo inambularet, incidisse in caput hominis, humi iacens; quod cùm virga palmea, quam manu gerebat, moueret, loqui cœpit: Cui dixit senex, Quis es tu? reddidit caput illud: Ego eram sacerdos gentilium, qui aliquando commanebam in hoc loco: Tu verò es Abbas Macarius qui habes spiritum Dei: quacūque ergo hora misertus fueris eorum qui sunt in tormentis, & oraueris pro eis, tunc consolantur pusillum. Dicit ei senex: & quæ est ista consolatio? respondit illi caput: Quantum distat cælum à terrâ, tantum est ignis sub pedibus nostris, & super caput nostrum; stantibus autem nobis in medio ignis, non est vt quis facie ad faciem videat proximum suum. Ait ergo senex cum fletu: Væ illi diei in quâ natus est homo, si est hæc consolatio supplicij. Rursus dixit senex: Est peius tormentum ab his? reposuit caput illud: Maior pœna subtus nos est. Dicit ei senex, & qui sunt in ipsâ: & caput, nos qui ignorauimus Deum, vel aliquid misericordiæ habemus: hi verò qui cognouerunt Deum, & negauerunt eum, nec fecerunt voluntatem eius, hi sunt, qui subtus nos sunt.

Peccati vis quanta.

Apoc. 18.

Macario, caput gentilis sacerdotis loquitur.

2\. Eapropter conuellenda, atque eradicanda est voluntas nostra propria, vtpote quæ sit, totius mali nostri atque miseriæ fons & origo. Quemadmodum vt tyrannus euertatur & funditùs pereat, propugnaculum quo se tuetur, ante omnia solo æquandum est: ita voluntas propria, philautia illa nostra quæ diaboli propugnaculum est, stirpitus euellenda est. D. Ansel. lib. similit. cap. 8. *Solus Deus quidquid vult, debet velle propriâ voluntate, ita vt aliam quam sequatur non habeat supra se. Cùm igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi suam coronam. Sicut enim corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo: & sicut regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam ei auferret; sic homo inhonorat Deum, qui aufert ei propriæ voluntatis priuilegium, habendo quod ille debet habere solùm. Sed sicut voluntas Dei propria, Fons est & origo totius boni: ita propria voluntas hominis totius est exordium mali.* Et cap. 29. & 30. comparans voluntatem propriam herbæ venenatæ, cuius esu, homines leprosi euaderent: ait, quod si medicus, nobilissimæ progeniei vsum herbæ prohiberet, comminans, quòd si ex eâ comederent, qui ex ijs nascerentur, fore leprosos; & illi comederent, ciboṡque suos illâ herbâ condirēt, filios sanè generarent leprosos: ita voluntas propria virus habet, quâ qui vtitur leprosos generat actionum suarum fœtus, & illi alios, pari leprâ fœtus.

Voluntas propria omnium malorum caussa.

Vitium vitio

Luc. 15. Iac. 2. Matth. 19. Ezech. 18.

percussos, peccatis sibi inuicem succedentibus & seruientibus. Huic enim propriæ voluntati, vt habet D. Ansel. cap. 39. postquam fixit sedem in homine, alia vitiorum velut milites quidam seruiunt terras tenentes, vt adulterium; alia verò, alijs vitijs militant, vt cupiditas pretiosarum vestium, vanæ gloriæ: atque ita vitium, aliquando huic, aliquando alteri vitio seruit; vt auaritia seruit gulæ: alia, alijs.

S. Antonius

Huic extirpandæ voluntati præcipuè studuerunt Patres sancti. D. Antonius, iubebat Paulum discipulum, vestes suere, deinde dissuere: texere fiscellam & eam mox retexere: alij ex veteribus, iubebant aquam haurire, haustam effundere, vel aridum stipitem toto anno irrigare. D. Franciscus socium suum Masseum iubebat se in medijs plateis circumagere, donec in terram caderet. Et hi propterea equorum domitori comparantur, qui equum calcaribus impellit, quo is fiat tractabilior. Ad hoc nos exhortatur Sapiens. Eccl. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tuâ auertere. Si præstes animæ concupiscentias eius, Faciet te in gaudium inimicis tuis.*

D. Franciscus.

Eccl. 18.

Propria voluntas radicem boni operis inficit. Ieiunabat populus Iudaicus & cōqueritur, quod ieiunia & macerationes eius non sint acceptæ Deo: audi cur non acceptentur. Isa. 58. *Quare ieiunauimus*, inquiunt, *& non aspexisti, humiliauimus animas nostras & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Ideoque quantò ampliores in virtute progressus facimus, tantò magis propriā voluntatem rescindamus, summa namque perfectio est, mortuam habere voluntatem propriā, & solius Dei facere voluntatē, vt cum Apostolo dicere liceat. Galat. 2. *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Vbi Theodoret. *Priorem vitam deposui, in aliam vitam transij à Christo sumitur mea vitæ institutio, aliam vitam non habeo.* Nam cùm quæ tantum sint voluptates, vna Dei, altera inimici, hac morimur, illa viuimus Deo. Vnde Dominus dixit cibum suum esse, facere voluntatem Patris sui, inquit D. Ephræm Syrus tom. 3. sermo. ascetico seu exhortatorio. *Ita & inimicus à faciente voluntatem ipsius nutritur. Voluntas Dei est fides quæ ad bona opera perducit. Igitur inimici volūtas est infidelitas. Dei voluntas virtutes sunt bonarum actionum: at diaboli contraria omnia. Si quis ergo voluntatem eius fecerit, cibat ipsum.* Et quia voluntas Dei est salus nostra, addit: *Si quis saluet animam, cibat Deum: si quis animam perdat, pascit diabolum.*

Isa. 58.

Galat. 2.

Voluntates duæ, vitæ, & mortis.

3. Volūtas Dei est iustitiæ regula.

Ea propter si quid pectoris inesset mortalibus, si vel gutta mentis in eorum pectoribus resideret, nunquam se propriæ suæ voluntati committerent; intelligerent porrò, quanti referat, diuinam in omnibus sequi, nō tantùm quia subditi officium est, suo superiori obtemperare, sed etiam, quia cùm Deus sit summum bonum, voluntas quoque eius, omnis iustitiæ, atque æquitatis est regula. Velut ergo qui scribit, qui ædificat, nisi errare velit, artis præcepta & regulas seruare debet, ita in omnibus actionibus nostris propositam diuinæ voluntatis regulam habere debemus: & vt Climachus gradu 25. inquit, tanto ardore desiderare cognoscere & exequi diuinam voluntatem, quanto ceruus sitibundus desiderat ad fontes aquarum. D. Aldegundis cùm adhuc in ædibus parentum moraretur, atque in amore virtutum de die in diem proficere studeret: apparenti sibi puellæ, & quasi de itinere venienti, quæ se à Dei genitrice missam affirmaret, vt quod vellet Aldegundis postularet, mox alacriter respondit, id se desiderare, quod Dominus vellet, Christique volūtatem in se fieri præoptare; Reuera autem, vti D. Ber. inquit, totius humilitatis summa in eo videtur consistere; si voluntas nostra, diuinæ, sicut dignum est, subiecta sit, sicut ait Propheta ps. 61. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Huc spectat illud Iob. 1. *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*: & quod Heli 1. Reg. 3. cùm ex Samuele cognouisset quæ Dominus ei dixerat: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Et quod 1. Machab. 3. *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Dicat vnusquisque, inquit D. Ambros. de bono mortis cap. 6. *Nonne Deo subiecta est anima mea? non sæculo subdita, nō mundo subdita: non potest hoc pecuniosus, non potest auarus dicere, sed dicit iustus & continens.* D. Bern. serm. quomodo volunt. nostra diuinæ volunt. tripliciter subijci debeat. *Scio quidem creaturam omnem, velit nolit, subiectam esse creatori. Sed à creaturâ rationali voluntaria subiectio quæritur, vt voluntariè sacrificet Domino, & confiteatur nomini eius, non quia terribile & sanctum, non quia omnipotens; sed quia bonum est. At verò subiectionem istam triplicem esse necesse est: vt quod certum est Deum velle, id nos velimus omninò; & quod certum est eum nolle, similiter execremur & nos. Quod autem incertum est vtrum velit an nolit, neque velimus ex toto, neque penitus non velimus.* Sic enim semper oportet nos esse in conspectu Dei, inquit S. Ammon Abbas in capitibus parænetic is cap. 13. apud D. Ephræm tom. 2. ac perfectè humanis mori passionibus, omnique carnali voluptati; nec penitus propriæ subseruire voluntati siue concupiscentiæ, sed voluntati Dei, eamque cumprimis exequi. Vt hoc te modo cogites nunquam esse liberum, aut tuæ ipsius potestatis, sed quod Dei sis seruus, cuiusque te oporteat subdere, ac subseruire voluntati. Ita Sanctus Ammon. D. August. tract. 10. in Ioan. dicere non dubitauit, Dei matrem non tam eo fuisse felicem, quòd Verbum in ipsâ caro factum sit, quàm quod ipsa Dei voluntatem fecerit, idque ex Christi dicto demonstrat Luc. 11. vbi cùm mulier de turbâ dixisset, *Beatus venter qui te portauit*; addidit Christus, *Quin imò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Audiamus Augustinum: *Hoc in eâ magnificauit Dominus, quia fecit voluntatem Patris; non quia caro genuit carnem. Intendat charitas vestra. Propterea cùm Dominus in turbâ admirabilis videretur, faciens signa & prodigia, & ostendens quid lateret in carne, admiratæ quædam anima dixerunt, Felix venter qui te portauit. Et ille: Imò felices qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Hoc est dicere: Et mater mea quam appellasti felicem, inde felix; quia verbum Dei custodiuit. Non quia in illa Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, & quod in illâ caro factum est.*

D. Aldegundis.

Psal. 61.

Iob. 1.

1. Reg. 3.

Luc. 11.

4. Beatus quisque esse vult

Omnes volunt esse beati, ideò bonus bene agit vt sit beatus, & malus malè agit, vt etiam sit beatus; qui tamen beatus esse non potest, quia non factor, sed violator est legis: solus iustus verè beatus fieri potest, qui ambulat in lege Domini, qui cùm exactissimo legislatore rem sibi esse intelligit, de quo Propheta, psal. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, id est, quàm fieri potest perfectissimè. Super quæ verba Concione 4. disputat D. Augustinus, vtrum aduerbium, nimis, coniungi debeat cum verbo *mandasti*, an cū verbo, *custodiri*; Si cùm verbo mandasti erit hic sensus: *Tu strictè mandasti mandata tua custodiri*: si cùm custodiri, faciet hunc sensum, *Tu mandasti mandata tua strictè custodiri* Et respondet posse vtrique coniungi: nimis, autem, idem esse, quod valde, quod confirmat communi eo loquendi modo, *Nimis te diligo*, hoc est, non plus quàm oportet, sed valde: *Valde vtique præcepit hoc Deus, & valde oportet custodire Dei mandata.* Et sic amplificat necessitatem obseruandi mandata Dei, atque illa exequendi studium acuit: velut enim modus

Psal. 118.

mandādi

amādi Deū, est, illū amare sine modo, ita modus custodiendi præcepta Dei, est illa custodire sine modo; defectus quidē esse potest, ast excessus esse in eorū custodiā nō potest. Vultque ea Deus obseruari ad amussim. Prouerb. 7. *Serua mandata mea & viues; & legem meam quasi pupillam oculi tui. Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. Quasi pupillam*, inquit, quæ totius corporis est pars delicatior, quam natura præ ceteris muniuit curiosiùs, & ornauit diligentiùs, & supercilijs velut vallis quibusdam cinxit, contra sudoris, venti, ac pulueris incursum: vt significet exactissimam obseruantiam mandatorum diuinorum, etiam in minimis, quæ legis Dei splendorem in nobis quoquo modo obscurare valeant, psal. 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas: & præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Quia verò sine Dei adiutorio, mandata diuina seruari non possunt, quæ velut speculum sunt, volenti intueri voluntatem Dei, optat Propheta gratiā ea adimplendi, vt non tantùm inspector sit legis, sed etiam factor operis, *Vtinam*, inquit, *dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* Vbi D. Augusti. *Talem se iste vult esse, vt inspiciat tanquam in speculo mandata Dei, & non confundatur: quia non auditor eorum tantùm vult esse, sed factor. Propterea optat dirigi vias suas ad custodiendas iustificationes Dei. Vnde dirigi, nisi gratiâ Dei? Alioqui legem Dei habebit, non vbi gratuletur, sed vbi confundatur: si voluerit mandata inspicere quæ non facit.*

Prouerb. 7.

Psal. 18.

5. Lex, vnde dicta.

Lex ipsa suo nos tenet nomine, & diuinæ voluntati faciendæ adstringit; lex enim à ligo dicitur, quod datis acceptisque legibus ligemur tanquam regulæ morum: quare nihil mirum si legislatores sanctionum suarum strictam admodum obseruantiam exegerint: si Zaleucus legem adulterij locris à se statutam, & in filio deprehēso vindicarit, & in se, vt seueritatem in gnatum suimet supplicio temperaret: edixerat enim vt in adulterio deprehensis eruerentur oculi, quam legem quum filius eius temerasset, eidem oculum excuti iussit, & sibi alterum, vt eam probaret firmius. Vnde, Zaleuci lex, prouerbio locum fecit, de tetrico nimis edicto, vt adnotauit Textor. in officinā. lib. 5. cap. 34. Lycurgus Lacedæmoniorum Legislator, patria excedens, iureiurando ciues suos adegit, ne priùs leges suas mutarent, quàm ipse reuersus esset. Voluntario igitur exilio in Cretam abiens, illic mortuus, cineres suos in mare proijci iussit, ne fortè illis in patriam relatis, ciues se sacramento solutos arbitrati, saluberrimas leges abrogare vellent, auctor Plutarchus in Lycurgo, & Trogus Pompeius l. 3.

Zaleucus telo obseruantiæ legis suæ oculo se priuat.

Lycurgus.

Iam si tanta mortalibus legum suarum cura, quantam esse putamus, Deo immortali, vt quas condidit leges ex amussim & intemeratè seruentur? Leges humanæ titubant plerumque & errant, quòd earum Patres circumspicere omnia, & prouidere nequeant. Legislator Deus, errare non potest, quodque semel statuit, quia firmum, fundatumque est, non vagatur. Legi eius tenemur omnes, in cuius obseruantiā adest nobis, longè autem abest in præuaricatione; & supplicia, eam conculcantibus comminatur: psal. 88. *Si autem dereliquerint Filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Et quis non primùm spectauit Deus, quibus modis immodestos puniret, sed quâ ratione mortales adduci possent, vt ne quid vellent pœnâ dignum admittere, præclaris institutis eos informauit, quæ sine diuinitatis iniuriâ transgredi non liceret: Quare, cùm illa quæ facere à Deo vetamur, admittimus; vetantis iussa calcamus, ceruicem subducimus, velut in ius proprium transituri, atque ita ignem accendimus quo perituri sumus: nam quum ea quibus torqueamur, admittimus, ipsi tormentorum nostrorum sumus auctores, siquidem ipsa transgressio legis, nostrum iudicium est. Exemplo sit vir ille Dei. 3. Reg. 13. qui venit de Iuda in sermone Domini in Bethel, & prædicationis imposito sibi munere perfunctus, reuertens, ad alium Prophetam vt manducaret, contra præceptum Domini diuertit seductus; propter quod digressus ab eo, à Leone in viâ interfectus est.

Leges humanæ, erroti obnoxiæ.

Psal. 88.

Eapropter si famuli Principum magnopere student eorum iussa adimplere: si 2. Reg. 18. miles nuntius suspensi Absalonis in patibulo non manu facto, rogatus cur non illum pendentem confodisset, mox obiecit mandatum regium de seruando Absalone: quid non agere debemus, vt supremi Imperatoris iussa intemerata seruemus? Si sermones regios pro institutis esse velit Isocrates ad Nicoclem, in fine, totidem verbis: *Verba mea pro legibus habete, operamque date vt eis obtemperetis: ac scitote fore, vt his qui maximè voluntati meæ satisfacere studuerint, viuere liceat vt ipsi volunt:* quanto maioris virtutis atque potentiæ est verbum Dei, vt nobis pro lege sit, in quā salus & vita nostra est, & à quâ, qui legitimè eā vtetur, liber est: iusto enim non est lex posita: quia nō potest venire lex contra mores, quæ iam habetur in moribus, inquit Saluianus lib. 5. de prouidēt. & iudicio. De verbo autem Dei scriptura testatur, *Verbum eius plenum potentia;* & verè tam potens est, vt illo reges potentissimi concutiantur, terreanturque. Fatetur Dauid psal. 118. *Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis trepidauit cor meum*, quasi dicat, quanquam principes me persequerentur, atque iniusta in me exercerent, nihilominus non desinebam vereri mandata tua, ne vindictæ pulsatus appetentiâ, à lege tua vetante, declinarem, quia licet illi sint principes iniurij; tu iustus, maior, potentiorque es, cui proinde parendum est, vtpote cuius consilio ac dispositione, istud permissum est; nam licet sine culpâ, non tamen sine causâ persecutionem illam passus sum sub Saule, vt rectum sit iudiciū tuum. *Nequaquam enim iniustum possumus dicere*, inquit Saluianus lib. 1. de prouident. & iudicio. *In quo diuinum esse iudicium non possumus denegare, quia summa iustitia est voluntas Dei. Neque enim ideò iniustum est quod diuinitas agit, quia capere vim diuinæ iustitiæ, homo non valet.* Quis enim mortalium quā ratione passus sit Iob sanctus, plenā cognoscet indagine? humanæ istud imbecillitatis non est: afflictus est interea, & ærumnosus factus, diuinæ obtemperauit voluntati, cuius, se totum, beneplacito commisit, quum direptam omnem substantiam suam, flammisque cœlestibus vastatam, filiorum suorum indignā morte oppressorum calamitatem, atque totius sui corporis plagam, patientissimè tolerauit. Neque enim impatientiæ fuit, quod vestimenta sua sciderit, siquidem hoc extorsit acerbitas doloris; quo se loqueri, non sine virtute prodidit. *Neque enim habent fortitudinis laudem*, inquit D. Ambros. lib. 10. in Luc. *qui stuporem magis vulnerum tolerant, quàm dolorem.* Et quod tonso capite corruens in terram adorauit, & dixit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc:* apertè significauit, se in illâ suâ calamitate, & strage suorum, Deum sequi, cuius voluntate agitabatur, conflictabatur, probabatur; sentiebat enim nihil planè sapienti viro nocere posse, quod & indicauit Horatius lib. 1. epistolar. ad Quintium.

6. Reges quod iusserint seruatum volunt.

Psal. 118.

Iniustum nihil est, vbi diuinum iudicium est.

S. Iob patientia.

Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet. Et manicis, &
Compedibus, sæuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simul atque velim, me soluet opinor.
Hoc sentit, moriar, mors vltima linea rerum est.

Anaxarchus

Hoc & sentiebat Anaxarches Philosophus, qui cum pistillis ferreis tunderetur, dixit, Anaxarchi manticam tunde, Anaxarchum non contundis.

7. Voluntati diuinæ non resistit, qui malis suis remedia quærit.

Quanquam verò flagellanti Deo hoc dandum sit, vt illius voluntati, nostram velimus submitti, non ideò tamen in ærumnis positi, de earum remedijs cogitare prohibemur: quinimò alienum esset à Christiana pietate, atque prudentiæ regulis aduersarium, ita in malis nostris decumbere, vt de erectione nihil procuraremus, quia nimirum, quod percutimur, ex Dei voluntate est. Velut namque deridiculum est dicere, incendijs ædes deuastantibus non obuiandum; propugnaculum vel arcem, bellis ingruentibus non esse muniendam; pestiferâ lue grassante, non esse sibi fuga consulendum; per aëris temporumque intemperies, Deum non esse precibus adeundum; nulla infirmis procuranda sanitatis præsidia, atque ita de reliquis: ita desiperet omnino, qui ærumnis affectus a Deo, humana remedia non esse admittenda iudicaret: fore enim vt sic, non tam diuina voluntas in ijs permittendis commendaretur, quàm humana peruersitas, stupor, atque ignauia proderetur. Etsi enim certissimum sit nos diuino permissu calamitatibus vrgeri, quia tamen præfinita durationis illarum tempora nobis sunt incognita; ad Deum recurrere vt liberemur, media in hanc rem & remedia inquirere, diuinæ voluntati haud aduersatur. Siquidem Moises Num. 21. post immissos à Domino in Israeliticam gentem serpentes ignitos, deprecatus est pro populo. Et 2. Reg. 24. pestilentiâ grassante non frustra publica sacrificia instituta, vota concepta, & orationes. Iona quoque 3. Niniuitæ auditâ Dei voluntate, comminationes eius, pœnitentiâ insigni auertere studuerint. Nam qui calamitates, ærumnas, ægritudines immittit Deus, nostra non excludit remedia, sed nostram, nostrorumque valetudinē nos curare vult, adeò vt reprobis dicturus sit, æger fui & non subuenistis mihi.

Voluntati diuinæ cognitæ, quis resistat.

Quod si tamen Oraculum ediceret, certoque sciremus, eiusmodi esse Dei voluntatem; vt Ciuitas aliqua hostium potestati traderetur; reluctari criminosum foret; vnde peccarunt Iudæi, Ieremiæ 38. qui renuntiante Prophetâ absolutam Numinis voluntatem, Regi Babylonis sese dedere noluerunt. Quo casu nihilominus, compati atque condolere concessum est, citra quàm voluntati diuinæ refragemur. Exemplo sit Diua

B. Virginis conformitas cum Dei voluntate.

Virgo Seruatoris Christi Mater sanctissima, quæ non ignara diuinæ voluntatis; absolutè quoque ipsa voluit filium suum in cruce mori, nihilominus compatiebatur morienti; quare ex conformatione suæ voluntatis cum diuinâ, constantiâ magnâ, *Stabat Mater*, & ex compassione, doloris transfixa gladio, *dolorosa, iuxta crucem lacrymosa, dum pendebat Filius*, pro quo & crucifigi & mori voluisset: tantus erat commiserationis illius affectus.

Sed si quispiam reuelante Deo sciret se fore damnandum, nunquid is diuinæ isti voluntati se conformare teneretur, atque ita de sua salute desperare? Nequaquam. Etsi enim Deus, cui nihil futurum est, aut præteritum, sed simul omnia in æternitate sunt præsentia, intelligat perditionem alicuius vt præsentem: quia tamen diuina intellectio, nullam ponit necessitatem in re intellecta, sed illam, ex conditione præsentiæ inuenit, quia omne quod est, dum est, necesse est esse; imò inuoluit contradictionem, Dei intellectionem, actionibus aliquam necessitatem imponere, etsi cui damnationem eius, reuelaret, quam intelligit: non teneretur is se illi volūtati reuelanti conformare, imò nec deberet, sed potiùs ad Deum conuerti, & misericordiarum patrem deprecari, vt perditionem nostram, quam ex actionibus nostris intellectis futuram, ceu præsentem intelligit, sua gratia auertere dignaretur: præsertim quia perditio nostra, non ideò futura est, quia Deus illam intelligit, alioqui necessitatem nobis imponeret intelligendo; sed quia illa ex nobis est, ex Deo autem auxilium nostrum.

8. Voluntatis nostræ cum diuina quàm exacta esse debeat conformitas.

Cæterùm autem, quàm exacta esse debeat nostræ voluntatis cum diuina conformatio; satis exprimitur, quum dicitur, *Sicut in cælo & in terrâ*. Vbi quidem, *sicut*, non dicit æqualitatem; fieri enim non potest, vt in perficienda Dei voluntate, gigantes illos qui extra fortunam sunt, & humana adæquemus: sed imitamentum quoddam significat, vt quemadmodum cælites, perfecta charitate vniti, Dei voluntatem exequuntur, sicut psal. 102. dicitur, *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius*: ita qui in terris tenemur, charitatis vinculo in vnum conuenientes, diuinæ voluntati exequendæ, toti incumbamus, velut in cæli imagine: quam D. Chrysostomus à nobis exhiberi iubet. Vt si in cælis, tanta futura est animæ & corporis beati & beatorum inter se concordia, vt vnioni, quæ est inter oculos nostros teste D. Anselmo lib. de similitudinib. cap 63. assimilari possit, vno eorum sine altero non valente se sursum, aut deorsum mouere, ita in nobis vna sit anima & vnum cor in Deo, etiam cum ipsis Angelis Dei, qui nostra condelectantur concordia, eidemque adunantur, vti scribit Firmilianus apud D. Cyprian. epist. 75. totidem verbis: *Adunatio enim, & pax, & concordia, non solum hominibus fidelibus, & cognoscentibus veritatem; sed & Angelis ipsis cælestibus voluptatem maximam præstat: quibus dicit sermo diuinus: esse gaudium in vno peccatore pœnitentiam agente; & ad vnitatis vinculum reuertente. Quod vtique non diceretur de Angelis, conuersationem in cælis habentibus; nisi ipsi quoque nobis essent adunati, quia nostrâ adunatione lætantur: sicut è contrario vtique contristantur, quando vident diuersas quorundam mentes, & scissas voluntates, quasi non tantum non vnum & eundem Dominum simul innocent; sed separatos & diuisos ab inuicem; nec confabulatio iam possit esse, aut sermo communis.*

Psal. 102.

Concordia beatorum, oculorum vnioni comparatur.

Macarius.

Præclarum concordiæ exemplum habetur in speculo, dist. 2. exemp. 205. Orante in cellâ Macario, facta est ei vox dicens, Macari nondum peruenisti ad mensuram illarum duarum mulierum ciuitatis. Surgens ergo senex mane accepit virgam suam palmeam, perrexitque ad ciuitatem; ad quam cùm peruenisset, reperto, qui indicatus fuerat loco, pulsauit ad ianuam. Egressa vna illarum suscepit eum in domum suam: & cùm sedisset, vocauit eas, & sederunt cum eo: quibus senex, propter vos tantum laborem pertuli: dicite itaque mihi operationem vestram? at illæ dixerunt: crede nobis, quia hac nocte non fuimus in cubili sine viris nostris, quam ergo operationem possumus habere? At verò senex cum satisfactione rogabat eas, vt manifestarent ei actum suum. Tunc dixerunt ei, nos

quidem

quidem secundum sæculum extraneæ sumus nobis, placuit autem nobis nubere duobus fratribus secundum carnem, quindecim hodie annos nos duæ habitamus in hac domo, & nescimus si aliquando litigauimus ad inuicem, aut turpem sermonem dixit vna ad alteram, sed in pace & concordiâ pergimus totum spatium hoc. Subintrauit autem in animum nobis ingredi religionem, & monasterium Virginum, & rogati viri, non consenserunt: & quia eorum consensum hac in re impetrare non potuimus, pepigimus inter nos & Deum, quod ex nunc ad mortem vsque, nullum sæculare verbum ex ore nostro prodiret. Tum Macarius: non est personarum acceptio apud Deum, sed dona sua, & Spiritus sancti gratiam, distribuit, quibus vult. Fuit igitur inter has mulieres, etiam in coniugio positas, facies quædam cæli; quæ, velut aulici, qui ab aula licet procul degant, aulico tamen more viuunt & vestiuntur, eoque curiosiùs, quò cuiùs se ad aulam ituros sperant; cælituum concordiæ, ad eorum societatem anhelantes, atque adeò diuinæ voluntati sese conformare, studuerunt. Exemplo non minus graui Abbas Arsenius, sicut habetur apud D. Ephræm Syrum, in Apophthegmatis Patrum. 7. diuinam inuestigauit & secutus est voluntatem, qui cùm adhuc in palatio versaretur, sic Deum precatus est, dirige me Domine, vt saluari queam: & vox ad eum descendit; Arseni, homines fuge & saluaberis. Qui vitâ solitaria arrepta, secedens, iterum eundem orauit sermonem ad Dominum, dicens: audiui vocem mihi dicentem: Arseni, fuge, tace, & quietem sectare: nam ex radices sunt, quibus vitatur peccatum. Audiuit, & quod audiuit, opere expleuit.

Arsenius Abbas.

Magnum est & felix, voluntatem nostram (quam agricolæ similem esse dixit D. Ephræm Syrus, serm. Ascetico de vitâ religiosâ) ita submittere, vt diuinis formata legibus, vellat quod spontaneum & deterius est naturæ, atque humanæ consuetudinis; & plantet quod melius generosiusque est; resecet arboris nostræ ramusculos inutiles, & bonorum fructuum surculos vtiles inserat. Audiamus magnum illum Ascetarum Patrem. *Voluntas*, inquit, *cùm libera sit ac sui iuris, tanquam agricola quidam est, naturæ nostræ consuetudines prauas inserens, & bonas, sicus ipsa voluerit.* Quomodo autem id fiat, docet, dicens. *Malas quidem hac inserit ratione: per famem, gulam: per sitim, immodicam potationem: per somnum negligentiam atque torporem: per affectum, cogitationem improbam; & per veritatem mendacium inserit. Similiter virtutes bonas, hoc inserit modo. Cibo inserit temperantiam: siti tolerantiam: somno vigilias: veritatem mendacio: affectui, pudicitiam.* Et post pauca: *Nam veluti terra quædam actionis nostræ, natura est: eius agricola voluntas est.* Et quia agricola noster sine consultore periclitatur, pædagogo illi opus est, per quem instruatur, & cui pareat; quare subdit Consiliarios & Magistros illius esse diuinas scripturas: *Docent enim nostrum agricolam, quas quidem consuetudines prauas euellere, & quas virtutes bonas inserere debeat. Nam quantumuis ingeniosus ac vigilans, diligensque noster agricola fuerit, absque diuinarum Scripturarum doctrinâ, obtusus est & informis, prorsusque rudis. Siquidem sacrarum literarum institutio atque doctrina, intelligentiam ipsi, viresque præbet, & virtutes bonas ex proprijs ramis ac surculis illi administrat, vt eas naturæ suæ ligno inserat:* fidem, spem, charitatem, aliasque virtutes, quas adhærens Magistro & consiliario suo agricola, naturæ suæ inserit: quem si dereliquerit, ab illo quoque derelictus in vitia contraria incidet, & efferascet, sicut tradit D. Bernard. serm. 3. de resurrect. Domini, Vbi voluntatem propriam quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostrâ tantùm, quando quæ volumus non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum; lepram cordis appellat, sicut & proprium consilium, lepram nimis pessimam, quæ cò sit perniciosior, quò magis interior. Nam si interni corporis morbi, externis, difficiliùs curantur, eoque sunt periculosiores, quò intra viscera profundiùs latent: Quid animi morbi, sensu imperceptibiles, cognitu difficiles: Quantam illi perniciem afferunt? Vt lætiùs impellit agitatque tempestas, quæ portum ne adeatur, præcludit naui; quàm quæ illam in portu continet, ne vela faciat: sic animi morbi fæuiunt perniciosiùs, quàm corporis, tempestatem tolerant hi; ast illi passionum motibus mentem in diuersa pellunt, serenitatem animi turbant, mentem conquiescere non patiuntur, rationem directricem excutiunt, atque animam temerè fluctuantem, ad mortis æternæ scopulos tandem allidunt.

9.
Voluntas nostra velut agricola est.

Natura nostra terra est quam voluntas colit.

Lepra cordis, quæ?

Eiusmodi sunt lepræ animi, siue propriæ voluntatis motus, cui contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est, aduersus quem inimicitias exercet, & bellum crudelissimum, non vt per illud exaltetur, sed vt deprimatur proprijs fluctibus, quos concitauit, & vindicibus flammis torqueatur. *Quid enim punit, aut odit Deus præter voluntatem propriam?* inquit D. Bernardus. *Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deseuiet, nisi in propriam voluntatem? Etiam nunc cùm frigus, aut famem, aut aliquid tale patimur, quid læditur nisi propria voluntas?* & infrà. *Porrò voluntas propria quo furore Dominũ maiestatis impugnet, audiant, & timeant serui propriæ voluntatis. Primò namque seipsam subtrahit & subducit eius dominatui, cui tanquam auctori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac iniuria? Addit adhuc, & quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt, tollit & dirripit:* & ipsum Deum perimit: *Omnino enim vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo Deum non esse Deum, quæ, quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, rapacissima lupa, & leæna sæuissima. Hæc est immundissima lepra animæ, propter quam in Iordane mergi oporteat, & imitari eum qui non venit facere voluntatem suam; vnde & in passione: Non mea, inquit, voluntas, sed tua fiat.* Quia verò ea nobis adhæret nascentibus, Idem Doctor Mellifluus serm. de duplici baptismo, monet, vt adolescentes vbi discretionis annos attigerint, ab ea quæ dormit in uno caueant, propria scilicet voluntate.

Charitas voluntati propriæ aduersatur.

CAPVT XXXVI.

De pane quotidiano.

QVod D. Cyprianus lib de Idolor. vanitate, de Iano, siue Ianuario mense, quem veteres bifrontem esse voluerũt, tanquam medium spectatorem mensium recedentium & sequentium; scribit totidem verbis: *De nomine Iani Ianuarius mensis institutus est, ipse bifrons exprimitur, quòd in medio constitutus, annum incipientem pariter & recedentem spectare videatur.* Itidem hic euenire videtur vbi quarta petitio orationis Dominicæ, medium locum tenet, antecedentes respiciens, & consequentes: quarum *Considerandus, & commendanda distinctio est*, inquit

1.
Ianus cur bifrons.

quit D. August. lib. 2. de serm. Domini in monte. cap. 10. *Nam cùm vita nostra temporaliter nunc agatur, atque speretur æterna; & cùm æterna priora sint dignitate, quamuis temporalibus prius actu ad illa transeatur: trium primarum petitionũ impetrationes in hac vitâ, quæ in isto sæculo agitur, exordium capiunt. Nam & sanctificatio nominis Dei ab ipso humilitatis Domini aduentu agi cœpit, & aduentus regni eius, quo in claritate venturus est, non iam finito sæculo, sed in fine sæculi manifestabitur: & perfectio voluntatis eius, sicut in cœlo, & in terrâ: siue iustos & peccatores cælum & terram intelligas, siue spiritum & carnem, siue Dominum & Ecclesiam, siue omnia simul: ipsa perfectio est nostræ beatitudinis, & ideò sæculi terminatione complebitur, tamen omnia tria in æternum manebunt: nam & sanctificatio nominis Dei sempiterna erit, & regni eius non est finis: & perfectæ nostræ beatitudini, æterna vita promittitur.* Appositè Tertullianus lib. de oratione: *Sed quàm eleganter diuina sapientia ordinem orationis instruxit? vt post cælestia, id est, post Dei nomen, Dei voluntatem, & Dei regnum, terrenis quoque necessitatibus, petitioni locum faceret?* Reliqua enim quæ petimus ad temporalem vitam pertinere omnino videntur, siue ea spiritualia sint, siue corporalia. *Quorum primum est*, inquit D. Augustinus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hoc ipso enim quod dictus est quotidianus panis, siue spiritalis significetur, siue in Sacramento, aut in victu iste visibilis, ad hoc tempus pertinet quod appellauit hodie: non quia spiritalis cibus non est sempiternus, sed quia iste qui quotidianus dictus est in scripturis, siue in strepitu sermonis, siue quibuscunque temporalibus signis exhibetur animæ: quæ omnia tunc vtique non erunt, cùm omnes erunt docibiles Deo, & ipsam ineffabilem lucem veritatis, non motu corporum significantes, sed puritate mentis haurientes. Nam fortasse & propterea panis dictus est, non potus, quia panis frangendo atque mandendo, in alimentum conuertitur: sicut Scripturæ aperiendo & disserendo animam pascit: potus verò paratus, sicuti est, transit in corpus. Vt isto tempore panis sic veritas, cùm quotidianus panis dicitur: tunc autem potus, cùm nullo labore disputandi & sermocinandi, quasi frangendi atque mandendi, opus erit, sed solo haustu sinceræ & perspicuæ veritatis. Et peccata nunc nobis dimittuntur, & nunc dimittimus, quæ harum quatuor reliquarum secunda petitio est. Tunc autem nulla erit venia peccatorum, quia nulla peccata & tentationes quæ temporalem istam vitam infestant. Non autem erunt, cùm perfectum erit quod dictum est: Abscondes eos in abdito vultus tui. Et malum, à quo liberari optamus, & ipsa liberatio à malo, ad hanc vtique vitam pertinet, quam & iustitiâ Dei mortalem meruimus, & vnde ipsius misericordiâ liberamur.* Hactenus Diuus Augustinus.

Cælestia quærenda prius, post temporalia.

Panis quotidianus quis intelligatur.

2. Ordo petitionum orationis Dominicæ. Matth. 6.

Atqui ex harum collatione ad inuicem, & distinctione petitionum, quartam quæ media est, & deinde cæteras, ordinatissimè institutas colligimus, & quidem iuxta præscriptũ ipsius Domini dicentis: *Quærite primum regnum Dei, & cætera adijcientur vobis.* Priores namque petitiones quæ ternario numero continentur, solius Dei gloriã & honorem, nostramque salutem, primariá intentione petunt, ceu finem vltimum omnis creaturæ, in quem redeunt vniuersa. Posteriores verò quatuor, secundariâ intentione, in mediorum consecutionem collimant, per quæ ad præstitutum à Creatore finem, rationalis naturæ transgreditur: & quorum propterea, indepto fine, in supernâ illâ vitâ beatorum, nulla sit futura necessitas.

4. petitione necessaria vitæ postulantur.

Quarta igitur petitio, ad hoc instituta est, vt quæ ad vitam corporalem sustentandam & conseruandam sunt necessaria, postulemus, vti sunt, victus, amictus, habitatio, & similia: victus aduersus famem & esuritionem; vestitus aduersus pudendam nuditatem; habitatio aduersus ferarum incursus, atque aëris iniurias. Quos vitæ temporalis morbos, quia non capit futuræ vitæ æternitas, Apocal. 7. dicitur: *Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, nec vllus æstus, quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos: & deducet illos ad vitæ fontes aquarũ & absterget Deus omnẽ lacrymam ab oculis eorum:* Ceu blanda mater, vt vult Pannonius, apud Blasium Viegam in Apocal. cap. 7. Commentar. 5. sect. 9. num. 6. quæ filium paruulum plorantem amplectitur, delinit blanditijs, lacrymas extergit, & vbera præbet. ita Dominus sanctos suos, asperitate laborum fractos, atque ex hac vitâ cum lacrymis emigrantes, benignè, cælo, & sinu suo excipit, atque lacrymam omnem eorum, linteo gloriæ abstergit. Id quod ab Isaiâ quoque pronuntiatum cap. 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie:* deterso scilicet humanæ consuetudinis puluere, atque mortalitate ipsâ confusionis nostræ, in gloriæ immortalitatem commutatâ. Quanquam enim Eusebius Cæsariensis lib. 4. Præparat. Euangelicæ. cap. 12. & Arias Montanus in Isaiam. cap. 25. hunc locum intelligant de redemptione mundi factâ per Christum, in quâ peccatorum nostrorum lacrymas absterlit, & mortem, iuxta verbi Hebraici בלע *balahh* significata, deuorauit, deglutiuit, destruxit, deleuit, perdidit, præcipitauit, secundum illud 1. Cor. 15. *Absorpta est mors in victoriâ*, quod idem est cum illo: *Præcipitabit mortem in sempiternum*, siquidem לנצח *lanetsahh, in victoriam, &, in sempiternum*; eadem prorsus sententiâ vertitur. Et illud 1. Petri 3. *Qui est in dexterâ Dei deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur.* Nihilominus tamen etiam ad statum gloriæ referri potest, in quo absorptâ morte per immortalitatem vitæ in Christo, lugentium, & laborantium, atque in areâ huius vitæ desudantium facies, commutabuntur in claritatem vultus filiorum Dei, quod Ezechielis 10. significatum videtur, vbi bouis facies, quæ in animalium visione, capite primo, ei ostensa fuerat, in Cherub faciem est commutata.

Apocal. 7.

Isa. 25.

1. Cor. 15.

1. Pet. 3.

3. 5. Petitio est de remissione peccatorum. Prou. 20.

Quinta petitio, tota circa remissionem peccatorum versatur, & completur in hac vitâ mortali, in quâ, *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Prouerb. 20.

Vnde Horat. 1. sermon.

Nam vitijs nemo sine nascitur: optimus ille est
Qui minimis vrgetur.

In futurâ autem vitâ, nullum erit peccatum, quod donari possit, qualis enim quisque hinc egredietur, talis in iudicio præsentabitur. Ita D. Augustinus 25. dist. c. qualis. Et testatur Scriptura Ecclesiastæ 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem: in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Homo, lignum est, seu arbor, quæ falce mortis inopinatâ cadit, vel ad Austrum, siue meridiem, quando in gratiâ moritur, quæ per Austrum pluuium significatur: vel ad Aquilonem, quando in mortali decedit, quod per Aquilonem ventum frigidum & nubes dissipantem, atque ita gratiæ pluuiam impedientem, intelligitur. Nam & Austri calor, ignem charitatis significat, quem Dominus venit mittere in terram. Luc. 12. frigus autem Aquilonis, malitiam, de quâ Matth. 24. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

Eccles. 11.

Matt. 24.

Est & sexta petitio, tota terrenæ huius peregrina-

grinationis, in quâ plurima recurrunt offendicula, & tentationes, incitamenta scilicet, & irritamenta ad peccandum prouocantia, vt propterea meritò Iob. cap. 7. istud pronuntiarit, *Militia est vita hominis super terram*; siue, vt alij legunt, *Tentatio est vita hominis, super terram*: Quid enim non sit in hac vitâ plenum difficultate, plenum periculis, & discrimine? Quem non habeas hostem aduersum te armatum, quando & ab interna, tecumque natâ inclinatione periclitaris, & corruis? Humana vita locus est, quem prædones & piratæ infestant, quorum vt insidias & grassationes, absque peccato eluctemur, postulamus. In æterna vitâ locum non habet ista petitio, ibi enim hostis nullus, nullus peccandi metus, ibi certa securitas, & secura æternitas, & æterna beatitudo, quæ est eorum qui in hac vitâ aduersus tentationes luctati sunt & vicerunt, corona & gaudium.

6. Petitio tentationes vitæ respicit.

Iob. 7.

Vitam humanam prædones infestant.

5. Septima denique petitio in hac quoque vitâ completur, vbi tam animæ, quàm corporis mala sunt, à quibus liberari petimus, præcipuè verò à peccatis & morte eterna. Nihil horum inuenies in æterna illâ & beatâ vitâ, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, sicut descripsit Boëtius lib. 3. de Consolat. prosâ 2. atque ita perfectus, vt nec ipsa præteritorum huius vitæ malorum recordatio, beatos fatigare possit. Nam si guttula humanæ gloriolæ, plurium annorum seruitutis, ignobilitatis, & laborum Sancti Patriarchæ Ioseph, primatum apud Pharaonem consecuti, extinxit memoriam, Gen. 41. vt propterea primogenito suo, Manasses, id est, Obliuio, nomen imposuerit, dicens: *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum*: Quid non faciet immortalis gloriæ Oceanus, quo inebriabuntur Beati; & sanctè ebrij, *Misericordias Domini in æternum cantabunt*? Psalm. 88.

7. Petitio mala respicit vt ab eis liberemur.

Gen. 41.

Psal. 88.

Sed iam quæritur, Quomodo incessanter cantat misericordias Dei, qui miseriarum non meminit? aut si meminit, quomodo perfectè beatus esse possit? Respondet Diuus Gregorius lib. 4. Moral. cap. 41. plerumque fieri, vt ingenti gaudio affecti, præteritorum malorum & miseriarum recordemur, absque vllâ tristitiâ, velut in firmâ valetudine, delectamur; & ægritudinis dolores sine dolore recolimus. Sic erit in cælis, nullas luci beatitudinis tenebras offundet, præteritorum malorum recordatio. Veruntamen qui poterit esse culparum admissarum memoria, sine dolore & pœnitentiâ?

Diuinæ istud potentiæ dant nonnulli, quæ non minùs à cognitione & memoriâ peccatorum, dolorem & pœnitudinem separare potest, quàm ab ignis ardore, eiusdem splendorem. Namque, vti Diuus Basilius inquit, in illud Psal. 28. *Vox Domini separantis flammam ignis*. Duplex inest igni proprietas, adustiua vna, illustratiua altera, & vnam ab alterâ separauit Deus, Dan. 3. quando regiæ iniquitatis ministros interfecit, è fornace ebulliens flamma ignis, tres verò pueros, in fornacis flagrantissimæ sinu susceptos, sic illustrauit, vt ne quidem pilus capitis eorum videretur adustus. Sic quoque ab ardore ignis sine claritate patientur damnati; & splendore sine ardore, illustrabuntur Beati. Velut ergo omnipotens Creatoris manus, vnam ab alterâ eiusdem rei proprietatem diuidit, ita quoque à Beatorum memoriâ, & recogitantiâ culpæ, eius dolorem & pœnitentiam separabit.

Memoria culpæ in Beatis absque pœnitentiâ & dolore.

Psal. 28.

Diuus Bonauentura in 4. dist. 43. num. 3. hoc ex modo considerandi, prouenire ait. Quia nimirum Beati nunquam absolutè mala sua cogitant, sed semper in comparatione Dei liberatoris, qui eorum omnem sustulit miseriam: quomodo Diuus Petrus, negationum suarum recordatur sine dolore, quas hic amarissimè defleuit.

Alij caussam huiusce rei, in status Beatorum conditionem & dignitatem reijciunt: vbi licet Angeli tenerrimè nobis afficiantur, ex malis tamen nostris nihil percipiunt tristitiæ, quia absorpti sunt ab inundante gloria. Sicut enim si Oceanus, totus melle flueret & refflueret, nihil prorsus amaritudinis ex incidente fellis guttulâ, contraheret, ita gloria & gaudium Beatorum, mille oceanis vastius, nihil pœnitudinis, nihil doloris capit, ex illabente stillulâ reminiscentiæ culpæ præteritæ. Id quod à Regio Cantore significatum videtur, quum inquit, Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ*. Licet enim Theodoretus hunc locum, ad præsentium bonorum spiritualium affluentiam referat, quæ torrentis instar citò præterfluit, & mentes Sanctorum in hoc breui mortalis æui decursu rigat. Non desunt tamen, qui eum quoque de æterna felicitate intelligunt, quam, torrentem appellari, duplici potissimùm de caussâ volunt; primò, propter impetum & copiam, sicut adnotauit Blasius Viegas, Apocal. capite 7. Commentar. 5. sect. 9. num. 5. Secundò, quia sicut torrens natiuo impetu, aquarum vi, omnia secum obstacula rapit, ita superna voluptas & gaudium, quæcunque delectationi aduersantur, in æternum tollit ac destruit. Et ne hunc sensum torrentis similitudo euertere videretur, addidit Propheta, *Quoniam apud te est fons vitæ*: quasi diceret, ne quis putet Beatorum felicitatem, torrentis instar, defecturam: non ab imbre est gratiæ breuis æui huius, torrens ille, quem potabunt, & quo inebriabuntur, vt dulcedinis influente in mentes Beatorum, easque inebriante atque absorbente ineffabili lætitiâ; sed à fonte vitæ perenni & nunquam defecturo, ortum habet. Atque ita nullum ibi futurum est malum, à quo vt liberetur postulare quis possit.

Psal. 35.

Capitis 36. §. 1.

Quid Panis nomine intelligatur?

QVemadmodum, vt inquit Diuus Bernard. sermone 4. de altitudine & bassitudine cordis, æger, vel læsus, videt vulnerum suorum ligaturam, ipsa autem sub pannis vulnera meditatur; ita necessitates quas patimur, famem, sitim, ærumnas, atque alia huius vitæ incommoda, tanquam quasdam vulnerum nostrorum ligaturas videmus, ipsum autem peccati vulnus, quod nos paradiso expulit, sub pannis istis meditamur. O vulnus acerbum, quod in Adamo, humano inflictum generi, ex ornatissimâ creaturâ, pannosam fecit! O dirum serpentis virus, quo ictus Adam, in aliam, quam creatione sortitus erat, transformatus est conditionem! Rabidus canis, quem momorderit, rabidum facit: ita serpens ille antiquus, dentem virulentum infixit Adæ, & infecit; atque, ceu Actæonem, quem humanâ exutum specie, & ceruinâ indutum, proprij canes dilacerarunt, ita immutauit, vt tanquam in prædam, hostemque

1. Incommoda vitæ sunt ligaturæ vulneris peccati.

hostemque suum, omnis in eum armaretur creatura, quantumuis antè familiaris & subdita; Nam terra quæ ad oblectationem illi ante peccatum data, post illud ad laborem & sudorem concessa, spinas & tribulos germinauit in pœnam; Non quòd ista non essent priùs, sed quod nil nocerent homini. Sicut enim hystrix, ex herinaceorum genere, spinis contegitur pilorum & armorum loco, & spinas si quando libitum fuerit, vt pauo caudam erigit: assiduis tamen aculeorum nimbis, canes vulnerat ingruentes, in quos laxatas spinas eiaculatione emittit; vt scribunt Plinius lib. 8. cap. 35. Conr. Gesnerus, & alij. Ita, quæ ad stirpium & herbarum naturam erant spinæ & tribuli, hæc ad inimicitiam, peccatum prouocauit; atque hominem inter ipsos hostes, rerum omnium inopem fecit: qui ante illud, præclaris naturæ dotibus, virtutumque ornamentis instructus, rerum ad vitam instituendam, affatim locuples fuit.

Hystricis natura.

Namque vt Platonis in Protagorâ, sub persona Socratis fabulam de artium origine prætercam, de quâ Lactant. lib. 6. cap. 10. Pier. Valerian. in Hieroglyphicis eruditi viri lib. 1. cap. 16. & alij, distributas nempe ab Epimetheo in bruta animantia, facultates & ornatus omnes, quorum, in singula mortalium genera, vbi primùm lucem viderent, distribuendorum curam, à Dijs, vnà cum Prometheo fratre, acceperat; hominem verò, nudum atque inermem relictum: Promethei circa hominem sollicitudinem, furtiuos, in communem Vulcani & Mineruæ domum, ingressus, indeque furto sublatum ignem & sapientiam, igneam Vulcani artem & aliam Mineruæ, quas homini contribueret, vt Diuinæ sortis particeps factus per ignem, Deum cognosceret & coleret; atque inditâ ingenij vi, quæ fax animæ, siue cælestis igniculus inueniendis artibus idoneus, per artem, habitationes, vestes, calceos, strata, & alimenta inueniret. Vt, inquam, istud omittam; abundè nobis est, hominem creationis suæ initio, perfectâ scientiâ ornatum, atque rebus omnibus ad victum necessarijs, accuratè instructum fuisse. Eleganter Lactant. lib. 7. de Diuino præmio, cap. 4. *Data est illi sapientia, vt cognitâ bonorum, malorúmque naturâ, & in appetendis bonis, & malis declinandis, vim suæ rationis exerceat. Nam cæteris animalibus, quia sapientia non data est, & munita induments naturalibus, & armata sunt: homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem solam dedit. Itaque nudum formauit & inermem, vt eum sapientia, & muniret & tegeret. Munimenta, & ornatum eius, non foris, sed intus, non in corpore, sed in corde constituit.* Sed interueniente peccato, intellectus obscuratus est; appetitus, ab animi affectibus & ardente concupiscentiâ exulceratus; corpus necessitate & passibilitate percussum. Quibus vulneribus quanquam à Diuinâ prouidétiâ medicatum est, quæ ignorantiæ, Philosophiam naturalem, & scientias speculatiuas opposuit; concupiscentiæ, Philosophiam moralē, & scientias practicas; necessitati, artes mechanicas, quæ ferè his nominibus censentur,

Artium origo fabulosa.

Adæ indita scientia.

> *Lana, nemus, miles, venatio, rus, medicina,*
> *His ars fabrilis connumeranda venit.*

Hærent tamen conditioni mortalium, fames, sitis, somnus, lassitudo, frigus, calor, & moriendi necessitas, quapropter nobis panem donari meritò deprecemur; hoc est, omnibus vitæ huius necessitatibus, à Numinis beneficentiâ subueniri: instar peregrini, qui ne deficiat in viâ, mendicat refrigerium. Neque enim temporalia hæc propter se petenda sunt, sed propter vlteriorem finem, vt dum petuntur, vnum petatur; nempe Cælestis Patria, ad quam per huiusmodi vitæ subsidia, tanquam per instrumenta necessaria, itur; quæ cum petuntur, vnum petitur, finis scilicet, siquidem teste Philosopho 3. Topicor. quando vnum petitur in ordine ad aliud, habent tantùm rationem vnius; quare, *Sicut non absurdè loquerelur*, inquit Diuus Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 8. *qui diceret, In hac operâ quâ nauem quæro, non nauem quæro, sed patriam*: ita qui panem petit, dicere potest, non se panem quærere, sed cælestem patriam.

Panis nomine, omnis necessitas intelligitur.

Vt autem quid nomine panis hîc intelligatur, nouerimus, obseruandum est, panem alterum spiritualem, alterum materialem nuncupari. Panis spiritualis, est Christus ipse, carô Christi, & Eucharistiæ sacramentum: & dicitur panis in spicâ, pro statu legis naturæ in fide Patrum: & panis in similâ, in doctrinâ legis & Prophetarum: & panis formatus sumpta carne, & coctus in clybano, hoc est, in vtero Virginis, igne Spiritus Sancti: & panis in sartagine per labores: & panis in craticulâ, in cruce positus; & panis torta, est caro Christi passa: & de pane Eucharistico siue sacramentali, qui est caro filij hominis dicitur, Ioan. 6. *Iste est panis qui de cælo descendit*, &, *Nisi quis manducauerit ex hoc pane, non habebit vitam in se.* Nam sicut panis in vinum temperatum, minutatim conicctus, vinum arripit, quod autem est aqueum, relinquit: ita etiam caro Domini, quæ est panis cælorum, bibit sanguinem, eos qui ex hominibus sunt cælestes, ad incorruptionem enutriens, solas autem illas carnales cupiditates, ac corruptionem relinquens.

2. Panis spiritualis & materialis. Spiritualis.

Ioan. 6.

Panis quoque spiritualis, est verbum Diuinum, siue doctrina Christi, hoc est, præcepta, & eloquia Dei. Panem enim, symbolum esse doctrinæ, adnotauit Pierius Valerianus, Hieroglyphicorum lib. 38. cap. 2. & lib. 56. cap. 33. vbi, duodecim fragmentorum corbes, quæ de profusâ Christi liberalitate, superfluere, doctrinam duodecim Apostolorum significare, tradit ex Eucherio, quæ ne perirent, accuratissimè procuratum: Sicut enim panis est nutrimentum corporis, ita lex, & doctrina Dei, nutrimentum est animi. Hic est cibus qui non perit, Ioan. 6. *Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Et Dominus petentibus hunc panem, non alium esse significauit, quàm, vt in eum crederent: ad hunc panem suspirant paruuli. Threnor. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Id est, petierunt simplices intellectum Scripturæ Sacræ, & non erat qui per particulas, & minutos sensus exponeret.

Ioan. 6.

Thren. 4.

Panis materialis dupliciter accipi potest, strictè, & largè. Arctiori significatione, est panis, qui fit ex farinâ frumenti, aut alterius seminis, aquâ subactâ, & in clybano coctâ; à pano dici putat Varro, inquit Textor, Officinæ cap. 91. Alij verò, quasi πάντα dictum volunt, perinde ac si in eo omnis victus noster consisteret; vel quia cum omni cibo apponitur; aut quòd ab omni animali appetatur, ita Isidor. lib. 20. Etymolog. cap. 1. qui quia sit præcipuum hominis alimentum, ab Homero Odyss. 2. medulla hominum appellatur, vbi Telemachus iussus est viaticum parare,

3. Panis materialis.

> Οἶνον ἐν ἀμφιφορεῦσι, καὶ ἄλφιτα, μυελὸν ἀνδρῶν.

Αλφιτα

Αἴμασιν ἐν πολιοῖσιν.

Vinum in amphoris, & faridam nec ullam hominum, Viribus in densis.

Alij σῖτον cognominant μυελὸν ἀνδρῶν, & ζωαρκέα, quòd animum demulceat, & ad vitam sustentandam sufficiat. Celsus lib. 2. cap. 18. frumentaceum panem scribit esse valentissimum, hoc est, in quo plus alimenti sit, & Galenus 1. de aliment. facult. ait Gymnasticis maximè accommodatum, qui sine fermento sit. In hoc panis significato accipiendum est illud 3. Reg. 17. *Corui quoque deferebant ei panem.* Et quod Matth. 26. *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit.*

3. Reg. 17. Matt. 26.

Panis vsitati vox, fusiùs vagatur, & in ampliori suâ significatione, omnem cibum comprehendit, siue caro sit, siue fructus. Nam Hebraicè dicitur לחם *lechem*, à verbo לחם *lacham*, quod est; comedere, manducare, pugnare & præliari, quòd in bello, gladius comedat homines; vel etiam, quòd nobis quotidiana de parando victu quasi dimicandi incumbat necessitas. Hinc verò, לחם *lechem*. Daniel. 5. pro conuiuio accipitur: & pro cibo; Exod. 16. Per cibum autem in Diuinis literis, modò pecunia, modò res domestica, modò annonæ omne genus intelligitur, vt quum Dominus præcepit, simul ac in terram Chanaan ingressi fuerimus, eâ ritè expiatâ, veteres colonos ne pellamus, sed & nobis cohabitare permittamus, atque pecuniâ nostrâ subleuemus: Septuaginta hic, *cibos*, ponunt, (vt adnotauit Pier. Valer. Hieroglyphicor. lib. 38. cap. 2.) quod idem est cum fructibus & annonâ. Officij enim humanitatis est, quos à vitæ prauitate ad meliorem frugem, ab impietate ad Dei cultum reductos, & in ditionem nostram redactos nouerimus, nequaquam abominari, quia perditi fuerunt, sed subleuare; consuetudine, exemplo, doctrinâ, educare, pascere, & conseruare. Hac igitur in acceptione, nomine panis, omnia humanæ vitæ præsidia continentur, sine quibus, neque vita retineri, neque rectè institui potest.

Panis voce cibus omnis continetur.

Capitis 36. §. 2.

Vtrum hic, panis accipiatur pro materiali, an verò pro sacramentali, vel spirituali verbi Diuini?

1.

POsteaquam vitio expugnata fuit natura nostra mortalis, victoria traditi conditionibus, funiculum trahimus miserandæ seruitutis, & in miserrimam detrusi miseriam, hostilitate, inimicitiâ, periculis, morbis, fatigatione, ærumnis, nuditate, somno, siti, fame conflictamur. Propterea iam exclusi ab arbore vitæ, quæ suo esu inconcussum vitæ genus in nobis erat operatura, ad indebitam Conditoris beneficentiam recurrimus, & pro pane quotidiano interpellamus, qui more optimorum parentum, vt loquitur Seneca lib. 7. de beneficiis cap. 31. qui maledictis suorum infantium arrident, non cessat beneficia congerere, sed æquali tenore bona sua per gentes, populosque distribuit, vnam potentiam sortitus, prodesse. Dicimus ergo, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Sed quis ille panis? antè insinuatum, nunc discutiendum.

Diuus Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 7. & lib. 50. homiliar. homil. 42. Panem quotidianum, aut pro iis omnibus dictum scribit, quæ huius vitæ necessitatem sustentant, de quo quum præcipit, ait Matth. 6. *Nolite cogitare de crastino*, vt ideò sit additum, *Da nobis hodie*: aut pro sacramento Corporis Christi, quod quotidie accipimus, aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit, operamini escam quæ non corrumpitur. Audiamus Diuum Augustinum in homil. cap. 4. *Potest simpliciter accipi, orationem istam fundere nos pro victu quotidiano, & abundet nobis, & si non abundet nobis, non desit nobis. Quotidianum autem dixit, quamdiu hodie vocatur. Quotidie viuimus, quotidie surgimus, quotidie saturamur, quotidie esurimus. Det nobis quotidianum panem. Quare non dixit & tegumentum? Victus enim noster, in cibo est, & in potu, tegumentum in vestitu & tectu. Nihil homo plus desideret. Quandoquidem dicit Apostolus, Nihil intulimus in hunc mundum: sed nec auferre quid possumus. Victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Pereat auaritia, & diues est natura. Ergo si ad quotidianum victum pertinet, quia & hoc benè intelligitur, quod dicimus, panem nostrum quotidianum da nobis hodie: non miremur si nomine pane, cætera necessaria intelligantur. Quomodo? Quando Ioseph inuitauit fratres suos: Homines, inquit, isti hodie mecum manducabunt panem. Quare panem solum manducaturi erant? Sed à solo pane intellecta sunt cætera. Sic quando rogamus panem quotidianum, quidquid nobis propter carnem nostram in terris necessarium est postulamus. Sed quid ait Dominus Iesus? Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis. Intelligitur hoc etiam valdè benè. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant vt bona faciant, vt in bonitate, & fide, & bonâ vitâ perseuerent. Hoc optant, hoc orant, quia qui non perseuerant in bonâ vitâ separabuntur ab illo pane. Ergo panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quid est? Sic viuamus, vt ab altari tuo non separemur. Et Verbum Dei, quod quotidie nobis verbis aperitur, & quodammodo frangitur, panis quotidianus est. Et quomodo illum panem ventres, sic illum esuriunt mentes. Et hunc ergò petimus simpliciter, & quidquid animæ nostræ, & carni nostræ in hac vitâ necessarium est, quotidiano pane concluditur.*

Panis quotidianus quis petatur?

Matth. 6.

Gen. 43.

Matth. 6.

2.

Sed de horum trium quid sit probabilius considerari potest. Inprimis autem de Eucharistico pane dictum ex eo videtur, quia Matthæus illum vocat ἐπιούσιον, siue vt Septuag. vertunt περιούσιον, id est, supersubstantialem, egregium, peculiarem. In quam sententiam D. Ambros. lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. inter Opera D. August. tom. 4. in Appendice de diuersis serm. 5. *Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον dixit, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Diuus Hieronymus lib. 1. in cap. 6. Matth. *Symmachus, præcipuum, vel egregium panem transtulit: licet in quodam loco, peculiarem, interpretatus sit. Quando ergo petimus vt peculiarem vel præcipuum nobis Dominus tribuat panem, illum petimus qui dicit in Euangelio: Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi.* Rectè autem supersubstantialis appellatur, id est, super omnem substantiam; res enim omnes antecellit, quod ibi sit vera Christi Humanitas & Veritas: est panis valentissimus, alimenti plurimum habens, in cuius fide Elias longo itinere, peruenit ad montem Dei Oreb. 3. Regum 19. est panis azimus, Athletis Christi, in circo tentationum luctantibus, atque in gymnasticâ sese exercentibus, maximè accommodatus. Est gladius Gedeonis in fornace Diuini amoris cusus, subuertens castra

An Eucharisticus?

Ioan. 6.

castra Madian, hostiles expugnans impetus. Est medulla animæ, panis confortans cor hominis, cui factus est omnia, in afflictione solacium, in aduersis fortitudo, in vulnere medicina. Panis ad omnem humanæ vitæ cibum perutilis: verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos, & æternorum suauitatem diffundens. Panis supersubstantialis, id est, de cælo veniens, panis de cælo verus, vt dignos efficiat nos qui illum accipiamus. Panis quem petimus quotidie, quia offertur quotidie; ideoque quotidianus panis appellatur; quia vel quotidie petimus ne aliquo criminis contagio inficiamur, per quod repellamur à manducatione tanti edulij, & separemur à corpore Christi. Ita Diuus Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianor. & Diuus Cyprianus lib. de Orat. Domin. totidem verbis, *Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti, & non communicantes, à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Et rursum de bono perseuerantiæ August. *Perseuerantiam Sancti à Domino poscunt, ne à Christi Corpore separentur; sed in eo sanctificati permaneant, vt nullum crimen admittant.*

3.
An quia quotidie sumitur, quotidianus?

Vel denique panis hic quotidianus dicitur, quia quotidie sumendus sit, ita Diuus Chrysost. *Panem supersubstantialem poscis, id est, quotidianum, quia non est dies, quo non opus sit nobis huius perceptione cor interioris hominis confirmare.* Et noster nominatur, quia, vt Diuus Cyprianus ait lib. de Oratione Dominicâ, *Panis vitæ Christus est, & panis hic, omnium non est, sed noster est: & quomodo dicimus, Pater noster, quia intelligentium & credentium Pater est, sic & panem nostrum vocamus, quia Christus, noster (qui corpus eius contingimus) panis est.* Accedit Tertullianus lib. de Oratione, qui & ipse, *panem quotidianum*, spiritualiter potiùs, vult intelligi, *Christus enim panis noster est*, inquit, *quia vita Christus, & vita panis. Ego sum*, inquit, *panis vitæ; & paulo suprà, panis est sermo Dei viui, qui descendit de cælo. Tum quod & corpus eius in pane censetur: Hoc est corpus meum. Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatem à corpore eius.* Quod ipsum expressit Cyprianus. *Ideò*, inquit, *panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus, & viuimus, à sanctificatione eius, & corpore non recedamus.*

Panis pro Eucharistia.

Ex his dicendum videtur, per *Panem quotidianum*, sacrosanctum Christi Corpus in ter venerando Eucharistiæ Sacramento, potiùs intelligi, quàm quidlibet aliud. De quo pane, præclarè Diuus Chrysostomus hom. 9. ex varijs in Matt. *Magnus iste panis, qui replet mentem, & non ventrem. Iste panis, & noster est, & Angelorum: iste panis manducatur, sed non finitur: iste panis totum mundum replet, & integer manet. De ipso comedimus, inde viuimus; de ipso pascimur; inde nutrimur: inde peruenimus. Et tamen quotidie illum quærimus, nè deficiat fides nostra, ne vires animæ nostræ, in ista arcta & angusta via fatigatæ, non perueniant ad patriam. Ergo Domine, pasce nos quotidie pane cælesti, Verbo tuo sancto, quod carnem fieri voluisti, vt habitares in nobis. Ergo Domine, da nobis istum panem quotidianum. Nam primum mater Ecclesia ex vberibus doctrinæ suæ, lacte potat dicens: Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. Accipe lac; vt peruenias ad panem.* Ergo Eucharistia, panis noster quotidianus est: *sed sic accipiamus illum*, inquit Diuus Augustinus serm. 9. de diuersis, cap. 7. tomo 10. *vt non solùm ventre, sed & mente reficiamur. Virtus enim ipsa quæ ibi intelligitur, vnitas est: vt redacti in corpus eius, effecti membra eius, simus quod accipimus. Tunc erit verè panis noster quotidianus.*

4.
Præceptorũ Diuinorum inculcatio, Panis.

Aliorum interea sententia est, per *Panem quotidianum*, hic potiùs intelligi, Diuinarum rerum traditionem, siue præceptorum Diuinorum inculcationem, quæ quotidie, non modò iam primùm renatis, sed etiam abundè Christianâ Religione imbutis, assiduè sit necessaria. Quare Diuus Augustinus, descripto Orientalium Ecclesiarum ritu, semel tantùm in anno Cœnæ Dominicæ communicandi, quamuis interim quotidianum panem in singulos dies petere iubeamur, ne illos in errore esse, & ab Ecclesiæ consuetudine alienos iudicaret, quasi non vnoquoque diei tempore, etiam post suscepta Dominici corporis sacramenta, panem quotidianum postulare deberemus, lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 7. ait, *Restat igitur, vt quotidianum panem accipiamus spiritualem, præcepta scilicet Diuina, quæ quotidie oportet meditari, & operari: Nam de ipsis Dominus dicit, Operamini escam quæ non corrumpitur.* (Ioan. 6.) *Quotidianus autem iste cibus, nunc dicitur, quamdiu ista vita temporalis per dies decedentes, succedentesque peragitur. Et reuera quamdiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est, nunc in spiritualia, nunc in carnalia, animi affectus alternant; tanquam ei qui aliquando pascitur cibo, aliquando famem patitur, quotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens, & relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hac vita, ante illam scilicet immutationem, cibo reficitur quia sentit dispendium: sic & animus, quoniam temporalibus affectibus, quasi dispendium ab intentione Dei patitur, præceptorum cibo reficitur.* Vnde & ad Cathecumenos sermone 9. de diuersis, tom. 10. cap. 7. ait, *Et quod vobis recito, panis quotidianus est: & quòd in Ecclesiâ lectiones quotidie auditis, panis quotidianus est: & quòd hymnos auditis, & dicitis, Panis quotidianus est. Hæc enim sunt necessaria peregrinationi nostræ.* Eapropter, non inutili documento apud Maximum Tirium legimus, sermones similitudinem ciborum gerere, sicuti concentus odorum, cùm ea sit ciborum natura, plurimum (inquit Pier. Valer. Hieroglyphicor. lib. 38. cap. 2.) vt fœcundissimè nutriant; odor aër sit vaporatus, vt sonus aër ictus, quorum vterque cùm in re tenuissimâ consistat, aut nullam, aut minimam habeant pascendi vim. Appetendas itaque monet epulas nutrientes, sermones quippe de virtute, atque Diuinorum Philosophiam: paruique faciendam eloquentiam, eam nimirum, quæ præter aurium oblectamentum, nihil rei, nihil vtilitatis habet: sermonesque illos esse potiores, qui animum rebus optimis, cibi instar, enutriant. Sacrarum namque rerum studium, earundemque populis communicatio, cibus est. & alimentum animæ, cùm id quod cibus corpori, studium literarum animo subministret; quod à Simandio Ægypti Rege intellectum, qui bibliothecam inscripsit, ANIMI ALIMENTVM. Vnde scilicet tanquam è penu depromi possunt, quæ à viuis præceptoribus, doctis & bonis, tradi consueuerunt. Et Tullius in Tusculanis, vbi de Archimede loquitur. *Eius mens, ait, rationibus agitandis, exquirendisque alebatur, cum oblectatione solertiæ, qui est vnus suauissimus pastus animorum.* Quare non secus ac qui naufrago tabulam dederit, & arentibus siti, & vix spiritum per siccas fauces ducentibus, fontem monstrarit, aut fame fatigato panem porrexerit, beneficus dicendus est; ita qui doctrinæ panem, ad imitamentum Diuinitatis, esurienti fregerit.

Sermo, cibo similis.

Simandius Ægypti Rex.

5.
Materialem panem hic intelligi.

Tandè panis quotidiani significato, materiale conuenientiùs intelligi quidam opinantur, sustentationè scilicet in omnibus necessarijs, peregrinantibus nobis, & ad patriã tendentibus, debitã, quæ panis nomine, scripturæ phrasi intelligitur.

Ita

Ita Diuus Hieronymus lib. 1. in cap. 6. Matth. *Alij simpliciter putant*, (inquit, *secundum Apostoli sermonem dicentis: Habentes victum, & quibus tegamur hoc contenti simus*) *de præsenti tantum cibo, Sanctos curam agere.* Et D. Chrysost. hom. 20. in cap. 6. Matt. volens animo, non eam esse in humanis firmitatem, quæ est in Angelis, vt absque temporali subsidio, ea præstent homines, quæ impassibilitas Angelorum potest; Dominum naturæ fragili condescendere, ait, vt si conuersationis eandem cum Angelis diligentiam, in voluntatis nostræ cum Diuinâ conformatione, efflagitet; non tamen impassibilitatem requirat; *Neque enim concedit istud fragilitas ipsa naturæ, quæ necessario certo cibo indiget sustentari. Non propter diuitias atque delitias, non ob pretiosa vestis ornatum, sed pro cibo duntaxat quotidiano, iussit orari, & idcircò subiunxit, panem nostrum quotidianum.*

Rationes. Hanc sententiam amplectitur Abulensis in c. 6. Matt. quæst. 111. Primùm quidem, quia verisimile non est, Dominum sub alio significato, panem quotidianum tradidisse petendum, quàm quod Apostoli intelligerent: non enim in parabolâ loquebatur eis, ad quam edisserendam, elucidandamque, si aliqua fuisset, ipsum, vt sæpè aliàs, vrgerent: atqui cum ea institueretur oratio, nihil de Eucharistiæ sacramento erat à Christo constitutum, nihil ab Apostolis cognitum: panis igitur quotidianus, non de sacramentali, qui necdum erat propositus, necdum intellectus, sed de materiali & vsitato pane, qui in vsus quotidianos venit, accipiendus est. Facit etiam quòd Eucharistia, non sit panis quotidianus, quem necesse sit quotidie accipere, alioqui, vt habet D. Augustinus, magni peccati crimine arguerentur, qui ex eo non acciperent quotidie: quinimò laudabile non est quotidie Dominicam cœnam manducare, sed indifferẽs, vt ait D. August. ad Ianuar. de consecrat. dist. 2. ca. quotidie. Sunt tamen omnia quæcunque in hac oratione petuntur, necessaria, non itaque de sacramentali, sed de materiali potiùs pane, intelligitur. Ad hæc, *Quis est qui audeat dicere*, inquit Diuus Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte, cap. 7. *semel tantùm nos orare debere Orationem Dominicam, aut certè etiam si iterum vel tertiò, vsque ad eam tantum horam qua corpori Domini communicamus; postea verò non sit orandum per reliquas partes diei? Non enim iam dicere poterimus, da nobis hodie, quod iam accepimus. Aut poterit quisque cogere, vt etiam vltimâ diei parte sacramentum illud celebremus?* frequentari igitur omni tempore, atque adeò sæpiùs in die, hæc oratio potest, & toties quoties, quod petitur impetrari, at Corpus Dominicum sumere, non contingit sæpè eadem die. Accedit, rationem cur ab alijs sacramentalis intelligatur, esse, quia supersubstantialis appellatur, sed hæc ratio frustra est, quia quod Matth. supersubstantialem, Lucas, quotidianum dixit, vt propterea, vnum idemque sit, quotidianus & supersubstantialis: & Ecclesia, non hac, sed priori voce vtitur; vt de pane materiali, petitionem illam esse insinuet: scilicet, de victu & vestitu necessario, ad vitam hanc mortalem tolerandam.

6. Refellitur ad 1. Veruntamen, cur de materiato pane potiùs quàm de sacramentali, & spirituali verbi Dei hæc petitio instituta feratur, non satis liquet, præsertim cùm illa tria, vnâ panis voce Christus æquè complecti potuerit, & à fidelibus intelligi. Nec refert, quod tunc nihil de mysterio corporis Dominici esset cognitum, nihil, inquam de augustissimâ synaxi vulgatum, quia satis erat ad petitionis vim, illam in pane insinuari, Domino postea, panem quotidianum, corpus suum interpretaturo, quomodo & corpus Dominicum insinuat Ieremias Prophetes, Iudæis prædicans dicturis, *Venite mittamus lignum in panem eius*: vtique in corpus eius, inquit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, cap. 12. Sic enim Deus, panem corpus suum appellauit, de pane dicens, *Hoc est corpus meum*, & de suo corpore, *Ego sum panis vitæ qui de cælo descendit.* Agnus scilicet immaculatus, quem D. Andreas omnipotenti Deo quotidie immolabat, immolabant Apostoli, immolamus & nos, quem licet reali specierum panis perceptione, non sumant quotidie laici, orare tamen tenentur quotidie, vt spirituali illius virtuti communicent, & non separentur à corpore Christi. Tanta porrò est petitionis huius vtilitas, vt omni tempore, omni horâ, omni momento fusa ad Deum, amplissimos communicationis spiritualis Christi corpori, fructus referat; cùm nullum temporis momentum abeat, si Eoas, Occiduasque plagas, atque dies diei, horas horis, momenta momentis, intemerato cursu, sibi succedentia, animo decurrimus, in quibus non offeratur Corporis Domini, panis illius supersubstantialis sacrificium. Meritò itaque, & quotidianus & supersubstantialis appellatur, vt non vnum tantùm, sed vnum & alium panem intelligas, nullum excludas ex ijs, qui nobis ad superas sedes tendentibus, ad vitæ mortalis fomenta, sunt necessarij. Aduenientem appellant Græci, teste Diuo Ambrosio, nunquid ideò, quia quoties illum postulamus, toties nobis aduenire possit? Quapropter concludo cum Diuo Augustino lib. 2. de serm. Domini in monte, cap 7. *Si quis autem etiam illa quæ de victu corporis necessario, vel Sacramento Dominici Corporis, istam sententiam vult accipere, oportet, vt coniunctè accipiantur omnia tria, vt scilicet quotidianum panem simul petamus, & necessarium corpori, & sacramentum visibile, & inuisibile verbi Dei.* Et vt hinc, ad exempla transeam: sic Seuerus Abbas Syrus, apud Marulum lib. 4. cap 1. Dominico quoque die manè sacram communionẽ, vesperi panem vnicum sumebat: altero cibo animam alens, altero corpus sustentans. Reliquis autem diebus cibo pariter ac potu vacuus perdurabat: reficiebat interim se hymnis & canticis, diuinarum quoque rerum intellectu atque scientiâ; quâ re, & nullâ aliâ, animam ali credit D. Monicha, apud Diuum Augustinum tom. 1. lib. de beatâ vitâ.

Ieremi. 11.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4. Pane quotidiano omnis omnino panis intelligendus.

Seuerus Abbas.

Capitis 36. §. 3.

In hac petitione, vitia in appetitionẽ & vsu rerum temporalium, ostendi.

1. Cur panis nomine vsus in hac petitione Christus.

ETsi autem panis nomenclatione, tanta quanta memorauimus, eduliorumque potusque omne genus intelligatur: Dominus tamen Iesus (sicut à Patribus obseruatum est) non aliâ quàm panis voce vti voluit, in appetendis, & petendis ad humanum conuictum necessarijs, vt nimirum nos ad temperantiam institueret; quæ Menandro: *Penu virtutis est.* Pythagoræ, *Robur animæ: hæc enim animæ passionum expertis, lumen est.* Quæ Diuo Augustino lib. 1. de lib. arbitrio, cap. 13. tom. 1. *Est affectio coërcens & cohibens appetitum, ab ijs rebus quæ turpiter appetuntur*; & quæ lib. 1. de Moribus Manichæorum, cap. 19. *nobis, amoris illius quo innectimur Deo, integritatem quandam, & incorruptionem pollicetur: munus enim eius est, in coërcendis sedan-*

scandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos auertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis eius, quod est (vt breui explicem) beata vita. Conuenientissima itaque virtus est temperantia, primaque, & quæ maximè iuuenibus congruit. Quare cùm eam omnium bonorum ministram videret Homerus, statim à principio iuuenibus eam hærere voluit, vt otium postea, studiumque ipsum, in honestis operibus absumerent; atque vt benefactores inuicem & communes esse consuescerent, frugalem omnibus vitam, quæ tamen illis sufficeret, comparauit. Quippe cùm cupiditatem omnem aduerteret, & acerrimas voluptates circa epulas comessationesque perpetuò versari. Qui autem intra frugalitatis terminos se ordine continuerint, eos & circa reliquam vitæ rationem, esse temperantes putauit, frugalem igitur victum constituit, non Milesias dapes, nō auium, pisciumque luxum, non operosa condimenta gulam irritantia, non bellaria, sed assas tantùm carnes, & ferè bubulas, quæ minus curæ & impendij requirunt, & ea per quæ benè animus & corpus habeant in posterum, omnes conquinarias machinationes adimens. Neque simplici huiusmodi victu insatiabiliter fruentes facit, sed, velut sapientissimi medici, omnes aufert repletiones, vt post expletam famem sitimque,

Temperātia iuuenibus conuenientissima.

Atque vbi iam vini esset, & amor compressus edendi,

ad athleticas expediti maximè recurrant exercitationes: ita ferè Athenæus lib. 1. Dipnosophistar. cap. 4.

Verum enim illud Senecæ epist. 17. *Non potest studium salutare fieri, sine frugalitatis cura.* Propterea que D. August. tom. 1. lib. de Beatâ vitâ frugalitatem virtutum parentem, nequitiæ vitiorum omnium itidem parenti, ex aliorum sententiâ, contrariam esse scribit, totidem verbis, *Etenim ipsam nequitiam matrem omnium vitiorum, ex eo quod nequidquam sit, id est, ex eo quod nihil sit, Veteres dictam esse voluerunt: Cui vitio, quæ contraria virtus est, frugalitas nominatur. Vt igitur hæc à fruge, id est à fructu, propter quandam animorum facunditatem: ita illa ab sterilitate, hoc est, à nihilo, nequitia nominata est. Nihil est enim omne quod fluit, quod soluitur, quod liquescit, & quasi semper perit. Ideò tales homines etiam perditos dicimus. Est autem aliquid si manet, si constat, si semper tale est, vt est virtus, cuius magna pars est atque pulcherrima, quæ temperantia & frugalitas dicitur.* Quæ quia commune semen est, & fundamentum omnium virtutum, quas facultate continet, ideoque facultate, & virtute, virtutum præcipua nuncupatur: *Meritò etiam virtutum omnium matrem multi frugalitatem esse dixerunt,* inquit D. August. ibidem. *Quibus consentiens Tullius etiam in populari oratione ait: Vt volet quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est, modestiam & temperantiam, virtutem esse maximam iudico.* Et hæc σωφροσύνη, id est, prudentiam seruans, appellatur, vt cum Platone dixit Arist. 6. moral. Nicomach. cap. 5. vel ipso nomine suo virtutum præclarissima, vt quæ prudentiæ custos saluberrima. De quâ Pythagoræ circumfertur sententia: *Omnibus in rebus optima temperantia; & Orpheicorum consensione; vniuersum temperantia regit.* Vnde Alcinous, eam esse dixit ordinem & consonantiam; animæ ad imperandum & obediendū. Vt propterea non iniuriâ Dominus eam tantopere nobis sub panis nomine commendarit, qui victui frugali & quotidiano satis esse possit.

Perditus homo vnde dicitur.

Temperātia regit vniuersum.

Quid enim aliud ad vitam requiritur, nisi duo sola,
Cereris alimentum, & aqua potus ...

Inquit Menander. Mensam pretiosam fortuna apponit, frugalem & contentam, temperantia. Itaque Seneca epist. 4. *Vt famem sitimque depellas, non est necesse superbis assidere liminibus; nec supercilium graue, & contumeliosam etiam humanitatem pati: non est necesse maria tentare; nec sequi castra. Parabile est quod natura desiderat, & expositum: ad superuacua sudatur. Illa sunt quæ togam conterunt, quæ nos senescere sub tentorio cogunt, quæ in aliena littora impingunt. Ad manum est, quod satis est.* Ita primi generis nostri parentes, quamdiu in paradiso fuere, fructus arborum pro cibô habuerunt. eiecti quoque & eorum posteri in multam ætatem, nonnisi pomis, olere, frugibus vescebantur, & aquæ frigidæ potu. Diuinâ prouidentiâ simplicem illis victum; qui naturâ suâ proueniat, subijciente. Terra enim, ante ipsum Solis formationem germinare iussa, fructū sobrietatis, & abstinentiæ, priùs edidit, quàm reliquos deliciarum atque luxuriæ, quibus quamuis humana improbitas sit nunc vsque adeò dedita, vt iam vnusquisque; licet cum Apicio Athenæi, lib. 1. cap. 3. Dipnosoph. e Minturnis Cāpaniæ vrbe, in Lybiam ad squillas maiores, quarum erat voracissimus, non enauiget, supra tamen vires, exquisitissimas, vberrimasque dapes disquirat: ille nihilominus cibus diuino effusus munere, sine satu, sine semine productus, tam dulcis, tamque gratus permansit, vt etiam repletis, distentisque, voluptati, atque vsui sit, & auidiùs appetatur; primis denique mensis appositus, secundis minimè fastidiatur: atque ita simplex Diuinitatis opus, humanam omnem exuperat industriam, vt ijsdem penè verbis asserit Pier. Valer. Hieroglyphicor. lib. 57. cap. 2.

Natura paucis contenta.

Terra victui sufficientia produxit.

Apicius homo gulæ deditus.

Sed quid? Primorum sanè parentum intemperantiæ, qui ab interdicto fructu non sibi temperarunt, tribuendum est, quod ad id cibi genus quod promptum, paratumque est non attendentes, exquisitas dapes, & condimenta gulam irritantia, sectamur: quæ, veterum prudentiores tanquam vitiorum incentiua non modò dānarunt, sed etiam gulæ architectos eliminarunt. Lacedæmone coquos nō licebat esse alios, quàm carnis dumtaxat. Qui verò quamuis artem aliā cupediarum nouisset, Spartâ eijciebatur, inquit Ælianus lib. 14 de var. histor. & apud Max. Tyrium legas Mithecum quendam genere magistrum Spartâ eiectum; quòd illi labore potiùs quàm per condimentorum lenocinia, edendi desiderium quæritarent. Argadus Scotici Regni gubernator, in ordinem redacto Conaro Rege impurissimo, lixas, cupediaros, popinones, similèque hominum genus, ad mortalium voluptatem magis, quàm ad necessitatem paratum, publicatis fortunis, dirutisque ædibus, proscripsit, auctor H. Boethius lib. 5.

2. Intemperātia nostra primis parētibus tribuitur.

Tyrius Mithecus.

Argadus.

Frugalitatis studiosi solū Gymnosophistæ, poma, oryzam, & farinam in cibū habuere, ab Alexand. lib. 4. cap. 17. & Brachmanes, Samaneique populi, ita frugi fuerunt, vt cùm escis exquisitissimis vesci possent, pomis arborum tantùm, Bardesane Babylonio historico teste, victitarent. Habet Xenophon in Cyri pædiâ, & Stobæus sermone 41. Persas, pueros suos docere solitos, vti cibi potusque continentiam seruarent; ad quod seniorum stimulabantur exemplo. qui nisi principum permissu, non prius ad refocillandum abirent; quodque non apud matres vescerentur pueri, sed apud morum magistrum: ferrentque domo pro cibo panem; pro obsonio nasturtiū; ad potum verò capedinem, siue vasculum fictile, vt ex flumine aquam haurirent. Romani veteres hortos suos in agris habebant, & ex illis quidquid victui opus esset, petebant, damnātes pulmentaria, quæ alio egerent pulmentario. Alex. ab Alexandro, lib. 5. cap. 21. Scribit in antiquitatum libris Dicæarchus, Saturni tempore, carnibus reiectis, homines frugibus ac pomis vesci solitos. Cælius Rodiginus Antiq. lectionū lib.

3. Frugalitas Gymnosophistarum.

Persæ.

5. Romani.

lib. 28. cap. 1. Diogenes Sinopensis, cùm ob suā in reprehendēdo acrimoniam, atque in agēdo loquendóque acerbitatem, inuisus esset omnibus: solus derelictus, propter egestatem, summas foliorum extremitates manducabat. Mus accedens, decidentibus frustulis vescebatur. Ille subridens, recepto aliquantulum ex tristitiâ animo; Mus hic, inquit, nihil indiget Atheniensiū lautitijs. Et quid tu, ô Diogenes, ægrè fers, te cum Atheniensibus non vitulari? Ælian. lib. 13. de varia hist. hoc dicto se in temperantiâ confirmans, & Atheniensium victûs petulantiam castigans: quemadmodum & apud Fulgosium lib. 2. cap. de Militari disciplina, Pescennius Niger, bellicâ virtute ad imperium euectus, militum suorum cupiditatem repressit, quibus vinum efflagitantibus, respondit, Nilum habetis, & vinum quæritis? Idemque tumultuantibus his, qui à Saracenis victi fuerant, & dicentibus, Vinum non accepimus, pugnare non possumus: Erubescite, inquit, illi qui nos vincunt, aquam tantùm bibunt. Cyrus maior frugalitatem quoque & temperantiam coluisse traditur; hic enim, vt apud Cæl. Rodigin. Antiquar. lect. lib. 3. cap. 13. ex Xenophonte, & apud Ammianum, legitur, rogatus ab hospite, quid ad conuiuium parari iuberet; panem, inquit, solum: sperare enim cœnaturum se apud flumen.

Diogenes. Pescennius. Cyrus.

4. Externa sunt illa, quibus exoticæ dapes, conuiuiorum splendor & luxus damnatur, & quàm paruo naturæ fiat satis, ostenditur: quorum vt sexcenta alia prætercam, ad nostra me conuerto. Quid Heliam memorem, qui nil aliud à viduâ Sareptanâ petijt, quàm paulum aquæ, & buccellam panis? 3. Reg. 17. Quid Baptistam præcursorem Domini, qui locustis & melle siluestri victitans ob victûs austeritatem à Pharisæis dæmonium habere dictus est, & à Domino, ob alimoniæ exiguitatem, neque comedens, neque bibens, appellatur? Apostoli, segetum spicas manibus terunt, & hoc simplici admodum cibo, famem quomodo possunt, leuant: & cùm essent numero duodecim, nunc quinque, nunc septem panes hordeaceos, paucosque pisces habuisse leguntur, quum Dominus, modò quinque, modò quatuor millium turbam pauit in deserto: & alias de esurie nihil cogitantes, secuti Dominum, annonæ secum deferendæ non meminerūt eius, quem secuti fuerant relictis omnibus, dulcedine satiati. Quantò autem eos frugaliùs vitam instituisse credimus ablato sponso, hoc est, sublato in crucem Domino, & nuptiarum gaudio, quod ieiunia nescit, in persecutionis luctum cōuerso, qui præsente sponso ità rigidi fuerunt?

Eliæ temperantia. D. Io. Baptistæ. Apostolor.

Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum
Peruellunt stomachum

Horat. serm. 2.

illis victus erat. Antonium in Ægypto: Serapionem in Arsenoite regione: Stephanum abbatem in monte Moreto: Asellam virginem, de qua D. Hieron. Diuum Nicolaum Tolentinatem Ordinis Eremitarum Diui Augustini, cælique sidus præclarissimum; aliosque innumeros, pane solo & aquâ sustentatos esse legimus. Maria Ægyptiaca, Diua Magdalena, & plerique alij, ab vrbium luxuria & delicijs alieni, vel crudis herbis radicibusque vel etiam nullo cibo vitā egerunt.

Nicol. Tolentinat.

Temperantiæ commoda quæ accidunt animæ.

ET vt vniuersos comprehendam, nō illos frustra fuisse intelliget, qui restrictum hoc & Laconicū vitæ genus amplexati, lautas lautitias, quas gentium luxuria adinuenit, sunt aspernati, quisquis frugalitatis, temperātiæque commoda perspexerit. Habet enim suas vtilitates temperantia, quas animæ, quas corpori, quas valetudini, quas appetitui, quas vitæ, quas honori, quas rei familiari confert.

Temperantiæ vtilitates.

5. Temperantiam, animæ prodesse, ex dictis cōpertum est, siquidem ornamenta virtutum, quæ sunt animæ decus præcipuum, ex illa tanquam ex penu promuntur. Nam cùm alimentum referatur per se ad animatum, & non per accidens, vt inquit Arist. lib. 2. de Anima cap. 4. tex. 46. quandoquidem nihil possit ali, quod animæ & vitæ sit expers: permeatque quoad substantiam ad nutritionem: quoad quantitatem ad accretionem: quoad superfluum ad generationem; qui restricto moderatoque cibo potúve, qui saluti satis sit, quotidianas corporis ruinas refecerint, non protenso distendentur aqualiculo, neque facilè despumabunt in libidinem: hoc est, quod dicitur, sine Cerere & Baccho friget Venus, quia panis & vini saturitas, libidinis est seminarium. Quapropter etiam dixit Dominus Luc. 21. *Videte ne grauentur corda vestra in crapulâ & ebrietate:* obtundunt enim ista, & mergunt animam, ne ad præclaras & homine dignas mentis actiones assurgat. Ideoque Bartolus legum commentator insignis, vt intellectus acumen foueret, ad pondus comedisse dicitur, qui cùm ætatis anno quadragesimo sexto obierit, tot ingenij sui monumenta reliquit, vt plus olei quàm vini consumpsisse putetur: testis Fulgosius in eius vitâ: Anima quippe à vino pura, vt inquit Apollonius Tyanæus apud Guidon. Bitur. tacitiùs conspicit per somnia vaticinationem. Fabulosum putant, inquit Sabell. lib. 7. Ennead. 2. Pythagoram idcirco necari animalia vetuisse, quia nobiscum ius animæ commune habere arbitraretur, sed vt mortales facilioribus cibis assuescerent, in quibus parandis igni, aliòve maiore apparatu non esset opus: aquam vt biberent, veluti inde valetudo corporis, maiusque existeret ingenij acumen: cibis namque pleno ventre grauatus animus, ad munia sua obeunda est ineptus. Quare Plutarchus lib. περὶ σαρκοφαγίας, Bœotios nō aliâ magis ratione fatuos, pingues, rudes, ac brutos ab Atheniensibus dici, quàm propter inexplebilem edendi auiditatē, testatur.

Temperātia prodest animæ. Luc. 21. Bartolus. Pythagoras.

6. Mouebit fortasse quispiam, cur Deus ex consolatione munerum suorum, in quibus nostræ infirmitati, terra, & aqua, & cælum seruiunt, tanta nos bonorum copiâ ditet, si frugalitatis continua sit habēda ratio? Promptum est quod respondeatur: vt nimirum, quantùm quis volet, accipiat, parcè autem volet, si rectè velit. Quia enim fames & sitis quidam dolores sunt, vt inquit D. August. lib. 10. Confess. c. 31. *Vrunt, & sicut febris necant, nisi alimentorū medicina succurrat. Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Vnde Eccl. 31. *Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur.* Pythagoræi, teste Plutarcho, lautissima fercula sibi proponi patiebantur, ipsi interim ea à famulis absumi conspicientes, frugalissimis contenti erant. Emmanuel I. Lusitaniæ Rex, inquit Ozorius lib. 12. rerum Emmanuelis. Erat quidem cultu vitæ lautissimus, mensaque illius conquisitissimis epulis extructa, verùm admodum temperatè cibis vtebatur. A vino semper abstinuit, & diebus solemni ieiunio consecratis, ciborum abstinentiā summâ religione seruauit. Eleganter & acutè Henricus Glareanus, vt habet Thomæ Platers apophthegmata, cùm à quodam importuniùs in conuiuio vrgeretur, vti propinanti satisfaceret: Et quem verò tu me esse putas? inquit: Cùm is, virum probum atque doctum respondisset: Ergo, ne

Alimenta sumenda vt medicamēta. Eccl. 31. Pythagoreorum abstinentia. Emmanuelis I. Henrici Glareani.

Aa

go, ne cane meo sim indoctior, quamdiu sitio, tamdiu bibẽdum esse scio. Scribit Laertius Empedocli in conuiuio præscripsisse conuiuij præfectum, vt aut biberet, aut vinum in caput illius effunderetur; eam rem tam indignè tulit Empedocles, vt postridie coacto concilio, & inuitatorem, cuius operâ id erat factum, & symposiarcham reum peregerit, damnandosque curarit. Sentiebant sanè illi de cibo & potu, non aliter quam de medicinâ & potione consulendum, nõ ad opprimendam, sed ad excitandam mentem: dicitur enim Eccl. 31. *Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem, ab initio.* Quid autem est ebrietas, nisi animæ ægritudo quædam, & voluntaria insania? Agamemnon de ebrietate ita loquitur:

Empedocles.

Eccl. 31.

Ebrietas voluntaria insania.

Tristibus, vt parens sum læsus mentibus: ipsi
Vel numine Dei, vel vini copia dulcis.

In eadem trutinâ ebrietatem & insaniã ponens. Alphonsus Aragonum & Siciliæ rex abstemius, vino sapientiam obscurari, aiebat; ideòque non decere regem, vt hoc immodicâ compotatione, in animo extinguat, sine quo Imperatoris ac Regis nomen ritè tueri non possit: & ab amico percontatus, cur adeò ebrietatis vitium damnaret, quia noui, inquit, furorem & libidinem, ebrietatis esse filios. Vino mero, ad insaniam redactus est Cleomenes Lacedæmoniorũ rex: auctor Ælian. lib. 2. de var. hist. Polyb. lib. 5. historiar. & Herodotus. Iuuenes quidam ob ebrietatem in Agrigento amentes, scribit Athenæus Dipnosophi. lib. 2. cap. 1. vino calefacti eo vsque dementiæ processerunt, vt se in triremi nauigare, & mare magnopere esse perturbatum, arbitrarentur. Deinde ita dementes facti sunt, vt omnem domus supellectilem vnà cum lectis proiecerint; nam visus erat nauis gubernator nauem exonerari oportere ob tempestatem dixisse. Sed cùm multi congregarent, diripere ntque ea quæ proiecta fuerant, neque tamen iuuenum dementia idcirco vel die sequenti deferbuisset: accesserunt militum duces in domum, vbi laborãtes nausea etiam tum iuuenes iacebant: quibus interrogantibus, responderunt iuuenes, se ob tempestatem defatigatos, supernaceneis oneribus nauem exonerare oportuisse. His admirantibus dudum iuuenum stuporem, vnus eorum iuuenum qui maior ætate reliquis esse videbatur, Ego, inquit, viri Tritones ob timorem me in hos thalamos proieci, vt quàm maxime liceret, inferiùs iacerem. Veniam igitur Duces mẽtis eorum alienationi concedentes, iubentesque non plus vini bibere, quàm conueniat, eos dimiserunt. Iuuenes gratiam se habere fassi sunt, nam si portum tantam euadentes tempestatem attigerimus, dixit quidam, vos manifestè seruatores nostros inter cæteros Deos marinos in patriâ nostrâ constituemus, tanquam nobis salubriter apparentes. Hinc domus illa Triremis dicta est. Hactenus Athenæus.

Alphonsus Arago.

Furor & libido ebrietatis filij.

Cleomenes.

Execranda insania, execrandus furor, qui ex intemperantiâ victûs protuberans, animam animæ eripit, hominem homini, & in vetitum nefas ruens, nihil non molitur barbarum, atrox, ferum. Quid non immane patrauit Michaël Balbus Imperator meri furore obrutus? His aures, illis nares, nonnullis caput amputari, iniquo iussit imperio; vt auctor est Cedrenus. Quis Clitum, Philotam, Parmenionem, & Callisthenem Philosophum, Aristotelis propinquum, alioquin Alexandro charissimos, è medio sustulit, nisi ipsiusmet Alexandri ebrietas? Illa, illa, Lothum Gen. 19. quem Sodomorum & Gomorrheorum impietas vincere non potuit, vicit, & incestuosum fecit. Illa sic inuasit Cyrilli filiũ teste D. Augustino, tomo 2. serm. 33. ad fratres in Eremo: vt omnem Patris disciplinam contemnens, & omnia bona abligurien s, ebrius piissimum patrem crudelissimè occiderit, matrem prægnantem nequiter oppresserit; sororem violare voluerit: duas sorores alias ad mortem vulnerarit. Eiusmodi sunt ebrietatis fructus, & animæ pestes præsentaneæ, quas intemperãtia fundit: & de quibus Plin. lib. 14. cap. 22. totidem verbis: Tunc auidi matronarum oculi licentur, graues produnt marito; tunc animi secreta proferuntur. Alij testamenta sua nuncupant: alij mortifera loquuntur, redituras que per iugulum voces non continent, quàm multis ita interemptis. Vulgoque veritas iam attributa vino est. Interea, vt optimè cedat, Solem orientem non vident, ac minùs diu viuunt. Hinc pallor, & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus, effundentes plena vasa, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna, præmiumque summum ebrietatis libido portentosa, ac iucundum nefas. Postera die ex ore halitus cadi, ac ferè rerum omnium obliuio, morsque memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, cùm priorem diem quotidie perdant; illi verò & venientem. Hæc Plin.

7. Ebrietatis damna.

Michaël Balbus.

Loth.

Temperantia, est commoda corporis valetudini.

8. Frugalitas ad corporis functiones necessaria.

REdeo in gradum, vt ostendam, non modò animum ad munia sua obeunda frugalitate aptum reddi, intemperantiâ ad nociua distrahi, sed etiam corpus, quo anima tanquam instrumento coniuncto, in actionum suarum exercitio vtitur. Velut enim Antiquarius quantumuis scribendi peritus, nisi calamo aptè concinnato, apices perfectè formabit; ita corpus nisi frugalitate reddatur idoneum, nihil quod ad laudem sit, operari potest. Itaque Arabes, inquit Ionius, frugi in conuictu homines, nullã cibi intemperie vires alunt: temperantiâ valetudinem tuentur, multaque exercitatione ad inuictum robur habiles artus confirmant. Starcatherus Danus pugil, nunquam ebrietati indulsit, inquit Saxo lib. 6. ne præcipuum fortitudinis vinculum continentiam, luxuriæ viribus eliderет.

Arabes frugales.

Starcatherus abstemius.

Facit quoque temperantia ad humani indiuidui sanitatem, vnde Eccl. 31. dictum legis: *Somnus sanitatis in homine parco: dormiet vsque in manè, & anima illius cum ipso delectabitur.* Hoc est, quod dicitur:

Eccl. 31.

Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis.

Quam in sententiam Apollonius Tyanæus apud Philostratum, inquit, potores aquæ, somnum leuem capere, neque vertigines vllas pati, quibus afficiuntur vinolenti. Hos enim bibones, gulones quoque, ganeones & manducones, grauissimis torqueri morbis, oculis nostris obuium est. Et conqueritur Seneca epist. 95. totidem verbis, *Nunc verò quàm longè processerunt mala valetudinis? Has vsuras voluptatum pendimus, vltra modum fasque concupitarum. Innumerabiles esse morbos miraris? coquos numera.* Et post pauca. *Dij boni, quantum hominum vnus venter exercet? Quid, tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis iudicas facere, etiamsi præsentanei non fuerunt? Quid, tu illam æstiuam niuem, non putas callum iecinoribus obducere? Quid, illa ostrea, inertissimam carnem, cœno saginatam, nihil existimas limosæ grauitatis inferre? Quid, illud Sociorum garum, pretiosam malorum piscium saniem, non credis vrere salsâ tabe præcordia? Quid, illa purulenta, & quæ tantum non ab ipso igne in os transferuntur, iudicas sine noxâ, in ipsis visceribus extingui? Quàm fœdi atque pestilentes ructus sunt, quantum fastidium sui exhalantibus crapulam veterem!*

Gulosos morbis velis afficis.

Ennius. *veterem? Scias putrescere sumta, non concoqui.* Ennium ex nimio potu articularem morbum contraxisse, quo & extinctus sit, scribit Alex. ab Alexandro lib. 5. cap. 21.

De quo Q. Secenus apud Cæl. Rodig. antiquar. lection. lib. 28. cap. 30.

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio, tales fertur meruisse dolores.

Hinc Critias apud Athenæum lib. 10. cap. 11.

Pocula plus æquo, nam quæ facunda bibuntur,
Mox faciunt lætos, tempus in omne nocent.

Ideòque virus quidpiam mero inesse meritò putauit Cyrus Astyagis Medorũ regis nepos adhuc puer: quum ab eo interrogatus, quamobrem vinum non bibisset; respondit, quòd metuerim, ne in cratere venenũ mixtum foret; etenim natali tuo, perspicuè didici pocillatorem vobis venena infudisse. Et quo pacto, inquit ille, ô fili, hoc dignouisti? reposuit Cyrus apud Xenophontem, Pædiæ lib. 1. Quòd viderem vos, neque corporis esse neque mentis compotes. Rectè autem, *venenum*, & quanta vis illius? Lucretius lib. 3. eam cecinit,

Denique cur hominem, quum vini vis penetrauit
Acris, & in venas discessit diditus ardor
Consequitur grauitas membrorum.

Et quæ sequũtur, habenturque c. 13. § 5. num. 10. Vibius Crispus. Vibium Crispum summum Vitellij Imperatoris amicum, ob nocturnas comessationes, in grauissimum morbũ incidisse: ex quo, cùm parum conualuisset, dixisse ad amicos fertur, Omnino se fuisse periturum, nisi ad tempus tam grauiter ægrotasset, auctor Xiphilinus in Vitellio. E contra verò Socratem temperantiâ fuisse tantâ traditum est, inquit Gellius, noct. Atticar. lib. 2. cap. 1. vt omnia ferè vitæ suæ tempora, à valetudine inoffensa, vixerit; de quo etiam Laërt. lib. 2. frugalitate & temperantiâ suâ effecit Socrates, vt cùm Athenas pestis sæpenumero vastaret, solus ipse nunquam ægrotarit. Itidem de Galeno medico traditur, qui postquam certam tuendæ sanitatis rationem iam animaduerterat, nunquam postea ob eam in victu neglectam, in inualetudinem inciderit. Numidas tenui admodum victu & vires & sanitatem tueri, scribit Iouius lib. 33. hist. nam ficu siccâ, dactylis, pulticulâ, atque acido lacte; conuiuia finiunt. Tum verò epulantur, cùm è venatione, falconumque aucupijs, quibus maximè gaudent, prædam retulerunt. Cauebant illi gastrimargiam, & insanum Deum, ne Æsculapio opus haberet: quemadmodum scitè Callisthenes Sophista apud Athenæum lib. 10 cap. 11. qui cùm in Alexandri symposio grandius meri poculum repelleret, percontatus à quodam cur non biberet? Non desidero, inquit, ô Alexander, vt bibendo Æsculapium desiderem. Censuit ille Æsculapium Bacchi esse comitem, quemadmodum & Iouianus Pontanus, gastrimargiæ; qui vno solo ferculo contentus, eoque parcissimo; rogatus caussam, cibo abstineo, ait, vt à me Medici.

Socrates. Galenus. Numidæ. Callisthenes.

9. Temperãtia morbos discellit. Rogatianus.

Neque tamen in impediendis ægritudinibus, sed etiam in ijs disturbandis pellendisque, cùm in artubus resederint, vis est efficax temperantiæ, exemplo sit Rogatianus apud Cæl. Rodigin. Antiquar. lect. lib. 7. cap. 11. qui omnis luxus hostis acerrimus, frugalitate suâ tantum profecit, vt quum arthritide infestaretur priùs, mox tanquam in multos annos impetratis inducijs, ita conualuerit, vt manuum, pedumque munere non vteretur secus, ac quilibet maximè vigentium.

Temperántia appetitui seruit.

Temperãtia cibi condimentum.

EST & temperantia optimum cibi potusque condimentum, sensumque & appetitum mirificè afficit, adeò vt Epicurus ipse, vt est apud Cæl. Antiq. lect. lib. 13. cap. 35. & Alexandrum ab Alex. lib. 3. cap. 11. quanquam summus voluptatis assertor, victu frugali & modesto contentus, aquâ & polentâ, aut pane hordeaceo, victum quæritaret, inuictum contra paupertatem animum gerens, non quòd voluptates auersaretur, sed quòd in tenui victu se plus voluptatis experiri diceret.

Ratio autem cur esculenta & poculenta homini frugi melius sapiant, ea videri potest, quia bonitas eorum non in sapore tantùm, qui ad illa cõdienda à naturâ tributus est, cõsistit, sed etiã in optimã gustus, qui sensus alimẽti est Aristoteli lib. de sensu & sensili cap. 4. dispositione sentitur; bonitas autem gustus, sicut & tactus, ex eiusdem temperamenti bonitate prouenit, læso enim organo sensus, læditur & eius operatio. Igitur, quia sapor qui in alimento est, secundum Aristotelem iam citatum, sit affectio in humido aqueo, facta à sicco terrestri & calore decoquẽte, gustatum, qui in potentiã est, ad actum, per alterationem deducens: & sensuum organa, talia semper esse debent potestate, qualia sunt actu obiecta, quæ ab ijs percipiuntur: instrumentum gustus tale esse debet, vt neque sit actu humidũ, eo videlicet humore, qui cum sapore sit coniunctus, neque etiam ita affectum, vt humectari nequeat; quia si lingua, in cuius acumine acriorem gustum inesse scribit Arist. lib. 1. de hist. animal. cap. 11. & lib. 2. de partib. animalium, cap. 17. quòd ea pars linguæ sit mollior, nerui quoque eius, etsi minores quàm qui ad eius radicem, molliores tamen, & ad sapores percipiẽdos magis idonei: si, inquam, lingua tam sit arida, vt ab externâ humiditate rei gustabilis humectari non possit; aut humore aliquo sapido teneatur, aduentitium saporem non sentiet, sicut in gastrimargis, & philocothonistis, hoc est ad ebrietatem potoribus accidit, qui ad tantam linguæ humectationem vino se proluunt, vt nimiâ humoris copiâ gustatum obtundente, illius sensum amittant: secundùm illud Prou. 27. *Anima saturata conculcabit fauum*: & de optimâ gustatus illæsi temperaturâ, quæ frugalium est; *& anima esuriens, etiam amarum pro dulci sumet.* Quò spectat illud Diui Ambrosij, de Heliâ & ieiunio, cap. 9. *Etiam ipsis ieiunium conuiuijs dat gratiam, dulciores post famem epulæ sunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturnâ continuatione vilescunt. Condimentum cibi ieiunium est, quantò auidior appetentia, tantò esca iucundior: vsu etiam pretiosa degenerant, quorum autem difficilis possessio, eorum grata perfunctio: ipse sol post noctem gratior, salus post ægritudinem, &c. gratior ergo mensa ieiunis.* Testis Darius, qui deleto exercitu fugiens, ne frigidam quidem inuenit, quâ arentes siti fauces perfunderet, oblatâ tandem à quopiam aquâ turbidâ, ita delectatus est, vt cùm bibisset, nunquam se ita iucundè bibisse, asseuerarit. E contra verò, Dionysius Syracusarum tyrannus, sicut scribit Cicero, Tusculanar. lib. 5. ante obsonij illationem obsonatus, & crapulam exhalans, cùm Spartæ in Phiditijs cœnaret, negauit sibi nigrum ius, quod cœnæ caput erat, placuisse: cui is qui ius coxerat, minimè mirum si displicuisset, condimenta enim deesse. Quæ tandem illa? inquit Dionysius. Labor, ait ille, in venatu, sudor, cursus ab Eurotâ, fames, sitis; his enim rebus Lacedæmoniorum epulas condiri: quod haud ignorauit Alexander Macedo, cui cùm

Sapor quid sit. Prou. 27. Darius aquâ turbidâ sitim cum voluptate pellit. Dionysius Syracus. Alexander.

cum regina Cariæ Ada, vt est apud Plutarch. in apophteg. & in præceptis salubrib. & in Alexandro, & apud Sabellic. Ennead. 4. lib. 4. obsonia quædam & bellaria exquisitissima missitaret, magnâ impensâ, nec minori arte & diligentiâ condita, offerretque coquos se missurum; respondit, lautiores se domi habere cupedias, & meliores obsoniorum architectos, à Leonide pædagogo donatos: nocturnum iter, siue antelucanam expeditionem quæ prandium pararet, matutinam frugalitatem, quæ cœnam instrueret. Vnde Socratis clarissimi Philosophi dictum, teste Laërtio, & Tullio. 2. de finibus: Nullum obsonium, fame melius: Hinc Verinus iubet,

Sit facilis victus, nullo irritante saporem:
Sed stomachum, & gustum mordeat ipsa fames.

Socrates.

10. Et Anacharsis, apud Ciceronem 5. Tusculanar. quæst. suam ostendens temperantiam: mihi, inquit, pulmentum fames, cubile solum, vestis Scytharum tegmen est. De Artaxerxe cognomento Memnone, illud fertur memorabile, quòd cùm in fugâ quadam direpto commeatu, aridis ficubus, & pane hordeaceo vesci coactus esset, inquit, Dij boni, cuiusmodi voluptatis hactenus expers fui! nunquam scilicet comederat esuriens, multisque epulis fastiditus fuerat.

Anacharsis. Artaxerxes.

Sacra quoque scriptura documento est, nullum condimentum fame esse præstantius: nam quod ps 80. dicitur. *Et de petra melle saturauit eos:* non ob aliud dictum videtur, quàm ob saporis suauitatem, quam sitientes, ex aquâ diuinitus è petrâ scaturiente Num. 20. gustando perceperunt: cùm nusquam legatur mel à Mose è petrâ deductum; sed vbique fluuios, & aquas, & frigida fluenta. Ita D. Chrysostomus homil. 2. ad popul. & lib. quod nemo læditur, nisi à seipso. Inde probans tenuem & frugalem victum, solere suauiorem & dulciorem videri: non enim mel effudit petra, neque ebullientium aquarum natura, in mel conuersa est, sed bibentium dispositio post indigentiæ defatigationem fecit, vt melle dulcior iudicaretur: ita nempe illam sitis ardens condiebat.

Psal. 80.

Ex quo sequitur ganeones, gulones, bibones, quorum Deus venter est, propter nimiam ventris ingluuiem, quâ gustandi facultas obtunditur, innatam cibis suauitatem & saporem, non posse percipere; qui cùm sint cibi potusque appetentissimi, mille conditur as inueniunt, quibus auiditas excitetur, etiam cum salutis detrimento: in quos inuehitur D. Chrysostomus, mensas diuitum, horrendas, execrandas, & contaminationibus plenas appellans: nam cùm *Immodicæ diuitiæ*, vt inquit Apuleius, *velut ingentia & enormia gubernacula, faciliùs mergant, quàm regant*, profusi in conuiuijs, multa nummorum millia liguriunt, & ne micâ quidem panis, pauperis ad ianuam latrantis, solantur esuriem.

Temperantia vitam conseruat.

Frugalitas quoque & temperantia, id, quo nihil carius in hoc rerum temporalium statu haberi potest, conseruat & fouet, nempe vitam. Quemadmodum enim accensa fax eodem alitur quo & extinguitur, si facularius inuersam tenuerit, cerâ quæ illi erectæ, ad flammæ alimétum est, defluxu nimio eam obruente; ita moderato victu vita fouetur, quæ immoderato extinguitur: quare monet Salomon Prou. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur. Multi in prandio,* inquit D. Ambros. lib. de Eliâ & ieiunio cap. 8. *plerique dum vomunt epulam, fudere animam. &, per escam laqueus non cauetur, in escâ hamus latet, & cibus deducit in foueam, cibus inducit in retia, cibus visco etiam aues alligat, cibus volantes deponit ad mortem. Quæ non propter ventris pericula, muta animantia, crimen nesciunt? & in hoc solo, tanquam pro crimine puniuntur.* Demetrium Poliorcetem Antigoni Macedoniæ Regis filium scribit Plutarchus, post multa fortia & egregia facta ab Antiocho captum, & Cherronensi custodiæ traditum, regio sumptu, mollique victu, venationibus, omnibusque voluptatibus deditum, per incontinentiam in morbum incidisse, ex quo perijt. Rectè D. Chrysost. to. 5. sermone contra luxum & crapulam. *Qui viuit in delitijs, & ebrietati deditus est, & carnium voratione, & vini potatione disrumpitur sæpè, & inuitus, & sponte necesse est peccare. Nam sicut nauis oneraria, quæ supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata fit mergitur: ita anima, & corporis nostri natura, si plures acceperit cibos, quàm ferat natura sua, impletur, & iniectorum grauitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur, & nautas & gubernatores, & eos qui in prorâ, & alios nauigantes, & ipsum onus cum hominibus perdit.* Exemplo sit Alexander Magnus, qui à magnâ potatione, Midio inuitanti, & conijcienti ipsum denuò in vinum, denegare erubuit, & perijt, apud Plutarch. in præceptis salutaribus, vbi & Riglus pancratiasta, vocatus summo diluculo à Tito Cæsare in balneum, venit, lauit, bibit, & correptus apoplexiâ, extemplo expirauit. Omitto Agronem Illyriorum regem, qui in ebrietatem conuersus, laterum dolore captus interijt, teste Polybio lib. 2. Anacreontem Poëtam sileo, qui cùm vino liberaliùs indulgeret, vuæ acino suffocatus est. Innumeros alios prætereo, qui vel in popinis madidas euomuere animas, vel domi, somno, vinoque sepultas, Charontis cymbæ, repente ad inferos transmittendas, commisere. Quare rectè Sapiens, Eccl. 37. *Noli auidus esse in epulatione, & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas: & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam, multi obierunt: Qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Siquidem Auicenna, & cum eo Arabum sapientes, affirmarunt, *animam temperatam posse dominari elementis, eaque mirâ quadam virtute, ad libitum mouere.* Siue temperiem bonam corporis intelligas, quam temperantia, ex discordi contrariarum qualitatum concordiâ coalescentem, seruat integram: siue etiam ad nutum temperantis animæ, euocata prodeant elementa, quomodo ignis Eliæ paruit: quomodo D. Columbanus in Galliâ Abbas, fontem de petrâ, Deum precatus eduxit, qui hodie quoque vbertim effluit; & D. Maxentius Pictauiensis Abbas, arido in loco, cùm Monachi siti laborarent, terram virga percutiens, fontem scaturire fecit; vt scias elementa ei seruire, inquit Marulus lib. 4 cap. 2. qui gulæ & ventri dominatur; hic enim pane hordeaceo, & aquâ victitauit; ille verò, annis sexaginta, herbis solùm & radicibus sustentatus est. Vt omittam D. Benedictum, qui itidem ex arenti monte, perquam optatam iugis aquæ scaturiginem, Monachis suis, fusâ ad Deum prece, impetrauit. Nec defuere, qui sub animâ temperata, corpus seruari posse immortale, existimarint, vel saltem summopere diuturnum: sanitas enim est corporis temperantia, quæ à temperantiâ animæ conseruatur. Seneca epist. 58. frugalitate senectutem produci ostendit: *Cogitemus*, inquit, *aliquatenus nostrâ prouidentiâ longiorem prorogari huic corpusculo moram, si voluptates, quibus pars maior perit, potuerimus regere & coërcere. Plato ipse ad senectutem se diligentiâ pertulit. Erat quidem corpus validum ac fortè sortitus, &* illi

Prou. 23.

Demetrius.

Ebrietati deditum sponte peccare necesse est.

Alexander magnus vino nimio extinctus est. Riglus quoque.

Agron rex.

Anacreon.

Eccl. 37.

12. Anima elementis vt dominari possit.

Plato.

illi nomen latitudo pectoris fecerat: sed nauigationes & pericula, multum detraxerunt viribus, parsimonia tamen, & eorum quæ auiditatem euocant modus, & diligens sui tuitio, perduxit illum ad senectutem, multis prohibentibus causis. Galenum ferunt, frugalitate, ad centum quadraginta annos ætatis peruenisse, animæque suaueolentiam gratam spirasse, non virus graueolentis stomachi, quale inspirat vini ingurgitatio & crapula, quæ plures occidit quàm gladius. Quare frugalitatem, etsi non immortalitatis, bonæ tamen valetudinis, & vitæ productioris, non iniuriâ, matrem quandam esse dixeris.

Galenus.

Temperantia honori consulit.

13. Temperãtia prodest honori.

CONfert honori temperantia, & immortalem gloriam parit. A temperantiâ magnam laudem consecutus est Ioannes Baptista, præcursor Christi. Matt. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Diues autem epulo Luc. 16. dedecus immortale. Præclarum Alphonsi Aragonum & Siciliæ regis dictum. qui interrogatus; Quid sibi vellet, quòd vinum aquâ dilueret? repoluit, ne ebrius fiam, non enim ignoro, quantum vini intemperantia, Alexandri Macedonum regis gloriæ obfuerit: Panormita lib. 2. de gestis Alfonsi. M. Curius Dentatus, cùm à Samnitum legatis audiretur, rapâ sibi parare obsonium inuentus est, de quo Iuuenalis Sat. 11.

Matth. 11. — *Alphonsus Arago.* — *M. Curius.*

——— cùm parua quæ legerat horto
Ipse focis breuibus ponebat olufcula, quæ nunc
Squalidus in magnâ fastidit compede fossor.

Vnde & laudem, & celebrem nominis sui famam promeruit. Iudithæ temperantia de Holoferne poculis tatto triumphauit, & immortalis facta est gloria eius. Hebræorum puerorum corpora, frugalitate firmata, & decora, clybani furentes flammæ sunt reueritæ, & discusso ardore incendij, conceptoque spiritu roris refrigerantis, ita integra præstiterunt, vt ne quidem capillus capitis eorum exureretur, quia illos quoque frugalitas pauerat: indeque illi apud Principem habiti sunt in gloriâ, & honore. Danielis temperantia leonum ora obstruxit, indurata frugalitatis soliditate membra, nullum teritis morsibus fecere locum: itaque eductus è lacu, immortale decus apud Regem indeptus est.

Iudith. — *Pueri Hebræorum.* — *Daniel.*

Sed vt infinitos prætercam, tum veteris, tum recentioris instrumenti temperantiæ proceres, quorum memoria multis encomijs celebranda, ad posteros transijt. Nunquid è conuerso, ignominiæ & vituperij labe inspergendi, qui omne suum studium in farciendo ventre collocarunt? Quis enim non detestetur Metrodorum Epicureum, quem Plutarchus refert, summum bonum in ventris curâ posuisse? Et non Sacerdotum Ægyptiorum mores in victu parcos, ac frugi prorsum bonæ demiretur, qui, vt est apud Cælium Antiq. lect. lib. 13. cap. 25. & Diodor. Sicul. lib. 2. cap. 3. biduũ, triduũque inediam sustinebant, quò mentem contemplationi deditam, rerum diuinarum humanarumque scientiâ saginarent. Quis Philoxenum Cytherium, & Gnathonem Siculum non exhorreat, mucum in paropsides ciborum emungere solitos, apud Plutarch. de dicto, λαθὲ βιώσας: vt reliquis auersantibus, ipsi soli absumerent. Et Pythagoræos à propositis lautissimis ferculis abstinentes, frugalissimis contentos; Platonemque ipsum in opiparo conuiuio, à reliquis temperantem cibis, & oleis dumtaxat ventrem non suspiciat? Quis eosdem, Philoxenum, Gnathonem vnà cum Melanthio, apud Athenæum Dipnosoph. lib. 1. cap. 3. non exsibilet, qui naturam accusantes, collum gruis ad ciborum fruitionem habere precabantur? & non Diuum Germanum Antisiodorensem Episcopum, & Richarium confessorem, honorificè habeat, qui pane hordeaceo, non sale, sed cinere aspersio, ne prasesferret suauitatem vitam sustentarunt?

14. Intemperãtia ignobiles facit.

Si probrosa est intemperantia, probrosi quoque sunt fructus eius: & qui se illâ commacularint, honorati habentur? Eos sanè qui cibo confecti, in vinolentiâ dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi fuerint, flagitijs dehonestari, atque in multa animæ & corporis damna incidere, necesse est: quorum vt cognitionem habere fateamur, satis erit, si gulam, omnium malorum fontem, genitricemque esse nouerimus. Illa ebrietatem parit, vanum gaudium, loquacitatem, incompositos mores & motus, stuporem quoque sensuum & intellectus: sic enim indigesti cibi potusque vaporum ascensus in cerebrum, qui turbant phantasiam, vnde hebetudo intellectus resultat. Illa mortalium fata accelerat, Philoxenus enim Cytherius apud Athen. lib. 8. cap. 6. Iouinianus Imperator apud Egnatium; Domitius Afer apud Sabellic. lib. 2. Ennead. 7. Valentinianus Imperator apud Sextum Aurelium, vnà cum Septimio Seuero Imperatore, ex ciborum incoctorum cruditate, & intemperantiâ, perierunt: & Attila nimio cibo potuque pressus, cùm dormiret, sanguine ipse suo, apud Paulum Diaconum, euectus est. Illa, corpus ipsum multâ aspergit turpitudine: atque in omnem fertilis nequitiam, ceu Scylla & Hydra, multorum monstra capitum, in fornicationem, iram, rixas, homicidia, atque in alias id genus pestes, pullulat: ac velut Nabuzardan 4. Reg. 25. (qui magister coquorum interpretatur) Hierosolymæ muros solo æquauit; virtutes omnes destruit; proinde D. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 26. primum bellum quod ad edomandam carnem mouere debemus, vult in gulæ vitium dirigi.

Cruditas ciborum mortis caussa. — *Attila.*

15. Temperãtia in quo consistat.

Interea tamen temperantiæ seruandæ rationem, non in eduliorum quantitate & qualitate, sed potissimùm in interioris appetitus coërcitione, positam esse nouerimus: Diuo Gregorio teste lib. 30. Moral cap. 27. vbi gulæ vitium non in edendo & bibendo, sed in ipso appetitu à ratione dissentiente, consistere scribit. Ex quo sequitur, illos quandoque vacare culpâ, qui lautissimè & exquisitissimè vescuntur, alios verò criminis intemperantiæ reos censeri, qui vel legumina, obuiumque cibum, atque paratum, vel frigidæ potum, auidius appetierint, hauserintque. Ideò Esaus Gen. 25. primogenituræ ius pro lentis edulio vendidit fratri suo Iacobo. Sed fortassis in illo fames plus potuit quàm luxus. Vtut sit, voracitas certè illum, à summo bono, ad extrema impietatis mala præcipitauit, qui tantilli temporis anticipatam voluptatem, felicitati antepofuerit. Lysimachi Thraciæ regis meminit Plutarchus, lib. de sera Numinis vindictâ, de quo proditum est, sibi coactum dedisse in Getarum potestatem corpus, & exercitum suum: atque vt bibit iam captiuus, dixisse: Heu me hominem turpem, qui voluptatis caussâ adeò tempo-

Esau gulosus. — *Lysimachus.*

temporariæ, tanto regno sum orbatus. Peccarunt illi inordinata appetentia, & peccati pœnas mox dederunt, qui si frenos gutturis, temperata relaxatione & constrictione tenuissent, in quas sese præcipitarunt, non incurrissent miserias. Quod piè, & eleganter quoque lib. 10. Confess. cap. 31. prosequitur D. Augustinus: nempe luxum ventris non in escæ, potiusve delectu constitui, sed præcipuè in voluptuaria irregularis cupiditatis fallacia. *Docuisti me*, inquit, *Pater bone, Omnia munda mundis. Sed malum esse homini qui per offensionem manducat, & omnem creaturam tuam bonam esse, nihilque abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, & quia esca nos non commendat Deo; & vt nemo nos iudicet in cibo, aut in potu, & vt qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet. Didici hæc, gratias tibi ago, laudes tibi Deo meo, magistro meo, pulsatori aurium mearum, illustratori cordis mei. Eripe me ab omni tentatione. Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noë omne carnis genus, quod cibo esset vsui manducare permissum: Heliam cibo carnis refectum: Ioannem mirabili abstinentiâ praditum, animalibus, hoc est, locustis, in escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentiâ deceptum: & Dauid propter aquæ desiderium à seipso reprehensum: & regem nostrum non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideòque & populus in eremo, non quia carnes desiderauit, sed quia escæ desiderio aduersus Dominum murmurauit, meruit improbari.* Potest igitur esse non incompta frugalitas; cuius indicium non putemus, lautioribus caruisse, aut abstinuisse vsitatis: sed in his & illis, cupiditatem, ne luxuriet, infrænasse. Quemadmodum enim, inquit Seneca epist. 5. delicatas res desiderare, luxoriæ est; ita vsitatas, & non magno parabiles fugere, dementiæ est.

Ad Tit. 1. — *1. Timoth. 4.* — *1. Cor. 8.* — *Coloss. 2.* — *Rom. 14.* — *Gen. 9.* — *3. Reg. 17.* — *Matth. 3.* — *Gen. 25.* — *2. Reg. 23.* — *Matt. 4.* — *Num. 11.*

Temperantiâ, res familiaris augetur.

16. Frugalitas thesaurizat.

TAndem verò si rei familiaris ratio habeatur, quid non vtilitatis habet frugalitas? loculos auget, qui in liberorum institutionem, filiarum collocationem, sacrarum ædium structuras, ærumnosorum solatia, aliosque pios vsus, cum laude effundantur. Mensarum splendor, marsupia euacuat, reditus attenuat, & copiosos, in ærumnosam pauperiem trudit. Dilapidauerat Diomnesti diuitias malè partas, Callias Atheniensis, apud Athenæum lib. 12. cap. 7. & tandem quotidiani victus inopiâ laborans, perijt: & lib. 8. cap. 6. Diocles agrum, in obsonia, abligurriuit. Hugutio Fagiolanus, apud Petrarcham, conuiuijs plus nimio deditus, Pisas & Lucam, vno prandio deuorasse traditur. Qui sic? quòd eo die, quo de illarum ciuitatum dominio pulsus erat, poterat vulgi tumultus comprimi, si è conuiuio surrexisset. M. Crasso, apud Valer. Max. lib. 6. cap. 11. pecuniarum magnitudo locupletis nomen dederat; cui postea inopia, turpem decoctoris superlationem immisit: nec amara iugillatione caruit, cùm egenus, ab occurrentibus, locuples salutaretur. Decoxerat ingens patrimonium Acilius apud Cælium, lib. 9. Antiq. lect. cap. 13. cui pauperiem confitenti lepidè & salsè Tiberius Imperator; Serò experrectus es, alludens ad id, quod totas inter pocula noctes transegisset, somno impendisset dies. Prodigiosa ventris ingluuies: Choerilum Poëtam tradit Athenæus lib. 8. cap. 6. cùm minas quatuor, hoc est, quadraginta coronatos aureos, secundum Budæum, ab Antigono rege singulis diebus acciperet, obsonando tamen absumere solitum. In quē quadrat illud Ecclesiastæ 6. *Omnis labor hominis in ore eius*, siue quod alij dicunt:

Callias.

Eccles. 6.

Deuorat os oris, quidquid lucratur os ossis.

Ideoque D. Bonauentura, in dieta salutis, dict. 1. cap. 8. gulam morbo icterico comparauit, quem Celsus & Apuleius vocant auriginem, à colore auri, quem eo morbo laborantes præferunt; oritur autem ex suffusione bilis flauæ, vel nigræ per totum corpus: Medici Regium morbum appellant; non quòd eo reges potiùs quàm quisquam alius, corripi dicantur, sed vel quòd mulso præcipuè, regio planè potu, vt Plinio & Varroni visum est, curetur: vel quòd per omne tempus vtendum sit exercitatione, frictione: si hyems est, balneo: si æstas frigidis natationibus; lecto etiam & conclaui cultiore, clauso loco, vt & ludis, lasciuiâ, per quæ mens exhilaretur: ob quæ regius morbus dictus videtur, inquit Celsus lib. 3. cap. 24. Quia ergo in morbi regij curatione, sumptus non vulgares faciendi sunt, nisi galguli auis aspectus medeatur; ideò D. Bonauentura, gulam illi similem fecit, ad quam explendam thesauri profundantur regij. Hinc meritò exclamat Lucan. 4. Pharsal.

Gula morbus ictericus.

——— ô prodiga rerum
Luxuries, nunquam paruo contenta paratu,
Et quæsitorum terrâ, pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ!
Discite quàm paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat, non ægris agros
Nobilis ignoto diffusus Consule Bacchus:
Non auro, myrrhaque bibunt, sed gurgite puro
Vita redit; satis est populis, fluuiusque, Ceresque.

Seneca epist. 119. *Ambitiosa non est fames; contenta desinere est: quò desinat non nimis curat. Infelicis luxuria ista tormenta sunt. Quærit quemadmodum post saturitatem quoque esuriat; quemadmodum non impleat ventrem, sed farciat: quemadmodum sitim primâ potione sedatam renocet. Egregiè* itaque Horatius *negat ad sitim pertinere, quo poculo aqua, aut quam eleganti manu ministretur,*

Num tibi, cùm fauces vrit sitis, aurea quæris
Pocula: num esuriens fastidis omnia, præter
Pauonem, rhombumque.

Quare non iniuriâ familiarem suum in conuiuij apparatu effusum reprehendit Pyrrho Eleus apud Athenæum lib. 10. cap. 3. & Ælian. lib. 2. var. hist. à quo exceptus conuiuio: in posterum, inquit, non amplius ad te accedam, si ita exceperis: ne ego grauiter feram, cùm te non necessario impendere videam, ac ne tu etiam exhaustus, mala patiaris. Sentiebat ille se non tantis indigere, atque se feliciorem esse quò paucioribus indigeret. siquidem, vt Socrates dicebat, Nulla re indigere Dei est, quàm paucissimis autem, Deo proximum. Hinc Deorum victus Homero simplex, *nectar & ambrosia*: Et homini imagine, similitudineque proximè ad Deum accedenti, cibus in paradiso parabilis & simplex ad vitam protelandam. Hebræis quoque genti non quæsitæ deliciæ, sed, vel naturales, & nullâ arte paratæ, vel alieno labore confectæ, lac & mel, in promissâ terrâ parata

Sumptus superflui reprehensio.

Cibus paradisi simplex.

parantur; victus nempe frugalis, vti gentium cibarijs ad gulam & luxum comparatis, non se, edacitatis enormitate contaminandos, scirent: victus qui Dei electorum est, cuius gustu imbuti olim infantes & grandiores è lauacro suscepti, in concordiæ significationem, vt tradit Tertullianus lib. de Coronâ militis cap. 3. totidem verbis, *Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus*: quem imitatus Diuus Hieronymus aduersus Luciferianos, ita inquit, *Nam & multa alia quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurparunt; vt in lauacro ter caput mergitare, deinde egressos, lactis & mellis prægustare concordiam.* Quia verò lac infantibus conuenit, quibus assimilantur baptizati innocentiæ receptæ beneficio, quæ lacte significatur; qui, ratione vtentes regenerante lauacro, abluebant, eos, *lactis & mellis societate infantare*, dicebantur Tertulliano lib. 3. contrà Marcion. capite 9.

Baptizati olim, lac & mel cur gustarent.

Quod naturæ sufficiat petere, temperantiæ est.

17. *Panis petitio sola necessaria spectat.*

ISTud est epulum frugale, quod in dulcedine sua, pauperi suo parat Deus, sub panis nomine significatum, quem Dominus peti mandat, inquit Tertullianus lib. de Oratione, *Quod solum fidelibus necessarium est: cætera enim nationes requirunt. Ita & exemplis inculcat, & parabolis retractat, quùm dicit: Nunquid panem filijs pater aufert & canibus tradit? Item, Nunquid filio panem poscenti, lapidem tradit? Ostendit enim quid à patre filij expectent: sed & nocturnus ille pulsator, panem petebat.* Periculosum nimis aliud petere, & rebus necessarijs auidiùs inhiare, quia sub necessitatis corporeæ, & indigentiæ specie, voluptas irrepit, quemadmodum eleganter prosequitur Diuus Augustinus lib. 10. Confess. cap. 31. totidem verbis. *Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestiâ transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ, ipse enim transitus, voluptas est, & non est aliud quà transeatur, quàm quò transire cogit necessitas. Et cùm salus sit caussa edendi & bibendi, adiungit se tanquam pedisequa periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius caussa fiat, quod salutis caussâ me facere vel dico vel volo: nec idem modus vtriusque est: nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpè incertum fit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.* Quare Diuus Bernardinus Senensis lib. de Christianâ Religione, serm. 9. sex modis Deum in acquisitione bonorum temporalium offendi, scribit; superfluitate nimiâ; acquisitione iniquâ, siue alieni vsurpatione; nimiâ cupiditate & concupiscentiâ; superbiâ & iactantiâ, quâ in bonorum possessione efferimur; diutinâ nimis penes se retentione; & nimiâ temporis in ijs acquirendis iacturâ. Quibus defectibus, totidem verba opposuit in hac petitione Dominus, quæ illos, vt caueantur, ostendunt.

Acquisitio bonorum sex modis vitiatur.

Primum enim, *Panem*, inquit, per quem, id solum quod necessitatis est, significatur. Quid autem pane magis necessarium? *Initium vitæ hominis, aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem*, inquit Sapiens Eccl. 29. *Sic ergo hîc sufficientiam petimus*, ait Diuus Augustinus epist. ad Probam, *à parte quæ expedit, id est, nomine panis totum significantes.* Superflua excluduntur, quæ nec appetenda sunt, nec petenda, neque si offerantur admittenda: quandoquidem excessus in quantitate, & qualitate sine vitio esse non possit: *Et ideò*, inquit auctor imperfecti in Matth. hom. 14. apud Diuum Chrysostomum, *pro pane iussit orationem facere, non pro pecunijs, neque pro lasciuiâ*, vt habentes victum & amictum, his contenti simus, hoc est; ea quibus viuendi curandique corporis nostri caussâ vtimur. Petis panem? Rectè. Victum petis, quo verbo, vt scribit Vlpianus lib. Digest. 50. continentur, quæ esui, potui, cultuique corporis, quæque ad viuendum homini sunt necessaria, & vt Labeo ait, vestis ipsa. Affluere illa tibi cupis supra quam statum, conditionemque tuam deceat? non rectè. Delinquit itaque miles, qui in victu & vestitu, Principis splendorem appetit; delinquit Clericus, qui Episcopi sustentationem: ciuis qui nobilium paludamentum desiderat. Panem petit? necessaria solùm petit, sed cupiditate & intemperantiâ peccat, quâ amplius concupiscit, quam opus habeat.

Eccl. 29.

Sequitur, *nostrum*, quâ voce iniustitia eorum, qui contra ius societatis humanæ, furtis, rapinis, vsuris, calumnijs, oppressionibus, inuasionibus, aliena tollunt: de quibus Prouerb. 4. *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Quod genus hominum, pessimum est, & extra salutis viam, vt *Cui pœnitendi medicina non prodest*, nisi restitutio fiat, vt inquit Diuus Augustinus epist. 54. ad Macedonium, tom. 2. & habetur 14. quæst. 6. cap. *Si res aliena.* Et de Regul. iuris, lib. 6. *peccatum. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, vt dixi, cùm restitui potest.*

Prou. 4.

Ideò petimus, *panem nostrum*, illum scilicet, qui iure noster censeri possit, ac debeat, quemque iustis nostris laboribus acquirimus; secundum illud Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane. Homo enim nascitur ad laborem, & auis ad volatum*: Iob. 5. Et iste panis noster, felices nos facit. Psalm. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & benè tibi erit.* Propterea Diuus Paulus ad Thessalon. 2. cap. 3. ne cui esset onerosus operabatur, & de laboribus manuum suarum manducabat: *Neque panem gratis manducauimus ab aliquo*, inquit, *sed in labore & fatigatione nocte ac die operantes, ne quem vestrûm grauaremus.* Proindeque dicentes, *nostrum*, ignauiam eorum qui non occupatam, sed otiosam vitam degunt, reprobamus, hi enim, non suum panem, sed alienum edunt, velut fuci, aut ex apum genere grandissimæ quædam, nigræ, fures, lataque aluo, apud Plin. lib. 11. hist. cap. 17. furtim mella deuorant, quas propterea, vel abigunt apes ipsæ, vel interficiunt, &

18. *Noster panis quis dicatur.* *Gen. 3.* *Iob. 5.* *Psal. 127.* *2. Thess. 3.*

Ignauum, fucos, pecus à præsepibus arcent.

Nostrum, quia à maioribus nostris acceptum: viuitur siquidem aut labore, aut reditibus, & commoditatibus relictis à progenitoribus nostris: feliciorque est Martiali

Res non parta labore, sed relicta;

scilicet, si iustè acquisita, nostra est: si iniustè, nostra non est, quanquam ab auorum & proauo-

rum origine, ad nos peruenerit: abominatur autem iniustæ acquisitionis iniquitatem Deus, & in tertiam & quartam generationem vindicare solet. Ideò Tobias cap. 2. vt audiuit balantis hædi vocem, quem Anna eius vxor, ex labore manuum suarum, domum detulerat, *videte*, inquit, *ne furtiuus sit: reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Non dubitabat ille de vxoris suæ sanctitate, neque suspectam habuit furti: sed quod verebatur, fuit, ne, qui eum indicarat venditor, cùm illa liceret, furto sublatum accepisset. Ideò Dauid 2. Reg. 24. aream ab Areuna Iebusæo gratis accipere noluit, in quâ aram Deo sacrificaturus erigeret, sed præsenti emere voluit pecuniâ, ne perperam occupasse videretur.

Tob. 2.

Panis noster, etiam pauperum est.

Panem nostrum, inquit auctor Imperfecti in Matth. homil. 14. inter opera Diui Chrysostomi, *propter duo. Primò, quia omnia quæ nobis Deus dat, per nos alijs dat, vt de eo quod accipimus, partem impotentibus faciamus. Qui ergo de laboribus suis indigentibus non præstat, non tantummodo panem suum manducat, sed etiam alienum. Deinde qui de iustitiâ acquisitum panem manducat, suum panem manducat; qui autem cum peccato, alienum.* Panem, itaque, nostrum, dicitur, & non, *meum*, quia etiam pauperum & indigentium est panis noster, quem si egenis & in necessitate constitutis non distribuero, meumque fecero, iam non meus est panis, etiam qui iure tenetur, sed peruerso vsu meo, fit alienus. Quam in rem pulchrè Diuus Augustinus epist. 54. ad Macedonium: *Nonne omnes qui sibi videntur gaudere licitè conquisitis, eisque vti nesciunt, aliena possidere conuincimus? Hoc enim certè alienum non est quod iure possidetur; hoc autem iure quod iustè: & hoc iustè quod benè: Omne igitur quod malè possidetur, alienum est: malè autem possidet, qui malè vtitur.*

19.

Sed quî panem nostrum appellamus, si Deus dispositionem illius habet? &, si noster est, cur illum postulamus à Deo? Dei esse panem, nemo inficias ibit, dicit enim psal. 49. *Mea sunt omnes feræ syluarum: iumenta in montibus & boues; Cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est.* Habet enim illa in numerato & potestate suâ Deus, vt quando, quotiescunque, vbicunque, & quantumcunque libuerit, vti valeat. Et Ezechiel. 16. panem suum vocat illum quem populo suo dedit: qui si Dei est, quomodo noster est? Respondet Diuus Gregorius lib. 14. Moral. apud Diuum Thomam in Cathenâ super Matth. 6. *Nostrum autem hunc panem dicimus, & tamen vt detur oramus, quia Dei est ex munere, & noster fit per acceptionem.* Panis est Dei secundum proprietatem & dominium, noster secundum vsum, & concessionem: sic ergo panem nostrum petimus, quomodo calceos quos fieri curauimus, à sutore qui eos in sutrinâ tanquam suos habet, velut nostros exposcimus. Panis noster est secundum refocillationem & caussalitatem: est enim homo finis, in quem mundi sublunaris creaturæ referuntur, ipse in Deum. Noster est quoque, quia nostram necessitatem & indigentiam prodit: sic pauper stipem quam in nosocomio impetrat, suam portionem esse dicit; quam in egestatis & inediæ suæ leuamen, fatetur se accipere. Eleganter Diuus Augustinus lib. 50. homiliar. 14. *Nonne in Oratione Dominicâ dicimus, & nostrum esse quod à Deo est? Quotidie dicimus Panem nostrum quotidianum. Iam dixisti nostrum, & dicis, da nobis, ecce nostrum, ecce da nobis. Illo dante fit nostrum. Si illo dante fit nostrum: nobis superbientibus fit alienum. Dicis, nostrum, & dicis da nobis. Quid ergo tibi assignas, quod non tibi ipse dedisti? quid enim habes quod non accepisti? Dicis nostrum, & da nobis. Agnosce largitorem, confitere te accipere, vt libenter dignetur dare.*

Ps. 49.

Noster est panis secundum vsum.

Cur dicatur, quotidianum?

20. Quotidianum quod necessarium

ADdit, *quotidianum*. *Panis verò quotidianus ideò dictus est*, inquit Diuus Augustinus Enchiridij cap. 115. *quia hic est necessarius, quantus animæ carnique tribuendus est, siue spiritualiter, siue carnaliter, siue vtroque intelligatur modo.* Et lib. 50. homiliar. homil. 14. *Panis noster quotidianus, Christus in carne: æternus sine tempore, quotidianus in tempore. Tamen ipse est panis qui de cælo descendit.* Ioan. 6. Quod quia ita est, non omne vitæ tempus pro ventre curando, conterendum esse, admonet Diuus Ephræm Syrus, de Compunctione animi: vt non minorem mentis quam ventris curam habeamus: *Ne in corporis curâ vniuersum tempus nostrum insumamus*, inquit, *sed quandocunque corpus esurit, & nutrimentum appetit, cogita & animam tuam suo tunc cibo necessario refocillari velle: & quemadmodum corpus nisi pane sustentetur, viuere nequit, sic & anima nisi spiritali sapientiæ alimento reficiatur, mortua est.*

Ioan. 6.

Arcenda igitur à mortalium animis superflua abundantiæ temporalis solicitudo, siue ægritudo illa quæ est cum anxiâ cogitatione futuri, quibus satis esse debet, quod ad vsum quotidianum est necessarium. Id quod voce illâ, *quotidianum*, significatur: licet enim multi lucris iniustis abstineant, quæ per vocabulum *nostrum*, condemnantur: paucos tamen reperias, qui curas & solicitudines suas quibus animi, noctes atque dies exeduntur, ita moderentur, vt non extra lineas eant, exorbitentque, quibus etsi sit quod sufficiat, amplius tamen quærunt, crescente cum diuitiarum incremento, inexplebili earum desiderio, si illæ secundum se spectentur. quia quod propter se appetitur, sine mensurâ appetitur, vt scribit Aristoteles 1. Politic. Ideò, ne in longum desideria petitionis nostræ extendamus, vt inquit Diuus Cyprianus de Oratione Dominicâ, ne futuro plus æquo soliciti, contra præscriptum Domini, rursum dicentis Matth. 6. *Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt.* Meritò Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur. Nam cùm vtilia solùm expetenda sint (quo in genere sunt diuitiæ Ethicor. 1.) ipsa vsu solo constant, quorum proinde mensura, vtendi necessitas esse debet, vt nec diuitias, nec paupertatem appetamus. Prouerb. 30. sed tantùm quæ victui nostro sunt necessaria.

Matt. 6.

Prou. 30.

Periculosæ namque sunt diuitiæ, inquit Diuus Cyprianus: *Idcirco non expetendæ, sed contemnendæ, illic radix malorum blandientium, cæcitatem mentis humanæ occultâ deceptione fallentium: vnde & diuitem stultum sæculares copias cogitantem, & se exuberantium fructuum largitate iactantem, redarguit dicens: Stulte, hac nocte expostulatur anima tua, quæ ergo parasti, cuius erunt? Lætabatur stultus in fructibus ipsâ nocte moriturus, & cui vita iam deerat, victus abundantiam cogitabat.* Scilicet abundantiam quâ seipsum pasceret, non quâ pauperibus subueniret. quo quid sceleratius esse potest? frumentum habere in annos plures, & in expectatam annonæ caritatem reconditum, vt

Iam nunc adstringat, iam nunc granaria laxet:

Pauperes iugulare est, quorum sunt illa quæ stu-

tui nostro supersunt. Ita tamen, vt discretione Christianâ dictante, aliquid in futurum reseruare, prouidentiæ sit, non auaritiæ: neque enim quod in dies plurimos commodum futurum est, in profusas vnius horæ epulas proijciendum; neque vnius diei prodigentiâ, acceleranda est plurium penuria: quod auctor imperfecti in Matth. significauit, dicens, addi, *quotidianum, vt tantum quis manducet, quantum ratio naturalis exigit, non quantum lasciuia carnis impellit. Si enim tu in vno conuiuio tantum expendas, quantum in pluribus sufficere poterat, v.g. hominibus centum moderatè viuentibus; aut tibi ipsi centum diebus disciplinatè viuenti, iam non quotidianum cibum manducas, sed multorum dierum.* Neque hoc illi præcepto aduersatur, *Nolite solliciti esse: Nam vel hoc dicere vult*, inquit auctor imperfecti in Matth. homil. 14. *vt de nullo simus in hoc mundo soliciti, nisi de solo simplici victu. Sic mandauit orare: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: non quia illicitum indicauit plus habere hominem Christianum, quàm panem quotidianum, sed hoc docere vult, vt si possibile est, neque pane quotidianò plus habeat, quod possibile non est, quantum ad possibilitatem humanam.* Quod itaque reprehenditur est, solicitudo illa, quæ nimiam anxietatem in re familiari profluenter comparandâ adiunctam habet, non illa quæ cum labore coniuncta est. Aut cur homini dictum est, Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo?* Sudórne esse potest qui solicitudinem & angustiam præsuppositam non habeat? Nunquid manna cælitùs Hebræis datum, in eorum manibus vel tabernaculis pluit Deus, an potiùs in castrorum circuitu, Exod. 16. vt egrediens populus per singulos dies quantum sufficeret, colligendi solicitudinem haberet? Quinetiam ad formicam remittitur piger. Prouerb. 6. vt consideret vias eius, & discat scientiam, ne veniat illi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.

Sumptus conuiuiorū reprehensi.

Gen. 3. Labor hominis & solicitudo vitæ exigitur.

Prou. 6.

Idcircò autem homo solicitudinis expers esse non debet, quia cùm natura sit determinata ad vnum, vt loquuntur Philosophi, suopte genio ipsa, plantis, arboribus, volatilibus, cæterisque brutis animantibus, quæ ad vnum quoque determinata sunt, prout cuique opus est, necessarium alimentum prouidet. Homini verò, quia rationalis est, & ad multa indeterminatus, non sic affecta est, quin ex varijs iudicijs & consultationibus, ipse sibi etiam consulendum, putet: quod si negligeret, si nullâ prorsus rei procurandæ, conseruandæque solicitudine tangeretur: hoc quid esset aliud, quàm contra præceptum diuinum Deuter. 6. tentare Deum?

Homo ad multa indeterminatus.

Deut. 6.

Cur dicatur, Da.

SEquitur: *Da:* Quia enim superbia in cordibus diuitum ambulat & expatiatur, in cordibus verò pauperum stertit, dicente Beda in Luc. 2. *Familiaris res est, humanum cor opibus ac libertate dissolui, erumnis verò ac paupertate ad semetipsum recolligi:* plerumque videmus illos rerum quas affluenter possident, iactantiâ & superbiâ euanescere, quod asseruit D. Innocentius lib. de vilitate humanæ conditionis: *Diues*, inquit, *in superfluitate resoluitur, & iactantiâ effrænatur, currit ad libitum, & corruit ad illicitum, & fiunt instrumenta pœnarum, quæ fuerant oblectamenta culparum. Labor in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo, mentem eius semper fatigat, sollicitat & affligit.* Et ante ipsum eleganter Sallustius in Catilinam: *Igitur ex diuitijs iuuentutem luxuria atque auaritia, vnà cum superbiâ inuasere: rapere, consumere, sua parui pendere, aliena capere, pudorem, pudicitiam, diuina atque humana promiscuè, nil pensi, neque moderati habere:* adeò

21. Diues in abundantiâ superbit.

Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam:

inquit Martial. de Neruâ, lib. 11. quia, vt inquit Isocrates Parænesi ad Demonicum, diuitiæ vitiorum magis, quàm virtutis ministræ sunt, cùm quòd ignauiæ facultatem offerunt, tum quòd adolescentes ad voluptatem inuitant.

Hinc est quod diuites, quidquid rerum possident, quidquid affluentiùs habent, suis vel suorum meritis, industriæ ac solicitudini arroganter adscribant, non sine iniuria Creatoris, in quem, tanquam in bonorum omnium fontem, referenda sunt omnia, cum Vate Regio. 1. Paralip. 29. vbi ait: *Quis ego, & quis populus meus, vt possimus tibi vniuersa hæc promittere? tua sunt omnia, & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi.* Quod ipsum vt à nobis impetraret Deus, suorum erga nos munerum memoriam à principio cordibus nostris inscriptam voluit, quum dixit Gen. 1. *Ecce, dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & omnia ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terrâ, in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Ecce, quomodo Dominus *producit fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum*, psal. 103. vt dicas cum eodem Vate psal. 144. *Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum, & imples omne animal benedictione:* & propterea, *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitiâ tuâ exultabunt.* Superbit interea anima diuitiis saturata, & in opum iactantiâ fastidit pauperes, conculcans fauum largitatis Diuinæ, tanquam suo marte, non Dei benignitate diues; vt non immeritò Diogenes plerosque diuites, arboribus & vitibus quæ in locis inuijs ac præruptis nascuntur, compararit, quòd istarum fructus, non vsui sint hominibus, sed à coruis & similibus animalium consumantur. Quid enim ad vitæ societatem confert Diues, qui sibi soli se natum putat, in pauperes asper & rigidus? Sed ô *Filij Adam, genus auarum*, inquit Diuus Bernardus, *quid vobis cum terrenis diuitijs, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum & argentum verè terra est rubea vel alba, quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosa: denique si vestra sunt, tollite ea vobiscum.* Puluerem corporis vestri terræ traditis, & diuitiarum puluere cor vestrum inspergitis ingrati? Scitè Menander

1. Parol. 29.

Gen. 1.

Ps. 103.
Psa. 144.

Aurum & argentum nihil quàm puluis sunt:

Et isto puluere diuites, supercilium tollitis; Deū & homines spernitis? Euripid.

Non probo vsquam inter homines illas opes
Quæ faciliùs delentur à Deo, quàm scribuntur.

Vitium hoc superbiæ, iactantiæ & ingratitudinis, ostendit, & sanat Dominus, quum nos vult dicere, *Da:* nostræ nos necessitatis atque indigentiæ admonens, quarum ratione, miserationis Diuinæ ianuam stipem oraturi, nos mendici, pulsamus. Ideò quippe rationem & iudicium, intellectumque nobis dedit Deus, vt petere, & dare nouerimus, vbi se excluserit necessitas, quæ tantùm antiquitùs potuit, vt qui fessis rebus humanis subuenissent, Deos faceret, teste Plinio lib. 2. natur. histor. cap. 7. vnde psal. 40. beatus pronuntiatur, qui ex miserationis adfectu, intelligit super egenum & pauperem: & quæ stimulus nobis ad humilitatem non mediocris in tantâ rerum inopiâ natali die nostro deprehensus. vt nisi ratione & intelligentiâ præditi essemus, cæteris animantibus inferior nostra conditio esse videretur:

22. Superbiæ vitio occurrit Dominus

Psal. 40.

Cæteris

Cæteris quippe animantium, sola victus cura est, inquit Plinius, *in quo sponte naturæ benignitas sufficit.* Ast homini laborandum est, sudandum est, orandum est, & enim egestatis suæ humili cõfessione, quod vsui futurum est, emendicandum à Deo.

Et quia mendicare à quo solitus es accipere, gratias tacitè illi agere est, quia confiteri quod acceperis, inquit Tostatus, laudem datori præstitisse est; per tò *Da*: muneris quoque nostri esse intelligimus, agnoscere Deum bonorum omnium largitorem, eique acceptum referre quod viuimus, qui semina & alimenta mortalium, siue arida, siue liquida, inquit D. August. naturis competentibus attributa substituit: Qui terram fundauit, atque fœcundat, qui fructus eius animalibus, hominibusque largitur. Qui viator æstuans & fessus ex itinere, ad turris alicuius vmbram refrigerij gratiâ sedens, inde per fenestras demissum acciperet, quo lautè & splendidè epularetur: si surgens neque ora, neque oculos gratæ significationis causâ in fenestras illas conuerteret; nunquid ingrati animi nota iniustus abiret? ita nos nisi in cælum suspexerimus: iniqui sumus in benefactorem Deum, nisi ei sacrificium laudis obtulerimus: *Quod est autem sacratius laudis sacrificium*, inquit Diuus August. *quàm in actione gratiarum? Nos nomina facturi*, inquit Seneca lib. 1. de beneficijs cap. 1. *diligenter in patrimonium, & vasa debitoris inquirimus: Semina in solum effetum, & sterile non spargimus*: & putabimus Deum post tot in nos largitatis suæ effusos sinus, gratiam non repetere? Qui beneficium recipit, licetur; & vinculis se innectit, iam sui iuris minus quàm alieni: & cuius erimus nos tot Diuinis obstricti beneficijs, nisi Dei mei, à quo bona cuncta procedunt. Etsi autem

Virgil. 1. Æneid.

——— grates persoluere dignas
Non opis est nostræ.

Reddit tamen beneficium qui libenter debet, inquit Seneca; & Tullius: *Gratum & qui refert, habet, & qui habet, eo ipso quod habet refert.* Habeamus itaque gratiam Diuinæ largitati: ad quod tenemur, cum respectu Dei cui dicimus, *Da*, tum respectu nostri. Respectu Dei, quia eius sunt omnia, quæ nostra sunt, & nonnisi eo donante accipimus. Quod si tanta fuit veterum in beneficos animi propensio, vt teste D. Augustino lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 15. *Pici Patrem Stercem, à quo peritissimo agricolâ, inuentum ferunt, vt fimo animalium agri fœcundarentur, quod ab eius nomine Stercus dictum est: vnde & hunc quidam Sterentium vocatum ferunt, meritò agriculturæ fecerunt Deum*: Si turbæ iudicio, regij culminis honore dignus habitus est Dominus, quòd eam penè defectam paucis panibus pauisset: Quo in Deum animo nos esse oportet, quos ad emetiendum tantillum viæ quâ tendimus in patriam, omni rerum facultate instruxit: qui profusæ benignitatis suæ munere se ipsum Incarnationis & Eucharistiæ mysterio, nobis donauit? *Quid stercore aspernabilius*, inquit D. August. lib. de morib. Manichæor. tom. 1. cap. 8. *quid cinere abiectius? At hæc tantas agris vtilitates adferunt, vt eorum inuentori, à quo etiam stercus nomen accepit, Stercutio diuinos honores Romani deferendos putarent*: & nos quibus ad vtilitatem nostram munificentiùs à Deo collatum, tantorum beneficiorum obliterabimus memoriam?

23. Gratias Deo agere duplici respectu tenemus. Dei.

Stercus agriculturæ Deus.

Et nostri. Absque gratiarum actione aliquid sumere periculosum.

Respectu autem nostri, propter incumbentia tum animæ tum corporis pericula, cùm gratiarum actione Dei dona suscipere debemus. Spiritale periculum, in excessu, qui frequens facti esse solet, imminet: temporale verò siue corporale, subijt illa, de quâ Diuus Gregorius lib. 1. dialogor. cap. 4. quæ hortum ingressa, lactucam conspiciens concupiuit, eamque signo crucis benedicere oblita, auidius momordit, & arrepta à diabolo, qui lactucæ insederat, protinùs cecidit. Altera quoque puella Bononiæ, referente Guill. Durando lib. 6. rational. cap. 86. duos spiritus immundos, qui sedebant in malo granato, quod illa, neglecta benedictione comederat, deglutijt, à quibus toto triennio vexata est. Simile habet Ioan. Nider lib. 3. fornicarij, cap. 1. de quodam Boscoducio iuuene annorum circiter tredecim; qui ingressus hortum folij brassicæ albedine delectatus, carpsit, omissâ benedictione comedit, & inhærentem illi Dæmonem degluiuit: verè enim dixit Apostolus 1. Timoth. 4. *Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Id quod in Diuo Benedicto videre est, apud Diuum Gregorium 2. Dialogor. c. 3. & 8. cui cùm vas potionatum oblatum fuisset ad interitum, benedictione illud confregit. Et in Diuo Iuliano Abbate Bostrensi, de quo Cæs. Baron. anno Christi 315. & pratum spirituale Sophronij cap. 94. quod cùm ab habitatoribus quibusdam ipsius Ciuitatis, odio nominis Christi, per ministrum, quem pecunijs corruperant, venenum infusum accepisset, edoctus diuinitùs quid doli subesset, Primores Ciuitatis, inter quos aderant toxici quoque submittendi auctores, poculo coram se deposito aduocauit, quibus præsentibus, ea, inquit calicem quo me vultis occidere bibo, & factâ benedictione, in Patris, & Filij, & Spiritus Sancti nomine, bibit illæsus. Refert Palladius Histor. Lusiacæ cap. 1. de D. Dorotheo, quòd cùm sub refectionis horam ei renuntiatum esset, aspidem esse in puteo, quo ad potum vtebatur, fortè à dæmone submissam, nihil cunctatus è cellâ egressus hauserit, & venenum benedictione munitum ieiunus, sine noxâ biberit.

1. Timoth. 4.

D. Benedictus.

D. Iulianus.

Dorotheus.

Non deerit fortasse qui quærat quomodo conuenienter

24. Diuites an petant quod habent.

Diues opum, diues pictai vestis, & auri,
Qui pecore, & multâ diues tellure superbit,
Cuique pactolus fluit.

Dicere possit, *Da*: nunquid enim frustra petit, qui quod habet petit? Respondeo cum Diuo Augustino epist. ad Probam: *Ista ergo cùm habentur, vt teneantur, cùm non habentur, vt habeantur, orandum est.* Orat igitur mendicus vt habeat, vel vt aliquantulum melius habeat; orat diues, vt, quod habet, conseruetur: quia non egenis tantùm, sed etiam abundantibus, tradita est hæc orandi formula. Vel etiam panem postulat diues, quo abundat, vt illum legitimè & iustè possideat, tanquam acceptum de manu Dei, eoque ad Dei gloriam, & suam salutem vtatur, ità Auctor imperfecti in Matth. inter opera D. Chrysost. hom. 14. totidem verbis, *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodiè. Quid ita intelligendum est, quia non solùm ideò oramus, panem nostrum da nobis, vt habeamus quod manducemus, sed vt quod manducamus de manu Dei accipiamus. Nam habere ad manducandum, commune est inter iustos & peccatores: frequenter autem & abundantiùs habent peccatores quàm iusti. De manu autem Dei accipere panem, non est commune, sed tantùm Sanctorum. Præparare ergo panem non vetant hæc verba, tamen cum peccato præparare vetant. Nam qui cum iustitiâ præparat, illi Deus dat panem quem manducat: qui autem cum peccato, illi non dat Deus, sed Diabolus. Nam omnia quidem à Deo creantur, sed non omnia à Deo subministrantur.* Adde, hanc orationem non facere quemlibet pro seipso solo, sed pro totâ Ecclesiâ,

Panem de manu Dei accipere nõ est commune.

in

in quâ semper futuri sunt pauperes, iuxta Oraculum, *Pauperes semper habebitis vobiscum*, quibus ista oratio conueniat, etiam à locupletioribus prolata.

Matt. 26.

Cur nobis?

85.

QVamobrem quoque additur, *Nobis*, licet enim non ignoraret Dominus vnumquemque fidelium per se, hanc orationem recitaturum, noluit tamen nos dicere, *Da mihi*, sed, tanquam ad communem hominum societatem respiciens, *Da nobis*; tum vt vnionis & charitatis magister, fideles suos, ad mutuam animorum coniunctionem, rerumque temporalium communicationem accenderet, quibus vt oratio est communis, ita etiam esset in bonis societas quædam, ne nimiam eorum tenacitatem, dânosa sequeretur proprietas: tum ad eliminandam è cordibus fidelium cupiditatem & auaritiam, cum filiabus, iactantiâ & arrogantiâ, quæ à diuitiarum auidâ cupiditate generantur: *Nemo enim vult esse diues*, inquit D. August. Enarratione in psal. 48. *nisi vt insultet inter eos, inter quos viuit, & superior illis videatur.* Cùm autem

Diuitiæ inflant.

Diues agris, diues positis in fœnore nummis.

Ista sic habeat, tanquam si ipse sibi dedisset: etsi auri argentique incumbat aceruis, & Prouinciarum nominibus agros colat (vt loquitur Seneca) atque sub singulis villicis latiores habeat fines, quàm quos Consules sortiebantur: vel, vt diuerbio dicitur ex Persio, *Quantum non miluus oberret.* Si quid soli eius, vel valorum in meliores vsus detrahendum videatur, tam ille ægrè & renitenter feret, quàm si ab eius corpore animam reuellas: imò auferens aliquid de rebus suis, & in vsum conuertens, vt Antiphon inquit, apud Ioan. Stobæum, tam dolet, quàm si de corpore suo ipsi adimeretur.

Cùm denique, auri vesana cupido, homines esse homines non sinat, sed in beluas & dæmonas mutet, vt inquit D. Chrysost. hom. 20. in Matt. Miluo rapaci, semperque famelico, diuitem rapto & iniquitate plurima coaceruantem, quidam dixere similem. Miluum autem, auem esse carniuoram scribit Aristoteles, rapacissimam semperque famelicam. Plinius: auibus domesticis, maximeque pullis gallinaceis & anserinis insidiatur, inquit Gesnerus, & quos incautos viderit, statim rapit: rostrum aduncum habet velut & vngues, vt rapta fortiter teneat, nec dimittat: à nido egressa perfectis alis, aues magnas venatur, & cùm validior fuerit, debiliores tum capit, cùm ad summum vigorem peruenit, muscas, culices, & lumbricos terrestres captat, & sic fame moritur, vt scribit Iorath, apud Gesnerum lib. 3. C. vnde, primo anno audax esse fertur miluus atque tantâ præditus audaciâ, vt in prædam viuam semper inuolet, nihil mortuum gustet: secundo, ita timidus, vt nihil viuum præ metu: tertio mori. Miluus igitur est homo rapax & auarus, vnde Plautus in Penul.

Miluus.

Teme, sis, me arctè mea voluptas, malè ego metuo miluos:
Mala ista bestia est, ne fortè me auferat pullum tuum.

Quare pecuniarum ardore flagrans, primò nemini viuentium parcit, crudelis est & iura naturæ obruit: opimis, & locupletibus quibusque insidiatur. *Inexplebilis est sola auaritia diuitum*, inquit D. August. serm. 25. de verbis Domini in Euangel. secundum Luc. *semper rapit, & nunquam satiatur, nec Deum timet, nec hominem reueretur: non patri parcit, non matrem agnoscit: nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat: viduam opprimit, pupilli rem inuadit, liberos in seruitium reuocat: testamentum falsum profert.*

Auaritia nemini parcit.

Magna est profectò eorum qui diuites fieri volunt, cupiditatis feritas, vnde ait D. Chrysostomus homil. 20. in Matth. *Quasi feræ bestiæ à catenis solutæ cunctos homines nullo resistente perturbant, ac lacerant; & vincula quidem etiam his vndique constricta sunt, iudicij timor, legum terror, multorum odia, cæteraque huiusmodi; sed hi rupta omnia perturbant. Quod si quis hos nexus, omninò ab eis auferret, tunc videres peiore hos Dæmone, ac fortiore, quàm dæmoniacos vexari. Fingite videre tetrum quendam hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex vtroque humero dracones loco manuum dependeant, cuius os cauernæ instar magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti enses fient, ex linguâ venenosus fons scaturiat: venter omni fornace sit ardentior, cuncta quæ immittuntur subitò consumens, pedes alati, ventis quoque ipsis velociores, facies canis ac lupi, nec hominum vocem emittat, sed insuane quiddam, atque terribile mugiat: & ad hæc omnia, faces ardentes in manibus teneat: Ista hæc forsan vobis videntur, sed nondum dignè ipsum descripsimus: sequi enim debent horum instrumentorum effectus. Itaque imaginemur eum, obuiam factos iugulare, carnes eorum deuorare. Sed quid facio? nam & hoc descripto, multo truculentior est auarus, in omnes vt mors insiliens, omnes vt infernus degluttiens, communis hominum hostis, quippe qui vellet res omnium sibi arrogare. Nec finem hîc facit. Verùm cùm vndique cupiditate cuncta collegerit, ipsius etiam terræ substantiam in aurum commutari vellet: fontes ac fluuios argento opus est deflutere: & si fingamus omnia illi impunè licere, tunc videbis ipsum arrepto ense nulli parcere, non amico, non cognato, non parentibus.* Istius immanitatis, exemplo sint Tiberius Cæsar apud Sueton. qui conuerso ad rapinas animo, multos, quia opulenti essent, interfecit. Caligula, qui ab aleæ collusoribus progressus in atrium, prætereuntes duos equites Romanos locupletes, sine mora corripi, confiscarique iussit, & domum reuersus, gloriabundus se nunquam prosperiore aleâ lusisse dixit; qui in Galliâ, ditissimos Gallorum interfecit: Iunium Priscum prætorem locupletem morti dedit. Fuluia M. Antonij vxor, apud Valer. lib. 9. cap. 5. studio pecuniæ quærendæ, sæpenumerò morte affecit homines, viro suo incognitos. Pygmalion, Rex Tyri, Didonis maritum,

Tiberius Cæsar.

Caligula.

Fuluia.

Pygmalion.

——— Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clàm ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ.

Vt illius thesauris potiretur. Virgil. 1. Æneid.

Quo tempore Annibal premebat Campanos bello, Vale. Bestius, Rusticum Imbrici soceri sui filium, quem acceperat seruandum morti dedit, vt eius auro potiretur. Auctor Plutarchus. Actius III. Estensis, apud Fulgos. lib. 9 cap. 11. vt paternas opes ac principatum occuparet, Opizum, II. patrem in lecto iacentem, oppressit. Et ne infinita replicem, nunquid anno 634. Hoij, Leodiensis districtus Oppido, quidam, vtrumque parentem, eorum fortunis auidiùs inhians, barbarè vinculis coërcuit?

Valer. Bestius.

Actius III.

Hoij.

Nihil auaro immanius, nihil immitius, nihil violentius: mensas suas multorum pauperum sanguine instruit. *Ignis violentiam imitatur* (inquit D. Basil. hom 7. ex diuersis, cui titulus, Contra diuites auaros) *omnia corripit, omnia depascitur: & quemadmodum flumina ex paruo primo principio progredientia, deinde incrementis paulatim contingentibus intolerabile accipientia augmentum per violentiam impetuose latione; quidquid obstiterit, secum trahunt: sic etiam hi ad magnam potentiam progressi: nihil diuitiarum violentiam sustinet: omnia tyrannidi succumbunt, omnia ipsius potentiam formidant:* & postquam Milui audaciâ viuorum rem depopulata est auaritia, mortuos infestat. *Res mortui occupentur*, inquit D. August. suprà, *quasi non & ipsi qui hoc faciunt morientur.*

26.
Auarus violentus ignis violentus.

Quid

Quid enim non sibi qui fur prædæque esse constituit? Margareta Danorum Regina, Suecos victos exhausisse non contenta, etiam mortuorum testamenta irrita fecit, vt eorum esset hæres, quorum fortunas nunquam, vel vno saltem teruncio adauxisset, inquit Ioan. Magnus lib. 21. cap. 19. Achilles, Hectoris cadauer exposuit venale, Æneid. 1.

Margareta.

Achilles.

Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Cleopatra. Sordidæ adeò fuit auaritiæ Cleopatra, vt scribit Iosephus lib. 15. Antiquitat. cap. 4. vt vbicunque pecuniarum spes affulgeret, neque templum, neque sepulcrum, neque asylum vllum vnquam violare dubitarit, modò ad illam recident spolia, quæsita vel sacrilegio: miscebatque sacra profanis, fas nefas, vt augeretur lucris vel iniquissimis. Domitianus Imperator, teste Suetonio, nihil pensi habuit, bona viuorum prædari & mortuorum. Darius Rex Semiramidis sepulchrum inuasit, hac monumenti inscriptione illectus, Quisquis Rex pecuniâ eguerit, aperto monumento, quantum voluerit, capiat: sed nihil pecuniarum inuenit; ex altero autem saxi latere hoc scriptum, quo increpitus est, reperit: Ni vir malus esses, & pecuniâ inexplebilis, haud quaquam mortuorum loculos moueres. Herodotus & Plutarchus. Omitto, qui mortuorum viscera auri cupidine sunt rimati, quasi illis iam res esset cum lúbricis, & fame emori oporteat, nisi terreni corporis præcordia scrutentur, ad irritandam, non ad temperandam, nouo inuenti genere, auri argentique auiditatem: in quo & ipsos tandem deficere necesse est; & in hæredis iniusti sinum, viscera sua, malè partos scilicet, atque indigestos auri argentique aceruos, reiectare, quòd milui emblemate sua viscera profundentis, sub inscriptione, *Malè parta, malè dilabuntur*, significauit Alciatus. Ait enim:

Domitianus

Darius.

Miluus edax, nimiæ quem nausea torserat escæ,
Hei mihi, mater, ait, viscera ab ore fluunt.
Illa autem, quid fles? cur hæc tua viscera credas,
Qui rapto viuens, sola aliena vomis.

27. Tanta porrò est auaritiæ impietas, vt eam Apostolus idololatriæ parem fecerit, *Quia sicut idololatria vni Deo auferre nititur gloriam*, inquit D. Ambros. in epist. ad Coloss. *ne quod eius peculiare est, solus habeat nomen Diuinitatis, sibi soli condignum: ita & auaritia in Dei se res extendit, vt si potest fieri, vnus & solus, creaturam eius sibi vsurpet, quam Deus omnibus fecit: Vndè dicit Deus per Prophetam: Meum est aurum, & meum est argentum.* Et tu, auare, quod Deus dicit suum, tu quoque tuum esse dicis? Sic illa Deus sua esse dicit, vt nostris omnium vsibus concesserit communiter: & tu illa sic tua facis, vt aliorum esse neges? Ita nempe tibi animus retinendi, qui & concupiscendi: expleri nequit vt redundet, & ad manus aridas & immites aliquid alijs erogandum deferatur: & dicis in corde tuo, in ore tuo, in manu tuâ, ex corde, ex ore, ex effectu, *meum, meum.*

Auaritia par idololatriæ.

Aggæi 2.

Diuitias cur det Deus. Quod frigidum verbum, vt à fidelium cœtu relegaret Dominus, dicere nos voluit, *Da nobis*. Quò intelligeremus communia esse debere, quæ ab eius manibus accipimus, atque ideò, per manus nostras in pauperes dispergenda: vsus enim eorum noster est, non proprietas. Quemadmodum enim ore cibum excipimus, indeque in stomachum demittimus, non vt illi hæreat, sed, vt pro cuiusque membri qualitate, per designatos à naturâ meatus, distribuendo corpori communicet: ita corporis mystici Ecclesiæ, stomachus sunt diuites, in hos sua bona confert Deus non vt multis claustris ea obserata seruent, non vt terræ infodiant, non vt æruginem aut situm trahant, sed vt cùm ipsi quantum sufficit acceperint, reliquum, in cætera corporis Ecclesiæ mystici membra distribuant, vt vtrisque prosint: id quod eleganter prosequitur D. Chrysostomus hom. 10. in priorem epist. ad Corinth. totidem verbis: *Cibus corporis membris communiter distributus, si in vnum membrum venerit, ab illo quoque alienus fit, cùm digeri nequeat, neque præbeat nutrimentum. Si autem cum alijs communicauerit, & illius, & omnium proprius erit: sic in pecunijs, si tu solus his frueris, etiam tu eas amittes; non enim earum fructum accipies: si cum alijs possederis, tunc longè magis tuæ erunt, tunc accipies vtilitatem. Nonne vides quod manus ministrat, os mandit, venter accepit. Nunquid venter dicit, postquam ego accepi, omnia mihi seruare debeo? Noli igitur & tu hoc de pecunijs dicere; accipientis namque est, vt in alios conferat. Quemadmodum igitur ventris vitio fit, vt cibi in eo desideant neque digerantur in membra; siquidem toto corpore corrumpuntur; sic suo ipsorum vitio, diuites quæ habent, si seruant, & se & alios perdunt. Oculus item totam lucem accipit, non tamen ob hoc in suum dumtaxat vsum, sed totum illuminat corpus. Nares præterea odoris sensu mouentur, sed non solæ detinent, verùm ad cerebrum mittunt, & stomachum in odoris partem admittunt, & totum ex se hominem recreant. Soli pedes ambulant, non tamen seipsos tantùm mouent, sed & vniuersum corpus. Sic & tu, quæcunque habes, noli in tuum vsum recondere, quoniam totum corrumpis, & te primum. Neque solùm in membris id videre licet, sed & in artibus. Etenim si Faber nulli tradere vellet artis suæ opera, & seipsum, & reliquas artes euerteret.* Hactenus Chrysostomus. Quod igitur sibi, quod familiæ suæ commodum fuerit, de sibi à Deo datis accipiat diues, quod superfuerit, libenter velit esse commune, quomodo iubet Neemias 2. Esdræ cap. 8. *Ite*, inquit, *comedite pinguia, & bibite mulsum: & mittite partem his qui non præparauerunt sibi, quia sanctus est dies Domini.* Sua namque dona reposcit à te Deus, vt quem datorem habuisti, eundem habeas debitorem, & retributorem. Itaque *videte*, inquit D. Augustinus enarrat. in ps. 147. *Quia non solùm pauca sunt quæ vobis sufficiunt, sed nec ipse Deus multa à vobis quærit. Quære quantum tibi dederit, & ex eo tolle quod sufficit: cætera quæ superflua iacent, aliorum sunt necessaria. Superflua diuitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur:* Dixerat paulò antè, nos crebrescere, erogando quod amplius habemus. *Multa autem superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus. Nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra, non est opus Dei.*

2. Esdræ 8.

28. Auarum hominum genus, ac miserum! Videas vt plurimum, diuitum huius sæculi cupiditatem eò pertrahi, vt putredine & putore feriri sua patiantur potiùs, quàm erogent calamitoso. Qui infideles in veteri instrumento, manna in posterum diem suâ cupiditate collegerunt, &, *dimiserunt vsque mane, scatere cœpit vermibus, atque computruit*: Exod. 16. Illud autem, quod pro die sabbati reponebatur, non est corruptum, neque vermes ebullierunt ex eo, sed permansit integrum. Cur hoc? nisi quia in septimum diem, qui est futuri sæculi, quantùm illi sufficiat, recondere iubemur? *Si quid enim hic boni operis acquiras*, inquit D. August. tom. 10. serm. 91. de tempore, *si quid iustitiæ, misericordiæ & pietatis recondas, hoc tibi in futuro sæculo erit cibus. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quid ergo agimus nos, qui magis recondere volumus quod corrumpatur, non quod permaneat, & perduret in crastinum, id est, in futuro sæculo? Diuites auari & cupidi, hæc recondunt, quæ in hoc sæculo, imò cum sæculo corrumpantur? qui autem bona opera recondunt, illa permanent vsque in crastinum. Tu ergo, si propter præsentem vitam tantummodo, & propter amorem sæculi thesaurizes, continuò vermes ebulliunt. Denique audi de peccatoribus,*

Exod. 16.

Misericordiæ opera, cibus futuræ vitæ.

Galat. 6.

tatoribus, & his qui præsens sæculum diligunt, quid Propheta dicat: Vermes, inquit, eorum non morientur. Isti sunt vermes quos generat auaritia, isti sunt vermes, quos generat diuitiarum cæca cupiditas his qui habent pecunias, & videntes in necessitate fratres suos, claudunt ab eis viscera sua.

Isa. 66.

Onocrotalus, auis immunda.

Quod vitium, quàm sit detestabile, doceat nos legis præscriptum Leuit. 11. vbi Onocrotalus auis, quæ, sicut Verrius Flaccus scripsit, à Latinis, *truo*, appellatur, inter reprobas aues & immundas habetur: volens namque Dominus populum suum ad simpliciorem victũ reducere, multa in genere animalium eis prohibuit, non autẽ in genere terræ nascentium, inquit D. Tho. 1. 2. quæst. 102. art. 6. ad 1. De Onocrotali autem naturâ Plinius lib. 10 natural. hist. cap. 47. *Olorum similitudinem Onocrotali habent: nec distare existimarentur omnino, nisi faucibus ipsis inesset alterius vteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira vt sit capacitas. Mox perfectâ rapinâ, sensim inde in os reddita, in veram aluum ruminantis modo refert. Gallia hos septentrionali proxima Oceano mittit.* Circa Lausannam tamen Sabaudiæ, in lacu Lemano, semel in anno, velut peregrinũ genus, apparere scribit Gesnerus lib. 3. Matthæolus Senẽsis, in Hetruriæ maritimis greges eorũ circa Gazaram Ægypti ciuitatẽ, Belonius: alij alibi: Martialis lib. 11. Onocrotalum, Rauennatem cognominat, à ciuitate Italiæ, circa quam conspicitur *Turpe Rauennatis guttur Onocrotali.* Turpe vocat guttur, à magnâ ingluuie, quæ vterus est Plinio, alijs saccus, struma, folliculus, sinus, vter, receptaculum longum & amplum, ex rostri inferiore parte ante pectus pẽdens, in quo cibus receptus, primũ emollitur, & inde ac stomachum digerẽdus, transmittitur. Rostrũ habẽt hæ aues magnũ, prælongum & validum nunquã nisi in aqua diffusiori, & piscibus abundanti habitant, paruam enim aquã citissimè, etsi piscibus copiosã, ingluuie suã euacuant. Dum pisces venantur, replent aquã ingluuiem, quæ tantæ capacitatis est, vt amphoræ mensuram, aut nõ multo minus capiat, atque ore aperto piscibus se obiectant, quos quum intra ingluuiem deprehensos sentiunt, aquam per oris spiramenta euomũt, atque ita prædâ vescuntur. Ab hoc aquæ vomitu, onocrotalus Hebræis קאת *Kaath* dicitur, quod vomitum, Antonius Nebrissensis interpretatur, à verbo קא *Ka. euomo.* cuius participium קאה *Kaah, euomens, exspuens.* Absonâ voce rudentẽ asinũ refert. Vnde Alciatus, in garrulum & gulosum:

Paruam aquam citissimè piscibus exhauriunt.

> *Voce boat torua, prælargo est gutture, rostrum*
> *Instar habet nasi, multiforumque tubæ.*
> *Deformem rabulam, addictum ventrique, gulæque*
> *Signabit, volucer cùm truo pictus erit.*

Cùm autem ventris gratiâ, luxus & auaritiâ inuenta sint, teste Plinio lib. 26. nat. hist. cap. 8. qui de ventre, *Pessimum corporum vas, instat vt creditor, & sæpius die appellat. Huius gratiâ præcipuè auaritia expetitur, huic luxuria conditur: huic nauigatur ad Phasin: huic profundi vada exquiruntur, Et nemo vilitatem eius æstimat, consummationis fœditate.* Auaros, qui immoderatâ solicitudinẽ necessaria vitæ cõgregant, onocrotalo significari scribit D. Tho. 1. 2. quæst. 102. art. 6. ad 1. velut enim ille amplam piscium copiã, in vẽtre faucium reponit, vt scilicet in tanta mole diffusa natura, nõ egeat, paulatimque digestis in ventre cibis, inueniat paratum quod præbeat, inquit Auctor de Naturâ rerũ: ita auari, emunctas aliorum opes arcâ premunt, quò promptum sit illis dicere, mea bona, mea media, meæ opes, meum commercium, mea prædia, mea villa, in faucium vtero semper illud frigidum sonantes, meum, meum.

Auari onocrotalo similes.

Meum frigidum verbum.

Caloris est, quæ similia sunt coniungere, quæ dissimilia separare, contrà verò dissimilia frigus cogit. Fortunato tempore, antequam auaritia & luxuria dissociassent mortales, vt ad rapinam ex consortio discurrerent: quãtus calor? in medio iacebant beneficia naturæ promiscuè vtenda.

Res omnes principio communes fuerunt.

> ——— *nulli subigebant arua coloni,*
> *Nec signare quidem, aut partiri limite campum*
> *Fas erat: in medium quærebant, ipsaque tellus*
> *Omnia liberiùs, nullo poscente, ferebat.*

Quid hominum illo genere fœlicius: inquit Seneca epist. 90. *In commune rerum naturâ fruebantur: sufficiebat illa, vt parens, in tutelam omnium. hæc erat publicarum opum secura possessio. Quid ni ego illud locupletissimũ mortalium genus dixerim, in quo pauperem inuenire nõ posses? Irrupit in res optimè positas auaritia: & dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena, & in angustum ex immenso redacta, paupertatem intulit, & multa concupiscendo, omnia amisit. Licet itaque velit nũc concurrere, & reparare quod perdidit, licet agros agris adiiciat, vicinum vel pretio pellat agris, vel iniuriâ: licet in prouinciarum spatium rura dilatet, & possessionem vocet, per sua longam peregrinationem: nulla nos finium propagatio eo reducet, vnde discessimus. Cùm omnia fecerimus, multum habebimus: vniuersum habebamus. Terra ipsa fertilior erat illaborata, & in vsus populorum non diripientium larga. Quidquid natura protulerat, id non minus inuenisse quàm monstrare alteri, voluptas erat: nec ulli superare poterat, aut deesse. Inter concordes diuidebatur. Nondum valentior imposuerat inferiori manum: nondum auarus abscondendo quod sibi iaceret, aliũ necessarijs quoque excluserat; par erat alterius, ac sui cura.* Magnus ille calor, coniungebat vniuersos, quorum idem animus, idem in bonũ vnitatis studium. Frigus auaritiæ, dissimilia coniungit, cor humanũ auro; refugitque plurimorum consortium, velut accipitres & aquilæ, quæ quia rapinis intendũt, sicut ait D. Ambros. lib. 5. hexam. cap. 14. propter prædandi auiditatem, sui generis non admittũt consortium, neque inter ipsas conueniunt: Tantũ est cordis humani gelu, vt ipsum auri prædæ adglutinet, concordiam scindat, vnde facta est rixa inter pastores gregum Abram & Loth. Gen. 13. *Nisi quia fuerunt Loth greges ouium & armenta, & tabernacula, nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul: Erat quippe substantia eorum multa, & nequibãt habitare communiter.* In quæ verba D. Chrysost. homil. 33. in Gen. *Vide, quòd facultatum multitudo, statim caussa fit discessus, diuisionem operatur, concordiã impedit, & cognationis vinculum dirimit.* Et infra. *Cogita quantũ ex diuitijs damnum, en & multæ substantiæ varietas. Aucta sunt armenta, multiplicati greges, affluxerũt diuitiæ multæ, & statim scinditur concordia. Antea erat pax, & charitatis vinculum, nunc rixa & contentio. Vbi enim meum & tuum, ibi omne litium genus, & contentionis occasio: vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax & concordia. Et vt discas, audi quid dicat B. Lucas de ijs qui ab initio ad fidem conuersi sunt. Erat, inquit, omnium cor vnum, & anima vna* (quantus calor?) *quia erant illis omnia communia, ex hoc concordiam illorum nobis demõstrat.* Huius tanti rigoris, quo anima, quæ spiritualis est, terrenæ facultati cõnexa hæret, exemplum sit Nabal, apud quem increpuit boreali constrictum gelu, meum, & illud meum: Postulanti namque Dauidi annonam in subsidiũ, contemptui illum, & pueros eius habuit, dicens: *Quis est Dauid, & quis est filius Isai: Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis? & dabo viris, quos nescio vnde sint?* O frigidum pectus! semper, meos, meas, sonat, & pauperes dimittit inanes, vt ipse diues in futuro dimittatur inanis, qui dando; remediũ peccatis suis acquirere noluit. Similis huic fuisse videtur diues ille Luc. 12. qui ex vberiore prouentu terræ locupletior, de destruendis horreis suis, & alijs amplioribus ædificandis cogitans, dicebat *Illuc*

Auaritia paupertatis mater.

Frigus auaritiæ.

Genes. 13.

Nabal.

1. Reg. 25.

Luc. 12.

congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ. Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Vbique meũ, meum in ore, meum in corde, meum in opere. Sed audi quid dicat Deus, *Stulte*, qui tibi sapiens videris, *hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autẽ parasti, cuius erunt?* Si seruaueris, tua non erunt, si erogaueris, tua erunt, inquit D. August. serm. 21. de verbis Apostoli. *Si stultus est qui recondit sua, vos inuenite nomen eius, qui tollit aliena. Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate suâ.* psal. 51. Ecce illum qui vires, potentiam, & opes iactat suas, inquit Cassiodorus. Nõ ait, ecce homo qui fuit diues, quasi propter diuitias dãnaretur, quæ per se & secũdum naturam suam bonæ sunt, & non malæ, secundum mores verò, indifferentes: sed *Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.* Verum illud Menandri

Vbi stultæ diuitiæ potestatem nactæ sunt,
Illos etiam qui sapere videntur stolidos reddunt.

Quid enim stolidius, quid stultius, quàm derelinquere factorem suũ, & ponere spem suam in incerto diuitiarum? atque ita ponere, vt quantum habueris, tantum te futurum dicas? Vnde illud Horatij lib. 1. serm. saty. 1.

At bona pars hominum decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.

Et reuera, ita incubuerũt mores hominũ in adunatione diuitiarum, inquit D. Ambros. in Offic. vt nemo nisi diues honore putetur dignus. quod sanè nostris moribus deprauatis tribuẽdum est: nam *Si quis nunc præsepe dives domi habuerit*, inquit Euripid. in Hecuba, *inter primos referetur à malis premendis.* Nunquid autem

Et genus & formam regina pecunia donat?

Quippe *tanta est miseria huius temporis*, inquit Saluian. lib. 3. de vero iudicio & Prouidentiâ, *vt nullus habeatur magis nobilis, quàm qui est plurimũ diues.* Quod & ab Euripide in Archelao pronuntiatũ est: *Ingens est vis diuitiarum, inquit, quàm qui nactus est, nobilis statim euadit*: & de eminentiâ, & honoris sublimitate, cum potentiâ Theognis, *Omnes ita sentire oportet. Quod omnibus maxima vis & potestas ex diuitijs accedat.* Itaque Sophocles ait, *Pecuniæ mortalibus comparant amicos, Deinde honores, tandem verò supremæ Tyrannidis ad sedem, proximè perueniunt.* Hinc impulsus hominum ad varia studia consectãda, lucri cupidine, vt quantum habuerint, tanti sint. Nempe, vt *homo sis*, inquit D. August. tom. 9. lib. de disciplinâ Christianâ cap. 11, *hoc est vt sis eminẽs inter homines, vt habeas quantum cæteri, aut quantum pauci, aut plusquam cæteri, aut plusquam pauci, habeas inde honorem, habeas inde dignitatem. Et vbi erunt ista omnia, cùm mors venerit?*

Quare meritò magnus ille Doctor, Expositione in psal. 51. damnat diuitum illud pronuntiatũ apud Senecam *Vbique tanti quisque, quantum habuit, fuit.* Ait enim, *Videte corpus terrenum. Quantum habebis tantus eris. Prouerbium auarorum, rapacium, innocẽtes opprimentium, res alienas inuadentium, commendata negantium. Vnde hoc prouerbium? Quantũ habebis, tantus eris, id est, quantum habueris pecuniæ, quantum plus acquisieris, tantò plus poteris. Ecce homo qui nõ posuit Deum adiutorem suum.* Cui enim placet prouerbium, & ex eius præscripto viuit, contra id quod habetur psal. 61. gradiens, *Diuitiæ si affluãt, nolite cor apponere*, Deum non sibi adiutorem constituit, sed *sperat in multitudine diuitiarum*: qui error non potentiorum modò, sed etiam pauperũ est, vnde prosequitur D. Augustinus: *Non dicat pauper fortè malus, ego non sum de hoc corpore. Audiuit enim Prophetam dicentem, Sperauit in multitudine diuitiarum suarũ: continuò si pauper est, attendit pannos suos: respexit iuxta se fortè diuitem in populo Dei ornatiùs vestitum, & ait in corde suo: De isto dicit: Nunquid de me; Noli inde te excipere, noli separare,* *nisi videris, & timueris, & postea rideas. Nam quid tibi prodest, si eges facultate, & ardes cupiditate?* Et post pauca, *Quando Dominus dixit, Facilius est camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum: Apostoli apud se dicentes Quisnã poterit saluari, quid attenderunt? Non facultates, sed cupiditates. Viderunt enim etiam ipsos pauperes etsi non habentes pecuniã, tamen habere auaritiam: Et vt noueritis non pecuniam in diuite, sed auaritiam condemnari. Respicis illum diuitem stantem iuxta te, & fortè in illo est pecunia, & nõ est auaritia, in te non est pecunia, & est auaritia.* Et notans acutè, in sinum Abrahæ diuitis recipi Lazarum mendicum, vt intelligeremus Deo diuites omnes esse debere, cupiditate pauperes: neque dictum, ecce homo qui fuit diues, sed, qui sperauit in diuitijs, & in Deo non sperauit, vt nõ diuitias, sed vitium diuitiarum damnari, puniri, & radicem eius exstirpari de terrâ viuentium nouerimus, subiungit, *Lege scripturas, & inuenies diuitẽ Abraham Gen 13. vt noueris quia diuitiæ non culpãtur. Habebat Abraham multũ auri, argenti, pecorum, familiæ. Diues erat, & in eius sinum Lazarus pauper sublatus est. In sinu diuitis pauper. An potiùs ambo Deo diuites, ambo cupiditate pauperes.*

O maximum mortalibus malũ, auaritia, quæ non in purpurâ tantùm & fascibus, sed etiam in vili panno & sordido latet! O funesta pecunia (sic eã appellauit Iuuenalis Saty. 1.) quæ animos mortalium sic deprædatur & rapit, vt, *qui magis magisque accumulãdæ pecuniæ dediti sunt*, inquit Plato lib. 8. de repub. *quo maiorem eam faciũt, eo minorem virtutem*: de quâ Iuuenalis Saty. 6.

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit. contumeliam, luxuriam, parcitatem, siue illiberalitatem, quam auari sedimentum, vt vini fex, Socrates esse dixit: adeo rara est diuitũ innocentiâ: quibus ad omne crimen instrumẽtum est auaritia insatiabilis. Hanc Apostolus 1. ad Timoth. 6. radicem omniũ malorum appellauit. Timon, insatiabilitatem & ambitionem, elementa malorũ esse dixit: præterquam enim, quod caput ipsum varijs periculis obiectat auaritia.

Vsque adeo solus ferrum, mortemque timere,
Auri nescit amor:

inquit Lucan. 6. Pharsal. & D. August. tom. 10. serm. 50. de Sanctis *Vnde quotidie periclitantur homines, nisi propter diuitias acquirendas? Nec gladius prohibet.* Terretur gladio auaritia: auarus rapit & timet pœnam, æstuat in rapinam; de naufragio nudus euadit, & iterum nauigat ad periculum. Vnde possunt & auari dicere auro, propter te occidimur totâ die: præter innumeras solicitudines & angustias animam, auaritia, trudit in tartarum. Saul propter auaritiam præcipuè reprobatus fuisse videtur: propterea quod prædæ ex Amalechitis ductæ inhiarit. Itaque dixit ei Samuel: Quare non audisti vocem Domini, sed cõuersus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? 1. Reg. 15. & propter auaritiæ contagium lapidatum Achan legimus: & Iudas præ furente auaritiæ flammis pectore, proditor factus est vitæ: nec aliud ipsum ex Apostolatus culmine deiectum, infami sustulit nodo quàm auaritia. Quod si in barathrum pestis ista traxit discipulum Christi, quid aget; imò, quid non aget cum discipulo mundi? Auaritiam Isidor. etymologiat. lib. 10 à verbo aueo & auro, quasi, auens aurum, dictam vult. Nigidius apud Aul. Gell. Noct. Attic. lib. 9 cap. 5. auarum dici ait qui auidus æris est. Cur non etiam à priuatiuâ particulâ, a, & varo, quasi minimè varus, quòd recto, & non intorto aut incuruo gradu, Iudæ contagio ictus, feratur in barathrum? Tam autem sæua est ista ardens habendi flamma, vt nec hospiti ignoscat suo, accendit illum augendi cupidine, quò

Psal. 51.

30.

Psal. 51.

Pauperes auari.

Matt. 19.

31.

Diuitum innocentia rara.

1. Timoth. 6.

Saul reprobum fecit auaritia.

1. Reg. 15. Achan. Iudas.

Auaritia vnde dicta.

quòd fit vt magis ac magis inflammetur lucro auaritia, non restringatur: quantum verò crescit auarus, tantum contrahit manus, ipse sibi dirus vt hydrops: hinc natum illud

Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia.
In nullum auarus bonus est, in se pessimus.

32. Auaritia insatiabilis.

Sed diuitiæ habēt abundantiam, inquit D. August. tom. 8. enarrat. 2. in ps. 29. & respondet: *Plus egent quanto plus habēt, desiderijs vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt.* Inde est, cur D. Hieron. epist. ad Palæmon. dicat: *Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.* Vt nō immeritò quidam auarum Gryphi assimilarint.

Gryphes.

Gryphas volucres esse aiunt, auritas & quadrupedes, capite, rostro, alis, & pedibus anterioribus, aquilam referre, posteriori corpore cauda, & pedibus, leonem: tanti roboris, vt sola sine adminiculo aliquo elephantem capiat, & in sublime raptum, rursum labi sinat, quo carnibus eius vesci possit. Alites sunt ferocissimæ, inquit Solinus, & vltra omnem rabiem sæuientes: In Asiatica Scytiâ vbi terræ sunt locupletes, inhabitabiles tamen, cùm auro & gemmis affluant, tenent vniuersa, quarum immanitate obsistente, aduenis accessus difficilis & rarus datur; alij in Rhiphæis, & Hyperboreis montibus, vbi quam plurima auri vis sit, habitare, aut si tueri nec illo vti. Eiusmodi est auarorum cōditio, qui ad dignitatum euecti fastigia, defossum loculis, inutile sibi atque alijs aurum custodiunt, quo & officia & dignitates, & honores suos redemerunt: de quibus pronuntiatum lego, Ecclesiastis cap. 5.

Eccles. 5.

Auarus nō implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Quare immeritò illas suas vocāt, cùm non eas possideant, sed possideantur ab eis: *Auarus,* inquit D. Chrysost. hom. 2. ad popul. Antiochen. *custos est, non Dominus; pecuniarum seruus, non possessor. Faciliùs enim alicui ex proprijs carnibus, quā ex defosso auro communicaret. A suis tanquam ab alienis abstinet: & quippe sunt aliena: quæ enim alijs erogare nunquam pateretur, neque in necessarijs impendere, etiamsi infinitas sustineret pœnas, quomodo hæc esse propria putare posset? Quomodo verò eorum habet possessionem, quorum nec vsum, nec fructum cum libertate habet?* Neque verò quidquam aliud Vates Regius psal. 75. significatum voluit, quum dixit, *Dormierunt somnum suū, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis:*

Psal. 75.

In quem locum eleganter D. Ambrosius lib. de Nabuth. Israël. cap. 15.

Diuites, viri diuitiarum.

Bene viros diuitiarum appellauit, non diuitias virorum, vt ostenderet eos non possessores diuitiarum esse, sed à suis diuitijs possideri. Possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis. Quicunque igitur patrimonio suo tanquam possessione non vtitur: is suarum seruulus est, non Dominus facultatum, quia aliena custodit vt famulus, non tanquam Dominus suis vtitur. In huiusmodi igitur affecta dicimus, quod vir diuitiarū sit, non diuitiæ viri: huiusmodi igitur viri somnum suum dormiunt, non Christi: vnde non habent Christi quietem, neque surgunt Christi resurrectione. Sunt canum instar, qui hortos tuentur, aut fœno indormiūt, neque cepas aut fœnū edunt, aut velut culinarius quispiam, qui non admittit secundum. Non tenent diuitias, sed diuitiæ illos tenent, ad eum modū, vt inquit D. Bonauentura in dietâ l. de auaritiâ cap. 6. quo qui in vincula coniectus est, compedes, manicas, & ferra tenet, cùm tamen teneatur ab illis; nec refert, ferróne an auro vinctus tenearis, si vinciris.

33. Auaritia est febris.

Quod si auaritiam febrem esse dixerimus, præclarè quoque Seneca epist. 119. *Nam quod ad illos pertinet, apud quos falsò diuitiarū nomen inuasit occupata paupertas: sic diuitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cùm illa nos habeat. E contrario dicere debemus, Febris illum tenet. Eodem modo dicendum est. Diuitiæ illum tenent.* Quam in rem rectè Sydon. Apollon. epist. 8. *Diuitias si mediocriter colamus, possidemus, si nimium possidemur.* Sed ô grypum istorum crudelitatem illis ipsis pessimam, alijs iniquam, quibus otiosi iacent thesauri, nec in cuiusquam alterius vsus conferuntur! Grypas mensis inferre tanquā fœdarum alitum genus & crudelium, veteris instrumenti lege vetabatur: in gryphe autem, qui equis & hominibus infestus est, inquit D. Tho. 1. 2. quæst. 102. art. 6. ad 1. crudelitas potentum prohibetur: atrociter quàm sæuiunt illi tamen! Picos diuitijs qui aureos montes colūt, superāt, & humanæ societatis sacra fœdera rumpunt, Deo & hominibus exosi: nec istud vident, auri rutilantis splendore excœcati.

Gryphes aues immundæ.

Ferarum quarundam truculentium eiusmodi naturam esse ferunt, vt opposita pelui æreâ candente, quâ sunt transituræ, eius aspectu detineātur & excœcentur, atque ita ab insidiantibus venatoribus capiantur. Aureas plagas animabus quas venatur, tendit dæmon, quæ dum & vidēdi voluptate, & habendi cupiditate irritantur, casso mentis lumine in prædonis persequētis incidunt potestatem. *Excæcant populum, & in se conuertunt opes,* inquit Seneca epist. 119. *si numerata multū ex aliquâ domo effertur, si multum auri tecto quoque eius illinitur, si familia aut corporibus electa, aut spectabilis cultu est.* Nec tamen in rebus vitiū, sed in animo ipso est. Aurea fuit, & ponderis infiniti Nabuchodonosoris statua, idcirco videntibus stupor creatur, & res inanimis adoratur vt Deus (ecce cœcitatem) dum vnusquisque suam consecrat auaritiam, inquit D. Hieron. in cap. 3. Danielis. Etiam & nunc, aurea imago proposita est pecunia, scilicet in quâ tyrannica quædā mammonæ formatur effigies, & ad seruiēdum sibi cupidorū corda sollicitat. Qui eam adorātes de iniquitate ditātur, camini ardentis incendia non euadent. Non igitur si te diuitiarum radiantiū splendor, si hinc honorum, illinc magnarum potestatum falsa lux verberet intuentem, animum defigas: cuius aciem si hoc impedimēto liberaueris, videbis quàm contemnenda miratus fueris, puero simillimus, cui ludicrum in pretio est. Magnus ille est, qui in diuitijs pauper est. Pecuniæ imperandum, non seruiendum, quâ si vti sciueris seruiet tibi, si resciueris imperabit.

Opes excæcant.

34.

Et ne mendacio gaudeas, tuum vocans, quo vti non potes, vt velis, audi quid Regum narrat historia lib. 3. cap. 20. Benadab rex Syriæ, mittēs nuncios ad Achab regem Israël in ciuitatem, ait; Hæc dicit Benadab, *Argentum tuum & aurum tuum, meum est: vxores tuæ, & filij tui optimi, mei sunt.* Benadab, mūdi imaginem gerit, in quem, cùm nemo nascatur diues, te nudum natura effudit, copiosum factum, exuet, nam repetet sua à te mūdus, nec fortè differet in crastinū; singulis horis, momentis singulis, inclamat auribus tuis, *argentum tuum, & aurum tuum, meum est.* Reposcit quod suum est, reddes vel inuitus, ad bustum vsque, vt summum, ista te comitabuntur; postea cuius erunt? Reddiderunt, quanquā ægrè, duo illi auari, apud Athenæum lib. 4. cap. 18. ex Chrysippo lib. de ijs quæ per se non sunt expetenda; quorum vnus, cùm in extremis laboraret, multos aureos nummos deglutiuit, deinde mortuus est: alter verò sago aurum insuit, eoque se induit, atque suis mandauit, vt se ita indutū sepelirent, neque vrerent, aut cultum quempiam adderent. Reddidit & ille, de quo Poggius in disceptatione de auaritiâ: Fuit ætate nostrâ auarus, qui in ipso mortis limine, afferri iussit peluim aureis numis plenam, opem, subsidiumque vitæ ab eis orans, quos tam diu velut animam seruasset, subinde murmurans Eheu quibus vos relinquam. O obtulam

3. Reg. 20.

Aurum suū reposcet mundus.

tusam aciem mentis! Ad mentem tuã, ô pauper, qui nó in patrimonio, sed in animo diuitias esse putas, regius Vates inquit psal. 48. *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: Quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Quem in locum eleganter D. August. *Vides viuentem, cogita morientem. Quid hîc habeat attende, quid secum tollat attende. Quid secum tollit? multum auri habet, multum argenti habet, multum prædiorum, mancipiorum. Moritur: remanent illa nescio quibus. Etsi enim dimittit quibus vult, non seruat quibus vult. Multi enim & non sibi dimissa acquisierũt, & multi sibi dimissa perdiderunt. Remanent enim illa omnia, & tulit secum. Quid? Fortè dicet aliquis: illud secũ tollit, vnde inuoluitur, & quod illi erogatur ad pretiosum & marmoratum sepulcrum, ad instruendam memoriam, hoc secum tollit. Ego nec hoc dico: exhibentur enim illa non sentienti.* Et mox. *Quid ergo fratres dicant sibi homines? Et agent ad mortem meam, quare dimitto hæredes meos diuites? Multa habebunt de meo, habeam & ego aliquid de meo in corpore meo. Quid habebit corpus mortuum? Quid habebit cadauer putrescens? Quid habebit caro non sentiẽs? Si aliquid habuit diues ille, cuius lingua sicca erat, tunc habebit aliquid homo de suo, &c. Nunquid qualis erat in epulis ad mensam, talis erat & apud inferos, cùm sitiret, & stillam desideraret? Non ibi erant illa omnia. Non ergo secum accipit homo omnia, nec quod tollit sepultura, tollit secum homo intus. Vbi enim sensus, ibi homo, vbi nullus sensus, non est homo. Iacet vas quod continebat hominem, domus quæ habebat hominem. Corpus dicamus domum, spiritum dicamus habitatorem domus. Spiritus torquetur apud inferos. Quid illi prodest quia spiritus iacet in cinnamis & aromatibus, inuolutum pretiosis linteis? Tanquam si dominus domus mittatur in exilium, & tu ornes parietes ipsius. Ille in exilio eget, & fame deficit: vix sibi vnã cellam inuenit vbi somnum capiat, & tu dicis felix est: nam ornata est domus illius. Quis te nõ aut iocari, aut insanire arbitretur? Ornas corpus, torquetur spiritus. Da aliquid spiritui, & dedisti aliquid mortuo. Sed quid illi dabis quando vnam guttam desiderauit, & non accepit?* Ex tantá opulentiâ nihil secum effert diues, mundo, quod suum est, sibi tollente, quod D. Bonauent. dieta 2. de auaritia, exẽplo declarauit: veluti si duo ciues suprẽctim ciuitatem perambulent, quos comitatur caniculus vnus: illis pariter incedentibus, cuius horum sit canis, ab alijs ignoratur, at vbi quisque ad sua sese recipit, herum suum canis sequitur, & cuius is fuerit dignoscitur: ita fit cum homine, corpus & anima simul in hac vitã gradiuntur, Plutus fit comes, ceu canis; at cuius sit ille, tum demum cognoscitur, quum spiritu à corpore separato, ipse hîc hæret cum corpore, non itaque ille hominis fuit, quia nõ hominem sequitur, sed cadauer, peregrè proficisci non vult cum eis, qui ipsum acquisierunt: Ideò *cùm dormierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Quid igitur est hominis? virtutes, bona opera, merita: illa sequuntur hominem: Apocal. 14. *Opera enim illorũ sequuntur illos.* D. Basil hom. 24. cuius titulus est, Ad adolescẽtes quomodo, &c. aiebat Homerus, *quod reliquæ possessiones, non magis habentium, quàm quorumcunque tandem vulgarium, & eas assequentium existunt, vt quæ velut in ludo tubus, & tessera, huc atque illuc transferũtur; sola autem ex possessionibus virtus, auferri nõ potest: vnde Solon ad diuites mihi dicere videtur. At nos virtutem nõ ita diuitijs permutabimus; est etenim possessio firma virtutis, sed opes iam alter, & alter habet.* Quod Stilponis exemplo confirmari potest, de quo Seneca epistolâ 9. Hic enim captâ patriâ, amissis liberis, amissâ vxore, cùm ex incendio publico solus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomẽ ab excidio vrbium Poliorcetes fuit, Numquid perdidisset? Omnia, inquit, bona mea mecum sunt. Iustitia nempe, virtus, temperantia, prudentia, hoc ipsum, Nihil bonum putare quod eripi possit.

Psal. 48.

Insania reuerendi in exornandis corporibus defunctorũ.

Psal. 48.

Apocal. 14

Tẽporalia nunc huius nunc illius sunt.

Stilpo.

In hanc ite mentem, diuitiarum auidi, & qui hactenus tutores illarũ serui, videte vt posthac illis imperetis. & dicite in posterum, *Da nobis*: vsibus meis cõfer tua dona Deus, vt per me quoque vsibus pauperum conferatur: ego sic omnia habeam, vt omnium sint.

Periculosa res, aurum sic apud se recondere, vt obseratum tenebrescat, nec effundatur in lucem: inflamatur quippe incremẽtis auaritiæ morbus, & nisi exuberãtes loculi vacuentur, tumescit ad interitum. Dorcadi peregrinæ, quã animal moschi vocãt, quum quasi furijs stimulata in venerẽ ruit, vt scribit Symeon Sethi apud Gesnerum lib. 1. c. quidam veluti abscessus innascitur, folliculi modo, in quo veluti putri sanguine concepta sanies, antequam vomica rumpatur, suapte naturâ ad maturitatem spectat, ad quam, cùm ventum fuerit, fera titillantis humoris lancinatu noxio (valde pruriente) lacessita, cotibus & saxis (arboribus, Isidorus) sese, longo insolatu candentibus, affricat, magno oblectamento, donec facto vomicæ emissario, tota saniei vis à ventriculo (folliculo) supra lapides effundatur, inquit Serapion, paraphraste Ruellio: addit Brasauolus; videtur sanè excrementitio isto humore, hoc animal secundum naturam purgari sicut multa sanguinis menstrui fluxu, neque diu viuere posse, nisi ita expurgetur. Sic auarus auri stimulatus libidine, vomicam concipit, multo pauperũ sanguine putrem, quã vt exoneret, fœculentoque ære turgẽtem exprimat, ne diutiùs retentum æs, diu illum viuere non sinat, spem adimens vitæ iustorũ: ad petram Christũ siue crucis arbori, sese affricet, vt expressa sanies, in egentes & calamitosos dissiliens, bonũ velut moschus odorem obtineat, & saluti sit. Cõtempletur Seruatorem Christũ, qui profuso viscerum suorum cruore exinaniuis, nec matrem, nec discipulũ, nec regnũ sibi seruauit, quin daret omnia, *propter nos egenus factus, cùm esset diues, vt illius inopiâ nos diuites essemus.* 2. Cor. 8. id est cùm esset diues factus est simul in vnum diues & pauper, in spiritualibus diues, pauper & egenus in temporalibus, vt illius paupertate essemus diuites in spiritualibus. Respiciat ad vniuersorum effectorem & Dominum vnigenitum Dei filiũ, *qui caussa nostræ salutis extremam paupertatem suscepit, quæ ex paupertate oriuntur, nobis diuitias procurans*, inquit B. Theodoretus.

Laborabat huiusmodi apostemate peccantiũ humorum vi, ex sceleribus turgescente, rex ille, cui Daniel Propheta c. 4. malagma appositurus ad eruptionem, dixit: *Consilium meum tibi placeat, ô Rex, & peccata tua eleimosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperũ, forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Vide*, inquit D. Chrysost. hom. in psal. 95. *quantam vim habeat eleẽmosyna, quantum valeat humanitas, quàm efficax iustitia opus operetur erga egenos misericordia. Admonuit Propheta, cui si obediisset ille legis trãsgressor, gratia fuisset consecuta promissum.* Simili malagmate ad emollitionem & euacuationem superflui humoris vsus est erga Corinthios Apostolus quos ad eleẽmosynas erogãdas necessitati sanctorum qui erant Hierosolymis adhortatus, exemplo Christi, qui gratiam donauit, hoc est, interprete D. Tho. in cap. 8. epist. 2. ad Corint. *Propter nos egenus factus est, nec præuentus alicuius bonitate, nec alicuius virtute coactus, nec inductus suâ necessitate*, imbecillitate animi illorum vires metiens, nõ omnimodã perfectione; iussit non omnia temporalia dimittere, sed vt impertirent ex ijs quæ superabant (ne otiũ & remissio ex eleẽmosynarum abundantiâ accipientibus accresceret, dantibus verò afflictio inopiæ) ex æqualitate quadam proportionis, inquit D. Tho. vt scilicet, sicut illi sustentantur eleemosynis Corinthiorum, ita Corinthij ditẽtur illorũ

Auaritiæ morbus quantus.

Dorcas.

2. Cor. 8.

Daniel. 4.

Eleẽmosynæ commendatio.

precibus apud Deũ. *Nõ enim vt alijs sit remissio, vobis autẽ afflictio, sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abũdantia illorũ inopiam suppleat, vt & illorũ abundãtia, vestræ inopiæ sit supplementum.* Et lucrum ostẽdit, inquit Theodoret. quod ex eo prouenit, vt etiam illorum superabundantia, fit, ad id quod vobis deest, *Retributio*, inquit, *erit maxima, & dantes quæ sunt minora, quæ sunt maiora accipietis*. Bonũ namque pietatis, vtî D. Tho. ait, plus est vtile facienti, quã illi cui fit, quia faciens reportat inde commodũ spirituale, recipiens verò temporale; *In diuisione sortis*, inquit Sapiẽs Eccl. 14. *Da & accipe, & iustifica animam tuã*: da temporalia, & accipe spiritualia.

2. Cor. 8.

Eccl. 14.

Quid agis auaritia? quid cũctaris? quid moras nectis? Nescis quia: *Qui aceruat ex animo suo iniustè, alijs cõgregat: & in bonis illius alius luxuriabitur*: Nescis quia vlcus tuũ, febris tua ingrauescit, nisi de euacuatione, nisi de largitione, & effusione in pauperes cogitaris? *Nõ patitur auiditas quenquã esse gratũ*, inquit Senec. l. 2. de benef. c. 27. *nunquã enim improbæ spei, quod datur, satis est. Eò maiora cupimus, quò maiora venerũt: multoque concitatior est auaritia, in magnarũ opũ cõgestu collocata: vt flammæ infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit.* Hinc Iuuenalis Saty. 14.

Prou. 14.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Idcirco neminem pecunia diuitẽ fecit: imò contra, nulli non maiorẽ sui cupiditatẽ incussit sic enim Claudianus, quum Ruffini Oriẽtis præfecti sub Arcadio, auaritiam incessit, his verbis;

Pecunia diuitem fecit neminem.

Plenus fauitiæ, lucrique cupidine feruens:
Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totumque exhauserit Hermum:
Ardebit maiore siti.

Infernus est auari animus, quantumcũque deuorauerit, quantumcunque orbis thesauri in eum confluxerint, nunquã dicet satis: inquietus ergo ille est, & atrocissimis cupiditatũ flagellis incensus, mortem priùs & interitum, quàm finem, est habiturus. *Nulla enim auaritia sine pœna est*, inquit Seneca epist. 115. *quamuis satis sit ipsa pœnarum. O quantũ lacrymarum, ô quãtum laborum exigit! Adijce quotidianas solicitudines, quæ pro modo habendi quemque discruciant. Maiore tormento pecunia possidetur, quàm quæritur. Quãtũ damnis ingemiscunt, quæ & magna incidunt & maiora videntur. Denique vt nihil illis fortuna detrahat, quidquid non acquiritur, damnũ est.* A vobis, ô auari, *A vobis tẽporalia nec sperari aliquando desinũt*, inquit D. August. de verbis Apostoli t. 10. serm. 23 c. 5. *& tamen crebrò sperata vos fallunt: nec cessant vos inflãmare ventura, corrumpere venientia, torquere trãseuntia. Nonne ipsa sunt quæ concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt? Vtimur eis & nos secundum peregrinationis nostræ necessitatẽ; sed non in eis gaudia nostra figimus, ne illis labentibus subruamur.* Quis enim non spe pecuniæ accenditur? quis non veniente corrũpitur? *Hæc ipsa res, tot magistratus, tot iudices detinet* (inquit Seneca, in limibus scilicet cognoscendis & finiendis) *quæ magistratus, & iudices facit pecunia; quæ ex quo in honore esse cœpit, verus rerũ honor cecidit: mercatoresque & venales inuicem facti, quærimus, non quale quid sit, sed quãti. Ad mercedẽ pij sumus, ad mercedẽ impij. Honesta, quãdiu aliqua illũ spes inest, sequimur: in contrariũ transituri, si plus scelera promittant.* Addamus pro coronide D. Basilium hom 6. in c. 12. Lucæ. *O auare, Qualia præcepta contemnis, postea quã auaritia aures clausisti? Tristis es, & rogatu difficilis, occursus pauperũ vitas, ne fortè aliquid, vel modicum è manibus coactus exeat. Vnam tantum nosti vocem: non habeo, non dabo, nam & pauper ego sum quoque: Pauper es profectò, pauper, & omniũ egens bonorũ, caritate pauper, pietate pauper, fide erga Deum pauper, pauper æterna spe. Dicis, cui facio iniuriam, si mea retineo, cõseruoque? Quæ illa mihi tua? vnde accepta, hæc, ad traducendam præsentem hãc vitam, inuexisti? Perinde enim facitis, ac si quis in theatro, locũ spectandi, mox vt antenerit alijs arripere, cæteros arceat ingressu, suo vnius vsui id addicãs, quod ad omniũ communem vsum proponitur. Tales & diuites existunt, cõmunia namque cùm priores obtinuerint, propria faciunt occupando. Nonne nudus ex vtero matris exiuisti, nudusque rursum reuerteris ad humum. Hæc tibi bona præsentia vnde? Quod si ex Deo te illa habere fateris, cur tu diues es, ille pauper? Profectò nõ ob aliã caussã nisi vt tu benignitatis, ac fidelis administrationis mercedẽ accipias: ille verò patientiæ maximis præmijs honoretur. Tu verò auarus, ea quæ ad distribuendũ recepisti, tibi propria facis. Num qui vestem diripuerit, spoliator nominabitur, qui autem nudum non texerit, modo possit, alterius cuiusdam nominis appellatione dignus erit? Esurientis est panis quem tu retines: nudi est vestis quam in arcã custodis: discalceati, calceus, qui apud te marcescit: egentis argentum, quod in terra infossum possides. Quare tot iniurias et hominibus, quot poteras opem conferre:* Expergiscere, quicunque cupidus es & tenax rerũ, expergiscere, & in tãta rerum tempestate, naufragiũ metue: quæ recondita claustris vallidissimis, & signaculis tutissimis communiuisti, prome, funde, exonera. *Eripe te, si potes, à submersione*, inquit D. Aug. tom. 8. in exposit. psal. 51. *Naufragium fuge, & plumbum amplecteris? Si non vis mergi, tabulã apprehẽde, ligno portare, crux te perducat.* Quæ est ista animarum insania amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum.

Graphica auari descriptio

Diuites cur quidam, & alij pauperes.

Quare dicatur Da nobis hodie?

36.

Solicitudo nimia rerũ etiam necessariarum rescinditur.

AD extremum tandem, quia absurdum est eo plus viatici quærere, quò minùs restat viæ, ut inquit Tullius, res autem mortaliũ ita decretæ sunt, vt ignoremus quid superuẽtura pariat dies. Hominum interea quãplurimi in eã naui sũt, vt superflua rerum temporaliũ solicitudine tentati, in earum acquisitione tẽpus extrahant, tãquam semper victuri: non sine nimia tẽporis iactura, hominẽ rerũ suatũ, in futuras ætates satagere, nõ solùm earum quæ superfluæ iudicantur, sed etiã earum, quæ peregrinanti necessaria putãtur, significauit Dominus quũ addidit, *hodie*. Quanquã enim D. Chrysost. homil. 9. ex varijs in Matt. hac voce *hodie*, ipsũ Dei hodie, scribat intelligi, quod noctem non habet, quod lux lucis est, & fons luminis, quo corda nostra illuminari postulãt, vt panẽ quotidianũ mereamur accipere quod nos hodie, gratiæ diuinæ, possumùs appellare, in quo coniuncti corpori Christi, panẽ corpori enimæque necessariũ deprecamur: & D. August. l. 2. de serm. Dom. in monte c. 7. & epistolã ad Probam, hodie, interpretetur, in hoc tẽpore, siue in hac tẽporali vitã, totidẽ verbis cap. illo 7. *Da nobis hodie, dictum est, id est, in hac temporali vitã. Sic enim cibo spiritali post hanc vitã saturabimur in æternũ, vt non tunc dicatur quotidianus panis, quia ibi temporalis volubilitas, quæ diebus dies succedere facit, vnde appellatur quotidie, nulla erit. Vt autem dictũ est, hodie si vocẽ eius audieritis, quod interpretatur Apostolus in epistolã ad Hebræos, quãdiu dicitur hodie: ita & hic accipiendum est, Da nobis hodie.* Licet, inquã, iuxta horũ Patrũ sẽtẽtiã, vna eadẽq; res esse videatur, *hodie*, & *quotidianũ*, differũt tamẽ, quia quum panem quotidianũ postulamus, non illum dari nobis hodie petimus: itaque, *hodie*, tẽpus dandi determinat, quod per *quotidianũ*, nõ determinatur, sed potiùs quantitas & substãtia rei, quæ datur, vt idem sit panem quotidianũ petere, quod victuariũ, sustẽtationique nostræ quotidianæ necessarium *Hodie* verò, tempus ipsum exprimit, in quo panẽ nobis dari efflagitamus, quod Dominus indicauit, quando illã temporis iacturam, quæ fit in anxiã nimis procuratione rerũ, damnãs, dixit, *Nolite solliciti esse in crastinũ. Crastinus enim dies, sollicitus erit sibi ipsi.* Quare D. Chrysost. homil. 10. in Matt. *Addidit, Da nobis hodie*, inquit, *vt nequaquã illos vlterioris diei cura contereret. Cuius enim diei spatio vsurum te nescis, quã ob caussam illius sollicitudine torquearis? Hoc etiam in consequentibus prolixiùs imperauit, dicens: Nolite solliciti esse, inquit, in crastinum: volens etiam nos vndique accinctos esse, & quibusdã velut*

Matt. 6.

pennis fidei instructos, semper ad cælestia subuolare, nec amplius indulgere naturæ, quã à nobis ipsa necessitatis vsus exposcit Nusquam verò melius, tempus & operã collocaris, vt nihil istorũ tibi pereat quàm si æternorum desiderio, curam tuam & solicitudinẽ in procurandis & præmittẽdis thesauris, quo sis post obitum venturus, absque intermissione impenderis.

CAPVT XXXVII.

Debitorum remissio, à Deo impetranda.

1. Diues est qui debet nihil.

Tempora, quorum iniquitate nobilis stemmatis splendor plerumque obscuratur, opibus familiæ exhauriuntur, primariæ notæ ciuium, mercatorum, villicorum, statuumque cæterorum facultates amplissimæ, ad inopias rediguntur, litibus, & æris alieni contractione vt meritò hos liberè de inaniores contemplanti, liceat beatum pronuntiare illum, qui lite caret, diuitem verò, qui nusquam æri alieno est obnoxius: hoc enim pars est beatæ vitæ mortalis, si Martiali lib. 11. credimus canenti:

> *Vitam quæ faciunt beatiorem,*
> *Iucundissime Martialis, hæc sunt:*
> *Res non parta labore, sed relicta:*
> *Non ingratus ager, focus perennis:*
> *Lis nunquam, toga rarã, mens quieta.*

Contra verò infelicitatis omnis portio quædam est, in lite esse, atque æri alieno obstringi, vt propterea Chilo apud Plin. 17. Nat. hist. c. 32. commune æris alieni, atque litis, dixerit, esse miseriã. Quid enim aliud sunt lites, quàm seminariũ doli, inimicitiarum, & sæpè delictorum, *Clemen. Dum om. de sepul. l. properandũ, de iudic. C.*: Quid aliud lites sunt, quàm quod dixit Dio Prusæus lib. περὶ ἀπιστίας, bellum sempiternum inter homines, quod gerũt inter se perpetuò omnes, neque indictum, neque vllis conditionibus, aut fœderibus dirimendũ? Tam infestæ sunt illæ hominibus, vt pro receptaculo malorum, diuerbio, apud Suidam scriptum legatur κρατὴρ δικῶν, *Crater forensium rerum*, quo, eius qui acceperit, quietẽ, & felicitatem, seu pacem interpellari necesse est, quemadmodum cecinit in Ergis Hesiodus:

Miseria comes æris alieni.

> οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος, ἀλλ' ἐπὶ γαῖαν
> εἰσὶ δύω. τὴν μέν κεν ἐπαινήσειε νοήσας,
> ἡ δ' ἐπιμωμητή· διὰ δ' ἄνδιχα θυμὸν ἔχουσιν.
> ἡ μὲν γὰρ πόλεμόν τε κακὸν καὶ δῆριν ὀφέλλει,
> σχετλίη· οὔτις τήνγε φιλεῖ βροτός, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης
> ἀθανάτων βουλῇσιν, ἔριν τιμῶσι βαρεῖαν.
>
> *Non vtique est vnum contentionum genus, sed in terrã*
> *Sunt duo. Alteram certè laudauerit prudens:*
> *Altera verò culpãda est: per diuersa enim animũ trahit.*
> *Nam hæc quidem, bellumque malum, & litem auget*
> *Perniciosa. Nullus hanc amat meritò, sed necessitate*
> *Fatali quadam, contentionem colunt, quamuis grauem.*

Adijce turbulentam obseruationem prætorij, quæ litigantibus imminet, vt inquit Pet. Gregor. syntagmatis iuris lib. 47. cap. 1. sumptuum in lites necessitatem, quibus splendida patrimonia citò deuorantur, auocatis à commercio suo & lucro litigantibus ad forum, & tribunalia vbi multis annorum spatijs quæsita, vel subtili ingenio breui extorquentur, vel euanescunt in mercedes & salaria, seu honoraria pragmaticorum, procuratorũ, patronorũ, apparitorũ, & insportulas iudicũ quorũ omniũ, etsi sordidè supplex, vngues nõ euades, & si cõgiaria donaueris, acues: quã de caussã Hesiodus in Ergis, iudices sæpe vocat δωροφάγους, *donivoros*, vt verè dictum videatur, satis lucrari eum qui à lite discesserit, satiusque esse iuri suo decedere, quàm dubiam cõtentiosi fori aleam subire, quod Martialis indicauit, suadens Sexto, soluere potiùs quam litigare. lib. 2.

Lucratur satis qui à lite discedit.

> *Et petit iudex, petit & patronus,*
> *Soluas censeo, Sexte, creditori.*

Seras Taprobanæ Indiarum insulæ populos, vt felicissimos cõmendat Plinius, lib. 6. Nat. histor. cap. 32. quòd apud eos nulla fora, nullæ vè lites sint: & certè ad humanæ vitæ felicitatem non parum confert, vt nulla sit lis vnquam, quod ex Martiali lib. 11. attulimus, & ex lib. 5. libet repetere, vbi canit in hunc modum:

Seræ populi sine litibus.

> *Si tecum mihi, care Martialis,*
> *Securis liceat frui diebus:*
> *Si disponere tempus otiosum,*
> *Et veræ pariter vacare vitæ.*
> *Nec nos atria, nec domos potentum,*
> *Nec lites tetricas, forumque triste*
> *Nossemus, nec imagines superbas.*

2. Facit & ad eandem felicitatem, si æs alienũ nõ habes, sua enim debitorum oneri, coniuncta est quoque miseria, noctes insomnes, perpetua animi anxietas, & si quid insit boni pectoris, eximẽdi se solicitudo: accedit metus Domini seuerioris, tabulas & syngraphas importunè proferẽtis; vt mutuũ sit oppigneratu grauiùs, quietẽ non interpellari: quod facetã exprobratione ab Augusto significatũ, apud Macrobiũ l. 2. Saturnal. c. 4. in hunc modum: Quidam Romanus eques diem functus erat. Post cuius mortẽ, æs alienũ ingens, quod vsque ad extremum vel extra terminũ occultauerat, emersit. Re compertã, miratus Cæsar Augustus: Ite, ait, & mihi culcitram eius cõparate. Obstupescẽtibus mandatum, rationem adiecit: Somnos, inquit, alliciet culcitra, in quã ille tantis debitorum molibus oppressus, somnum capere potuit.

Augustus.

Prudentis est, aut nullum æs contrahere, aut cõtracto mox se liberare, quòd obærati, animus inquies, nihil non triste, nihil non anxium, nihil non afflictum agitet continuò, dum de molestiã creditoris ære dissoluendo cogitat. Quot reperias, qui ære obruti alieno, aut familiam suã minuere, de statu suo remittere, aut parsimoniã tãquam amplissimo vectigali, dissoluere, compulsi sunt: Quot etiam qui cùm soluendo nõ sint, extremo remedio, deportationis ignominiam patiuntur; aut probrosã bonorum cessione, creditorũ à quibus vrgentur molestias, & imminẽtes carceres redimunt, hoc vltimo vtentes beneficio sibi à iure concesso. l. 1. 4. & 7. C. qui bon. cede. possũt. Omitto modos probrosiores ex delicto, quos inopiã pressi ineunt, adacti exactorum duritiã: à quorum captandorũ consilio, vt auertãtur, præclarè Vlpianus in l. si benè collata. 33. de vsu. lib. 22. P. tit. 1. tradit. Creditorẽ præbere se debere exactorem non acerbum vel contumeliosum; sed moderatum, & cum efficaciã benignum, cum instãtiã humanum.

Seueriùs olim in debitores statutum: Corbis ignominia, apud Bœotos; ducebatur enim in forum qui æs alienum non dissolueret, sedereque iubebatur, sedenti corbem injiciebant. Hac notatus ignominiã infamis cẽsebatur: Gyrald. dialogo 7. hist. Poët. & Stobæus serm. 42. Apud Romanos: qui creditoribus propter debita à iudicibus addicebantur, multa turpia & miseranda patiebantur, apud creditores nexi, multaque, seruili more, in tergo plagas; cui malo subuenere leges Porcia, & Sempronia, quæ liberũ corpus Romani ciuis virgis, aut alijs verberibus cædi vetant. Lex quoque sæuissima apud antiquos fuit, quæ debitores qui soluendo non erãt, creditoribus, non modo quasi mancipia addicebat;

Corbis ignominia.

bat, sed truncandos etiam laniãdosque pro proportione debiti, tantum non concedebat. De quo sic Tertull. Apologetico aduersus gentes cap. 4. *Sed & iudicatos in partes secari à creditoribus, leges erant: consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris notam, capitis pœna conuersa, bonorum adhibitâ proscriptione, suffundere maluit hominis sanguinem, quàm effundere.*

Moscouitæ debitores cædunt.

Guagninus in descriptione Moscouiæ c. 4. hunc morem apud Moscouitas receptum, inquit, quòd omnes debitores, qui æs alienum conflauerunt, non habentes vnde creditoribus reddant, ex legis præscripto in locum certum, & publicum, & ad id ordinatum, ducantur: ibique à seruis Prætorianis, flagris, baculisque per suras & crura pedum grauiter, absque vlla miseratione cæduntur, tam diu donec vndecunque accipiendum sit, creditoribus sua reddere cogantur. Quòd si soluendo nõ sufficiant: tunc verberibus multoties exagitati, creditoribus secundũ valorem debiti, seruire cõpellantur. Narrat Palladius hist. Lusiacæ c. 63. Abbatem Paphnutium post longam exercitationem

Paphnutius.

Deum rogasse, cuinã Sanctorum qui rectè se gesserant, esset similis: cui Angelus, similis es tibicini, qui in hac degit ciuitate: ad quem ille profectus, cùm inuenisset, vitæ illius acta perscrutari studiosè cœpit: at tibicen, se peccatorem, ebriosum, & scortatorem esse professus est, & haud ita pridem, ex latrocinandi arte, eò se contulisse. Discussus porrò vlteriùs, quid rectè vnquam gesserit; Nullius se honestæ rei conscium respondit, nisi quòd cùm aliquando latronis vitã ageret, Christi virginem, cui erat à latronibus vitium efferendum, liberauerit, & noctu ad vicum vsque reduxerit. Rursus autem, inquit, inueni aliquando formosam mulierem errantem in solitudine fugatã ab apparitoribus & curialibus Præsidis, propter publicum mariti debitum, & errorem suum deflentem. Sciscitatus sum ex ea, caussam fletus: quę ait, ne me roges Domine, nec miserã examines, sed tanquam ancillã abducas quo velis. Nam cùm maritus tempore biennij ob debitum publicum trecentorum aureorum sæpè fuerit flagellatus, & carceri traditus, tres quoque mihi charissimi filij abrepti fuerint, ego fugitiua, locum loco mutãs: atque per solitudinẽ vaga, sæpiùs inuenta, & flagellis excepta, iam tres dies permansi in solitudine ieiuna. Ego autẽ, ait latro, eius sum misertus, deduxi in speluncam, & trecentos aureos illi numeraui, & citra probrum & contumeliã, ad ciuitatem deduxi, & maritum eius cum liberis, liberum feci. Mirabimur hic latronis huius insignia pietatis officia; an potiùs miserabimur sortem acerbam mulieris, quæ suis rebus afflictis mederi dũ nõ potest, creditorũ expertã seueritatẽ, torquetur animo, torquetur & corpore, fugitiua, errans, vaga, de soluendo tantùm sollicita?

2.
Debitor est homo Deo.

Quod si tanta inest homini mortali dissoluendi æris alieni cura & solicitudo; quãta illi inesse debet, vt debitum, quo Creatori suo tenetur, tollat? illud cum hominibus contrahitur; hoc verò cum Domino Deo tuo; illud temporaneum est, hoc æternum: illud corporalibus, vt summùm, pœnis subijcit, hoc, animæ cruciatibus: illud adfert insomniam; & huius sensu nõ tangeris? O si detersã oculorũ mentis caligine agnosceres quid sit peccatũ mortiferũ! Deũ esse aduersus quẽ illud militat, infernũ esse quẽ illo demereris, nõ ita oscitãter te haberes, fores excitatior. Et cũ Psalmographo ps. 6. ingeminares, *Laboraui in gemitu meo*, & tãquã parũ profuerit, addidit, *Lauabo per singulas noctes lectũ meũ*, vbi D. Aug. *Lectus est hoc loco appellatus, vbi requiescit animus æger & infirmus id est, in voluptate corporis, & in omni delectatione sæculari. Quã delectationẽ lacrymis lauat, qui sese ab illã conatur extrahere. Videt enim iam se damnare carnales concupiscentias: & tamen delectatione tenetur infirmitatis, & in eã libenter iacet, vnde resurgere nisi sanatus animus non potest. Quod autem ait, Per singulas noctes: hoc fortasse accipi voluit, quòd ille qui spiritu promptus sentit aliquam lucem veritatis, & tamen in delectatione huius sæculi per carnis infirmitatem aliquando requiescit, tanquam dies ac noctes alterno affectu cogitur pati. Vt quum dicit: Mente seruio legi Dei, tanquam diem sentiat. Rursus quum dicit, Carne autem legi peccati, inclinetur in noctem, donec omnis nox transeat, & veniet vnus dies de quo dicitur: Mane adstabo tibi & videbo. Tunc enim astabit, nunc autem iacet, quando in lecto est. Quem lauabit per singulas noctes, vt tantis lacrymis impetret efficacissimam de Dei misericordiã medicinã.* Et repetit Vates Regius, *& lacrymis meis stratum meum rigabo.* Nisi quod amplius sit rigabo, quàm lauabo, inquit ibidem D. August. quoniam potest aliquid in superficie lauari: rigatio verò ad interiora permanat, quod significat fletum vsque ad cordis intima. Clamares quoque toto patente cordis ore cum Propheta Iob. cap. 7. *Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum?* scilicet vt te mihi placatum propitiumque reddam, diligentissimũ, atque attentissimum obseruatorem, & speculatorem humanarum actionum. Clamares, inquam, & ad pœnarum mortifero peccato decretarum intuitum, ingemisceres, illum imitatus, de quo Climachus gradu 4. de obedientiã; Vidi quendam coquinarium perpetuò in ministratione ploratum. & mœrorem edentem, & supplicaui nuntiaret mihi, vnde & quomodo talem gratiam obtinere dignus effectus est. Qui violentiam à me passus, respondit, Nunquam me hominibus seruire cogitaui, sed Deo & omni quiete me indignum iudicaui: hac ignis visione, futuræ flammæ memorationem semper possideo.

Rom. 7.
Psal. 5.
Iob. 7.
Inferni ignis cogitatio lacrymas euocat.
Coci humilitas.

4.

Certè enim, si cui in mentem veniret, quanta & qualis sit, cognita peccati turpitudo; Numinis offensi magnitudo; pœnarum inferni cum æternitate grauitas, quibus obnoxius fit peccator; & immortalis gloriæ bonũ, à quo repellitur in tartarum deportatus: fieri non posset vt alieno se scelere pollueret. Habet autẽ inprimis peccatũ malitiã quodãmodo infinitã, quia quãtum ex se est, priuat hominẽ bono infinito, scilicet Deo, & hoc infinito tẽpore. At verò, homo quis est? Dicat D. Bern. Meditat. c. 3. *Nihil est aliud homo, quàm sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium.*

Peccati malitia infinitã.

Post hominem vermis: post vermem fœtor & horror.
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Hominis vilitas.

Qualis est hostis, seruus perfidus. Et Deus quantus est? infinitè magnus, bonus, excelsus. Homo peccator quantus? inferior Lucifero, quia Lucifer nullũ iustitiæ Diuinæ habuit exemplum, plurima habuit homo, nec resipiscit. Quænam illa, quæ ad peccãdum impellunt? res caducæ, viles, aut nullæ. Quale cordolium foret Regiuæ Regis etiam filiæ, naturali pulchritudine speciosissimæ, atque virtutum omnium ornamento, quales in principe feminã desiderari possent, illustri; si illã spretã Rex vili seruitio, deformi, turpi, & mulierum mõnstro sese adiungeret? Ita cordolium est Regi Christo, Regis Patris filio, cùm homo, creaturarum sublunarium Rex & Dominus, non sine magno Diuinitatis contemptu, deformitatũ omnium turpissimæ peccato sese copulat. Non dissimulauit suum dolorem, conquestus per Prophetam Ier. 2. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontẽ aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Quomodo autem dereliquerunt nisi iniquè viuentes? *Neque enim pedibus, sed corde relinquitur Deus*, inquit D. August. to. 7. l. 2. contra epist. Parmeniani c. 10. Esset verò quàm deterrimum, si rex amores suos, in ancillã Reginæ infensissimam, ac iuratam hostem transferret.

Ierem. 2.

ferret. Et non erit supra modum pessimum; infensissimo Diuinitatis hosti, peccato, adfectum tuum tradere? Adeò aduersarium est Deo peccatum, vt si Deus capax esset alterationis, ab illo tanquam à suo contrario, destrueretur. Verùm potens est ille in bonitate, non in malitiâ & iniquitate, vt eam operari possit, sicut homo, aut ab eâ lædi quam facit homo. *Deus namque immutabilis est*, inquit D. August. lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 3. *& omni modo incorruptibilis. Idcirco vitium quo resistunt Deo, qui eius appellantur inimici, non est Deo, sed ipsis malum. Neque ob aliud, nisi quia corrumpit in eis naturæ bonum. Natura igitur non est contraria Deo, sed vitium: quia quod malum est, contrarium est bono. Quis autem neget Deũ summè bonum? Vitium ergo contrarium est Deo, tanquam malum bono. Porrò autem bonum est & natura quã vitiat: vnde & huic bono vtique contrarium est: sed Deo tantummodò tanquam bono malum, naturæ verò quam vitiat non tantum malum, sed etiam noxium. Nulla quippe mala Deo noxia, sed mutabilibus corruptibilibusque naturis, bonis tamen, ipsorum quoque testimonio vitiorum. Si enim bonæ nõ essent, eis vitia nocere non possent. Nam quid eis nocendo faciunt, nisi adimunt integritatem, pulchritudinem, salutem, virtutem, & quidquid boni naturæ per vitium detrahi, siue minui consueuit.* Neque naturæ tantùm, peccatum ipsum committentis, aduersatur, sed etiam toti naturæ est contrarium: quia illam dissoluit, illius peruertit ordinem. Est enim natura rerũ vniuersa, tanquam cõcinnum eleganter musices instrumentum, quando homo adhæret Deo: mundus illi cumulus est bonorum: postquam autem per vitium recessit à Deo conuertitur natura ipsa in Pharetram, vnde Deus sagittas iræ & vindictæ promit, eiaculaturus in hominem. Habent Iudices temporales, fiscos suos apparitores, & satellites: Deus autem iustitiæ suæ ministros, Angelos habet, dæmonas, omnesque vniuersim creaturas. Inde iniquitas temporum, annonæ caritas, bella, pestilentiæ, fames, quæ sunt hominum supplicia. Sicut enim fide vnâ discordi instrumẽti musices, vel vnâ voce dissonâ, musica asperatur, alteratur, ita homine extra orbitam sese impellente, impellitur quoque quodammodo omnis creatura: Aut cur Deus Gen. 3. dixit, *Adam vbi es*: nisi vt ipsum vitio suo à præstituto rerum ordine deflexisse, & naturalem situm suum deseruisse, indicaret? *Vitium autem ita contra naturam est*, inquit D. August. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 17. *vt non possit nisi nocere naturæ. Non itaque esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ, cuius id vitium est, potiùs competeret esse cum Deo. Quapropter etiam voluntas mala, grande testimonium est naturæ bonæ.*

Vitium est contrarium Deo.

Gen. 3.

5. Peccatum, & Deus, duo sunt contraria.

Duo sunt summè contraria, peccatum, Deus; duo cognitionis accessu difficilia; Deus secundũ essentiam suam cognosci non potest, sed per effecta tantùm; D. Tho. 1. part. quæst. 1. art. 7. ad 1. Itidem & peccatum non cognoscitur, nisi ex punitione; quare ex grauitate pœnarum metiri possumus grauitatem peccatorũ. Cogitemus vnde peccato excidimus, & quò labimur. Recordemur perpetuò terribilis illius tribunalis fluminis ignei, inquit D. Chrys. ser. 25. in epist. ad Rom. vinculorum insolubilium, profundarum tenebrarũ, stridoris dentium, venenosique vermis; sed benignus est Deus, hominem amat vehementer, & in delicijs habet. Odit sanè peccatum, naturam non odit, hæc bona est, illud malum est. *Deus illorum odit iniquitatem*, inquit Achior Holopherni Iudith. 5. Aliter Deus odit, aliter nos odimus. quod nos odimus persona est, quod in personâ exosâ amamus, vitium est; & hanc tantò vitiosiorẽ esse vellemus, quantò magis odimus, quia quod hic expetimus, sola vindicta est. At Deus contrà, amat ardenter personam, peccatũ autem summè odit: quare cùm punit, non hominem punit, sed peccatum: si bona temporalia tollit, si vxorẽ, si liberos, si sanitatem; in peccatum habet, non in hominẽ:

Iudith 5.

licet interdum contrà accidere videatur; veluti si quis exploso tormento alium feriat, post cuius tergum, hostis qui petebatur latebat: ita iacula Diuina, hominem peccatorẽ feriunt plus nimiò rebus temporalibus adhærentem dum peccatum deposcitur ad pœnam. Et adhuc miserationibus eius rigorem iustitiæ temperantibus, ne quẽ despexerit, penitus pereat, *secundum multitudinem iræ suæ non quæret* ps. 9. non repentino ruet interitu, sed potiùs, quasi affectus dolore, suæ bonitatis commemoratione, ne grauius percutiat, hominẽ perditum reuocabit ad mentem: Ierem. 2. *Quid inuenerunt in me Patres vestri, quia elongauerũt se à me, & secuti sunt vanitatem & vani facti sunt*: Quò fit vt non satis appareat quantitas pœnæ, quam de peccato exigit Deus, in persona hominis: Imaginemur ergo reum quempiam, data fide, & obsidibus, è carceribus egressum, neque ad præstitum diẽ, solutâ fide, cõparere: tum, iudicem in corpus & vitã obsidis sæuire crudelissimè, exquisitisque tormentis dilaniatum necare: hoc videns, nunquid diceres heu! Quid si Iudex reum ipsum teneret, quibus illum cruciatibus subijceret? Christus Dominus obsidem se pro peccato constituit. 2. Cor. 5. *Qui peccatum non fecit, factus est pro nobis peccatum.* Et quam acerbè vltus est peccatum in persona Filij Pater? nimirũ quia Christus, non vt peccator, sed vt peccatum ipsum pœnas sustinebat. Quamobrem peccatum, imò vel ipse peccati cogitatus & memoria, horrori nobis esse debet, haud secus ac pudicæ Virgini, castæve Matronæ, non modò, dedecus ipsum, & facta turpia, sed etiam risus solutior, aspectus & nutus oculorum lasciuior turpitudinisque ipsa memoria, horrori est: hoc intendebat apostolus cùm diceret ad Ephe. 5. *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos*: scilicet inquit D. Tho. ibi. lect. 2. abstinere à factis, à cogitationibus, & à dictis. Quàm exhorresceret peccatum Dauid, satis indicauit quando cũ imprecatione seipsum purgans inquit ps. 7. *Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis*. Si cuiuspiam diuitias, possessiones, regnum rapiam aliavè iniuria afficiam, si est violentia, derelictio, ac defectio à fide Principi debitâ; vt interpretatur Lorinus, moriar inimicorum meorum manibus. Et nos (quod mirãdũ est) non aduertimus quid quotidie psallamus, vt habet Dorotheus, à Lorino citatus, nec intelligimus maledictionẽ, & execrationem istam, quã pronuntiamus contra nos, si simultates gerimus: si cùm petimus nobis debita dimitti, non dimittimus. Quia ergo multo peccatorum pondere grauamur, dicimus *Dimitte nobis debita nostra*, clementissimi Patris misericordiã implorantes, cuius solius est debita nostra relaxare, & deposito illorum onere, redeuntem ad se creaturam suam benignè suscipere. Rectè autem, *post subsidium cibi, petitur & venia delicti*, inquit D. Cypr. *vt qui à Deo pascitur, in Deo viuat: nec præsenti & temporali vitæ, sed & æternæ consulatur, ad quam venire potest si peccata donentur: quæ debita Dominus appellat, sicut in Euangelio suo dicit. Dimisi tibi omne debitũ, quia me rogasti.* Et Tertul. l. de orat. *Consequens erat, vt obseruatâ Dei liberalitate, etiam clementiã eius precaremur. Quid enim alimenta proderunt, si illis reputamur tenera quasi taurus ad victimam? Sciebat Dominus se solum sine delicto esse. Docet itaque petamus. Dimitte nobis debita nostra.* Quod quum dicimus nosmetipsos peccatores confitemur; *Exomologesis est petitio veniæ*, inquit Tertul. *quia qui petit veniam delictum confitetur. Sic & pænitentia demonstratur acceptabilis Deo, quia vult eam, quàm mortem peccatoris.* Itaque *Si confiteamur peccata nostra.* 1. Ioan. 1. *Fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra. & emundet, nos ab omni iniquitate.* vbi vtrumque complexus est Apostolus, quod & pro delictis rogare debeamus, & indulgentiam rogantes impetremus.

Ps. 9.

Ierem. 2.

2. Cor. 5.

Ephes. 5.

Psal. 7.

Peccata dimitti postulamus.

Exomologesis quid sit.

1. Ioan. 1.

tremus. *Ideò & fidelem dixit Dominum ad dimittendum peccata, fidem pollicitationis suæ reseruantem*, inquit D. Cyprian. *Quia qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paternam misericordiam promisit, & veniam secuturam.*

Capitis 37. §. 1.

Debita, id est, peccata non esse contrahenda.

1. Vendere quisque vult carè.

QVandoquidem carè vendere quisque vult, & vt paruò sibi constent quæ empturus sit, mirum sanè est, cur in ijs quæ ad salutem nostram faciunt, tam simus remissi, tamque cœci, vt téporalis voluptatulæ pretio (quæ tamen nunquam sine fellis amaritie esse solet, vt propterea eum D. Gregor. in 2. psal. pœnitentialem, spinæ compararit, explicans illud: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina*: in hunc modum: *Per spinam omne peccatum ideo accipitur, quia dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem*) animam nostram distrahamus, dæmonis illam permittentes arbitrio; qui quum nos tentat, animã nostram venalem exponimus, vt inquiunt D. Ambros. lib. 1. Officior. & Cassian. collat. 1. pro quâ temporariæ dulcedinis voluptatem offert Dæmon: Deus autem, regnum integrum: vnde Apostolus Rom. 7. *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*. In quæ verba D. August. tom. 4. *Intelligendum est, quod vnusquisque peccando animam suam vendit Diabolo, acceptâ, tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis. Vnde & Dominus Redemptor noster dictus est: quia hoc modo quo dictum est, venditi eramus.*

Ps. 31.

Rom. 7.

Demosthenes.

Quàm prudenter ageremus, si, quum peccati illecebrâ titillamur, diceremus, quod olim Demosthenes, referente Aul. Gellio Noct. Atticar. lib. 1. cap. 8. qui cùm ad Laidem Corinthiam, quæ ob elegantiam venustatemque formæ grandem pecuniam demerebat, clanculum adisset, petitum vt sibi sui copiam faceret, & illa denariûm decem millia poposcisset, hoc est mille coronatos secundum Budæum. Petulantiâ mulieris, atque pecuniæ magnitudine ictus expauidusque auertens iter, & discedens, dixit, *Pænitere tanti non emo*. Ecquis enim, Deum immortalem! tam despicatæ mentis, tam inuoluti cerebri, qui talentum animæ signaculo sacræ Triadis munitum, momentaneæ voluptatis ergo, in Laidis loculos conferat, qui æternum illud apud inferos pœnitere, cogitarit? Ecquis sanæ mentis præsentaneas voluptates, futuris æternos cruciatus, deliciarum prætulerit æternitati, voluntario cuidam Dæmoni & spontaneæ insaniæ se tradens, quomodo D. Chrysost. hom. 28. in epist. ad Rom peccatum appellauit. Vtinam ærumnosa peccati, mortiferæ dulcedinis pretia, & commoda virtutum perspecta haberemus?

2. Rediuiui, quale vitæ institutum.

Beda de gestis Anglor. lib. 5. cap. 13. de quodam patre familias refert, qui cum domo suâ religiosam vitam agens, tandem corporis infirmitate tactus, defunctus est: atque diluculò vitæ restitutus, resedit: quo spectaculo expauefacti, qui corpori exanimi lacrymas & vigilias dabant fugâ se proripuerunt; sola autem vxor, præ amoris sui coniugis magnitudine, ex timore consternata, remansit: cui ille ad solatium: Noli timere, quia iam verè surrexi à morte quâ tenebar, & apud homines iam viuere permissus sum: non tamen eâ quâ consueueram conuersatione, sed multum dissimili, ex hoc tempore, mihi viuendum: hisque dictis surgens, ad villæ oratorium pertexit, vbi in clarum vsque diem precibus institit moxque omnem quam possederat substantiam, in tres portiones diuidens, vnam coniugi, alteram filijs tradidit, tertiam sibi ipsi reseruans, statim pauperibus distribuit. Nec multò post, curis sæculi solutus, ad monasterium se contulit, vbi ad diem mortis in tantâ contritione perseuerauit, vt multi illum, quæ alios laterent vel horrenda vel desideranda vidisse, & quæ etiamsi lingua sileret, vita loqueretur, existimarent.

Heu nos! qui nec ista videmus, nec quantum conceditur, videre volumus, occœcante nos illecebrarum fascino! Quid caussæ est, nisi quia sicut Deus, ita & peccatum, quod illi opponi diximus, captum nostrum superat? Habet sua attributa Deus, quibus quæ circa ipsum sunt aliquâ explicantur, sed non ipse: habet & sua attributa peccatum, quibus ipsum, vt res alias quas nomine proprio indigitare non possumus, circumloquimur, multifarias illius describentes malitias. Siquidem omnes omnium actuum vitiosorum continet turpitudines, sicut scribit Guilielmus Parisiensis est enim spiritualis proditio, quia deficit homo à Rege suo, & transit ad hostem: est sacrilegium, quia contaminatur templum Dei, quod estis vos: est apostasia, & repudij libellus traditus sponso: est adulterium spirituale, quia anima, cùm sit desponsata Deo, fornicatur cum Dæmone: Ierem. 2. *Fornicata es cum amatoribus multis*: est furtum, quia se totum debet homo Deo, est enim homo Dei possessio. Ob has igitur, & plures alias deformitates, peccatum vocatur macula, vitium, crimen, culpa, delictum, offensa, iniquitas, impietas, morbus, debitum, mors. Dicitur macula quia deformat animam, anima enim Dei gratiâ ornata, est venustissima, excellentisque admodum pulchritudinis & decoris, illâ spoliata, fœdissima est, & Thersite deformior: & quæ ornatus est Dei adhærens Deo per gratiam, separata à Deo, vt sterquilinium habetur: velut enim barba est ornamentum viri, si mento hæret; sin verò tonsa recisa, rasáve fuerit, vilissima sordium: sic anima, vel Deo coniuncta, vel ab ipso separata. Augent deformitatem, error in intellectu, praua electio in voluntate: incitamenta ad iniquitatem in memoriâ, quæ omnia facultatum animæ splendorem obliterant, ipsamque deturpant animam. Sicut enim corporis pulchritudo non tantùm ex suauitate coloris consurgit, sed maximè ex conuenienti partium inter se, & cuiusque in se debita habitudine & decentiâ, vnde omnis, velut in instrumento musico, totius compositi relucet harmonia: ita animæ pulchritudo, ex cuiusque facultatis illius, atque omnium inter se rectâ constitutione, dimanat: quum videlicet intellectus animæ consiliarius, ea quæ sunt digna cogitat; voluntas ea quæ sunt eligenda & diligenda, eligit & diligit; & memoriâ, virtutum incentiua versat.

Ierem. 2.

Pulchritudo corporis vnde oritur.

Vitium, appellatur, quia boni naturalis defectum ponit; quemodò equum vitiosum dicimus, si calcitrator est, si claudus, si cœcus. Crimen & culpa, respectum habent ad exteriora: Crimen est peccatum publicum vel priuatum, accusatione, cognitione, & iudicio dignum: culpa obligat ad pœnam. Delictum, quòd qui peccat, officium delinquat suum, nec faciat, quæ fieri debent. Offensa, quia homo peccando, deserens creatorem, & finem suum in creatura constituens, Creatorem offensum habet, cuius gratiam spreuit. Iniquitatis nomen habet, quia omni æquitati aduersatur, quâ seruus tenetur obedire & seruire Domino suo. 1. Ioan. 3. *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Impietas appellatur, quia adfectui amoris contrariatur, & cultui, quem Deo debemus; pietas enim, quæ illi opponitur, importat reuerentiam Deo, patriæ, & parentibus debitã, in quàm admissa culpa, impietas vocatur.

1. Ioan 3.

Morbus,

Morbus, quia est ægritudo animi, vnde D. Basil. in regulis breuioribus, *Quemadmodum per morbum in corpore, fit appetitus deiectio, & ciborum insanae fastidium, sic in animo per peccatum, circa expletionem iustificationis Diuinæ, pigritia & lenitudo ingeneratur, ad Domina facienda.* Debitum, quòd pœnas promeritas dare debeat. Mors autem famosiori significato nuncupatur, vnde sacra Scriptura passim, peccatores, inter mortuos reponit: & Patres, peccatum, mortem esse dixerunt, D. Greg. in secundū psalmum pœnitentialem explicans illa, *Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi; Viuebam olim Deo mortuus sæculo,* inquit, *nunc è contrario, mortuus Deo, mundo viuo. Quid est enim peccatum nisi mors? Hinc etenim scriptum est: Non est in morte qui memor sit tui: & iterum, Intrauit mors per fenestras.* Ierem. 9. *Mors namque est quæ animam à Deo separat, sensuum internorum intercludit officia, lucem adimit claritatem:* ecce extinctam peccato animam, tanquam morte cadauer. Origenes quoque homil. 15. in Gen. explicans illa Gen. 45. *Quia Ioseph filius tuus viuit,* inquit, *Ego hæc non communiter dicta suspicio. Si enim, verbi causâ, ponamus quia potuisset vinci à libidine, & peccasset cum vxore Domini sui, non puto quod patri suo diceretur: Quia filius tuus Ioseph viuit. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur. Sed & Susanna eadem docet, quum dicit: Angustiæ sunt mihi vndique: si enim hoc egero, id est, si peccauero, mors mihi est. Vides ergo & ipsam mortem in peccato posuisse. Sed & ad primum hominem à Deo prolata sententia, eadem continet quum dicit: Qua die manducaueritis ex eo, morte moriemini. Statim enim vt præuaricatus est mandatum, mortua est anima quæ peccauit, vnde peccatum, mors est, & morti comparatur.* Hæc mors admodum horrenda, deformis, turpisque est, vtpote quæ fit in præcellenti totius compositi parte, videlicet in animâ; sicut enim vulnus corporis tantò est deformius, quantò pars affecta est nobilior; ita vulnus illud mortis tantò deformius, quantò est in imagine & similitudine Dei.

3. Mortis genera quatuor.

Auctor sexaginta quinque quæstionum, inter opera D. Augustini tomo 4. quæst. 32. quatuor mortis genera enumerat, animæ per peccatum: corporis, per animæ separationē; animæ solius, post discessum è vitâ: &, animæ & corporis, in iudicij die: atque ex primâ morte, quâ primùm mortua fuit Adæ anima, iuxta oraculum Gen. 2. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris;* reliquas tres posteà secutas fuisse, dicit. Vt propter insidiantes has mortes vtrum id quod viuimus, mors, an vita dicenda sit, meritò dubitaueris: præsertim cùm sola vera vita sit, illa quæ in Deo est, sicut ostendit Paulinus tomo 2. Operum D. August. epist. 36. ad Romanianum, in hunc modum concludens,

> *Viue precor, sed viue Deo: nam viuere mundo,*
> *Mortis opus; viua est viuere vita Deo.*

Hinc est, quòd Barlaam interrogatus quot annos haberet, reddidit quadraginta quinque, cùm tamen esset septuaginta; annos scilicet illos solos in numerum referens, quos Dei famulitio consecrarat. Hinc D. Bern. serm. de fallaciâ præsentis vitæ; negat vitam esse dicendam, quâ soli viuitur morti. Qualis ea est, quam mortiferi criminis contagia inquinant, per quę viuitur morti, in ipsâ morte peccati. Psal. 6. *Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?* in quem psalmum D. August. *Hoc in loco,* inquit, *mortem vocat peccatum, quod contemptâ diuinâ lege committitur: in quâ morte hoc est esse immemorem Dei, legem eius, & præcepta eius contemnere, vt infernum dixerit, cæcitatem animi, quæ peccantem, id est, morientem excipit, & inuoluit.* Adeò nempè coniuncta sunt, peccare, mori, & in inferno esse, vt anticipatâ pœnarum æternitate, iam iam inferni carceribus addicatur grauius delinquens peccator, nisi resipiscat, vt à tenebris somniorum suorum, quasi pecus, saginatus ad victimam, veniat ad tenebras tormentorum, ad nouissimum quadrantem vsque, debiti sui pœnas daturus.

4. Debitores incarcerati.

Moribus antiquis, non soluentem debitorem coniici in carcerem receptum fuisse, constat ex eo quod scriptum est apud Matth. cap. 18. de creditore immisericorde, qui abiēs misit ipsum debitorē in carcerem, seu custodiam, donec redderet debitum. Dura nimis lex XII. tabularum, & crudelis visa est Phauorino apud Gellium lib. 20. Noct. Attic. cap. 1. & Quintil. lib. 8. Institut. cap. 8. & lib. 7. cap. 4. de immanitate illâ secandi partiendique humani corporis, si vnus ob pecuniam debitam adiudicatus, addictusque sit pluribus. Quid enim videri potest efferatius, quid ab hominis ingenio diuersius, quàm quòd membra & artus inopis debitoris breuissimo laniatu distrahebantur, sicut nunc bona venum dissipantur? Confessi igitur æris, ac debiti iudicatis, triginta dies sunt dati conquirendæ pecuniæ causâ, quā dissoluerent. Eosque dies Decemviri, iustos appellarunt, velut quoddam iusticium, id est, iuris inter eos quasi interstitionem quandam & cessationem, quibus diebus, nihil cum his agi iure posset. Post deinde, nisi dissoluerant, ad Prætorē vocabantur: & ab eo, quibus erant iudicati, addicebantur. Neruo quoque aut compedibus vinciebantur. Erat autem ius interea paciscendi. At nisi pacti forent, habebātur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies, trinis nundinis continuis, ad Prætorem in comitium producebantur, quāta pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. Tertijs autem nundinis, capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregrè venum ibant. Et inter Iudæos, seruituti creditorum mancipatos fuisse debitores, ex sacrâ Paginâ liquet. Prou. 22. *Diues pauperibus imperat, & qui accipit fœnus, seruus est fœneranti:* testaturque exemplum cuiusdam viduæ, dicentis 4. Reg. 4. *Creditor venit vt tollat & vendat filios meos.* Nihilo minùs, *Qui facit peccatum, seruus est peccati:* imò tot Dominorum crudelium, quot vitiorum, quæ vel vno comprehenduntur peccato actuali; non secus enim atque in illo vno peccato, quod per vnum hominem intrauit in mundū, & in omnes homines pertransijt, plura intelligi posse peccata, si vnum ipsum in sua quasi membra diuidatur singula, scribit D. August. to. 3. Enchirid. cap. 45. *Nam & superbia est illic,* inquit, *quia homo in suâ potiùs esse quàm in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia semetipsum præcipitauit in mortem: & fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ, serpentis suasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus vsurpatus est: & auaritia, quia plus, quàm illi sufficere debuit appetiuit.* Ita vel ex vno actuali mortifero, dominatus plures, & seruitutes plures, non iustis, sed iniustis, quemadmodū scribit D. August. lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 3. *Iustu,* inquit, *quidquid malorum ab iniquis Dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Proinde bonus etiamsi seruiat, liber est: malus autem si regnet, seruus est, nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot dominorum quot vitiorum, de quibus vitijs cùm ageret Scriptura Diuina, A quo enim quis,* inquit, *deuictus est, huic & seruus addictus est.* Traditur is in manus ipsius peccati quod patrauit, exactissimi, atque immanissimi creditoris, qui in neruum & pœnas debitorem suum mittit, acerbissimoque laniatu, vinctum distrahit.

5. Carcerum triplex genus.

Carcerum olim triplex genus ex Platonis sententiâ lib. 10. de Legibus, circa finem: alij ad detentionem tantùm, alij ad castigationem, alij ad supplicium. Verba eius sunt. *Delati Magistratibus & condemnati, res omnes carceribus continean-*

Marginalia: Ps. 31. — Psal. 6. — Ierem. 9. — Gen. 45. — Gen. 2. — Barlaam. — Ps. 6. — Prouerb. 22. — 4. Reg. 4. — Peccator seruus est peccati. — 2. Pet. 2.

continuantur. Tres verò sunt in Ciuitate carceres : vnus pluribus communis in foro rerum venalium, vt multi ne fugiant, custodiantur. Alter vbi cætus eorum fit, qui nocte congregantur, correctionis nomine appellatus. Tertius in media regione, vbi quàm maximè desertus, syluestrisque locus est, supplicij nomine notatus. Totidem peccatorũ debitis carceres decreti sunt; suus, originali ad detentionem tantùm; ad correctionem venialium, purgatorius: ad supplicium, tartareus, qui omniũ immanissimus, eductā priùs à fulgure peccati in mortalitatis huius vaginâ animam, tandem cum ipso quoque corpore, flammis æternis cruciandam suscipiet. Eapropter, grauius illud, & durius debitum, aut non contrahendum omninò; aut si contractum est, citò dissoluendum, quod non animam modò, sed etiam corpus ipsum crudeli morte ferit, insanabiliter: quemadmodũ Sapiens Eccl. 21. significauit: *Quasi a facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphaa bis acuta omnis iniquitas, & plaga illius non est sanitas:* Coluber in lubricos tractus, flexibus sinuosis labitur; & mordens, lingua, leo dente, ceu canis rabidus venenum infundit: ita coluber peccati, & lingua, molliori quasi membro, quum delectat blandiens & asperiori, ceu dente, furens, virus lethiferum inspirat animæ, & necat morte metuẽda magis, quàm sit illa corporum. Pulchrè & copiosè D. Chrysost. hom. 28. in Matt. *In peccatis miseram vitam agentes, nihil à mortuis differunt: imo verò maximè differunt, cùm sint illis multo deteriores. Nec enim mihi dices non clausisse hunc oculos, nec sepulchro iacere, nec institis ligatum detineri, nec postremo vermibus esse presectum, cùm multò peioribus hic, quàm qui obierunt vexetur. Non deuorant vermes, sed perturbationes animi omni feroci bestiâ truculentiùs exagitant, atque lacerant. Clausi oculi sunt mortuorum nihil prorsus cernentes, hic verò mille sibi morbos, oculis cernendo, quotidie contrahit. Ille iacet in monumento ad peccandum iam immobilis: hic in sepulchro malo à seipso intrusus, ingenti peccatorum mole obruitur. Sed corpus, dices quispiam, huius pingue ac floridum, non tabe corruptum videmus. Magna verò res si corpore iam pridem integro, anima corrupta, atque deperdita est: & ille post mortem malè olet, ille verò per totam vitã os habens, vel ipsis cloacis spurcitius, intolerabilem spirat fætorem. Quare tantò discrimine hoc melior est ille, quantò naturali solùm corruptioni subiectus, corruptionem, quæ omnibus est debita patitur: hic verò antequam ad illa veniat quæ non effugiet, peccatorum vndique fœdissimam sibi putredinem colligit, mille in dies corruptionis vias excogitãs. Sed phalerato, inquit, equo fertur magnificè. Ego verò, inquam, meliorem illũ esse, qui in vrna quasi in lectulo quiescit: quodque decentius est, nemo putrescentem cernit, eò tegitur vrna dissolutum corpus, hic autem fætentem animã, in corpore quasi in sepulchro circumagit. Certè si posses animam hominis peccatis inuolutam, oculis cernere, non dubitares multò melius esse in sepulchro iacere, quàm delictis irretitum detineri, & lapide potiùs, quàm graui peccatorũ pondere premi. Qui quoniam quantis malis vexentur, ignorant, non dubitent tamen propinqui eorum, veluti cùm Maria ad Lazarum faceret Iesum adire, tunc etiamsi putridum oleat, etiamsi quatriduanus sit, non desperes tamen, sed adeas, & lapidem inde remoueas, primò enim statim, vt in sepulchro iacentem, institis ligatum inspicias. Consideremus potentem hominem, & inprimis, huius caput quasi ebriosi, caput operimentis pluribus & vinculis alligatum sic vndique obrutum, vt sensibus extinctis, nihil audiat, nihil videat, nihil prorsus sentiat. Deinde manus inspicite, videteque vestri annexas sicut mortuorum, non quidem institis, verùm quod turpiùs est, durissimis auaritiæ vinculis, quæ vinctas, non sinit ad liberalitatem porrigi, sed insensibiles ad huiusmodi officia reddit. Vultus & pedes similiter irretitos videte: videte variis co:turni alligatos, at idcirco non posse Dei Ecclesiam adire. Diabolus tales componit, vt non homines, sed ligna arida esse videantur. Nam vbi non oculi, non manus, non pedes, non alia membra suis officijs funguntur, quomodo hunc hominem putabis, præsertim, cùm anima etiã eius, peccatorum fœditate obruta, idolum magis, quàm anima esse videatur.* Hæc cùm ita sint, & funeribus caducorum corporum lacrymas damus, non dabimus luctuoso illi animæ funeri? Luges vicini corpus exanime, quod alteri impendis, vt monet Diuus Chrysost. de cõpunctione cordis, hoc animæ tuæ exhibe. Et D. Cyprian. serm. de lapsis: *Si quem de tuis caris, mortalitate exitu perdidisses, ingemisceres dolenter & fleres, facie inculta, veste mutatâ, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritaliter mortua superuiuere hic tibi, & ipsa ambulans, funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, non iugiter ingemiscis: Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis? Ecce peiora adhuc peccandi vulnera, ecce maiora delicta, peccasse, nec satisfacere, deliquisse, nec delicta deflere.* Graue est peccati debitum contrahere, grauius contractum nolle agnoscere, grauissimum, plangendo nolle dissoluere. Audiamus D. August. tom. 10. serm. 41. de Sanctis, *Si ingeamus extinctam nostram animam, quomodo alienam carnem mortuam plangimus. Si aut vxor, aut filius, aut maritus mortuũ fuerint, in terram se collidunt homines, capillos trahendo, pectora tundendo; in luctu & pœnitentiâ vel in lacrymis, non paruo tempore perseuerant. Rogamus fratres, exhibeamus nos animæ nostræ, quod illi exhibent alienæ carni. Et hoc videte fratres, quàm malum sit, vt lugeamus, quod nõ possumus suscitare; carnem quam non possumus suscitare plãgimus & animam nostram mortuam, non plangimus, quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum reuocare: Sed quod nobis peius est, corpus mortuum plangimus quod amamus: animam verò mortuam, quam non amamus, non dolemus, non plangimus. Et ideò mutatâ vice, incipiamus plus Dominum amare, quàm seruum, id est, plus sessorem corporis, quàm corpus: plus Dominam quàm ancillam, id est plus animam ad imaginem Dei factam, quàm carnem de limo terræ formatam: vt cùm die vltimo caro nostra putrescere, & à vermibus deuorari cœperit in sepulchro, anima in Abrahæ gremio Angelorum manibus eleuetur: & in die iudicij, recepto per resurrectionem corpore, audire mereamur, Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Eccl. 21.

Animæ mortuæ luctus dandus vt in vitam redeat.

Capitis 37. §. 2.

Cur peccata debita dicantur?

1.

PEtitio plena mysterij, plena salutis, plena clementiæ, *Dimitte nobis debita nostra* officij nostri, & obligationis quâ tenemur, nos admonet; peccatores nos esse ostendit; summamque Dei bonitatẽ & clementiam cõmendat. Quemadmodum autem, quempiam nobis debitorem constitui contingit, ex eo quod ius nostrũ vsurpet, siue volentibus nobis, vt in mutuo & cõmodato quod accipitur; siue nolentibus, vt in furto, rapinâ, fraude: ita efficitur quis debitor Deo quum peccat; quia cùm naturaliter sit seruus Dei, id est, creatura & possessio Dei, eius legibus viuere tenetur: quas si transgreditur, præcipientis rebellis imperio, ius Dei inuadit, dominium sibi vsurpãs, cùm sit seruus, & fit debitor pœnæ: propter quod peccata debita appellantur. Inprimis itaque obligamur Deo, proximo, & nobis: hanc obligationem ingenuè confitetur Vates Regius psal. 105. dicens: *Peccauimus cum patribus nostris,* vbi D. August. *tanquam diceret, peccauimus, sicut & patres nostri, eorum videlicet imitando peccata: Iniustè egimus, iniquitatem fecimus.* Vbi Prophetes, tria peccatorum genera videtur distinguere; alia in Deũ, dicendo, *peccauimus,* vnde peccatum dicitur, quasi pellicatum: alia in proximum, *iniustè egimus.* Alia in nos ipsos, *iniquitatem fecimus.* Vel, primum respicit transgressionem præceptorũ moralium; secundum, iudicialium; tertium, cæremonialium:

Obligatio nostra quos respiciat.

Ps. 105.

&

& sic, *peccauimus* contra nos per errorem & ignorantiam: *iniustè egimus* contra proximum, cogitatè & scienter: *iniquitatem fecimus*, siue, vt D. Hieron. legit, *& impiè egimus*, contra Deum malitiosè & arroganter: impiè namque agere, est propriè in Deum peccare, quem maximè respicit pietas.

Obligamur Deo.

Multis tenemur Deo, cui debemus religionem, quæ virtus moralis est, & pars iustitiæ, ad quam pertinet dare cultum supremum latriæ, quem trium virtutum Theologicarum actibus persoluimus. Cæremoniarum quoque debitores sumus. Item timoris, amoris, seruitutis, obedientiæ, imitationis. Quia enim Deus est Rex tremendæ Majestatis, vniuersalis cæli & terræ Dominus, debetur illi timor reuerentialis: quia est infinitæ bonitatis & liberalitatis, nos suis muneribus locupletissimè afficiens, amor: quia creator potentissimus, seruitus: quia pater noster, & gubernatrix sapientia, obedientia: quia est regula infallibilis, imitatio. Deuter. 10. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te? nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum: ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ: custodiasque mandata Domini, & ceremonias eius.* Proximo debemus charitatem. Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Quasi dicat, inquit D. Tho. lect. 2. Ita plenè omnibus omnia debita persoluatis, vt nihil remaneat, quod soluere debeatis, tum quia in morâ reddendi peccatum committitur, dum homo iniustè detinet rem alienam, vnde dicitur Leuit. 19. *Non morabitur opus mercenarij apud te vsque mane*: estque par aliorum debitorum ratio. Tum quia quando quis debet, est quodammodo seruus, & cui debet, obligatur. Prou. 22. *Qui accipit mutuum seruus est fenerantis.* Obligationi autem ex diametro opponitur solutio, quia quod ligatum est, dissoluitur. l. nihil tam naturale. 36. de regul. iur. l. ferè 196. eod. solutio autem, omnem liberationem continet. Quia verò quædam sunt debita, à quibus nemo se liberare vnquam potest, tum propter excellentiam beneficij, cui æquiualens reddi nequit, sicut ait Philosophus de honore, qui Deo & parentibus exhibetur, secundum illud ps. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* tum quia debendi caussa, integra semper manet: tum denique, quia quod redditur, exhauritur nunquam, sed donando crescit: ideò debitum fraternæ dilectionis, ita dissoluitur, vt insolutum semper maneat. Ac primùm quidem, quia proximo debemus dilectionem propter Deum, cui sufficienter reddere non valemus. 1. Io. 3. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deũ, diligat & fratrem suum.* Secundò verò, quia dilectionis caussa nunquam non perseuerat, quæ est similitudo naturæ & gratiæ: Eccl. 13. *Omne animal diligit sibi simile, sic & omnis homo proximum sibi.* Tertiò autẽ, quia charitas in diligendo non deficit, sed proficit & crescit. Philip. 1. *Hoc rogo vt charitas vestra magis ac magis abundet.* Velut lumen sui communicatione, maiori atque maiori incremento augetur. *Nemini, ergo, quidquam debeatis*, inquit Apostolus, *nisi vt inuicem diligatis.* Quia scilicet, dilectionis debito ita quis se exoluit, vt illo semper teneatur, vigore præcepti Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.*

[Margin notes: Deuter. 10. — Proximo. Rom. 13. — Leuit. 19. — Prouerb. 22. — Ps. 115. — 1. Ioan. 3. — Eccl. 13. — Philip. 1. — Ioa. 15.]

2. Obligamur nobis. Rom. 8.

Nobis, nostri regimen & gubernationem, siue animæ cultum, & corporis seruitium debemus. Rom. 8. *Debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Quibus verbis significat, nos debere spiritui obsequium, vt scilicet viuamus secundum normam spiritus, non carnis: & cuius spiritus, nisi illius, de quo viuit anima nostra, quæ est & ipsa spiritus? *Non quia caro mala est*, inquit D. August. tom. 10. serm. 13. de verbis Apost. cap. 6. *nam & ipsa Dei creatura est, ab eo condita, à quo & anima: nec illa, nec illa, pars Dei, sed illa & illa creatura Dei: Ergo caro non est mala, sed secundum carnem viuere malum est. Debitrix enim est anima non carni, vt secundum carnem viuat. Caro debet secundum ipsam viuere, non ipsa secundum carnem. Ipsa viuat secundum ipsam, quæ viuit de ipsa. Certè vnaquæque secundum hoc viuat, vnde viuit. Vnde viuit caro tua: De anima tua. Vnde viuit anima tua? de Deo tuo. Vnaquæque harum, secundum vitam suam viuat. Caro enim sibi non est vita, sed anima carnis est vita. Anima sibi non est vita, sed Deus est animæ vita.* Hinc infert D. Tho. ergo sumus debitores Spiritui Sancto, propter beneficia ab eo accepta, vt viuamus secundum spiritum, & non carnem. Et nobis ipsis debitores sumus vt secundum illum spiritum viuamus, quo qui aguntur, hi filij sunt Dei.

Debitores autem constituimur, quum liberationem solutione non procurauimus: & quemadmodum, qui statuto tempore, pecuniarium debitum non soluit, fit creditori suo debitor, & iustitiæ, quæ debitum exigit, & pœnam: ita nos, qui multis nominibus adstricti sumus Deo, proximo & nobis, nisi soluerimus, debitores simus, nobis, proximis, Deo atque Diuinæ Iustitiæ ministris, diabolis. Peccata itaque mortalia, sunt debita, & peccatores dicuntur debitores. Ita enim dicimus: *Sicut dimittimus debitoribus nostris.* Peccatum autem inquit D. August. lib. 1. de lib. arb. cap. 19. est contempto bono incommutabili, conuersio ad bonum mutabile, quo fit vt duo in peccato esse censeantur, auersio à Creatore, quæ est malum suo modo infinitum, & ad creaturam conuersio, quæ est malum finitum. Auersionis ergò, pœna damni decreta est Diuinæ iustitiæ ordine exigente, vt Deus se videndum non exhibeat peccatori auertenti se ab eo, quæ pœna grauissima est; quemadmodum & Absaloni grauissimum fuit non videre faciẽ Regis. 2. Reg. 14. Ratione conuersionis ad creaturam, attributa est pœna sensus, ignis flagrantissimi, vt quantum se in delitijs glorificauerit, tantum luctus & tormentorum recipiat.

Peccatum quid sit.

3. Quomodo peccata dicantur debita.

Quod si quis moueat, cur peccata, debita nostra, dicantur? nam vel actiuè, vel passiuè debita dicuntur: si actiuè, nulli debemus peccata: si passiuè, non est qui nobis peccata debeat: Debita autem, onera sunt quæ debemus, aut quibus alteri obligamur, aut alter nobis. quorum solutione, liberamur ab obligatione. Peccata nihilominus, debita appellantur; quia tum illa contraximus, quum solutioni defuimus: quia igitur obligatione nos non liberauimus, cùm teneremur, ideò rei pœnæ, coram Iudice constituimur. Sicut enim qui constitutam solutionis diẽ præterlabitur, dupliciter se debitis onerat, offensâ in creditorem cui obligatus manet, & pœnâ quâ iudici tenetur, & quam iustitiæ legibus debet: ita, quia quod muneris est nostri non facimus, duplex malum incurrimus, culpâ in Deum offensum, & pœnæ, quam propterea demeremur, quò fit, vt obstringamur semper grauiùs; siquidem grauius est, quod cum pœnâ, quàm quod sine pœnâ debetur. Quare quod hîc petimus est, non vt absoluamur à debiti nostri officio, quod Deo, quod proximo, quod nobis ipsis debemus (error enim esset grauissimus, tanquam si à lege Diuinâ eximi postularemus, quod fieri nequit) sed, vt quod contraximus debitum, non soluendo illa quæ Deo, proximo, & nobis

nobis ipsis debita sunt, remittatur. Ex quo sequitur, inquit Gabriel. lect. 72. in Can. peccata dici debita, non formaliter, sed effectiue, quia nos pœnarum debitores per culpam constituunt, non quòd hæc debita in nobis esse debeant: è diuerso enim, iustitia nobis inesse debet, quam tollunt ista debita, vnde meritò peccatores, debitores appellantur: sed quia reatum pœnæ delinquendo incurrimus. Hinc Tertull. de Oratio. *Debitum autem, in scripturis delicti figura est, quod perinde indicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat iustitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi seruo Dominus debitum remisit.*

Capitis 37. §. 3.

Petitio remissionis debitorum peccatores nos esse ostendit.

1\. QVia verò nemo est mortalium, quem non propria voluntas prauis illecta cupiditatibus, in deterius traxit: Diuus Ansel. lib. similitud. cap. 2. voluntatem sic esse inter Deum, & dæmonem dixit, quomodo mulier inter legitimum virum suum, & adulterum: præcipit enim maritus vt illa sibi soli coniungatur: adulter verò, vt & illa se sibi det, persuadet: quæ si soli viro legitimo adhæserit, legitima est vxor, & legitimi qui ex ea filij: sin adultero copiam sui fecerit, adultera est, & ipsa filios spurios generat. Eodem modo præcipit Deus voluntati, vt soli se copulet Deo; cōtrà diabolus, insusurrat, & pellicit in consensum sui: si Deo soli coniungatur, id est, si inspiramenta diuini Spiritus acceptarit, tanquam semen bonum, fit eius sponsa legitima, filiorumque parens optimorum, scilicet virtutum operum, moxque ad eius imperium, omnes tum animi, tum corporis sensus aperiuntur, ad suscipiendum, & exequēdum præceptiones Dei. Sin autem aduersario aurem inclinarit, polluere is nititur templum Dei, animam in cubile draconum vertere, vt spurios, & mortis edat fructus. Quod agit stimulatus inprimis superbiâ, quâ, similitudinem quandam Dei affectans, creaturam non suam, sed Dei, sed velut suam, sibi subijciat: tum ardenti in Deum odio, quo percitus, non secus atque Nabuchodonosor & Balthasar, vasa templi Domini, profano ausu temerarunt, vt Deo Israël ægrè facerent; vasa templi Domini profanare non veretur. Nec deest inuidia, cuius arrosu, beatitudine à quâ excidit, cæteros omnes priuare molitur. Tū denique, quia prædestinatorum in vitam cōpleto numero, nouit se in abyssum relegandum, eorum, quantū in se est salutem impedire nititur. Eapropter, magnâ circumspectione, ac vigili admodū curâ nobis opus est, quia nō est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi principes, & rectores tenebrarū harū, quas mēti offendūt, ipsa ne instructam, paratamque ruinâ aduertat; quò fit vt excæcate nos fucato voluptatis apparatu in eâ luctâ periclitemur sæpiùs, vnde meritò Salomon 3. Reg. 8. dixerit, *Non est enim homo qui non peccet.* Namque Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* & 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et psal. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum:* quod satis profitemur dicentes: *Dimitte nobis debita nostra,* quemadmodum scripsit D. Cyprian. de Orat. Domin. totidem verbis *Quàm necessariè autem, quàm prouidenter, & salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccato negare compellimur: vt dum indulgentia de Deo petitur, conscientiæ sua animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, cùm innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat; instruitur & docetur peccare se quotidie, qui quotidie pro peccatis iubetur orare.*

Diabolus voluntatem bonam ad se trahit.

3\. Reg. 8.

1\. Ioan. 1.

Psal. 13.

2\. Frustra ille fuit, qui vigilijs, chameunijs, ieiunijs, ad expertem omnis peccati statum nitebatur, ne nomina contraxisse videretur, quorum remissionem postularet, de quo Iacobus de Vitriaco lib. 2. vitæ Mariæ Ognies cap. 3. apud Surium. Accidit aliquando quod quidam Monachus, tanto innocentiæ zelo ageretur, vt quasi ad primi parentis innocentiæ statum redire contēderet, qui cùm se irrito euentū in eam rem orationes, abstinentiam, macerationesque alias, adhibere sentiret, in tædium tandem & acediam lapsus est: Volebat enim cibum sumere, sed nullam ex eo consequentem delectationem sentirē motus primos sensualitatis, non modò reprimere, sed extinguere omnino, studebat; vitamque ab omni labe, etiam veniali, illibatam custodire: cumque instigāte dæmone adspiraret ad impossibile, tandem in desperationis foueam lapsus, nullam sibi salutem reliquā, in quo erat corruptionis statu, sibi polliceri, peccata venialia pro mortalibus habere, atque constitutis diebus sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem aspernari. Abbas, cognitâ animæ illius ægritudine, pluribus apud Deum precibus, cum alijs, pro eius salute, intercessit: præualuit tamen Sathan, qui fortissimo laqueo illum constrictum tenebat. Quare Abbas, Mariæ de Ognies amicus, Monachum ad illam duci iubet, pro quo, dum profusis lacrymis ac suspirijs impensè Domino supplicaret, ex ore Monachi, ante Missæ introitum, Confiteor, recitantis, ad singula verba nigri lapilli excidere visi sunt: qua ex re didicit, & obstinationem desperationis, & nigredinem tristitiæ & doloris, Monachum dereliquisse, qui sumptâ Eucharistiâ conualuit, & ipsa Domino gratias egit. Quò progrediens stulta præsumptio, vt dicas *Absque peccato, & innocens ego sum: & propterea auertatur furor tuus à me?* Ierem. 2.

Quæ sine labe caro? quæ non obnoxia culpæ est?
Quem non inuenias criminis esse reum?

Non est enim homo iustus in terrâ, qui faciat bonum & non peccet, inquit Ecclesiastes cap. 6. & ad impeccabilem statum præsumis ascendere? Rectè D. Gregor. Nazian. orat. 2. in Iulianum: *Omni prorsus peccato vacare, supra humanam naturæ modum Deus constituit.* Ideoque, *Dimitte nobis, dicimus, debita nostra: & dicamus, quia verum dicimus,* inquit D. August. lib. 50. homil. hom. 42. *Qui enim hic viuit in carne, non habet debita: Quis est homo sic viuens, vt ei nō sit ista oratio necessaria? Inflare se potest, iustificare non potest. Bonum est illi vt imitetur publicanum, nec tumescat sicut Pharisæus, qui ascendit in templum, & iactauit merita sua, texit vulnera sua. Ille autem sciuit quare ascenderit, quī dicebat, Domine, propitius esto mihi peccatori. Considerate, Fratres mei, hos Dominus Iesus Christus orare docuit discipulos suos, illos magnos primos Apostolos suos, arietes nostros. Si ergo pro peccatis dimittendis, arietes orant, agni quid debent facere, de quibus dictum est, Afferte Domino filios arietum?* Ecquis mortalium, quantumuis excellentis sanctimoniæ fuerit, se immunem à peccato pronuntiare, verè potuit vnquam? Ista est communis alea filiorum Adam, vnam si demas virginem Mariam, quàm nec ipsa primi parentis noxa delibauit. *Exceptâ itaque Sanctâ Virgine Mariâ.* inquit D. August. lib. de Naturâ, & gratiâ, cap. 36. *de quâ propter honorem Domini, nullam prorsus, quum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: vnde enim scimus, quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine exceptâ, si omnes illos sanctos & sanctas, quum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrum essent*

Monachus ad innocentiæ statum præsumens desperat.

Curatur precibus D. Mariæ Ognies.

Ierem. 2.

Ecclesf. 6.

Psal. 28.

Virgo mater, sola sine peccato.

essem sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne vnâ voce clamassent, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est? Hoc confirmat Concilium Mileuitanum cap. 6. 7. & 8. tempore D. Augustini celebratum, & ab Innocentio Papa primo confirmatum, vbi additur, quòd quilibet quotidie pro se dicere debeat, *Dimitte nobis debita nostra*: & quantumlibet iustum in hac vitâ idem præstare debere, tradit Tridentinum sess. 6. c. 11.

3. Laqueos nobis tendit dæmon.

Tam potentes nempe sunt laquei intricati & implicati, dæmonis, quos in aucupium animarum nostrarum tendit ab initio, vt nemo sit, qui non funibus peccatorum irretiatur, constringatur: *Nam & ille colluctator*, inquit Lactant. de Opificio Dei, cap. 1. *& aduersarius noster, scis quàm sit astutus? Is hæc omnia quæ illicere possunt, pro laqueis habet, & quidem tam subtilibus, vt oculos mentis effugiant, ne possint hominis prouisione vitari. Summâ igitur prudentiâ, est pedetentim incedendum, quoniam vtrobique saltus insidet, & offendicula pedibus latenter opponit.* Libet hic M. Maruli referre parabolam. Auceps, inquit, in medio campi positâ noctuâ, sepibus quaqua versum fusis, pulchrèque virescentibus, septem virgas visco illitas apposuerat, ad auicularum capturam, ipsas è proximo nemore, stridulâ cô uocando sibilatione, illæ mirabundæ circa noctuam volitare, & in aëre pendulæ ludere, virgis postremò tenacibus insidere, quarum aliæ ita penitùs inhæserunt, vt accurrentis aucupis manu captæ perimerentur: aliæ tam leniter, vt antequam caperentur, inde expeditæ auolarent, aucupemque eluderent. Auceps iste, diabolus est: noctua, quæ, vt Ælianus inquit apud Gesner lib. 3. E. iucundâ quadam gesticulatione, in aliam atque aliam speciem vultum conuertens, aues ad se allicit; corpori nostro blandiens voluptas est. Hac illecti, visco septem peccatorum capitalium comprehendimur; alius, ex his quos incedere altos vides, & velut parietes tenui marmore inductos suspicimus, cùm sciamus quid sit quod absconditur, vanâ superbiæ elatione. Auarus, auri & argenti rutilo splendore. Libidinosus, viscosæ & citò transeuntis voluptatulæ illecebra. Et sic de cæteris. Sed qui longâ assuetudine in aliquo horum vitiorum contabuit, vix vnquam erigitur: in eo itaque perseuerans, maligni aucupis huius manu premitur, & interimitur. Qui verò non vsque adeò peruicace mente obdurtuit, criminis conscientiâ identidem remordetur, & mores per pœnitentiam emendat, sicque diabolum irridet. Quisquis autem se ita correctum senserit, Deo acceptum habeat, & cum Propheta dicat psal. 123. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Non tutum passeri aucupem fugienti, ad noctuam perfugium, nullum homini in voluptate vitæ præsidium. Passer aliquando dum aucupum venatione premitur, inquit Orus apud Gesnerum lib. 3. de Noctuâ. D. ad noctuam accurrit tanquam auxilium sperans, à quâ mox opprimitur: animus hominis plerumque, quum ab aucupe dæmone premitur, ad perniciosas sæculi voluptates recurrit, quarum consuetudine, dum constringitur, necatur. Iob. 40. *Behemoth stringit caudam suam quasi cedrum.* In quæ verba D. Gregor. lib. 32 moral. cap. 17. *Benè*, inquit, *caudam stringit Behemoth, dente enim vulnerat, & caudâ ligat: quia suggestione primâ percutit, sed percussam mentem ne euadere valeat, inualescente fine tentationis astringit.* Hoc de se D. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 11. scribit: *Iam*, inquit, *attingebam, & tenebam, nec tamen attingebam,*

Psal. 123.

Iob. 40.

nec tenebam, hæsitans mori morti, & vitæ viuere: plusquam in me valebat deterius insolitum, quàm meliùs insolitum. Quàm robusta, sed & quàm misera sunt vincula prauæ consuetudinis, in quæ hominem ad egressum conantem, repellit dæmon? Consuetudine malâ, nulla tyrannis violentior, nulla immanior. Itaque Cretenses, vt scribit Valer. Max. lib. 7. cap. 2. si quem maximè oderant, malâ illum consuetudine delectari precabantur.

Consuetudinis prauæ vincula perniciosa.

4. Funes peccatorum, qui.

Sunt & alia retia, sunt & alij funes peccatorum quibus implicamur, neque eluctari valemus nisi dixerimus, *Dimitte nobis debita nostra.* Funes peccatorum, inquit Hieronymus Lauretus in Syluâ allegoriar. ex D. Gregorio lib. 11. Moral. cap. 9. & lib. 33. cap. 12. sunt impedimenta inimicorum, siue spiritualium, sicut diaboli & Angelorum eius: siue carnalium, in quibus, ceu filijs infidelitatis, diabolus operatur; de quibus Propheta psal. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Funes etiam dicuntur suggestiones dæmonum, & etiam callidæ interrogationes Iudæorum ad Christum: item peccata, quæ dicuntur funiculi vanitatis, quia sunt vana quidem, sed ligantia. Vitula enim indomita, plus se iactat & excutit, cùm tenetur, nec acquiescit imperio, nec adstringitur vinculo, sed magis, quum loro retrahitur, exasperatur. Itaque nec coacta se subijcit, nec tamen libera est à vinculis. Sicut ergo trahit vitula lorum iugi, quo etsi non tenetur è proximo, tenetur tamen, nec se explicat & absoluit. Ita trahit vnusquisque peccator indomitis moribus iniquitates, qui putat se liberum, quia non est iugo subditus, subiectusque iudicio, & nescit quod non sit exutus, sed magis vt illa vitula, ipse se implicat suorum nexibus peccatorum. Et quia funis addendo torquetur, vt crescat; peccatum in fune figuratur, quod peruerso corde sæpè cùm defenditur, multiplicatur. Sunt itaque funes, peccatorum, quibus innectitur homo: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur:* Prouerb. 5. *& quasi vinculum plaustri peccatum*, Isa. 5. Sunt funes carnalis affectionis, quibus captus est Samson; implexus Dauid, oppressus Salomon. Sunt & mundanarum possessionum, quibus perierunt Iesabel & Achab: & de quibus Cyprian. lib. de lapsis. *Decepit multos patrimonij sui amor cæcus. Illa fuerunt vincula & catenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens victa, & anima præclusa, & serpenti terram secundum Dei sententiam deuoranti, præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent.* Funes sunt, concupiscentia carnis, concupiscentiæ oculorum, & superbia vitæ: funibus flagellatus est Christus contra concupiscentiam carnis; spinis nodosis & sentibus contra concupiscentiam oculorum & auaritiam: catenis ferreis, siue flagellis, contra superbiam vitæ. Intra nos sunt funes, praui habitus, motus, affectus, perpetuò insidiantes.

Psal. 118.

Prouerb. 5.

Isa. 5.

Funes sunt peccata

Funes sunt, originale peccatum, actuale, mortale, & veniale. In primum funem, actuali suo delicto nos coniecit Adam; inde mortis debitum contraximus. De quo tamen debito, neque de illis peccatis quæ in Baptismi regeneratione dimissa sunt, dicitur *Dimitte nobis debita nostra*, sicut docet D. Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 10. tom. 7. *Sed de ijs quæ quotidie de sæculi amarissimis fructibus humana vita infirmitas contrahit, quibus curandis adhibentur medicamenta, eleëmosynarum, ieiuniorum, & orationum, vt in oratione dicatur, quod in eleëmosynis agitur.* Quia, vt inquit idem Sanctus Doctor, lib. 50. homiliarum

Remissio peccatorum duplex.

rum 41. cap. 5. *Remissio peccatorum vna est, quæ semel datur in sancto baptismate; alia, quæ quamdiu viuimus, hic datur in Dominicâ oratione.* Qui enim reformatam lauacro regenerante, Dei in nobis imaginem & similitudinem illæsam seruare debueramus: qui honore nos mutuo præuenire: in iniquitatibus concepti, funes alios torquemus, quibus aut capitur impius, aut constringitur peccator. Distat enim inter peccatorem, & impium, inquit D. Hieron. lib. 1. in cap. 5. Prouerb. *Quòd peccator appellatur omnis, qui vel in paruis, vel in magnis sceleribus decidit. Impius autem, qui vel nunquam fidem recepit, vel enormitate scelerum, ab eâ quam accepit, anathema factus est: Vel Catholici publicis flagitijs inuoluti, qui funibus peccatorum suorum constringuntur: cum incessabili augmento suæ prauitatis intereunt. Qui enim funem facit, torquendo semper & inuoluendo, fides fidibus auget. Talis est fortitudo operum malorum, in quibus praua prauis nectentes, non aliud quàm quo se obligant, agunt.* Periculosum est longo funiculo grauiora peccata protrahere.

Peccatoris & impij distinctio.

5. Venialia peccata etsi non occidant, nocent.

Neque etiam minora sunt contemnenda. *Quibus licet animam occidi non credamus, ita tamen eam veluti quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie replentia, deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cælestis, aut vix, aut cum grandi confusione, venire permittatur*, inquit D. Augustinus serm. 41. de Sanctis, tom. 10. Nunquam itaque committendum est, vt anima veniali deturpetur offensâ, quâ licet non extinguatur charitas, segnior fit tamen, præstaretque mundum perire, quàm venialiter, volenter peccare. *Noli illa contemnere*, inquit D. Augustinus lib. de decem chordis cap. 11. tom. 9. *quia minora sunt; sed time, quia plura sunt. Attendite Fratres mei. Minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, vt vno morsu guttur frangat: sed bestiæ plerumque minutæ multæ necant. Si projicitur quisquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Non sunt quidem maiores: sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestijs interimi potest. Sic & medica peccata attendite, quia medica sunt: & cauete, quia plura sunt. Quàm minutissima sunt grana arenæ. Si arenæ amplius in naui mittatur, mergit illam vt pereat. Quàm minutæ sunt guttæ pluuiæ? Nonne flumina implent, & domos deijciunt?* Ita, *& qui spernit modica paulatim decidet*: Ecclesiast. 19. Nemo repente ad extremam improbitatem insilijt, inquit D. Chrysost. hom. 37. in Matt. *Habet quippe insitum quendam anima pudorem atque innatum, quem subitò calcare, atque proijcere non potest, sed sensim, atque paulatim ex negligentiâ perit.* Itaque venalia, etsi perfectè vinci non possint, cauenda sunt tamen, quia sicut teredo paulatim erodendo lignum perdit, sic venialia animam. D. Chrysost. hom. 8. in 1. ad Corinth. *Etenim si corpus parum ab ense dimidatur, corrumpitur; & ædificium, si parum fatiscat, dissoluitur; & si vel minimum palmes à radice abscindatur, inutilis redditur. Cùm igitur parum peccauerimus, vel desidiâ torpuerimus, nolimus vt exiguum despicere. Siquidem id neglectum, quamprimum in immensum euadet: sic & vestis quæ scindi cœperit, neglecta, tota discindit ur: & tectum, paucarum tegularum casu contemptu totam domum diruit. Hæc nos reputantes, nunquam paruum contemnamus, ne procidamus in maiora.* Præclarè Plutarchus, vt qui desperat se fore diuitem, largiter impendit: & qui iam spe vicinus est opulento, is nec pusillum contemnet lucellum, & minimis parat: ita qui confidit se fore bonum virum, & minima vitia studet corrigere, & nihil negligit, quod aliquando conducat ad bonam mentem. *Quemadmodum enim non in cælo tantùm miramur & terra, Sole, oceano, elephantis, equis, pardis, vrsis, leonibus*, inquit D. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem. *Sed & in minimis quoque animalibus, formicâ, culice, muscis, vermibus, & istiusmodi generibus animalium, quorum corpora nobis sunt nota magis quàm nomina: Ita mens Christo deuota & dedita, æquè in minoribus ac in maioribus in entâ est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem*: sicut enim initia morborum quamuis leuia, serpunt, inquit Seneca, ita si vitia & affectus vel leuissimos semel admittas, crescunt & augescunt. Huc facit Mimi Publiani diuerbium: *Etiam pilus habet vmbram suam*: id est, quantumuis pusillum commodum iuuat, & exiguum delictum nocet. Quia vt Plautus inquit, si nunc in te cadunt folia, pòst cadent arbores. Plinius verò Natur. hist. lib. 11 cap. 30. Silices formicarum itinere attritos videmus, & in opere semitam factam, ne quis dubitet, qualibet in re, quid possit, quantulacunque assiduitas: ita frequenti venialium interuentu atteritur charitas; &, vt inquit D. Augustinus tract. 12 in Ioan. non procul à fine, to 9. *Minuta plura peccata, si negligantur, occidunt.* Quomodo autem occidunt? Nonne quia sicut Rhenus, Euphrates, omnes denique inclyti amnes, modici sunt, si illic vnde effluunt, æstimes: quidquid est quo timentur, quo nominantur, in processu parauerunt? ità minutum delictum, plurium similium affluxu, magnum fit, & ex morte timendum? Nunquid lethalis culpa, cuius proprium est occidere, ex plurium venialium concursu conflatur, vt occidendi vim habeant? Negant Theologi; negat D. Tho. 1. 2. quæst. 88. art. 4 quia infinita venialia vnius mortalis turpitudinem exæquare non possunt, neque tantum de reatu habere, quantum vnicum lethiferum: quod cùm ex parte durationis, tum ex parte pœnæ, manifestum est; habet enim peccatum mortale, reatum pœnæ æternæ; veniale verò, temporalis: mortali, pœna damni debetur, quæ summa est; veniali non item: habet & mortale decretam pœnam sensus grauiorem, quantum ad vermem conscientiæ quia quantum ad pœnam ignis, forrè non sunt improportionabiles pœnæ. Quomodo ergo occidunt, nisi quia dispositiuè occidunt? nisi quia per se disponunt ad mortale? quæ proinde cauenda sunt, quia, *non solum maiora, sed etiam minuta, si nimium plura sint, mergunt*, inquit D. August. serm. 41. de Sanctis tomo. 10.

Ecclesi. 19.

Cauenda sunt.

Non contemnenda.

Pilus habet vmbram suam.

Venialia atterunt charitatem: vt formicarum itinere, silices.

Venialia vt dicantur occidere.

Capitis 37. §. 4.

Dei bonitatem & clementiam, etiam in hac petitione ostendi.

1. Humanum genus Deus non perdidit, sed sanauit.

MAgnum est, & ad confirmandam spem nostram vehementissimum, creditorem nostrum & Creatorem Deum, genus humanum iusto suo iudicio condemnatum, vt inquit D. August. serm. 13. de verbis Apostoli. cap. 2. tom. 10. noluisse in interitum sempiternum relinquere, sed misisse medicum, misisse saluatorem, misisse eum qui gratis sanaret. Parum est, qui gratis sanaret, *qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad illam beneuolentiam potest. Quis est qui dicat, sanem te, & do tibi mercedem? Optimè fecit, sciebat enim se diuitem venisse ad pauperem, & sanat ægrotos, & sanatis donat, & non aliud quàm seipsum donat. Saluator est, adiutor languidi, ipse Saluator, est præmium Sancti.* Quid non donabit, qui seipsum donat? qui magno quoque beneuolentiæ argumento, propositâ debitorum obliteratione, multis nominibus adstrictam sibi creaturam, præscriptâ

postulandi formulâ, inuitat ad veniam? Quanti faceret debitor creditoris sui munificentiam, qui se debitum remittere paratum significaret, modò sibi debitor remitti postularet: *Petite*, inquit clemens Dominus, *& accipietis*. *Dicite*, *dimitte nobis debita nostra*. Petitio remissionis, confessio debiti est. Quid cunctaris debitum confiteri, peccator, vt ipsa debiti agnitione, illud tibi condonari merearis, & in creditoris tui gratiam reddas?

Neque nouum, neque recens est, quempiam in ære alieno esse, si commercia, emptiones & venditiones, si contractus, permutationes, reciprocamque hominum inter se dependentiam attendamus, quum nemo sit satis sibi, quin vicini sui egeat præsidio. Quod miserandum occurrit est, si grande sit æs alienum, si importunus vrget creditor, & quod deterrimum est, si fœnus (quod est quasi animæ funus Alphonso Hispaniarum regi, apud Anton. Panormit. lib. 3. de dictis, & factis Alphon. cap. 34. & fera quadam Aristophani in Nebulis, quæ velut sorex corrodit, & deuorat miseros debitores) ex non soluentis morâ crescat: nec habeat obrutus ære quo se expediat, non lucrum ex commercio, non amicum à quo mutuaticiam pecuniam accipiat: si extremum supersit tantum iuris remedium, cessio, quam libeat, non sine sanguinis suffusione, experiri. Ista sunt, debentium mortalium mortalibus, angustiæ. Non eiusmodi est debitorum nostrorum cum Deo contractorum ratio. Grauissima quidem sunt illa: nam si septies in die cadit iustus, quid nos qui longissimè absumus à iustitiâ? qui non septies, sed multoties, infinitisque modis, cogitando, loquendo, operando, committendo, omittendo, qui, cum Saule & Iosaphat, misericordiam his, quos Deus oderat facientibus, & cum Oza, arcam Dei tenente, ne caderet, in opere pietatis, in sanctissimis officijs & ministerijs, Dei offensam incurrimus? vrget magnâ cum instantiâ creditor vehemens, pulsat quotidie fores cordis nostri dicens: *Redde rationem villicationis tuæ*, exactor seuerus: quasi dicat, excute te, excute totum diem. Dedi tibi vitam, vt me coleres, vt proximum diligeres, vt teipsum ad rationis æternæ regulam dirigeres, tu eam incassum, & inutiliter consumis. *Quaris quod sit damnum*? inquit D. Chrysostomus homil. 17. in Ioan. *Si parum auri vel parum argenti temerè consumpseris, id omnino damnum appellas. Sin totos dies in diaboli operibus consumpseris, nihil amisisse opinaris? Dic quaso, si cui filiorum tuorum praciperes, vt aliquam artem disceret, ille autem vel domi, vel alibi tempus frustra contereret, positne apud Magistrum excusari*? quod viuis, quod villicas à me est: vbi fructus mei? temporis tibi, vel otiosi verbi, subeundum est iudicium; quia leue nunquam est, Deum etiam in exiguo contemnere, qui non tantùm ad qualitatem peccati respicit, sed ad personæ contemptum. Et quod grauius est, atrocius fit quoque ex fœnore, propter moram soluendi, debitum: accrescit vltra sortem quotidie quidpiam, & quantò expectat Deus patientiùs, tanto auctiori fœnore trucidamur. Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddit vnicuique secundum opera eius*. Neque interea quidquam est in ærario nostro, vnde soluamus, vnde liberemur, nihil in quæstu est. *Non sumus sufficientes ex nobis quasi ex nobis*. Non est tamen propterea quod despondeas animo, quod cedas foro. Ad manum sunt merita Sanctorum quæ mutuemur, oppigneremus illa Deo; quæ vt grata, acceptaque habeat, ipsi pro nobis Deum interpellent, vel ipsâ adducti vtilitate, quam ex homine iustificato consequi possunt. Bonitas namque cuiusque, omni creaturæ vtilis est & bona, exceptis dæmonibus & hominibus damnatis, inquit D. Ansel. lib. similit. cap. 43. Est hominibus vtilis, & bonis qui cum Deo sunt, quia quanto electorum numerus augetur, æterna retributio citiùs expectanda est, & ex iustorum præsentiâ, gloria augetur beatorum: prodest & præsentibus & futuris hominibus, quia in illo cœtu beatorum, locum habet, qui nullo modo in fine vacuus esse potest, peruersorumque hominum, suo exemplo, vir bonus excludit malitiam. Soli ac Lunæ bonus homo, cæterisque creaturis est vtilis, quia in consummatione iustorum commutabuntur in melius. Angelis est vtilis, quia sellis amicum facit.

Luc. 16.

Temporis habenda ratio.

Rom. 2.

Bonitas cuiusque rei, omni creaturæ vtilis.

Hoc denique interest æris alieni, hominum inter se, & hominis ad Deum: non dat homo creditor gratis, vnde sibi reddat alius homo debitor, & soluatur: ditior fieri vult ex debitoris sui liberatione creditor. Deus autem fœnerat nobis bona sua, quæ reddendo, debitis liberamur, & locupletiores simus. non ipse de suo est, quod soluimus, quod locupletamur: quod coronemur; de nostro est quod obligamur, quod sordescimus, quod repudiamur, & ipsæ iustitiæ nostræ, sunt velut pannus menstruatæ. Et quia bonus est, omni modo procurat nostram liberationem. Dicite, inquit, *Dimitte nobis debita nostra*. Hoc est, agnoscite, & confitemini debitum: *Initium est salutis, notitia peccati. Nam qui peccare se nescit*, inquit Seneca epist. 28. *corrigi non vult, deprehendas te oportet, antequam emendes. Quidam vitijs gloriantur. Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numeras? Ideò quantum potes, te ipse coargua, inquire in te: accusatoris primùm partibus fungere, deinde iudicis, nouissimè deprecatoris*. Veniæ dedit locum, qui veniæ impetrandæ præscripsit modum. Non est quod turbes: tantùm attolle oculos in dispectum veri, nec meritos, & in cupiditatibus infixos preme. Securæ & quietæ mentis est, in omnes vitæ suæ partes discurrere. Quanquam enim nemo, *nisi à quo omnia acta sunt sub censurâ suâ, qua nunquam fallitur, libenter se in præteritum retorquet*, vt inquit Seneca lib. de breuit. vitæ, cap. 10. *Et ille qui multa ambitiosè concupijt, superbè contempsit, impotenter vicit, insidiosè decepit, auarè rapuit, prodigè effudit, necesse est memoriam suam timeat*: Iucunda tamen est pœnitendæ rei recordatio, vti inquit Origenes homil. 1. in psal. 37. vt per eam stimulatum cor & concitatum pro delicto suo, interim refrænet ac reuocet, ne quid tale vltrà committat. Et propterea in hoc psalmo, cui titulus est, *In commemoratione*, inquit D. Hieronymus epist. ad Algasiam q. 8. tom. 3. *vt doceat nos, semper peccatorum nostrorum memores esse debere, & agere pœnitentiam, tale quid legimus, Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo*. Nullo non die, nullâ non horâ peccatum suum, animo versabat Dauid, cuius ea vox. psal. 50. *Peccatum meum coram me est semper*. In qua verba præclarè D. Chrysostomus hom. 2. *Vidisti regem exomologesim, id est, confessionem facientem, & ait, Peccatum meum coram me est semper. O ingenuitas animæ, ô mentis integritas! Non est oblitus peccati sui, & iniquitatis; quamuis concessum sibi fuerit; illa tamen in conscientiâ suâ, tanquam in imagine adulterium, & homi-*

2. Fœnerat Deus nobis vt reddendo locupletiores simus.

Peccati memoria ad detestandum habenda.

Psal. 50.

homicidium depictum habebat: & per singulos dies videbat putredinem, & ideò dicebat: & peccatum meum coram me est semper. Ego illud video, ne id consideres. Ego illud scribo, tu quasi Dominus, dele. Vide enim quod sit: si tu memor sis, Deus non erit memor: si tu oblitus fueris, Deus eius memorabitur. Ego sum, inquit Dominus, qui deleo iniquitates tuas. Tu verò memor earum esto. Vt quid ergo vis vt memor sim? Vt gratior, inquit, sit misericordia mea, vt sentias quid tibi concesserim. Si enim semper memor fueris cumuli peccatorum tuorum, eris memor & magnitudinis beneficentiæ Dei. Concessit tibi, sed tu ne obliuiscaris: & non erit memor, sed tu semper recordare. Tales erant Sancti, virtutes suas non meminerant, sed peccatorum suorum memoriam reuocabant. Non sic nunc homines peccata sua obliuiscuntur, sed celare cupiunt. Si quippiam autem boni fecerint, in medium proferunt, & omnibus probare festinant. Fecisti aliquod bonum? tace illud, vt Dominum tuum videat, & ipse laudet. Fecisti malum. Memor esto, vt Dominus tuus illud obliuiscatur. Habeto codicem conscientiam, & scribe quotidiana peccata, & profer ea in medium, & reminiscere peccata tua, & profer ea in medium, & reminiscere peccata tua, & reminiscens ea, effunde lacrymas; & poteris ea delere. Capitur nostrâ pœnitentiâ Deus, & quas resipiscentes fundimus lacrymas, habet acceptissimas. D. Greg. Nazian. *Nullâ re Deus perinde delectatur, vt hominis (propter quem omnis doctrina, atque omnia mysteria concessa sunt) resipiscentiâ & salute.* Testatur per Ieremiam cap. 3. *vulgò dicitur. Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum: nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Clemens Alexandr. exhortat. ad gentes. *Deus, inquit, ex multa benignitate & clementiâ, hominem retinet; & complectitur: sicut pullus cùm nido excidit, mater eum à nido auolat: si quando autem serpens pullos deuoraturus inhiet, mater circumuolat, carissima deflens pignora. Deus autem pater, & suum quærit figmentum, & ei quod lapsum est, medetur.*

Peccatorum recordari, bonum est.

Peccatoris resipiscentiâ gaudet Deus.

Ierem. 3.

Porrò autem tantam nostri curam agit Deus; & nos, quorum interest, ad illam facere? Ingratum Deo, & sibi crudele humanum genus! Aliam mentem. Itaque, vt nostra pœnitudine, tanquam diuinæ clementiæ pabulo, & iustitiæ temperaturâ, exhilaretur Deus, gaudeant cælites: Ad tempora malè exacta primùm reuocandus animus, & cùm duorum temporum sit reddenda ratio; vt ait Pythagoras, manè, & vesperè; manè gerenda prospice, in altero quid gessisti: & cum Sextio apud Senecam lib. 3. de ira. cap. 36. consummato die, cùm te, ad nocturnam quietem receperis, interroga animum tuum. Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Quâ parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior; desinet cupiditas, & erit temperantior: desinet vanitas, & erit cautior; quæ sciet sibi quotidie ad conscientiam iudicem veniendum. Quid pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? Quàm tranquillus, altus, ac liber, quum aut laudatus est animus, aut admonitus. Et speculator sui, censorque secretus, cognoscit de moribus suis? vtere hac potestate, & quotidie apud te caussam dic. Hic primus ad debita exoneranda gradus: in hoc constiterunt Philosophi, qui pœnitentiâ, virtute naturali, (quæ remota in Christum fide, esse potest) peccatum sunt detestati, cum voluntate reddendi Deo debitum, & satisfaciendi. Ideoque illa pœnitentia virtus naturalis, est, & pars potentialis iustitiæ. Quod autem sit virtus naturalis, inde fit manifestum, quia fugere & detestari peccatum, est actus virtutis; at verò, naturali lumine cognoscimus peccatum esse fugiendum, pœnitentia hæc igitur, est virtus naturalis: sicut enim naturali lumine cognoscit animus passione non corruptus, & amat bonum, atque quidquid habet rationem boni: ita naturaliter auersatur & fugit, quidquid repugnat bono & honesto. Id autem vitium appellatur. Vnde Martial.

3. Pœnitentia agenda.

Pœnitentiâ naturali philosophi peccatum sunt detestati.

> *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima;*
> *Stultitiâ caruisse.*

Quòd verò hæc pœnitentia sit cum voluntate reddendi Deo, satis liquet: nam cùm peccator, varijs modis suum facinus detestari possit, verbi gratiâ, luxuriam, primò quatenus repugnat rectæ rationi, & hic actus est temperantiæ: secundò quatenus dissoluit amicitiam, quæ est inter Deum & peccatorem, & hic actus est caritatis. Tertiò dolet de peccatis cum voluntate adhibendi remedia: quartò vt velit iniuriam illatam Deo compensare, & vindicare: hi duo actus, propriè sunt pœnitentiæ, quæ pars est iustitiæ, non subiectiua, sed potentialis. Reddit autem debitum, seu ponit æqualitatem, non politicam, sed secundum quid, scilicet secundum quandam decentiam, & congruitatem, quale iustum potest esse inter Dominum & seruum, inter Patrem & filium. Non hic sistat pœnitentia Christiani, quæ sine fide Mediatoris debito modo non fit, & esse debet odium, & detestatio peccati, vt est offensa Dei, non vt est cum pœnâ, quia illa detestatio peccati, vt infert pœnam, non est sufficiens, ideoque Esau & Antiochus, peccatorum suorum remissionem impetrare non meruerunt. Debet quoque propositum confitendi includere, quia vult Deus vnumquemque obligari ad exomologesim, præsertim cùm ignoremus, sitne vera nostra contritio, an solùm attritio. Esto, sit vera, & per illam facta remissio: non modicam tamen confessio gratiam confert, insuper, quatenus operatur vt instrumentum passionis Christi, vt propterea meritò requiratur, tanquam necessaria, cuius faciendæ tempus, non in longum extrahendum est, ne pœnitere subrepat æternum, Quemadmodum contigit militi cuidam strenuo, de quo Beda hist. Anglica. lib. 5. cap. 14. anno 704. qui Coenredo regi, quantùm pro externâ industriâ gratus, tantùm pro internâ suimet negligentiâ displicens, sæpè admonitus resipiscere, ni faceret, fore vt pœnitendi tempus illi præriperetur, regis monita contempsit, & velut illi, qui operosiùs occupati sunt, quàm vt meliùs possint viuere, impendio vitæ vitam instruunt, cogitationes suas in longum ordinant: maxima porrò vitæ iactura, dilatio est, prauè actorum pœnitentiam in posterum remisit. Inter hæc, tactus infirmitate, decidit in lectum, atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem Rex ingressus (diligebat enim eum) multum hortabatur, vt saltem facta sua humili confessione, & peccatorum suorum detestatione præuerteret: sed reiecit istud in futurum, ne metu mortis facere videretur, quod sanus respuisset: ita nempe illum fraus dæmoniaca irretiuit. Morbus ingrauescit, adest rursum rex, vt hominem sui officij commoneat. Ad aspectum regis, exclamat miser. Quid vis modò? quid huc venisti? Non enim mihi aliquid vtilitatis aut salutis potes vltra conferre. At ille, noli ita loqui, vide vt sanum sapias. Reposuit miles, non insanio, sed pessimâ mihi conscientiâ ob oculis

Peccatum multis modis detestabile.

Pœnitentia non differenda.

oculis est, adstiterunt mihi paulò ante ingressum tuum duo præclari iuuenes, vnus ad caput, alter ad pedes: porrexit mihi horum vnus, libellum quàm modicum, in quo bene acta mea paucula, inscripta legi: recepto perpulchro codice illo: ecce mox horrendorum, ac deformium spirituum succedit multitudo, intus extraque, domum obsidens: quorum obscuritate & primatu maior, horrendum proferens codicem, per vnum è satellitibus suis mihi legendum obtulit, in quo quæ vnquam opere vel verbo, vel ipsâ tenuissima cogitatione patraui, tetris descripta literis legi; Actum, ad præclaros illos iuuenes & albis amictos, conuersus, Quid hic sedetis, inquit, scientes certissimè, quia hic, noster est? Cui illi, ita est vt dicitis, vos in damnationis vestræ cumulum, illum abducite. Quo dicto, disparentibus illis, inuaserunt me duo nequissimi spiritus, vnus furcâ terebrans caput meum, alter pedem, donec concurrant, & per istos cruciatus quibus torqueor, secum in infernum animam meam trahant.

Pœnitentiâ differens damnatur.

Recognoscendus itaque primùm animus, atque excutiendus, vt ad pœnitentiæ virtutem sit idoneus, siquidem, teste Philosopho 3. Ethicor. omnem actum virtutis, debet præcedere consilium & deliberatio: & 2. de Animâ actus actiuorum sunt in patiente bene disposito, quo fit, vt anima, nisi in corpore organis suis aptè instructo, infundatur; ignis non concipiatur nisi in lignis bene dispositis. Ita ad inductum formæ virtutis præparanda mens, non minori diligentiâ atque solicitudine, quàm si de fortunis, de honore, deque vitâ ageretur, quibus, ipsius animæ vita longè præstat: sic docuere Scotus in 4. dist. 17. Gerson in suo Tripartito. Gabr lect. 8. in can. & auctor de verâ & falsâ pœnitentiâ, inter opera D. Augustini cap. 15. tom. 4. totidem verbis: *Ponat se omnino in potestate iudicis, in iudicio Sacerdotis, nihil sibi reseruans sui, vt omnia eo iubente paratus sit facere pro reparandâ animæ vitâ, quæcunque faceret pro vitandâ corporis morte, & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam vt Deus. Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differendâ morte moriturus.*

4. Virtutis formæ recipiendæ præparandus animus.

Nexus denique intricati peccatorum abrumpendi, damnandi: statuendumque non redire in illos, vt virtutis viam teras. Arduum istud quidem, & ipsa peccandi consuetudo, difficilem facit virtutis viam: sed, vt Verinus ait,

Est opus inceptο, finis virtutis amœnus:
Principij quamuis aspera prima via est.

D. Hieron. lib. 2. in cap. 5. Isaiæ. peccata funiculos vanitatis appellari scribit, *quòd facientibus peccatum facilè texitur; & tam inane & futile est, vt aranearum fila texuntur: sed cùm inde voluerimus exire, solidissimis vinculis nectitur.* saporemque virtutis aufert, quod indicatum Ierem. 31. *Omnis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius*, interprete eodem D. Hieronymo lib. 6. totidem verbis. *Obseruandum, quòd vitia atque peccata, vua acerba dicuntur, vt comedentium dentes obstupescant, & non possint eius suauitatem sentire, de quo dicitur, Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Tales panem de cælo comedere non valent, sed obstupescunt dentes eorum: non ciborum austeritate, sed vitio dentium.* Veruntamen, post disrupta vincula, vbi tantisper sese erexerit animus, redeunte sensim gustu, & ex morbo conualescente, virtus, & virtutis dator Dominus, pulchrum sapit. Fortè dices, mãducatur virtus? manducatur iniquitas, vt benè aut malè gustum afficiant? *Non ego dico, audi scripturam*, inquit D. Augustinus in psal. 43 concione 2. *Sicut vua acerba, dentibus vexatio est, & fumus oculis, sic iniquitas vtentibus ea. Qui manducauerit enim iniquitatem, id est, qui libenter habuerit iniquitatem, non poterit manducare iustitiam. Panis enim iustitia est. Quis est panis? Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Ipse est panis cordis nostri. Quomodo qui manducat ore corporis vuas acerbas, obrigescunt, & obstupescunt dentes eius, & minùs idoneus fit ad manducandum panem, & remanet illi laudare quod videt, & manducare non posse, sic & qui iniquitate vsus est, & pastus peccatis in corde; incipit non posse manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit. Vnde non facit? Quia cùm cœperit facere, laborat, quomodò sentimus laborare dentes post vuas acerbas, cùm cœperimus panem manducare. Sed quid faciunt illi quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab vuis acerbis, & redeunt dentes ad stabilitatem suam, & incumbunt pani: sic & nos laudemus iustitiam. Sed si nos volumus manducare iustitiam, temperemus nos ab iniquitatibus; & nascitur in corde, non solùm delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facilitas manducandi. Nam si dicit Christianus: Deus nouit, quia delectat me, sed non possum facere; quassatos dentes habet, diu manducauit iniquitatem. Ergo & iustitia manducatur? Si non manducaretur, non diceret Dominus: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.*

Ierem. 31.

Prouerb. 10.

Quid cunctaris desuescere nugis nugarum, blandulis voluptatulis cupiditatum tuarum, quarum sedimentum, fel amarissimum; & gustare suauitatem Domini, & manducare iustitiam eius, & saginari à torrente voluptatis eius? Abrumpe moras. *Non tardes conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

5. Conuersio non procrastinanda.

Ecclesi. 5.

Verinus:

Errare est hominis, sed non persistere: sæpè
Optimus est portus vertere consilium.

Qui eras in peccato, ad pœnitentiæ antidotum citò conuertere: non est fouendus error, morsus eius, morsus aspidis blandè necat: præsentaneo remedio opus, ne serpat insanabiliter. D. Gregorius Nazianzenus orat. in S. baptisma. *Quòd si hodiernum diem semper præteriens, salutem in posterum reijcient, tacitis nimirum dilationibus, à pestifero spiritu deceptus, vt illius consuetudo fert dicere. Da mihi id quod nunc fluit temporis, futurum Deo; mihi ætatis florem, Deo senectutem; mihi voluptates, Deo corpus effœtum nullisque vsibus aptum: Quanto miser in periculo versaberis, quot & quanti inopinati rerum casus te accipient?* Qui vt bonus sit in senectutem differt, satis ostendit, se nolle virtuti dare nisi tempus, ad alia omnia non idoneum. Seneca lib. de breuitate vitæ cap. 4. *Audies plerosque dicentes, à quinquagesimo, in otium secedam: sexagesimus annus ab officijs me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? quis ista, sicuti disponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi reseruare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quàm serum est, tunc viuere incipere, cùm desinendum est? quæ tam stulta mortalitatis obliuio, in quinquagesimum, & sexagesimum annum differre sana consilia; & inde velle vitam inchoare, quò pauci perduxerunt?* Admiranda prauitas eorum, qui corporis deditі gaudijs, per luxum & ignauiam ætatem agunt rem salutis protelant! Hodierno manum inijce, vt minùs ex crastino pendeas: Dilatio, primum quemque extrahit diem, inquit Seneca, de breuit. vit. cap. 9. *illa eripit præsentia, dum vlteriora promittit. Maximum viuendi impedimentum est, expectatio; quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum, quod in manu fortunæ positum est, disponis: quod in tuâ, dimittis. Quò spectas, quò te extendis? omnia quæ ventura sunt, in incerto iacent. Protinus viue. Clamat ecce*

Dilatio malum.

[illegible] Vates, & velut Diuino furore instincti, salutare carmen canit:

Optima quaque dies miseris mortalibus aeui,
Prima fugit.

quid cunctaris, inquit, *quid cessas? Nisi occupas, fugit; cùm occupaueris, tamen fugiet. Itaque cum celeritate temporis, vtendi velocitate certandum est, velut ex torrente rapido, nec semper casuro, citò hauriendum est.* Ouidij illud:

Nec quae praeterijt cursu reuocabitur vnda;
Nec quae praeterijt hora redire potest.

Prosequitur Seneca. *Hoc quoque pulcherrimè ad exprobrandam infinitam cogitationem, quòd non optimam quamque aetatem, sed diem dicit. Quid securus, & in tantâ temporum fugâ lentus, menses tibi, & annos, & longam seriem, vtcunque auiditati tuae visum est, exporrigis? de die tecum loquitur, & de hoc ipso fugiente.* In hoc viuere incipe, morere peccato, vt viuas Deo, vitam hanc vanam, verae vitae iacturâ, ne ornato. Protinùs conuertere, agnosce scilicet reus culpam, humiliare, compungere, confitere, luge, poenitentiam age, vt aeternis supplicijs non addicaris. Diuus Cyprianus serm. de lapsis. *Quàm multi quotidie poenitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus adimplentur? quàm multi vsque ad insaniam mentis excordes, dementiae furore quatiuntur? Nec necesse est ire per exitus singulorum, cùm per orbis multiformes ruinas tam delictorum poena sit varia, quàm delinquentium multitudo numerosa. Vnusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati & ipse mereatur. Nec euasisse se credat si cùm interim poena distulerit, cùm timere plus debeat, quem sibi Dei iudicis censura seruauit.*

6. *Peccata semper excusare volumus.* Verùm quià morbi animi differunt à morbis corporis, quòd hi, quò sunt grauiores, eò magis sentiuntur, illi è contra, vt qui mentem soporiferâ ebrietate sic obruant, vt nec verberata doleat, nec tracta sentiat. Hinc si quis ad meliorem frugem excitetur, si ad saniora consilia reuocetur, si quod admissum est facinus arguatur, regeruntur excusationum plaustra. Primos generis nostri satores imitamur; excusatum volumus, quod peccatum est, non ad medelam, sed ad incrementum & fomentum mali, tectum volumus in nostram perniciem, quod confessione aperiendum erat, ad salutem. Cauebat hoc malum Dauid psal. 140. cùm diceret: *Ne declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.* Vnde & dicebat; *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* Cur hoc? nisi quia occultatione criminis, praecluditur aditus misericordiae Dei, quae per humilitatis ianuam cordibus nostris vult illabi. Praeuaricatur Adam, pulsat misericordia, obdit ille pessulum ne intret, culpae suae caussam in vxorem retorquens, & illa in serpentem. Hoc exemplo peccator cùm arguitur, ait, Deus bonus est, & misericors. Idcircóne quia bonus est, eius bonitatem aspernari debes, & iniurius fieri quia misericors? irritanda iustitia, vt prouocetur misericordia? imò quia misericors est, ideò te miserum quaerit, Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? secundùm duritiam tuam, & impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae.* Et verè ita agimus vt dicit Apostolus: Deus enim vocat nos ad poenitentiam, sed nos thesaurizamus iram: Deus nos inuitat ad veniam, sed nos quotidie cumulamus offensam. Quod si expertissimum nanciscaris medicum qui promptissimè omnes tuas infirmitates curet, ideóne fugies ab eo?

Psal. 140.

Adam.

Rom. 2.

Alius dicit: quod peccatum à me est, ita voluit Deus instinctu Daemonis me superatum feci; ex influxu caeli, huc me fata mea impulere alioqui id facturus non eram. Itáne verò culpam in Deum reijcis, cui odio est impius & impietas eius, nihil autem odit eorum quae fecit? Diuus Augustinus lib. 83. quaestionum, quaest. 3. tom. 4. *Nullo sapiente homine authore*, inquit, *fit homo deterior. Non enim parua ista culpa est, imo tanta est, quae in sapientem quemuis hominem cadere nequeat. Est autem Deus omni homine sapiente praestantior. Multò igitur minùs, Deo authore, fit homo deterior.* Sic quoque definiuit Tridentinum ss. 6. can. 6. aliud enim est quod Deus permittit, aliud quod operatur. Duo autem sunt in peccato, actus positiuus, & malitia, siue culpa, quae in priuatione rectitudinis consistit. Vt si pugione quis alterum petat, actus positiuus est, euaginatio pugionis, manus extensio, & ipsa percussio: turpitudo autem est, in eo quod istud praecepto Diuino, & proximi charitati aduersatur: ad primum concurrit Deus tanquam caussa generalis, sed non concurrit ad secundum, quod in priuatione consistit. Si quaeras cur Deus ad illum actum concurrat, sine quo peccator, non potest peccare; Promptum est quod respondeatur, Deum scilicet, non teneri propter hunc vel illum, variare cursum caussarum secundarum: hoc enim esset benè agendi necessitatem imponere, libertatemque tollere. Itaque Deus est caussa actionis, inquantum actio est, sed non quatenus defectuosa est, hoc enim ex arbitrio hominis peccabilis accidit. *Est ergo vitium voluntatis, quo est homo deterior:* inquit Diuus Augustinus: vt si antiquarius discipuli scribentis manum ducat, vitiosus autem sit calamus, huic, scripturae vitium tribuetur: claudicat homo, motus est, & obliquitas motus: tibia est caussa motus, vt actio, tibia verò clauda, claudicationis caussa est. Funem cum socio facis, dextrorsum torques, ille sinistrorsum, & ambo funem vnum faciunt. In alio aliquo, caussam esse dices, cur homo sit deterior. At non in Deo (vt diximus) bonorum enim caussa Deus est: vel ergo in alio homine quolibet, vel in eo quod neque Deus, neque homo est, sicut scribit Diuus Augustinus lib 83. quaestionum quaestio. 4. Si in homine, aut vi, aut suasione. Sed vi, nullo modo, ne sit Deo valentior. *Siquidem Deus ita optimè hominem fecit, vt si vellet manere optimus, nullo resistente impediretur. Suasione autem alterius hominis, si concedimus hominem deprauari, rursum quaerendum erit, suasor ipse à quo deprauatus sit. Non enim potest prauus non esse talium suasor. Restat nescio quid, quod nec Deus, nec homo sit, sed tamen hoc quidquid est, aut vim intulit, aut suasit.* Dabis Daemonibus, quibus adscriptae Prouinciae, & munia distincta, hoc ad libidinem, illo ad superbiam, isto ad iracundiam instigante; vt Abbas Serenus apud Cassian. collat. 7. cap. 17. ostendit. At illi, vt scribit Diuus Augustinus lib. 7. de Ciuit. Dei, cap. 35. *Non possunt quod non sinuntur efficere: sinuntur autem alto Dei summi iustoque iudicio, pro meritis eorum, quos ab eis vel affligi tantùm, vel etiam subijci, ac decipi iustum est.* Et serm. 197. de tempore. *Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortiferâ securitate coniunxerit. Iam videte, fratres, quàm stultus est homo ille, quem canis in catenâ positus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates saeculi noli coniungere, & ille ad te non praesumit accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Id autem praecipuè virtute praeditos impugnat, ceu praedones & piratae, qui naues tùm maximè infestant, cùm mercibus onustae sunt; vt inquit D. Chrysost. hom.

Deo auctore homo non fit deterior.

Cur Deus concurrat ad actum peccati.

Caussae cur homo sit deterior.

hom. 31. in Gen. Inde videmus plures, qui se Deo sacrare contendunt, contraria parentum voluntate, ab instituto repelli. Alios de istis mundi turbinibus extractos, inuidorum procellis agitari: Diuus Cyprianus lib. de mortalitate: *Caterùm quid aliud in mundo, quàm pugna aduersus Diabolum quotidie geritur? quàm aduersus iacula eius & tela, conflictationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitiâ, cum irâ, cum ambitione congressio est: cum carnalibus vitijs, cum illecebris sæcularibus, assidua, & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vndique Diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exsurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod Diuina lex prohibet: compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter Diaboli gladios diu stare; cùm magis concupiscendum sit, & optandum, ad Christum, subueniente velociùs morte, properare.* Verùm, non scandala sunt hæc, sed prælia: nec debilitant aut frangunt Christiani fidem, sed potiùs ostendunt in colluctatione virtutem. Agonistis præsidet agonotheta Deus, vt quod ex nobis non possumus, donet, vt cùm fuerit in pugnæ congressione victoria, in vincentibus coronet munera sua.

Peccata peccatis succedunt.

Neque in planetas & astra, quòd deterior sis, referendum est. Quærit D. Bonauentr. in 2. dist. 14. quæst. 2. num. 78. vtrum astra suo influxu variare possint mores hominum? quod dupliciter intelligi potest, scilicet, an vt caussa efficiens & necessaria; an verò vt dispositiua & contingenter: si dixeris primo modo stellas esse caussas morum hominum, blasphemum est & hæreticum, totiusque veræ pietatis fundamenta euertis: & falsitas conuincitur, in Iacob & Esau, qui vno ventre, vnâ horâ editi, tam varia sortiti sunt ingenia: Quintilianus, *Nihil in rebus humanis, voluit esse natura tam simile, quod non aliquâ proprietate secerneret. Quid refert, an ex iisdem prima illa duorum corporum, animorumque compages, seminibus oriatur? sibi quisque fingitur, sibi quisque componitur, & duo pluresve fratres nascuntur fato singulorum.* D. August. lib. 5 de Ciuit. Dei, cap. 2. Hippocratem, scriptum reliquisse, dicit, ex Cicerone, lib. vt suspicor de fato. qui ad nostram ætatem, mutilus peruenit. quosdam fratres, cùm simul ægrotare cœpissent, & eorum morbus eodem tempore ingrauesceret, eodem leuaretur, geminos suspicatum. Quos Possidonius Stoicus multùm astrologiæ deditus, eadem constitutione astrorum natos, eademque conceptos, solebat asserere. Ita, quod medicus pertinere credebat ad simillimam temperiem valetudinis: hoc Philosophus astrologos, ad vim constitutionemque siderum, quæ fuerat, quo tempore concepti, natique sunt. *In hac caussâ,* inquit D. August. *multò est acceptabilior, & de proximo credibilior, coniectura medicinalis.* Varia igitur corporis dispositio, variat mores, cholericus, ad iracundiam est pronus: sanguineus ad benignitatem: melancholicus ad inuidiam, phlegmaticus ad desidiam: nulla tamen ex his, vti neque ex fatalium siderum constitutione oritur necessitas: inclinare possunt, cogere non possunt: & caussa cur multi stellarum influxus sequantur, atque ad earum inclinationes vitam suam temperant, non est vis earum, sed hominum incuria & salutis contemptus: cedunt suis cupiditatibus, secundum carnem viuunt, non secundum spiritum; quod à ratione peregrinum, stultumque est: contra, sapiens, suâ se virtute tuetur, nec arbitratur in cœli velut clarissimo Senatu, ac splendidissimâ Curiâ, scelera facienda decerni: & cū deciduo siderum fluxu luctatur, & eluctatur, ita Ptolomeus in Centiloquio. verbo. 51. dixit, *Sapiens dominabitur astris.* Concludo, itaque cum Diuo Augustino lib. 83. quæstionum, quæst. 4. *De vi, ergo, hoc respondeatur quod suprà: de suasione autem quicquid est, quia suasio non cogit inuitum ad eiusdem hominis voluntatem, caussa deprauationis eius redit, siue aliquo, siue nullo suadente, deprauatus fit.* Dicat ergo: *Dimitte nobis debita nostra:* se debitorum auctorem fateatur, & vt in spongiam miserentis Dei cadant, suggerere lacrymarum fontes, quibus ardor iniustitiæ refrigeratur, accenditur misericordiâ.

Influxus astrorum an varient mores hominū.

Dispositio varia corporis variat mores.

7. Lacrymarū vtilitas.

Homini proprium esse ridere, non sine caussâ dixerunt Philosophi, quâ proprietate à cæteris animantibus discernitur: at consideranti hominis natiuitatem & originem, vitæ illius decursum & finem, nihil fletu & lacrymis magis vtile & proprium videbitur, nec iniuriâ. Hoc illi proprium & primum munus, plorans nascitur, luget viuens, lacrymatur moriens: vtilitatem spectauit Climachus lib. 1. scalæ, gradu 7. nos ad continuum fletum adhortatus: *Noli esse, ait, similis illis qui mortuos sepeliunt, qui nunc super eos lugent, nunc ipsorum gratiâ inebriantur, sed esto vt vincti ad metalla damnati, qui horis singulis, à carnificibus cæduntur. Is qui modò luget, modò ridet, risu & delitijs dissoluitur, est similis illi, qui canem voluptatis rum pane lapidat, qui hunc quidem persequi actu videtur, reuera autem sibi assidere hortatur.* D. Gregorius libro 3. moral. cap. 27. eos qui prolixas ad Deum preces fundunt, sed deprecantium vitam non habent, ait similes esse Balaam, qui iustorum tabernacula conspiciens aiebat Num. 23. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia:* sed tùm compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam, quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit: ita plures in Ecclesiâ Heraclitum agunt, domi Democritum, quibus contingit quod fontibus illis, de quibus, Seneca Naturalium quæstionum lib. 3. cap. 16. qui senis horis pleni, senisque sicci sunt: interualla habent, quibus se à luctu retrahant, & quibus reddant, vbi tamen *Qui reuera reatus sui pœnam dat,* inquit Climach. gradu 5. *is omnem diem, quâ non luget, se amisisse arbitratur, etiamsi quæ alia bona operâ fecerit in illâ.* Non intermittebat ille pœnitentiæ lacrymas, cui Dominus, quàm sibi placerent, mirabiliter ostendit: & habetur in Speculo exemplor. dist. 3. exemplo 34. de illustribus Viris Cisterciens. Ordinis, in hunc modum, Frater quidam dum pro peccatis suis quibus Deum nimis offenderat, pauidus & anxius totâ die contristatus ingrederetur, flere non desinebat, sciens, quia confessio sine contritione, nulla est: cumque conscientiæ ventrem amaricasset aliquamdiu liber Dei, in quo scriptæ sunt lamentationes, carmen, & væ, cœpit prægustare, quàm suauis est Dominus. Nam in tantâ amaritudine cùm esset, nocte quadam apparuit illi in visione Dominus. Vidit Dominum lætum sacerdotalibus vestibus indutum, missam celebrantem, quoties verò se ad populum conuertebat, tollens calicem de altari, ostendebat illum. Porrò in ipso calice, nihil erat præter lacrymas, quibus B. Magdalena pedes Christi lauerat. Tum dicit Frater: Obsecro, Domine, vt quid ostendis calicem istum cum lacrymis? Cui Dominus, vt videant, & sciant omnes, quantum placet mihi contritio cordis, & pœnitentiæ luctus.

Num. 23.

Fontes senis horis sicci & senis pleni.

Exemplum.

Christus apparet ostendens calicem lacrymis D. Magdalenæ plenum.

Conuertamur ergo nos toto corde ad Dominum,

num, & veris doloribus misericordiam eius deprecemur: illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat; illi spes omnis incumbat. Diuus Cyprianus de lapsis. *Lamentari eum putamus ex toto corde, ieiunijs, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die, lauacra quotidie celebrat?* (Carpit illos, quibus durante tempore pœnitentiæ publicæ, non licebat, balneas frequentare, sed, vti loquitur Tertullianus, lib. de pœnitentiâ. illotos & sordulentos, & extra lætitiam diuersari oportebat.) *Qui epulis affluentibus pastus, & sagina largiore distentus, cruditates suas postridie ructat, nec cibos & potus suos cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem suam deflet?* Agamus veram pœnitentiam. *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit.* Verè pœnitentis lacrymæ, funes & catenas peccatorum disrumpunt. Exemplo sit ille de quo Specul. exemplor. dist. 9. exempl. 39. qui cùm nullo vnquam tempore prædicationi interesse vellet, tandem semel ab amicis ad Ecclesiam perductus & tractus in quâ insignis quidam Concionator, magno populi concursu verba faciebat: qui intrantem intuitus, vidit Diabolum, hominem catenâ vinctum, retrahentem, cuius catenæ circuli singuli, ex peccatis singulis nectebantur, quibus ille irretiebatur: de quibus conuerso sermone ita feliciter tractauit, docens Diabolum in hominem peccatis vinctum, tantum exercere dominium, vt ipsum, nec quidquam boni facere, nec Dei verbum audire permitteret, vnde Salomon dixerit: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringetur peccator*: vt ille, vniuersa illa peccata agnoscens à se commissa, ingemisceret: atque postea intelligens, Deum quantum Iudicis maiestate metuendus est, tantum patris pietate, indulgentem semper & bonum, peccatori quantumuis graui misericordiam offerre, amaris sese lacrymis perfunderet: in quarum fluxu, Concionator vidit, lachrymulæ vnius ex illius oculis decidentis vi, protinus peccatorum illius catenam, & vincula rumpi.

Exemplum.

Psal. 5.

8. Dices fortasse, venialia sunt quæ committimus, à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit: *Et ideò*, inquit Diuus Augustinus serm. 41. de Sanctis, *continuis orationibus, & frequentibus ieiunijs, & largioribus eleemosynis, & præcipuè per indulgentiam eorum qui in nos peccant, assiduè redimantur, ne fortè simul collecta, cumulum faciant, & demergant animam.* Et tract. 12. in Ioan. *Minutæ sunt guttæ quæ flumina implent, minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo, mergit nauim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere vt non obruant peccata, gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo?* Quidquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus 1. Cor. 3. *Quia in igne reuelabitur. Et si cuius opes arserit, detrimentum patietur.* Hunc ignem, hoc detrimentum passus est Sanctus Seuerinus, per dies triginta, quòd Horas Canonicas recitando anticipasset. Dicet aliquis, non pertinet ad me, si in purgatorio igne moras habuero, si tamen ad vitam æternam perrexero. *Nemo hoc dicat, fratres charissimi*, inquit Diuus Augustinus serm. 41. de Sanctis, *quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm qui potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri. Et cùm de die iudicij scriptum sit, quòd erit dies vnus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies vnus: vnde scit vnusquisque vtrum diebus an mensibus, an fortè etiam & annis per illum ignem sit transiturus: & qui modò nec vnum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est, vel tunc paruo tempore cum animâ & toto corpore cruciari: & ideò totis viribus vnusquisque laboret, vt capitalia crimina possit euadere, & minuta peccata, ita operibus bonis redimere, vt de ipsis nihil videatur remanere, quod ille ignis possit absumere.* Leuia sunt. Fateor. Venialia dicuntur, nunquid quòd illis facilè venia detur? Ita est: sed illis etiam offenditur Deus, & pœnam expurgatoris ignis merentur: quæ nisi in hac vitâ purgentur, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis: illi enim, qui quamuis capitalia crimina non admittant, & ad perpetranda minuta peccata sunt faciles, & ad redimenda sunt negligentes, aut in hoc sæculo per Dei iustitiam vel misericordiam, amarissimis tribulationibus sunt coquendi, aut illi ipsi, per multas eleëmosynas, & præcipuè dum inimicis suis clementer indulgent, per Dei misericordiam liberandi, aut certo illo igne, de quo dicit Apostolus 1. Cor. 3. *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, longo tempore cruciandi, vt ad vitam æternam sine maculâ, & rugâ perueniant, vt inquit D. Augustinus.

1. Cor. 3.

S. Seuerinus

Purgatorij pœna grauissima.

1. Cor. 3.

9. Porrò autem, triplici ratione, aliqua sint remissionis venialium peccatorum caussa. Primò per infusionem gratiæ, quæ fit per Sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem, per extremam vnctionem, aliaque omnia nouæ Legis Sacramenta. Secundò, inquantum illa sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; quomodo confessio generalis, tunsio pectoris, & oratio Dominica, remissionem peccatorum venialium operantur: in oratione namque Dominicâ dicimus, *Dimitte nobis debita nostra.* Tertiò, inquantum sunt cum aliquo motu reuerentiæ ad Deum, & ad res Diuinas: sic lustralis aquæ aspersio, qualibet sacramentalis vnctio, oratio in Ecclesiâ consecratâ, Episcopalis benedictio, crucis signaculum, venialium indulgentiam conferunt: inde carmen:

Venialium remissio triplici ex caussa [illegible]

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Quo, Oratione Dominicâ, lymphæ lustralis tinctione, Eucharistiæ esu, confessione generali, quotidianâ eleëmosynarum largitione, & Pontificum benedictione, leuia illa mundari, significatur. Ista sunt, quæ Deus misericors, videns nostram fragilitatem, posuit contra remedia, quibus quotidiana ista peccata mundanda sunt, sine quibus hìc homo viuere non potest. Ad maiora autem scelera emundanda ista non sufficiunt: *Aliud est vbi mutes vitam, aliud est vbi toleres vitam. Illa mutanda est. Si mœchus eras noli esse mœchus. Si fornicator eras, noli fornicari. Si, homicida, noli homicida esse. Si ibas ad mathematicum, & ad cæteras pestes sacrilegas, iam desine. Arbitraris hæc, nisi fieri desinant, quotidianis eleëmosynis posse mundari?* inquit Diuus Augustinus lib. de 10. chordis, cap. 11. tom. 9. Quocum lib. 50. homiliar. homil. 41. libet exclamare, *Pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo, & vos enim cum catenâ pascetis. Quâ, inquit, catenâ? Quæ ligaueritis in terrâ, erunt ligata & in cælo. Audis ligaturam, & Deo putas facere imposturam? Pœnitentiam agis, genu figis, & rides, & subsannas patientiam Dei? Si pœnitens es, pœniteat te; si non pœnitet, pœnitens non es. Si ergo pœnitet, cur facis quod malè fecisti? Si fecisse pœnitet, noli facere. Si*

adhuc facis, certè non es pænitens. Et post pauca. *Certus sum, quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere, sine peccato, quis enim sine peccato? sed vitam sine crimine, duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittuntur in oratione dicenti, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: quando diem finierit, vitam non finit, sed transit de vitâ in vitam, de laboriosâ ad quietam, de miserâ ad beatam. Baptizatus autem desertor & violator tanti mysterij, si agat pænitentiam ex toto corde, si agat pænitentiam vbi Deus videt, qui vidit cor Dauid, quando increpatus est à Prophetâ, & grauiter increpatus post comminationes Dei terribiles, exclamauit, dicens; Peccaui: & mox audiuit, Dominus abstulit peccatum tuum: Tantum valent tres syllabæ: Tres syllabæ sunt, Peccaui: sed in his tribus syllabis, flamma sacrifitij coram Domino ascendit in cælum. Ergo qui egerit veraciter pænitentiam, & solutus fuerit à ligamento quo erat obstrictus, & à Christi corpore separatus, & benè post pænitentiam vixerit, sicut ante pænitentiam viuere debuit, post reconciliationem, quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, regno Dei non priuabitur, à populo Diaboli separabitur. Si quis autem positus in vltimâ necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia benè hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Fidelis benè viuens securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pænitentiam & reconciliatus, cum sanus est, & postea benè viuens, securus hinc exit. Agens pænitentiam ad vltimum & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Vnde securus sum, securus sum, & do securitatem: vnde non sum securus, pænitentiam dare possum, securitatem dare non possum.* Maturate igitur veram pœnitentiam. Expectet etiam tunc quis reconciliari, quando incipit mori? experti sumus multos exspirasse expectantes reconciliari. *Age penitentiam, dum sanus es. Si enim agis veram pænitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, curre vt reconcilieris: si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia egisti pænitentiam eo tempore quo & peccare potuisti. Si autem tum vis agere pænitentiam ipsam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Habes hic vnde speres benè, habes & vnde concutiaris, & terrearis; habes in quo securus sis, habes & in quo periclitaris, tene certum, dimitte incertum.

Pœnitentia sera, incesti effectus.

Capitis 37. §. 5.

Deúsne solus, an quoque quispiam alius pro impetrandâ peccatorum remissione adeundus?

I. Debitor nemo sibi videtur.

DIximus debita nostra esse cōtra tres, Deum, proximum, & nos ipsos: ab ijsdémne ergo, & à quolibet horum, petenda est debitorum donatio? At nemo sibi debet: debitor non est sine creditore, non magis quàm maritus sine vxore, aut sine filio pater: & verbum *Debere*, non habet nisi inter duos locum: sicut enim dat nemo, nisi alteri, reddit nemo, nisi alteri: ita debet nemo, nisi alteri, quemadmodum argutatur Seneca lib. 5. de beneficijs: non est igitur, quod à se quisquam veniam deprecetur. Seneca cap. 9. *Nemo enim sibi beneficium dat, sed naturæ suæ paret, à quâ ad charitatem sui compositus est: vnde illi summa cura est nocitura vitandi, profutura appetendi. Itaque nec liberalis est, qui sibi donat: nec clemens, qui sibi ignoscit: nec misericors qui malis suis tangitur. Quod alijs præstare liberalitas est, clementia, misericordia: sibi præstare, natura est. Beneficium, res voluntaria est: at sibi prodesse, necessarium est.* Eo scilicet modo, quo necessaria dicuntur Aristoteli. 1. de partib. animal. cap. 1. οὕτως ἔχοντα καὶ πεφυκότα; *ita se habentia, & sic nata*, sicut ibi Lipsius aduotauit. Frustra igitur sumus, si debita à nobis ipsis relaxari petimus: neque enim alius relaxat, quàm qui contraxit, sed vnus atque idem: nemo autem sibi beneficium dat, non magis quàm hospitium: nemo sibi donat, non magis quàm credit.

Quod autem neque proximus ipse, in resipiscentiâ nostrâ, pro delicti remissione, sit implorandus: exemplo sit Dauid, qui licet grauissimè in Bethsabeam, & Vriam eius maritum, adulterij perpetratione peccasset; famulis suis, ministris tāti facinoris, offendiculo fuisset; totíve populo scandalum præbuisset: & quod deterrimum est, Vriam innocentem, inscriptâ nece, non necis caussâ, cuius & ipse esset baiulus, hostili gladio perimendum tradidisset; per Prophetam Nathan à scelere excitatus suo, non ad illos se conuertit, sed ad Deum solum, dicens Psalm. 50. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci:* Deus itaque solus, pro debiti indulgentiâ impetrandâ, adeundus est: vt pote qui vnus nostrâ transgressione lædi videatur, & in quem tota tandem redundat illata alijs iniuria.

Psal. 50.

Dicendum tamen est, quod quamuis omne peccatum nostrum sit contra Deum, qui per illud offenditur, nobísque nocumento sit: ex ordine tamen, qui homini mortali, tum ad Deum, tum ad proximum, tum ad seipsum tenendus erat, & à quo deteriora secutus, exit; aliud peccatum dici contra Deum; nempe illud, quod per se proximè pugnat cum ijs virtutibus, quarum obiecta res, siue materia, finis & regula, est Deus; nosque erga ipsum benè afficiunt: vt infidelitas, blasphemia, desperatio, odium Dei, impietas, superstitio, impœnitentia; quæ peccata contra fidem, spem, & charitatem, atque virtutes religionis & pœnitentiæ, admittuntur. Aliud verò contra proximum; quod scilicet directè pugnat cum virtute, quâ ad proximum ordinamur, eique benè afficimur; vt furtum, homicidium, immisericordia, quibus iustitia, & misericordia alteri debita, violatur. Tunc verò in nosipsos delinquimus, quum aliquid agimus contra debitum temperantiæ, aut fortitudinis officium, vel contra rectam naturæ propensionem, quâ nosipsos, & nostra, tueri, & curare debemus: vt si fornicamur, si crapulæ indulgemus, si quodcunque eiusdem generis committamus, quod continentiæ, quod temperantiæ, per quam ad nos ipsos benè affecti reddimur, repugnat.

Peccatum contra Deū, quod sit.

Contra proximum.

Contra nos.

2. Omnium autem horum debitorum, siue quæ in Deum, siue quæ in proximum, siue quæ in nosipsos contraximus, à Deo præcipuè liberatio petenda est, cui propterea dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*: ipse enim vnus est, cuius leges & præcepta, in omni offensâ violantur; ipse est, qui peccando contemnitur. Isa. 1. *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* Ipse est, in quem omnis culpa redundat, quarū etsi quædam immediatè habeant proximum, aut nos pro obiecto; habent tamen Deum pro obiecto primo & vltimo. Ipse vnus & solus est qui peccata potest remittere. Isa. 43. *Ego sum: ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*: Marci. 2. *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata: dixit paralytico, surge, & ambula.*

Isa. 1.

Isa. 43.

Marc. 2.

Quia verò clementiæ suæ profusionem manifestare non consueuit Deus, nisi quis se ad frugē receperit,

Debitor, vt sit deprecator sui.

ceperit, recipere autē se non potest, nisi emendarit; emendaturus, excutiat se, coarguat, accuset, iudicet, deprecetur, & effundat se, necesse est. Itaque qui pœnitentiam ita inuadit, ita amplexatur, vt naufragus alicuius tabulæ fidem, quæ peccatorum fluctibus mersum proleuet, & in portum Diuinæ Clementiæ protelet, se adit, in se redit, animum consulit suum, se obiurgat: & cùm se accusarit, iudicarit, veniam à se petit, ipsemet deprecator sui; nec pœnitentiam tantùm habet, quam Tertul. lib. de pœnitentiâ cap. 12. in fine, humanæ salutis, quasi pharum esse dicit, sed aliquando & pœnam. A quo? à seipso, qui iudicium hoc exercet: & clanculariam admissorum confessionem istis parat. Hoc sibi dat, hoc animæ suæ, hoc Deo, vt cùm ductus pœnitudine cordis sui, Deuteron. 30. reuersus fuerit ad Dominum in toto corde suo; & in totâ animâ suâ, illius misereatur. Hac lege pactus cum homine misericordiam, Deus. *Non tacet Ioannes, pœnitentiam initote dicens*, inquit Tertullianus lib. de pœniten. cap. 2. *iam enim salus nationibus appropinquabit, Dominus scilicet afferens, secundum Dei promissum: cui præministrans, pœnitentiam destinabat, purgandis mentibus propositam, vti quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens & radens, & foras abijciens, mundam pectoris domum superuenturo Spiritui Sancto paret, quò se ille cum cælestibus bonis libens inferat. Horum bonorum vnus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissâ. Hæc pœnitentiæ caussa: hæc opera negotium Diuinæ misericordiæ curant: quod homini proficit, Deo seruit.* Et cap. 6. ne quis se in illa bona, absque istâ animi cōuersione, quæ pœnitentiâ significatur, admittendum putet. *Quàm porrò ineptum*, inquit, *quàm pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit: hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant, priùs nummum quo paciscuntur, examinant, ni scalptus, ne ve rasus, ne adulter: etiam Dominum credimus, pœnitentiæ probationem priùs inire, tantam nobis mercedem, perennis scilicet vitæ concessurum.* Reddit igitur sibi obliquus homo, quod accepit, quod debet, rectitudinem: reddit animæ suæ ornatum, quem peccati turpitudine profligarat; reddit suam sibi imaginem, ad imaginem Dei, quam induxerat imagine Diaboli.

Deuter. 30.

Debitor sibi homo, quid reddat sibi.

Et rursus, quia vnitas quam cōpagibat charitas, atque iustitiâ, per iniuriam proximo illatam, violata est, vt resarciatur, adeundus quoque pro indulgentiâ proximus, quò sic vnitatis auctori Deo verè dicamus, *Dimitte nobis debita nostra*: non *mihi*, sed *nobis*, assumptis in societatem impetrationis, omnibus quos eadem fides in eodem corpore adunauit: inter fratres enim & conseruos, vbi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio, quia communis spiritus de communi Domino & Patre, fraterna necessitudo & charitas postulat à singulis, vt de communi proximorum salute soliciti, quum pro nobis preces fundimus, pro illis etiam deprecemur, vt inquit Azorius Institut. moralium lib. 9. cap. 37. *Non potest corpus de vnius membri vexatione latum agere*; inquit Tertullianus lib. de pœnitentiâ, cap. 10. *condoleat vniuersum; & ad remedium conlaboret necesse est. In vno atque altero, Ecclesia est, Ecclesia verò Christus: ergo quum te ad fratrum genua protendis; quæ sunt ara misericordiæ: Christum contrectas, Christum exoras. Æquè illi, quum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur.* Etsi autem proximi nostri remissio, culpæ abolitionem non operetur in nobis, damnum tamen, quod illatum est, expungit: atque offensum, reddit amicitiæ, reddit charitati, reddit vnitati.

3. Charitas de proximi salute est solicita.

Sed enim, quòd Dauid in suo ad Deum regressu, nihil de proximo offenso mutinerit: in caussâ est, quòd quamuis læsi ab eo quoque sint homines, tamen præ offensâ Dei, quoscunque alios nihili ferè duxerit, siue damnarent illi, siue absoluerent, pro minimo habens ab hominibus iudicari, vel ab humano die. 1. Cor. 4. vtpote qui Deo offenso, offensam omnem creaturam; eodem propitiato & reconciliato, omnem illam quoque reconciliatam, se habere, cogitarit. Eapropter licet faciamus, hoc non esse, peccare alicui, quod peccare in aliquem: quasi peccare in aliquem tum dicamur, quando quis in personâ suâ, & honore, & bonis suis offenditur: quomodo filij Iacob. Gen. 42. in fratris sui venditione peccasse confitentur, dicentes, *Peccauimus in fratrem nostrum.* Et Ruben. *Nunquid non dixi vobis; nolite peccare in puerum, & non audistis me?* Peccare verò alicui, quum illi in quem peccatur, incumbit scelera punire, aut donare. Atque ita, *Peccare in Deum, fit in ijs peccare, quæ ad Dei cultum pertinent*, quod singulari cum modestiâ tradit D. Augustinus tom. 4. Quæstionum lib. 5. quæst. 55. Deuteron. *Sic enim peccabant filij Heli, quibus hoc Pater eorum dixit, Si in Deum peccauerit homo, quis orabit pro eo: Sic existimandum est etiam peccari in homines, qui pertinent ad Deum: Nam hoc Deus legitur dixisse ad Abimelech de Sara, Propterea peperci tibi, ne peccares in me.* Peccare autem Domino, sicut, Dauid respondisse legitur Prophetæ, vice Domini increpanti. 1. Reg. 12. & in Ieremiâ, *Tibi peccauimus expectatio, siue, patientia Israël.* Et iterum in psal. 40. *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Illos dici, qui piam pœnitentiam sui agunt, vt glorificetur ignoscens Dominus: Domino vtique suppliciter dicitur, *peccaui tibi*, cum spe salutis & veniæ.

4. Dauid cur Deum tantùm, suo peccato offensum, adierit.

1. Cor. 4.

Gen. 42.

1. Reg. 2. Gen. 20.

Ierem. 14.

Ps. 40.

Siue, inquam, hoc sit peccare in Deum, quod peccare Deo; vel non sit: duas potissimùm ob caussas, à Dauide pronuntiatum est; *Tibi soli peccaui.* Primùm, quia regalis culminis gloriâ clarus, nullum potestare parem, nedum maiorem habebat, qui arguere, qui accusare, qui punire eum posset occulti adulterij, occulti homicidij, quod artibus magnis, arcanisque fraudibus, solo Deo conscio perpetrarat, & coram hominibus facere puduisset; pluris faciens vultus humanos, quàm conspectum Dei: quod illi à Propheta Dei nomine obiectum est 2. Reg. 12. *Quare contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? tu fecisti absconditè, ego autem faciam in conspectu omnis Israël.* In lege namque veteri, secus atque in lege gratiæ, regiæ potestatis fastigium erat supremum, quo non altius vllum, vtpote cui & ipse Pontifex subesset ex parte, vnde Cassiodorus ait, si quis de populo erret, & Deo peccare & regi, si Rex delinquat, soli Deo reum esse, quod sic accipiendum est, vt Rex in suo ordine superiorem non habere dicatur, vti admonet Turrecremata. 1. summa, de Eccles. 1. quæst. 91. ad 6. quia si sæcularis potestas & spiritualis nunc conferantur, hæc maior est, quàm illa: quapropter pij Imperatores fasces suos, summorum Antistitum clauibus submisere, & Theodosius ipse, à Diuo Ambrosio anathemate ictus, vt habet historia tripart. lib. 9. cap. 30. piacularibus pœnis collum humiliter submisit: Solus itaque Pontifex summus dicere potest, *tibi soli peccaui*, quantùm prima sedes à nemine iudicatur, vti Marcellino pœnitenti, à Concilio redditum legimus.

2. Reg. 12.

Theodosius Imp.

Cæterùm

5.
Nobiles & diuites peccant liberiùs

Cæterùm nunc, quia principes & nobiles potestate valent, diuites nummis: hinc sibi ad delinquendum viam patere putant, quia metu carent. de quo queritur Saluianus lib. 3. de vero iudicio & prouidentiâ. *Quis est*, inquit, *omnino diues aut nobilis, aut innocentiam seruans, aut à cunctis sceleribus manus abstinens? quanquam superfluè à cunctis dixerim, vtinam vel à maximis, quia volunt sibi id fortè quasi maiores priuilegium dicare, vt iure suo crimina vel maiora committant. Videamus an à duobus illis quasi capitalibus malis, vllus immunis sit, id est, vel à homicidio, vel à stupro. Quis enim est aut humano sanguine non cruentus; aut cœnosâ impuritate non sordidus? vnum quidem ex his ad pœnam æternam sufficit, sed propè nullus diuitum non vtrumque commisit.* Et lib. 4. *Quid est in quo non seruilibus vitiis, etiam nobiles polluantur? nisi fortè ideò, quia illa quæ in seruis peccata puniunt, ipsi quasi licita committunt. Homicidia in seruis rara sunt, terrore ac metu mortis. In diuitibus assidua, spe ac fiduciâ impunitatis: nisi fortè iniqui sumus, hoc quod diuites faciunt ad peccatum referendo: quia illi quum occidunt seruos suos, ius putant esse, non crimen. Non solùm hoc, sed eodem priuilegio, etiam in exercendo impudicitiæ cœno abutuntur. Quotus enim quisque est diuitum connubij sacramenta obseruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps? cui non domus ac familia sua scortum sit? & qui non in quamcumque personam cupiditatis improba calor traxerit, mentis sequatur insaniâ? Secundum illud scilicet, quod de talibus dicit sermo Diuinus:*

Ierem. 5.

Ierem. 5. *equi insanientes in feminas facti sunt. Quid enim aliud quàm de se dictum hoc probat, qui totum perimere vult connubitu, quidquid conceperit affectu.* Et mox: *Ad tantam res impudentiam venit, vt ancillas suas, multi vxores putent: atque vtinam sicut putantur esse coniuges, ita solæ haberentur vxores. Illud magis tetrum ac detestabile, quod quidam matrimonia honorata sortiti, aliæ sibi rursum seruilis status coniuges sumant, deformantes sancti connubij honorem, per degeneris contubernij vilitatem, non erubescentes se fieri maritos ancillarum suarum, præcipitantes fastigium nobilium matronarum, in cubilia obscæna seruarum: digni prorsus etiam illarum statu, earum se putant dignos esse consortio.* Hæc ille. Quæ omnia, nostris quoque temporibus patrari audimus, atque nobilibus lenas dare operam in prostituenda virginum pudicitiâ; adeò verum illud Verini,

Difficile est opibus mores seruare pudicos.
Omnia diuitibus nonne licere vides?

Alias quoque, nihil sinistri suspicantes adolescentulas ad lecti sui, & somni societatem tractas lenocinijs, conscijs iuuenibus, per fenestras, & clancularios aditus irrumpentibus, per noctem stuprandas committere. ô indignum facinus, exsecrandum!

Altera ratio cur Dauid dixerit Tibi soli.

Redeo ad alteram rationem, propter quam Dauid dixisse videtur, *Tibi soli peccaui*: quia nimirum solius Dei est, animæ maculam, & pœnæ reatum tollere: donat quidem homo damnum quod iniuria intulit, at culpæ remissam non facit: numeris hoc est Diuini. Quia igitur solus Deus medicinam peccato poterat adhibere, cum spe propitiationis dixit, *Tibi soli peccaui*, quemadmodum si æger aliquis, medicinæ perito dicat, *tibi soli ægrotaui*: vtpote à quo solo sanitatem expectare potui. *Medico enim vulneratus videtur quodammodo*, inquit D. August. lib. 5. quæstionum, quæst. 55. in Deuteron. *qui vt sanetur, se subdit manibus medici, vt in eo medicina opus impleatur.* His addere possumus, non superfuisse Vriam apud quem adulterij pœnam deprecaretur: non sacramentum Confessionis, ante legem Euangelicam extitisse; neque obligationem alteri quàm Deo confitendi, qui damnationis titulos eraderet.

Capitis 37. §. 6.

Cur additum: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?

1.
A peccato resurgere proprijs virib. nemo potest.

Hirundinum genus quoddam est, cruribus breuissimis: ab Adriaticis, Dardanelli appellantur, inquit Gesnerus, de quibus Scaliger, Dardanellos, humi si sint, non posse sese attollere, compertum habemus experientiâ: nec fallit: habuimus enim & nos olim, cùm eorum vnum, comparis sui persecutione, in ipsam humum vsque fatigatum, nec se inde attollere valentem, apprehensum, libero æri reddidimus. Eiusmodi nos sumus, qui magnis iniquitatibus Deum offendentes, à cælestibus in humum viscosam, in cœnum purulentiæ lapsi, nec assurgere, nec pœnitentiam agere, nec ad Deum redire, vt sanemur, nostris valemus viribus. Sed enim Christus Dominus rescissâ sententiâ irarum pristinarum, ignoscere pactus operi & imagini suæ, post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata, duas orationi alas inesse iussit, quibus homines è luto aquarum multarum emergerent, & transfretantes, imminentem capitibus suis pœnarum procellam vitarent: *Recordatus, quia caro sunt: spiritus vadens & non rediens.* Geminas, scilicet eleemosynas, quarum præsidio, securi mittamus orationem. *Quid est geminas eleemosynas*: inquit D. Augustinus lib. 50. homiliar. hom. 42. cap. 9. tom. 10. *Dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis. Vna est eleemosyna quæ fit de corde, quando fratri tuo dimittis peccatum. Altera eleemosyna quæ fit de substantiâ, quando panem pauperi porrigis. Ambas fac, ne sine vnâ & alterâ, remaneat oratio tua.* Ecquæ oratio? *Dimitte nobis debita nostra*: *Nostra* dicimus, non eadem ratione, quâ, *Panem nostrum*: noster est panis, quia Dei munere nobis tributus: nostra sunt debita, quia in nobis inest culpa, per quam pœnæ debitum voluntate nostrâ contraximus: & in peccatorum volutabris vsquequaque hæremus, nisi alarum istarum freti præsidio assurgimus; quas donat Spiritus Diuinus, & suo inflat spiramine: qui nisi donaret, nisi inflaret, non rediret ad Deum spiritus à Deo recedens. Egregiè D. Bernard. ser. 84. in Cant. *Quærit anima mea Verbum, sed quæ à Verbo priùs quæsita sit; alioqui semel à facie Verbi egressa, vel eiecta, non reuertetur oculus eius, vt videat bona, si non requiratur à Verbo. Quasi verò aliud anima nostra sit, quàm spiritus vadens & non rediens, si sibi fuerit derelicta.* Alas autem istas explicamus quotidie, manus quotidie expandimus, vt dimittantur nobis quotidiana peccata, quibus licet non æquè immergendum sit scalpellum, ac grandioribus istis capitalibus, eliciendа tamen quotidie purulentia, & exuaporanda, ne præfocet copia: *Per angustas rimulas nauis, insudat aqua, impletur sentina, & si contemnatur sentina, mergitur nauis*: inquit D. Augustinus lib. 50. homiliar. tom. 10. hom. 42. cap. 9. sic debita quotidiana, sine quibus in hac vitâ, non viuitur (à magnis autem criminibus, alieni semper esse debemus) si contemnantur, cumulum faciunt & mergunt: *Sed non cessatur à nautis, ambulant manus, vt quotidie sentinæ exhauriantur. Sic & tuæ manus ambulent, vt quotidie sentines. Quid est, ambulent manus? Da, Dent, fac bona opera, ambulent manus tuæ. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti. Fac quantum potes, fac vnde potes, fac hilariter, & securus mitte orationem*: cum suo pacto, cum suo placito, vt quomodo hilariter dicitur: *Dimitte nobis debita nostra*, sic veraciter dicatur, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: *Vt autem verum dicas in oratione, perfectè implendæ sunt eleemosynæ*, inquit D. August.

Pf. 77.

de10chordis. cap. 11. *Quæ sunt perfectæ eleemosynæ? vt ex quo tibi abundat, des ei qui non habet: & quum te lædit aliquis, ignoscas illi.* Petis tibi à Deo ignosci, & tu ignosce: petis tibi perfectè dimitti, & tu perfectè dimitte: si non dimiseris, non poteris dicere, *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus*: siue particula, *sicut*, vim similitudinis habeat, & sic petas à Deo tibi dimitti, ad eum modum, quo tu acceptas iniurias & contumelias remittis his, qui eas tibi intulerunt: siue sit conditionis nota: quomodo Dominus videtur interpretatus, quum dixit, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Etenim, *Cum qua spe oras*, inquit D. Chrysost. hom. 14. imperf. *qui inimicitiam seruat aduersus alterum, à quo forsitan læsus est. Sicut enim ipse orans mentitur, dicit enim, remitto, & non remittis, sic si à Deo petit indulgentiam, & illi non indulgetur.* Admonemur itaque & quid petamus, & quid faciamus vt accipere mereamur, quum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, inquit D. August. epist. ad Probam.

Mat. 6.

2. Cur dicatur, sicut dimittimus.

Sed cur adiecta hic ista vel similitudinis comparatio, vel conditio, quæ in alijs petitionibus non habetur? non enim dicimus *Panem nostrum quotidianum da nobis: sicut alijs damus: Libera nos à malo: sicut alios liberamus.* Ratio est, quia non semper est in nostrâ potestate positum, panem dare, aut alios à malis liberare, sicut in nobis est, malum quod patimur, remittere: quin etiam compendium facimus dimittendo, erogando, dispendiũ: hinc D. August. lib. 50. homiliar. 29. cap. 1. *Ex illâ eleemosynâ, quâ ignoscis homini, nihil perdis. Ecce statim veniam petit ignouisti, nihil amisisti. Charitate amplior domum redisti. Illud aliud genus eleemosynarum, vbi iubemur erogare indigentibus, graue videtur, quia quod quisque dederit, hoc ipsum quod dabit, non habebit.* Tali itaque ac tam facili nobis à Deo potestate donatâ, nisi quæ in nos quisque peccat, dimiserimus, ipsi salutis nostræ efficimur proditores. Remitte igitur, & remittetur tibi: nihil est quod acerbitati iræ tuæ prætendas: in te semper & vbique, situm dimittere: à te tota hæc res sumit exordium, futurumque de te in tuâ est potestate iudicium. *Potest mihi dicere*, inquit D. August. homil. 6. è 50. *Non habeo quod tribuam indigenti, non possum ieiunare frequenter, & à vino & carnibus abstinere non possum. Nunquid potest mihi dicere, charitatem te habere non posse? Ipsa est enim possessio tantò plus augetur, quantò amplius erogatur. Dimitte ergo quod tenebat, ne aduersus te ille teneat aliquid, cui non habes quod dimittas. Dimitte & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis. Scitote, fratres, charissimi, quia duæ sunt eleemosynæ. Vna cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est, dimittere ei à quo læsus es. Nam dare aliquid indigenti, aliquando quæris, & non habes. Indulge peccanti, quantum volueris, redundat tibi. Aurum & argentum, vestem, frumentum, vinum & oleum, potest fieri, vt aliquoties non habeas vnde pauperibus tribuas: vt autem omnes homines diligas, & hoc alijs, quod tibiipse velis, & inimicis tuis indulgeas, nunquam te poteris excusare. Quia si in cellario, vel in horreo non habes quod dare possis, de thesauro cordis tui, potes proferre quod tribuas. Et cum omnibus hominibus, etiamsi sola sit bona voluntas, sufficiat, & eleemosyna cordis, multò maior sit quàm eleemosyna corporis, quis est, qui vel vmbram excusationis possit prætendere?* Adhæc, ideò addita hæc conditio videri potest, quia, vt inquit D. Bernard. de Senis lib. de Christianâ perfect. serm. 6. scit Dominus aliter nos non posse peccatorum nostrorum veniam impetrare, nisi etiã proximo dimiserimus ex corde. Hoc est sacrificium laudis Deo, quo benignissimi Patris honoratur misericordia, qui tibi exemplo mansuetudinis & pietatis suæ indulgenti, non modò vult indulgere, sed etiam ipsum quod indulges, coronare. Viduam refert Osorius tomo 1. Concionũ feriâ sextâ post cineres, quæ vnici filij sui, magnarum & fortunarum hæredis, mortem ab inimico illatam, ita patienter habuit, vt ipsum etiã inimicum & homicidam, equo & pecuniâ iuuerit, quò sibi fugâ consuleret è latebris, ad quas Prætor ipsum extracturus pergebat. Neque inanis ea fuit propter Christum dilectum indulgentia: mox namque in cubiculũ regressæ, cùm pro filij salute Dominum deprecaretur: adstitit repentè filius multâ ornatus luce, qui matrẽ sic est affatus: Cùm inimico pepercisti, & pro me orasti, mater mea effecta es magis, quàm quum me peperisti: insigni namque tuâ in Deum charitate, & oratione, omnium peccatorum meorum indulgentiam obtinuisti, multorumque annorum relaxationem, qui mihi in purgatorijs flammis exoluendi restabant, impetrasti: & his dictis, spectante matre in cælum euolauit. Quid Engelbertum Coloniensem Archiepiscopum recenseam, de quo Surius 7. Nouembris. Is in itinere, violentis inimicorum suorum interceptus armis, percussus occumbebat: sed quò se Patris omnium Dei, adoptiuum probaret filium, inter effusum largè cruorem, purpuream & cælo dignam emittens animam Christum Dominum; Patrem æternum pro crucifigentibus se interpellanter imitatus, quod voce non valuit, corde precatus est, *Pater ignosce illis*: eamque ob vnicam actionem, superis admodum gratam, sicut pòst diuinitùs indicatum est, sancta illius anima, mox Angelorum suscepta manibus, nõ solùm triumphantis in morem in cælum subuecta est, verumetiam in Martyrum choris excepta, martirij palmâ & coronâ nobilitari, multorumque deinceps miraculorum gloriâ clarere, promeruit. Dignus profectò laureâ miles, qui Ducis sui exemplo, vitæ suæ hostes, non ferro, sed prece & indulgentiâ vincendos esse putauit. Itaque *Bonum factum*, inquit Tertull. lib. de pœniten. cap. 3. *Deum habet debitorem, sicut & malum: quia iudex omnis est remunerator causse.*

Luc. 6.

Vidua, vnici filij sui homicidam teruat.

Engelbertus Colonien.

3. Remissio offensæ cur caritati detur.

Moneat hic fortè quispiam, cur offensarum remissio, actui amoris detur potiùs, quàm alijs aliarum virtutum actibus, siquidem magis tribuenda videatur actui orationis, vel cuilibet alteri actui charitatis vnitiuæ immediatè Deo? Sed quod reparatur, paratum est. Quanqnam enim charitas præcipuè offensæ remissam obtineat, eius tamen principium, Christus actui misericordiæ consignauit: tum ad manifestandam illius excellentissimam dignitatem, Deo istius amoris actum postulante & acceptante, cuius subsignationem Christus à ligno regnans, totidem verbis dedicauit: *Pater ignosce illis.* Luc. 23. Tum ob mutuum respectum, siue mutui respectus cõformitatem, quæ remissioni humanæ homini, cum diuinâ quæ etiam fit homini, intercedit, nõ æqualitatis mẽsurâ, sed proportionis, quomodo beati misericordes pronuntiantur, quoniam ipsi misericordiam consequentur: Quapropter dixit D. August. in manibus nostris, & arbitrio nostro posuisse Deum vnde saluemur, aut damnemur, remitte, & remittetur tibi, si non remiseris, nec remittetur tibi. *Hanc legem statuisti mihi*, inquit August. in psal. 129. *vt quomodo dimitto, & dimittatur mihi.* Tum denique vt inculcatum maneat, orationis actum qui in præsenti vitâ exercetur, quatenus absolutè refertur in Deum, perfectionis plenitudinem non habere, ideoque nec Deo perfectè placere, nisi nostra dilectio extendatur ad proximum, quo nomine etiam inimicus censetur: inde Vericinus Prophetes psal. 118. *Omnis co-*

Luc. 23.

Psal. 118.

 summata.

consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Per latum mandatum, charitatem, intelligit Augustinus, propter quam consummati sunt Martyres Dei. *Quid enim profuisset*, inquit, *quaecunque morte imminente, & inter quantacunque tormenta, illa martyria confiteri, si charitas in confitente non esset? Charitas*, inquit Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris; in hac diffusione latitudo est, in qua sine angustijs via quoque ambulatur angusta, donante illo cui dictum est, Dilatasti gressus meos subter me: & nõ sunt infirmata vestigia mea. Latum est ergo mandatum charitatis nimis, mãdatum illud geminum, quo iubetur Deus & proximus diligi:* vel si sit inimicus, quod est via angusta sine angustiã, quã decurrit charitas.

Non poterat dignosci puritas amoris qui fertur in Deum inuisibilem, quoniam sinceri amoris speciem & similitudinem habent quoque actus amoris, quibus Numina sua honorant idololatrae, nisi probaret illum amor hominis visibilis etiam inimici, quo non extenditur amor adoratoris idoli: vnde nobis dicitur Eccl. 28. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur:* hoc est, *remitte, & remittetur tibi, quapropter fatẽdum est*, inquit D. August. lib. 2. de serm. Dom. in monte. cap. 8. *omnia peccata dimittẽda esse, quae in nos admittuntur, si volumus nobis à Patre dimitti, quae admittimus.*

Eccl. 28.

Non eradit antè debita nostra Deus, quàm aliena expũxerimus. Cyprian. lib. de orat. Dominicã, *adiunxit planè & addidit legem, certã nos conditione & sponsione constringens, vt sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus: scientes impetrari non posse, quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros, paria fecerimus.* Et D. Gregor. lib. 10. Moral. *Vult Deus vt bonum quod ab ipso compunsti petimus, hoc primùm conuersi, proximo faciamus.* Nicephoro condonanti, martyrij palma conceditur, quae Sapricio etiã post immanes cruciatus pro Christo superatos, veniam denegãti praeripitur: caelo excipitur Nicephorus, excluditur Sapricius; negat sub lictoris Imperatorij brachio Christũ, quem magna passus, magno animo & constanti fuerat cõfessus, & interni tortoribus traditur Sapricius: ne desit quam lictor mactet hostiam Deo, Christum cõfitetur Nicephorus, hastã percutitur, & in caelũ Angelicis manibus defertur. Quid enim? aperiet caelum suum Deus, illi qui viscera sua durus & immisericors, fratri supplicãti claudit? remittet homini Deus, quem odium fraternum euertit? Probare non potest, quod peccato deputauit. Frustra est, qui telo vulneri inhaerente, illud vult obducere. Iram tolle, odium tolle, fratri ignosce, & telum eduxisti, & medicũ inuenisti à quo saneris. Huic remedio sanitas nostra consecratur: hoc saepè componit, hoc saepè tractat, hoc saepè vulneribus nostris maioribus curandis, apponit Archiater noster. Matt. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester caelestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Luc. 17. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si paenitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, Paenitet me, dimitte illi.* Luc. 6. *Dimittite, & dimittetur vobis: date & dabitur vobis.* Marci 11. *Cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester qui in caelis est, dimittat vobis peccata vestra:* & in exemplum indulgere nolentium, seruus ille nequam qui à Domino liberatus, non perinde parcit debitori suo, ac propterea delatus penes Dominum, tortoribus delegatur ad soluendum nouissimum quadrantem, id est, modicum vsque delictum.

Nicephori & Sapricij facta.

Matt. 6.

Luc. 17.

Luc. 6.

Marc. 11.

Si rex quispiam plateam oberrans, casu aspergine immũdã, per fenestram quamdam imprudenter effusa totus foedaretur, & ignosceret, ex aulicis autem quidam vel stillã intutus nollet ignoscere: quanta peruersitas? *Deus nulli fecit iniuriã*, inquit D. August. serm. 9. de diuersis. c. 8. tom 10. *& tamen dimittit qui nihil debet: Quomodo debet dimittere cui dimittitur, quando ille omnia dimittit, qui nõ debet, quod ei dimittatur:* Rex & Dominus noster, *qui nihil cuiquam debebat, & pretium pro debentibus soluit*, inquit idẽ August. homil. 40. & 50. *qui in neminem peccauit, & propè in illũ omnis mundus peccauit, nec exegit supplicia, sed promisit praemia*, relaxat facinora, & homo multis titulis debitor, conseruum debitorem suum etiam supplicem rapit ad poenã. Cur ita? nisi quia peruerso ordine, implacabiles odij nostri flãmas ardere volumus, & diuinae in nos irae ardores extingui? sed non extinguũtur, vnde magis ac magis accenduntur. Prouerb. 28. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quaerit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur. Ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo. Quis exorabit pro delictis illius?* quasi dicat, illius est immedicabile vulnus. Proinde, *Ne priùs ascendamus ad Dei altare*, inquit Tertull. lib. de orat. *quàm si quid discordiae vel offensae cum fratribus contraxerimus, resoluamus. Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem, cùm omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Nam & Ioseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem, & ne*, inquit, *irascamini in viã: nos scilicet, monuit. Aliàs enim via cognominatur disciplina nostra. Tum ne in viã orationis constituti ad patrem cum irã incedamus. Exinde apertè Dominus amplians legem, iram in fratrem homicidio superponit, ne verbo quidem malo permittit expungi, etiã si irascendum est, non vltra Solis receptum, vt Apostolus admonet. Quàm autem temerarium est, aut diem sine oratione transigere, dum cessas Fratri satisfacere, aut orationem perseuerante iracundiã perdere?* Ante remissum proximo datam, ad pacem cum Deo impetrandam accedere, non est pax, sed bellum. Dilige & ignosce, dilige Deum, dilige inimicum, dimitte inimico, dimitte inimicum, & bene fac illi, vt bene sit tibi.

Dominus qui nihil debet, dimit.

Sit. Seru. debitor non dimittat.

Prou. 28.

Hoc est praeceptum Domini Matt. 5. *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos.* Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Dicet aliquis, quomodo odientem me diligam? Nunquid istud est peccatum illius fouere, in peccatum illius consentire? At, *Quisquis consenserit peccatori*, inquit D. August. in psal. 129. *non aliena, sed sua grauatur. Consensu enim ad peccatum alterius, tuum fit peccatum; & non est quod queraris, quòd peccata aliena te premant; premunt, sed tua.* Res magna est, inimico parcere, inimicum diligere: & quia res magna est, & ad salutem necessaria, magna quoque illius rei momenta expendenda sunt. Vel igitur inimicus cogitari potest formaliter, quatenus inimicus, quomodo non est obiectum amoris recti; illum enim vt talem amare, repugnat charitati, quia hoc esset amare peccatum, amare malum alterius, in quo, odio habendum est, quod odit Deus. Vel materialiter, quatenus homo est, siue quantum ad naturã & in vniuersali, vt inquit D. Tho. 2. 2. quaest. 25. art. 8. sed hoc modo, non est amare inimicum vt inimicũ, sed hominem. Vel denique cõsiderari potest secundum vtrumque respectum, scilicet, vt homo, qui me odit: quomodo Dominus praecepit inimicos diligere: non languidè, non oscitanter, nõ inaniter & perfunctoriè, sed verè, sed sincerè. 1. Ioan. 3. *Fratres, non diligamus verbo & linguã, sed opere & veritate.* Si feruor fuerit dilectionis, erit & actionis; *Probatio autem dilectionis est exhibitio operis*, inquit D. Gregor. homil. 30. Sed quis haec obseruat?

Matt. 5.
Prou. 25.

Inimicus cogitatur, formaliter, materialiter, vel sub vtroque respectu.

1. Ioan. 3.

uat? quis hæc facit? *Aut etiam si quis se cogit, vt faciat*, inquit D. Saluianus lib. 3. de vero iudicio & prouidentiâ, *Facit tamen ore, non mente. Præstat quidem vocis officium, sed animi non mutat affectum: ac per hoc etiam, si pro aduersario suo orare se cogit, loquitur, non precatur.* Et hoc est perfunctoriè agere.

Inimicorum dilectionem præcipit Deus.

Vt autem expeditè, alacriter, & sincerè agas, respice Deum, respice proximũ, respice te. Deus est, qui præcipit homini, immortalis mortali, seruo Dominus, liber adstricto, pactus remissionem & amorem, remissioni & amori tuo. D. August. lib. 50. homiliar. tom. 10. hom. 42. cap. 6. *Et induxit nobiscum Deus pactum, & placitũ, firmumque chirographum, vt dicamus, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Qui vult dicere efficaciter, Dimitte nobis debita nostra, oportet quod dicat veraciter, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si hoc quod est posterius, aut non dicit, aut fallaciter dicit, illud quod prius est, inaniter dicit.* Euacuetur cor omni amarulentiâ. *Dimittite totũ quidquid aduersus aliquem habetis in cordibus vestris: ibi dimittite, vbi Deus videt. Aliquando enim homo dimittit ore, & tenet in corde: dimittit ore propter homines, & tenet in corde non timens oculos Dei. Prorsus dimitte, quia quod propter homines dimittitur, non apud Deum valet, quod autem propter Deum dimittitur, apud Deum valet, & apud homines prodest.* Concludit D. Chrysostomus hom. 14. Imperf. *Ergo orationem quidẽ accere potes, circumueni e autem & fallere Deum non potes: nec accipis indulgentiam, nisi prius indulseris ipse.* Filij Patriarchæ Iacob Gen. 50. veniam à fratre suo Ioseph deprecaturi, Patris præcipientis interposuere auctoritatem: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus. Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorũ, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus, vt seruo Dei patris tui, dimittas iniquitatem hanc.* Et dimisit, nec tantùm dimisit, sed securos esse fecit, cõsolatus est eos, & pauit. Thrasybulus Atheniensium princeps, restituto suis sedibus Atheniensi populo, qui triginta tyrannorum sæuitiâ, vagus, dispersusque agebat, victoriam illam, moderationis laude aliquantò clariorem fecit. Remisit itaque iniurias, plebis etiam scitum interposuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret. Hæc obliuio, inquit Valer. max. lib. 4. cap. 1. quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant, concussum & labẽtem ciuitatis statum, in pristinũ habitum reuocauit. Christus Dominus post condemnatũ hominem cum sæculi dote, post eiectum paradiso, mortique subiectum, atque sæuitiâ diabolicæ tyrannidis palatim dispersum: populũ sibi congregauit, & multis bonitatis suæ largitionibus fouit, & ingratissimum toties expertus, hac lege obliuionis interpositâ: *Dimitte nobis sicut dimittimus*, ad suam misericordiam maturauit. Et tu de vltione cogitabis, quæ est hæreditas Dei? *Mea est vltio*, inquit Deuter. 32. *& ego retribuam eis*. In vitis Patrum 2. parte. lib. de pœnitentiâ, cùm Monachus quidam acceptâ iniuriam vlcisci cogitaret, Abbas Suso, vt illam remitteret, rogauit. Deo esse curæ vindictam: negat ille se quietum fore nisi vindicarit: cui senex, quia ita constituisti, priùs Deum vnâ precemur. Orat Suso: Iam ergo Deus non est nobis; quandoquidẽ vindicari volumus, & possumus; quo audito iunior, ad senis genua procidens, veniam petijt: iram posuit, vindictæ libidinem. *Quid est ira? libido vindictæ*, inquit D. August. hom. 42. è 50. cap 7. tom. 10. *Et libet hominem vindicari? & nondum est Christus vindicatus, nondũ sunt Sãcti martyres vindicati, adhuc expectat patiẽtia Dei, vt conuertantur inimici Christi, conuertantur Martyrum inimici. Nos qui sumus vt vindictam quæramus? Si quæreret illam Deus de nobis, vbi remaneremus? Ille qui nihil nos læsit, non vult se vindicare de nobis? & nos quærimus vindicari qui penè quotidie Deũ offendimus? Ergo dimitte, dimitte ex corde.*

Gen. 50.

Thrasybulus.

Deut. 32.

Abbas Suso.

Cogita proximum: homo est, & imago Dei, in quam irâ & furore armatus sæuire paras, vindictæ pulsatus appetentiâ: hac cogitatione, Macedonius, in montibus Antiochiæ vicinis eremita, Imperatoris Theodosij manus, aduersus Antiochenos, qui ob tributum extraordinarium impositum æream Placillæ reginæ statuam demoliti erant, magnas cædes cogitantis exarmauit. Ite, inquit, præfectis in media vrbe ab equis descendere iussis, & nunciate Imperatori vestro, Meminerit se hominem esse, & à Dei optimi maximi nutu pendere, eius benignitatem imitetur, neque propter æream statuam, Dei imaginem hominem crudelissimè interfici curet: maximè cùm statuæ multæ pro vnâ, reponi possint: at ne pilum quidem Imperator, interfecto homine, restituere possit, apud Theodor. lib. 5. cap. 20. Si Beli statua quam Ninus Assyriorum rex eius filius dedicauit, ad eam confugientibus subditis, asylum clementiæ fuit: quid non erit cogitata in homine, imago vera patris nostri Dei? Sed odio me habet inimicus. Quid tum? an quia in primo templi aditu puluerosus est crucifixus, non reuereberis? *Occurrit tibi homo peccator*, inquit D. August. in psal. 102. *duo nomina dixi. Hæc duo nomina, nõ superflua sunt. Duo nomina, aliud quod homo, aliud quod peccator. Quod homo, opus est Dei: quod peccator, opus hominis est. Da operi Dei, noli operi hominis.* Quia peccator est, corrige; quia homo, ama. Neque verò tam puluerosus est homo, id est tam malus, & tam malè affectus, vt fingis ipse tibi: quem liuor euertit, illi — *maior quoque videtur*,

Et melior vicina seges, vt cecinit Iuuenalis Satyra 14. & Ouid. lib. 1. de Arte.

Fertilior seges est alienis semper in agris:
Vicinumque pecus, grandius vber habet.

Sic cui affusum cor iræ nebulâ, proximi peccatũ grandius apparet, quàm sit. Solis rota matutino & vespero tẽpore grandior paret quàm meridie, quod vel vaporum interpositu accidit, quos sensorij visus radij verberant; vel quia obliquè, & non directè, velut meridie, à nobis videatur: sic

Impedit ira animum ne possit cernere verum. Sicut enim fumus, oculos mordicans, non sinit vel id quod ante pedes est, videre: sic ira exsurgẽs obtenebrat rationem, inquit Aristot. ideòque cauẽdum monet D. Augustinus in regulâ, *Ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festucâ.* Ne quod veniale est in proximo, magno deputet crimini, & ex irâ in homicidium ruat, dicit enim Apostolus: *Qui odit fratrem suum homicida est.* D. Saluianus lib. 3. de Prouident. *Intelligere ergo possumus multos esse homicidas, qui se innoxios putant, quia vt videmus, homicidium non solâ tantùm occidentis manu, sed etiam odientis animo perpetratur.* Et D. August. homil. 42. c. 7. è quinquaginta. *Expauescite, inquit, quando dicitur, Qui odit fratrem suum homicida est. Gladium non eduxisti, non vulnus in carne fecisti, nõ corpus plagâ aliquâ trucidasti: cogitatio sola odij in corde tuo est, & teneris homicida. Reus es ante oculos Dei: ille viuit, & tu occidisti. Quantum ad te pertinet, occidisti quem odisti.* Demus porrò proximum nostrum esse bipedum nequissimum. Saltẽ Diui Chrysostomi homil. 18. in Matth. consilio insistamus; ægritudine inimicum laborare cogitemus: laborat stomacho vicinus tuus, ex nauseæ molestiâ ad vomitum concitatur, in caput eius manũ iniicis, nec irasceris, miseret te illius, quanquam consputus sis, & conspurcatus vomitione: & inimicum odio insectaberis? Vltum ibis? non ille sanus est, si te, iniuriâ lacessiuerit, quod peccat, valetudini donetur. M. Catonem in balneo, quidam percussit imprudens, (vt inquit Seneca lib. 2. de irâ cap. 32. & refert Plutarch.) quis enim illi sciens faceret iniuriam? postea satisfacienti, Cato,

5. Macedonius eremita.

Beli statua, asylum clementiæ.

1. Ioan. 3.

Infirmitati donandum quod peccatum est.

M. Cato.

Non memini, inquit, percussum me; meliùs putauit non agnoscere, quàm vindicare. Virum quendam nobilem, suâ ætate, scribit Petrarcha, magnifico apparatu transeuntes excipere solitũ, qui die quadam à syluis & venatu, quo delectabatur, laceratâ dumis veste rediens, domum hospitibus plenam reperit; quibus honorandis intentus, dum huc atque illuc cuncta prouidẽs discurrit, in superbum quendam horum famulum stabula purgantem incidit, à quo impotente irâ percito, dum blandè illum corripit, exiētâ manu in faciem cæditur. Abiit ille tacitus; sed mox vt inter discumbentes medium, furcifer ille conspexit, trepidare cœpit; atque explorato quisnam esset, veniam deprecari: cui ædium herus, Tibi, inquit, libens parco, sed huic (digito lacernam lacernam ostendens) non parco, quæ vt ita tractarer, effecit. Magni animi est iniurias despicere: barbarorum vlcisci, quos procul omnis iuris humani societate, proxima belluis natura efferauit. Vt ait Quintilian. declamat. 13. Fac, licet, aduersarium tuum nequiter malũ homo est: & istud quod homo est, amandum est: magna interim pars hominum est, quæ nõ peccatis irascitur, sed peccantibus: iniusti prorsus, dum iusti videri volunt: Quòd si, qui læsus est, sine caussâ orat Deũ, vt ait Chrysost. homil. 14. Imperf. *Quomodo purus orat, qui non solùm ab altero læsus non est, sed ipse per iniustitiam alios lædit & grauat?*

6. Ignoscere durus, seipsum perpendat,

Porrò teipsum quoque perpende, faciet te moderatiorem respectus tui, si te consideraris. Nunquid & ipse tale aliquid commisi? Nunquid sic erraui? expeditne mihi vltum ire iniurias? si ppplicium de inimico sumere: Multi leues iniurias aliùs sibi demisere, dum vindicant: aculeum figunt apes, & moriuntur: vlciscendo, iræ nostræ aculeũ in aduersarij nostri vulnere relinquimus, & cœci nescimus, ferro quasi altiùs impresso, animam nostram ad internum confodi. Fœda & execrabilis est vis nocẽdi, & alienissima homini, cuius beneficio, etiam saua mãsuescunt, cicurata non nocent. Sed quis es, qui inimicũ non diligis? *Prius te dilexit impium Deus*, inquit D. August. lib. 50. homiliar. hom. 6. *qui nunquam fuit impius. Tu autem, etiamsi iam non es impius, fuisti tamen aliquãdo, quia nemo fit iustus, nisi ex peccatore. Si ergo iam tibi peccatũ dimissum est, ille te insequitur, qui nondum est iustus. Et tu antequam iustificareris, alios persequebaris: perieras, & inuentus es. Et ille qui tibi aduersatur, inuenietur, & non persequetur. Noli cogitare quod tuis meritis talis factus sis, quia Dei gratia te talem fecit. Ecce putas quia Deus quomodo tu vis, nulli malo velit parcere: quid de te factum est, qui sine peccato esse non potes? Hoc habent quasi proprium omnes iniqui: nolunt vt parcat Deus iniquis, & non vident quid ipsi sint, etiam ex hoc ipso quod ita volũt. Sed ego iustus sum, inquis. Si tibi non parceret Deus cùm esses iniquus, quomodo ad iustitiam peruenisses? An fortè volebas, vt Deus vsque ad te patiẽs esset, quousque tu per uenires ad iustitiam? Quia Deus extendit pũtem misericordiæ suæ, vt tu transire posses: hoc vis, vt iam subducat ne alius trãseat?* Diligamus inimicos. Nihil in quenquam superbè ac violenter consule, nescis, quid serus vesper vehat, quidve crastina pariat dies: qui tibi hodie amicus est, tale quid fortè cõmissurus est, vt in æternâ tecum vitâ esse non possit: è diuerso, qui tibi erat inimicus, talem pœnitentiam acturus est, vt etiam te in cælesti Hierusalẽ altior sit futurus. Nunquid D. Paulus priùs erat sceleratus, inimicus Christianorũ, rapiebat, vastabat, sæuiebat? Nũquid cùm pateretur Stephanus, ad vestimenta lapidantium custos, quæ posuerant ne impedirẽtur saxa proijcere, in omniũ manibus scelus illud operabatur? *Videte istũ virum vnâ voce Domini, ex persecutore factũ prædicatorem. Præstitit eos quos oderat.* Non erãt illi quos insequebatur, Apostoli, quod ipse factus est, pro illo orauerunt illi quos persequebatur, & exauditi sunt. Ille persequebatur, sed illi vicerunt. *Illi enim magis occiderunt, & interfecerunt rogando pro eo. Quomodo? Ecce vnâ voce prostratus est persecutor: surrexit enim iam non persecutor, sed prædicator. Qui enim persequebatur, mortuus est. Quære persecutorem, & non inuenies, quia iam surrexit. Ergo illi potius occiderunt eum orando, quàm ille persequendo. Et vos ergo, Fratres, sic orate pro inimicis vestris, vt occidat eos Deus, id est, vt eorum malitiã, quæ vobis inimicatur, occidat. Sic enim non occidit quod creauit, sed quod ipsi sibi fecerunt. Homo enim & peccator, duo nomina sunt: in ipsis duobus nominibus quære quid fecerit Deus, quære quid suaserit Diabolus. Homo enim à Deo factus est, peccator suadente diabolo, ab homine factum est. Quis horum duorum te persequitur: Si enim tu bene viuis, non te persequitur, nisi qui malus est. Non ergo homo, sed peccator te insequitur. Roga pro homine, vt extinguat Deus peccatorem. Cùm enim mortuus fuerit peccator, nihil tibi aduersabitur: imò consolabitur viuens, qui te in peccatis mortuus persequebatur. Non igitur vobis graue sit, per ipsius Domini nostri misericordiam vos attestor, quia spes nobis alia non est, nisi dimiserimus, quidquid nos læserint homines. Nemo vos fallat, aliud maius sacrificiũ non est quod debeamus Deo, nisi quidquid boni est, etiam malis hominibus, sed tamen hominibus, fecerimus.* Nos ideò legem à Deo accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit.

Malitia necidendo vt viuat homo.

> ——— *quippe minuti*
> *Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas*
> *Vltio.* inquit Iuuenalis.

Capitis 37. §. 7.
Quid in pecuniali debito agendum cum proximo?

1. Dimittendi est, quoties charitas violatur.

Dimittendi, mne ex huius petitionis præscriptio, vt orans exaudiatur? Certè de pecuniã animi dimittendã, siue acceptã iniuriã, hîc tantùm admonemur. Christus namque, è a solùm iubet nos hîc dimittere, quibus non dimissis, charitas ipsa violatur. Nostri quippe officij planè est, cũctos charitatis affectu prosequi, quod sine labe à nobis prætermitti non potest. Quando itaque, talis est debiti natura, vt nisi relaxetur, charitas cõstare nequeat, relaxare tenemur: sin verò eiusmodi est, vt illo interposito, charitas inuiolata consistat, non tenemur: huiusmodi est æs alienũ quouis modo contractum, hoc est, mutuo, commodato, contractu: quod quia sine culpâ cõstitui potest, & quisque pecuniarius debitor, saluâ charitate fieri: eadem illibatâ solui potest, & repeti. *Non hic ergo quisque vrgetur pecuniam dimittere debitoribus*, inquit D. August. de serm. Domini in monte lib. 2. cap 8. *sed quæcunque in eum alius peccauerit.* Quod si dixeris, videri quoque pecuniale debitum remittendum, cùm dicat ibidem D. Augustinus, *Peccat namque in te, qui tibi pecuniam debitã, cùm habeat vnde reddat, recusat reddere. Quod peccatum, si non dimiseris, non poteris dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Manifestum est ibi D. Augustinum non agere de pecuniæ debito, quod dimittendum sit, sed de culpâ debitoris, quam incurrit vltra debitũ, vel propter moram, quia præfinitum solutionis tempus transgreditur; vel quia cùm possit, non se exsoluere, ad cuius culpæ remissionem, quia iniuriã continet, teneris.

Culpa debitoris dimittenda.

Quid si debitor omnino noluit reddere? Hic vel certè habet, & nõ vult reddere; vel vnde reddat, non habet. In vtroque casu, audi D. August. consulentem, *Nam pecuniam dimittere, illo potius tenemur præcepto, quod superiùs dictum est, Si quis tibi tunicam tollere voluerit, & iudicio tecum contendere, dimitte ei & pallium. Nec ibi necesse est omni pecuniario debitori dimittere debitum, sed ei qui reddere noluerit, intantum vt velles etiam litigare. Seruum autem Domini, vt ait Apostolus, non oportet litigare. Qui ergo vel sponte, vel*

Æs alienum remittendũ nolenti, vt non potent reddere. Matt. 5.

tenentem, pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda illi est. Duas enim ob res, nollet reddere vel quòd non habeat, vel quòd auarus sit, vtique aliene cupidus. Vtrùque autem pertinet ad inopiam. Nam illa est inopia rei familiaris, hac animi: Quisquis itaque, tali dimittit debitum, inopi dimittit, opusque Christianum operatur, manente illa regulâ, vt in animo paratus sit amittere, quod sibi debetur. Quomodo Hebræos paratos fuisse oportuit, apud quos, veteri instituto, septimo quoque anno, debitorum remissio fiebat. Deut. 15. *Septimo anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo, repetere non poterit: quia annus remissionis est Domini.* Quomodo & illos quoque quos Galli olim in suas ciuitates recipiebant; neminem autem admittebant, nisi qui pecuniâ mutuò dedisset, quæ apud inferos redderetur: teste Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

Deut. 15.

Gallorum consuetudo in ciuitates suas extraneos recipiendo.

2. Debitores non acriùs persequêdi.

At verò, quia perniciosum est debitori habere vnde reddat, nec reddere, ne ille dum alienâ pecuniam lucrum facere vult, damnum fidei patiatur, vt loquitur D. August. proderit modestè & leniter omni modo agere, vt restituat, non tamê licet efflictim persequi, hoc enim charitatis iura infringere est, & violatæ societatis humanæ reû teneri, cuius pars est proximus, cui perinde ac patriæ nôcere nefas. quomodo Seneca lib. 2. de irâ. c. 31. arguatur: *Nefas est nocere patriæ, inquit, ergo & ciui, nam hic pars patriæ est. Sanctæ partes sunt, si vniuersum venerabile est: ergo & homo homini: nam hic in maiore tibi vrbe ciuis est. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? Vt omnia inter se membra consentiunt, quia singula seruari, totius interest: ita homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sumus. Salua autê esse societas, nisi amore & custodiâ partium non potest.* Huc Solon respexisse videtur, apud Plut. in præceptis politicis, quum in animo haberet æs alienû tollere, nisi, quum consilium suum ad amicos retulisset, & ipsi iniquissimè grande æs alienum conflare præuerterunt, lege breui pôst promulgatâ, malè audisset, quasi ciues circumuenire vellet, ipse priùs circumuentus.

3. Peccetne qui nolens dimittere, dicit, dimitte nobis &c. & nos dimit. deb. nostris?

Veruntamen dicere ne inculpatè potest, qui nô habet in animo dimittere proximo iniuriam, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*? Omittêdam hanc conditionem, aut ab hac oratione abstinêdum, dixere nonnulli, quòd sic orantem mentiri Deo, & sese peccato mortali inuectere, existimarint. Sed frustra sunt. Neque enim licet, huius orationis formulam truncare, quam Patris æterni Sapientia instituit: grauiusque foret, integritatê eius proprio adfectu vitiare, quàm, si quod peccatum esset sic orari, & nihilominus nô dimittenti, eam integram dicere. Bonû quoque opus in peccato existentê nolle operari, desperare est; siue in luto demersum, nolle exire, quod est perniciosissimum; ergo bonû non est, grauioribus etiam piaculis irretitum, ab hac prece, quæ orationum primiceria est, cessare. Hanc igitur oret etiam fraterno flagrans odio, nec omittat. *Multi nolentes veniam dare peccantibus in se*, inquit D. Chrysost. hom. 14. imperf. *Fugiunt istam orationem orare: Stulti primùm, quoniam qui non sic orat, quemadmodû docuit Christus, nec est Christi discipulus. Secundò, quia nec Pater libenter exaudit orationem, quã Filius non dictauit. Cognoscit enim Pater, Filij sui sensus & verba, nec suscipit, quæ vsurpatio humana excogitauit, sed quæ sapientia Christi exposuit.* Atqui Christus multos fore nouerat, qui debitoribus suis veniam non dantes, hanc orationem dicerent; in quocunque igitur statu, à quouis ea recitari potest, & debet, aliàs qui eam hominum vniuersitati dicendam tradidit Christus, laqueum nobis substruxisset. Publica enim est hæc oratio, & communis, non priuata & particularis, vnde non dicitur, *Dimitte mihi*: sed, *Dimitte nobis*: ideoque rectè dicitur, à quocunque dicatur: tum quia singuli fidelium Ecclesiæ nomine eam fundunt precem, in quâ homines sunt pij, qui peccata alijs donant: tum quia simul à Deo petitur, vt oranti à diuinâ manu facultas fiat, aliorum peccatis ignoscendi, quæ in ipsum, iniuriâ, vel obiectione contumeliæ admissa sunt. Ita Abulensis quæst. 116. in cap. 6. Matt. Azorius lib. 9. Institution. moralium cap. 37. & 41.

CAPVT XXXVIII.

Cur dicatur, Et ne nos inducas in tentationem?

QVia in eam demissi vitam sumus, quæ nunquam nobis tentationum terminû, & pugnæ finem, ipsa factura sit, ne post petitam & obtentam à clementissimo Patre nostro Deo, indulgentiam, rursus telis inimicorum fracti, in eadem, ex quibus digressi sumus, reuoluamur, *Adiecit*, inquit Tertull. lib. de Orat. *ad plenitudinem tam expeditæ orationis, vt non de remittendis tantùm, sed etiam de auertendis in totum delictis supplicaremus*: vt non aliud, in ipsâ oratione Dominicâ, orent fideles, dicentes maximè illud, *Ne nos inferas in tentationem*, nisi vt in sanctâ obedientiâ perseuerent, sicut docet D. Augustinus lib. 2. de dono perseuerantiæ cap. 23. Cùm itaque, præcedentis petitionis institutum fuerit, nos debitorum securos reddere, quæ non potuimus efficere, vt facta non fuerint, nisi ista sententia orationis subueniret, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Hac sextâ petitione, quia potes facere, vt non facias, quod fecisti; & Deus ita cor suum habet in potestate, vt bonû, quod non tenes, nisi propria voluntate, non tamen teneas, nisi ipse operetur in nobis & velle; vinceris autem si illum adiutorem non habueris, si te deseruerit, ideò ponis, *Et ne nos inducas in tentationem*: quod quum dicimus: *Nos admonemur hoc petere*, inquit D. August. epist. ad Probam. *ne deserti eius adiutorio, alicui tentationi, vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti*. In quo, quid aliud, quàm vt in sanctitate perseueres, precaris?

1. Vita nostra iugis tentatio est.

Non facit compendium, qui vt se veteri debito exoneret, nouo se implicat: & qui in gratiam Domini reuocatus indulgentiâ, post hac, iteratione delicti, ab eo recedit, nonne versuram domi facit: Eccl. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? Sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet.* Pulchrè D. Ephræm Syrus, Ode in eos qui assiduè peccant, tomo. 1. *Vbi semel emerseris, noli denuò mergi, quotidie peccando, ædificando, diruendo, texendo, dissoluendo, puerorum instar, qui frequenter domos quas erexerant, reuersi, iteratò destruunt. Fuge scorpionem, cuius nouisti stimulum. Fuge diligenter serpentem, cuius exploratam habes perniciem. Nam qui secundò in eumdem lapidem impegerit, cæcus est, aut mente captus, non cernens, quid fugiendum sit.* Euitanda fouea est, in quam aliquando corrueris. *Euasimus semel*, inquit Tertull. lib. de pœnitentiâ cap. 8. *Hactenus periculosis, nosmetipsos ne inferamus, etsi iterum euasuri videmur. Plerique naufragio liberati, exinde repudium & naui, & mari dicunt, & Dei beneficium, salutem scilicet suam, memoriâ periculi honorant.* Negat beneficium, qui beneficium non honorat; respuit datorem; quum datum deserit. Si munus displicet, nec potest placere qui dedit: timor autem hominis, Dei honor est. Hoc quoidam egit ad mortem, quòd proposita sæpe mutando, in eadem reuoluebantur, & non reliquerant nouitati vitæ locum: idcirco Dominus cautionê ruinæ præstruit, quum orare nos iubet, *Et ne nos inducas in tentationem*. Et vt medicus, vbi hominem ex inualetudine sani-

Eccl. 34. Relapsus in peccatum cauendus.

Beneficium negat qui non honorat.

tati

tati dedit, cauens relapsum, victum illius admetitur; ne dicam ipsummet. qui ex longâ & graui valetudine explicitus, de recidiuâ anxium, quum motiuncolis, leuibusque interim offensis perstringitur; & cùm reliquias effugerit, suspicionibus tamen inquietari, medico iam sanas manus porrigere, omnem corporis sui calorem calumniari, victusque normam expetere. Ita præscripsit auertendi relapsus modum, Medicus noster Christus, quem tu quoque multis periculis obnoxius, innumeris afflictus malis, plurimorum inimicorum telis obiectus, multorum affectuũ stimulis, aculeis, & facibus lacessitus, punctus, vstus, appetas, vt nõ te rursus in delicta restituas, dicens: *Et ne nos inducas in tentationem.*

2.

Mortes animæ multæ.

Fragile est quod viuitur, & vt morbi corporis multi, ita mortes animæ multæ: conteritur vita inter errores, etiamsi dies noctesque bonæ menti laboremus, tentationibus in diuersa vocemur, & dum persuademur, à viâ errantium multitudine, errores in maius augentur: *Nihil ergo magis præstãdum est*, inquit Seneca lib. de beata vitâ. cap. 1. *quàm ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes, non quà eundum est, sed quà itur*: quod etiã cùm effecerimus, non euasimus in portũ, adhuc fluctuamus, infirmi ad omne tolerandum, nec laboris patientes, nec voluptatis, nec nostræ, nec vllius rei diutiùs. *In hac terra tentatio est*, inquit D. August. serm. 48. de diuersis. tom. 10. *in hac terrâ periculosè nauigatur, in hac terrâ, per rimas fragilitatum subintrat aliquid quod debeat seminari.* Adhæc, multa extra sunt quæ circumeunt nos, vt fallant, aut vrgeant, multa intus, quæ exæstuant. Quare animã nostram, simulachrum immensi maris esse dixerim, quod describit Propheta Regius psal. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis: illic naues pertransibunt. Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Mare, dixit, quia sicut

Vita multitudinis fugienda.

Anima nostra simulacrum maris. Psal. 103. Noue interpretatur.

Qui latam Nereus cæruleus ambit humum,

flexilis est & mobilis ad ventorũ flabra. ita naturâ humanus animus agilis est, & pronus ad motus. *Magnum*, quia ceu

Oceanus magnum qui fluctibus ambijt orbem,

Magna agitat, magna capit, magna admittit, nec redundat, magni factoris sui capax; *Spatiosum manibus*, quod ceu vastum mare, terram in modum insulæ, sinubus suis; quos brachia maris vocant, vniuersam apprehendit: ita humanus animus, cùm cuiusuis formæ suscipiendæ vim habeat, cõplexu suo omnia inuoluit, ad quæ voluntatis & intellectus sui expandit manus. Terribile mare, mare formidolosum: ibi sunt repentia quorum non est numerus, animalia pusilla & magna: tẽtationes laquei, retia, plagæ, pedicæ, ab inimicis pusillis, & magnis. Vnde D. August. concione 4. de 3. parte huius Ps. *Insidiæ repunt in hoc sæculo, & incautos repente occupant. Repentes autem tentationes, quis numerat? Repunt, sed caue ne surripiant.* Caro, domesticus hostis, blanditur: Mundus fallax decipit: Diabolus, veterator ille dolosus, perdit. Exercitus suos, quisque habet, animalium reptantium, pusillorum & magnorum, armis instructos probatissimis. Quis inter tot aduersarios belli duces fortissimos, inter tot infensas cohortes subsistat? Illic tamen naues pertransibunt, & vt pertranseãt naues, vt pertranseant in ligno fideles, *Vigiletur in ligno*, inquit D. August. *etiam in aquis, in cruce nauigamus, etiam in fluctibus tutò sumus. Non dormiat Christus, non dormiat Fides & si dormierit, excitetur. Imperabit ventis placabit mare: quietus vix gaudebis in patriâ. Fideles vacant, & nõ merguntur. commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia pusilla, magna. Gubernator est Christus in ligno crucis sua. Non timeant naues, non valde attendant vbi natent, sed à quo gubernentur. Quem commeatum reperitis tristem, quando gubernatorem sentiunt Christum? Cõmeabunt securè, commeabunt perseueranter, venient ad finem debitum, perducentur ad terram quietis.* Ideò dicimus, *Et ne nos inducas in tentationem*, ne quis suâ se virtute stare arbitretur, ne quis glorietur si pertranseat securus, sed totum deputet ligno, deputet Christo. Etenim. *Quoniam magna & magnifica supra mãdauit hominibus, vt Deum, Patrem suum dicant, vt genus suum de cælo cognoscant, vt regnum Dei petant venire, vt nõ sint solliciti vt pascãtur, quæ omnia magna spei & iustitiæ signa sunt: ideo nũc additur humilitatis doctrina, vt dum dicũt, Et ne nos inducas in tentationem, cognoscãt se esse infirmos, & consideratio infirmitatis, causam gloriationis extinguat*, inquit Auctor Imperf. in Matt. hom. 14. apud D. Chrysost. & D. Cyprianus lib. de Oratio. Dominicâ. *Quando autem rogamus ne in tẽtationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis insolenter se extollat; ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat, ne quis, aut confessionis, aut passionis gloriam suam ducat: cùm Dominus ipse humilitatem docens, dixerit: Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma: vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo: quidquid suppliciter cum timore, & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Quod autem dicimus pluratiuo numero. *Nos*, ait D. Chrysost. hom. 20. in 6. cap. Matt. *vt proximis per cũcta placati, ne vestigium quidem in nobis iracundiæ relinquamus.*

Homini genus de cælo.

3.

Gratias Deus contra tentationes.

Et verò, non naturæ nostræ est, non imbecillitatis humanæ, in omni cum tentationibus congressu, tot, tantos, tamque varios, aduersariorũ fortissimorũ impetus sustinere, nedum superare: ideoque auxiliares diuini Numinis manus implorandæ sunt, vt & in angusto inclusæ cupiditates, sine exitu, se ipsæ strangulent: aliens incrementis inimicissima inuidia, obuiatur, atque aliæ alijs succedentes tentationum laruæ, exterminentur; & ipse quoque draco, qui in hoc sæculo, in mari magno naturæ nostræ mortalis, ità feruidus, insidijs astutus, magno molimine, animas tabulis inscriptas Dei, suâ in malum suggestione, detrahere conatur, proteratur illusus. Ad hoc enim factus est draco, vt tu, qui remissâ iam culpâ, Deo, à quo recesseras redditus, illudas ei, qui lapsu irreuocabili, ex Angelo cæli inquilino, factus diabolus, accepit quendam locum in hoc mari magno & spatioso: in quo, regnum eius quod putas, carcer est, inquit D. August. in psal. 103. Huic porrò illusisti, si quidquid est tibi virium ad illudendum ei, acceptum referas Deo, non tibi placeas, nõ te efferas insolentiùs; caueas casum. caueas ruinam. Deus enim est in quo eripimur à tentatione. psal. 17. Thorildam Hadingi Sueonum regis coniugem, scribit Saxo, lib. 2. cùm priuignos suos Regnerum & Thoraldum, odio plusquam Vatiniano, prosequeretur, vt varijs illos periculorum generibus implicaret, regio tandem pecori, vmbrarum perpetuis laruis circumfusos, præfecisse: ad quos Suambuira Hadingi Danorum regis filia, sororibus in famulitium assumptis, in Sueciam profecta. Regnerum ense magico donauit, moxque dimissis comitibus, aduersus laruas inlumi nocte dimicauit: luce redditâ; varias laruarum formas, horrendas portentorum species, armis passim incidisse comperit; inter quas, & ipsius Thorildæ effigies, varijs concisa vulneribus, visebatur: quas, ne teter obscœnorum cadaucium odor, aërem affligeret, in struem congestas, accensâ ingenti pyrâ, cremauit. Quo facto, Regnero Sueciæ regnũ, sibi verò Regneri thorũ cõciliauit. Si nos impotẽtis inuidiæ & odij rabie infestãt tẽtationũ laruæ, vmbræ scelerũ furẽtes, phanaticæ, vt discutiãtur, vt cõcidãt, nõ ense magico, sed entheato, nostras in præ-

Diaboli regnum carcer est.

Psal. 17. Thorildæ Hadingi odium.

lium

1. Reg. 2.

sisi armat manus Deus, cuius beneficio 1. Reg. 2. *Arcus fortiũ superatus est: & infirmi accincti sunt robore: Qui ponis vt arcũ æreũ brachia nostra*, ps. 17. *Qui docet manus meas ad præliũ, & digitos meos ad bellũ*, ait Rex & Propheta, psal. 143. Huic vni, quod pugnamus, quod non cedimus, quod vincimus, quod perseueramus, quod coronemur, dandũ omnino est, cũ Apostolo, dicente, *Deo autẽ gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Psal. 17. & 143.

1. Cor. 15.

Ex his manifestum est, eum qui ex peccatore, Dei gratiâ factus est iustus, posse propriâ voluntate, gradum deserere. Hoc ipse petitionum ordo insinuat; siquidem post oratam, & acceptum gratiæ iustificantis donum, instare apud clementissimum Patrem iubemur, vt suo nos auxilio munitos, aduersus hostium tentamenta, voluptatumque irritamenta, corroboret, ne tentatione pulsati, nobisque ipsis relicti, cursus in delicta reuertamur. Quapropter Tridentinum ss. 6. can. 22. & 23. hæreticos damnat eum qui dixerit, iustificatum, non posse à suâ iustitiâ excidere. Quomodo asseruere errones nonnulli, ex illo Apostoli. 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*, cui consonum videtur istud 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet*, perperam intellecto, charitatem semel habitam, nunquam amitti posse, dogmatizantes. Sed frustra sunt: nam si piaculis post acceptam gratiam commissis, non euertitur in homine charitas, quorsum illud Apocal. 2. *Charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam*? Hoc autem ideò fit, quia charitas in animâ hominis, secundum ipsius animæ modum recipitur, vt scilicet, eâ vel vti possit, vel non vti; sicut docet D. Thomas in eum locũ Apostoli lect. 3. quâ dum vtitur, peccare non potest, quia charitatis vsus, est dilectio Dei super omnia: vnde nihil reliquum est homini, per quod Deum offendat: atque ita intelligendum illud 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, &c.* Apostolus autem, non hîc agit, de cessatione donorum spiritualiũ per lethale peccatum; sed potiùs de cessatione donorum spiritualium, quæ pertinent ad hanc vitam, per superuenientem gloriam, in quâ charitas non mouetur aut labitur, sed semper manet, vt quæ semper firma, stabilis, & immobilis permaneat, inquit Theodoretus. Vnde sensus Apostoli est charitatem sicut in statu viæ, ita in statu patriæ permansuram, & cum augmento: quia hîc, ignis quidem charitatis est; in cælesti autem Hierusalem, caminus eius est. Non igitur charitati viæ, sed charitati patriæ permanentiã tribuit. Quinimò 1. Corint. 10. eos dum vrget atque incitat, ad studium & actionem virtutis circumspectos, cautosque esse iubet, vt ne nimis viribus suis fidãt, adducto plurimorum exemplo, qui cùm in gratiâ aliquando fuissent, in grauissima tamen peccata lapsi sunt: additque tandem: *Hæc scripta sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt. Itaque, qui se existimat stare, videat ne cadat.*

Iustus potest rursum peccare.

1. Cor. 13.
1. Ioan. 3.

Caritas quomodo nunquam excidit.

Apocal. 2.

1. Ioan. 3.

1. Cor. 10.

Primus generis humani parens Adam, in gratiâ creatus est, vt docet D. Tho. 1. part. quæst. 95. art. 1. sic quoque Eccl. 7. *Fecit Deus hominem rectũ*: ratio subdebatur Deo; rationi vires inferiores: & animæ corpus. Et tamen cecidit, & incuruatus est. Saul 1. Reg. 9. cùm ad regnum electione eueheretur, erat optimus, nec quisquam illo melior & reprobus factus est. Dauid ipse, quanquã vir secundum cor Dei. 2. Reg. 11. & 12. adulterio, & cæde se commaculauit. Salomon amabilis Deo, impius factus, fana idolis exædificauit. 3. Regum 11. Et Petrus ille, qui prærogatiuâ dignitatis apud Dominum charus, & multis auctus beneficijs; nunquid ex ipso caritatis sinu profi-

Adam fuit creatus in gratia.
Eccl. 7.

1. Reg. 9.

2. Reg. 11. & 12.

3. Reg. 11.

liens, desertor, ter Dominum abiurauit? Itaque, *Manus Dei est, non nostra, vt non discedamus à Deo*, inquit D. August. lib. de dono perseuerant cap. 7. tom. 7. *Propter quod & posci à se voluit, ne inferamur in tentationem, quia si non inferamur, nullâ ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis etiam non orantibus dari: sed oratione nostrâ nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim nisi ab illo accipimus, à quo ipsum est vt petamus?* Agit nobiscum Dominus, quemadmodum pater cum filio quem diligit, qui transiturus locum difficilem & periculosum, ait filio, cùm rectâ, ad locum quem indigito, perueneri mus, memineris mihi manum extendere, ne laberis in præceps: simul & suum in illum testatur amorem, & illum sui commonens officij, & cautelæ adhibendæ.

Perseuerantia Deo tribuenda.

Eapropter, nisi homo in gratiâ constitutus, insuper auxilio Diuino ipsum dirigente, & protegente, contra tentationum impulsus fulciatur, non illius virtutis est, perseueranter vsque in finem, iustè agere; ita D. Tho. 1. 2. quæst. 109. art. 9. & 2. 2. qu. 137. art. 4. & ratio est, quia cùm nullum agens secundum agat, nisi in virtute primi, sitque caro perpetuò rebellis spiritui, non potest homo, licet iam gratiam consecutus, per seipsum operari bonũ & vitare peccatum absque nouo auxilio Dei, ipsum mouentis, dirigentis, & protegentis: ideoque pro dono perseuerantiæ orandum illi est, scilicet, vt non inducatur in tentationem, & custodiatur à malo vsque ad cõpletum vitæ tempus; quoniam multis datur gratia, quibus non datur in eâ perseuerare: quapropter, renatis etiam in filios Dei per gratiam, conuenit dicere, *Et ne nos inducas in tentationem.* In quæ verba D. August. lib. 2. de dono persener. cap. 6. *Quisquis exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, quâ possit perseuerantiam sanctitatis amittere. At enim voluntate suâ quisque deserit Deũ, vt meritò deseratur à Deo. Petimus vt hoc non fiat. Nihil fit nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas, conuertere, & dirigere in sibi placitum gressum.* Consectarium est quod sequitur. *Quisquis in tentationem non infertur profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur: vnusquisque enim tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus, & illectus.*

Nihil fit, quod Deus non facit aut permittit.

Capitis 38. §. 1.

Quid sit tentare?

Periculum vbi graue imminet, quæ vndique cincta hoste suo est; periculum naui, quæ Euris, Notisque vnâ ruentibus, prorâ, puppique solum admittit: periculum homini, qui interceptus aduersarij fraude, rimulam, quâ elabatur, vix habet. Quantum timoris incussit Saul Dauidi, quum illum sic premebat, vt nisi manu diuinitùs porrectâ, euadere nusquam posset? 1. Reg. 23. *Porrò Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul*: & caussa assignatur: *Itaque Saul & viri eius, in modum coronæ cingebant Dauid & viros eius, vt caperent eos.* Iam, quid securitatis animæ? quid non timoris & periculi ipsa capit, hostibus suis, mundo, carne, dæmonio circũdata? vsurpare meritò potest illud Dan. 13. *Angustiæ sunt mihi vndique*: nam quid agat inter tot sudes fumigantes, prouocata ad crimen, quã sita supplicio? Nil superest, nisi vt, quemadmodum pueri infantes, vt scribit Diuus Chrysost. lib. de prouidentiâ Dei, *cùm quid horrendum viderint, ad matrum sinus protinus fugiunt, illarum & que prendentes vestes, eis se tuentur & proteguntur, atque ita, vt sæpius retrahentibus plurimis inde auelli non possint* auxiliũ cæleste petat, quo tegatur, quo progatur, dicens, *Et ne nos inducas in tentationem.*

1. Pericula vita.

1. Reg. 23.

Daniel. 13.

Recurrendum ad Deũ in periculis.

Tentare quid sit. Petes fortasse, quid sit tentare? Respondet D. Thomas 2. 2. quæst. 97. art. 1. Esse experimentum sumere de tentato, verbis vel factis, an sciat, velit, aut possit quod quærimus: & hoc, siue apertè, vt quum quis se experiri velle profitetur, quomodo Samson Iudic. 14. (*Iudic. 14.*) proposito problemate tentatorem se proponit Philistæis: magister discipulum interrogando, tentat, vt quantæ ille sit doctrinæ, intelligat, & homo tentat vinum, an sit generosum: siue occultè & insidiosè, quomodo Pharisæi Matt. 22. (*Matt. 22.*) tentauerunt Christum, quærentes, licerétne dare censum Cæsari, an non? Siue expressè, vt quum experimentum illud intenditur: siue interpretatiuè, vt, si non intendatur experimentum, aliquid tamen agatur aut dicatur, quód non ad aliud, quàm ad experiendum, videtur ordinatum. Tentare igitur, est verbis vel opere, experimentum facere: sic Dauid tentabat, si armatus posset incedere 1. Reg. 17. (*1. Reg. 17.*) Regina Saba propositis quæstionibus Salomonē tentauit. 3. Reg. 10. (*3. Reg. 10.*) & Malasar, Danielem cum socijs, tentauit diebus decem, leguminibus in cibum datis. Dan. 1. (*Daniel. 1.*)

Aduersarius siue hostis, rei cuique suus. Et sui, suarumque in nos virium, nostrique experimentum faciunt, furore & rabie toti exardescentes, hostes nostri profligatissimi: Mundus, caro, dæmonia, dum nos suis adoriuntur, & oppugnant tentamentis. Nihil vspiam rerum est, quas lunæ sphæra suo ambitu complectitur, quin alterius alicuius vi aduersaria oppugnetur, & expugnetur: est istud ipsâ experientiâ clarum: inter metalla, aurum, ferro inimicatur; argentum, plumbo: adamas, magneti, intantum, vt iuxta positus, ferrum non patiatur abstrahi; aut si apprehenderit, auferat. Neque domesticum solùm est lapidum inter se dissidium; etiam alijs opponuntur: *Lapides pretiosi, quibus reb. contrarij.* sapphyrus, oculorum dolori: amethistus ebrietati & ingluuiei: iaspis, fluxui sãguinis: topazius, luxuriæ: Sic quoque in plantis: *Etiam plantæ.* allio cum magnete tanta est discordia, vt si eo confricetur, vim omnem trahendi deponat; aut imbecilliorem reddat. Quercus & oleâ, tam pertinaci odio dissident, vt alterâ in alterius scrobe depactâ, moriantur: sic quercus iuxta nucem iuglandem. Plin. lib. 24 cap. 1. Brassicæ, quam Aristoteles, Theophrastus, & alij, cum raphano cōfundunt cum vite perniciala sunt odia: hinc fortasse illa ebrietati resistit; atque eadem cyclamino, & origano aduersa, arescit. Plin. ibid. Sampsuchum, siue maiorana, rutæ est infensum. Mira est arundinis & filicis discordia. Nam vtriusque radix contrita & imposita, stipitem alterius, corpori infixum, ceu inimicum, deijcit. Hinc arundinem exarari præcipiunt, filice, vomeri impositâ; nam ita hinc inde dispersa, non excrescet. *Et animalia.* Si ad animalia nos conuertimus: maiora minoribus insidiantur, eaque vorant; mugil & lupus pisces, mutuo odio flagrant. Plin. lib. 9. cap. 62. Orcæ, balænis sunt infestissimæ, idem ibid. cap. 26. dissident capitali odio cygni, & aquilæ. lib. 11. cap. 74. Coruus & miluus, discordes vbique sunt. Aquilis & ceruis, infesta sunt prælia: nam illæ, multum puluerem volutatu collectum, cornibus horum insidentes, excutiunt in oculos: pēnis ora verberantes, donec præcipitent in rupes lib. 10. Plin. cap. 4. Aspis internecinum bellum habet cum ichneumone: mergit se limo sæpiùs, siccatque sole: mox vbi pluribus eodem modo se corijs loricauit, in dimicationem pergit, in eam caudam attollens, ictus irritos auersus excipit, donec obliquo capite speculatus, inuadat rectà in fauces. lib. 8. cap. 24. cameli naturale odiū, aduersus equos gerunt. Ibid. c. 18. Et mirabimur, nouissimè omnium creatum hominem, suos habere oppugnatores, à quibus varijs infestetur prælijs? à quibus tentetur?

2. *Mundus hostis hominis.* Mundus hostis est potentissimus, non minùs astu & dolis instructus, quàm opibus. Attamen, versipellis ille, *Licet superbus ambulet pecuniâ*, licet intactas Crœsi & Midæ opes habeat, atque Cæsarum sceptris & coronis fulgeat; impostor est tamen: thesauros Arabum promittit, & diuitis gemmas Indiæ, gradus offert honorum, quorum aurum haurit auidè auara mortalium ambitio: sed quid illa, nisi fucus, fumus? malorum, miseriarum & paupertatis confinium? Tibull. lib. 1.

Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auri,
Arvaque si findant pinguia mille boues?
Quidvè domus prodest Phrygijs innixa columnis,
Aurataeque trabes, marmoreumque solum?
Quidvè in Erythræo legitur quæ littore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana iuuat?

Quando ex istis eundum est, tanquā ex vmbrâ? Circumuenimur: & Laban ille circulator, Liam pro Rachele supponit. Hunc, altiori spectaculo, retibus & laqueis plenū vidit D. Antonius, *Mundus plenus retibus.* quos araneas barathri, ductâ ex vtero ipsius tanti operis materiâ, orditus est, in capturam hominum; tantâ varietate elaboratos, vt si captura inciderit, in ambitionis telam, & euaserit; incidat in stamē auaritiæ, quo perrupto; illaqueetur filo lubricitatis; atque ita, ex illo in aliud, tanquam cum hydrâ commissurus, digrediatur. Optimus has pedicas euadendi modus, humilitas: ita oraculum.

Plenum conspiciens laqueis Antonius orbem,
Quis fugiet? dixit. Vox ait: esto humilis.

Caro hostis, eius insidiæ. Caro tantò immanior hostis est, quantò domesticus & familiaris, blandulis, & ad voluptatem compositis, animam impugnat armis. Maritatā mentita, lænam agit, & ad Samsonem nostrum, Philistæos, qui eius vires deprædentur, intromittit. Verborum lenocinio inuitat ad se Sisaram, velut Iahel Iudic. 4. (*Iudic. 4.*) & propinato volaticæ delectationis lacte, clauo fellis transfigit incautum. Sed quemadmodū vxor Hieroboam, Abiæ Prophetæ, præ senectute oculis caligantī, fucum factura, cōmutato habitu, venit ad eum in Silo, vt de ægrotante filio sciscitaretur; propiùs tamen accedens, agnita est, cui Prophetes, 3. Reg. 14. (*3. Reg. 14.*) *Ingredere vxor Hieroboam, Quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuntius.* Ita illa Satanæ soror & coniux, si posito turpitudinis suæ habitu, vestem deliciarum floribus intextam, tentatura sumpserit, agnosce illam cominùs, & increpa durè. Cur te aliam simulas, è furijs inferni despicatissima? Proripe te hinc citiùs quàm asparagi coquantur, vua tua vua fellis, venenum aspidum insanabile: Sirenis vultum præfers, fascinas mortales suauitate cantus, soporatos necas.

3. *Diabolus hostis & seuitia eius.* Diabolus, inito, cum carne mundoque, fœdere, illis sæuit crudeliùs. Lybica hæc fera, *draco magnus rufus*, appellatur, Apoc. 12. (*Apocal. 12.*) *serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbē.* Ne seducaris, obserua caput serpentis. *Quod est caput serpentis?* inquit D. Augustinus concione 4. de 3. parte psal. 103. *Prima peccati suggestio. Veniet tibi in mentem nescio quid illicitum: noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est, caput calca, & euades cæteros motus. Quid est, caput calca? id est, ipsam suggestionem contemne.* *Suggestio mali est caput serpentis. Calcandum vt sit.* *Sed lucrum suggessit, magnum ibi lucrum est, magnum ibi aurum est. Si hanc fraudem feceris, diues eris. Caput serpentis est, calca. Quid est calca? contemne quod suggessit. Sed magnū aurum suggessit. Et quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ, detrimentum patiatur? Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc dicens, obseruasti caput serpentis, & calcasti. Ille autem Diabolus obseruat calcaneum tuum. Quid est, ob-* *Diabolus obseruat calcaneum.*

seruat

seruas calcaneum tuum? Quando labaris à viâ Dei. Tu obseruas primam suggestionem, ille obseruat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris, cades: si cecideris possidebit. Vt autem non cadas, noli exire de viâ. Angustam tibi semitam strauit Deus, quidquid extra illã est, lubricum est. Haud simpliciter, haud casu, impetum facit suum, obseruator ille calcanei, sed in cogitationes, inclinationes, & voluntates nostras inquirit, & simul cum illarum omnium turbâ, in atrium voluntatis nostræ irruens, tanquã circumforaneus quispiam phialis plurimis, ceu vasis circulatorijs, circumsecus cinctus (quomodo illum D. Macarius vidisse traditur) scrutatur aditus, oppetitur rimulam, per quam se immittat, per quam irrepat, si quam vnusquisque nostrum illi fecerit, tentatus à concupiscentiâ suâ, abstractus & illectus Iac. 1. & titillatus cupiditatibus suis; per quam, earum venena, pro cuiusque inclinatione & voluntate, infundat. Aptat enim se hominum voluntatibus, sicut D. Antonio reddidit; apparuit enim illi, retibus, euerriculis, funibusque versicoloribus, vehementer onustus; interroganti autẽ cur illa tam varijs essent discreta coloribus? respondit, vt ad hominis cuiusque voluntatem sese componeret. Næ ille nullius bonæ mercis auctor est, claudenda nundinatori isti voluntatis ianua, custos qui repellat, defigendus est: ita monet D. Bernard. serm. de triplici iudicio, *Ad portã,* inquit, *voluntatis, in quâ solent manere carnalia desideria, tanquã in domo, domestica familia, statuatur ostiarius, qui vocatur recordatio cælestis patriæ. Hic enim potest prauum desiderium, quasi cauens, sineum expellere, & ipsum, qui ait: Ego sto ad ostium, & pulso, sine cunctatione recipere. Denique ad thalamum rationis, talis & tam ferox adhibendus est custos, qui nemini parcat, sed quicumque hostis, siue clam, siue palam ingredi præsumpserit, procul eum arceat, & hic sit recordatio gehennæ.* Sed enim si domi sana saluaque sunt omnia, si contra cõcupiscentias nostras, quæ in regeneratis ad conflictum internum remanent, pugnatum est, si victæ sunt. *Quid tibi facturus est tentator extrinsecus* inquit D. August. serm. 9. de diuersis. *Te vince, & mundus est victus. Quid tibi facturus est tentator extraneus, siue Diabolus siue minister Diaboli: Quicunque homo proponit lucrum vt seducat, auaritiam in te non inueniat. Quid facit propositor lucri? Si autem auaritia in te inuenta fuerit, viso lucro inardescis, vitiosæ escæ caperis laqueo. Si autem non in te inuenta fuerit auaritia remansit frustra extenta muscipula. Proponit tibi tentator pulcherrimam feminam. Adsit intus castitas, victa est foris iniquitas. Vt ergo nõ te capiat proposita pulchritudine alienæ, cum tuâ libidine intus pugna: non sentis hostem tuum, sed sentis concupiscentiam tuam. Diabolum non vides, sed quid te delectet, vides. Vince intus quod tu sentis. Pugna, pugna, quia qui te regenerauit, iudex est, proposuit luctam, parat coronam. Tradidit quosdam concupiscentijs suis, non cogendo, sed deserendo.* Et ne deserat, dicimus, *Et ne nos inducas in tentationem.* Sed de his iterũ recurret oratio, postquam de tentatione Dei, quâ nos ipsum tentamus, & quâ ipse nos tentat, dixerimus.

Dæmonis astutia.

Iac. 1.

Ostiarius animæ quis.

Apoc. 3.

Dæmon in hominem firmum in animo, extrinsecus nihil potest.

Capitis 38. §. 2.

An licitum sit tentare Deum?

1\. Via publica non incunda.

E Salutaribus Pythagoræ symbolis, vnum est, quo iubet τὴς λεωφόρυ μὴ βαδίζειν, *viam publicam non ingredi.* Quo documento, quid aliud indigitat, quàm vt ab eo quod honestũ decorumque est, nullo digressu facto, nõ quà à multis itur, sed quà eundum est, viæ rectæ insistamus? Sumptum putat D. Ambros. epist. 6. ex cap. 3. Exodi, vbi Deus dicit Moisi, *Solue calceamẽta de pedibus tuis:* necnon ad illud alludi, quod dixit Dominus, Matt. 7. *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam:* & contrà, *Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eã.* Quo spectat & illud Paphnutij apud Cassi. lib. de instit. cap. 38 puero cuidam, quem Monachorum albo adscripserat, dicentis, *Viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei.* Sanè enim difficile est, illum præcipuè qui cupiditates suas in consilium adhibet, non digredi à rectâ viâ præeuntiũ exemplo tentatum & illectum, qui nequidquam præterea in omni vitâ præstare posse videntur, quàm tentare patientem & misericordem Deum. Eapropter Diuinus Spiritus, vt, quod prouerbio dicitur τὴν ὀρθὴν βαδίζειν ὁδὸν, *rectam ingredi viam,* quisque valeat, omnem prorsus, tentandi Dei, modũ, è cordibus hominum extirpaturus, ait. Sap. 1. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem ijs qui fidem habent in illũ* Tria sunt per quæ in viâ, mens humana graditur ad Deum, fidei integritas, cordis charitas, & spei firmitas; quæ tria, ista sententia compectitur. Primò enim, quia sine fide impossibile est placere Deo, fidei integritas significatur in eo quod dicitur. *Sentite de Domino in bonitate,* hoc est, suscipite animo fideli, quæ de Domino scripta sunt, & tradita & credite, in bonitate, vt, ne vel apicem quidem, malitiâ inuertatis; neque intellectus humani cęcutiẽtis censurã auscultetis, vigeat fides; & vt vigeat, vt floreat, informetur charitate, sine quâ etiamsi montes transferat nihil prodest: ideoque, mens humana, post illustrantes fidei faces, charitatis igne inflammari debet; hinc subditur, *In simplicitate cordis quærite illum.* In quâ simplicitate quærit illum, qui sine dolis, fictione, insidijs, fraudibus: sed sincerè, patienter, cum timore, & amore, adhæret illi, Cant. 3. *Quæsiui quem diligit anima mea,* scilicet in charitate nõ fictâ, per quam quæritur; & *inuenitur ab his qui non tentant illum,* hoc est, qui spe firmâ, nec vacillante, se fruituros illo, quem dilexerunt, in quem crediderunt, persuasum habent: & qui in vias gentium, arcana Diuinitatis, modis illicitis perscrutantes, non abierunt. Neque inuenitur tantùm, sed etiam *apparet,* vltrò se ostẽdit *ijs qui fidem habent,* tendentem in illum per dilectionem, hic in ænigmate, in cælo per speciem.

Recta via tenenda. Sap. 1.

Cant. 3.

Graue est tentare Deum, neque religioni tantantùm, sed etiam timori Dei, fidei, spei, & simplicitati opponitur, diuersâ tamen ratione: Religioni quidem quatenus est Dei irreuerẽtia; quia enim virtus religionis habet pro fine, reuereri Deum, quæ Deo inferunt irreuerentiam, religioni opponuntur, tentare verò est irreuerentiã inferre, nemo enim quenquam tentat, de cuius excellentiâ certus est; imò qui tentat, dubitat, vel ignorat id, de quo vult experimentum facere. Et hæc irreuerentia, per omnes actus tentationis Dei vagatur. Timori verò opponitur, vt est nimia quædam & impudens audacia, fidei quatenus prouenit ex incredulitate: spei, quatenus est temeraria quædã præsumptio: simplicitati, quatenus est nimia quædam curiositas. Describi autem tentatio Dei in hunc modum potest: Vitiũ, quo quis sibi, vel alteri, verbis vel factis, expressè vel tacitè, vult experimentum facere alicuius attributi Diuini. Sic tentat clementiam Dei, qui irreuerenter, negligenter, & sine deuotione orat, Eccl 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi qui Deum tentat.* Tentat eius patientiam; qui peccatorum cœno perseueranter hæret, nec curat emergere; psalm. 77. *Tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt.* Tentat Dei patientiam, qui poscit ab eo vindictam. Luc. 9. *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Tentat Dei potentiam, qui in periculis temera-

2\. Tentare Deum quibus virtutib. opponatur.

Quid sit.

Eccl. 18.

Psal. 77.

Luc. 9.

Iudith. 8.

rius est: Iudith. 8. *Quod est hoc verbum in quo consensit Osias, vt tradat Ciuitatem Assyrijs, si intra quinque dies nō venerit nobis adiutorium: Et qui estis vos qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet; sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini: & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei?* sic tentant & illi, qui in afflictione, de cælo consolationes quærunt, alioqui se derelictos putant; hoc enim est dicere *Magister, volumus à te signum videre* De cælo fortassè illi: alij quoque de terrâ signum petunt, qui seruiũt Deo inquantum pro, qui opes & facultates temporales tantùm quærunt, quæ vbi defecerint, desperant, & Deum deserunt, quemadmodum illi Ierem. 44. qui cùm se rerum indigos, gladio & fame consumi, sentirent, ad idolomaniam potiùs, quam ad verum Dei veri cultum, conuersi sunt. Tentat Dei sapiētiam, qui sine studio & præmeditatione, temerè se ad docendum ingerit. His, & alijs similibus modis, tentantur perfectiones Dei. Expressè quidem, cùm directâ intentione aliquid dicitur, aut fit, eo fine, vt exploremus, vtrū possit aut velit Deus aliquod facere, miraculum, pro nobis, vel pro alijs. Quo pertinet purgatio vulgaris, cuius forma multiplex, secundū diuersos mores corruptos vulgi, ideoque prohibibita. c. *ex tuorum. de purgat. canon.* Fiebat autem, vel per aquam frigidam, per consecratam, & benedictam bibitam. *c. sententiam ne cleric. vel monach.* ad imitamentum fortasse aquæ zeli, quam Dominus Num. 5. ad purgarionē suspectæ de adulterio instituerat. *ca. in libro namque. 2. quæst. 6.* quæ & in Capitularibus Caroli Magni, *cap. finali. c. 26.* & Longobardorum legibus. l. *vt examen, tit. qualit. quis se defend. deb.* sublata est, vbi, referente Petro Gregorio Syntag. iuris lib. 48. cap. 15. Lotharium in hunc modum, statuisse fertur, *Examen aquæ frigidæ quod hactenus faciebant amisit, omnibus modis interdicitur, vt non vlterius fiat.* Vel per aquam feruentem fiebat exploratio; reprobatur dicto c. *sententiam, ne cler. vel mona. ca. omnibus. c. Consuluisti. c. Mennam. 2. q. 5.* Quibus quoque iuribus, interdicitur illa, quæ ferro candente fiebat, quam in vsu fuisse constat, tum ex Capitularib. Caroli Magni, vbi probationis ad decē vomeres ignitos fit mētio: & ca. *Legum quæ datæ sunt pro occisio. clericor. c. 5. de eo qui occidit,* ait lex, *proximum suum, metuens ne in seruitium, seu in seruitutem per eum traheretur, si negauerit se illum occidisse, ad nouem vomeres ignitos, iudicio Domini examinandus accedat:* tum ex lib. 5. Annal. Flandriæ Iacobi Meieri, narrantis Philippum comitē Neoportuensem anno Domini 1164 leges nouas dedisse inter quas, hæ, *Si quis vulnus in nocte acceptū alicubi imputauerit, si Scabinis dignum videbitur, ferro candenti se excusabit accusatus: si aufugerit, manum perdit.* Item, *Si fur vocatus, accusatus fuerit, ferro candenti se excusabit, &c.*

Erat & vulgare examen crucis, quod lib. 2. legum Longobar. l. sancitum. tit. qual. quis se defend. deb. expungitur quoque, *ne Christi passio quæ glorificata est, cuiuslibet temeritate contemptui habeatur.* Huc pertinent & duella reprobata. c. 1. & 2. *de purgat. vulg. c. monomachia. 2. q. 5* & in Trid. ss. 25. cap. 19. *de reformat.* Pertinent & alia examina, in quibus tentatur Deus & ad iracundiam prouocatur potiùs, quàm verum innocentiæ testimoniū habeatur. *c. si de purg. canon. c. quæritur. 22. q. 2. c. si nulla. 23. q. fin.* quo fit, vt fallacibus eiusmodi iudicijs tentato Deo, ex præsumptionibus, innocens impiè damnetur; Sicut enim nō omnia delicta, hoc in sæculo vlciscitur Deus, sed quædam alterius sæculi censuræ reseruat: ita nec omnia ad temerariam explorationem, vult esse manifesta.

3. Tacitè tentatur Deus.

Tacitè etiam tentatur Deus, quando deest quidem illa intentio finis, sed tamen id quod quis facere molitur, eiusmodi est, vt ad nihil aliud conferre videatur, quàm ad illud experimentum miraculi, & virtutis supernaturalis Dei; vt si quis absque cibo vllo & potu vellet viuere: absque studio concionari: ex graui morbo, non tentatis remedijs naturalibus conualescere: fluuium latum & profundum absque nauigio vel natatione, traijcere. Quod vetatur illo Deut. 6. & Matt. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Vbi Glossa, *Nemo tentare debet Deum quando ex humanâ ratione habet quid faciat* Ille enim tentat Deum qui se tradit periculo, quando humanitùs euasioni locus datur. Vnde Dominus Matt. 10. *Cùm vos persecuti fuerint in vnâ ciuitate, fugite in aliam* Quod ipsum paruulus adhuc præstitit fugiens in Ægyptum, Matt. 2. nec prætermisit grandior factus, Ioa. 8. quem insecuti sunt Sancti, D. Athanasius, alijque, quos vt præteream, nonne D. Paulus 2. Cor. 2. dimissus in sportâ, euasit, erupit, fugit? quam fugā D. August. l. 22. contra Faustum Manichæū non ex diffidentiâ protectionis diuinæ ortū habuisse, dicit, sed ne tentaret Deum, si non fugisset, cùm posset fugere.

Deut. 6.
Matt. 4.
Matt. 10.

4. Tentare Deum non est semper mortale.

Quia verò non semper est mortiferum tentare Deum, sed aliquando veniale, aliquando neutrū: quibus in casibus mortem generat, vel nō generat, assignandum est. In tribus itaque casibus à mortali excusari non potest. Primus est, cùm expressè Diuina potentia, vel scientia, aut quæuis alia perfectio Dei, tentatur, id est, aliquid expressè fit, ad explorandam potentiam, vel scientiam Dei. hoc enim, non modò crimen est læsæ reuerētiæ, quæ Deo debetur, sed & nimiæ curiositatis, atque etiam infidelitatis, quum talis ex parte dubitet, an aliquid Deus possit, vel sciat. Hoc modo Diabolus Christum tentasse videtur in primâ tētatione, Matt. 4. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Eius exploraturus potentiam, & in tertiâ, scientiam; *hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.* Et quid tentationis gratiâ, ab hominibus factum sit circa Iesum, scriptura non tacet: Ecce, inquit, surrexit legisdoctor, tentans eū: & alibi, accesserunt ad eū Pharisæi, tentantes, & tentata est eius misericordia, circa mulieris adulterium: iustitia, circa solutionem tributi.

Matt. 4.

Secundus casus est, cùm expressè tentatur voluntas Dei factô quopiam, quo exploratur (sine aliquâ necessitate finis, aut medij) vtrum Deus velit aliquid facere: Sine finis quidem necessitate, vt quū talis exploratio necessaria non est, ad propriam, vel alterius salutem, aut ad diuinam voluntatem adimplendam, nec admodum facit ad aliquod commune bonum. Nullâ autem interueniente necessitate medij, quando scilicet nō omninò desunt media ordinaria, ad sibi vel alteri cōsulendum, instituta. Quâ ratione Diabolus in secundâ tentatione aggressus est Christum; vt se mitteret deorsum, quum tamen per gradus posset descendere. & apud Nicephorum lib. 14. cap. 40. Iudæis, qui in Cretâ erant, imposuit, circa annum Domini 437. Iudæus enim quidam, seu potiùs Dæmon quispiam sub humanâ specie, Moisen se esse, & à Deo cælitùs missum, confinxit, vt eius loci Iudæos per mare duceret, perinde atque olim Israëlitas, per rubri maris sinus: quod & sua sit, insulam anno toto peragrans, eosque ad opū, pecuniarumque quas haberent, despectum cohortatus, die constitutâ in summum quendam scopulum in pelagus procurrentem abduxit, illos per mare, tanquam per continentem, in promissionis terram perducturus: iussit autem, vt inde se in mare veluti natantes, & vrinantes conijcerent. Qui id fecerunt, deinceps non apparuerunt, quidam etiam præcipitio saxis illisi perierunt: omniumque iam desperata salus erat, nisi Christiani piscatores & mercatores, hos quidē extraxissent, illos verò ne idem attentarent,

Iudæi sub specie Dæmon Moisen se dicit, & præcipitium in mare suadet.

tarent, prohibuissent. Auctor autem tragœdiæ Pseudomoises ille, euanuit. Lethale hoc tentationis genus, irreuerentiæ, atque temerariæ præsumptionis plenum.

Tertius casus incidit, quum quis ex curiositate videndi insolita, miraculum petit à Deo: cõmittitur enim hic grauis irreuerentia, quâ, cum Deo, tanquam cum ludione & schœnobata agitur: quâ ratione tentatus fuit Christus ab Herode, Luc. 23. qui *sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus.* Et in hanc tentationem, viros sanctos inducere voluit dæmon, D. Norbertum, cui de gloriosâ & ineffabili Triade cogitanti astitit visibilis laudauit eius pietatem, ob quam, sanctam Trinitatem videre mereretur, ac mox triceps apparuit, Trinitatem se esse contestans: Surius die 6. Iunij, cap. 19 & alterum Sanctorum Patrum, vt habet Ioan. Gerson ex D. Bonauent. lib. de profectu Religiosor. cap. 19 qui, dum sibi Dæmon transfiguratus in Christum, diceret, Ego sum Christus te personaliter visitans, quia dignus es: confestim clausit oculos vtraque manu, vociferans, nolo hic Christum videre, satis est ipsum in gloriâ si videro.

Luc. 23.

D. Norbertus curiositate videndæ Trinitatis tentatur.

Cùm autem tentatio Dei fuerit tacita, vt si quis ex simplicitate vel incõsideratione non crassa, neglectis modis à Diuinâ prouidentiâ constitutis, vt habet D. Tho. 2. 2. quæst. 97. a. 1, aliquid agat expectato effectu à solo Deo, sine necessitate aut vtilitate, veniale peccatum est: præsertim si id egerit, ex magnâ spe, quam de Diuinâ bonitate concepit, ita Caietan. & Armilla. verbo. *Tentare.* & Reginaldus lib. 17. sect. 4. Aliàs autem eiusmodi tentatio mortalis esse potest, vt si graue detrimentum, quod præuisum oportuit & debuit, per eam alicui inferatur.

5. Tentare Deum quando veniale.

Duos casus addit Reginaldus in quibus tantum abest, vt peccato deputetur, quin potiùs licitum, sanctúque sit tentare Deum. Prior est, quando Deus modo extraordinario per reuelationẽ, siue inspirationem internam, aut per Prophetam loquitur, si nouum quid credendum proponit: tunc enim bonum est explorare, Deúsne sit qui loquitur: quomodo illum tentauit Abraham, Gen. 15. acceptâ sponsione terræ promissionis, dicens, *Domine Deus, vnde scire possum quod possessurus sim eam?* Tentauit Gedeon, Iudic. 6. posito in areâ vellere, quod vno manè, plenum rore expressit, terrâ siccâ omninò manente: alterò verò, terrâ rore madente, siccum omninò tulit. Tentauit Ezechias. Tentauit Ezechias 4 Reg. 20 per regressum vmbræ decem gradibus: cuius pater Achaz grauiter deliquit Isa. 7. quod rogatus petere signum à Domino, petere noluerit.

Quando virtutis.

Gen. 15.

Alter casus est quum necessitas aut pia vtilitas postulat, ita D. Tho. 2. 2. quæst. q. 7. a. 1. Necessitas est, vbi nullum aliud superest remedium: tunc enim se totum quis Diuino auxilio potest cõmittere, vt si quis in periculo cõstitutus vt hostes euadat, concitato equo eius fugiens, eorum perrumpat cuneos. Hoc est quod Iosaphat ait 2. Paralip. 20. *Cùm ignoremus quid agere debeamus hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Vtilitas autem quando quis de aliorum ad fidẽ conuersione solicitus Diuinarum perfectionum experimentum desiderat, non vt illas ipse cognoscat, sed vt innotescant aliis, sic Apostoli, orarunt vt in nomine Iesu fierent signa act. 4. vt scilicet virtus illius, tum ad fidelium confirmationem tum ad infidelium conuersionem manifestaretur. Qua ratione Elias, descensum ignis in holocaustum quod pararat, impetrauit 3. Reg. 18. in hunc modum precatus: *Exaudi me Domine, exaudi me, vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti corda eorum iterum.* Circumspectio tamen hîc & prudentia adhibenda est, vt nisi interiùs inspirati, atque ex motione Spiritus Sancti, determinata signa petant, aliàs enim tentaretur Deus, cùm illi certum signum præscriberetur: committendum itaque totum illud erit eius sanctissimæ voluntati vt prout expedire iudicauerit, succurrat misericorditer; quomodo tres illi Hebræorum proceres fecere Dan. 3. dicentes Nabuchodonosori, *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis: & de manu tuâ, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus.*

2. Paralip. 20.

3. Reg. 18.

Dan. 3.

Neque verò cõtemnendum est, aliter quàm ex diuino instinctu D. Franciscum de Paulâ, cùm à nautis esset reiectus, Siciliæ freti in strato super fluctibus pallio cum socio, transmisisse. D. Britiũ Turonensem Episcopum vt refert Greg. Turon lib. 2. histor Franc. cap. 1. calumniâ imperitum à populo, mulierem impregnasse ad quam cubicularius eius vestimenta abluenda solitus erat deferre; vt innocentiam suam populo testatam faceret; & puerum ex eâ muliere natum ad se deferri iussum adiurasse per Iesum Christum, qui cùm triginta tantùm dierum esset, locutus est, se non ex eo fuisse genitum: ac deinceps populo, tam diuino miraculo fidem non habenti prunas ardentes, pallio imposuisse, easque proximius ad se admotas, ad D. Martini sepulchrum, vnà cum populo comitante, illæsis vestibus detulisse, dicentem se ita impollutum esse à muliere. D. Chunegundem Henrici II. Cæsaris vxorem, in suspicionem adulterij cum aliquo iuuene adductam, in cuius formâ Diabolus ex Aulâ Imperatoris sæpè videbatur egredi, innocentiam suam, ambulatione super craticulam ignitam, purgasse, prout tũc erat mos & iudicandi formula, vt scribit Cranzius lib. 4 cap. 5. Metrop. Pelagiam cum matre & sororibus præcipitem se dedisse in flumen, ne à persequente milite violaretur, quam teste D. Ambrosio, lib. 3. de virginib. martyrum numero Ecclesia adscripsit. Diuam denique Apolloniam sub Decio comprehensam, cùm ad rogum iam succensum esset perducta, repente è manibus impiorum prosilijsse, atque in flammã se vltrò coniecisse, perterritis crudelitatis ministris, quòd promptior esset ad mortem femina, quàm tyrannus ad pœnam. Polydor. lib. 8. cap. 7. de rerum inuent. vel etiam D. Agatham, quum medicinam carnalem corpori suo adhiberi noluit, vel enim experta erat, nihil infirmitatis sibi à Deo immitti, pro quâ curanda, humanis egeret auxilijs: aut si fortè vulneribus medendis, ea opus esse viderentur, præsenti ope Diuinâ confirmata, vt frustranea repudiauit.

Franciscus de Paulâ sub strato pallio transfretat.

D. Britius puerum mẽse natum loqui iubet.

Prunas ardentes illæsis vestibus portat.

D. Chunegundis igniâ crate se purgat.

Pelagia.

Apollonia.

Agatha.

Habemus non sine graui læsæ Maiestatis Diuinæ piaculo tentari Deum ab ijs, qui vel se periculis objiciunt sine causâ, è quibus emergere nequeunt, vt explorent, possitne Deus illos eripere; vel qui in periculis constituti, quæ humanitùs eluctari possent, negligentes sui, examen facturi, velitne Deus subuenire, soli se illius voluntati exponunt; quod temerariè curiosorum est in vanos fines à se constitutos, magnifica Dei opera quærentium: atque etiam in fide hallucinantium, quandoquidem Diuinæ potentiæ & bonitatis periculum faciant incredulí, quasi Deus non tantæ sit potentiæ, vt possit cuius hominum necessitati succurrere, neque tantæ bonitatis, vt semper velit subuenire. Quod piaculum etsi grande sit, & tamen superstitione minus, quòd dubitationem tentans Deum profiteatur, superstitiosus errorem.

Tentatur Deus cum mortali.

Vnde

Vnde meritò Christianis animis, inuisi sunt aniles illi mores, & sortilegia quibus in furtum inquirunt, vel per astrolabij inspectionem, cap. 1. *De sortileg.* vel immissionem breuium in aquã frigidam vel benedictam, vel per cribrum & forfices, inuocatis perperam Diuis. Habemus venialem esse tentationem Dei tacitam ex merã simplicitate, & forti Diuinæ bonitatis confidentiã ortam, modò nullum inde graue cuiquã detrimentum accidat, quod præuisum oportuit. Habemus, & sanctum esse tentare Deum in necessitate, vel vtilitate, propriã, vel alterius, si tamen tentare est, an potiùs Diuinam voluntatem inspiratione cognitam, confirmare. Nunc videndum an Deus homines tentet.

Capitis 38. §. 3.

Tentétne Deus hominem? & cur?

1. Mari vt insano se commisit nunquam vir consularis.

COnsularis vir quidam apprimè doctus, cùm multis esset ludibrio, quod duorum millium Italicorum viam ab vrbe suã, Messalam vsque, nunquam peregisset: nec mirum, inquit, si me in pelagum dare vereor, vbi insanit phaselus, ventorum, quibus obtemperat, ludibrium: insanit mare, quietis expers: insaniunt huc illucque continuò vagantes venti: insanit pauita, nunquam constans sibi: ecquæ porrò insania, quatuor insanientium sese tradere arbitrijs. Pari ex metu Attalus apud Spartam Philosophus, extremam vnam ciuitatis oram semper incoluit, nec adduci vnquam potuit, vt transiret ad alteram, ne fluuium qui mediam intercipit vrbem, traijcere cogeretur; apud Plutarchum in opusculis. Rogatus autem cur tantopere aquarum metu præcelleretur; reddidit ferè quod diuerbio dicitur, *maritimus cum sis, noli fieri terrestris*: non enim, inquit, in alterius coloniam, cuiquam commigrandum: pisces autem aquis; homines terræ deputati sunt: me credam aquis, vbi nostras pisces inambulauerint oras. Rectè illi, nisi (quod ignorarunt) terra esset tentationis locus, vt inquit D. Ambrosius lib. de Noë & Arcã; vbi animæ minùs quietis, quàm inter æstuantes pelagi fluctus corporibus: Tentat enim in hac, nos Deus, atque insanis, tum carnis, tum mundi, tum Dæmonis exponimur furoribus. De quibus, vt taceam modò, dicam quã ratione nos tentet Deus.

Attalus Philosophus.

Tentatio propriè dicta tribus continetur.

Tentationem propriè dictam, tribus contineri, scribit Abulensis quæst. 63. & 71. in cap. 4. Matt. primùm, vt per eam, alicuius dubij cognitio accipiatur: alterum, vt hoc ipsum intendat, tentationis auctor. Tertium, vt is ipse qui tentat, cognitionem ipsius rei velit accipere, quomodo diximus hominem tentare hominem, equi pernicitatem cursu. Aliquando autem tres illæ conditiones in vnã tentatione concurrunt, aliquando duæ, aliquando vnica: & secundum hos gradus, vna, perfectiorem tentationis rationem habet, quàm altera. Maximè propriè tentatio fuit illa, de quã Matt. 16. *Accesserunt Pharisæi & Sadducæi ad Christum tentantes, & rogauerunt illum, vt signum de cælo ostenderet eis.* Quia ibi tria illa concurrunt; experimentum scilicet potestatis Christi; finis intentus propter quem fiebat tentatio; & cognitio quam venabantur. Minùs propriè tentatio est, quando in eã quæritur experimentum, siue cognitio de re, & fit in hunc finem, & tamen tentans non intendit inde aliquam habere cognitionem, sic, Gen. 22. tentauit Deus Abraham, per proprij filij immolationem: Tentauit Christus Philippum Ioan. 6. dicens, *Vnde ememus panes?* vnde sequitur, *Hoc autem*

Matt. 16.

Tentatio minus propria.

Gen. 22.

Ioan. 6.

dicebat tentans eum. Et de hac tentatione Deuter. 13. *Tentat Deus vos, vt palam sciat, vtrum diligatis eum, an non*; Ad hoc enim instituta sunt ista tentationes, vt habito experimento virtutis iustorum, aut consilij, notum faceret aut illis ipsis, aut alijs, quantùm possent fide & charitate in Deum roborati, quantoque heroicarum virtutum splẽdore fulgerent; non autem vt sciret ipse Deus, qui nouit omnia, etiam antequam sint. Vnica porrò conditio reperitur, in tentatione carnis & mundi, quia per eam tentatus manifestatur, licet tentans non intendat per hoc aliquid manifestari, neque istam notitiam habere, sicut miles militem impugnando vt vincat, virtutem eius tentat. Vnde impugnatio virtutis, tentatio appellatur, quæ vel est à principio intrinseco, & est carnis; vel ab extrinseco, & est mundi. Quælibet quoque tribulatio, tentationis nomen habet, inquantum per eam nota fit resistentis & colluctantis virtus: de quo tentationis genere scriptum est: Iac. 1. *Omnẽ gaudium existimate fratres, cùm in tentationes*, id est, tribulationes, *varias incideritis.* Ita ferè Abulensis.

Deuter. 13.

Iacob. 1.

2. Tentat Deus hominem.

Ex his manifestum est Deum tentare hominem, ad hoc enim in illum in mundum tanquam in theatrum produxit, vt in suã cum tentationibus colluctatione & victoriã, spectaculo esset Deo, Angelis, & hominibus. Tentauit Adamum de obedientiã, vt si aduersarium extrinsecus de inobedientiã impugnantem vinceret, immortalitatis gloriã donaretur. Et Sap. 3. tentat Deus suos & probat, vt illos dignos se inueniat: quo tentationis genere, sui periculum fieri optabat sanctus Dei Prophetes psal. 25. quum dixit, *Proba me Deus & tenta me.*

Psal. 25.

Nec obstat quod Iac. 1. dicitur, *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentetur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Aut quod Tertul. de Orat. *Cæterum absit vt Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cuiusque, aut deijcere sit consentiens.* Licet enim in sacros characteres oculos conijcienti, primã fronte, nil aliud quàm quod legitur, intelligendum videatur, quos tamen si penitiùs introspexerit, in reconditos excurret sinus & sensus, secundum illud D. Gregorij lib. 4. Moral. cap. 1. *Qui considerat textum Scripturæ, & ignorat sensum illius locutionis, non tam docetur per eruditionem, quàm offenditur per dubium.* Quod manifestat exemplo: videmus enim externorum facies, sed horum corda non nouimus, quibus tamen si familiariter vtimur, etiam in cogitatus eorum imus. Ita qui sacræ Scripturæ historiam nudè expendit, faciem illius tantùm videt, ad quam si vsu ordinario accesserimus, non corticis tantùm speculatores sumus, sed ad medullam vsque penetramus, atque abstrusos sensus euoluimus. Cui perinde accidit quod organis, vbi fistulæ grauem, atque acutum sonum reddunt; ad hæc pulsanda si imperitus accesserit, sine concentu esse videbuntur: si peritus, suauissimam auribus harmoniam reddent. Quod igitur Deum nunc tentare, nunc non tentare Scriptura testetur, nihil contradictionis habet: nam cùm tentationum aliæ sint bonæ, aliæ noxiæ: bona est & ad bonum tentatio Dei, quã nos tentat, ad malum enim ipse non tentat: diaboli est & infirmitas & malitia ista. *Deus autem neminem tentat, tentatione scilicet noxia,* inquit D. August. lib. 2. de dono perseuerantiæ, cap. 6. *Nam est & vtilis quã non decipimur vel opprimimur, sed probamur, secundum quod dictum est Proba me Domine, & tenta me*: & serm. 9. de diuersis, explicans illud Iac. 1. *Ne cùm tentatur dicat, quod à Deo tentatur*, ait, *Tentationem illam malam dicit, quã quisque decipitur,*

Iac. 1.

Ps. 25.

decipitur, & diabolo subiugatur: ipsam tentationem dixit. Est enim alia tentatio quæ appellatur probatio: de ipsâ tentatione scriptum est: Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum. Quid est vt sciat? vt scire vos faciat: nam ipse nouit. In illâ tentatione quâ quisque decipitur & seducitur, neminem tentat Deus, sed planè iudicio suo alto, & occulto, quosdam deserit. Cùm ille deseruerit, inuenit quid faciat tentator. Nõ enim inuenit aduersus se luctatorem, sed continuò illi se exhibet possessorẽ, si deserat Deus. Ne deserat ergo, nos ideò dicimus, Ne nos inferas in tentationem. Eleganter Cassiodorus in ps. 25. *Deus tentat vt probet, homo vt sciat, Dæmon vt fallat*: & D. Ambr. lib. de Abraham Patriarcha cap. 8. *Diabolus tentat vt subruat, Deus tentat vt coronet. Denique probatos sibi tentat, vnde Dauid, Proba me, & tenta me. Sanctũ Abraham probauit antè, & sic tentauit, ne si antè tentaret quàm probasset, grauaret. Probauit eum cùm exire de Charrâ iussit, & obedientem reperit: Probauit, cùm titulo fidei fretus liberauit nepotem, cùm de prædâ nihil attigit, cùm promisit seni filium, & cùm esset centum annorum, quamuis Saræ genitalia consideraret demortua, tamen credidit, nec fide hæsitauit, qui posset hæsitare ratione sterilitatis aut senectutis. Probauit eum hospitij sedulitate. Probatũ igitur quasi fortiorem tentandum putauit maioribus, & quibusdam imperijs durioribus.* Ecquæ illa? *Tolle filium tuum vnigenitum*, inquit Gen. 22. *quem diligis Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Veruntamen, non tentãdæ fidei gratiâ sacrificare de filio iussit, sed probandæ, inquit Tertul. de Orat. vt per eum faceret exemplum præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neque pignora Deo cariora habẽda. His consentanea loquitur D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 5. vbi inter cætera *Mentem bene sibi per tranquillitatem subditam Deus afflictionibus pulsat. Sic & Iob laudatur attestatione iudicis, & tamen ictibus conciditur percussoris, vt eius patientia tãtò veriùs claresceret, quantò inquisita duriùs fuisset. Sic Abraham terram suam iubetur egredi, & pergere quo nesciebat: in montem vnicum filium ducere, & quem ad consolationem senex acceperat, immolare: cui nimirum ad interrogationem bene respondenti, id est, ad iussionem obedienti, dicitur, Nunc cognoui, quia times Deum. Tentare quippe Dei est magnis nos iussionibus interrogare. Scire quoque eius est, nostram obedientiam nosse nos facere.* Sicut enim dies augustus, siue lætus dicitur, qui nos lætos facit, sic Deus dicitur cognoscere, quia facit nos scire: Nouit ille ab æterno, quidquid in tempore futurum est; omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius; sed quia nostris oculis iustorum virtus occulta iaceret, tentatione facit, vt hominibus palam innotescat, & illustrior fiat. Quando & teste Horatio l. 4. ode 9. *Paulùm sepultæ distat inertiæ, Celata virtus.*

Deut. 13.

Abraham probatus est, & tentatus.

Gen. 22.

Non emicuisset Abrahæ nõ Iobi, non Tobiæ, non sexcentorum aliorum iustorum virtus, nisi aduersos, tentata, casus eluctata fuisset. Tolle Troianas acies, tolle bella, tolle excidia, ecquæ lux fortitudini? rectè Poëta:

> *Hectora quis nosset, felix si Troia fuisset?*
> *Publica virtutis, per mala facta via est.*
> *Quæ latet, inque bonis cessat, non cognita rebus,*
> *Apparet virtus, arguiturque malis.*

Illa ergo noxiâ tentatione quam significat Apostolus dicens 1. Thess. 3. *Ne fortè tentauerit vos, is qui tentat, & inanis fiat labor noster*, Deus neminem tentat, hoc est, neminem infert vel inducit in tentationẽ, inquit D. August. lib. 2. de dono perseuer. c. 6. Nam tentari, & in tentationem non inferri, non est malum: imò etiã bonum est, hoc est enim probari. *Volens enim glorificare hominem*, inquit Auctor imperf. apud Chrysost. hom. 14. *tentat eum, nõ vt eum magno iudicio glorificet, sed vt ne sine causâ glorificet.* Neque enim ægrotare secundum carnem est delictum: neque in damna & tribulationes incidere, est lapsus atque ruina, sed in tentationibus non probatum inueniri, inquit D. Ephræm Syrus tom. 2. parænesi 30.

1. Thess. 3.

Capitis 38. §. 4.

Si bonum est tentari, cur nos à tentatione liberos & vacuos esse volumus?

Noua oritur quæstio, ac velut in mari fluctus fluctu truditur, ita hic aliud ex alio dubium suscipitur: nam si pertentari à Deo, compendiũ est homini: si ad meriti incrementum tentatio ordinatur: si latentes, & quasi sopiti virtutum ignes, tentamentis, ceu flabris quibusdam aduerlantibus suscitantur, & emicant: si immortalis gloriæ corona capitibus nostris, in fornace probationis malleis tentationum cuditur: Quid est, cur nos à tentatione immunes fieri postulamus, dicentes, *Et ne nos inducas in tentationem*: Quodque auget difficultatem: si de tentatione malâ hæc petitio intelligatur, nunquid in eam nos inducit Deus, vt ne inducat, postulare debeamus? Atqui hoc, tum Diuo Augustino asserenti, tentatione noxiâ Deum neminem pertẽtare; tum Diuo Iacobo aduersari videtur, dicenti, *Quia Deus neminem tentat: intentator enim malorum est.* In qua scilicet, tentando ipse inducat.

1. Cur à tentatione nos immunes volumus?

Iac. 1.

Ad hæc quid respondeatur, promptum est. De malâ quidem tentatione, per quam homo à beatitudinis consecutione impediatur, petitionem hanc intelligi; velut enim semel patratum scelus, æternæ felicitatis aditum claudit, vt propterea, dimitti nobis debita nostra postulemus; ita, ne tentatione afflicti, in peccatum labamur, dicimus, *Et ne nos inducas in tentationem.* Neque tamen hoc Diuis Augustino & Iacobo aduersatur, quũ tentatione noxiâ, Deum neminem tentare, docent: quod sanè, sacræ scripturæ phrasim aduertenti, fit perspicuum; quâ, id dicitur Deus facere, quod permittit fieri. Hinc D Augustin. lib. 2. de dono perseuerant. cap. 6. *Nihil fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit.* qui & lib. de serm. Domini in monte. huiusce petitionis interpretamẽtum ex alijs tradit, totidẽ verbis, apud D. Thom. in catenâ. *Nonnulli codices habent, Et ne nos inferas in tentationem. Quod tantundem valere arbitror: nam ex vno græco, verbum vtrumque est translatum. Multi autem interpretando ita dicunt. Ne nos patiaris induci in tentationem. Exponentes quomodo dictum sit, inducas: non enim per seipsum inducit Deus: sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit.* Ita quoque inter cæteros, exposuit D. Cyprianus, qui inde concludit, diabolum in domesticos Dei, ex propriâ potestate, nihil posse, ait enim, *Qua in parte ostenditur contra nos nihil aduersarium posse, nisi Deus antè permiserit, vt omnis timor noster & deuotio, conuertatur ad Deum.* Quia igitur, *Summus ille vitis agricola*, inquit D. August. lib. 22. contra Faustum. tom. 6. cap. 20. *aliter parat falcem sarmentis fructuosis, aliter infructuosis: tamen non parcit nec probis, nec reprobis, illis purgandis, illis amputandis. Nullus enim hominum est tantâ iustitiâ præditus, cui nõ sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem.*

Tentatione malâ ne impediamur petimus.

Diabolus nihil potest, nisi permittente Deo.

Ideò, si diabolo, aut ex causâ probationis cõceditur ius tentationis prouocato vel prouocãti (inquit Tertull. lib. de fugâ in persecut. cap. 3.) vt Iob. 2. aut ex causâ cohibitionis, vt Apostolus refert, datum sibi sudem Angelum Satanæ, vt colaphizetur: ne ex causâ reprobationis tradatur ei peccator, quasi carnifici, in pœnam, vt Saul, de quo inquit scriptura, 1. Reg. 16. *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino*, perseuerantiam in sanctitate postulamus dicentes, *Et ne nos inducas in tentationem*, id est, ne permittas nos induci, ne subtrahas auxiliũ tuũ: quod quum dicimus, *Admonemur hoc petere*, inquit D. August. epist. 120. ad Probam, *Ne deserti eius adiutorio*

2. Duplicem ob causam diabolus tẽtare permittitur.

1. Reg. 16.

interius alicui tentationi, vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. In quibus Diui Augustini verbis, hominem dupliciter in tentationem incidere, vel ei succumbere, innuit scribit Abulēsis quæst. 118 in cap. 6. Matt. Vno modo per ignorantiam: vt cùm in tentatione diabolicâ, homo se putat ad bonū moueri, & ad malum trahitur: Altero, per difficultatem tolerandi, vt si homo videat malum esse id ad quod mouetur, nihilominus propter resistendi difficultatem, illi malo succumbat. Cōtra quos tētationis modos, Deus quoque dupliciter prouidet: contra primum, illuminando intellectum, ne per ignorantiam peccemus: Nullū enim peccatum est, quod quum committitur, non habeat ignorantiam quandam adiunctam, iuxta illud Philosophi, *Omnis malus est ignorans.* Aduersus quam orabat Dauid ps. 12. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum.* Intellectum collustrari diuino lumine postulabat, vt superno sapientiæ diuinæ fulgore in animum accepto, in tentatione inducente ad mortem, non obdormisceret, non seduceretur, iuxta Chaldeæ paraphrasis interpretationem, quæ sic habet, *Illumina oculos meos in lege tuâ, ne fortè peccem, & dormiam cū eis, qui rei sunt mortis.* Mala quies est, dormire in mortem, somno mortifero, & illa quies quandoque peccatori cōtingit, quando scilicet per consensum in peccatum, satiatâ libidine, quæ quies mortifera est, à tentatione liberatur: Ab hac obdormiscentiâ irrequieti facinoris liberum omnino se optat Vates Regius; & à tentatore, per Dei gratiam fugato, liberari. *Ne quando,* inquit, *dicat inimicus meus,* ille, de quo 1. Petri 5. *Aduersarius vester diabolus,* qui, vt Hugo Cardinalis ait, *Impetit in suggestione, luctatur in delectatione, percutit in cōsensu, inclinat in actu, præcipitat in consuetudine, præualet in morte.* scilicet quando quis moritur in peccato, quo tempore sæuiùs, quidquid machinarum habet, admouet. *Præualui aduersus eum.* insolenter insultādo, dicat, decepi eum.

In tentationem incidimus aut per ignorantiā: aut per tolerādi difficultatem.

Psal. 12.

1. Pet. 5.

Aduersus secundum modum, pro impetrādâ fortitudine, & feruenti charitate postulamus. Charitas enim omne prorsus tētationis periculum eluctatur, secūdum illud Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Hæc autem duo, si nobis concesserit Deus, si luminis sui splēdore intellectum nostrum collustrarit, si voluntatem charitatis suæ flammâ accenderit; liberi ab inductione in tentationē erimus, quod psalmo 31. indicatum. *Intellectum tibi dabo, & instruam te,* scilicet, ne seducaris in tentationibus, ignorantiæ tenebris, veritatis lumen obscurantibus. *In viâ hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos:* id est, dabo tibi firmitatem respiciendo te, & adiuuando, ne propter tentationis difficultatem, cogaris succūbere. Ita ferè Abulensis. *Voluit ergo Deus à se posci ne inferamur in tētationem,* inquit D. August. lib de dono perseuerantiæ, *quod poterat nobis & non orantibus dari, quia voluit nos admoneri à quo beneficia accipiamus. Attendat ergo Ecclesia quotidianas orationes suas: orat vt increduli credant: Deus ergo conuertit ad fidem. Orat vt credentes perseuerent. Deus ergo dat perseuerantiam vsque in finem.*

3.

Cant. 8.

Psal. 31.

Denique, aliud est duci in tentationem, aliud in eumdem induci; ille ducitur qui tentatione feritur; ille inducitur, qui tentatione vincitur. Duci in tentationem siue tentari, tantum est hominis bonum, vt sine tentatione, teste D. August. de serm. Domini in monte, probatus esse nemo possit, siue sibi ipsi, siue alij. Deo autem ante omnes tentationes quisque notissimus est. Quid? quod ipse Dominus noster Iesus, à Spiritu sācto in desertum duci voluit, vt tentaretur à diabolo: ductus est ad tentationem, sed non inductus: circum tentationum præliaturus ingressus est, & *tentatus per omnia,* ad Hebr. 4. id est, per omnem vim & potētiam diaboli, omnia tentatoris machinamenta, propria virtute elisit. Pulchrè D. Ephræm Syrus, tom. 2. serm. ascetico, siue exhortatorio ad Fratres: *Ad bonum Deus permittit tentationes, sciens nos eas superaturos. Permittit autem ad coronā. In succumbentibus autem, non ipse tanquam auctor concedit, sed vniuscuiusque voluntas & actio causa cōstituitur.* Induci autem in tentationem, est veluti in casam introduci, quod nisi propriâ tentati volūtate fit, tentationi acquiescente, atque velut in commercijs, acceptâ temporalis delectamenti volaticâ dulcedine in pretium, rem maximam, animam pretioso Christi sanguine redemptam, tētatori, tradente: quæ res est plena periculi. Disce ab exemplo, quod proponit Innocentius III. lib. 5. de officio missæ. cap. 25. vbi quid duci in tentationem, quidúe sit induci manifestat. Piscis enim quando accedit ad rete, ducitur ad tentationem, inquit, quando verò intrat rete, tunc inducitur in tentationem & capitur. Ita Christianus, quā feritur malâ tentatione, ducitur ad tentatoris rete; si consenserit, inducitur, illabitur, illaqueatur peccato, & morte. *Non ergo hic oratur, vt non tentemur,* inquit D. August de serm. Dom. in monte. *sed vt non inferamur in tentationem: tanquam si quispiam, cui necesse est igne examinari, non orat vt igne non contingatur, sed non exuratur.*

Hebr. 4.

Induci in tētationem quid sit.

Velut ergo qui mare nauigant, quantò lōgiùs in altum prouecti, procellis irruentibus sæui maris agitantur, erepto quaquauersum continentis aspectu, tantò ampliùs timore pallent, seque suaque Deo vouent, quò impetratâ tranquillitate, tumentis pelagi pericula eluctentur: ita homo, mundani maris profundo immersus, vbi *Dæmones tam multas humano generi illecebrarum insidias prætenderunt, vt etsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur,* inquit Saluianus lib. 6. de Prouident. vbi aduersantibus nauigationi nostræ flabris, auaritiæ, ambitionis, fornicationis, cæterorumque id genus, concutitur: est quod cōceptis votis, istud appendat Deo, *Et ne nos inducas in tentationem.* Sicut autem Nauita inter obstantes ventos, atque minaces aquarum inundantium vortices, deprehensus; etsi aduersas tempestates sedari, pelagumque tranquillari peroptet, quia tamen malacia nauigantibus plena est periculi, nō eam desiderat, sed tranquillitatem tantùm, quæ temperatæ aëris commotioni, fluctuumque nauem in portum impellentium agitationi, coniuncta sit; Ita in vitâ hac, vbi omnia aduersa, exercitationes sunt; vbi aut hebetibus, aut obtusis, aut malâ consuetudine obsessis, rubigo animorum, exercitio diu effricanda est, vbi marcet sine aduersario virtus, vbi anima otio & malaciâ torpens, est velut mare mortuum; vbi liuorem alit infelix inertia. Non petimus omnino ab omni tentatione, & labore vacare; sed ne tentationū fluctibus impetiti submergamur, oramus. Non enim dicimus, Domine, ne permittas nos tētari; nam hoc esset, virtutum nostrarum torporem, meritorumque nostrorum iacturam postulare, vti aiebat D. Bernard. Senensis lib. de religio. Christia. serm. 6. Neque dicimus, Domine, immitte nobis tentationes, hoc enim esset præsūptionis vitio laborare: sed *Ne nos inducas in tentationem,* quasi dicamus, si nos à tentatione tangi permittis, vt virtutes in nobis excitentur, ne permittas nos tentationi succumbere. *Vita, quippe, nostra in hac peregrinatione, non potest esse sine tentatione,* vt inquit D. August. in psal. 60. *quia profectus noster per tentationem nostram fit; nec sibi quisque innotescit, nisi tētatus: nec potest coronari, nisi vicerit: nec potest vincere nisi certauerit; nec potest certare nisi inimicum, & tentationes*

Dæmonū insidiæ omnes cauere, difficile est.

Sine tentatiōne probatur nemo.

tiones habuerit. Imò verò ipse Deus, tẽtationes antè parauit, quàm hominem condidit, ne qua, illi exercendo, portiuncula deesset tẽporis, sicut adnotauit D. Ambr. l. 5. Hexam. c. 1. vbi sali, solique productas opes ante hominem, sic luget: *Væ mihi ante hominem cœpit illecebra, abundantia copiarum, nostra mater luxuriæ, ante hominem delitiæ. Prior ergo hominum tentatio, quàm natura.* Idcirco omnis ipsa hominis vita tentatio super terram, appellatur, vt cui ab ipsis cunis decreti cum tentatione cõflictus, decreta victori præmia. Idcirco sacri, tam veteris, quàm noui instrumenti codices, passim cõmẽdãt tentationes: Sap. 3. *Et si coram hominibus tormẽta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est: in paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* Eccl. 27. *Vasa figuli probat fornax: & homines iustos tẽtatio tribulationis.* & c. 34. *Qui nõ est tẽtatus quid, & qualia scit?* Iac. 1. *Omne gaudiũ existimate, Fratres, cùm in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiã operatur. Patiẽtia autẽ opus perfectũ habet; vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Vbi parũ visum est Apostolo tentationũ tolerantiam cõmendasse, nisi etiã adderet, *Omne gaudium existimate, Fratres,* nõ *gaudium*, sed *Omne gaudium. Quid facis, ô homo virtutis contemptor?* inquit D. Ephræm Syrus tom. 1. de pœnitentiã & patiẽtiã: *Dedit te Creator tanquam aurum conflandum atque probandum, per contumelias scilicet, & diuersi generis tentationes, vt vas eius bonum & puritatis, in multã patientiã ac longanimitate efficereris: siquidem vir expers tentationũ probari nequit:* & quum te circunstant tentationes mœrore tabescis? lubeat oblectare animũ. Vbi meliùs quàm in tentationis tribulatione? Gaudium quæris in poculentis & esculentis, in diuitijs, in honoribus, in voluptate? frustra es. Non ibi gaudium, quia non ibi omne gaudium. In ipso tentationis cõflictu inuenies omne gaudiũ, quia ibi tecum Deus, qui est omne gaudiũ, psal. 90. *Cum ipso sum,* inquit, *in tribulatione.* Et aliud interim requires quàm tribulationem? *Bonum mihi tentari,* inquit Deo S. Bernard. serm. 17. in psal. 90. *Dummodo ipse sis mecum, quàm regnare sine te, & epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in cœlo. Et à te, quid volui super terram? Aurum probat fornax, & viros iustos tentatio tribulationis. Ibi cùm eis es Domine, ibi in tuo nomine congregatis, medius adstas, sicut olim tribus pueris es dignatus etiam Ethnico apparere, vt diceret, quia species quarti similis filio Dei.* Quantum gaudium, vbi omne gaudium! Satellites crudelitatis ministri, ad imperium regis sui gaudent raptos iuuenes ad pœnã ignibus tradere: & pij iuuenes gaudent se dignos videri, qui pro veri Numinis confessione, fornaci tribulationis committantur ad coronam: sed impios satellites cum gaudio vltrix flamma vorat, quæ cum omni gaudio pijs iuuenibus blandita est. Itaque omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis. Inquit Apostolus, atque emolumẽta inde resultantia recẽsens, addit, *Scientes, quòd probatio fidei vestræ patiẽtiam operatur, &c.* Et post pauca, beatum iam pronuntiat, qui tentationi non cesserit. *Beatus,* inquit, *vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Repromisit,* inquit, id est iterum promisit: bis enim promisit, in veteri quidem testamento, per Prophetas; in nouo, per Apostolos. In quam repromissionem aspicientes Sancti, rapidos tentationum fluctus, à quibus ne liberari quidem vellent, animosè tranant. Exemplo sit Sara, in partibus Thebaidis Abbatissa, apud Marul. lib. 5. ca. 7. & Sabell. l. 10. cap. 3. cuius cùm cogitationes diabolus ad libidinem incitare soleret; nunquam vt recederet tentatio, orauit; sed vt & illa assiduè oppugnaret, & ipsa semper vinceret. In hoc carnalis lasciuiæ bello, per annos tredecim fortiter contendit. Sed tandem aliquantò acriùs impugnata, quàm vt sustinere posset, clamauit ad Dominum Iesum Christum; & superauit inimicum, ita vt oranti apparens dæmon diceret: Vicisti me Sara, vicisti. At illa, nihil sibi laudis ex hoc vendicans: Non ego, inquit, vici te, sed Dominus meus Iesus.

Tentationes bonæ sunt.

Sap. 3.

Eccl. 27. & 34.

Iac. 1.

Psal. 90.

Fornax babylonica pijs pueris gaudiũ fuit.

4. Sara Abbatissa.

Sancti cuiusdam senis itidem discipulus, apud Cassian. collat. 2. cap. 13. qui à spiritu fornicationis vehementer impugnatus, diuinã auxiliante gratiã, fortiter aduersus immundas lasciuiæ cogitationes dimicabat, seséque opere manuum vehementer exercebat. Hunc enim, cùm beatus ille senex tam efflictim laborantem videret, si vis, inquit, ô fili, Deum deprecor, vt ista te tentatione liberet: at ille, non istud, pater, quia hinc magnos me in virtute progressus facere comperior, tantùm ora, vt perseuerantiæ donum merear à Domino impetrare.

Experiebantur illi, quòd quemadmodum solidissima pars est corporis, quam frequens vsus agitauit, ita animum, si inconcussus, & extra se nunquam discedens inueniatur, inter aduersarios tentationis ictus, roborari. Velut namque incus aliqua licet quidem semper verberetur, vt inquit D. Ephræm tom. 1. de fide, non tamen dat tergum, neque concauitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet, sibique similis: sic animus verè Christianus inter diuersas tribulationes atque tentationes, siue extrinsecus ab hominibus illatas contumelias, persecutiones, damna, aut aliqua eiusmodi, siue intrinsecus à spiritibus malignis inductas angustias diuersissimas; vnus & idem manet, fortiter quæcunque obuenientia perferens: pro munitione ac castro, & turre fortitudinis à facie inimici, semper Christum Dominum habet, ad quem confugiat. Itaque *Ne succumbas in tentationum conflictibus,* vt monet D. Greg. Nyssenus tom. 2. tractatu 2. in psalmos cap. 6. *Sed in finem victoriæ respicias, qui est Angelicis choris adnumerari: tuamque animam tentationum impressione, expurgari cogites.*

Incus solida per incus.

Capitis 38. §. 5.

De Diaboli tentatione.

VEnio nunc ad tres illos humanæ naturæ hostes profligatissimos, ac perditissimos, Dæmonem, scilicet, Mundum, & veterem nostrum hominem, siue Carnem. Et vt à dæmone exordiar: ille, coniunctis cum Mundo & carne viribus, fœdere malo, acerrimè contra nos dimicat, atque omnem mouet lapidem, vt concepta in nos odia expleat, perennent in Deum. Ecquod, Deum immortalem! aliud indicium esse posset eius, qui natam gentis alicuius sobolem, & adultam Pharaonico imperio extirparet, si & antequam nasceretur, confossis matrum visceribus in vitam ingressum adimeret, præcluderet? Tam furibunda est diaboli superba rabies, atque inuidia, vt hominem iam adultum, atque in virore gratiæ, primitùs constitutum, perfidè trucidarit: gentisque nostræ propaginem, in ipsã radice, mortis iaculo transfixerit. Neque tamen tàm calamitosã strage, eius immanitas satiari potuit: mouet aduersus verbum incarnatum vt præordinatos à Deo, & in ipsis diuinæ misericordiæ visceribus inclusos, aditu prohiberet in vitam, tentans illum ad ruinam, à cuius vtero gestabamur, vt mortem quam induxerat, perpetuaret. *Inuidiã,* siquidem, *Diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.* Introiuit mors spiritualis in cœlestibus, iam indè à principio creationis Angelorum, quãdo Lucifer

I. Diaboli rabies in nos & Deum.

Sap. 2.

inuidens Deo gloriam suam in homine ad vnionem hypostaticam assumendo, in mortis æternæ barathrum præceps ruit. Introiuit, quando Adamæ innocentiam, cibi delectabilis virulentiâ, labefactauit. Hæserat illi nimirum adfectus insidiæ, per quam perijt: Iob. 5. *paruulum occidit inuidia.* & in æternum hærebit, quia hac æternâ veritate ictus, *Vbi ceciderit lignum, ibi erit:* Non potest non in casus sui ruinâ permanere. Cecidit vt fulgur, stimulante inuidiâ, præcipitante superbiâ, fulgurantis inuidiæ, atque fumantis superbiæ stimulus, nunquam non accendetur. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Quod & in nobis mortalibus locum habet: nam qui cum mortalis delicti adfectu hinc demigrat, cum eodem in vitâ alterâ perseuerabit. Hinc S. Paulinus ad Ausonium:

Iob. 5.

Psal. 73.

Mens quippe lapsis, quæ superstes, artubus,
De stirpe durat cælitis,
Sensus necesse est, simul & affectus suos
Teneat, vt & vitam suam,
Et vt mori, sic obliuisci non capit
Perenne viuax, & memor.

Etiam post busta, viuunt odia improba, viuunt Eteoclis, & Polynicis fratrum, quorum cineres, cùm mutuâ cæde occubuissent, diuisim ex eadem pyrâ fumabant, permanente etiam in morte discordiâ, vti ait D. Cyprian. lib. de Idolorum vanitate, *Vbi ceciderit lignum, ibi erit*; In Diuis quoque suus adfectus inest: nam quod, Diui Eligij anima, in formam crucis aureæ, visa est in cælum transferri; quod Clodoneo Francorum Regi aduersus hæreticos mouenti, nocte intempestâ, è Diui Hilarij æde, emicans flamma apparuit, è quâ ad se tendente, vocem audiuit dicentem, accelera, atque perfectâ crastino in hoc templo oratione, cum hoste signa conferas & vinces: quod fecit, & vicit: quid aliud his signis indicabatur, quàm quod post mortem permaneant adfectus qui viuentium fuerunt? Hic enim, vt in vitâ hæreticis semper infestus, ita & post mortem fuit: Diuus verò Eligius, in crucis formâ apparens, se laboribus, & cruci commortuum significauit.

Eteoclis, & Polynicis odium, in ipsis cineribus durat.

S. Eligius.

S. Hilarius.

Ceciderat ergo malignus ille ad Aquilonares cùm superbiæ, tùm inuidiæ plagas, & furiarum istarum quibus tenaciter hæsit, æstro actus furente, veteratorijs artibus suis, circumuenire Dei filium non erubuit, redintegraturus prælium illud, quo in amplis cælorum spatijs, victus fugatusque est, suo in pectore, suâ in mente repostam semper habens illius prælij, suæque ruinæ caussam. Trepidabat quidem, atque à proposito deterrebatur dubius de soliditate naturæ Christi, quum videret illum nunc humanæ imbecillitatis decrementa pati, nunc splendoris diuini incrementa suscipere, instar Selenitis gemmæ, de quâ (licet adamantinâ soliditate sit prædita) dubitatum tamen olim à quibusdam refert Albertus Magnus lib. de lapidibus, solidúsne esset lapis, ac firmus, quod, teste Plinio Naturalis histor. lib. 37. c. 10. imaginem lunæ continens reddat eam in dies singulos crescentis, minuentisque numero. Suspectas habebat belli machinas, Angelorum iubilum, adorationes nationum, tubas de cælo, columbæ speciem admirabilem, per lata ieiunia: & ad hæc, desperabat imperium suum in genus humanum, vlteriùs protractum iri. Prouocabatur verò conatum vagitu, ærumnosâ vitâ, periculorum fugâ, baptismate hominis peccatoris, ieiunantis esuritione. Inter hæc, dubium vt excutiat, libet experiri Deúsne sit, an homo solùm, Christus; quare obijcit esurienti saxa, quæ si filius Dei est, in panes vertat. Sciebat posse Deum ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, sed inueterato hominum odio flagrans, non in homines, sed in panes saxa commutari postulat, vt famelicum Dominum quatiat. Sed quid petra lapidibus petita, nisi ignem eructaret; quo in puluerē aduersarij machinamenta soluerentur? Instaurat certamē, præsumptuosa præcipitia suadet, & veritas adorationes: sed frustra est; non eximitur dubio; conteritur, fugatur hostis.

2. Diabolus Christum tentat.

Selenitis gemmæ natura.

Verùm enim, non vereris, belua immanis, ipsum Dei filium tentatione adoriri, qui tot, tantaque, aduersus futuras malitiæ tuæ insidias, munimenta præstruxit? Non reformidas potentiam creatoris tui, qui te ex suo bonum fecit, ex tuo te iniquum perdidit? Sed voluit antesignanus noster Diaboli tentationes admittere, vt nos ad eas firmo pectore, immotoque pede suscipiendas & superandas, instrueret; ita D. Augustinus: *Poterat, inquit, à se diabolum prohibere: sed si non tentaretur, tibi tentando, vincendi magisterium non præberet.* Voluit statim post lauacrum quadraginta dies ieiunijs functus, à præside & artifice tentationis diabolo tentari, vt ostenderet, tum præcipuè hominem tentationum inculis, ab aduersarij potestate peti, quum per sanctificantem gratiam, peccatorum laqueis expeditus iudicatur: enitente tum maximè diabolo, per famis caninæ rabiem, quâ flagrat & furit, ex ipso Christi ore, escam electam rapere. Adeò hostis ille teterrimus, mortalium tum corporis, tum animæ deludat in necem, vtpote cui non satis videatur fluuium generis humani, rapido malarum cupiditatū fluxu ad ima tartari decidentis, absorbere, nisi etiam fiduciâ moueatur Iordanem ipsum, siue Christi fideles, lauacro regenerationis ablutos, deglutiendi. Iob. 40. *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius.* Idcircò enim optimos quosque eorum, præcipuè, tētamentis impetit, vt amotos gradu, tanquam escam sibi traditam, deuoret: Abacuc. 1. *Cibus eius electus.* Præclarè D. Gregorius lib. 33. Moral. cap. 6. *Pro magno habet, quod sub iure suæ tyrannidis, terrena quærentes tenet. Inprimis autem ardet cupiditate possidendi viros bonos, Propheta attestante, qui ait, Esca eius electa. Neque enim mirum deputat, si eos absorbeat, quos superbia erigit, auaritia labefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans siccat. Absorbebit ergo fluuium, & non mirabitur, quia non pro magno æstimat, quando eos deuorat, qui per ipsa vita suæ studia, deorsum currunt: sed eos magnopere curat, quos despectis terrenis curis, iungi iam cælestibus contemplatur.* Et rursum in illud 1. Reg. 17. *Et ascenderunt Satrapæ Philisthinorum ad Israël,* inquit: *Cùm altiori vitâ proficimus, maligni spiritus, qui semper bene agentibus inuident, nobis infestiores sunt, & quia de innocentiæ vitæ sublimitate nos deponere appetunt, ascendere dicuntur. Ascendere quippe malignis spiritibus, est se, ad expugnanda alta per cæleste desiderium corda sublenare. Quia etiam contra perfectiores Christi milites, non quorumlibet malorum spirituum, sed fortiorum damnosa prælia excitantur, non Philisthim contra Israel ascendere, sed Philisthinorum Satrapæ perhibentur; quia ad probandum electorum patientiam, nec vnus spiritus malus electorum singulis, sed innumeri deputantur, vt de consecutâ eorum victoriâ, tantò sit copiosior fidelium gloria, quantò eis irrogata fuerint prælia grauiora.* Itidem Tertullianus lib. de pœnitentiâ c. 8. *Sed enim pertinacissimus ille hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit, atqui tunc maximè sæuit, quum hominem planè sentit liberatum, tunc plurimum accenditur, dum extinguitur.* Exempla non desunt in sanctissimis, tùm veteris, tum noui instrumenti hominibus; & vt Abrahamum, Iacob, Iosephum, Dauidem, Tobiam, Apostolos, primosque illos Eremi ciues, Paulum, Antonium, Hilarionem, Macarios præteream, innumeros quosque alios quibus ob incœptos peculiares, sanctitatis gradus, infestior

Cur Christus tentari voluerit?

Quo quis sanctior, eò crebriùs tentatur.

Iob. 40.

Abac. 1.

1. Reg. 17.

3.

infestior fuit dæmon, qui, vt D. Greg. inquit lib. 23. moral. cap. 7. *eos pulsare negligit, quos quietè iure possidere se sentit. Contra nos verò, eò vehementiùs incitatur, quo ex corde nostro, quasi ex iure propriè habitationis expellitur.* Vnum proferam, quod habet D. Gregor. lib. 3. dialogor. cap. 7. & speculum exemplor. dist. 1. exemplo 31.

Andreas Episcopus.

Andreæ vrbis Fundanæ Episcopi, per sanctimonialem feminam, quam curæ Episcopij sui, de eius continentiâ certus, adhibuerat, castitatem labefactare molitur veterator dæmon: igneas torquet sagittas, quibus sancti viri transfigat iecur. Interea compulerat fortè nox illunis Iudæum quendam, qui ex Campaniæ partibus Romam veniens, Appiæ carpebat iter, ad Apollinis templum quoddam, pernoctandi gratiâ, deflectere, qui sacrilegi loci illius horrore perterritus, crucis ipse inimicus, eius se tamen signo munijt. At ecce nocte mediâ, peruigili, & pauore consternato, visa dæmonum turba, quæ grandiorem quendam præibat spiritum, coram quo, vt confessum est, cùm singulorum caussæ, & actus discuterentur, prosilijt eorum quidam, asserens vagrãdes se carnis flammas sancto Antistiti submisisse. Quod quum inhianter præses ille spiritus nequam audiret, & tanto sibi factũ lucrum grande crederet, quantò sanctioris viri animum ad lapsum perditionis inclinaret, addidit faber ille sceleris, quia adusque, hoc quoque die præterito, vespertinâ horâ, eius mentem traxi, vt in terga eius sanctimonialis feminæ blandiens, alapam daret: O artificem sceleris dolosum! tãtum non sanctum Antistitem, quod semper abominatus fuerat, concupiscere fecit, & vt ludens, palmâ tantummodo, tergum feminę leniter perstringeret, indeque gloriatur. Quid non gloriabitur de osculorum, & tactuum lasciuia? Interim præsidis spiritus auctoritate, agnoscitur quis eo in fano iacere præsumpserit; vas vacuum proclamatur, sed signatum; atque mox ad crucis mysterium, impurâ dæmonum turba euanuit: Iudæus tremẽs rem totam defert Episcopo, qui facti pœnitens, non solùm monialem ipsam, sed omnes prorsus feminas, quæ sibi in episcopio famulabantur, abegit, & illa fœdæ cogitationis tentatione, prurire desijt, atque ob id ipsum, Iudæum baptismate Christi initiauit.

Diabolus propensiones, & inclinationes nostras explorat.

4. Inclinationes nostras scrutatur dæmon per quas in animum repat.

ET verò non simpliciter, neque casu impetum facit diabolus in fratrem, sed cùm illius cogitationes, distractionibus iracundiæ perturbãtur, inquit D. Ephræm Syrus tom. 2. Parænesi 30. Non locorum vitium est quod laboramus, quod tentamur, sed nostrum: in nobis est, per quod ad intima nostra, ignea hostis tela ferantur. Explorat ergo omnes animorum nostrorum aditus, per quos tentamentorum suorum illecebras instillet, rimatur vias, quas illi per adfectus & passiones nostras pandimus, ne frustra sit, si aut luxuriosis præmia, aut auaris scorta proponeret. Velut enim in conferendis beneficijs, vt scribit Seneca lib. 1. de beneficijs cap. 11. vtique cauebimus ne munera superuacanea mittamus, vt feminæ, aut seni, arma venatoria, aut rustico libros, aut studijs ac literis dedito, retia; ita singulis hominibus conuenientibus vitijs insidiatur diabolus, ea proponens, ad quæ cognoscit faciliùs inclinari mentem, sed tamen quæ admittentis vitium sint exprobratura, atque ideò non munus, sed maledictum futura: *Quia etenim lætitia, voluptas iuncta est*, inquit D. Greg. lib. 29. mor. cap. 12. *lætis moribus, luxuriam proponit: & quia tristitia in iram facilè labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit: quia timidi supplicia formidant; pauentibus terrores intentat: & quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæque voluerit, blandis fauoribus trahit.* Quare D. Cyprian. serm. de zelo, hosti illum cõparat, qui vt ciuitatem expugnet, lustrat eius mœnia accuratè, antequam aut cuniculos instruat, aut tormenta bellica torqueat. *Similiter hosti muros vrbis cuiuspiam obsidenti, inquit, explorat diabolus & tentat, an sit pars aliqua murorum minus stabilis & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur: eam enim partem animæ, quam infirmiorem conspicit, fraudulentus magis, quàm generosus inimicus aggreditur. Itaque*, inquit Tertull. lib. de pœnitent. cap. 8. *obseruat, oppugnat, obsidet, si quâ possit oculos concupiscentiâ carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine, euertere, aut à viâ certâ peruersis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit.* Vimque suã explicat omnem, vt ciuitatis nostræ, vt animorũ nostrorũ intima, per ipsas facultates nostras proditorias, assequatur: (quã de re multa Cassianus Collat. 7. c. 15.) scilicet, fornicationis susceptũ esse desideriũ, si quod ipse telum libidinis torserit, patienter admissum viderit, nec vt oportuit aduersus suggestionis immundæ suspiratum lasciuiam; Admota, tristitiæ, iræ, furoris, crudelitatis, superbiæ, gulæ, inuidiæ, incitamenta cordi insedisse, si gestus concitatior, vultus asperior, vox fractior, commotio insolentior, si fremitus, indignatio, si pallor aut rubor prodiderint.

Anima cuique sua, ciuitas, quam impugnat dæmon.

Prosequar ex D. Gregorio Nysseno tom. 1. homil. 8. in Ecclesiastem: *Neque verò opus est, vt verba singula explicemus, nempe quemadmodum inimicus vniuscuiusque nostræ ciuitatis, quæ est à Deo condita in anima, aut per exploratores nostrarum copiarum facit periculum, & quosnam habet ex nostris, qui nostrum prodant exercitum. Vt autem sensus aperiatur manifestiùs, talis est primus tentationis insultus, vnde capiunt initium vitiosæ affectiones. Hic est explorator nostrarum copiarum: vt exempli caussâ, incidit oculorum spectaculum, quod renouare potest cupiditatem. Per hoc ergo explorat hostis eas quæ in te sunt copias, sintne valida, & bene instructæ, an imbecillæ, & expugnatu faciles. Si enim non te fregit figuræ affectus, nec apertè solutum robur tuæ cogitationis, sed citra vllam animi perturbationem, transmisisti id quod tibi occurrit: perterrefecisti protinus exploratorem, velut quadam armatorum phalange hastis horrenti, paratis, id quam, & instructis rationibus ostensis exploratori. Sed si ad spectaculum per voluptatem emollitus fuit sensus, & figuræ simulacrum cogitationem subijt per oculos, tunc expugnatur quidem mens, eorum, quæ sunt intus, imperatrix, vt quæ nihil habeat virile aut iuuenile, sed sit effeminata, & dissoluta; & magna manus proditorum ex populo cogitationum, cogitur circa exploratorem. Isti autem sunt proditores de quibus dicit Dominus, Inimici hominis, domestici eius, qui ex corde exeunt, & hominem inquinant.*

Matth. 10.

5. Alipius.

Succubuit aliquando in hac exploratorum palæstrâ Alipius, apud D. Augustinum lib. 6. Cõfess. cap. 8. Is enim ab insaniâ ludorum Circensium mirabiliter reuocatus, cùm paulò pòst à condiscipulis iterum ad illa immania gladiatorum spectacula inuitus adduceretur: Vt corpus cogatis, at animum & oculos non cogetis, inquit, adeoque clausis oculis sedebat: feruebant omnia immanissimis voluptatibus. Atque vtinam, sicut foribus oculorum clausis, interdixerat animo, ne in tanta mala procederet, etiam aures obturasset! Nam quodam pugnæ casu, cùm clamor ingens totius populi, eum vehementer pulsasset, curiositate victus, & quasi paratus quidquid illud esset, etiam visum contemnere ac vincere, aperuit oculos, sanguinem vidit, & immanitatem simul ebibit: & non erat

iam is qui venerat, sed vnus de turbâ ad quam venerat, & verus eorum socius à quibus adductus erat. Quid plura? spectauit, clamauit, exarsit, abstulit inde secum insaniam, quâ stimularetur redire, non tantùm cum illis à quibus priùs abstractus est, sed etiam præ illis & alios trahés. Viden vt per exploratores nostri roboris oculos, auresque, periculum nostri facit dæmon?

Consensum in malum elicit dæmō, vt ad actum inducat.

In omnem se, hostis ille, vertit faciem, vt quos, hausto quodam diuinitatis afflatu, puriùs Deum colere atque venerari sentit, euertat. Quid non molitur, vt quem suggestione perduxit ad peccati consensum, instiget ad actum? Consilium eius aptè nudauit D. Ephræm Syrus tom. 2. paræneſi 37. quique occurrendū sit illi, admonuit: *Incipit enim aliquid eiusmodi suggerere, inquit, & ad eum qui oculorum aspectu victus est, dicere: Ecce studio & instituto proprio peccasti, & corde iam mœchatus es: deinde etiam præcepto excidisti, & peccatum transgressionis mandati modò reputatum est tibi: nunc ergo tuam perfice concupiscentiam, cùm idem sit agere, & in animo habere; fruere igitur ipsâ tuâ concupiscentiâ.* Ecce autem vt fallacia captionis huius elidatur. *At tu carissime, ne acquiescas consilijs ipsius: Non enim* (vt ait Apostolus 2. Cor. 2.) *eius cogitationes ignoramus, nam in istis animam tuam venari cupit:* hæc eius esca electa. *Audi porrò & de eo parabolam. Adolescens quidam erat in regione quadam, & sibi tres virgines desponsauit, peregreque in regionem longinquam est profectus, vbi cùm diutiùs moraretur, vna Virgo sibi virum accepit; Secunda autem elapsa, similiter fornicationi se dedit, & vterum tulit: At tertia virgo secum dixit: nisi humanus me cohiberet pudor, ego quoque mihi virum caperem: & incepit virgo in eiusmodi versari cogitationibus; ac postea recordata est adolescentis peregre profecti, à quo & arrabonem acceperat post reliquas virgines: pœnitentiaque ducta, desleuit, quòd etiam omninò permisisset cogitationem improbam in suo corde succrescere. Quando ergo iam reuersus est adolescens, qualem putas ex istis tribus virginibus ipsi fuisse magis acceptam? nonne postremam quæ cogitauit solùm & non operè perfecit? imò verò & de prauâ cogitatione pœnituit, ac fleuit. Quapropter necessarium fuerit dicere sollicitanti dæmoni ad actionem iniqui peccati: Tametsi oculis impegerim, & corde mœchatus sim: ipsum tamen cor meū adulterio obnoxium, gemitibus inenarrabilibus conteram, & oculum collapsum lacrymis abluam, Quoniam cor contritum & humiliatum Deus non despicit.* Hæc ille.

6. *Personas assumit dæmō vt fallat.*

Nullam igitur prætermittit diabolus illaqueandæ animæ nostræ occasionem, nihil non tentat, nihil non obseruat nostri, vt odio suo immortali, quo ardet in humanum genus, faciat satis: & strategemate militari, exercet illud quàm subdolè:

Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus; dolus an virtus, quis in hoste requirat?
Æneid. 2.

Vt mutatâ tesserâ, signoque militari, dum amicus putatur accessu, nostras tutiùs copias fundat: inspiretque occultum ignem, fallatque veneno. Assumptâ venerabilis senis specie, tetrâ barbâ, ad genua vsque propensâ, se vnum ex antiquis Patribus simulat, exploratque Diui Vincentij Ferrariensis iuuentem, quam in voluptatibus corporis terendam suadet, suo exemplo, vtpote qui detritâ in delicijs iuuentute, conuersus tandem, erroris sui veniam impetrarit. Sed laruam agnouit Sanctus, & signo salutari dispulit. Surius 5. Aprilis.

S. Vincentius.

Apellis Monachi castimoniam, sub mulieris formâ explorat; at hunc, dolosè se illicientem, candenti ferro manu è fornace rapto (erat enim faber) perculit in faciem, qui edito eiulatu, vt à multis audiretur, fugiens euanuit. Apelli deinde candens ferrum non forcipe, sed manu tenere, moris fuit, cùm opus faceret. Quem enim libidinis calor, diabolo succendente vrere non potuit, iam nec ferri poterat, Marulus lib. 4. cap. 7. Sozomenus lib. 6 cap. 28. Diui Norberti de sanctissimâ atque ineffabili Trinitate cogitāti, laudato eius vitæ proposito, sub trini capitis figmento, se Trinitatem esse contestans, quam videre meruisset, explorat institutum. Agnoscitur fucus, pellitur. Surius 6. Iunij cap. 19.

Apelles Monachus. *D. Norbertus.*

Secundelli Diaconi solitarij, Christi indutus speciem explorat animum, extrahit è cellâ suâ, tanquam sanctitatis suæ ostento, populorum saluti consulturum: sed huic tandem solitudini reddito, ac vanè de signis à se perpetratis gloriantì, detecta.

Secundelus.

Frons mendaci compta colore. Propert. lib. 1. Gregor. Turonens. lib. 2. de Vitâ Patrum ca. 10, & Surius 1. Augusti.

Angeli lucis personam gerens, Iulianæ virginis iam pœnis pro Christi nomine affectæ, explorat patientiam, dicens Christum iubere, vt illa potiùs Dijs sacrificaret, quàm in cruciatibus deficeret. Sed illum, diuinitùs inspirata, manu apprehensum, vinculis cōstrinxit, verberibusque affecit: volente Domino, vt scelestus Belial, ab eadem, cui dissuadere ausus fuerat suppliciorum pro Christo patientiam, supplicia ipse perferret. Marul. lib. 5. cap. 7. Sabellicus lib. 10. cap. 3.

Iuliana.

Tres dæmones personati, sub habitu clericali, coram Euagrio presbytero, diuersarum se hæresum esse simulantes, suum quisque dogma probare nituntur, eius fidem exploraturi: sed Euagrio aduersus quemlibet eorum Catholicam fidem acerrimè tuente, ac defendente, confusi euanuerunt. Marulus ibidem.

Euagrius.

Et vt innumera huiusmodi exempla prætereā: iactitet Leopardus apud Plutarch. in Apologet. varios pellis suæ colores, cæruleum, atrum, albū, cæterosque quibus ceu auis Iunonia fulget: iactitet contrà vulpecula, se plures mente fallaciarū & doli colores sub rudi pelle gerere: Nō tot coloribus Leopardi distinctum tergus est, non tot fallacijs instructa mens vulpis, quot dolis armatur explorator dæmon, in nostræ animæ capturā.

Leopardus.

Diabolo, quia multa malitia est, plura nomina tribuuntur.

7. IDcirco passim in sacrâ paginâ plurium nominum appellatione indigitatur: quorum præcipua sunt, Aduersarius, Diabolus, Serpens, Satan, Dæmon. 1. Pet. 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Hoc nominis sortitus est ab initio, quando turbas in cælo mouens, aduersatus est quieti beatorum, quos gratia stabiliuit, canentium *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Qui etiam inde,

1. Petr. 5.

Inuidiâ nobis volucer non defuit hostis
Nequipotens, pulchris semper contrarius orsis.

Diaboli nomen, ex lapsu obtinuit: Quid enim aliud sonat Diabolus, quàm deorsum fluens? at, visus est Satan tanquam fulgur cadere de cælo, vnde illum culpa proiecit, quem ibi gratia cōdidit. Sic enim Isidorus lib. 8. Etymol. cap. de Dijs gentiū; diabolus Hebraicè dicitur deorsū fluēs, quia quietus in cæli cacumine stare contempsit, sed superbiæ pondere deorsum corruens cecidit: Græcè verò dicitur diabolus criminator, quia crimina, ad quæ ipse allicit, ad Dominū referat, vel quia electorum innocentiā, criminibus falsis accusat. Pòst, serpens nuncupatus est, quòd prim n totius generis humani parentem, serpentis assumpta imagine, tentarit, expugnarit.

Luc. 10.

Perfidus, horribilis, trux, lubricus, tumidus, anguis,
Et coluber malesuadus, pellax, hydrus acerbus.

Quapropter rerum poritus, in lucis, nemoribus, atque sylvis, quæ serpentum habitatio est, præci-

Idololatria cur in sylvis exercita.

præcipuam idolomaniam, tanquam insigne trophæum reportatæ victoriæ, statuit. Sēper autem

Lubricus hinc repetit mordacia sibila serpens,
Hortatur scelera, ac varijs mortalia ludit
Pectora imaginibus, rectiq; oblivia suadet,
Omnibus infestus.

Dracones & elephantes perpetuâ bellare discordiâ, proditum est à Plinio Natur. histor. lib. 8. cap. 11. & 12. & Solino, cap. 35. quorum illi iter ad pabula speculati, ab excelsâ se arbore inijciunt, atque mirâ solertiâ spirarum circumflexu ambientes, nexu nodi perstringunt, vt corruant. Sciunt illi imparem sibi luctatum contra nexus: itaque arborum aut rupium attritum quærunt, vt nisu ac pondere nitibundo, insidiantes necent angues. Cauent hoc dracones, ob idque gressus primùm alligant caudâ, vt laqueatis cruribus gradiendi eripiant facultatem. Resoluunt illi nodos manu. At hi, in ipsâ nare caput condunt, pariterque spiritum præcludunt, & mollissimas, lancinant partes. Ijdem obuij deprehensi, in aduersos erigunt se, oculosque maximè petunt, quos solos expugnabiles sciunt: ita fit, vt plerumque cœci, ac fame, & mœroris tabe confecti, reperiantur. Est & alia dimicationis huius fama. Elephantis frigidum esse sanguinem, ob id, æstu torrente præcipuè à draconibus expeti. Quamobrem in amnes mersos, insidiari bibentibus, arctatisque, illigata manu, in aurem morsum defigere: quoniam is tantùm locus defendi non possit manu. Itaque elephantos ab eis ebibi, siccatosque concidere, & dracones inebriatos opprimi, commorique.

Draconum & elephantorum pugna.

Inter serpentem illum tartareum & hominem, iugis discordia. Obseruat draco hominem & vias eius; atque per vitæ assueta errantem; adoritur: spiris innectit pedes eius, vt currentis viam mandatorum Dei, gressus impediat; stantē, peccato illaqueet, deijciatque: quo respexisse videtur Baldath Iob 18. sic de impio fatus; *Arctabuntur gressus virtutis eius. Immisit enim in rete pedes suos. Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis. Attenuetur fame robur eius.* Hæc ita narrantur, quasi sit de Elephante sermo, quem serpentini nodi implicuerint. O exitialem Adæ lapsum, in quem ab excelsâ primùm arbore, tanquam in elephantem iniecit se serpens, atque caudâ suâ innexuit, in eoque originariâ labe irretiuit mortale genus, in quod erigit se, ora oculosque, aures que cuiusque nostrum præcludens, ne respiremus ad vitam, peccatorum humili confessione, laudeque Creatoris: ne oculos sursum tollamus, videamusque ex consideratione cælestium, quàm vilescat mundus: atque ita siti fameque eorum quæ verè bona sunt, attenuetur robur nostrum: néve aures demus saniora monenti: atque ita nostrum ebibat sanguinem, nostrā substantiam, nostras animas, hauriat, vel ipsis sacris emersas vndis, quanquam cum porcorum interitus sui incremento. Exemplo sit dæmoniacus ille, quem dæmonij furens rabies, mutum, cœcum, & surdum reddidit. Luc. 11. redditque quotidie plures in animâ.

Diaboli & hominis discordia.

Iob. 18.

Ecquid autem remedij? Arbor adeunda est & petra. Arborem adibat Ioannes ille Beatus, de quo in vitis Patrum: rogatus quippe quænam munimenta contra tentationum insultus præstrueret; ita vt homo, inquit, qui agriculturæ intendens, repente se serpentibus, viperis, atque id venenatorum genus, exitium minitantibus, circumcingi videret, procurreret enim ille in arborem protinùs, illaque conscensâ, tutus illam lethi faciem præterire fineret. Sic porrò cuique agendum est, quum accessu draconis lethale tentationum virus in animam suam instillari præsagit: confestim siquidem adeunda crucis arbor, cuius per meditationem, attrita & ascensu, cedat anguis,

Tentationes diaboli quomodo vincendæ.

Qui mille per meandros
Fraudesque flexuosas, Agitat quieta corda.

Reguli more, qui noctu præsentiens se à bufone ad mortem quæri, mox in alicuius arboris concauæ vterum sese volatu abripit. Adeunda petra, ad quam impegit Dæmon & corruit in ipso creationis suæ lumine: petra autem erat Christus, qui aduersus impugnationes, expugnationesque draconis, hominis, patrocinium ab æterno suscepit: ex quo scilicet pulsandum illum vidit inuidiâ hominis ad Verbi Diuini vnionem hypostaticam ascensuri.

Regulus bufonis insidias vt euadat.

Inde porrò nouâ nomenclaturâ dictus est Satan, id est, tentator, inimicus, transgressor aut præuaricator, seu contrarius facturæ, aut aduersarius plasmationis, à שטם *Satam*, quod est, *odiuit, odio habuit*. Ita enim odio nefando aduersatur plasmatori Deo, ita contrariatur facturæ eius quam beare vitæ immortalitate decreuit, vt nihil non agat, nihil non exploret, nihil non tentet, quò illam in certam sui perniciem, & damnationis suæ societatem pertrahat: ideoque 1. Petri. 5. *Circuit quærens quem deuoret.* Cuius circuitus ratione, à שוט *sot*, siue שט *sat*, quod est, *circuiuit, spaciatus est, perambulauit*, שטן *satan* dictus quoque videri potest, ipsomet Iob. 1. & 2. nominis sui interprete, quum dixit: *Circuiui terram & perambulaui eam*: siue etiam à שוט *sot*, quod est virga, vel flagellum, quoniam ipse sit virga & flagellum hominum; virga quidem, quà ceu equi ad cursum, ad felicem stadij sui metam consequendam incitantur iusti, vsque ad victorias & coronas. Flagellum verò, quo exercitati, velut frumentum à paleis inanibus secernitur, mundiores fiant: *Sicuti* (enim) *granum inclusum in paleâ foras non egreditur, nisi fuerit trituratum*, inquit D. Chrysost. hom. 2. in cap. 3. Matth. *sic & homo de impedimentis mundanis & carnalibus rebus, quasi in paleâ inuolutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliquâ tribulatione vexatus*: vnde quidam:

8. Satan, quid significet.

1. Petr. 5.

Iob. 1.

Si tritura absit, paleis sunt abdita grana:
Nos crux mundanis separat à paleis.

Tandem verò, Dæmonium nuncupatur, propter eam quàm habet rerum scientiam, in quâ significatione olim Aristoteles Dæmon est appellatus. *Dæmones dicitur*, inquit D. August. l. 9. de Ciuit. Dei, *ob scientiam nominari.* Dæmon enim, doctum (id est, gnarum) & peritum, significat. Et quanquam nostræ religionis homines, spiritus in cælo à Deo creatos, qui de cælo eiecti, partim in terræ infimo, partim in hoc aëre damnati sunt, dæmonas appellēt, vnde vsus ille horum nominum, Cacodæmon, & Eudæmon, pro bono & malo dæmone. & apud profanos auctores, dæmon, pro Deo, legatur; tùm apud Poëtas frequenter, tùm apud Platonem, qui vniuersi moderatorem Deum μέγιστον δαίμονα appellat. Atque interdū δαίμονες & θεοὶ, tanquam diuersa ponantur; aut distinguantur solùm, quomodo Heroas & dæmonas, à Græcis appellatos fuisse Philo existimauit, quos Moises, Angelos vocauerit: necnon & dæmō pro genio, vt ὁ δαίμων τοῦ βασιλέως, apud Plut. & Athenæū: vnde Budæus, δαίμονα esse dicit cuiusq; geniū præstitem, conciliatorē fortunæ vel bonæ vel aduersæ, indeque εὐδαίμονας & κακοδαίμονας esse appellatos. Pro fortunâ quoque sæpè, seu Fato. In Scripturâ tamē Sidæmones & dæmonia, sēper de spiritibus

9. Dæmon, quid significet.

Dæmones in scripturâ

Spiritus maligni sunt.

spiritibus noxijs & impuris legimus, qui eâ quâ præditi sunt scientiâ in Creatoris iniuriam abutentes, hominem subuertere conituntur; haud secus à Lucifero ad cuiusque nostrum ruinam deputati, quàm Angeli à Deo, ad custodiam (vt plerique sentiunt) sicut & ad Prouinciarum & Regnorum, non tutelam & protectionem, sed euersionem, traditi putantur.

Quanquam enim peccati maculâ ab Angelis bonis secreti sint, fecit tamen illos conditio naturæ pares: ideoque perspicaces sunt, sicut Angeli; quorum etiam nonnullos, ipsi ingenij acumine præstant: indeque fit, vt beati illi Spiritus, dæmonas sapientiâ antestare nô possint, præsertim, si, quam illi in Verbo cognitionem habent, secluseris, à cuius penetrali, ipso creationis suæ manè spiritus illi nequam, propter superbiam suam, proscripti sunt. Habent autem illi, notitiam eorum omnium quæ ab ipso mundi primordio, in præsens vsque, gesta sunt (excipe cordium cogitatus, quos homo externâ alicuius operis significatione non prodiderit:) quam notitiam nulla locorum intercapedo impedire potuit, quû pernici quo valent volatu, & hic, atque mox in alio quouis orbis loco esse valeant. Habent & perspectas rerum omnium proprietates, non modò cognitione scientificâ; sed etiâ particulari quorumcunque indiuiduorum, quorum tamen non est scientia. Sciunt quot sint in orbe homines, quot equi, quot asini, quot saxa, & cætera; non secundùm quod alicuius speciei sunt indiuidua, sed secundum quod sunt indiuidua particulariter cognita per se. Sciunt quid sub terrâ, marique sit ad ipsum vsque terræ centrum: quis cælis locus, aëri, igni, elementisque cæteris. Et ipsi, hac rerum scientiâ, gestorumque experientiâ, necnon etiam rerum fidei cognitione, quam ex bonorum Angelorum illustratione, ad exercitium & bonum nostrum indepti sunt, in hominis perniciem abutuntur, malitiam suam illius peccato, ad quod ipsi inducunt, definientes.

Dæmonum notitia quæ.

Cur Dæmones ita auidi sunt sanguinis humani, nocere semper vt velint?

10.

Procul, ô procul vagantum Portenta somniorum,
Procul esto peruicaci Præstigiator astu
O tortuose serpens.

Dæmones hominum carnifices putati.

Cur enim, vos laruæ vmbratiles, tantâ rabie concurritis in nostram perniciem? Cur tanto molimine, mentes hominum abducere recto contenditis? An quia, vt credidere Ethnici, carnifices hominum à Deo constituti? Romani siquidem, teste Plutarcho in problematib. vbi agit de laribus, & Chrysippus opinati sunt, dæmonia quædam mala circumire, quibus Deus quasi carnificibus, & scelerum vltoribus aduersus iniustos & impios vteretur: quod è sacris literis dimanasse scribit Hieronymus Magius lib. 4. Miscellaneor. capite 6. ait enim Eccl. 39. Iesus filius Sirach, Ἔστι πνεύματα, ἃ εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισται, καὶ ἐν θυμῷ αὐτῶν ἐστερέωσε μάστιγας αὐτῶν. ἐν καιρῷ συντελείας ἰσχὺν ἐκχέουσι, καὶ τὸν θυμὸν τοῦ ποιήσαντος αὐτοὺς κοπάσουσι. *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt flagella sua. In tempore consummationis virtutem effundunt, & furorem eius qui fecit illum, sistent.* Adeò vt non tantùm in tentatores, & exercitatores dati nobis dæmones esse videantur; sed etiam in vltores scelerum, tanquam executores iræ Dei. Iuxta illud psal. 77. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Vbi

Eccl. 39.

Psal. 77.

quamuis nonnulli, *malos* dici velint, non quia naturâ aut electione mali sint, sed quia ministri pœnarum, velut Theodoretus, Euthym. & alij: idque ex textu Hebræo, vbi immissiones istæ dicuntur fieri à Deo per מלאכי רעים *malache rahhim, Angelos malorum*, siue rerum malarum, id est, calamitatum. Non desunt tamen qui *malos*, seu *cacodæmonas* velint intelligi, quorum ministerio ad malorum, impiorumque punitionem vtatur Deus; in quibus D. Augustinus, D. Hieronymus, qui & illos quæstionarios & tortores vocat; in cap. 1. Ioël. Gregor. Moral. 15. cap. 9. vel 13. Chrysost. homil. 3. de patientiâ Iob. Iustinus in Tryphonem, & alij.

11.
Dæmones hominum perditione cruciatus suos augent.

Veruntamen, ecquodnam furoris illorum compendium? nam si bonum est quod omnia appetunt, & in quod omnia mouentur, quod ipsi bonû sibi præfiniunt in procurandâ tâtoperè hominis ruinâ? quo inuitantur emolumento? Nullo prorsus, nisi quòd *in furore suo, confirmarût flagella sua*, siue, vt vulgata habent, *tormenta sua*: ideoque (vt Terêtiano illo in Phormione vtar) semper, in eodem luto hæsitas, versuram solues, Dæmon; præsens quod fuerat malum, in diem abijt, plagæ crescunt, nisi prospicias. Ita illud Gen. 3. explicauit Rupertus, *super ventrem tuum gradieris*, quasi dixerit Deus, omnia tibi aliter quàm putas, cessura sunt. Itaque, quò plures ipse decipiendo in perditionis æternæ massam induxerit, eo auctiores damnationis suæ accidentalis pœnas dabit; sin verò quos aggreditur, non eneruauerit, non deceperit, confunditur: atque ita, quamcunque in partem murex incubuerit, infestos sibi sentiet eius aculeos. Desudet igitur tentando, vt volet, captiunculas instruat, incautos constringat, versuram domi facit.

Gen. 3.

12.
Tentat Dæmon actus inuidiâ.

Aliquot interea stimulis ad tentandum agitur Dæmon: Inuidiæ primùm: quia enim hominem ex abiecto formatum luto, atque proinde inferioris secum naturæ, ad eam beatitatis formam, quâ Deum speculetur in se, peruenire posse intelligit, ad quam ipse olim quidem aptus, idoneusque fuit, nunc autem ab eâ toto remotus cælo: dolet de tanto hominis bono, eiusque inuidiâ ita concitatè torquetur, vt licet pro quantitate eorum quibus imposuerit, futura nouerit pœnarum, incrementa suarum, de tentandi tamen adfectu, nihil vnquam remittat. Crematur acriùs, crematur acerbiùs, dummodo ignis sui consortes habeat, flammam suam tolerabiliùs feret; eruatur illi oculus vnus, modò vterque hominis oculus excutiatur è folliculo, orbitatem leniùs habebit suam, si vtraque hominis extincta lumina viderit, oculum timoris, oculum amoris, vt nec à malo auertatur timore, nec ad bonum côuertatur amore. Quomodo olim, teste D. Vincentio sermo de inuidiâ, in quadam ciuitate, oppidani duo, quorum vnus auaritiâ, alter inuidiâ laborabat, acciti à Toparchâ prudente, atque si quid impetratum vellent, rogare iussi, spondere se, priori postulanti, quidquid illud esset, donaturum quidem, at posteriori, eius duplum. Cumque neuter eorum, spe dupli consequendi postularet quidquam, auarus concupiscentiâ motus, alter verò inuidiâ: vrgente tandem Toparchâ, inuidus, vt sibi oculus vnus erueretur, rogauit, quò alter, vtroque excularetur. Ita nimirum dæmon, cuius inuidiâ mors introiuit in orbem terrarû, tam acriter hominibus inuidet, vt ex voluntatis suæ peruersitate, non solùm eos damnari velit, sed etiam velis remisque tentando contendat, vt damnentur, quanquam cum accersito nouo interitus sui malo.

Odio.

Agitur & stimulo furente odij Dei, quo ita excandescit, vt quia nihil in immutabile Numen potest, nihil vltricibus odij sui flammis, Creatori valet officere, in illius desæuiat imaginem, rabiemque omnem exoneret suam, tanquã taurus efferatus, qui cùm hominem cui infensus est, assequi non possit, in obuiam eius statuam ruit, cornu petit, atque in eã se hominis imagine vlturus, cornu & pede atterit: aut tanquam perduellis quispiam, qui iussu Regis in exilium deportatus, etsi ei nocere nequeat vt vult, reuulsis tamen, ac laceratis eius insignibus, nocet vt potest. Ita nempe dæmon, quia feritate irritã, odio in Deum sæuit, præclarum regni eius stemma hominem, potentiæ eius insigne admirabile, sacræ Triadis imaginem & similitudinem, impetu furoris sui tentamentorum cornu adoritur, vt quam Deus sartam tectam, beatamque esse cupit, laceret, internecetque.

Metu.

Agitur & iudicij nouissimi metu: nouit enim protractam iri iudicij extremi diem, quò plures in decipulam suam pertraxerit; siquidem ea non sit futura, donec impleatur fratrum beatorum numerus. Itaque, quòd ea dies finem tentationibus dæmonum factura sit; quòd illud qualecunque gaudium, quod in illarum exercitio, atque in damnatorum hominum torturã habent, terminabitur: quòd religati in inferno, æquè cum cæteris damnatis miseri, pœnas ipsi suas torquente flammã, deuorabunt; nullã tum in re prorsus maiores illis futuri, quia in iudicio, principatus dæmonum omnis potestas euacuabitur, dicente Apostolo. 1. Cor. 15. *Cùm tradiderit regnum Deo & Patri: cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem & virtutem.* Cùm enim Christus in resurrectione, perduxerit fideles suos quos proprio sanguine acquisiuit, & sunt regnum eius, ante conspectum Patris ostendet solum patrem regnare, non ipse regno priuatus, sed euacuatis cæterorum omnium dominijs, dæmonumque sublatã tyrannide. Denique quòd principatu suo deiecti grandi torquebuntur tristitiã, idcircò metu illius diei concutiuntur, impetuque propterea in hominem facto, totis viribus ruunt, vt in certam animæ mortem eum propellant.

1. Cor. 15.

Capitis 38. §. 6.

Huic Dæmonum intento, vt obuiandum sit.

1. Tentationes Diaboli non timendæ.

NOn est interea, quòd vsque adeò minaces hostium istorum moremur manus: non est quod terreamur, vel in minimo animum despondeamus, quia fortior est, qui nobiscum est Deus & Angeli beati, qui nostri clientelam in eã cum illis concertatione susceperunt, quàm qui contra nos; quia alligata, restrictaque sit eorum potentia; quia denique nefariorum hostium istorum molimina, quisquis admissus fuerit, obruabit facilè, sicut ex dicendis patebit.

Inprimis ergo, qui de re bellicã tractarunt, inter documenta tradunt præcipua, Ducis esse, aduersarij sui arcana, quantã fieri sedulitate, & certitudine fieri potest, perscrutari, sua verò omnia tecta, imperuiaque habere: in vires eius, & arma, quibus ad se venit, inquirere: finemque quem sibi proposuerit, intelligere; *Quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendi, trahendiue belli modus,* inquit Tacit. lib. 3. Annal. Ducis esse, periculosa fortissimis imperare, vt inquit Seneca lib. de prouidentiã cap. 6. lectissimos mittere, qui nocturnis hostem aggrediantur insidijs, aut explorent iter, aut præsidium loco deijciant.

Itidem in spirituali bello factitandum occurrit, vt, quid intendat aduersarius, quem sibi armorum scopum præfixerit, quibus telis, tormentisque instructus ad nos veniat, quo strategematum genere vti consueuerit, perspectum habeamus, contra illum copias nostras directuri. Et quidem si de fine agitur, quem sibi aduersarius noster pertinacissimus diabolus, in tantã insidiandi nobis auiditate præscripsit, non alius est quàm animarum nostrarum interitus, hunc sitit, in hunc collimat, in hunc omnes malitiæ suæ machinas vrget: si verò de medijs, quibus vtitur, si de armis quæstio est tentationũ tela sunt, quorum duo genera assignat D. Gregor. lib. 12. Moral. cap. 14. vnum quod paulatim hominem deijcit, alterum quod repente. Ita indicatum est Iob. 14. in his verbis, *Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo: lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur.* Acerbum nimis illud telorum genus, quo montes subitario ictu percussi defluunt, & ingentia virtutum saxa, cælestibus ædificijs idonea de loco suo transferuntur, de statu gratiæ in peccatum, de vitã in mortem, de gloriæ atrijs, in tartara. Mons erat magnus lucifer, & subitaneo repercussus telo, quod arcu elatæ mentis è voluntatis suæ pharetra acceptum torserat, tanto impetu in barathrũ ruit, vt tertiam stellarum partem cælo, caudã detraxerit. Mons erat ingens Dauid, cuius cacumen, nubes, sideraque transcendens, ad solium Altissimi, non ex aduerso, vt Lucifer, sed secundum cor Dei, pertigerat; ascendit interim solarium suũ, in pharetrã corporis sui secum ferens telum suũ, quo confossus, factus est adulter, factus est homicida, & mons ille defluxit, priusquam de isto tentationis telo cogitaret.

Tentationũ Diaboli finis.

Iob. 14.

Casus Luciferi.

Casus Dauidis.

Neque minùs lethalia sunt illa tentationum tela, quæ lento vibrata motu, serpunt vt cancer, sensimque venenum instillant suum: velut enim

Gutta cauat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo.

Ita blando attritu tentationis, cauatur animus ad receptum hostis, vt propterea Zoroaster dixisse videatur, tineas & vermes inhabitare vas nostrum; hoc est dæmonas, vt interpretatur Georgius Venetus, qui in carne hominis peccatoris, vas sibi, tentamentorũ mollitudine, quã animas nostras ad peccati mortiferi cariẽ vsque erodũt, comparant: non minora illaturi damna lentã sui impressione, quàm subitã; velut tineæ vesti, quã annos plures depastæ, humanis vsibus inutilem prorsus fecere, aut teredo ligno, quod ferratio dentium ordine, lapsu temporis, planè cariosum fecit, atque adeò nulli operi, sed solo igni idoneum. Istud est, quod ait Scriptura, lapides excauari aquã; alluuione paulatim terram consumi. Namque, vt Ouidius inquit,

Quid magis est saxo durum, quid mollius vndã:
Dura tamen molli saxa cauantur aquâ.

Et vt agros alluens vnda subuertit; sic animos nostros, lambentes tentationum fluctus.

Quamobrem, cùm astutissimi illi dæmones, inuidiæ œstro perciti, irã feruidi, insidias mille, & mille insultus struant, vt tela sua in animas nostras eiaculentur; firmiori præsidio, fideliorique custodiã ea pars arcis nostræ munienda est, quã nouimus, infirmiorem; nam, & in hanc oculos habent illi, in hanc arietant, atque exploratorum more, singulorum discutiunt ingenium, propensionem, studia, mores, infirmitates; vt quanquam munitioribus etiam animæ nostræ propugnaculis euertendis, simulatis assultibus, cuniculis suffossis, atque inexpectatis furoris sui ignibus desudent; certiùs tamen, per eas irrumpunt partes, quas præsidio, vigilantique custodiã magis

magis destitutas esse conspexerint, hyænam imitati, quam Gesnerus ex Gillio apud Ælianum, & ex Nestoris Panaceâ, Ioannes Baptista Porta lib. 1. Magiæ naturalis cap. 8. referunt. si hominem, canémve soporantem adspexerit, suum iuxta illud corpus protendere, sique dormientis corpus superarit, delirium efficere; & ne sibi obsistat, manus erodere: si proceritate superabitur, celerê arripere fugam. Si pugnam cum venatore conuersa ad dexteram inierit, eam semper esse potiorem: at si in læuâ detorserit, deficientis argumentum esse, celeremque capturâ, vt scribit præterea Plin. natur. hist. lib. 28. c. 8. Soporatis siquidem nobis, atque de salute nostrâ minùs sollicitis, omne virium suarum corpus, lateribus nostris admouêt, vt si exploratione suâ, animâ nostrâ somno sopitâ seipsos maiores senserint, illam iam temporis & loci conniuentiâ, præsidij excubiarûmque defectu expugnabilê, peccati delirio afficiant, manusque & pedes, hoc est, operum bonorum faciendorum facultatem præcidant: qui proceritate virtutum dormientis mundo, sed vigilantis Deo, superati, vertuntur in fugam. Hi & in nos incurrentes, in dextram sese conuertûr, inflati dominatûs adfectu, vt inspiratâ mentis alienatione, ex Diuinæ gratiæ equo deijciant, sibique submittant: quorum superiores euadimus, si iam non à dextrâ, sed à læuâ eos excepe-rimus, ad quam, deputati supplicijs, declinarunt.

Hyænæ natura.

Itaque præoccupandi omnes aditus, atque vigili custodiâ muniendi, sic monet Apostolus 1. Pet. 5. *Fratres sobrij estote, & vigilate.* Quia enim serpens ille antiquus super pectus suum gradiês & ventrem, in libidine & ingluuie, præcipuas roboris sui atque fortitudinis partes collocauit, sicut ait Dominus, Iob. 40. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus eius in vmbilico ventris eius*, hac fortitudine, hac virtute, innumeras tùm virorum, tùm mulierum cateruas, ebrietatis atque libidinis pocula euacuare doctas, scelere obruit: Euam, viri sui, per cibum, Canaan, fratrum suorum, per Noë potum, seruituti addixit: ideò fame, non ferro feriendum iudicauit Petrus; ante omnia, cibi potusque præscribens temperantiam, tanquam præsentissimum extirpandæ voluptatis, serpentisque extinguendi venenum; quam per Ophiomachum, auem in serpentes dimicantem (quod suo præfert nomine) & inter munda animalia habitam Leuit. 11. significatam scribit Philo lib. de mundi opificio totidem verbis, *qui ophiomachus, nihil aliud mihi esse videtur, quàm temperantiæ symbolum, quæ implacabile bellum gerit cum voluptate, id est, serpente, qui Adamum perdidit.* Cuius cladis refricandæ causâ 2°. Numer. 21. misit Dominus in populum, sobrias fastidientem cæli dapes, ignitos serpentes; itaque *in serpentibus correpti sunt*, inquit D. Ephræm Syrus, de pœnitentiâ, *& quare in serpentibus? quoniam primorum parentum sensum, consiliumque resumpserunt.* Qui namque gulæ operam dant, velut primi parentes; instaurant consilium serpentis, quod erat, genus humanum in interitum trahere, millequè ærumnis & cladibus opprimere. Gulæ fertilissima rabies, nihil sanctum, nihil vitale suadet, *Rabidus venter, & catulum ereptio, & insanus mulierum amor effecit, vt Ophni & Phinees, sacerdotio & arcâ, & tribuum imperiosâ gloriâ & honore truncati, hosti in gladio trucidarentur*, inquit D. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 69. Coruí gula. Gen. 8. Non meminit benefactoris sui Noë; non repetit arcam coruus cadaueritio cibatui intentus. Ieiunos serpens ad pomum mutat: fartos cibis, ad potum sanguinis in regiâ Herodis: vult funere pasci, vt coruus, vt Hyæna, à quo vno animali, sepulcrâ eruû,

2.
1. Pet. 5.
Iob. 40.
Num. 21.
Gulæ rabies fertilissima.

inquisitione corporum, prodidit Plin. lib. 8. natural. hist. cap. 30. Et Ælianus, dextrâ su manu vim sopiendi habere, inoque tractu, somnum conciliandi: sæpeque numero in stabula ingressam, cùm dormientem aliquem deprehenderit, & pedetentim ad illum progressa fuerit, soporiferam (vt ita dicam) manum, eius naribus admouere, sicque eas opprimere, hic vt sine sensu esse videatur: ac tantum terræ suffodere, quantû sit ad eum obruendum satis: guttur verò & supinum, & nudum relinquere, in quod incumbês, somno oppressum suffocat, posteaque in latibulum abstrahere: sopit enim animum ingluuies, obruit, vorat.

Sobrij itaque estote, fratres, inquit Apostolorum vertex ventre & voluptatibus superiores estote: nam cùm mens altiùs supra ventrê sita sit, quidni superes ventrem illâ inferiorem: vt inquit Pallades. Robur autem animæ, arcisque nostræ præsidium firmissimum, temperantia est: cui vt non desint quoque excubiæ, addit, *& vigilate.* Vigilias præcipit militares, velut in quaterna spatia distributas, prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ & fortitudinis: vt quemadmodum in castris, qui excubiarum, & exploratorum partes obeunt, suâ vigiliâ perfuncti, alij alijs eam tradunt; ita prudentia primùm, quam Stoici bonorum, malorum, & mediorum scientiam; alij, rectam rationem agibilium esse dicunt, tanquam prima virtutum in rationis speculâ collocata, vt suâ vigiliâ, animum vacuum reddat omni metu, suo circa inclinationes nostras perfuncta munere, quod est illas moderari, omnesque virtutû moralium actus dirigere, ne videlicet habenti virtutes naturales sine prudentiâ, perinde accidat, vt corpori fortiter moto sine lumine, quod, quantò concitatior fuerit impulsus, tantò grauius periculum impingendo incurret, siquidem plerumque turpiter, circa istarum inclinationum actus impingatur, nisi quæ medium tenet, adfuerit moderatrix prudentia, ex Aristotele 2. Æthicor. ita, inquam, prudentia, cùm ad facem suam agenda dicendaque lustrarit, direxeritque, suam vigiliam iustitiæ quam sibi coniunctam habet, tradat, & quam Iurisperiti definiunt, constantem & perpetuam voluntatem tribuendi vnicuique quod suum est: Aristoteles verò 5. Moral. Nicomachior. habitum, quo, volumus, possumus, & agimus iusta: iustum autem, si quæras quid sit? reponet Aristides, aliena non appetere. Hanc, qui apud Indos Pedalij dicuntur, in sacrificijs suis ante omnia, à Dijs immortalibus expolcebant, arbitrati omnium compotes se futuros, si eam modò vnam forent consecuti, ab Alexandro lib. 4. Genial. cap. 17. & Cæl. Rodigin. l. 23. lect. c. 19. ob quam caussam, quodque omnis virtutis nomen obtineat, Plato passim in lib. de Republ. animis infundendum illius amorem suadet, præsertim cùm sine eâ, non solùm Respublica, sed ne exiguus quidem hominum cœtus, vel domus parua, constare potest. Huius namque si expunxeris vigiliam: quid sunt regna, nisi magna latrocinia? inquit D. August. l. 4. de Ciuit. Dei c. 4. Quid ciuitates, nisi horrêtes frementium beluarû syluæ? Quid arx animæ, si eam ex hominis pectore excluseris, nisi fœdissimum teterrimorû hostium receptaculû? Sedeat itaque in portâ arcis nostræ; quod rectum est, à prauo discernat, admittat vota confitentium Domino, prauas arceat cupiditates: obeat illa secundam vigiliam, vt suam quoque tradat temperantiæ; quam tradunt esse moderationem voluptatis & doloris, ad sensum gustus & tactus pertinentis, appetitui concupiscendi competentem,

3.
Vigiliæ animæ.
Prudentia quid?
Iustitia.
Temperantia quid?

tem, vnde honestæ prodeant actiones: nam & Aristoteles 3. Moral. Nicomach. ipsam in voluptate & dolore versari dixit, præsertim verò in voluptate. Alcuinus autem, ordinem & consonantiam animæ ad imperandum, & obediendū. D. Augustinus lib. 1. de lib. arbit. cap. 13. affectionem coërcentem & cohibentem appetitum ab ijs rebus, quæ turpiter appetuntur; qui & lib. de Morib. Eccles. cap. 19. sic infit, *Munus temperantiæ est in coërcendis, sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos auertunt à legibus Dei, & à fructu bonitatis eius.* Hæc Orpheicorum consensione, vniuersum regit, hac, decentia eligimus & seruamus, hæc hominem in suo gradu continet, ne in iumenta labatur, perniciosâ illaqueatus voluptate, per quam longè à Deo, longè à seipso, aberrat animus, quemadmodum Architas apud Ciceronem lib. de Senectute dicebat; *Nihil Deum homini dedisse mente præstabilius. Huic autem Diuino muneri ac dono, nihil esse tam inimicum, quàm voluptatem. Neque enim libidine dominante, temperantiæ locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quò magis intelligi posset, fingere animo aliquem iubebat incitatum voluptate corporis quanta posset percipi maximâ, nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset: quocirca, nihil esse tam detestabile tamque pestiferum, quàm voluptatem. Si quidem ea, cùm maior est, atque longior, omne animi lumen extingueret:* Temperantia autem, quæ prudentiæ custos est omnium saluberrima, vnde σωφροσύνην, id est, *temperantiam*, hoc appellamus nomine, vt inquit Arist. 6. Ethic. cap. 5. ὡς σώζουσαν τὴν φρόνησιν, id est, quasi seruantem prudentiam, petulciorem voluptatem, quæ nobis cum brutis animantibus communis est, atque omnium vehementissima, frænat, cum quâ animus temperans, atque diuinis intentus, implacabile bellum gerit: quod

Ciconia.

Ciconiâ serpentibus inferente exitium, hieroglyphicè significatum, scribit Pier. Valerian. lib. Hieroglyphicor. 17. cap. 14 & 15. Ciconia namque purum animum supra terrenas feces elatum, & Diuinarum rerum meditationi deditum, significat, quòd fastigia, apicesque rerum semper quæritet, secundum illud psal. 103. *Herodij domus, dux est eorum*, pro quo Arias Montanus legit, *Ciconia abietes domus eius*: alij, *Ciconiæ domicilium abies præbet*, vel *Ciconia nidum suum ponit in abiete*: est enim Herodius Vlyssi Aldourando 20. Ornitholog. cap. 8. ciconia montana, Cui cum serpentibus bellum continuum, quos dilacerat; Serpentes autem, inter alia significata, petulciorum voluptatum, molliumque illecebrarum, sunt symbolum, quas extinguit temperantia. Quæ, vt scribit D. Prosper lib. 3. de vitâ contemplatiuâ cap. 19. *temperantem facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Hæc virtus si in animo habitat, virtutes frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem tacitâ tranquillitate componit, & totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit.* Arripiat ergo & illa vigiliam suam, quam etsi aliàs semper, nocturno tamen præcipuè tempore, tueatur, quòd in eâ personam suam agat expeditè Behemoth, de quo Iob. 40. *Sub vmbrâ dormit in secreto calami, in locis humentibus. Protegunt vmbræ vmbram eius, circundabunt eum salices torrentis*, vbi per calamos arundineos, nox intelligitur, furtiuis maximè oportuna amoribus, incestui, fornicationi, adulterijs, insomnijs obscœnis, quibus animum infestare solet dæmon, in locis humentibus, hoc est, humoribus imperium suum tum maximè in

Psal. 103.

Iob. 40.

corpora exercentibus, sicut tradunt medici, nec ignorauit Plautus in Bacchide, quùm infit:

Illecebrosius fieri nihil potest, nox, mulier, vinum,
Homini adolescentulo.

Sedulas itaque excubias agat temperantia, exploret omnes aditus arcis animæ, occurrat laborantibus, vel deprehensam obturet rimulam, per quam irrepere, aut animo illabi posset serpens ille dolosus: ne quemadmodum contemptâ tecti rimâ, per quam stillat pluuia, & cui vel scandulâ vna subueniri queat; ex inquilini negligentiâ, tandem ædificij trabes, omnisque contignatio putrescit & corruit, sicut ait Scriptura: *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum stillabit domus*: ita, neglecto vel minimo vitiosi adfectus hiatu, irrepat ille, de quo Isidorus lib. 3 de summo bono, cap. 5. *Diabolus serpens est lubricus, cuius si capiti, hoc est primæ suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur*; venenumque suum ad interitum vsque totius spiritualis contignationis infundit, nisi in tempore occurratur, *Facilius autem est, initia affectuū prohibere, quàm impetum regere*, inquit Sen. ep. 86.

Eccl. 10.

Et hæc itidem suam vigiliam fortitudini tradat, vt adhibitâ in consilium temperantiâ, quasi gladio, iugulū voluptatis animosè petat. Cùm enim duo sint in homine, quibus ad sui defensionem vti potest, intellectus seu ratio, & vires corporis, & primum quidem hominis propriū, alterum brutorum animantium, si in exequendâ iustitiâ primum non successerit, ad alterum confugiendum est: ita 1. Offic. Tullius: *In Republicâ conseruandâ sunt iura belli*, inquit: *Nam cùm sint duo genera decertandi, vnum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud sit proprium hominis, hoc beluarum, confugiendum est ad posterius, si vti non licet superiore.* Quia tamen hæc fortitudo, corporis est donum cum ipsâ carne interiturum, secundum illud Isaiæ 1. *Fortitudo vestra, vt fauilla stuppæ*, in quâ plerumque qui plurimum valuerit, non multum à ferarum ingenio discessisse videatur, cùm haud facilè eueniat, vt quisquam ingentes corporis vires, & simul ingenij facilitatem sortiatur, vti Diodor. Sicul. de gestis Alexandri, asseruit: & in Goliatho perspectum habemus, in quo carnis & ossium plurimum, ceterùm ingenij guttula: confirmauit Plato lib. 17. de Sophistis: *Inuenies*, inquit, *nonnullos homines iniustissimos profanissimos, intemperantissimos, imperitissimos, qui tamen ceteris fortitudine præstant.* Non tam huius fortitudinis vigiliæ expetuntur, quàm eius, quæ D. Augustino lib. 1. de lib. arbit. c. 13. est animæ donum, quo aduersa omnia vitæ huius tolerantur æquanimiter; quam Stoici virtutem appellant pro æquitate pugnantem, ita vt prætoriâ quasi auctoritate interpositâ, non patiatur cuiquam inferri iniuriam. Quā Seneca epist. 114. vocat monimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile. Quam denique D. Thomas 2. 2. quæst. 123 art. 3. ex Aristotele. 2. Ethic. 7. dicit esse mediocritatem circa metum & audaciam, hoc est, virtutem quæ in metu & audaciâ moderandis posita est, excitans aduersum timores inanes, ne metuat homo, quod metuendum non est, nec quod indecorum sit, aggrediatur. *Non, enim, in viribus corporis & lacertis tantummodo fortitudinis gloria est*, inquit D. Ambros. l. 1 Offic. c. 36. *sed magis in virtute animi*: quia omnes animi motus rationi subduntur, omnia carnalia desideria spiritus feruore frænantur, propria voluntas alienæ submittitur; contemnuntur visibilia amātur æterna; & ad ardua fit progressio, nec resilitur, non difficultatum, non laborum, non periculorum metu. Claudam esse dixeris cum Platone 1. de legib. fortitudinem ex parte dextrâ, si superat dolores, succumbit voluptatibus.

4.
Homo vi duplici ad sui defensionem prædi tus.

Fortitudo.

Isa. 1.

Fortitudinis vigiliæ expetuntur. cuius?

Ideo

1. Thessal. 5.

Ideò Apostolici ordinis Apex clamat, *Vigilate: Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei. Non sumus noctis, atque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut & ceteri; sed vigilemus & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* 1. ad Thessalon. 5. quasi dicat, vos qui luce abundatis, quæ fides est, & idcircò vocamini filij lucis: vos qui filij diei, id est, honestatis bonorum operum, quæ ex fide Christi est, sicut ex luce dies. Non autem noctis infidelitatis, & peccatorum caliginis. Ne dormiatis somno peccati, sicut qui impietati seruiunt, sed abijcite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Sed vigilate, quod vt probè faciatis, adsit corporis & mentis sobrietas, ne grauētur corpora vestra crapulā & ebrietate, ne occupata sit mens voluptatibus & curis mundi: sobria mens, nescit peccati mortem: *Oculus adulteri, obseruat caliginem,* Iob. 24. vino indulgetur noctibus non occupatis, inebriantur filij tenebrarum amore præsentium, non habentes spem futurorum. Nos autem sicut in die, honestè ambulemus; in quā exibit homo, ad opus suum, & ad operationem suam, vigilans, vsque ad vesperam vitæ. State fortiter in gradu, qui malè agit, odit diem vestrum & timet: vigilias vestras turbat, *Et ventus vehemens, quatuor angulos domus concutit, dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit,* inquit D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 36. Verùm, præsto sunt auxiliares copiæ, quæ hostem terreant, fugent; fides, spes, charitas. Corde vigilate, fide vigilate, spe vigilate, operibus vigilate, induti loricam fidei & charitatis, & galeam intractam, spem salutis.

Ephes. 5.

Iob. 24.

Rom. 13.

Homo Christianus dæmonas formidare non debet.

5.

HAc fortitudine Dei armatus fidelis, his instructus vigilijs, non est quod admodum expauescat antiqui serpentis insultus: non est quod congressum cum illo reformidet. Quanquam enim *non sit potestas quæ comparetur ei super terram.* Iob 41. vt propterea, non secus ac populus Israël Num. 13. renuntiatā terræ promissionis gigantum magnitudine, de regressu ad ollas Ægyptiacas cogitarit, minùs illectus vbertate terræ, in cuius fidem duo viri exploratores, ex missis à Moïse, desiderati sint, qui palmitem vnum cum vuā suā portarent in vecte, quàm grauiter, vlterioris progressus victoriarumque promissarum, difficultate perterritus; licet, inquam, propterea, horreant plerique inimici huius potestatem, & expauescant, paratiores pontem aureum illi submittere, quam clypeatum pectus, armatasque dextras opponere: velut tamen Iosue, populi terrorem quasi panicum discutiens, forti animo illum esse iussit, fore asseuerans, vt terræ illius, cuius & ipse explorator fuerat, populum ceu panem deuorarent; ita Christus, cuius imaginem repræsentabat Iosue, metum omnem qui de hostis huius potestate hominum pectoribus residerat, excussit, spondens fore, vt qui vitali crucis signario primùm deuoratus est, eodem sæpiùs deuoraretur, cederetque ad promissam felicitatis æternæ regionē, virtutum gressus dirigentibus.

Iob. 41.

Potestas dæmonis nihil timenda.

Itáne verò iam formidandus hostis ille, quem D. Franciscus, latronum præfectum, satellitem & carnificem Dei appellare consueuerat, vt non sit qui conatibus eius aduersari, machinamenta diruere, atque è finibus animi sui exterminare audeat? Formidabunt vim eius fideles, Regis & Ducis sui armis & diplomatibus instructi? Imò verò quia draconem formauit Deus ad illudendum ei quasi aui, illum ad ludicra trahent. Sic traxit D. Hilarion, qui annos quindecim natus in vastam secedens solitudinem, mundo sese eripuit, vt viueret Deo: armatur prouocatus viri sanctitate draconis furor, sed irrito conatu, robur expendit suum, & quod magnum est, ille ipse qui typho inflatus superbiæ apud Isaiam cap. 14. *In cælum ascendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti.* Adolescentulo homini cedere cogitur, atque inuocatum nomen eius expauescere. Sic illusit ei quasi aui ligatæ D. Antonius, quum is Alce timidior, ne deessent qui participatā secum pudoris atque dedecoris infamiā, si herbam porrigeret, suffunderentur, nequissimorum spirituum cateruam, varijs turpissimorum, fœdissimorumque animalium personatam figuris, secum assumpsit, virum aggressurus. Sed, quid adstas impotens belua? inquit Sanctus. In quæ te, tot, tamque varijs deformata figuris, terriculamenta paras? hostis timetur qui fortis est: & leo quanquam solus peregrinanti occurrat, illi terrori est atque formidini. Si fortis es, experire vires in me tuas: si timendus, cur in tuam societatem, tot immanium monstra ferarum trahis. Vt video neque fortis, neque metuendus es, & quia nihil potes, fucum facis. Apage terror impiorum, cur frustra me petis? Diuū quoque Franciscum audio, cùm peractā in Ecclesiā quadam oratione, obdormisceret, infestis sibi, insultasse, dæmonibus. Quid in me habetis vmbræ? si quid vultis, si quid potestis, in me exerite: non estis vos, qui mihi timorem faciatis, corpus hoc quod circumfero hostis mihi est, quo nullus infestior, ipsum solum reformido. Dixit, & fuga dilapsi sunt omnes.

D. Hilarion.

Isa. 14.

D. Antonius

D. Franciscus.

Tales quotidie, qui sincerioris sunt mentis in Deum, de superbo hoste illo victoriarum reportant triumphos, non armis Saul, non mundi loricis & galeis freti, sed fidei signaculo, quod militiæ, atque libertatis nostræ, princeps & assertor Christus erexit, non solùm in signum, quomodo Romani labara sua, seu vexilla, sed etiam in antidotum contra peccati, atque sæuientis in Christi milites, draconis venenum, id quod serpentis ærei figurā in deserto erecti, indicatum est. Ita quippe illud sublimi erectum loco esse voluit, vt quoties draco ille tartareus suum in nos euomeret virus, ad retundendam eius nequitiam eo vti liceret. Ita Iessæus Vates,

Crucis signaculum firmū & antidotum proponitur.

Qui verbere fundæ,
Præcipitem immani deiecit mole Cyclopem:

Nitentem gladium quo obtruncarat deiectum, ne situ aut ferrugine obsolesceret, altiùs suspendi iussit, eundem repetiturus, vbi se daret occasio: nec frustra, nam quum Saulis persecutione vrgeretur, hoc vno latus suum armauit, eā fiduciā, quā speraret eum sibi, in secundo isto belli discrimine, non secus quàm in priori, adfuturum. Quo namque crucis telo semel victus, fususque est aduersarius, eodem deinceps vinci fugarique semper potest.

Inde tractum in morem, vt qui hoc signum sequuntur, & in eius iurarunt imperium, salutem sibi, atque victoriam inde certissimam pollicentur, vt inquit Pier. Valerian. lib. Hieroglyphicor. 50. cap. 12. Ideoque ad omnem tetri alicuius spectri occursum: & si quid horridum, informe, metuendum, sese repente nobis obiecerit, illo nos munimus, quod duobus primùm dextræ manus digitis pollice & indice, fronti imprimētes, dicimus, *per signum Crucis*, ad os inde descendentes, *de inimicis nostris*, tum denique ad pectus; *libera nos Deus noster.* Post quæ verba, tribus pri-

Crucis signū horrent dæmones.

mis

mis eiusdem manus digitis frontem attingimus, pollice, indice, medio, subnectentes, *In nomine Patris*, inde ad vmbilicum deducimus, pronuntiantes, *& Filij*: post à læuâ, ad dexteram papillam reducentes, addimus, *& Spiritus sancti. Amen.* Atque ita hoc mysterio, præcipua fidei nostræ capita profitemur, diuináque opem imploramus, quò tutiùs, animosiusque vnumquodque virtutis opus aggredientes, dolosas hostis nostri insidias, conatusque euertamus, atque victoriarum accessione factâ, in cruce Domini nostri tantummodo gloriemur, quâ cum in insuperabili loco stat animus, & arce se suâ vendicat: intra illum, omne telum cadet: *Signaculum Christus in fronte est*, inquit D. Ambros. lib. de Isaac cap. 8. *signaculum in corde, signaculum in brachio: in fronte, vt confiteamur: in corde, vt diligamus: in brachio, vt operemur.* Propterea que prisci illi Christiani, de quibus Alexander Sardus lib. 3. de ritibus ac moribus gentium cap. 17. *se ad omnem actionem, aditum, progressum, crucis signo muniebant.*

6.
Hæretici crucis signū carpunt.

Veruntamen, nunquid hinc ab aduersarijs crucis sugillandi subsannandique petita materies? Aiunt enim hoc signo nos muscas abigere. Rectè quidem, & opinione vestrâ, ô hæretici, rectiùs. Beelzebub namque (quod dæmoniorum nomen commune est, teste Abulense in 25. cap. Matt. quæst. 405. nisi idoli alicuius fiat proprium) qui Iosepho lib. 6. Antiquit. *musca*, alijs, *vir*, siue, *Deus muscarum*, crucis signo submouemus, expellimus. Hoc autem nominis obtinuit dæmon, vel ob immunditiam sacrificiorum quibus colebatur; contaminabantur quippe illa fœdissimè, muscis ad victimarum nidorem & sanguinem affatim confluentibus: non sic in veri Numinis sacrificijs, in quibus ne musca quidem visa fuerit vnquā aduolasse aut insedisse: vel quòd ad auertendam muscarū importunitatem inuocaretur, velut ab Eleis, qui Muscarum pulsor dicebatur Deus, vt eam quæ ab eiusmodi bestiolis induci solet corruptionem, & ex corruptione ortam pestilentiam à populo arceret: vel denique, quòd ipse muscas creasse crederetur. Quemadmodum enim improbissimum, importunissimum, impudentissimumque animalium est musca, quam etsi sæpiùs, assiduèque expuleris, redit tamen continuò, nullaque tui, tuorumque commodorum habita ratione, quamcunque in actionem te verteris, infesta est semper & incommoda, in faciem, in oculos, in scribentis manus, inque alias corporis nudatas partes inuolare parata, vt propterea, impudentem veteres notare si vellent, muscam haud indecenter fecerint, inquit Pierius Valerian. lib. 26. Hieroglyphic. cap. 34. Ita Beelzebub, quem aliorum longè principem prædicāt, seu quiuis alius dæmoniorum, genus infestat humanum, nec consistere patitur, eius quietem turbat, inuolat mille insidiarum technarumque modis, nunc hos, nunc illos insidendo fœdat, exsugit, replet inficitque vermium putore, perditque importunissimè: quod vt faciat, vt virtutem aliquam infringat, vt vitij inspirato veneno bonos mores corrumpat, se quoque simul perdi, pro nihilo habet: adeò malignum est hoc muscarum genus, de quo Ecclesiastis 10. *Muscæ morientes exterminant olei suauitatem*, *vulgata*, *perdunt suauitatem vnguenti*: & quadrat Homericum illud, Iliad. 17.

Beelzebub, vt muscæ, hominem infestat.

Eccles. 10.

Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
Ἥτε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
Ἰσχανάᾳ δακέειν· λαρὸν τέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπου.

Et ei muscæ audaciam in pectora immisit,
Quæ quanquam sæpius abigatur à corpore humano,
Appetit mordere, gratusque ei sanguis hominis est.

Expellimus itaque & exterminamus muscas illas, quæ nos omni loco, omni tempore, omni in negotio, suâ importunitate, impudenter vexāt: spiritus, inquam, illos nefarios abigimus, ô hæretice, hocce crucis & fidei nostræ signaculo, quos si non sentis tibi insidiantes, habes illos iam te possidentes. Crucis prolato signo, nos cum illis conserimus, illorum superamus insidias, atque furentes retundimus impetus. Huius coruscante gratiâ, tela nostra instructa, in illos neruosè vibramus. Tela autem nostra, virtutes sunt, quæ vt plurimum valeant, atque terrori sint aduersario; exercitatos in ijs nos esse oportet. Nam si Vegetius lib. 2. de re militari cap. 25. censeat continuo armorum vsu exercēdos esse milites, ne otio torpeant, ne ciuitatum luxuriâ diffluant, eneruenturque: si vigilias, si excubias, si explorationes, vel in altissimâ armorum cessatione & quiete miles obit: si denique opificū antelucana est victus industria; altúmne dormiet, cessatorque erit Christianus, quum de prælijs & victorijs, quum de animæ lucro quotidie agitur, & gloriâ?

Virtutes sūt in hostem tela.

7.

Sed vereor vt quidpiam terroris tela nostra aduersario incutiant, ita enim sublestâ fide sumus, ita in virtutum actionibus remissi, vt earum exercitationis defectu, spicula nostra, præ nimio mundanæ fæcis humore, ferrugine atque ærugine consumpta, in hostem validè distringi, torquerive nequeant. Haud enim aliter atque arma, abiecta humi, rubigine arrosa, nec splendent, nec apta sunt certamini, quæ vero vsu frequenti trita, atque altis suspensa columnis, quomodo Simon 1. Machab. 13. *Super columnas magnas arma circumposuit, ad æternam memoriam*, & David triumphati gigantis ensem, in eminenti loco suspensum voluit, expedita inueniuntur ad pugnā: ita virtutum tela, quarum exercitium habuerimus, altis Fidei columnis appensa, vim in pugnam cum aduersario nostro habent admirabilē, cui ferendæ ipse non sit satis. Sin verò ea humor & rubigo vitiorum consumpserit: si humilitas nostra aërio superbiæ vicina humori, non contempta, speciem virtutis habeat, ad altiores vocata accubitus, honoratiorum titillata adfectu, oblatos recuset: si ad minimum honoris sui contactum, ex quo illi detractum putet, efferatur granditer; esse me qui prærogatiuâ nobilitatis, ingenij, doctrinæ, auctoritatis, atque præsumptæ virtutis merito, cæteris præferri debeā: Si patientia nostra, impatientiæ proxima & iræ, in placitos quieta, verbo asperiori vel facto prouocata, in clamores insulsos & verbera ferueat. Si temperantia nostra ingluuiei vicina, vno ieiuniorum die tantum deuoret, quantum duobus alijs satis, vt compensetur pleniori saturitate ieiunium. Si castitas, non vsque lato absit à luxuriâ, cuius licet opera non habeat, verba tamen lubricitatem redolentia non desint, non familiaritates, non aspectus lasciuiores, qui animum effeminent, eneruentque. Si charitas nostra quærit quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi: tanto hæc terrenorum adfectuum vitiata humore;

1. Machab. 13.

Vitiorum rubigo virtutibus hæret.

Exesa inueniet scabrâ rubigine tela. 1. Georgic.

quæ non præsidio, sed excidio tibi sint futura.

Verùm age istam rubiginem pœnitentiæ limâ expurgato, polito tela tua, assiduā virtutum exercitatione, & vsu: irradiante Numinis gratiâ splendeant semper ad conflictum parata. Inducias ab hoste ne speres, *Versutus enim serpens*, inquit Cassian. lib. 4. de institut. renunt. cap. 37. *calcaneu nostrū semper obseruat, id est, insidiatur exitui nostro, & vsque in finem vitæ nostræ nos supplantare conatur.* Iraque frustra es, si requiem, tranquillitatémque hic expectaris, vbi hostis acerrimus, quietis nescius, perturbandis ordinibus nostris,

Pœnitentia, lima virtutum.

atque

atque fundendis, inuigilat. Rectè D. Prosper Aquitanicus lib. 1. de vitâ contemplatiuâ cap. 1. *Cæterum in hac vitâ quamuis strenuè dimicemus, & adiuuante Domino catervas hostium, quibus circumfundimur, prosternamus, tamen si ab eis nolumus vinci, nunquam pugnare desinamus: Nec vincentes securos faciunt viriliter desudata iam prælia, sed magis solicitant aduersariorum rediuiua certamina.*

Non cedendum Satanæ cuius infirma & adstricta potestas.

8. Debilitas Diaboli. *Iac. 4.*

Nihil interea hoste illo fractius, nihil vilius, si magno & alacri animo aduersus illû in acie steteris, si instantem, fortiter repuleris. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis* (vt D. Iacobus ait cap. 4.) quem non ineleganter cani comparauit D. Chrysost. concione, 3. de Lazaro: is namque si hominem vescentem viderit subinde sibi aliquid projicientem, manet assiduè, ingeritque se importuniùs: sin autem semel atque iterum sic adstitit, vt nihil adeptus discesserit, recedit: itidem serpens ille aduersarius, quem si audieris, in assentientem sibi animam irrumpit, nec cedit, eamque miserè labefactat, atque exterminat. Ideoque rectè Apostolus Ephes. 4. *Nolite locum dare diabolo*: quasi dicat, state, ne cedite in aliquo ei concedentes, vel consentientes: *Diabolus enim*, inquit D. Tho. ibi. lectione. 8. *habet locum in nobis per peccatum, vel per consensum* & D. August. sermo. 72. de tempore: *Si Deus tentat vt doceat, diabolus tentat vt decipiat. Cui tamen nisi ille qui tentatur, dederit locum, inanis tentatio & irridenda repellitur. Ideò Apostolus, Neque detis, ait, locum diabolo. Dant autem locum homines diabolo, ex concupiscentijs suis. Non enim vident homines diabolum cum quo pugnant, sed facile habent remedium. Seipsos interius vincant, & de illo foris triumphant.* Videas quinque in scamno, quod plures non capit: si sextus superuenerit, tantillumque loci inter illos impetrarit vt consideat, mox exturbatus alter stare compelletur: ita si locum consensu tuo diabolo feceris, animam sede deturbat suâ. Et vnde hoc, nisi quia nos ipsi, mali nostri sumus artifices? *Non enim aliunde vim contra nos habet hostis*, inquit D. Gregor. Nyssenus tractatu 2. in psalmos. cap. 11. *neque ab alio quodam, ex dignitate partâ exturbamur, nisi nos ipsi mali huius gnati, infelici partu, quasi patres fiamus, qui in regnum nostrum insurgit, & arma capit*: scilicet, nos ipsos, in nosmet conuertens. Resistite itaque diabolo, & fugiet à vobis, resistite fortes in fide si congrediatur, nec consenseris, operâ lusit suam: leonis rugitum habet, vt terreat, leporis pedes, vt ipse territus fugiat: Crocodilo similis, qui, vt ait Seneca, fugientes se persequitur, persequentes se fugit.

Formicaleo symbolum Diaboli. *Iob. 4.*

Immanitatis eius persequentis, atque timiditatis fugientis symbolum, indicatum Iob. 4. vbi de illo Eliphas, *Tigris perijt.* pro quo Septuaginta interpretes reddidere μυρμηκολέων, id est, *formicaleo.* Occultat se in puluere id genus animal, & aperto ore formicis inhians, tanquam ingressum in horrea annonam vehentibus offert, ingressas, necat, vorat. Congruit nomen Angelo apostatæ, qui è cælo in terram, in puluerem deiectus, insidijs positis, animas virtutibus onustas, quas à viâ petræ, quæ Christus est, aberrasse, & per mundi huius salebras & puluerem incedere conspexerit, assiduè venatur, atque ad se illectas sorbet, necat: quà leo immanissimus, quà formica timidissimus; leo formicis, auibus formica. Egredimini è puluere, & inite viam petræ, in quâ, ceu, aues nidulamini, alta & cælestia spectantibus, & ad æterna anhelantibus, subiectus est, vt formica, pigris, leo, excitatis, lepus. Audiamus D. Gregorium. lib. 5. Moral. cap. 17. *Secundum Septuaginta, myrmicaleon dicitur leo & formica: formicis enim leo est, volatilibus formica: quia nimirum antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis: Si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistitur, quasi formica atteritur. Alijs ergo leo est, alijs formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant; spirituales verò, infirmitatem illius, pede virtutis calcant.* Eoque animosiùs, eò generosiùs, quò nouerint Christum eius fregisse aculeum, retudisse impetus.

Xiphiæ piscis, eius natura.

Xiphiæ piscis gladium (rostrum sic vocant) acutiorem ferro existere, scribit Oppianus apud Gesnerum, cuius mucronem horribilem, haudquaquam durus lapis ferre possit, neque priusquam spiculo transfixerit, quidquam comedere: extinctoque pisce, etiam corrumpi gladium, aciemque vnâ cum domino extingui, atque os rostri (quod osseum est) manere inefficax, neque cum eo quidquam effici posse. caputque eius ab humeris, in triremi quæ reparanda erat, impacto gladio, inuentum, quem extrahere non poterat. Diabolus nisi terram mucrone mortis horribili transfixisset, terram non accepisset comedendam cunctis diebus vitæ suæ. Gen. 3. qui quum in triremem crucis, in quâ fides, in quâ spes nostra, & Christi charitas refulsit, infixit aculeum, captus est, & morte morientis vitæ mortuus, indeque extenuatum est robur eius, atque penè extinctum, vt nihil grauius ab eo metui deinceps possit: ita D. Bernardus sermo. de quadruplici debito: *Non est igitur*, inquit, *quòd vobis, vel pro vobis timeam à viribus satanæ & ministrorum eius, cùm nouerim illius fortitudinem, per redemptoris vulnera tradu-ctam, & deductam ad nihilum. In spiritu enim fortitudinis, fortem fortior ille contriuit, portas æreas, & vectes ferreos confringens.* Hæc fides nostra, in quâ ei fortiter resistimus, Christum hunc debellasse, huius communisse gladium, confregisse potentiam, ita vt nemini nostrum nocere queat, nisi nos ipsos gladio proprio, consensu nostrò in malum dato, suffoderimus.

Vires Satanæ contritæ ad crucis lignum.

9. Potestas Diaboli alligata est. *Apoc. 20.*

Alligata quippe, adstrictaque potestas eius est, ne in nos valeat quantum vult, sed illi satis sit tantum valere quantum concesserimus & quantum permiserit Deus: quod indicatum Apocal. 20. vbi Euangelus, *Et vidi Angelum descendentem de cælo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu suâ: & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille. Hoc est*, inquit D. August. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 7. *eius potestatem ab eis seducendis ac possidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit, atque frænauit. Constat ergo neminem posse à diabolo decipi*, inquit Cassian. Collat. 7. cap. 8. *nisi illum qui præbere illi maluerit suæ voluntatis assensum. Quia enim non fit contradictio ab his qui faciunt malum, ideò repletum est cor filiorum hominum in ipsis, vt faciant malum.* Incentor enim ille tantùmmodo malorum est, non etiam impulsor. Cæterum, inquit Cassianus, nullus hominum posset omnino vitare peccatum, quodcunque ille in cordibus nostris ingerere voluisset, si ei quemadmodum ad suggerendum, ita ad compellendum facultas violentaque competeret. *Quamobrem sicut in illo est instigandi copia, ita & in nobis vitium respuendi, siue acquiescendi libertas, est attributa.* Vnde D. Bernard. serm. 86. in Cant. *Impulsor hominis diabolus est, impulsor mundus, impulsor homo. Quis iste homo sit, quæris? quisque homo, sui. Noli mirari. Vsqueadeò impulsor sibi est, & sumet præcipitator, vt non sit quod in altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus: manus tua, consensus tuus.* Obicque cani catenato comparari solet, qui vt latret, ringatur, dentibus frendeat, laceroique, proprijs se sancians morsibus, rictus protendat,

Diabolus cani catenato comparatur.

tibique quasi inuasurus insultet, nihil deterius propterea tibi metuis, quamdiu te intra catenæ spatium non immiseris: tibi dabitur si dentem vel vnguem infixerit intra catenæ limites ingresso. Ita D. August. serm. 197. de tempore, *Ante aduentum Christi solutus erat diabolus, venit Christus & alligauit diabolum. Sed dicet aliquis. Quare adhuc tantum praualet? Verum est fratres, quia multũ praualet, sed trepidis & negligentibus, & Deum in veritate non diligentibus, dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Quàm stultus est, quem canis in catenâ positus mordet. Tu te illi per voluntates, & cupiditates noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem: non enim cogendo, sed suadendo nocet.* Alligauit eum ad crucis stipitem Christus, cui proinde, tanquam aui aut muri ligato, illudi vel à puero potest; non excurret finis sui terminos. *Regnum eius, quod putas, carcer est*, inquit D. August. in psal. 103. *Multi enim dicunt: Quare tantam potestatem diabolus accepit, vt dominetur in hoc seculo, & tantum valeat, & tantum possit? Quantum valet & quantum potest? Nisi permissus nihil potest. Tu sic age ne permittatur in te: aut si permissus fuerit ad tentandum, victus abscedat, & non possideat.* Ligatum atque crucis Christi virtute percussum testatur idololatriæ interitus, fugati è statuis dæmones, fanorum subuersio, interruptus cruoris sacrificiorum fluxus, Diuinæ voluntatis in vniuerso orbe cognitio, atque adimpletio.

Nihil potest nisi permiserit Deus.

Vt vero ita innexus, ita restrictus non potest in te quidquam, nisi dederis, ita nec in te, vllamque in rem tuam potestatem habet, nisi permiserit Deus. Hoc in serpente figuratum, vt scribit Petrus Gregorius Syntagmatis lib. 34. cap. 11. num. 6. cui pedes & manus ideò adempti, ne absque Numinis iussu cuiquam rei nocere possit; capitoni pisci similis, qui vt ait Ælianus lib. 1. de naturâ animalium cap. [illegible] non deuorat piscem se mouentem: nec enim dæmon vincere potest, nisi volentem, & sibi communicantem.

Capito piscis.

Quod & Tertull. lib. de fugâ in persecutione, totidem verbis asseruit, *Nihil satanæ in seruos Dei vti licebit, nisi permiserit Dominus, vt aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem: aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum.* Sic quoque D. Augustinus in psal. 103. qui per catulos leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi, satanam intelligit, qui Iobum deprædandi facultatem à Deo postulauit, dæmonasque ideo quærentes à Deo escam sibi, *Quia nec tentari potest quis à diabolo, nisi permittente Deo. Iob Sanctus ante diabolum erat, affectu ante illum erat, potestate remotus ab illo. Quando auderet tentare vel carnem, vel facultates eius quas possidebat, nisi acciperet potestatem? Quare autem datur potestas? Aut ad damnandos impios; aut ad probandos pios. Iustè hoc totum Dominus agit, & in neminem habet diabolus potestatem, vel in aliquid eius, nisi ille concedat, cui est potestas summa & sublimis. Sic diabolo, sic homini nulla est potestas in hominem, nisi desuper detur. Stabat iudex viuorum & mortuorum ante hominem iudicem, & insaniit se homo iudex videns ante se Christum, & ait; Nescis quia potestatem habeo occidendi, & dimittendi te? At ille qui venerat & eum docere à quo iudicabatur: Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi esset tibi desuper data. Et homo, & diabolus, & qualibet damonia, non nisi acceptâ potestate nocent: sed proficientibus non nocent. Malis ita sunt tanquam ignis fœno, bonis ita sunt, tanquam ignis auro.* Liceat & Cassianum subtexere, qui Collat. 7. cap. 21. ait, diuinâ dispensatione descriptam esse dæmonijs tentandi, lædendive potestatem, ex eorundem spirituum confessione, in Euangelicis monumentis inserta, dicentium, *Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Adducque. *Qui multò magis credendi sunt, in nullo hominũ,*

Potestas diabolo datur propter duo

qui ad imaginem Dei creati sunt, pro arbitrio suo posse, cùm animalia immunda ac muta, ingrediendi absque Dei permissu, non habuerint potestatem. Sed & Tertullianus lib. de fugâ in persecut. etiam porcorum setas numeratas scribit. *Nec in porcorum gregem diaboli legio habuisset potestatem, inquit, nisi eam à Deo impetrasset: tantum abest vt in oues Dei habeat. Possum dicere, porcorum quoque setas tunc numeratas apud Deũ fuisse, nedum capillos Sanctorum.*

10.

Sed enim vt quid lucem soli adfero? nunquid ita euidens est restrictum esse tenebrarum imperium, vt nullâ tergiuersatione possit dissimulari? Cassianus suprà: *Cæterùm nemo posset, non dicam iuuenum, quos videmus in hac eremo constantissimè commorari, sed nec perfectorum quidem, tantis, taliumque hostium agminibus circumseptus, in eremo singularis habitare, si in ipsis esset pro voluntate suâ, nocendi vel attentandi facultas atque libertas.* Inde ergo animus Christi militibus, & constantia, in illis expugnandis, atque exterminandis: quod ita strenuè à quibusdam factitatum est, vt impatientem sui dedecoris dæmonem, eum à quo superatus sit, non audere vltra aggredi, à quibusdam sit creditum.

Eremitæ nõ essent nisi diabolus ad finitæ esset potestatis.

Victus dæmon victorem vltra nõ impetit.

Quod quamcunque in partem trahatur: siue eundem post conflictum hominem à quo deuictus sit, & quemuis alium, eiusdem item confractis peccati machinis, aut alterius cuiusuis confringendis, non possit impetere, quemadmodũ Origenem opinatum fuisse arbitratur Abulensis in cap. 4. Matt. quæst. 69. Siue eiusdem peccati telis, adoriri nequeat eum à quo superatus sit, atque alium neminem, quanquam & ipsum, & quemlibet alium cuiusuis alterius peccati spiculo, in quo victus non fuerit, queat inuadere. Siue calcati vitij sudes, ei qui victor euasit, iteratò impingere non valeat, valeat autem cuiusuis alterius, & istas quoque & alias. in alium impellere. Siue denique superatus ab aliquo, possit quidem alios tentare, sed non istum, neque id semper, sed in tempus tantùm: quomodo, auctore Theophilo: *Tentauerat Diabolus Christum de voluptate in deserto. & recessit ab eo vsque ad tempus crucis: in quo eum erat de tristitiâ tentaturus.* Sed hæc non fuit propriè tentatio, prout est Diaboli ad malum suggestio, sed aperta persecutio, inducendo scilicet & incitando Iudæos contra Christum, sicut aliàs amicos Iob, tanquã sibi in tentatione præsidio futuros, ita D. Ambros. super Lucam. *Diabolus audito Dei nomine, recessit vsque ad tempus postea enim, nõ tentaturus, sed apertè pugnaturus aduenit.* Quidquid istorum sit: certum est, Diabolum quidem ab homine victore fugari, neque ideò pacisci inducias cum eo, nisi vt cessatione suâ dirius elidat, aut resumptis viribus, sæuiat violentiùs. Ita Luc. 11. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam: & tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se: & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Immundus namque spiritus Christi incendio fugatus ab homine, corda fidelium quæ à mollicie fluxæ cogitationis expurgata sunt, callidus insidiator explorat, si quos ibi nequitiæ suæ gressus figere possit, inquit Beda; sed propter Christi fidem non passus subsistere, regressum in domum cordis, vnde exierat, meditatur, quam à peccatorum labe castigatam, sed nullâ boni operis industriâ cumulatam inueniens, assumptâ secum vitiorum vniuersitate, ingreditur, eamque grauioribus sordibus contaminare festinat, hominis conditionem reddens deteriorem.

Luc. 11.

Quemadmodum enim Xerxes, vt habent Iustinus lib. 1. & Plutarch. in Apopht. quum Babylonios in deditionem accepisset, indeque cum exer-

Xerxes Babylonios ad vitam iners[...]em induxit.

exercitu mouens, rebellionem eos cœpisse didicisset, confestim castris conuersis, occupauit, arma ademit, ludisque institutis, genio, choreis, alijsque inertis vitæ lenocinijs indulgere iussit, vt allecti delicijs de rebellio & armis in posterum non cogitarent: ita dæmon animam cuius imperium nactus fuerit, virtutum armis spoliat, in otio & desidiâ continet, vt quantò magis perniciosâ illâ securitate deuulserit, tantò periculosiùs luxu diffluat, eneruetur que.

Perniciosa securitas.

II. Tentare cur interim cessat dæmon.

Cur autem in eum à quo superatus sit, ad tempus grassari supersedeat, duplex ratio assignari potest; vna ex parte clementiæ & bonitatis diuinæ, per quam fit, Diuo Chrysostomo auctore in Matt. vt, Non tamdiu diabolus hominem tentet, quamdiu vult, sed quamdiu Deus permittit, qui etsi permittat paulisper tentare, is quoque non tentat quantum acriter vult, sed quantum constituerit Deus. Sic Iob tentandi potestatem obtinuit, animam tamen eius seruandi accepit imperium; quam seruauit, quia ei nocere non potuit, quia non eripuit, sicut prædo itinerantis vitam seruat, eamque se donare profitetur, quia eam auferre nō potuit. Altera, ex dæmonis astutiâ, quòd nimirū, ab eodem homine sæpiùs vinci erubescat, vt inquit Abulensis quæst. 69. in c. 4. Matt. Ita D. Ambros. lib. 4. in Luc. cap. 4. vbi sic infit: *Vides ergo ipsum diabolum non esse in studio pertinacem, cedere verò solere virtuti: & si inuidere non desinat, tamen instare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari.* Cæterùm fucus est, mel exsugit animæ, & turpem in virtutum nostrarum aluearibus, sui aduentus notā relinquit: si à præsepibus arceas, musca est, itque reditque impudenter infestus: tamen, *Fieri non potest, vt qui in veritate Deum diligunt, diaboli dominio, potestatique subijciantur*, inquit D. Ephræm Syrus tom. 2. Parænesi 30. *Siquidem diabolus agitare conatur atque concutere, sed euellere radicitus non valet.*

Oratio ad Deum.

Amem te igitur virtus mea, Deus meus, amem te toto me, vt in huius vitæ necessariâ militiâ, in manus tentatoris traditus ad exercitium, eius non patiar dominium: Da vires sicut das gratiam: da victoriam, sicut das prælium: da præmium sicut das triumphum: tu robur meum, tu victoria mea, tu triumphus meus, tu præmium meum. Sed, prô dolor, quòd non sic amem te, ô bonitas infinita, quia sæpe declino à vitâ meâ, abstractus & illectus à concupiscentiâ meâ. Sed indulge tu peccatis meis, quia bonus es, patiens & misericors. Scio enim, Domine, *quia Immensæ pietatis clementia peccatorem tolerat, instar indulgentissimæ matris, quæ licet irritetur à suo infantulo, non tamen ob id despicere illum potest, vincitur enim visceribus pietatis*, inquit dilectus tuus Ephræm tom. 1. serm. quomodo anima cū lacrymis debet orare quum tentatur. *Si erga fictū illa, quantò magis indulgentia tu.? Ecce Domine, & volucrum viscera super pullos suos funduntur, illosque certis horis visitant, & escam eis deferūt, elaborantque vt nutriant illos, proprijs enim superātur visceribus. Quod si animalia rationis expertia, adeò indulgentia sunt: quantò ampliùs infinitis partibus gratia tua visceribus pietatis villa, omnium ad se accedentium, & verè eam requirentium, miserebitur?* Miserere igitur ad te suspirantis animæ, & erue me de ore leonis, sana vulnera mea: extermina quod feci, ne pereat quod fecisti.

Mater irritata ab infantulo; illū nō despicit.

In tentatione dimicantibus, adest Deus, adsunt Angeli, & suppetias ferunt.

12. Dimicātibus cum dæmone adest Deus.

INstar Dauidis qui blasphemum gigantem in Dei nomine prostrauit, magno animo forti illi armato Luc. 11. obsistēdum est. Adest quippe luctāti, adest dimicāti Deus, adest periclitanti, adest requirenti & inuocāti se, qui antequā requiratur & inuocetur, quærit nōs & vocat. Quia ergo tu prior ad nos venis Deus, & nisi venires, nō iremus ad te; *Ostēde mihi faciem tuam*, vt quæram te: *Sonet vox tua in auribus meis*, vt audiā te: *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cant. 2. amara sunt mihi & sordent omnia abs te, fac me audire vocem tuam, & te pastorem sequar. Vsquequo *Perdix fouet quæ non peperit*: Ierem. 17. vsquequò hosti dimittimur, nec à te suscipimur? *Clamauit perdix*, inquit D. Ambros. lib. 6. Hexam. cap. 3. *id est, oua congregauit, & clamauit quasi ouans suæ fraudis effectu. Sed ludit operam, quia impenso labore alij educat, quos ipsa diuturno fœtu sedulitatis animauerit. Huius imitator est diabolus, qui generationes creatoris æterni rapere contendit, & si quos insipientes, & sensu proprij carentes vigore potuerit congregare, fouens oblectebris corporis, vbi primum vox Christi paruulis fuerit infusa, discedunt, atque ad eam se conferunt matrem, quæ pullos suos sicut auis, materno amore complectitur.* Vox tua, Deus, & facies tua, idem ipse es: qui tuam audit vocem, & cui tuam ostendis faciem, ad te recurrit, te fruitur, ab vnguibus milui tutus est. Miluus iste, diabolus est, contra quem, pro me, si mecum stat Iesus, *Omnia possum in eo qui me confortat*, ad Philip. 4. Qui Iesum secum habet, euasit milite cataphracto fortior; & omni armorum instructus genere, ad nullius pauebit occursum; omnis autem armaturâ eius, Christus, vltra quam nō est quod quidquam armorum expetat aduersarijs potestatibus formidabile: vna hæc armatura, hosti admodum terribilis est; nobis admodum amabilis: hac vt induamur, monet Apostolus ad Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* In quæ verba D. Hieronymus: *Quæ autem alia arma Dei possumus existimare quibus induendus est, qui habet aduersus diaboli dimicare versutias, exceptâ vi tute quæ Christus est?* Siue enim ad tegendum, siue ad protegendum, siue ad impugnandum arma desideres, in hoc vno Iesu cuncta inuenies: balteum quidem temperantiæ, quo gulæ & luxuriæ tentamenta frænantur; loricam iustitiæ, quâ ab alienis abstinetur; sandalia mortificationis, & dispositionis affectus ad diuini verbi susceptum, in animæ vestem & tegumentum. In hoc vno Iesu habebis scutum fidei, galeam spei; illud, tanquam cordis munimen & pectoris, contra ignea hostis tela, cor prauis aduertentia concupiscentijs, quæ scuto hoc fidei æterna pro temporalibus promittentis, extinguuntur. Hanc ad finis nostri, qui totius vitæ nostræ caput est, & in quem spes ipsa dirigitur, protectionem & tutelam. In hoc vno Iesu, gladio armaberis spiritus. quod est verbum Dei, de quo ad Hebr. 4. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus ad impugnandum.* Quia enim modò vt luctator, modò vt armis pugnans nos aggreditur dæmon: cum nudo, nudos nos luctari oportet, cum pugnante, armatos. Cum nudo, securè nudus luctabatur Iob, quem amicorum suorum armatum videns præsidio, metuebat insidiantem: ita D. Ambrosius lib. de interpellat. cap. 2. *Cùm Iob videret amicos suos, aduersùs à Domino, datam in se aduersario tentandi sui potestatem: nudus, nudi hostis arma contemnebat: stipatus amicis, certamen cum hoste expauit.* Cum armato dimicaturi, *induite omnem armaturam Dei*, hoc est, sustinete, & abstinete. in his enim duobus, tota militis Christiani virtus est constituta, vnum fortitudinis & patientiæ est, alterum temperantiæ. Alciat. embl. 34.

Cant. 2.

Ierem. 17.

Philip. 4.

Ephes. 6.

Hebr. 4.

Luctator modò est dæmon, modò pugnator.

Et toleranda homini tristis fortuna ferendo est,
Et nimium felix, sæpe timenda fuit.
Sustine (Epictetus dicebat) & abstine: oportet
Multa pati, illicitis abstinere manus.

Sic

Sic ducis imperium vinctus fert poplite taurus
In dextro: sic se continet à grauidis.

Taurus. Vtriusque armaturæ symbolum, taurus, quòd fune in dextro poplite reuinctus, ductorem suum in quamuis partem impellentem toleret patienter; & quòd à bobus grauidis sese temperet.

13. Diabolum non timet qui Christũ habet. Hæc sunt arma fortia, quæ hostem frangunt, nec cedunt: hæc armatura Dei, hæc virtus Christi. *Iam; Si Deo coniuncti sumus*, inquit D. Cæsarius Arelatensis hom. 19. *quomodo potest fieri vt diabolum timeamus? Talem imperatorem tecum habes, & diabolum times? Sub tali rege militas, & de victoriâ dubitas? Aduersatur quidem quotidie diabolus, sed præsto est Christus: ille vult premere, iste leuare: ille vult occidere, iste viuificare: sed securi estote, plus valet ad erigendum Christus, quàm ad deprimendum diabolus.* Non aliâ armaturâ prostratus est Philistæus 1. Reg. 17. non aliâ trucidatus; sine hac, licet multo ferro atque ære armatus esset, inermis tamen fuit, & locum vulneri fecit: ita D. Ambros. serm. 88. *In qua corporis parte percutitur?* inquit. *In fronte scilicet. Gentilis enim homo & sacrilegus, ibi percutitur à Christo, vbi deerat Christus, & ibi ei infertur mortis exitium, vbi signum salutis non inuenitur. Quamuis enim esset Goliat vndique armorum protectione munitus, frons tamen eius patebat ad mortem, quia signaculum Saluatoris non gestabat.* Vbi porrò Christus, ibi nihil metus, nihil periculi est: suscipit enim ipse fideles suos, & in sinum gratiæ suæ admissos, protegit, atque defendit.

Simiuulpa. Simiuulpam scribit Gesnerus externo quodam vtero præditam, instar marsupij, experimentoque compertum esse, eo semper vtero crumenali, catulos secum portare, neque inde vnquam emittere, nisi aut recreandi aut lactandi gratiâ, donec sibi victum per se quæritare possint: itaque nouo naturæ remedio eos à venatoribus, aut aliis, à cæteris violentis & rapacibus animalibus, secum asportando liberare. Itidem Christus, intra sua nos condit viscera, vt aduersus venantum ferarum vngues & insidias, tutos, atque incolumes seruet: quòd maximè diuinam clementiam decere, scribit D. Bonauent. in 2. dist. 11. quæst. 1. num. 6. & quæst. 2. num. 13. eiusque misericordiæ suauitatem, quæ protectionis suæ sinum homini lapso aperuit, vt nihil illi deesset ad salutem.

Psal. 90. Protectionis huius meminit Psalmographus, quum ait psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Ea namque pietate Dominus te protegit, quâ te pietate tolerauit: & obumbrat in die belli, quia dum scapulis suis te portat, defendit. 2. Machab. 1. *Sanitas quippe in pennis eius*, protectio ab accipitris incursu, atque materni caloris fomentum, ne foris extra alas eius vagantes, refrigescente caritatis stolâ (de quâ D. Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 5. *Deus verbum, in terras venit, nobisque caritatem, quasi quandam Angelicam stolam contexuit, in quo vniuersam virtutis armaturam fabricauit*) in laqueos venantium incidamus, & moriamur ferarum præda rapacium. Sub pennis autem non frustra manus hominis requiruntur Ezechielis cap. 1. id est, cooperatio nostra, & cum contemplatione actio, quia sicut miles inermis, quãtumuis protectione regis gaudeat, quando cum hoste conferendæ sunt manus in maximo discrimine versatur: ita qui, quod in se est, non facit, quanquam sub alis sit potentiæ Dei, & super humerum virtutis eius, in quem assumpti portantur fideles, portatur Ecclesia Dei, atque protegitur, non est securus.

14. Auis paradisi natura. Paradiseam auem, quæ Apus indica dicitur, corpore vesco, in sublimi semper aëre perpetuò volans, raraque sedens arbore, cælique rore tantummodo victitans naturæ prouidentiâ, vt in aëre habitare posset, compertum est in masculi dorso oua exponere, incubare, excludere, fouere, nutrire, conseruare: ita enim Gesnerus; Masculi dorsum auiculæ huius sinuatur intus, in eâque cauitatem oua fœminam facere, ratio ipsa docet, cùm & ipsa fœmina cauum habeat ventrem, vt sic vtraque concauitate possit oua incubare. Ita domini dorsum cauatum est ab aratro crucis & flagellorum, ad receptum fidelium, & fouentis eos in interscapilio, eius Ecclesiæ, quod de populo quoque Israël asseruit Moises Deuter. 32. *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Deuter. 32. Vbi nimirum sedes imperij eius, crucis sceptro stabilitum est, iuxta Isaiæ vaticinium cap. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerũ eius.* Isa. 9. Quem principatum, Acacius super Concilium Ephesinum, Ecclesiam esse dicit, quam Dominus super humerum portat, sustentat, protegit, fouet, nec calcat, nec grauat. Ecclesiæ itaque fideles, principatus Domini sunt, super humerum eius, vbi sceptrum potestatis eius, vbi signum triumphantis virtutis eius. Quare non mirum si hunc tueatur, hunc protegat, hunc incolumem seruet principatum, armis & equitatũ potens.

Equitatus Domini, Angeli. Cant. 1. Ecquis porrò equitatus Domini, nisi Angeli, quibus Dominus Ecclesiam suam innocentiæ merito per aquam mysticam receptæ, assimilauit, Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea?* Vbi equitatui persecutoris, opponit equitatum protectoris, quem aduersus persecutorem, ac nostri tutelam dirigit & ordinat. Ita Cantor Regius psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Psal. 90. Certum autem omnino est, ad protectionem & custodiam, Angelicâ nos semper stipari præsentia, ne quid in cælestibus vacet, vt ait D. Bern. serm 12. ab operâ solicitudinis nostræ cùm Pater miserit nobis vnigenitum suum, immittat spiritum suum. Curâ nostrâ satiari animus eius non potest. Quãtula verò esset illa custodia quæ in nobis est, quàm parum firma, quàm parum tuta & vtilis, quàm fragilis & insufficiens, ad tanti, tamque pretiosi depositi tutelam, quod est fructus crucis & pretium sanguinis sui, nisi maiorem desideraret, quam ipse solus posset adhibere? nisi & auxiliaribus copijs suis, ipse tanquã Dux præiret, secundum illud psalmi 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui?* Psal. 124. Montes sunt Angeli, sed humilitatis; superbiæ montibus, hoc est, dæmonibus, oppositi, qui, quia summos feriunt fulmina montes, deiecti in continentem, tanquam natinatores, in suam perfidiam electos pertrahere, atque pari secum fulmine inuoluere, conniuntur: contra quos, ad fidam eorum custodiam, mittitur *Angelus Domini in circuitu timentium eum*, ps. 33. Psal. 33. quò illi, robur illud montium Dei, quod, in baratrum olim primo prælio retrusi, experti fuere, perhorrescentes, cedant arenæ, abigantur procul. Ita vnus horum montium Dei, Raphaël, Tobiæ 12. dæmonium à Sarâ compescuit, & cap. 8. apprehensum religauit in deserto superioris Ægypti. Montes hi, Diuum Franciscum ita vallarunt, vt ad decem procul ab eo miliaria in circuitu, montes superbiæ non possent ad eum accedere: D. Franciscus. Auctor vitæ eius lib. 2. Conformitat. fructu. 9. Transgredenturne verò hi montes Angelorum in circuitu timentium Dominum, quando vel servuli Dei humilis precatiunculæ obiectu, secluso itinere, ab instituto volatu repellitur? Narrat Zonaras tomo 3. Iulianum Apostatam, quum esset in Perside, dæmonas in Græciam misisse, noua sciscitatum: sed Publius Monachus, biduanis Oratione diabolus progredi impeditur.

 tam

tam nocturnis quàm diurnis precibus, quasi interiecto muro aheneo, quum iter præcluderet, iussa exequi nequiuisse: itaque irritatum Iulianum, vt tyrannicâ furens rabie, omnes Monachos è medio tollere destinarit. Expugnabat columna alta, mons excelsus humilis orationis, superbiæ montes (expugnat enim humilitas superbiam, inquit Origenes.) Quid non aduersi delebunt, quid non auxilij, quid non præsidij & opis conferent nobis montes Angelici, quibus prouidente Deo circumdamur, stipamur, protegimur? Quapropter, his montibus freti, magno & forti animo stemus in tentationum Satanicarum certamine: *Fidelis autem est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*, inquit Apostolus 1. Cor. 10. in quæ verba D. Tho. lect. 3. *Verè fidelis Deus, qui dat potentiam ne vincamur, gratiam vt mereamur, & constantiam vt vincamus*, promeritam daturus gloriæ coronam.

1. Cor. 10.

Capitis 38. §. 7.

De mundi tentatione.

Quis ille sit tentans mundus?

1\.
Mundus hostis.

Accedo ad alterum hominis hostem immanissimum, mundum scilicet; non illum Archetypum, qui vt D. Augustinus lib. 1. Retractat. cap. 3. inquit, *est ratio sempiterna, & incommutabilis, qua fecit Deus mundum*; siue, *Diuina mens, in qua rerum faciendarum formæ omnes & exemplaria*. Non illum Angelicum, qui ex triplici Hierarchiâ constat, quia hi non in hominem, sed (vti diximus) pro homine stant. Non elementarem, qui ex quatuor elementis, & cælesti corpore, quod Aristoteles lib. 3. de cælo cap. 1. & 1. Meteor. cap. 3. elementum quoque appellauit, componitur, qui ad vltionem potiùs, vbi euocatus fuerit, quàm ad hominum oppugnationem comparatus videtur. Sed aut mundum magnum, siue vniuersum ipsum, quod totam creaturarum collectionem comprehendit, ex cælo, terrâ, cælestibus, terrenisque naturis conflatum, vt visum Possidonio in Meteoris: aut etiam mundum ipsum paruum, qui omnium confluentium naturarum in vnum, possessionem habet, atque totius vniuersitatis summam in se cohibet, hominem videlicet, sui ipsius, suorumque contubernalium impugnatorem acerrimum, qui & partibus suis, atque elementis instructus est, terrâ auaritiæ, aquâ cupiditatis & concupiscentiæ, aëre superbiæ, igne luxuriæ, montibus & collibus saxisque asperis præsumptionis, sole prosperitatis, lunâ mutabilitatis & inconstantiæ, sicque de cæteris.

Mundus magnus κόσμος cur dictus.

Quanquam enim mundus ille magnus, qui Aristoteli lib. de mundo ad Alexandrum, *est ordo & digestio vniuersorum, quæ à Deo & per Deum asseruatur*, omnibus suis numeris, omnimodaque perfectione, quæ quidem naturæ eius competat, sit absolutus: quem Pythagoras à singulari digestione, ordineque decentissimo, κόσμον, id est, *ornatum*: vnde mundus muliebris dictus, vt placet Vlpiano, is quo comptior, mundior, elegantiorque sit mulier, & comprehendit speculum, matulas, vnguenta, vasa vnguentaria (quæ tamen valetudinis gratiâ non sunt) & si quæ similia: Plato verò, à rerum comprehensione, *specierum plenitudinem*: Latini à perfectâ, absolutaque elegantiâ, *Mundum*, id est, *purum, ornatum, nuncupatunt*, vt qui tam essentiali, quàm accidentariâ, ab essentiâ manante, aduentitiaque perfectione constet. Licet, inquam, mundus ille magnus, sicut neque paruus, qui & mundus moralis appellari potest; non se habeant tanquam animæ hostes, nisi paruus ille miseram, vitiosamque conditionem ex peccato contraxisset, sed potiùs amici sint, & magnus ille præsertim, qui vt plurimum corporibus, ipsâ teste experientiâ, ita animabus nostris perquam commodus est, cùm res eius omnes, typi quidam sint, seu characteres, per quos ad inuisibilia Dei nostra ascendit cogitatio: speculum quoque diuinitatis, & liber animæ, quemadmodum indigitauit D. Bonauentura opuscul. 1. de luminaribus Ecclesiæ, in quo ipsa excursum earum à suo effectore, & in eundem recursum, legat, per eius similitudinem, quam secundum esse suum & naturam gerunt, atque perfectionum adumbratam imitationem, tanquam flumina, in suam originem redeuntium; vnaquaque earum sui à seipsâ indiuisione, vnitatem: decore, sapientiam: vtilitate, bonitatem repræsentante. Quâ de re, D. Dionys. diuinor. Nomin. cap. 10. D. August. lib. 6. de Trinit. cap. vltimo, & lib. de naturâ boni cap. 3. D. Thomas. 1. par. quæst. 45. art. 7. Halensis, 2. part. quæst. 1. membro. 2. art. 1. Henric. Gandauen. 1. parte summæ art. 21. quæst. 2. & alij.

Non agunt hostilia, nisi peccasset homo.

2\.
Salutifera vitio accipientis fiunt pestifera.

Ex occasione nihilominus, & hominum abusu, hostilia exercere potest: velut enim instituta ad sanitatem medicina, accipientis vitio fit venenum, ita quæ mortalium generi salutifera creauit Deus, illa ipsa, suomet arbitrio sibi mortifera facit homo, quemadmodum eleganter D. Chrysost. homil. 42. ad populum. *Ex his, ex quibus oportet adiuuari*, inquit, *ex his lædimur: sic enim & medicamenta curatiuam habentia virtutem, propter vtentium imperitiam, corrumpunt frequenter & perdunt; & si quis arma defensoria tractare nesciat, perditur ab eis*: & scriptura testatur Eccl. 39. *Bona bonis creata sunt ab initio sic nequissimis bona & mala. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus vuæ, & oleum & vestimentum. Hæc omnia Sanctis in bona, sic & impijs & peccatoribus, in mala conuertentur.* Exemplo sint Ægyptij Exod. 17. in quorum manibus fluuiales vndæ sanguineæ, & insalubres, quas limpidas & salutares hauriebat Israëlita, & hæc disparitas, non ab aquâ, sed ab excipientium manu: quemadmodum & sacrosancta Christi caro sub Eucharistici panis speciebus sumpta, mors est malis, vita bonis; non sumptionis disparitate, sed sumentis. Sic & veteres Philosophi, teste Diuo Gregorio homil. 37. vinum,

Eccl. 39.

Cuius vis medicina mali, medicina dolorum,

(Vt Panyasis apud Athenæum Dipnosophistam lib. 2. cap. 1. inquit,) venenum appellarunt, quia, vt cecinit Hesiodus in diebus

Si quis multa bibit, fiunt insania vina:
Illa pedes, mentemque ligant, linguamque manusque.

Quibus accinit Mnesitheus scribens Deum,

Viris, bonum dedisse rectè vtentibus
Prægrande, contrà, non honestè, ingens malum,

Quod & D. Gregorius prosequitur: *Vinum*, inquit, *sobriè potatum, sanitatem dat, & auget prudentiam: immoderatè sumptum, ad vitia caussas præstat. Deus enim creaturam dedit; abundantiam autem, humano arbitrio reseruauit, vt parsimonia naturæ esset in magisterio sobrietatis; abundantia vitium, lapsumque temulentia, sibi adscriberet*

beret humana conditio. Chæremon quoque Tragicus affirmauit, vinum, sapientes, dociles, prudentesque efficere eos, qui ipso vtuntur. Antiphanes verò, *vir semper plenus*, inquit, *fit negligens, temperatè bibens, prudens.*

3. Mundus rota quædam.

Est & hoc in alijs quoque rebus manifestum, nam si mundum cum Diuo Augustino in psal. 36. molendino contulerimus, *quia rotâ quadam tēporum voluitur, & amatores suos conterit*: describas hîc duos in illo, quorum vnus assumitur, alter relinquitur: vnde relictio vnius, nisi quia ex bonâ semente furfura fecit, & contritus est? & vnde assumptio alterius, nisi quia de acceptis, panem cœlestem operatus est? Id quod præclarè Diuus Ambrosius cap. 17. in Lucam totidem verbis asseruit: *Et fortasse mundus iste pistrinum est: in quo aptiùs reor, quòd humani corporis forma refertur, in quo anima nostra velut quodam carcere includitur corporali, panem, si consulat boni, operatura cœlestem. In hoc ergo pistrino, vel synagoga, vel anima obnoxia delictis, triticum molendo madefactum, & graui humore corruptum, non potest interiora ab exterioribus separare, & ideo relinquitur, quia eius similago displicuit. At verò sancta Ecclesia, vel anima nullis contaminata contagijs delictorum, quæ tale molit triticum, quod solis æterni calore sit torridum, quod Deus quemadmodum voluit sic vestiuit, & Angeli ab omni purgamentorum labe mundarunt, bonam similaginem, de penetralibus hominum offerens, sacrificij sui liba commendat.* Viden vt pro cuiusque affectu creatura Dei, vitio, vel virtuti detur?

Mundus homo, qui & homini lupus.

Inde porrò fit, vt & ipse minor mundus homo, maioris huius incola, hoc est, qui de mundo sunt mundani, tempestatum quoque tumultibus nos exagitent: qui quidem rectè mundus dicuntur, quia, vt inquit Diuus August. in psal. 141. *Quorum vita hîc est, id est, quorum desiderium & amor hîc hæret, hîc conteritur, hîc implicatur, benè dicuntur habitatores mundi. Et benè dicuntur mundus illi qui habitant in mundo, sicut benè dicuntur domus, illi qui inhabitant domum*; sicut per metonymiam, Romam, pro Romanis, accipimus. Etsi enim Ecclesiam Dei, siue fidelium congregationem, quæ sine rugâ est, mundi quoque nomine comprehendi scripserim, cap. 2. num. 10. mundum tamen ibi, patientiâ & sacrosancto Conditoris cruore instauratum intelleximus, non hunc mundanum, in quo peccatores, mundus. *Vnde autem mundus peccatores?* quærit Diuus Augustinus in psal. 141. & respondet, *Quia diligunt mundum, & diligendo inhabitant mundum, quemodo domus dicitur & fabrica, & inhabitantes. Bona domus plerumque bona fabrica: & bona domus, quia boni conuersantur in eâ.* Iusti tamen, cur non sint mundus, quanquam in mundo, caussam quoque assignat ibidem Doctor Augustissimus, ait enim: *Quare & iusti cùm sint etiam ipsi in mundo, non dicuntur mundus? Quia dixit Apostolus* (2. Cor. 10.) *in carne autem ambulantes, non secundum carnem militamus, conuersatio enim nostra in cælis est. Habitat hîc iustus in carne, sed corde cum Deo est.*

2. Cor. 10.

Mundus, vt mare dicatur.

4. Mundus mari comparatur.

SOli ergò peccatores, mundus iste moralis, in magno mundo, qui amarus salsitate, turbulentus tempestate, sæuiens fluctibus persecutionum, vt scribit Diuus Augustinus in psal. 65. qui turbulentâ perfidorum insaniâ, velut exasperatum procellis mare, in Christi fidelium nauiculam furit, sæuit. Est quippe mundus hîc mare. Diuus Augustinus in psalm. 39. *Hoc sæculum mare est. Habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationum, tempestates tentationum. Habet homines velut pisces de suo malo gaudentes, & tanquam se inuicem deuorantes.* Aduerte singula. Noxiam habet amaritudinem, inquit; Respice vitam omnem mortalium, quid in illâ videbis, quod non amaritie plurimâ conspersum sit? *Vbique mors, vbique luctus*, inquit Diuus Gregorius, *vbique desolatio: vndique concutimur, vndique amaritudine replemur, & tamen cæcâ mente carnalem concupiscentiam, & eius amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus: & quia labentem retinere non possumus, cum ipsâ labimur.* Et benè, *labimur*, quia tanquam flumen labimur, *Flumen enim est omnis mortalis sæculi*, inquit Diuus Augustinus in psal. 65. *Vide flumen, alia veniunt & transeunt, alia transitura succedunt. Nonne sic fit in aquâ fluminis quæ de terrâ nascitur & manat? Omnis qui natus est, cedat oportet nascituro: & omnis iste ordo rerum labentium, fluuius quidam est.* Et in hoc fluuio, dolor & voluptas, tanquam fluctus inuicem cedunt, breuior voluptas, eaque non sine amaritudine; ita disponente clementiâ Conditoris, vt animum tantisper mundo subducamus, cui nimium afficeremur, nisi felle amaritudinis inspergeretur. *Ecce turbatur mundus, & amatur mundus*, inquit Diuus Augustinus serm. 245. de tempore, tomo 10. *Quid si tranquillus esset mundus? formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores eius quomodo colligeres, qui ab spinis non reuocas manum? Non vis relinquere mundum, relinquit te mundus, & sequeris mundum.* Si sequeris amarum, quomodo inhæreres dulci? Nutrix infantem à lacte depulsura, mammas absinthio linit, & Dominus mundum amaritudinibus miscuit, nostrum ab eo reuocaturus adfectum: vnde Diuus Gregorius Moral. 24. *Electis suis ad se pergentibus Dominus, huius mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie, quasi viâ amænitate pascitur, magis eum diu pergere, quàm citiùs peruenire delectet, ne dum delectatur in viâ, obliuiscatur quid desiderabat in Patriâ.*

Præter istam acerbitatem maris mundani, quam non admodum percipiunt, quibus amaror ille cui assueuerunt, suaue sapit, vti & piscibus, salo assuetis, salsilago, quibus proinde similes pronuntiantur Abac. 1. *Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem*, quòd, ceu stolidi atque inertes innatantium greges, qui ne ad digitum quidem ab elemento suo amaro, vt in aliud suauius transferantur, adsurgunt, scalpi etiam asperis velint, quibus capiuntur. *Vt enim viscera quædam*, inquit Seneca lib. de tranquillitate animi, cap. 2. *nocituras manus appetunt, & tactu gaudent, & fœdam corporum scabiem delectat, quidquid exasperat: non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates velut mala vlcera eruperunt, voluptati esse laborem, vexationemque.* Ab istâ, inquam amaricie, in quam se immittit anima cupida, sunt & tribulationum fluctus, qui nauseam faciant innatanti, ægreque afficiant, sanari vt vix possit sapientiâ. Vide inquietos fluctus maris huius, quibus amator mundi, amator voluptuariæ amaritudinis eliditur, sanantur pauci: *In hoc mundo*, inquit Diuus Augustinus epist. 82. *non timere, non dolere, non laborare, non periclitari, impossibile est.* Isti sunt fluctus. *Sed plurimum interest, quâ caussâ, quâ expectatione, quo termino, ista quisque patiatur.* Fabricæ amatores, ab amatoribus fabricatoris, discerne. *Ego equidem, cùm amatores sæculi huius intueor, nescio quando possit esse ad animos eorum sanandos oportuna sapientia: quando enim res velut prosperas habent, fastu respuunt salubres monitus, & quasi anilem repugnant cantilenam: quando autem in aduersis angunt, magis cogitant euadere vnde ad præsens anguntur, quàm capere vnde curentur, & vnde perueniant, vbi angi omnino non possint. Aliquando tamen quidam cordis aures admouent, atque adhibent veritati, rariùs inter prospera, crebriùs inter aduersa: sed tamen pauci sunt.* Æstu namque

Abac. 1.

namque curarum, in quibus conteri ipsis volupe est, ita obruuntur, vt fluctibus in medijs, siti, esuritioneque tabescentes, contractâ per circumactionem in gyrum amentiâ, nusquam quod salutare est, & quo sanari possint, queant apprehendere, quorum vanitatem, verbo significauit Psalmographus, *In circuitu impij ambulant*, & cecinit in Anthologiâ sacrâ, Iacobus Billius, vbi de vanis amatorum mundi studijs, sic infit;

Psal. 11.

Qui cirtum graditur, progressus non facit vllos,
Sed sua vesano membra labore premit.
Huic similis planè est, qui mundi raptus amore
Fluxa putat solidis anteferenda bonis.
Nam quia terga Deo vertit, qui solus acerbas
E mediâ curas pellere mente potest;
Omnia percurrens, in cunctis tædia rebus
Inuenit, æternam perpetiturque famem.

Tempestates suas mundus habet.

Porrò addit D. Augustinus, hoc seculi pelagus, habere tempestates tentationum, quibus, scilicet, procellosum fit, & in eo fragilis nostri corporis cymba, modò ad sidera secundarum, modò ad tartara aduersarum rerum, flatu & fluctu impulsa, multum admittit, per sensus quinque rimosa salum, donec tandem obruta tempestatis vi, in deuorantis aduersarij potestatem, non reditura venerit. Habet enim & mare hoc sæculare, pisces suos maiores, quorum perniciosâ conspiratione, turbatur, & per cælo minaces aquarum montes minores, atque ideò innocentiores pisciculi agitati vagâ feruntur vndâ, interim quo illi profundo suo gloriantur, procellarum tempestatisque, quam mouerunt, securi, & impinguantur eorum, quos infectantur, concussione, periculis, & ruinâ, quam moliuntur, hoc ipso, Christiano indigni nomine. Præclarè D. Ambrosius in cap. 8. epist. ad Roman. *Christianis, mundus hic pelagus est. Sicut enim mare aduersis excitatum procellis, insilit, & tempestatem nauigantibus facit: ita & seculum perfidorum conspiratione commotum, perturbat fidelium mentes: & tantâ diuersitate agit inimicus, vt quid priùs euitandum sit, ignoretur: non enim deficit vnde nascatur tribulatio. Si enim potest at desinit esse aduersum nos, priuatorum mentes exagitat: si & hi compescantur, per domesticos conflat incendium. Et si hoc sopitum fuerit, arte suâ inter ipsos germanos facit discordiam: vt quatuor angulis pulsata domus, ex aliquâ parte faciat ruinam.* Ecce mare, ecce acerbitates aquarum, ecce tribulationum fluctus, tempestatum pericula, quæ impiorum studijs in nocte suâ, in mundi nocte, tenebrarum operibus desudantium, cuique fidelium imminent. *Habet*, quippe, *mundus iste noctes suas, & non paucas*, inquit D. Bernard. serm. 75. in Cant. *Quid dico quia noctes habet mundus, cùm penè totus ipse sit nox, & totus semper versetur in tenebris? Nox est Iudaica perfidia, nox ignorantia Paganorum, nox hæretica prauitas, nox etiam Catholicorum carnalis, animalisvè conuersatio.* Et ab his qui etiam nox sunt, tanquam à diaboli ministris, amaritudinum, tribulationum, tentationum, persecutionumque tempestates in vitam nostram irruunt.

Mundi symbolum veteribus cur Pan, siue Faunus?

5.
Fauni descriptio.

FEstiuè satis veteres, Pana, quem & Inuum & Faunum vocauere, vt habet Pierius Valerian. hieroglyphicor. lib. 1. Eruditi cuiusdam cap. 2. ita pinxere, vt illi esset caprina facies, rubens color, hirta cornua, varię pantheræ pellis amictus, infima sui pars hispida, caprini pedes, in vnâ manuum, septem calamorum fistula: in alterâ, pedum, siue baculum recuruum: hac figuræ significantiâ: vt facies rubens, æthera: bina cornua, Solem & Lunam: Pictum pantheræ exuuium, siderum varietatem: hispida pars eius inferior, arbores, virgulta, & feras: caprini pedes, terræ soliditatem: septem calamorum fistula, harmoniã cæli, in quâ soni septem, totidemque discrimina vocum: virga recurua, annum in se recurrentẽ, ostenderet: quâ effigie, vniuersi symbolũ contineri Euseb. Pharnutus, & Seruius, sunt interpretati.

Mundo aptatur.

Sed ista, ad mundi quoque corruptelam referri posse mihi videntur: vt scilicet caprinâ facie, procacis lasciuiæ impetus significetur, quem qui sequuti fuerint, nec petulantiæ modum imposuerint, sub capri lasciui, siue dæmonis potestate esse, affirmauit Angelus Tobiæ 6. nam quum Saræ nuptias sibi à Raphaele Archangelo propositas reformidaret iunior Tobias, quòd viri septẽ, quibus nuptui tradita fuerat, ipsâ nuptiarum nocte, à dæmonio trucidati forent, simile periculũ metuenti, dixit Angelus: *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à suâ mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Mortiferum quippe scelus est sinistrâ intentione, atque solius oblectamenti venerei causâ, nullo sibi alio fine, siue actuali, siue habituali proposito, nuptiarum fœdera quærere, quemadmodum in additionib. ad 3. partem D. Thomæ, quæst. 49. art. 6. totidem verbis scribitur: *Cognoscens vxorem suam solâ libidinis & delectationis causâ, nullum aliud bonum matrimonij habitu vel actu intendens, mortaliter peccat.* Eapropter rectè ille, qui vt vino, sic venere vtendum docet;

Tob. 6.

Vina sitim sedent, natis Venus alma creandis
Seruiat, hos fines transiluisse nocet.

Liberorum enim, inquit D. Hieronymus in epistolã ad Ephes. cap. 5. *in matrimonio opera concessa sunt, voluptates autem quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in vxore damnatæ.* Constringenda itaque compedibus Venus, quantumque natis creãdis seruiat, adeunda: quod in Leuit. 3. figuratum legimus, vbi de pacificorum sacrificijs legislator agens, iubet: *Duos renes cum adipe quo teguntur illa: & reticulũ*, siue vt Arias Montanus vertit, *fibram iecoris cum renunculis, adoleri super altare in holocaustum*: vult enim ipse, inquit Hesychius Hierosolymitanus, nuptiarum desiderium offerri Deo, vt prolis causâ non fornicationis proueniat, & honorabile sit coniugium, & torus immaculatus. Iecur verò renibus iungit, quòd delectatio siue concupiscẽtia, in eo sedem habere credatur: vnde Mathematici iecur à Venere regi autumant, in eoque Philosophorum quidam venerearum rerum libidines contineri arbitrantur: & Poëtæ amoris sedẽ esse fatentur, dum Cupidinem sagittis iecur appetere, vlcerareque conqueruntur: nec dissimulauit Salomon Prou. 7. dum procacitate mulieris, meretricio habitu insidiantis, iuuenem illaqueari tradit, *donec transfigat sagitta iecur eius*: Hepate autem vim suæ operationis in renes ministrante, ad desiderium effectus concitatur, per desideriũ, quæ ἐπιθυμία Græcis est, motum, quæ duo simul adolenda sunt, vt neque praua nobis proponamus, & si quo modo suggerantur, abolere festinemus: *Quia, enim*, inquit Hesychius, *in hepate concupiscentiæ requiescere putantur, propterea pinnam, hoc est, summitatem cum renibus auferri præcipit, & offerri ad altare, vt ab omni malâ delectatione mundemur, sciẽtes quod primitiua cogitationum nostrarum Deo necesse habemus offerre.* Non putent itaque coniuges inordinatam effrænemque lasciuiæ petulantiam, sese matrimonij sacramento posse obtegere, cùm enim res sit sacra matrimonium, si quid non sacrũ, si quid illo indignum aut intendatur, aut fiat, non minùs quàm ex meretricio amplexu, Dei offensa incurritur. Proindeque monet Origenes homil. 5. in Genes. *Discutiant se, & requirant fœminæ in coniugijs positæ, si ob hoc solùm adeant viros vt suscipiant liberos.*

Leuit. 3.

Prou. 7.

Facies

Facies itaque caprina, mundi lasciuiam denotat, Nec mirum si ei humana facies non detur, quum iam toties ex indecoro formolarum amore, indignam metamorphosim subierit; quam Poëtæ sub Actæonis, Thyresiæque fabulis complexi sunt, quorum prior lasciuo Dianæ in fonte lauantis conspectu oblectatus, cerui formam induit, & à proprijs canibus, ceu à stygijs dæmonibus, quos indomiti libidinis æstus fouent, deuoratus fingitur: alter verò, ob similem insaniam, à Pallade in alio fonte conspectâ, excæcatus est.

Actæon.
Thyresias.

Quod si sacrorum voluminum penetralia adierimus, nonne sanctissimis alioqui viris, ab hac inordinatâ cupiditate iniusta itidem adhæsit infamia? Nunquid Samson ille fortissimus, cuius étymon, est, *Sol eius*, ardentiori quàm par erat Dalilæ æstuans libidine, clarissima oculorum lumina, quibus sublatis, vita est sine vitâ, amisit? Dauidis sanctissimi adulterium taceo, Amnonis incestum, & transformatas, propter eiusmodi flagitia, regnorum facies; obscurataque animi eorum lumina ab hoc turpitudinis igne, de quo Vates Regius psal. 57. *Sup. recidit ignis, & non viderunt solem*, vbi enim mortale iecur ab hac flammâ correptum arserit, cœcutit animus ad seria, cœcutit ad pericula quibus se obuolutum priùs deprehendit, quàm obuolui sentiat, & in caligine esse, quàm solem recessisse. Cœcus quippe ignis ille est quod Æneidos 2. Poëta asseruit, Didonis Æneam perditè amantis, exulceratum referens iecur.

Sampson.

Ps. 57.

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Quos enim semel peruaserit, horum intellectû, horum rationem, caliginosâ offundit nebulâ, vt à veritatis conspectu, & præcipitiorum sensu, ad quæ parantur, fiant quàm remotissimi. Hæc itaque lubrica mundi facies, caprino vultu, eoque ardente designatur, quòd luxuries, noxiam mortalium cordibus flammam submittens, ardeat vsque ad inferni nouissima.

6.

Sed sunt & aliæ mundi hydræ, aliæ lamiæ, aliæ animorum pestes, quæ totius capri huius habitu denotari videntur. Cornua siquidè hirta, potentiorum iniurias, quibus miseros premũt, significant; de quibus Sophoniæ 3. *Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes: iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane.* Et clariùs Ezechiel. 22. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auari ad sectanda lucra.* Quid enim aliud sunt leonum rugitus, & luporum vlulatus, quàm iniuriæ, iniustitiæ, atque miserorum oppressiones, quas seculi potentes, cupiditate, iniquitate, rapinis, sanguine, quàm à Deo accepere potestatis aut opulentiæ eminentiam fœdantes, exercent? Quo, quid in Christianâ republ. calamitosius? pereunt exemplo animæ, quæ horum illaqueatæ, vel etiam inescatæ facinoribus, aut similia moliuntur, aut in desperationem aguntur: & erit innocens illa seculi potentia, quæ in suas cupiditates impotenter fertur, & quasi machæra vtrimque acuta, innocentes opprimit, nocentibus ad scelera viam sternit?

Cornua, potentiam significant.

Sophon. 3.

Ezech. 22.

Iam verò quid aliud variegatum pantheræ tergus, quo Satyrus hic induitur, nisi hypocritam refert, qui verborum factorumque mentito splẽdore, insanas mentis suæ furias tegit? Quid aliud aspectu iucundâ villorũ suorum specie molitur, quàm vt quos picturato rerum inanium fascino oblectauerit, in perniciem trahat? Hypocrita est mundus, & hypocrisis ipsa; & quæ in eo sunt, speciem habent rei, rem tamen nullam, iuncis marinis persimilia, qui colore & folijs luxuriant foris, intrinsecus autem sunt inanes. Polypus est mundus, rei cui adhæret, colore imbuitur, vt quos falsâ elusit imagine veri, captos interimat. Hyænam narrat Plin. histor. natural. lib. 8. cap. 30 maximè sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicuius addiscere, quem euocatum foras, laceret. Item vomitionem hominis imitari, ad sollicitandos canes, quos inuadat: haud secus hypocrita mundus, personam mentitus, quos simulatâ humanitate, imprudentes propriæ ruinæ fecerit, in casses suos inductos opprimit, lacerat incautos.

Pantheræ villi.

Est & mundus infimâ sui parte hispidus, scelerum ferax, quorum plena sunt omnia, nihil enim vsquam gentium, nihil vsquam terrarum est, quod non flagitiorum peste contaminatum sit: pullulant illa vbique, & feraciùs, quàm in syluis virgulta, & stant pertinaciùs, quàm ingentia robora ingruente Africo: quare faciliùs trecentorum annorum robur asciâ euiceris, quàm hornum vitium, quum semel radices in peruersorum cordibus egerit: faciliùs è petricosis innascentia virgulta inuitus euulseris, quàm ex iniquorum mente, conceptum semel eradices scelus; ad quod perpetrandum currunt velociter, pedum caprinorum fulci præsidio, secundum illud Psalmographi, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Habet quoque mundus flatus, seu ventos septem, quibus mortalium corda concutiuntur, non ad exterminium, sed vt imbuta semel peccati veneno, confirmentur: hi venti sunt capitalia septem, quibus in mundo variæ tempestates cientur, per Satyri fistulas septem designata. Cùm verò continua sit delictorũ series, ea per virgam recuruam, quæ in se redeat, significatur.

Hispidosus mundus.

Psal. 13.
Fistulæ mundi & flatus.

7.

Hic est mundi huius immundi finis, hic scopus, innocentes varijs tentationum tempestatibus perdere, non externis modò, verumetiam internis, siue domesticis, quas in mortali nostro corpore circumferimus. Quia enim *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*: Sap. 14. non quòd mala sit creatura Dei, sed quia per abusum mortalium, dæmonumque instigationem, creaturæ, quæ ad Dei honorem, & hominum commodum factæ sunt & ordinatæ, conuertuntur in odium Dei, quot sunt corporis nostri membra, tot sunt animarum nostrarum hostes, tot sunt contra nosipsos milites, suis armati cupiditatibus: *Mare* etenim, hoc, inquit D. August. tract. 4. de Cataclysmo cap. 1. tom. 9. *seculum scilicet, non solùm tempestatibus, scopulisque periculosum est, verumetiam bestijs cupiditatum insidiantibus.* Et illæ in nobis sunt, contra nos armantur, in nos desæuiunt. Adeò nihil tutum, nihil sincerum, nihil sanctum est in rebus humanis, quum & in nobis ipsis rixarum, contentionum, dissensionum, lege membrorum nostrorũ, repugnante legi mentis nostræ, seges nascatur fertilissima: vt non immeritò dixerit Homerus Odyss. 18.

Sap. 14.

Hostes nostros circũferimus.

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο
Πάντων ὅσσά τε γαῖαν ἐπιπνείει, τε καὶ ἕρπει.
Nihil imbecillius terra nutrit homine
Omnium quæcunque super terram spirant & repunt.

Vt autem seculum hoc non feriat nos grauiter, parcè, ac sobriè rebus eius vtendum est; ne in eo tributam nobis à Deo libertatem, per ingurgitationem nostram, in vincula conijciamus, domũ in carcerem conuertentes: *Merita carcerem faciunt*, inquit D. Aug. in ps. 141. *nam in vno quodã habitaculo, alteri domus est, alteri carcer est: illi qui custodiunt homines inclusos, & si in domo suâ custodiãt, illi qui arctiùs custodiuntur, in carcere sunt: nunquid & illi in carcere dicendi esse*

Libertas ingurgitatione, carceri mancipatur.

esse sunt? vnum habitaculum & illi. Alteri fecit domum libertas, alteri carcerem seruitus. Et in isto carcere seruit in compedibus quicunque mundi rebus auidiùs inhiat: liber est, qui hoc mundo vtitur, tanquam si non vteretur; & ad victoriam reseruatur, quemadmodum. Iudicum 7. Gedeonis milites, *Qui manu & linguâ lambebant aquas, sicut solent canes lambere*, dimissis ijs qui flexo poplite biberant: præterit enim figura huius mundi, quâ moderatè, si labentem propiùs inspexerimus, tanquam è compedibus eius exuti, vtemur, ceu canes Nilo, quos certum est, inquit Plin. histor. natural. lib. 8. cap. 40. iuxta Nilum amnem currentes lambere, ne crocodilorum auiditati, occasionem præbeant. Etenim, *Si saluari contendimus à præsenti sæculo nequam*, inquit D. Bernard. serm. de eo quod scriptum est, Beatus homo qui inuenit sapientiam: *Quid adhuc de hoc mundo decernimus? Si exire volumus, quid compedes nostros nobiscum trahere laboramus? Ponamus aureos esse, sed multò melius est sine his liberari, quàm eorum occasione teneri. Non æstimemus pretium, sed impedimentum consideremus, ne præter ipsam, quæ dura satis reputanda est, conditionis necessitatem, etiam cupiditatis visco inhærere hîc incipiamus, & inanis solicitudinis nexibus irretiri.*

Iudic. 7.

Capitis 38. §. 8.

Quo milite nos impugnet mundus, & de prosperitate & aduersitate.

1. Mundi contra nos militantis belli Duces.

PОrrò autem, si ad instructas mundi acies, si ad hostentia eius castra, nos conuerterimus, occurrunt animo confœderati Duces eius præcipuè quatuor, in animarum nostrarum perniciem cum toto exercitu suo deuoti: Aduersitas nempe & Prosperitas, Diuitiæ & Ambitio. Et vt à prosperitate exordiar: Quisquámne est qui eam sibi aduersari cogitet? & cui non arrideat blanda illucentis facies? quæritur illa ab omnibus, & implorátur, & honoratur: quemque ipsa gremio suo complexa fuerit, felix ab omnibus, beatúsque inclamatur. Hoc duce tamen, decuplo ampliùs quàm Aduersitate, mortalium generi infestus est mundus: quemadmodum D. Bernard. Senensis serm. 6. de Religione Christianâ adnotauit, confirmauitque ex illo psalmi 90. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Sinistram per latus significatam aduersitati: dextram, prosperitati attribuens; cui plures, quàm sinistræ, spiritus nequam insidiantur: sed animum addi iusto, spemque inijci per securitatem Diuinæ protectionis, scribit Bruno Carthusianus, quòd hostes mille interiores seu tentationes, à læuâ aduersitatis insurgentes cadent, euincenturque oratione; & decem milla à dextris prosperitatis, vbi maior suboriri tentationum numerus solet. Isti sunt interea laquei, quorum in medio, erecta mens ambulare debet; laquei à prosperis, laquei ab aduersis: ἐπίγνωθι ὅτι ἐν μέσῳ παγίδων διαβαίνεις; *Scito quòd in medio laqueorum pertransis*: Eccl. 9. in quæ verba D. August. in psal. 141. *Laquei à dextris, laquei à sinistris; laquei à dextris, prosperitas sæculi, laquei à sinistris, aduersitas sæculi: laquei à dextris promissiones: laquei à sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, à via noli discedere, nec promissio te capiat, nec terror elidat.* Isti sunt vitæ nostræ scipiones, quibus & mala auertimus, & bonum prosequimur, si ad latus eos figimus; sin ante pedes, impingimus, & labimur: non præponendus animæ saluti prosperitatis scipio, ne impactus illi, in infernum dissilias.

Prosperitas.

Psal. 90.

Eccl. 9.

Omninò verò validissima tentatio prosperitatis est, cui nisi prudentiâ succurratur, pronum est periculum in quod præcipitare solet: *Mundus quippe iste periculosior est blandus quàm molestus, & magis cauendus cùm se illicit diligi, quàm cùm admonet, cogitque contemni*, inquit D. August. tom. 2. epist. 144. vnde scitè ille, qui prosperitatem, virtutis nouercam, appellauit, sicut enim nouerca, nunquã periculosior priuigno est, quàm quum illi blanditur & arridet, quod Poëtæ, exemplo Phædræ, & Hyppoliti testantur; ita mundus quò prosperitatis facie blandior, eò in animam sæuior: risum mouet, & mortem infert, velut sardoa herba, in Sardorum insulâ, apiastro similis, quam quidem sapore dulcis est, esim tamen qui ederint, ait Pausanias ridentes emori, vnde diuerbium: risus Sardonicus: risus namque eius dolore miscebitur, & nouissima eius ducunt ad interitum. Secundæ quippe res, bonam mentem, vt plurimum, peruertunt, secundum illud Salomonis Prouerb. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos*: & (vt inquit Xenophon, Cyri pædiæ, lib. 8.) difficiliùs inuenitur vir, qui secundam fortunam benè ferat, quàm qui aduersam. Illa enim in plerisque contumeliam, hæc autem, temperantiam in omnibus gignit. Insolentia igitur prosperitatis comes: & vt varij sunt fontium effectus, de quibus cap. 8. §. 3. num. 3. his vsu suo delectabili, obliuionem, illis ebrietatem; istis ipsius vini fastidium adferentibus: ita prosperitas obliuionem cælestium, temulentiam mentis, & consolationis spiritualis fastidium parit, vbi qui illam ex æquo & bono habuerit, qui idem sibi & in secundis rebus & aduersis semper fuerit, tanquam aurum probatum ex tentationis fornace, seruato virtutis suæ splendore, atque pondere, egredietur.

Sardoa herba.

Prou. 14.

Prou. 1.

Succedit imperantis mundi dux alter, Aduersitas, cuius armis veneni frigore rigentibus, tentatum prosperitatis calore pectus, quandoque tepescit, nonnunquam extinguitur, atque in eas ærumnas conijcitur, vt præ nouercantis fortunæ asperitate, nihil vnquam sibi iucundum in vitâ accidisse putet: adeò verum illud Eccl. 11. *Malitia horæ, obliuionem facit luxuriæ magnæ*, quod est Græcè, κάκωσις ὥρας ἐπιλησμονὴν ποιεῖ τρυφῆς, *vexatio*, siue, *afflictio vnius horæ, obliuionem facit deliciarum*, siue, *voluptatem magnarum*. Meminisse namque florentis æui deliciarum, præsens calamitatis acerbitas vetat, vt quæ, nullo sui vestigio relicto, velut vmbra sic præterierint, sentiri vt non possint ab afflicto. Quam in sententiam, scitè Demosthenes orat. 1. Olynthiaca, Perinde fit, opinor, vt & in parandâ pecuniâ: si quis eam quam acceperit etiam seruauerit, magnam habet fortunæ gratiam: sin imprudens consumpserit, vnâ consumpsit & accepti à fortunâ beneficij memoriam: sic etiam in rebus gerendis: qui occasionibus vsi non rectè sunt, ij tametsi boni quidpiam diuinitùs obtigit, haud meminerunt. Ex vltimo enim euentu de ijs quæ præcesserunt omnibus, fit plerumque iudicium. Hæc Demosth. 2. Cot. 6.

2. Aduersitas.

Eccl. 11.

Sub Ducis huius signis, merent non pauci virtutis hostes acerrimi, qui, quãtò aduersa prosperis posthabentur, quòd bono naturæ repugnent, tantò sensibiliùs premũt. De quibus acturi, quidquid aduersitatis, quidquid temporalis prosperitatis fuerit, ad tria capita reuocabimus, scilicet, ad superbiam vitæ, ad concupiscentiam carnis, & ad concupiscentiam oculorum, *Quoniam*, vt inquit Euangelista Ioannes, epist. 1. cap. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Sicut namque Dominus olim, ad Isacidarum exercitationem, gentes quasdam, alijs exterminatis, in terra promissionis superesse voluit, quarũ fit enumeratio, Iudic. 3. *Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem*, siue, vt Xantes Pagninus legit ex Hebræo,

1. Ioan. 2.

Iudic. 3.

brio, *Et istæ gentes, quas dimisit Dominus, ad tentandum in eis Israel*: ita corrupto mortalium generi, ad cælestem promissionis terram anhelanti istâ, ad illius exercitium, tentamentum, & eruditionem, tanquam gentes aduersarias, esse decreuit, in quibus & blanda prosperitatis, & aspera aduersitatis tela essent reposita: vt videlicet, pulsati superbiâ vitæ, *per gloriam, & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam; vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti & cogniti.* 2. Cor. 6. non status, & dignitatis, siue auctoritatis eminentiâ inflati, non depressione, atque vilipensione fatiscentes: non ex additâ rectæ operationi nostræ, ex maleuolorum interpretamento, calumniæ infamiâ, in exercendis iustitiæ operibus, pusillanimes: non ex eiusdem actionis bonorum rectâ existimatione elati: non metuentes suscitatam falsò infamiam, non famam nominis affectantes; quando & ipse Christus, ab istis bonus & verax, ab illis seductor & mendax habitus est: sicut gloriosi & ignobiles, à bonis approbati, & à malis despecti, atque tanquam purgamenta huius mundi repudiati: *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ.* Vt, tentati concupiscentiâ carnis; *quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati & non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes*: non vitæ longioris affectu, cuius appetentissima est caro, mortis pericula subire detrectantes; virtute & fide viuentes, secundum illud Abacuc. 2. *Iustus ex fide viuit*: non tranquillitatis aut quietis amittendæ metu, emendatoria Domini flagella, tanquam ad interitum inflicta sint, sugillantes, & non ad probam; quum tamen, & præclarè D. Cyprian. serm. 4. de mortalitate, veluti *quando area fruges terit, ventos grana valida ac robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiantur: Sic S. Paulus post naufragia, flagella, post carnis, & corporis grauia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit in aduersis.* Non tristium rerum amaritudine carnem affligentium prostrati, sed ex earum tolerantiâ, gestientes animo, roborati Spiritus Sancti consolatione, atque æternæ remunerationis spe cōfortati; *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ.* Vt denique concupiscentiâ oculorum irritati; *sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia possidentes*, nullo paupertatis ac mendicitatis suffusi pudore, vt qui dimissis nostris, domini cuiusuis piæ domus efficimur, inde multorum inopiam, eleemosynis, tum corporalibus (exemplo Apostoli, qui collectas, egentibus Sanctis transmittere, sedulò satagebat) tum spiritualibus, subleuantes: non bonorum externorum proprietate diuites, sed ex charitatis abundantiâ, omnia quæ Christi sunt, tanquam nostra possidentes. *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multâ patientiâ*: imitatores facti Apostoli, qui, vt Theodoret. inquit, omnia hîc ex diametro pugnantia posuit, gloriam & ignominiam, maledictum & laudem, mortem & vitam, gaudium & tristitiam, mendicitatem, & locupletandi facultatem. *Sed tamen, & hæc & illa esse arma iustitiæ pronunciauit, & per ea quæ sunt contraria, vnam virtutem contemperauit. Nam neque gloria eum extulit, neque ignominia deiecit, nec eum laus inflauit, nec maledictum excruciauit: Sed per contraria ingrediens, mansit immutabilis.* Hæc Theodoretus, in cap. 6. epistolæ posterioris ad Corinth. Ista porrò sunt, quibus omnis strategia commendata est, quorum sub imperijs (vt eorum subministros, pestem, famem, bellum, in alium locum reijciam, vt fortunam, corporum, animorumque ægritudines, dæmonem quoque prætercam, qui inuidus (vt quidam ait) maximè videtur hoc studere, vt inopinatas calamitates inducat: quod quidem satis per se manifestum est, *Fortuna (verò) nobis tanquam cyathos exsiccantibus, Si vnum bonum infundit, tria mala affundit,* (vti alius cecinit) criminatores, detractores, calumniatores militant, quique rapinâ, furtò, dolis malis, alijsque telis malitiæ suæ veneno illitis, atque è pharetrâ praui cordis sui eductis, innocuos aut ad culpam prouocant, aut infamiæ notâ immerentes aspergunt, aut percutiunt ad interitum. Sed enim, quàm perniciosi sunt calumniæ auctores! (vt de cæteris sileam) veteratores isti technas ita comparant suas, ita verba componunt, vt temerè credulis, imponant facilè, insontesque exitiô tradant. Exitiale scelus!

2. Cor. 6.

Abac. 2.

3. In Calumniatores.

Arma sunt istis aduersus absentem, fallacia, mendacium, periurium, impudentia, innumeræ denique imposturæ, ac malitiosæ cautiones; omnium autem maximè pestilens, & longè efficacissima, assentatio, calumniæ soror, de quâ Polybius lib. 4. histor. in fine: *Nouum modum calumniandi inuentum, ait, non vituperando, sed laudando, famâ, ac commodis hominum insidiari; quod vitium, in aulis Principum, vsque adeò inoleuit, vt ea loca, tanquam proprias sedes videatur elegisse*: est quippe illa, velut familiæ quædam effascinantium in Africâ, quarum laudatione intereunt probata, arescunt arbores, emoriuntur infantes, inquit Plin. lib. 7. hist. nat. cap. 2. in auscultantium inducta perniciem.

Calumnia quid sit.

Calumniam Nonius, malitiosam, & mendacem infamiam, est interpretatus: Lucianus, delationem ementitam odio, clanculum reo, calumniatori creditam, delato ad respondendum ac referendum non admisso. Est igitur calumniari, falsa crimina intendere, scienter & malitiosè, studio diuexandi & diffamandi: & vt Demosthenis enarrator in Orat. de coronâ, inquit, λέγεται συκοφάντης, οὐχ ὁ ψευδόμενος μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ πολυπραγμονῶν, τὰ μὴ προσήκοντα, καὶ λέγων πονηρά. id est. *Calumniator dicitur, non is tantùm qui mentitur, sed & is qui ea curat, quæ ad se non pertinent, & qui improba loquitur.* Quo in genere, quàm multos, Deum immortalem! inuenias, qui domi suæ lamiæ, foris autem lynces, aliud ab agendis & dicendis, agunt, & dicunt. Cur hoc? nisi quia pestilenti quo sunt animo, curiosi alienarum rerum, alienæque vitæ indagatores, negligentes sui, quāquam hoc ipso, scelerū suorum proditores, piorum candorem, animorum suorum sæuâ mephiti commaculare, inque suum liuorem adducere satagunt? nisi quia eorum, quos in suam perfidiam non pertraxerint, inuigilant infamiæ, machinantur ruinam? Antia Prœti vxor, cùm furtiuum à Bellerophonte concubitum expetijsset, contempta, maritum Regem mendacio circumuenit, qui castum adolescentis pudorem, quem adultera suspectum fecerat, chimæræ immanitate, quâ cum, pugnâ congressus est, extinguere tentauit. Sic enim illa Regem affata est:

Antia.

Τεθναίης ὦ Προῖτ', ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην,
ὅς μ' ἔθελεν φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ.
Morieris ô Præte, vel interfice Bellerophontem,
Qui mihi voluit amore misceri nolenti.

Spreuerat Peleus Hippoliten Acasti Magnesiæ Regis vxorem, quem illa apud virum accusauit, tanquam illatâ vi, ad tori iugalis violationem prouocata. De his, Horat. lib. 3. Carmin. Ode 7.

Hippolite.

Vt Prætum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem refert.
Narrat penè datum Pelea tartarô,
Magnessam Hippolitem dum fugit abstinens.

Et vt nouercarum calumnias prætercam, quæ in priuignorum suorum dissolutæ amores ab ijs

Nouercæ.

Spretæ,

spretæ frustratam libidinem, odij, exterminijque adfectu commutarunt: Phædræ, quæ Hippolitum stupri insimulatum, atque ob id Thesei patris iussu, beluis marinis deuotum, perdidit: Philomenes, quæ Tenem Cygni filium, pari calumniâ irritato patre nimis credulo, in mare proiectum extinxit: Ægyptiæ illius nouercæ, apud Philostratum lib. 6. vitæ Apollonij, cap. 2. quæ Timasionem spectabilis formæ iuuenem, priuignum suum, frustra adamatum, commoto in ipsum patre, quasi feminæ quàm viro similior esset, gauderetque amatoribus magis quàm mulieribus solum vertere innocentem coëgit: Faustæ Constantini Magni vxoris, Crispi nouercæ, quæ optimum aliàs Imperatorem, in filium, impactâ stupri sæpè tentati calumniâ, exacuit, vt is illum capite plecteret immerentem, qui nouercæ libidini, prouocatus, non paruerat: sed tamen illa, non diu post, veritate cognitâ, cùm ob impudicitiam, tum ob Crispi cædem, in vehementer calefacto balneo, extincta est: Zonaras Annal. tom. 3. & Sidonius Apollinaris Aruernorum Episcopus lib. 5. epist. 8. Vt nefarias Hippodamiæ faces taceam, quæ viro Pelope ad aquas siti eius sedandæ quærendas, profectò, aurigam quo vehebatur Myrtilum, vocatum in adulterium, nec morem gerere volentem, apud reuersum Pelopem, tentati adulterij criminis reum egit, quem ob id ipse vicinum, impulit in mare, quod ex eo Myrtoum vocari cœpit, sicut refert Antonius Muretus variar. lect. lib. 1. cap. 12. vt, inquam istis, innumerisque alijs non multum immorer: Nonne Putipharis vxoris calumniâ, Iosephum sanctissimum, herili exuit domo, atque ignobilem, carceris vinculis mancipauit? Genes. 39. Nunquid Chaldæorum curiosè in Iudæos inquirentium calumnia, tres pueros innocentissimos flammis Babylonicis tradidit? Dan. 3. Quid Susannam castissimam memorem? nunquid illa quoque senum impiorum calumniâ penè est oppressa? Dan. 13. Obuia sunt in hanc rem exempla: & nos quotidie plurimos videre cogimur, qui hac incessiti aduersitate, tanquam à funibus & laqueis, ab eâ liberari cum Propheta Regio deprecentur, psal. 118. dicentes, *libera me à calumniantibus me, vt custodiam mandata tua: funes peccatorum circumplexi sunt me, posuerunt peccatores laqueum mihi.* Vbi peccatores, vocat, calumniatores, quorum non esset tantus numerus quantus est, nisi temporũ nostrorum corruptela, calumniæ aures & priuatum daret.

Myrtilus ad stuprum vocatus, abnuit.

Ioseph.

Psal. 118.

4. Calumniatores cauendi vt serpentes.

Verùm agite vos, ô viri prudentes, elidite, euellite, radicitùs extirpate pestilens istud hominum genus, ceu inutiles, imò perniciosas herbas, bonarum succum, & substantiam deuorantes. Cauete, viri fortes, viri sapientes, & calumniantium rictus in morsum semper paratos, contemnite. In calumniatores, citò, & seuerè animaduertendum esse, pulchrâ similitudine admonet Demosthenes, contra Aristogitonem: *Neminem fortasse vestrum, inquit, vnquam serpens momordit, aut araneus, & absit vt vnquam mordeat: sed tamen eas animantes, vt videritis, statim occiditis. Ad eundem igitur modum, Athenienses, etiam cùm calumniatorem & acerbum, & naturâ serpentiâ præditum hominem videritis, ne dum vestrum singulos mordeat, expectate, sed primus quisque qui in eum inciderit, vlciscatur.* Et paulò antè, hoc hominum genus, tanquam naturæ bonorũ inimicum, ex Republicâ inuitùs euellendum, dixit; quod talionis & repassionis pœnâ, elidunt leges, vt innocentia inter improbos tuta sit, & calumniatorũ audacia compescatur. c. *Factæ sunt autem leges.* 4. dist. impium enim visum est, innocentes persequi, & ad pœnam postulare. ca. si nõ licet, 23. quæst. 5. D. August. lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 17. c. non frustra, 23. q. 5. Atque vt ceteri simili pœnâ perterriti, ad accusandum facilè non prosiliant. ca. 2. de calumniat. l. si cui crimen. de accus. P. arg. 6. famosos. l. capitalium de pœn. P. Calumniatores & detractores cauendos docet Horatius lib. 1. serm. Satyra 4.

Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest: commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Niger quis dicatur.

Niger est, inquit, hoc est, improbus, maleuolus, infidus, vt adnotauit Franciscus Moncæius lucubratione 7. in Cantica lib. 1. vt contra, hominem candidum, idem vocabat, qui ingenuus, verax, & sincerus esset: quo in genere, Virgilius, Plotius, & Varius, ipsi, habiti sunt, Satyrâ 5. *Animæ quales neque candidiores, Terra tulit.* Insigne aduersus calumniam Luciani remedium. *Quod Homerus in sirenum fabulâ.* Odyss. 12. docet, *faciendum est, perniciosas talium sermonum delicias, Vlissis instar, vir prudens ac sapiens nauigio prætereat, obturet aures, nec passim aperiat affectui cuipiam obnoxijs: sed ianitore sedulo ac fido adhibito, ratione videlicet ac iudicio animi, rectè dicentes reclusis foribus excipiat, inutiles nugas, obdito pessulo arceat.* Non perturbabitur vir sapiens & fortis canum istorum mordicantium latratu, surdus ad opprobria, & maledicta, ea constantiâ, quâ Propheta Regius dixit, *Ego autem sicut surdus non audiebam;* calumniæ quam auertere nequeat, patiens, *factus sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones:* in quem Alciati de limâ & cane emblema quadrabit,

Psal. 37.

Lunarem noctu, vt speculum, canis aspicit orbem,
Seque videns, alium credit inesse canem:
Et latrat, frustraque agitur vox irrita ventis:
Et peragit cursus surda Diana suos.

Ogganneatores namque illi, offensi proborum limpido virtutum speculo, qui, quasi luna plena, in diebus suis luceat. Eccl. 50. in eo fœdissimã quam mente gerunt malitiæ suæ faciem sibi formant, cui ogganniant, cui allatrent tanquam alienæ: sed vir probus peragit cursus in cœlo suos, vbi mente & conuersatione est, ad inuidorum odia & obloquia, surdus & illæsus.

Eccl. 50.

Vt prosperitatis, atque aduersitatis telis occurrendum sit.

5.

HAc parmâ, hoc vmbone, hoc scuto, excipienda fortiter vtriusque fortunæ tela, quæ si ingruant vehementiùs, non remittendus, sed exacuendus in pugnam animus; exemplo Leonidis, qui quum audisset solem obumbrari Persarum telis: Gratum, inquit, quòd etiam sub vmbrâ pugnabimus: apud Io. Stobæum: exemplo Apostoli, qui, 2. Cor. 11. & 12. quaquauersum imbre telorum sæuientis mundi petitus, in maiora, animum excitat suum. *Libenter,* inquit cap. 12. *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: cùm enim infirmior, tunc potens sum.* Et non dixit, sustineo, inquit ibi Theodoretus Cyrensis Episcopus, *sed placeo mihi gaudeo, delector, læto & tranquillo animo sustineo ea quæ accidunt. Quæ enim videtur imbecillitas, ea mihi veram potentiam conciliet.* Instant quidem prospera, & aduersa fatigãt: sed veluti vas fictile tactu vel aquâ tentamus, integrúmne sit; & benè coctum, quod si non clarum, sed obscurum reddiderit sonum, fracturam inesse iudicamus: sin verò in aquâ mollescat, non satis excoctum: sic & his & illis periculum virtutis tuæ facit Deus, vt si magno animo fortiúsque

Leonides.

2. Cor. 12.

2.Cor.6. tique, *per arma iustitiæ, à dextris, & à sinistris.* 2. Cor. 6. sic steteris, vt non eleueris prosperis, vt non deijciaris aduersis, coronâ te donet gloriæ. Namque, vt monet hoc tetrastichon.

> *Quod duro lima est ferro, messisque flagellum,*
> *Auro quod ignis est rudi,*
> *Hoc tibi, si sapias, crux est, licet aspera, quisquis*
> *Cælum Deo petis duce.*

Cruces plures sunt. Quia verò non omnis crux ad præparandam cælo mentem est idonea, eam quæ nobis ad gloriã esse potest, secreuit ab alijs Apostolus, quum dixit: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Multæ quippe sunt cruces, id est patiendi caussæ, inquit Radulphus Ardentius, homil. 1. in Inuentione Sanctæ Crucis, totidem verbis: Est enim crux sinistri latronis, qui pro peccatis suis inuitus patitur, nec emendatur, in quâ non est vnde glorietur, sed vnde damnetur. Est & crux dextri latronis pro peccatis suis patientis, sed tamen pœnitentis & confitentis, nec in eâ est vnde glorietur, sed vnde corripiatur. Est & crux Cyrenæi in angariâ, sed non morientis, id est, hypocritæ carnem affligentis, & mundo viuentis, nec in eâ est vnde glorietur, sed vnde iudicetur. Est & crux Christi innocẽtis pro peccatis nostris sponte morientis, & in ea est multũ vnde glorietur. In hac Paulus gloriatur quoniam ad exemplum Christi in cruce pendentis, carnem suam crucifixerat cum vitijs & concupiscentijs, mortuus mundo, sed viuus Deo. Hæc ille. Cui & nos, si configimur, *In omnibus exhibeamus nos metipsos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in ieiunijs, in vigilijs.* *2.Cor.6.* Aliàs enim, Si adhuc mundo, si adhuc carnis concupiscẽtijs viuimus, inquit Radulph. Ardentius, quomodo in cruce Iesu Christi gloriari possumus? Nonne dum signum crucis fronti nostræ imprimimus, & tamen concupiscentias & vitia in nobis non mortificamus, paupertatem, humilitatem, contumelias, iniurias, infirmitates, ceterásque anxietates patienter non portamus, nonne facti sumus similes Cyrenæo, qui crucem quidem portat, sed non moritur? sic ille. Moriamur itaque mundo, vt in Christi cruce gloriemur, vt viuamus Christo. Si morimur, nullum nos prosperitatis, aduersitatisvè telum percellet, sed inter dextram sinistramque inconcussi, medix (quod aiunt) aginæ, æquilibrato impetu feremur, atque ex vtraque manu Cæsares, quæ dextrorsum, læuorsumque ab istis mundi ducibus spicula torquebuntur, in neutram partẽ trutinâ propendente, perstantes in æquipõdio virtutis, generosè excipiemus, retundemus patientiâ: *per arma iustitiæ, à dextris, & à sinistris,* fortes in prælia, velut Aod ille ambidexter, cuius indefatigata pugnandi potentia, inde commendatur, Iudicũ cap. 3. *quod vtraque manu vtebatur pro dexterâ*: quæ virtus vna est ex ijs, quas Plato in politiâ requirit, & refert Aristoteles 2. Politicor. in fine: vt nimirum viri sint ad pugnandum ambidextri, id est, vtrâque manu pro dextrâ vtantur, quòd per hoc, potentes admodum ad bellum fiant.

2.Cor.6. *Iudic. 3.*

Ad quam fortitudinem animo concipiendam facit considerata vitæ huius mortalis, & præliorum hostilium breuitas, certæ mortis incertum momẽtum, atque præmij, & vitæ melioris æternitas. *Modica hic voluptas*, dixit D. Franciscus: *sed postea pœna immensa: Modicus hic labor, sed postea gloria æterna.* Quid enim vita? *vapor ad modicum parens*: & in hoc modico vaporis parentis, modicus etiam labor, pressura, dolor, & abeunt vt fumus, vt somnium, voluptas, diuitiæ, honor, quibus mundus vt delicijs capitur, *Generositas sanguinis,*

Iac. 4.

inquit D. Bern. epist. 107. *proceritas corporis, forma elegans, iuuenilis decor, prædia, palatia, immensa supellex, insulæque dignitatum, adde & mundi sapientiam; de mundo sunt hæc, & mundus quod suum est diligit. Sed quousque? Non olim enim non semper, vtpote qui nõ semper erit, verùm nec diu quidem.* Morte, tanquam vltimâ lineâ rerum, terminantur omnia, quæ certò certiùs mox futura, bonorum, aut malorum æternitati nos committet: Itaque quamdiu salua fuerit nauis, siue magna, siue parua (vt Demosthenes inquit in Olynth.) tamdiu & nautam, & gubernatorem, & quemuis deinceps, strenuos oportet esse, ac id curare, ne quis vel sponte, vel inuitus nauim subuertat.

Capitis 38. §. 9.

De diuitijs & ambitione, mundi ducibus belli; deq́; eorum fonte, qui est cupiditas.

1. Diuitiarum est ambitionis insultus.

Prodite & vos sub mundo principe Strategi iniquitatis, Diuitiæ & Ambitio, atque munus vestrum, ad quod instructi & expediti estis, obite: & quâ mente estis præditi, prodite & prodite tentatam à dextris & à sinistris turrim; hinc terrore ac timore aduersorum, istinc laude & palpatione prosperorum, nec cedẽtem tanto istorum molimini. Nam, *Hostis (mun mi) firmam probauit vtroque latere turrim*, inquit D. Bernardus serm. 6. in psal. *Qui habitat. Non est quod à sinistris pusillanimitate timeris, nec à dextris eam humanis cõcutere laudibus, In vtraque iam molitione frustra se attẽtet. Sed si viribus inanit; deijcere nequeo, fortè decipere possum alicuius ingenio proditoris. Quis putas erit hic proditor? Planè cupiditas, radix iniquitatis.* Et ipsa sub domate nostro est, & de nostro insolescit, clãcularijsque insidijs in nosipsos malè feriata debacchatur. *Nõ alienus quærendus est qui feriator*, inquit Laurent. Iustinianus lib. de interiori conflictu hominis, c. 8. *non bellandi extrinsecus quærenda est materia: intra nos armatus est hostis, videlicet, praua cupiditas.* Et Iacob. 4. *Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Has ne sequamur duces, subdolæ sunt, abeuntes inspice, non venientes: aliud enim frõte, aliud occipite præfert proditrix cupiditas. Hoc enim proditoribus omnibus commune est, per beneuolẽtiæ fucum, & dum illis fiditur, insidiari, inquit Petrus Gregor. Syntagmatis Iuris vniuersi lib. 35. cap. 5. num. 3. vnde rectè de eo qui eius generis est in verbo λαιτάργος Suidas, σαίνεις δάκνουσα, καὶ κύων λαίταργος εἶ. id est, *mulces cùm mordes, quia canis es clandestinè mordens.* Ita nimirum blandulæ frontis cupiditas diuitiarum, cupiditas honorum, dum mulcet, mordet; & sub mellis modico, ad labrum vsque mentita beneuolentiam, toto fellis poculo medicato præcordijs immicatur: de quâ proinde rectè dixeris, quod Achilles apud Homer. Iliad. 9.

Iac. 4.

Proditoris artes.

> ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
> ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.
> *Inimicus enim mihi ille, æquè ac inferni portæ,*
> *Qui aliud quidem occultat animo, aliud verò loquitur.*

Non immeritò itaque D. Bernardus, eam radicem iniquitatis appellauit, quam Dominus per Apostolum suum 1. Timoth. 6. radicem omniũ malorum esse voluit: scilicet prout est speciale peccatum; & est inordinatus amor habendi diuitias, sicut ibi lect. 2. adnotauit D. Thomas. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*, inquit Apostolus, quod in hunc modum idem Angelicus Doctor explicauit, vt nõ solius

1.Timoth.6.

necessitatis, sed abundantiæ sit voluntas illa, quæ non habentes, in tentationem; habentes in laqueum inducat peccati, distrahat quoque in multa cor humanum; quod, quantò, desideriorum vanitate, diffunditur, tantò à Deo, qui verè vnus est, recedit: congregatum autem in vnum, quantò magis vnum, tantò similius Deo est. Ozc.10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Inutilia suggerat, quæ nihil ad temporalem, nihil ad æternam beatitatem conferant: iuxta illud Eccles. 5. *Qui amant diuitias, fructum non capient ex eis.* Et abundè testati sunt illi, qui Sap. 5. in laudum, diuitiarumque arrectâ cupidine atque iactantiâ, frustra se fuisse intelligentes, exclusi à verâ felicitate dixerunt: *Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactantia?* Sed enim, quid ad vitæ æternitatem conferant, quum nec promissa reddant temporaneæ? Diuiti illi Euangelico. Luc. 12. quæ plurima habebat posita, spondebant annos plurimos, neque tamen noctem vnam reddiderunt. Hinc Eccles. 6. *Est aliud malum quod vidi sub Sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo: sed homo extraneus vorabit illud.* Denique ad nociua impellat, vnde sequatur naufragium, interitus atque perditio animæ. Horum autem omnium rationem assignat Gentium Doctor, dicens, *Radix enim omnium malorum, est cupiditas.* Vbi Theodoretus: *Cædes enim & præstigiæ, furta & rapinæ, fraudes & mendacia, insurandi violatio, & alia genera iniquitatis, ex hac radice pullulant.* Aut enim est cupiditas rei propter se, cuiusmodi est excellentia, quam quis appetit, vt præcellat cæteris; & hæc est superbia, quæ quia importat corruptionem animi ad recedendum à Deo, inquit D. Thom. omnis peccati, dicitur initium. Aut est propter aliud cupiditas eius rei, quæ ad omnia valet, eiusmodi autem sunt diuitiæ, vtpote, quibus omnia parent: hæc autem cupiditas, siue auaritia, omnium malorum est radix. Quapropter sicut ab arboris radice alimenti vis in truncum, ramos, folia, flores, fructúsve effunditur: ita ab istâ cupiditate addictâ bono commutabili, omne peccatum vnde adolescat & nutriatur habet. Hoc bisulco carcinomate laborabat Cinadon, qui detectus insidias struere contra Agesilaum, & Rempubl. Lacedæmoniorum, comprehensus & interrogatus cur tantum facinus molitus erat, nihil aliud respondit, quàm voluisse se nulli Lacedæmoni concedere, vel opibus, vel potentiâ. Xenophon rerum Græcar. lib. 3.

Ose.10.

Eccles.5.

Sap. 5.

Eccles. 6.

Cupiditas ad nociua impellit.

Cupiditas diuitiarum, quantus animæ hostis sit.

3. Cupiditas diuitiarum hominem fallit.

BEne ergo Cupiditas radix & origo omnis iniquitatis: Cupiditas nempe diuitiarum, quæ sui studiosos, obtrusâ quadam bonitatis specie, quam non habent, fallunt. Cupiditas honoris & potestatis, quæ (ceu boletos, cupitum venenum, vna nox gignit, effert lux sequens) nata dissiliunt. Hos enim habet præterea mundus acierum suarum Duces, per quos, instillatâ opum facultatumque dulcedine, inspirato nominis & fascium indipiscendorum veneno, fuctu istarum voluptatum demulcti, capimur, prodimur, tradimur. Et vt ab opum appetentiâ exordiar,

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames!

Exclamat Poëta, Æneid. 3. Polymnestoris scelestos ausus enarrans, qui Polydori leuiri sui, opum siti ardens cruentâ, fœdissimo ac deterrimo parricidio, manus suas funestare non formi-

Polymnestor.

dauit, vt enim semel dicam, Impietatis omnis artifex est, istius Cupiditatis furor. Nota est Tarpeiæ Romanæ proditio, quæ auro empta, Sabinis Capitolium tradidit: auctor Plutarch. in vitâ Romuli. Nota Dalilæ perfidia, quæ maritum Samsonem, argenti cæca cupidine, Philistinorũ principibus, oculorum luminibus orbandum, vendidit, Iudic. 16. Scitè Sallustius, *Auaritia, fidem, probitatem, cæterasque bonas artes euertit, & pro his, superbiam, crudelitatem, Deum negligere, & omnia venalia habere, edocuit.* Scitè D. Chrysostomus: *Qui pecunias amat, in omnes se gerit inimicè.* Itaque non abs re veteres auaritiam omnia vitia habere putarunt, sicuti ex Catone scribit Aul. Gellius noct. Atticar. lib. 11. cap. 2. siue quòd omnibus vitijs insit auaritia quædam, siue quod ipsa ad omne vitiorum facinus impellat: immitis enim, dira, effera est auri cupiditas. *Quippe quæ nec viuentibus parcit, nec mortuis*, inquit D. Athanasius in 6. cap. prioris ad Timotheum, *quæ vel hos ipsos spoliis prædaturque: & in parentes vt insurgant, liberos cogit, & fratres vt cum fratribus litigent: & humana simul, & diuina iura peruertit.* Non operæ est persequi, vt quæque acta, quibusque in locis sint, cùm iam capite 36. non defuisse diximus, qui defunctorum sepulchra, auri rimandi gratiâ effoderint; obuiumque sit plerosque idipsum præstitisse, quò manes ipsos, indutiarum honore spoliarent: & apud Egesippum excidij Hierosolymitani lib. 5. cap. 24. Syros & Arabes à Tito increpitos, qui studio auaritiæ, Iudæos, ob reconditũ in visceribus aurum, euiscerabãt, castigatosque hac a qui Imperatoris gnome, cõtrariâ illi, qui dixit, inter arma leges silere, scilicet, *Inter arma quoque leges valere, fide meliùs bella geri, quæ seruetur etiam hostibus.*

Tarpeia.

Dalila.

Syri & Arabes.

Cæterùm tamen nihil vsquam tam iustum, tamque firmum quod opum vis non labefactet atque conuellat: nihil tam sanctum, quod non violet sæua illa Cupiditas. Apollo Delphicus Philippo Macedoni orbis imperium affectanti, consultus, quî voti sui compos esset futurus, reddidit, si lanceis aureis argẽteisve pugnaret: quare ipse dicere solitus est, nullam non posse vrbem capi, ad quam asinus auro onustus posset accedere. Disploso nempe argenti tormẽto nihil inexpugnabile, ad cuius sonum exarmatur, & exanimatur virilis animus, haud secus ac Gorgo vetula, fulminis, apud Antipatrum in primo Epigrammaton, alij, ex bellicis tormẽtis sublato fragore, exanimati sunt, apud Pareum, lib. 9. cap. 15. Velut enim fera illa quadrupes apud Scythas & Sarmatas, quam Kolon appellant, animal simile oui candidæ sylucstri, ad pulsum tympanorum capitur, dum saltando delassatur, vt scribit Gesnerus: sic cupida mens, dum ad æris sibi propositi sonitum exultat, illaqueatur, capitur, perimitur.

Auro nihil non expugnabile.

Kolon.

Non ineleganter dixit quidam, pecunias, siue earum auaram cupiditatem bifariam insidias struere, aduersus diuites, scilicet, atque aduersus pauperes. Primùm quidem aduersus diuites inuidorum operâ; quomodo Niciæ ab Euthyno insidiæ ob pecunias comparatæ, apud Isocratem Oratione Amartyros, siue in Euthynum, inscriptâ; quo tempore maius crimen fuit esse diuitem, quàm scelerosum, quòd hic aliena raperet, ille suas opes amitteret, sedentibus eis ad Republicæ gubernacula, qui delinquentes non punirent, sed diuites spoliarent, & iniustos sibi fidos, diuites autem, inimicos esse putarent.

3. Auaritia insidiosa diuitibus.

Vtinam verò ista temporum iniquitas non vigeat modò in nostrâ Republicâ! Viguit sanè Iustiniano imperante, vt scribit Euagrius lib. 4. cap. 29. cuius Imperatoris tam inexplebilis fuit pecu-

Iustiniani auaritia.

pecuniæ cupiditas, tamque turpis & absurda rerum alienarum appetitio, vt omnia subiectorũ bona his, qui magistratus administrabant, qui tributa colligebant, qui nullâ de caussâ, insidias hominibus struere volebant, auri insaniês amore, vendiderit. Complures verò, imò innumerabiles admodum locupletes, causâ falsâ, commentitiaque confictâ, omnibus fortunis mulctarit. Quodque sordidioris auaritiæ est, si quæ meretrix oculos cupiditatis ad alicuius bona adijciens, consuetudinem se vllam cum eo, vel coniunctionem habuisse simularet; statim omnia iura ac leges, modò Iustinianum turpis lucri socium constitueret, eius caussâ, euersa iacerent: facultatesque omnes illius, qui in crimen adductus erat, eius domum transferrentur. Caius verò, teste Iosepho Antiquitatum Iudaicar. lib. 19. cap. 1. non modò in fortunas mortalium, sed etiam in eorum vitas inuolans; quum censuum releuationes effici, & grauedines cunctas auferri postularetur, rogationem populi aspernatus, clamantes arripi, ac interfici iussit, vt propterea omnibus suæ facultates in contemptu essent, videntibus se pro opibus ad interitum peruenire.

Caij auaritia immanis.

Secundò autem contra pauperes, vi potentiorum. *Quotusquisque enim iuxta diuitem pauper, aut in actu, aut tutus est?* inquit Saluian. lib. 4. de Prouidêtiâ. *Siquidem persuasionibus præpotentum, aut sua homines imbecilli, aut etiam seipsos cum suis pariter amittunt: vt non immeritò de vtrisque personis sacer sermo testetur, sic dicens* Eccl. 13. *Venatio Leonis, onager in eremo, sic pascua sunt diuitum pauperes.* Formicæ, ne frumenti acerui quos condiderunt foras pullulent, medullam extrahunt, sic illi, ne quid valeant pauperes, erodunt, exsuguntque. Et vt locustæ polypos horrent, vt, quorum brachijs vinciantur & emoriantur, sic miseri sublimes illos, quorum diuite potentiâ vinciuntur, premuntur. *Quid autem est omnium aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio ciuitatum?* inquit Saluianus: *aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quàm præda? Nulla siquidem maior est pauperculorum depopulatio, quàm potestas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vastatione sarciatur. quo quid esse indignius, aut iniquius potest. Reddunt miseri dignitatum pretia quas non emunt. Commercia nesciunt, & solutionem sciunt. Vt pauci illustrentur, mundus euertitur. Vnius honor, orbis excidium est.* Vineam Naboth, Achab concupiuit. 3. Reg. 21. Iezabel vxor eius, in Senatum optimatum ciuitatis Naboth, testes subornatos criminibus introduci aduersus illum iubet, & lapidari: atque ita vineam possedit Achab, insuper & occidit. Quomodo sceleratissimi quoque hæreticarum factionum principes ac tyranni, ad explendam inexplebilis auaritiæ suæ cupiditatem, vineam Domini inuadentes, Diuorum templa suis exspoliauerunt thesauris, diripuerunt Ecclesiæ opes, quas olim Catholici principes, vel ad necessitatem, vel ad honestatem vitæ Episcopis & Clericis donarũt, ipsosque Ecclesiæ Curatores, ad miseriam, extremamque inopiam redegerunt, aut occiderũt.

Auaritia pauperibus insidiosa.

Eccl. 13.

Naboth.

4. Tertium, nos, insidiarum genus, idque grauissimum, ab istâ cupiditate profectum, bis adnumeremus, quod Eccles. 5. insinuatum, vbi dicitur, *Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui, pereunt enim in afflictione pessimâ.* Et Eccl. 8. *Multos perdidit aurum & argentum.* Neque tamen, & illas sibi, & simul se illis perire sentiunt, tangendis mox fulmine similes, quos obseruatum est adeò hebetari, vt nec tonitrua, nec profundos fragores aliquos queant persentiscere, vt inquit Cæl. Rodigin. lib. 3. lectio. antiquar. cap. 19. Quod malorum insidiosissimum est, per cupiditatem suam, ipsosmet cupidos, sine vllo præsentis veneni intellectu, opprimi: quorum enim auiditatem cupidæ mentis, diuitiæ flagellantur, horum sensum omnem ad secutura pericula tollunt. Quapropter Plutum, diuitiarum Deum, cæcum & iacentem velut picturam inanimatam ac immobilem apud Spartas haberi, auctor Plutarchus; eumdemque ab Herode Sophistâ, mortuum prædicari, scribit Cælius Rodig. lib. 20. antiquar. lect. cap. 23. nimirum, quòd inconsultus ciues ac sordidus, nil aliud quàm manubiarios circũspectans amicos, cumulandis pecunijs immoriatur, cœcus in fata sua, & excors. Grassatur ergo fatalis illa Pluti cupiditas, calamitosiùs, funestiùsque in eos quos bonâ mente exuit, quàm in quos inuolat, bonis suis, vitaque spoliat: conuertit enim illa in semet ferrum, & se iugulat, non aliũde quæsitâ necis materiâ, quàm quæ innata morienti auri ardor. Sandax Æolidis præfectus, quòd pecuniâ corruptus iniustè iudicasset, à Dario cruci affixus est, Alexander ab Alexand. lib. 3. cap. 5. Macareus victus auaritiâ, ob depositam pecuniam, hospitem in templo interfecit, ob idque tot mentis examinatus, in ipsis quæstionibus vitam amisit, Ælian lib. 13 vari. histor. Pippus Florentinus, quum Sigismundi Vngariæ regis nomine, in multis se præclarè cõtra Venetos habuisset, auro demùm ab ipsis corruptus, in Vngariam reuersus à Sigismundo, detectâ viri auaritiâ, infuso in os auro, necari iussus est, Bonfinius lib. 3. decad. 3. Et oleo feruente à Bernensibus exusti sunt falsi duo testes, quos Huldricus Wagner caupo Villisflouensis, aduersus Ægidium Spilmannum ciuem Bernensem pecuniâ corruperat.

Eccl. 5.

Eccl. 8.

Plutus opũ Deus cæcus, mortuus.

Sandax.

Macareus.

Pippus.

Et ne pluribus immorer, calamitosa quidem sunt hæc, & quæ passim offeruntur his similia: at omnino funesta sunt, atque homini Christiano metuenda, quæ subijcio. Tãta nempe est Cupiditatis istius immanitas, vt animas quoque, quibus insidians suauiter adhæserit, mergat in interitum. Animum adijce pœnis. Episcopus Misnensis Crato, siue Craftus Heruildo in gestis Germ. Lamberto autem Schafnabur. apud Cæsar. Baronium tom. 11. anno Christi 1067. Redinberus, dum suscepto Episcopatu Goslariam venisset, post refectionem in cubiculũ, vbi suos thesauros (quorum nimius amator erat) nullo conscio, infoderat, quasi paululum requiescere volens, sese inclusit. Cumque iam die vergente in vesperam, præter modum consuetudinemque suam somno indulgere videretur, rem insolitam mirantes cubicularij, pulsare ostium cœperunt. Sed nec pulsantibus, nec vociferantibus dabatur vllum responsum. Fores tandem infringuntur, & cõfractis ceruicibus, tetro colore exanimis, thesauris suis miserè incubare repertus est. Pluti carceribus facet Hospes alieni cupidus à dæmone abripitur: rem narrat Vierus lib. 3. cap. 17. de præstigijs dæmon. in hunc modum. Fertur, militarem peditem ante paucos annos iter per Marcham fecisse: ac loculos cuidam suæ hospitæ, apud quam decubuit ægrotus, custodiendos tradidisse. Post dies paucos restitutus, pecuniam reposcit. Hospita se eam habere negat, iniuriarum alterum accusans. Iratus miles hospitam vicissim perfidiæ insimulat. Coniugem purgat hospes, peditemque ex ædibus deturbat. Hic rei indignitate permotus, extractum ensem, ostio infligit: ob vim illatam in carcerem conijcitur. Iam extremus dies iudicialis aderat, ipsique captiuo moriendum esse, in carcere nũciat dæmon: at si se ipsi dedere vellet, vt nihil sit periculi, se facturum pollicetur. In innocentiâ se mori malle, respondet captiuus, quàm eâ ratione liberari,

5. Auari damnatu.

Crato.

Hospes misserrimè decoctus à dæmone tandem abripitur.

Propositâ denuò periculi magnitudine, vbi se nihil proficere animaduertit dæmon, gratis suâ illi defert operam: consulitque, Quando iudicio sisteris, tibi patronum concedi orabis: atque me non procul stante, pileo cyaneo plumis insignito, postulabis caussæ defensorem. Annuit captiuus, & postridie in iudicium productus rogat sibi in extremâ necessitate permitti patronũ. Is conceditur. Multa disputat hic doctor iuris versutissimus, & argutè defendit, falsò accusatum esse, & condemnari peditem: hospitem enim illi pecuniâ spoliato vim intulisse ostendit: rem omnem ordine quo gesta est, & vbi reposita conseruaretur pecunia, aperiens. Hospite verò audaciùs inficiante, & imprecante aliquoties vt à dæmone abriperetur, si pecuniam haberet: desistit tandem ille à defensione caussæ LL. doctor pileolo cyaneo ornatus, ac hospitem abreptum per forum in aërem auexit, vt vbi manserit, nemo cognouerit vnquam.

Mulieris hypocrisis.

Quid mulierem illam memorem, quæ Gregorio Turonense narrante lib. 1. de gloria Martyrum cap. 106. simulatâ pietate, loca sancta circumiens assiduè, ieiunijs, & orationibus, vigilijsque vacabat, erogatam interim in captiuis redimendis, inopumque necessitatibus subleuãdis, ab piam quotidie pecuniam, in olla, quam in cellæ suæ humo clam defoderat, coaceruabat? Impleta est olla pauperum substantiâ, impleti inique accumulantis dies, effertur ad sepulturam, iustis persolutis, ex familiari eius quærunt sacerdotes, num quid reliquũ esset è tam liberali apud ipsam pecuniâ, in pauperes distribuẽdum. Nescire se quidquam, illa reposuit, nisi quod, illatum semel in cellam eius aurum, egressum fuerit nunquam. Stupent omnes, cella mortuæ à clericis excutitur, tinnitu pauimenti ad ictus dato, olla proditur aurea: verùm Episcopus mulieris auaritiam execratus, omnem pecuniam in defunctæ manes, reserato eius sepulchro, proijci iubet, dicens, Sint tua tibi quæ congregasti: pauperibus verò Christi non deerit vnde sustententur. Nec mora, è tumulo nocte concubiâ continuò auditæ voces, fletus, & vlulatus, & inter voces, se miseram, se infelicem vociferatur, quæ auri consumebatur incendio. Vltra triduum, non tulit populus efferatas voces sub noctis crepusculum exoriri solitas: Adest Pontifex, aperitur tumulus. & ecce, visum est aurum tanquam in fornace liquatum, cum flammâ sulphureâ in os mulieris infundi. Aurum sitierat illa aurum horrendo Dei iudicio bibebat: operitur tumulus: orat Pontifex post patefactam satis mulierculæ illius malitiam, remitti pœnam corporis, exindeque nihil amplius auditum est.

Cor auari sub draconis vnguibus.

Taceo cor cupidissimi hominis, & manus suas non extendentis ad pauperes, repentinâ morte correpti. non in illius aperto pectore subitæ mortis caussam inquirendi gratiâ, sed in dæmonis vnguibus, sub draconis imagine, thesauris eius insidentis, repertum dilaniari. *Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit*, inquit Dominus Luc. 12. quod & sibi auri præsentis pretio venditum, ideoque iuris sui atque arbitrij esse, coram vitâ functi amicis professus est draco. Coronidis loco, tãtum ex MS. adijciam Hasseleti, pagi Leodiensis oppido, anno 1497 mercatorem quendam auri studiosum, animam suã dæmoni venalem habuisse, ea lege vt ditaretur multis, quibus ad octennium frueretur: pactum confirmatur, prosperè negotiatur, ditatur affluenter. Interim autem, dum miser, temporis præscripti rationem non habet, quadam die, sub galli cantum, à fœnoris socio, vt sibi vide-

Luc. 12.

Mercator Hasselensis.

batur, Antuerpiam euocatus, iungit se comitem. Quid accidit? primo diluculo, à socio dæmone, miserè discerptus est, eiusque membra, à corpore diuulsa, horribiliterque dilaniata, sparsim in itinere sunt reperta. *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, nequando rapiat, & non sit qui eripiat*: & lanienam hãc quæ in istorum corporibus, cogitate in plurimorum mentibus exerceri, dum se, suaque corda, diuitiarum cupiditati dedunt.

Psal. 49.

Diuitias ex se, non esse in vituperio.

6. Diuitiæ nullo modo petendæ.

AT dices: Nunquid omnibus hominibus vna hæc virtus est, possidere diuitias, vti Theognis cecinit? Nunquid pecuniæ hominibus pretiosissimæ, momenti plurimum inter mortales habent. & aurum pulcherrima felicitas hominum, vt Euripides dixit? Omnino certè, inquit Demosthenes in 1. Olynthiacâ. pecunijs est opus, & absque ijs nihil potest ritè administrari? Cur ergo earum damnamus cupiditatem? Planè damnemus, quia per eam istæ malæ sunt, & per auaritiam malè tenentur, ideoque nullo modo appetendas esse diuitias, sibi ex vno Ciceronis libro persuasum fuisse, scribit D. Augustinus, Soliloquior. lib. 1. cap. 10. sed si prouenerint, sapientissimè atque cautissimè administrãdas, quum, vt inquit Aristoteles lib. 2. Rhetoricor. cap. 16. diuitiæ nihil ferè aliud sint, quàm felix amentia: vt quæ & à malis malè habeantur, & à bonis tantò meliùs habeantur, quantò minùs amantur, sicut fatur D. Augustinus tom. 2. epist. 54 In illis verò nil aliud quidquam cogitandum, si quo casu offerantur, præter necessarium victum, liberalemque vsum, inquit D. August. in Soliloq. suprà, quod & Iuuenali placuit Satyrâ. 14.

mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt.

Diuitiæ bonæ sunt.

Bonæ sunt igitur diuitiæ, & à diuina sunt manu, *per quas & diuites solatio iuuantur, & multa inde opera iustitiæ & dilectionis administrantur*, inquit Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 8. Sed quam bonitatem habeant, videamus. Duplices eas esse scribit Berchorius, vnas veras, fallaces alteras. Veræ sunt, quæ hominem simpliciter diuitem efficiunt, gratia nempe, & virtutes: de quibus Prouerb. 10. *Benedictio Domini, diuites facit. Talibus Iob vndique abundabat*, inquit D. August. serm. 55. de verbis Domini secundum Luc. *Quando in Deum cor plenum habebat, & laudes Deo perditis omnibus rebus, tanquam gemmas pretiosissimas proferebat.* Has namque, topazio hieroglyphicè significari, cui, vt Plinius ait Natur. hist. lib. 37 cap. 8. egregia etiamnum gloria est, suo virenti genere, & quum reperta est, prælatæ omnibus. Scribit Collectaneorum hieroglyphicorum, Pierianis additorum, auctor, lib. 1. Diuus autem Hieronymus, Aureum, inquit, habet colorem, & ætheream claritatem, atque quando Solis ardore tangitur, omnem superat gemmarum splendorem. Ita enim fidelis anima, auro sapientiæ, quæ Christus est, diues, fulgore precum quæ æthera penetrant, atque ad Deum Patrem, mediante Christo, pertingunt; & gloriæ Dei, quâ irradiata, totius mundi gloriam, omni ex parte superat. Nec defuit antiquorum quispiam, siue Menander is fuerit, siue quiuis alius, qui solas animi diuitias, veras esse, censuerit, quum dixit, *Animam diuitem habere oportet: pecuniæ autem, Nihil quàm ostentatio sunt, & velamentum quoddam vitæ*: quod Stoicorum disciplina conforme est, dicentium, omnes esse diuites, non qui bene nummati sint,

Prou. 10.

Topazius.

Anima diues sit.

sed

sed qui cælo & terrâ frui possint, quemadmodùm indicauit Petrus Victorius, variar. lectionum lib. 22. cap. 6. illos vulgus diuites appellat, hos docti, & melius, nam si *Aurum habens in arca diues est*, inquit D. Augustin. *Deum habens in conscientiâ diues non est?* Igitur, teste quoque Doctore Mellifluo, *Veræ diuitiæ, non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat.* quum, vt Prouerb. 13. dicitur, *Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ.* Quod, quamuis Caietanus ibi, diuitias tanquam pretium hominis esse velit, vt nimirum, tanti sit apud homines, quantæ sunt illius opes, quia quemadmodum vilia marsupia, vt Bion aiebat, etsi nullius pretij fuerint, tanti tamen æstimantur, quantum numismatis in se continent: ita diuites, etiam homines vani & nihili, bonorum quæ possident, æstimatione & pretio fruuntur: nam, vt inquit Euripides, vel seruus, si diues sit, in pretio habetur: quod est diuites propter diuitias, honori atque venerationi esse, cum Numinis offensâ, vt scribit Abulensis in cap. Matt. 22. quæst. 111. ad 3. nam quum plura sint alia, ob quæ diuites honorari possint, veluti omnibus communis naturæ bonitas, præsumpta primo aspectu virtus, adepta in Republica dignitas: si quis eos propter solas diuitias honorarit, peccat, peccato acceptionis personarum: præiudicatur enim virtuti, cuius præmium tollitur, & datur diuitijs. Nihilominus tamen, de pretio redemptionis animæ, intelligere quoque possumus, vt tanti sit apud Deum, quanti sunt virtutum eius thesauri.

Prou. 13.

7. Diuitiæ fallacesque?

Fallaces verò diuitiæ, siue quæ in malo accipiuntur, illæ sunt, quæ bonorum temporalium facultatibus constant, quæ quamuis de se non sint malæ, bona est enim omnis creatura Dei, & illas præstare, non incongruens est Deo, vt Tertull. inquit, lib. 4. aduer. Marcion. c. 8. dicuntur tamen malæ siue fallaces, quòd homines ipsis malè vtantur, quodque falsa boni opinione propositâ, à verissimis abducunt. De quibus D. Augustinus serm. 35. de verbis Domini, secundum Lucam. *Mammona iniquitatis diuitiæ sunt seculi omnes, vndecunque sint. Vndecunque enim congregentur, Mammona iniquitatis est, id est, diuitiæ sunt iniquitatis. Quid est, diuitiæ sunt iniquitatis? pecunia est, quam nomine diuitiarum appellat iniquitas. Si enim veras diuitias quæris, aliæ sunt*: illæ scilicet, de quibus Isa. 33. *Diuitiæ salutis sapientia & scientia: timor Domini: ipse est thesaurus eius.* Tales filio suo inculcabat diuitias, Tobias cap. 4. *Noli timere, Fili mi, pauperem quidem vitam gerimus: sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Ipsæ sunt veræ diuitiæ, quæ solæ nos virtutibus diuites efficiunt, vt ait D. Gregor. homil. 15. istæ autem ab iniquitate appellantur diuitiæ: aut, quia quæcunque diuitiæ, etiam bene acquisitæ, iniquæ sunt, quia non sunt, nec reputantur diuitiæ nisi iniquis, eò quòd in eis spem suam ponant, sicut exponit D. August. lib. 21. de Ciuit. Dei, inquit Abulensis in cap. 6. Matt. quæst. 36. Nam cùm diuitiæ ex suo nomine affluentiam quandam dicant, quæ verè in rebus terrenis, quæ possidentur, non reperitur, qui eas putat esse diuitias, errat, ideoque iniquus est, &, quòd, eas tales putet, & vt tales concupiscat. Animus verò Christianus, non illas vt diuitias habet, & expetit, sed solùm vt quædam, ad vitam hanc exigendam, necessaria, sicut dicitur 1. Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quibus induamur, his contenti simus.* Et D. Hieron. victus & vestitus, diuitiæ sunt Christianorum, id est, sola necessaria quærunt & non affluentiam. Aut quia, secundum D. Ambrosium, Mammon iniquitatis, varijs diuitiarum illecebris, nostros tentat affectus. Aut secundum D. Basilium, diuitiæ sunt iniquæ, quia, earum abundantiam, quæ sine tyrannide parari nequit, pater, aut quiuis ex prædecessoribus, quibus succedis, multâ violentiâ, & magnis odijs, aliena iniustè vsurpans, partam tibi reliquit: vnde natum illud, Omnis diues, aut iniustus est, aut iniusti hæres, cui affine illud Menandri, *οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως, δίκαιος ὤν.* *Nunquam vir æquus, diues euasit citò.* Iniustus, quia intendens animum diuitijs, ad earum amplitudinem citò & iustè, peruenire non potest: nam si cura rei familiaris nunquam, aut vix sine peccato agi queat, vt inquit D. Augustinus 25. dist. cap. *Qui in hic.* Quantò magis cum peccato opum affluentiam tibi compararis? Iniusti hæres, eius scilicet, qui iniustè acquisiuit. Aut denique, iniquitatis esse dicuntur diuitiæ, hoc est, inæqualitatis, quòd non æqualiter, & pro meritis fiat distributæ, sed improbis incumbât, auersentur probos.

Isa. 33.

Tob. 4.

1. Timoth. 6.

8. Diuitiarum bonitas quæ sit.

His ita constitutis, superest, vt quam habeant diuitiæ bonitatem, statuamus, propter quam, *vtilius terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbè relinquitur*, vt loquitur D. Augustinus tom. 2. epistola 34. aut contemnitur. De temporarijs itaque diuitijs solùm quæstio est, quarum duo sunt genera, vt docet Aristoteles 1. Politicor. cap. 6. quædam naturales, quæ videlicet à naturâ nobis ad vsum tribuuntur; vt plantæ, iumenta, prædia, & cætera huiusmodi: quædam artificiales; vt pecunia, quam ars humana ob facilitatem ad permutationes humanas faciendas inuenit, sine quâ non potest consistere communicatio politica, in quâ necessaria est pecunia, tanquam medium, & fideiussor, vt dicitur Ethicor. 5. est enim numerus aliorum bonorum fortunæ, tanquam communis mensura. Naturales, ad vitam sustentandam comparantur, artificiales, propter naturales quæruntur.

Temporales istas facultates, bifariam accipi, ab eodem Aristotele proditum, refert Cælius Rodigin. antiquar. lect. lib. 20. cap. 24. vt aliæ veræ sint, aliæ non veræ. Veras nuncupant eas, quæ necessaria vitæ, vtiliaque ad ciuitates, & domus societatem suggerunt: ijs siquidem sufficimus ad bene viuendum. Non veras, pecuniarum acquisitionem; quasi non in possessione, sed in acquisitione sit vitium: hæ infinitæ dicuntur, nec sunt veræ, quia appetitum non explent, namque vt 4. Astronomicôn Manilius scribit:

Victuros agimus semper, nec viuimus vnquam:
Pauperiorque bonis quisque est, qui plura requirit,
Nec quod habet numerat, tantùm quod non habet optat.

Quæ verò necessarijs rebus constant, finitæ sunt, & ex naturæ fontibus principia ducunt, non illæ, suntque ad naturam satis, ad quam si viuas, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquã diues: vt ait Epicurus. quia exiguum natura desiderat; opinio, immensum.

Bonum non solùm quod honestum, sed etiam quod vtile.

Iam si dantur diuitiæ quæ aliquam veritatem habent, vt & bonitatem quandam habeant, propter quam non penitus vituperabiles sint & abijciendæ, necesse est. Neque enim Philosophis illis assentior, qui id solum bonum esse volunt, quod honestum est, quomodo Stoici, & Cicero Paradox. 1. sentiunt: Non affini huic sententiæ, Manichæorum errori, qui corporalia omnia, mala esse, eaque à Deo malo condita asseruerunt, quibuscum ita sentire consentaneum esse videretur, si temporalia ista nihil à

bono rerum omnium auctore Deo, vnde commendarentur, haberent. Sed magis Peripatheticæ doctrinæ calculum subijcio, quæ tria bonorum genera distinguit, honestum, vtile, iucundum, siue delectabile: Ethicor. 1. atque in vtilium seriem, quæ tamen cum honestate coniuncta sint, diuitias refero. Habent enim illæ suum bonitatis naturalis gradū, & ad vsus bonos à prouidentiâ sunt ordinatæ: quare si eas iniquitatis nomine descriptas legis, *Census non est in culpâ, sed affectus*, inquit D. Gregor. lib. 10. Moral cap. 28.

Quapropter, licet non sint simpliciter bonæ, quomodo simpliciter bonum dicimus, quod sui gratiâ tale est, sed comparatiuè ad vsum, & ad id quod pro eis datur, adeò vt aliter non magis sint profuturæ, quàm vel platearum lutum, vel aluei glarea, in thesauris reposita: qui tamē eas penitùs contemneret, læderet honorem Dei, vti scribit Abulensis in 19. cap. Matt quæst. 150. quia bonitatem nullam in eis agnoscens, Deo sentiret contraria, qui vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Intentioni quoque diuinæ aduersaretur, qui hæc omnia ad vsum nostrum cōdidit. Proijcere namque tanquā omnino inutile, quod Deus vtile fecit, diuinæ bonitati repugnare est, ipsique vniuerso boni partem subtrahere. Idcirco Dominus adolescentem ad sublimioris vitæ statum anhelantem, ne quid impedimenti sustineret, possessiones suas, non despuere, sed venundare iussit, Matth. 19. *Vade, inquit, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me*. Non ait, contere, abijce, pro derelictis habe, permitte deprædātibus, sed, *Vende, & da*. Quia enim ista sic conferūtur à Deo diuitibus, vt & bene disponere, & in vsus bonos conuertere teneantur, voluit Christus, intendentem se in perfectiorem vitam, rebus suis bene consulere; quemadmodum & Ezechiam, insinuato in aliud seculum transitu, voluit, vt quidque suo ordine disponeret, ne rem familiarem neglexisse videretur. Isa. 38. *Dispone domui tuæ*. Adhæc voluit vt adolescentis res, quarum ipsi abundè erat, venum irent; ne vel in epulis abuteretur, in quibus interdum victum longi temporis, breuis hora consumit. Extra de censib. ca. *Cùm secundum Apostolum*; aut largitionibus in amicos, fœneraret.

Non igitur nauci faciendæ diuitiæ, tanquam prorsus inutiles: quomodo Craton Philosophus, ad volaticam nominis sui famam, vt quis mundi contemptus esse debeat, ostenderet, comparatos ex vēditis omnibus suis lapides pretiosos, comminuit & inutiles fecit. Quomodo Polycrates Samius, smaragdum, quam ex gemmis pretiosissimam habebat, in mare proiecit: quomodo Crates Thebanus, substantiam omnem suam in pelagus abiecit, illud effatus, vos mergi, quàm mergere præstat; Philostrato teste. Non abliguriendæ ad vitæ sanctioris conditionem transituro: sed *Vade*, inquit, *& vende. Notanda sunt ista verba*, inquit D. Remigius, apud D. Thomam in catenâ. *Non ait, Vade, & manduca omnia quæ habes, sed Vade & vende. & non ait, Aliqua; sicut Ananias & Saphira, sed Omnia: & pulchrè subiungit, Quæ habet. Illa enim habemus, quæ iustè possidemus. Illa igitur, quæ iustè possidentur, vendenda sunt: quæ verò iniustè, sunt erogāda illis, quibus fuerant ablata. Nec ait, Da proximis, aut diuitibus, à quibus accipies similia, sed Da pauperibus*. Verùm bene habendæ sunt, dandaque opera, quemadmodum Isocrates Parænesi ad Damonicum inquit, vt & vsui tibi sint & fructui: *Sunt autem ijs qui frui sciunt, vsui: ijs verò qui vti sciunt, fructui*. Sic eas habuit Attalus rex, de quo Liuius, decad. 4. lib. 3. *Huic viro præter diuitias, nihil ad spem regni fortuna dederat: his simul prudenter, simul magnificè vtendo effecit, primùm vt sibi, deinde vt alijs non indignus videretur regno*. Non adijciebat ille animum diuitiarum amplitudini, quas in vsu fulgere, in parsitate sordescere nouerat, honestam famam parandi, quàm illas coaceruandi studiosior. Quocirca potest & in summo perfectæ sanctitatis apice, summa esse opulentia, Abraham quippe, cui à Deo dictum est, ambula coram me, & esto perfectus: Iob, vir magnus inter orientales, quē Dominus seruum suum nuncupauit, hominem simplicem, rectum, ac timentem Deum, & recedentem à malo: Dauid, quem Dominus virū secundum cor suum nactus est, ac plerique alij perfectissimi viri, magnâ diuitiarum affluentiâ floruere. Quin etiam Diuum Gregorium legimus, in obuentionibus annuis, amplisque diuitijs, quas non amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter largiendo dispergebat, magni meriti viro, qui abdicatis omnibus pro Christo, solum sibi alurum in solitudine reseruarat, diuinitùs præferri: diues namque animus, bonas naturaliter siue essentialiter diuitias, meliores facit, non amando, sed communicando.

Egregius porrò diuitiarum vsus fructus egregius, & thesaurus accuratissimus, multis bona sua impertiri, quoniam vt inquit Aristot. Rhetoricor. lib. 1. diuitem esse, in vtēdo magis, quàm in possidendo, consistit. Ideoque Apostolus 1. Timoth. 6. iubet, diuites huius sæculi, *Facilè tribuere, communicare. Quid est communicare*, inquit D. August. lib. 50. homiliar. 8. *communem rem facere cū illo qui non habet. Si ergo communicare cæperis, non eris ille prædo, & ille raptor, qui necessarijs pauperum tanquam rebus alienis incubat. Etenim communem fecisti rem tuam cū his qui non habent: & ampliùs præstas, qui etiam prærogator pauperum factus es. Tu aliquantum curam geris, vt ad securum pauperem victus perueniat, & in hoc misericordiam prærogas, & propterea defert tibi Deus honorem, & quasi tibi dicit. Prius de communi tolle quod sufficit necessitatibus domus tuæ, quod reliquum est, da Christo*. Iste est legitimus diuitiarum vsus, iste est verus diuitiarum fructus, in pauperes largitio, quod & Iacob. Billius, in Anthologiâ sacrâ, hoc tetrasticho significauit, in quo, sepositam in loculis pecuniā, immani feræ in caueam repente coniectæ, cōparauit, in pauperes emissam, cicuratæ. Ait enim:

Tum furit horribilis pardus, tigrisque, leoque,
Cùm cauea inclusos arcta repente tenet.
Sic etiam nunquam furit aurum immanius, arcâ
Quàm quum illud Dominus claudere parcus amat.
Quid facies igitur ne te fera vulneret ista;
Quæ quò plus clausa est, plus feritatis habet?
Solue feram, pascens quos aspera vexat egestas,
Protinus, hac mitis redditur arte, fera.

Et quāuis, vt Tertullianus inquit lib. 4. aduersus Marcionem cap. 8. *Christus sit diuitibus offensus, nec ratas habeat diuitum caussas, superbiam, dico, & gloriam, & seculi studia, & Dei incuriam, per quæ væ merentur à Creatore*. Licet, *Diuitiarum gloria dānetur à Deo nostro, detrahente ipsos Dynastas de solio, & pauperes allenāte de sterquilinio*. Nunquam tamen diuites, quia diuites sint, aut ipsas castigauit diuitias, sed abusū; sicut à D. Basilio indicatum, quum cōdemnari aliquē scribit, nō quòd diuitias possederit, sed quòd eis abusus sit. Propterea Cantor regius ps. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Et ibi D. August. *Ille igitur qui non habet, non ambiat: & qui habet, nō superbiat. Et non dicit, nolite habere, sed cor apponere. Non enim damnat diuitias, sed cor appositū, quod scilicet non expendit, sed recondit*. Propterea Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*. Vbi D. Theodoretus, *Non dixit simpliciter, qui sunt diuites, sed qui volunt diuites fieri. Si quis enim acceptas à maioribus diuitias ex lege diuinâ dispenset, liber est ab accusatione. Qui autem ex pauperibus*

quidem

Matth. 19.

Isa. 38.

Craton.

Polycrates.

Crates.

Attalus.

Abraham diues.

Iob.

Dauid.

9. Diues in tendendo magis quàm in possidendo.

1. Timoth. 6.

Diuites, aut diuitias non damnat Deus. Psal. 61.

1. Timoth. 6.

quidem natus est, diuitias autem appetit, & ad eas parandas, nullam non viam init, cum non capiet quidem satietas desiderij, peccati autem laqueo implicabitur, fluctibusque agitatus, & naufragium passus vitam finiet. De quibus prouerb. cap. 15. *Est quasi diues, cùm nihil habeat, & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Sunt enim qui se diuites affectant nihil habentes, & sunt qui se humiliant, cùm sint diuites. Propterea idem Apostolus, diuites huius seculi admonitos vult, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, scilicet, vt non aliquid excelsum de se sentiant, fiduciamque suam in opum circumfluentiâ collocent. In quæ verba D. Augustinus sermon. 212. de tempore: *Non enim diuitias expauit, sed morbum diuitiarum. Morbus autem diuitiarum est superbia magna. Nam grandis animus est, qui inter diuitias illo morbo non tentatur. Maior animus diuitijs sunt, qui eas vincit non concupiscendo, sed contemnendo. Magnus est ergo diues, qui non se ideò magnum putat, quia diues est. Qui autem ideò se magnum putat, superbus & egenus est. In carne crepat, in corde mendicat: inflatus est, non plenus. Vtres autem duos si videas, vnum plenum, alterum inflatum, in vtroque eadem est magnitudo, sed non in vtroque eadem plenitudo. Si attendis, falleris; si appendis inuenies. Qui plenus est, difficilè mouetur, qui inflatus est, cito aufertur.* Propterea D. Hilarius, *Habere diuitias, criminis non est*, inquit, *sed modus in habendo retinendus est. Nam quomodo communicandum est necessitatibus Sanctorum, si communicandi materia non relinquitur?* quasi dicat, diuitibus subtrahi eius cōmunicandi materiam, quod præ adfectu suo inutile reddunt: quod enim tibiæ sunt ignaris musices, hoc opes his qui nesciunt vti. Propterea denique Beda in Glossâ super Luc. 12. *Non reprehenditur diues, quod terram coluerit, & fructus in horrea congregauerit, sed quòd fiduciam vitæ in illis posuerit, nec pauperibus erogauerit, vt ab eis reciperetur in æterna tabernacula.* Itaque si diuitiæ bonam mentem nactæ fuerint, bonæ sunt, vsui sunt & fructui.

Prouerb. 15.

Non amandas esse nihilominus diuitias, & quare?

10. Diuitiæ vt amari possint.

QVia tamen vnusquisque iam, magno coaceruandarum opum studio tenetur, quòd illud Aristophanis sibi persuasum habeat: *Argentum hominibus sanguis & anima est. Id quisquis non habet, neque possidet: Ille inter viuos mortuus obambulat.* Refert quo animo illis quis deludet, vt quæ naturaliter bonæ sunt, in meliùs, aut deterius euadant. Aut ergo amantur secundum id quod sunt, nempe quia vtiles & commodæ, atque ad liberalitatis vsum collatæ: quo in amore, vti nihil inest præuaricationis, ita nec vllum peccati genus. Aut ardentiùs amantur quàm par est, conuersione nimirum vtilis, in delectabile, ita tamen, vt is non sit in earum possessione finis: & hic, pro maioris, minorisve inhæsionis ardentiâ, veniale maiùs, minùsve committitur. Aut tandem quis in eas, tanquam in finem sibi præstitutum, toto animo nititur, ad Numinis offensam promptior atque paratior, quàm ad illarum carentiam & iacturā, quod est frui vtendis, quæ est magna peruersitas, atque ideò scelus mortiferum. Ex his fit, duas esse diuitum conditiones; vnam eorum qui non sperant in multitudine diuitiarum, sed vtuntur illis: alteram eorum qui sperant in illis, in quibus & finem suum constituunt. Quia verò demulcentibus blandulis diuitiarum insidijs, facilis est homini, naturæ suæ lubrico, in conditionem hanc posteriorem concessus, suadent omninò Diuorū sanctissimi, non adijciendum illis vllo modo animum, quò castiùs ametur Deus qui fecit illas, ametur propter se, non propter illas, minus enim Deum amat, qui cum eo aliquid amat, quod fortasse eum magis quàm ipsum amat. Accipe exemplum ex D. Augustino serm. 49. de verbis Domini secundum Ioan cap 8. *Videte fratres, si vxor amet maritum quia diues est, non est casta. Non enim maritum amat, sed aurum mariti. Si autem maritum amat, & nudum amat, & pauperem amat. Si enim propterea amat, quia diues est: quid si (quomodo sunt casus humani) proscribatur, & subitò egens remaneat? Renuntiat illi forte, quia quod amabat, non maritus erat, sed res eius. Si autem verè maritum amat, etiam pauperem magis amat, quia cum misericordiā amat.* Ita non amatur castè Deus, nisi nudus ametur ne propter circumstantes ipsum copias, minùs videatur amari, si ipsæ, cum illo, amentur. Eccl autem 31 pronuntiatur *Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt:* accumulandi cupiditate, possidendi amore.

Eccl. 31.

Dicet diues, non amo diuitias, nunquid igitur beatus? Asper aliquis casus, quis in eas sit animus tuus, comprobabit nam, *Homo qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit, discit. Quum enim mutabilium bonorum adest copia, non eis confidit, sed cùm subtrahuntur, agnoscit vtrum eum non ceperint: quia plerumque quum adsunt nobis, putamus quod non ea diligamus, sed cùm abesse ceperint inuenimus quid sumus. Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit. Videtur ergo vincere cùm vincatur, qui superando ad id peruenit, quod cum dolore amissurus est: & vincit cùm vinci videatur quisquis cedendo ad id peruenit, quod non amittit inuitus:* inquit D. August. lib. de verâ religione, cap. 47. Quare nemo iacturas diuitiarum, si quæ superuenerint, computabit, aut detruncatum aliquid vel ademptum, ægrè sustinebit: imò neque opum circūfluentiam diuitias appellabit, nisi se illis amore inhærescere, conuinci velit, quòd diues, à diuo secundum Varronem, diuitiæ, quod diuinos efficiant, dictæ sint, quas qui habuerit, nullo indigere videatur tanquam Deus quispiam, in quam conditionem solæ nos diuitiæ veræ & spirituales transferre possunt. Ita enim rursus de rerum opulentiâ quas vulgus diuitias vocat, D. Aug ser. 35. de verbis Domini in Luc. *Habes illas nō reprehendo: hæreditas venit pater tuus diues fuit, & dimisit tibi. Honestè acquisisti: de iustis laboribus plenam domum habes, nō reprehendo. Tamen etiam sic noli illas dicere diuitias: nā si dicis illas diuitias, amabis illas, & si amaueris illas, cū illis peribis. Perde ne pereas, dona vt acquiras; semina vt metas. Has diuitias noli appellare quæ veræ nō sunt: paupertate plenæ sunt, & semper obnoxiæ casibus. Quales diuitiæ sunt, propter quas latronem times, propter quas times seruum tuum, ne te occiso, auferat & fugiat? Si veræ diuitiæ essent, securitatem tibi darent.* Auocandus itaque ab earum dilectione animus, & si quid in eis amatur, fructus ametur, quod Isocrates ad Demonicum significauit, *Ama*, inquit, *bonorum non ingentem cumulum, sed moderatum fructum.* Quo quid sapientius dici potest? hominem potentem, diuitiarum securum facit, & typhum earum simul premit, quod idem faciendum iubet Apostolus 1. ad Timoth. 6. totidem verbis sæpè repetitis, *Diuitibus huius seculi præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.* Vbi Theodoretus: *Incerta enim est possessio diuitiarum, nunc enim ad hunc veniunt, nunc verò ad illum transeunt: quæ autem multos habet Dominos, nullius est possessio:* quod graphicè ab Horatio lib. 2. epistolar. epist. 2. descriptum.

Diuitias non amat qui amissis non dolet.

Diues vndè dictus.

1. Tim. 6.

Tanquam
Sit proprium quidquam puncto quod mobilis horæ,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte supremâ,
Permutat Dominos, & cedit in altera iura.
Sic quia perpetuus nulli datur vsus & hæres,
Hæredem alterius, velut vnda superuenit vndam.

Et lib. 2. satyrâ secundâ, eodem sensu.

Nam propriæ telluris herum, natura, neque illum,
Nec me, nec quenquam statuit: nos expulit ille,
Illum aut nequities, aut vafri inscitia iuris,
Postremò expellet certè viuacior hæres.

Si ità est: quisquámne erit sanæ mentis, qui in

re tam fluxâ, tamque caducâ fiduciam suam collocabit? intumescet adeptâ? quique illam, tanquam propriam sibi vindicabit? Proprium est quod nunquam eripi potest, quodque perpetuò retinere licet: siue, vt Petrus Gregorius Syntagmatis iuris vniuersi lib. 1. cap. 12. num. 4. Proprium dicitur, quod magis prope nobis est, peculiareque cuiusque, & vt in summâ dicâ, quod vni soli conuenit, titulo 9. de patr. potest. lib. 1. Institut. Atqui solius Domini est terra & plenitudo eius, quod nostrum dicimus, alienum est. Hinc Philo Iudæus, lib. de Cherubim, sacrorum voluminum innixus auctoritati, solum Deum, in omni veritate & proprietate sermonis, cunctarum rerum proprietatem & dominium, ius & possessionem habere, commonstrat: & perspicuè Tertullianus lib. de Pœnitentiâ, Cupiditatē omnium malorum radicem, non in concupiscentiâ alieni tantùm constitutam interpretatus, ait, *Nam & quod nostrum videtur, alienum est: nihil enim nostrum, quia Dei omnia, cuius ipsi quoque nos:* & infert: *Itaque si damno affecti impatientes erimus, non de nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus, cùm alienum amissum ægrè sustinemus.* Sed & gentiles ipsos hanc veritatem assecutos fuisse legimus, Plutarchus enim, in consolatione ad Apollonium, vult dicamus, nos Deorum res habentes, eas curamus. Et Epictetus in Enchiridio, cap. 8. præcipit, ne quis rei alicuius iacturam passus dicat, illud ego perdidi, sed illud ego Deo reddidi. In quam sententiam eleganter & copiosè D. Basilius Orat. de morte, inter opera D. Ephræm Syri tomo 1. *Nihil ex ijs rebus*, inquit, *quæ in vitâ iucunda habentur, & ob quas plerique insaniunt, nostrum reuera esse ducamus, æquè enim hæc ab omnibus alienissima sunt, tam ab ijs qui hu frui videntur, quàm etiam illis, qui ipsa nec attingunt quidem. Neque enim si aliqui aurum ingens in vitâ congesserunt, proprium ipsorum perpetuò permanet: sed aut à viuis adhuc, quantumuis ipsum omni ex parte coarctent, ad potentiores delapsum, aufugit: aut iam iam animam agentes deserit, nec vult simul cum eis, qui illud possederant, peregrè proficisci.* Iam verò, cur ea quæ nostra non sunt, amabimus? erepta cur querimur quæ adhærere perpetuò non possunt? vide quæ diximus cap. 14. num. 4. Ea est rationum vna cur diuitiæ non sint admodum expetendæ, neque si obuenerint, amanter habendæ, inconstantia scilicet illecebrosè titillantis alieni.

Proprium quid sit?

Proprium nostrum alienum.

12. Sed & magnificum sunt malum diuitiæ, curarum & periculorum, quàm deliciarum pleniores: nota Democriti sententia, diuitiæ, si non habentur, desiderio affligunt; si habentur, curâ metuque discruciant: si amittuntur, mœrore ac dolore conficiunt. Ad quam sententiam respexisse videtur D. Bernardus, de Conuersione, ad Clericos cap. 12. quum infit: *Hinc diuitiarum amor insatiabilis, longè amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret vsu suo: vtpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris inuenitur.* Sed & Palladas idipsum hisce verbis asseruit:

Diuitiæ sunt malum magnificum.

> χρυσὲ πάτερ κολάκων ὀδύνης καὶ φροντίδος υἱέ,
> Καὶ τὸ ἔχειν σε φόβος, καὶ μὴ ἔχειν σ' ὀδύνη.
> *Aurum pater adulatorum, doloris & curæ fili,*
> *Et habere te timor, & non te habere dolor est.*

Nec mirum, quandoquidem, vti D. Gregorius inquit lib. 2. Moral. cap. 27. *Diuitiæ veluti spinæ animum hominis timoribus, solicitudinibus, angoribus mirificè pungunt, vexant, cruciant.* Anacreon quinque talentis à Polycrate donatus, cùm per duas noctes pro istis solicitus fuisset, reddidit ea, inquiens: Non tanti esse, quantâ ipsorum cura laboraret, siue, odi munus, quodcunque vigilare cogit. Non in plures noctes distulit Sigismundus Cæsar, quadraginta aureorum millia quæ sibi ex Hungariâ erant allata: nam cùm aduesperasset, eaque in thalamo regio recondita fuissent, in cubiculum veniens Cæsar, dum cogitat in quemnam vsum eam pecuniam conuertat, somnus eum destituit. Tum ille excitatis cubicularijs: ite, inquit, ocyus, Consiliarios, Ducesque omnes militum huc accersite. Vocati proceres mediâ nocte trepidi (timebant enim ne quid aduersi accidisset) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ caussa sit tam repentinæ vocationis inquirunt. Imperator, confestim apertâ arcâ, inter eos qui aduenerant pecuniâ distributâ: Ite, inquit, securè tranquilleque nobis dormire liceat: Nā quod mihi somnum ademerat, iam procul aberit à cubiculo: ita Æneas Syluius lib. 4. Commentarior. in res gestas Alphonsi. Et in Speculo exemplor. dist. 9. exem. 60. prædiues homo, qui domum suam, pauperis operarij tugurio coniunctam habebat, torquebatur saturitate & solicitudine, torquebatur insomnijs, nec minus inuidiâ felicitatis vicini sui, quem exacto laboris sui die, ad igniculum suum cum pueris suis lætātem, atque reliquam suauiter dormire noctem audiebat. Quapropter, solicitudinis ac miseriæ suæ participem eum reddere cogitat: Immittit itaque clā noctu, foribus tugurij apertis, argenti vim, in quam incidit ad laborem iturus homo, sed furē veritus, continet se domi, solicitus est, gemit, fingit inualetudinem, lecto supponit aurum, donec deliberauerit, insciâ vxore, inscijs vicinis. Sed cùm plures dies in hunc modum affligeretur, neque solitæ cantiunculæ pueris suis colludentis audirentur: intrat ad eum diues, quærit quî se habeat, affirmat vxor eum renum dolore torqueri: cui ille, scio vnde eum curem: accedensque, in aurem eius ista immurmurat, redde mihi pecuniam meam, quam tali in loco accepisti, alioqui curabo te crucifigi: concutitur timore suspendij homo, reddit pecuniam, reditque ad pristinam lætitiam. Inde est, quod Ecclesi. dicat cap. 5. *Dulcis est somnus operanti, siue parum siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Et D. August. serm. 110. de tempore, cap. 4. agens de Lazaro. *Pauper erat, & securior dormiebat. Somnum satiiùs accedebat ad duram terram, quàm ad lectum inargentatum. Attendite curas diuitum, & comparate securitati pauperum.* Inhiabat D. Augustinus ipse Confess. lib. 6. c. 6. lucris, honoribus, & in eis cupiditatibus, amarissimas patiebatur difficultates; & transiens per vicum quendam Mediolanensem, vidit pauperem iocantem & lætantem, ad cuius securam lætitiam, conatibus suis, quibus tunc laborabat sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis suæ sarcinam, & trahendo exaggerans, peruenire volebat, nunquam fortasse illuc venturus, quam ambitionibus suis multò falsiùs, quàm mendicus ille emendicatis nummulis, quærebat. Gaudebat mendicus vinolentiâ, gaudere cupiebat hic gloriâ: ille nocte digesturus erat ebrietatem suam, hic cum suâ dormierat; & surrexerat, & iterum dormiturus & resurrecturus erat: ille hilaritate perfundebatur, ideò felicior; hic curis euiscerabatur: ille benè optando acquisiuerat vinum; hic mētiendo quærebat lucrum, quærebat typhum. *Compara inter se pauperum & diuitum vultus.* inquit Seneca epist. 80. *sæpiùs pauper, & fideliùs ridet: nulla solicitudo in alto est: etiam si qua incidit cura, velut nubes leuis transit. Horum qui felices vocātur, hilaritas ficta est, aut grauis & suppurata tristitia: & quidem grauior, quia interdum non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem.*

Anacreon.

Sigismundus.

Diues quidam pauperi quietem inuidet.

Eccl. 5.

D. Augustinus.

Sensit Alexander, testâ cùm vidit in illâ

Magnum

Magnum habituros rem, quantò felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus. Inquit Iuuenalis Satyrâ 14.

Diuitiæ quippe, ait D. August. epist. 121. ad Probam, cap. 2. *atque fastigia dignitatum, ceteraque huiusmodi, quibus se felices esse putant mortales vera illius felicitatis expertes, quid afferunt consolationis, cùm sit eis indigere, quàm eminere præstantius, quæ plus excruciant adepta timore amissionis, quàm concupita adeptionis ardore*: Hoc namque interest cupiditatis & adeptionis, quòd non habere, quam perdere leuior sit dolor, quia, vt inquit D. Augustinus epist. 34. *Aliud est nolle incorporare quæ desunt, aliud iam incorporata dimittere: illa veluti cibi repudiantur, illa velut membra præciduntur.* Nec interest, pauper sit an locuples, cui sua res detrahitur, cùm plerumque vbi minus est pecuniæ, ibi plus sit auaritiæ, vt paupertati eò minorem, quò minorem damnorum intelligamus esse materiam, vt Seneca inquit, lib. de Tranquillitate animi cap. 8. *Errat enim si putas animosiùs detrimenta diuites ferre, maximis, minimisque corporibus, par est dolor vulneris. Bion eleganter ait, Non minùs molestum esse caluis, quàm comatis pilos velli. Idem scias licet de pauperibus, locupletibusque, par illis esse tormentum, vtrique enim pecunia sua obhæsit, nec sine sensu auelli potest. Tolerabilius autem est, faciliusque non acquirere, quàm amittere: ideoque lætiores videbis, quos nunquam fortuna respexit, quàm quos deseruit.* Ecquis autem tantum mali, tantum inquietis & doloris, Cinyræ opibus, vel Pelopis talentis emerit?

Diues facilius caret concupitis, quàm indepta docet.

13. Diuitiæ bonos mores euertunt.

Bonis quoque moribus aduersantur diuitiæ; prudenter Seneca, multum esse diuitiarum contubernio non corrumpi, & affluentibus hinc inde diuitijs, vitiorum fomitibus animum seruare inconcussum. Plato verò in legibus, diuites valdè simulque probos esse, impossibile censuit: quod diuitiarum circumfluentia, lubricum quiddam sit, & ad omne flagitiorum genus procliue, vnde Eccl. 11. dicitur: *si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Certè Philostratus, vt est apud Cæliū Rodig. lib. 10. lectio antiquar. cap. 13. non sunt tractabiles diuitiæ, inquit, debentque inter ardua & difficillima connumerari. Qui enim diuitijs, vt sic dicam, inebriantur, inquit Cælius, ac paulò ante exsucci, mox vel vicinis distentiores euadere non desinunt subinde iniurios se præbere, & in magnâ amplaque fortunæ laxitate coecutiunt, Iacobi 2. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super vos.* Quibuscum meliùs feliciùsque ageretur, si aut animum à possessis auellerent, aut ad suam redirent mediocritatem; *familiaris res est*, inquit Beda super Hester lib. 1. *humanum cor opibus ac libertate dissolui, ærumnis verò ac paupertate, ad semetipsum recolligi.* De quodam latomo in Speculo exemplor. dist. 9. exemplo 59. scribitur, quòd cùm pius quidam Eremita, apud illum esset hospitatus, atque didicisset illum lucri sui partem vnam in suos vsus expendere, alteram in eleemosynas, tertiam in hospites: in cellam suam regressus Deum orarit, vt hospitis sui bona multiplicare dignaretur: cui cùm redditū esset cælitùs, fortè illi istud non expedire, institerit vehementer, sponsoremque se præbuerit. Quid accidit? inter ædificandum latomus ingentem thesaurum inuenit, fit diues & gratus Imperatori, à quo Baillinus, siue præses creatur, fitque grandis pauperum oppressor. Conqueruntur coram Deo Angeli, vidente & audiente Eremitâ responsum Angelis fideiussorem, horum redditurum esse rationem, stupet ille ac timet, Virginis Matris patrocinium implorat, & impetrat vt ad latomum corrigendum mittatur. Sed quid? non datur iam ad hominem diuitem accessus. Interim rursum tribunali diuino sistitur Eremita, flagris excipitur, & liber dimittitur. Diuinâ tandem prouidentiâ effectum est, vt mortuo Imperatore, successor eius in latomi res & acta inquireret, qui veritus potentiam, fugit, omniumque bonorum suorum iacturam passus, ad operas, & priora pietatis officia rediit. Rectè Aristoteles lib. 5. de Republ. cap. 7. *qui magnas opes nacti sunt, ij, si auctoritatem Respublica dederit, & libidini seruire, & maiores opes habere, & superiores esse volunt.* Sed vt desierint esse diuites, desinunt quoque esse vitiosi inquit Saluian.

Eccl. 11.

Iac. 2.

Latomus.

Eremita ab Angelis flagellatur.

Neque singulorum hominum modò, sed & exercituum, & populorum mores corrumpunt nimiæ diuitiæ. Miram namque illam & eximiā populi Romani fregere virtutem, qui tamdiu clarus, & tamdiu iustus atque integer, quamdiu pauper fuit, inquit Franciscus Petrarcha dialogo 53. In egestate victor gentium est; quod est gloriosius, victor sui, domitorque vitiorum: à diuitijs victus est, atque pessundatus. Quod & Titus Liuius decadis 1. lib. 1. statim in principio totidem verbis præfatur: Nulla vnquam respublica, nec maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam seræ auaritia luxuriaque immigrauerint: nec vbi tamq tus ac tamdiū paupertati ac parsimoniæ honos fuerit: adeò quantò rerum minus, tantò minus cupiditatis erat. Nuper diuitiæ auaritiam, & abundantes voluptates, desiderium per luxum atque libidinem pereundi, perdendique omnia inuexēre. Hæc ille. Huc spectare potest, quod Plutarchus in Laconicis de Lycurgo narrat, qui interrogatus, cur hostium interfectorum cadauera spoliari prohibuisset, Ne milites, inquit, ditescant, & dum prædæ incumbunt, pugnam negligant. Metuit vir prudentissimus ne diuitijs amplis corrumperentur milites, quæ plerumque insolentiores, & minùs fortes reddunt homines. *Auaritia*, quippe, vti Sallustius in Catilina inquit, *pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupiuit: ea quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat, semper infinita, & insatiabilis est, neque copiâ, neque inopiâ minuitur*, apud Aul. Gellium noct. Atticar. lib. 3. cap. 1.

Opes Romanam Remp. labefactarūt

Compertum etiam est, nimiam habendi aut retinendi cupiditatem, progressum in virtute impedire. Scitum illud Socratis, *Vestes talares corpora: opes autem immensæ, animas impediunt.* Quemadmodum enim talarium vestium prolixitas, ad expeditè celeriterque ambulandum, impedimētum adfert, sic diuitiæ ab honestis laudatisque studijs retardant. Simias ferūt calceis capi, quos, qui eas venantur, postquam sibi induxerint, atque exposuerint, sub earum aspectū relinquunt: abeuntibus enim his, succedunt illæ, & vt sunt ad imitandum à naturâ procliues, & quæcunque viderint efficacissimè sequentes, illos induunt, atque ab erumpentibus ex insidijs, quòd illo impeditæ calceatu, in arbores euadere nequeant, capiuntur: ita plures capi videas, quibus opum calceamina pede suo ampliora. Sic enim Diuus Chrysostomus serm. 7. de Pœnitentiâ. *Si calceamenta quis supra mensuram pedibus adegerit, itinere certè prolixiori impedimenta sentiet: & vestimentum induens corporis staturam excedens, pari modo implicabitur, atque superfluum vbique in eo quod satis est ad opportunitatem, inutile est. In pecuniâ multo fortiùs id euenit. Et qui supra quod satis est, habent, non modo in ipsâ sufficientiâ, sed in necessarijs quibusque impediuntur.* Et vt luna, non aliàs quàm in plenilunio eclipsim patitur,

14. Diuitiæ virtuti obstant.

Simiæ calceis capiuntur.

patitur, cùm sub nadir solis, hoc est, puncto directè soli in firmamento opposito, in capite, vel caudâ draconis fuerit, terrâ tum soli & lunæ interposita, cuius vmbræ conus cadens super corpus lunæ, eam impedit ne à sole lumen habeat: Ita plures videas in tenuiori re familiari, velut luna renascens, operum bonorum splendore fulgere, ditentos obscurari, quod terra, hoc est, aurum & argentum, inter solem Christum, & animam, posita, vmbram faciant, impediantque ne viuifico charitatis lumine collustrentur, vnde fit vt frigidi sint, absque charitate; omnia præ diuitijs humana spernant, neque honori magno locum, neque virtuti putent esse, nisi vbi effusæ affluant opes. Præclarè D. August. lib. 83. quæstionum 36. *Venenum charitatis, est spes adipiscendarum aut retinendarum rerum temporalium. Augmentum eius est cupiditatis diminutio, perfectio verò nulla cupiditas.* Itaque quemadmodum radix omniũ malorum est cupiditas, ita radix omnium bonorum est charitas, vt idem Sanctus Doctor inquit lib. 50. homiliar. 8. *& simul ambæ esse non possunt: nisi vna radicitùs euulsa fuerit, alia plantari non poterit:* Sunt velut filix & arundo, radix cupiditatis, radix charitatis: pertinaci discordiâ, vna alteram necat: nam filicis radix, contusa, è cannis spicula corpori infixa, deijcit: & si quis arundinem penitùs non nasci volet filice, vomeri imposito, exaretur locus: sic filices arundine sectas, minimè renasci cognoscet. Plin. lib. 18. cap. 6. ita radix charitatis vomeri crucis imposita, prauæ cupiditatis spicula animo infixa, pellit, eamque extirpat: & cupiditas charitatem enecat, tantâ demùm simultate, quanta est inter quercum & oleam, quæ tam pertinaciter odio dissident, vt altera in alterius scrobe depactæ moriantur. Plin. lib. 24. cap. 1. & si quercus in oliueto nata fuerit, fugiat, introrsum commeet, & exarescat: non enim secum patitur charitatis vnctio, cupiditatis arborem, pascendo sordidorum gregi consecratam: atque ita humanus animus, qui capax est Dei, oleam & quercum, charitatem & cupiditatem simul capere non potest.

Venenum caritatis cupiditas.

15. Prospera mergunt, aduersa leuant.

Quid quod immodicæ diuitiæ velut ingentia & enormia gubernacula, faciliùs mergunt, quàm regunt? *Excepit te circumfluentia diuitiarum*, inquit D. August. lib. 1. contra Academicos cap. 1. *quæ illam ætatem atque animum, quæ pulchra & honesta videbantur auidè sequentem, illecebrosis cœperat absorbere gurgitibus, nisi inde, te fortunæ illi flatus, qui putantur aduersi, eripuissent penè mergentem.* Illæ enim onus sunt, quod etsi gestatu facile videatur, grauant tamen, gressusque nostros ad iustitiam, cæterasque virtutes remorantur: quod cùm ita sit, non eos inuitat Dominus ad vinum & lac suum, qui sarcinæ diuitiarum humeros suos supposuerint, sed pauperes expeditos, Isa. 55. *Qui non habetis argentum*, inquit, *properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vllâ commutatione vinum & lac.* Quibus verbis significare vult Deus, eos non benè currere, qui sunt argenti pondere onerati, inquit Hector Pinto ibi. non vbi videt vulgus, sed vbi videt Deus. *Habeat quis multas facultates pecuniarum*, inquit D. August. in psal. 48. *si in eis non extollitur, pauper est. Non habeat aliquis, & cupiat & inflet ur, inter diuites & reprobos eum deputat Deus. Et diuites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca & domo.* Erat Abraham diues valdè in possessione auri & argenti. Gen. 13. ita testabantur oculi hominum: cum autem nullâ horum cupiditate teneri, testes erant oculi Dei: & tamen illi quoque erant onerosæ diuitiæ, sic enim Hebraicè. *Et Abram grauis valdè in pecore, in argento, & in auro.* Sine vt Græca D. Hieronymi versio habet βαρὺς σφόδρα, id est, *grauis vehementer*, ipse enim Ægyptiacarum opum pondere grauabatur, quæ etsi diuitiæ esse videantur, tamẽ quia Ægyptiæ, viro sancto graues sunt; & quid non erunt illis qui sese quærendâ vndique pecuniâ dediderunt? qui se sussularijs quæstibus intentos habent? Excusserunt onus illud cupiditatis Apostoli, vt admisso onere charitatis, expeditiùs Christum sequerentur. Matt. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Currere enim & properare volentes, pondus omne quod eos remorari potest, abijciunt; sic animum à superfluis & terrenis auocent oportet, qui cæli viam meditantur. Audiat ergo diues, vt non superbè sapiat, neque speret in incerto diuitiarum: *Vtatur mundo tanquam non vtens*, ait D. August. serm. 110. de tempore, cap. 4. *Sciat se viam ambulare, & in has diuitias tanquam in stabulo introisse. Reficiat, viator est: reficiat se & transeat, non secum tollit quod in stabulo inuenit. Alius viator erit, & ipse habebit, sed non auferet.* Audiat & illud Propertij Elegiar. lib. 3.

Isa. 55.

Gen. 13.

Matt. 19.

Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas:
Nudus ad infernas, stulte, vehere rates.

Omitto diuitiarum vermem, superbiam: *Nihil est enim quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam*, inquit D. August. serm. 5. de verbis Domini in Matt. *Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici: vermis diuitiarum, superbia*; quod & lib. 50. homiliar. hom. 13. repetit, additque, *difficile est, vt non sit superbus qui diues est. Tolle superbiam, diuitiæ non nocebunt.* Omitto diuitias dissidiorum & seditionum principia & quasi fontes ab Aristotele 5. Politicor. haberi, quòd qui diues est, opum potentiâ fretus, facilè ad seditionem concitetur, aut vt ditioribus par sit, aut vt principatum omnibus in rebus dignitatis atque honorum obtineat. Prætereo turpem illam diuitiarum sequelam quam recenset D. Chrysostomus, luxuriam, iram intemperantem, furorem iniustum, arrogantiam superbam, omnemque irrationabilem motum. Quisquámne verò in illud feratur affectu, (siquidem præsens sibi fuerit) quo animus fit miser, & in compedes & vincula conijcitur? quo mergitur & interit? Rectè Cicero lib. 1. Offic. *Nihil est tam angusti, tamque parui animi, quàm amare diuitias: nihil honestius magnificentiusque, quàm pecunias contemnere*, quas animus cælo natus, vt sterquilinium habet, stercorandis pauperum agris idoneum, in messem futuram.

Capitis 38. §. 10.
De ambitione.

1. Ambitionis vis.

SEquitur tandem quartus mundi satrapa, cæteris, viribus non inferior, Ambitio, quæ nulli parcit ætati, nulli sexui, nulli conditioni, omnibus infesta est, ipsas etiam beluas suis legibus premens. Narrat Plin. lib. 8. natur histor. cap. 42. Bucephalum Alexandri Magni equum, neminem alium quàm Alexandrum, regio instratum ornatu, recepisse in sedem, alios passim reiecisse, & equisonem ipsum, nisi nudus esset. Nec minor elephantis gloriæ voluptas: Antipater auctor est, inquit Plin. eiusdem lib. cap. 5. Antiocho Regi, duos fuisse in bellicis vsibus celebres, etiam cognominibus, Aiacem, & Patroclum; Regique vadum fluminis experienti, renuisse Aiacem, qui alioquin dux agminis semper. Tum pronuntiatum, eius fore principatum, qui transisset: ausumque Patroclum, ob id Phaleris argenteis, quo maximè gaudent, & reliquo omni primatu donauit. Ille qui notabatur, inediâ, mortem ignominiæ prætulit: Nihil

isto

isto animante magis ambitiosum, nihil magis gloriæ, & honoris cupidum, si caput aperueris, si dominum salutaueris, quodcunque voles, consequeris ab eo; & vt est ad onera ferenda validissimus, ad quantum voles se promptum exhibebit, ad casum vsque. Hic tibi eius qui ambitione tentatur, imago: quemuis fert quum nudus est; ornatus, vulgares despicit: si respexeris, si probaueris, si laudaueris, tuus est; sed quamdiu? primoribus adlegitur; iterum altiora, atque altiora vouet, esse se, qui, ceu Caryatides & Telamones, mutulos & columnas, non reipublicæ tantùm, aut regni, sed orbis totius molem sustineat, ita *Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.* Sed id assequatur; quid deinde? casum. Eleganter Seneca lib. 2. de beneficijs cap. 27. *Ambitio non patitur quenquam in eâ mensurâ honorum conquiescere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias: sed queritur quòd non est ad præturam vsque perductus: nec hæc grata est, si deest consulatus: nec hic quidem satiat, si vnus est. Vltra se cupiditas porrigit, & felicitatem suam non intelligit, quia non vnde venerit, respicit, sed quò tendat:* & vnde grauiùs ruat ignorans sui, exemplo fit Sejanus, de quo Iuuenal. saty. 10.

Ambitio insatiabilis.

Ignorasse fateris
Sejanum: nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes. Numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

Sicut enim traditur ætas ætate, sic dignitas dignitate: sed in illâ quilibet, cui omnis ætas senectus est; in hac verò nemo consenescit: in illâ, vnus omnium exitus, mori. In hac, finis vnius, initium alterius; cupitum habeo? aliud cupio, & fit series infinita. Quis consulatum aut magistratum libens deposuit vnquam? nemo istorum est, qui continuis consulatibus longum quendã & sine discrimine annum facere, atque statuas & inscriptiones ponere, non velit. *Videatur ambitio magni animi,* inquit Seneca lib. 1. de irâ, in fine. *non est contenta honoribus annuis, si fieri potest; vno nomine occupare fastos vult, per omnem orbem titulos disponere. Omnia ista non refert in quantum procedant, extendantque se; angusta sunt, misera, depressa.* Insatiabilis quippe est ambitio; non expletur: instabilis est, sicut & omnis alia cupiditas, quia incipit semper à fine: gradum in quo consistat, nescit, altiores spirat, ad quos euolet.

2. Tritonius amnis.

Finxerint Poëtæ amnē tritonio, qui in Hyperboreis est, ablutos, plumis subortis in aues verti, vti cecinit Ouid. 15. Metamorphos.

Cùm Tritoniacam nouies subiere paludem.

Absque figmento verè dixerim, eos qui ambitionis aquis innatant, alas animo concipere, quarum remigio, magnificum de se sentientes, ad amplissimos honorum & dignitatum gradus peruolent; nec sentiunt se in feras demutari, neque instantem ruinam. Siquidem, vt ab Euripide apud Stobæum rectè pronuntiatum est; in sublime elatum, splendidis gloriantem opibus ac genere; superciliòque supra sortem suam fastuosum, celer diuinitùs vindicta sequatur. Sic Nabuchodonosorem legimus Danielis 4. in quo sibi maximè placuerat, pessundatum: imaginationis ille suæ, & ambitionis, spatijs, ceu alis quibusdam magnæ & proceræ arboris, longè lateque, cælo soloque effusis, vniuersi orbis imperium sẽ complecti opinabatur, at cor eius ab humano commutatur, & cor feræ datum est ei. Ita degenerant quæ magna putantur; & vt calx aquâ perfusa dissoluitur, & in fumum & in puluerem abit, ita ipsimet ambitionis amnes, quos perfuderint, quos extulerint, deprimunt & extinguunt, & homines priùs, quàm altiorum fastigiorum sitim. Maiora enim continuò spirat Ambitio, cui vt Chamæleonti apud Plin. pulmo maximus, nihil aliud intus, ventoque gloriolæ, quã auidissimè captat, pascitur, nec tamen restinguitur æstus eius, sed accenditur, venenatis quibusdam animalibus in hoc deterior, quod illa vento & aurá viuant, famem sitimque sedent, si libero cælo fruantur. Ierem. 14. *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones,* inquit. Quia enim dracones ab æstu naturali, interno vehementiùs flagrant ardore, in speluncis frequenter degunt, inquit D. August. in psal. 148. quoque ipsum temperent, quum humiditatem in aere senserint, magnis alarum remigijs, in altum se librant. Hos Isidorus siti exarescere præ nimio naturæ æstu, scribit, quam cùm pleno aquarum haustu explere nequeant, hianti semper ore ventos & auras captant: quas vt copiosiùs hauriant; in inflata ventis nauium carbasa, tanto plerumque feruntur impetu, vt ipsa nauigia euertant, & subruant. *Ita ambitio, mater hypocrisis,* inquit D. Bernard. epist. 126. *latebras amat, & tenebras quærit lucis impatiens. Ambitio spurcum vitium, in imo iacet, videt tamen omne sublime, sed videri ipsa refugit: nec mirum, optato namque necesse est careat, nisi caueat arbitros.* Effert se tamen, & aquis communium dignitatum quas nacta fuerit, inexplebilis, vltrà se profert, atque vbi plus venti honoris, amplitudinisque esse cognouerit, anhelo spiritu istam auram trahens, magno inuolat conamine, præcipitari quàm cedere parata. Quid est quod Iul. Cæsarem, quum iam alpes transisset, & præter Oppidulum quoddam barbaricum, paucis & miseris hominibus habitatum iter faceret, amicis per iocum ex ipso quærentibus, an & hîc de magistratibus essent contentiones, ac de principatu certamina, & potentium æmulationes, seriò respondere compulit, Malle se hîc primum, quàm Romæ secundum esse, nisi ambitio? Plutarch. in Cæsar. & in Apopht. Regum. Quid Agrippam mouit vt diceret, hunc esse morem Principum, vt nolint habere quenquam se potiorem? Ambitio. Xiphilinus in Augusto. Quid est quod Franciscus primus Gallorum Rex, pacem cum Carolo V. Imperatore factam, non diuturnam asseruit: nam nec ille parem, inquiens, nec ego superiorem ferre possum, quod & de Pompeio & Cæsare Lucanus tradidit: istud fecit ambitio: Ægidius Corrozetus, de dictis & factis eius. Cœca ambitio, quæ incensa cupiditate eius quod intendit, quæcunque deteriora euenire possunt, negligit. Notum illud Agrippinæ Neronis matris, quæ cùm sibi natam ad Imperium prolem parricidam ex Astrologo didicisset, exclamauit ἀποκτεινάτω με, μόνον βασιλευσάτω. *Occidat, dum imperet.* Sueton. & Xiphilin. Semper summa petit ambitio, non contenta mediocribus. *Adijce nunc,* inquit Seneca epist. 73. *quòd nemo eorum qui in Republicâ versantur, quot vincat, sed à quibus vincatur, adspicit: & illis non tam iucundum est, multos post se videre, quàm graue aliquem ante se. Habet hoc vitium omnis ambitio, non respicit. Nec quid habet numerat, tantùm quod non habet optat,* vti alius cecinit. Sicut enim qui salsamentis vescitur, potum in potum haurit, ita qui dignitatem aliquam assecutus, in aliam & aliam accenditur, suffurantur illæ se inuicem, velut esca, escam, donec ascensu summa fastigia contingantur, quorum saturitas, casus; qui ista consequitur, haud secus ac summam corporis sanitatem, ægritudo. Quantò enim altiores esse nobis videmur, tantò lapsus vicinior imminet, atque frequentior, sicut dixit Horatius lib. 2. Carminum Od. 10.

Nabuchodonosor.

Ierem. 14. Dracones æstibundi.

Iul. Cæsar.

Agrippa.

Franciscus Gall. Rex.

Ambitio cœca.

Agrippina.

Sæpius

Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Ambitionis varia vis.

3. Ambitio radix iniquitatis.

AVdax & timidum, superbum ac humile vitium, Ambitio: hanc Timon apud Stobæû malorum elementum, sicut & auaritiam vocabat; quòd ex horum vitiorum fonte, cætera omnia vitia manare viderentur. Hæc Diuo Bernardo serm. 6. in psal. Qui habitat. *Radix iniquitatis, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminis fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem.* Animum aduerte his quæ subijcimus, & in hac dolosâ gloriæ, honoris, & dignitatum aucupe ambitione, omnem istam odiosam malorum seriem inesse deprehendes. Audax est, non terretur confragosa in fastigia dignitatum viâ, audet per difficiles & arduos tramites adire, quæ in rebus humanis eminere putantur. Vnde factum est, vt plures se scelere contaminarint Imperij cupiditate. Abimelech, vt solus imperium teneret, septuagintâ fratrum suorû cæde se polluit, Iudic. 9. Absalon arma in Dauidem patrem mouet, regiâ & regno ipsum expulsurus 2. Reg. 15. Adonias, viuo adhuc parente, regnum eius attendat inuadere. 3. Reg. 1. Athalia, regnandique libidine, semen omne regium interfecit. 4. Reg. 11. Bladus Dracula, vt sibi stabilem principatum Moldauiæ redderet, viginti hominum millia occidisse fertur, eosque tam infantes quàm adultos palis suffixisse, Chalcocondylas lib. 9. Sæuo parricidio Romulus, Remum fratrem occidit, vt solus regnaret, quod & cecinit Lucanus lib. 1. de bello ciuili:

Abimelech. Absalon. Adonias. Bladus Dracula. Romulus.

Nulla fides regni socijs: omnisque potestas
Impatiens consortis erit: nec gentibus vllis
Credite, nec longè fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Herodes. Herodes, vt regnum retineret, nedum alienam, sed etiam propriam sobolem iugulauit, quod quum audisset Augustus, meliùs Herodis porcum esse quam filium pronuntiauit Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 4. Est & in hoc genere molestum, quòd in magnanimis, & sanctissimis, sæpius incidit potentiæ cupiditas: adeò non ferè quisquam est qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam: *Cupidi quidem sumus ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes*, inquit D. Bernard. serm. 4. in ascensione Domini. *Nobiles enim creatura sumus, & magni cuiusdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait*, Isa. 14. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Heu miser! In lateribus Aquilonis? frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiæ. Quanti tamen vsque hodie fœda sequuntur infeliciaque vestigia; imò verò quàm pauci euadunt, quibus non dominandi libido dominetur?* Non est verita duorum Apostolorum sanctorum castissima pectora, ad principatus in Collegio Apostolico petitionem commouere, ad læsionem vsque caritatis & cæterorum indignationem: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Matris interponunt affectum, ignaram mysterij tantæ petitionis submittunt mulierem, *Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.* Qui tamen horum ambitionem, aliâ ambitione calcabant: adeò *Rarus est, quem non prosternat ambitio*, vt inquit D. Ambros. serm. 8. in psal. 118. & super Luc. cap. 4. de 3. Christi tentat. *Quòd si is qui Deum quærit propter fragilitatem carnis, & mentis angustiam sæpè tentatur: quantò magis qui sæculum quærit? obnoxius est? Atque hoc ipso perniciosior ambitio, quòd blanda quadam est conciliatricula dignitatum, & sæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos. Subtile malum, secretum virus, quod occultâ peste* cor ipsum corporis mystici, hoc est, sanctiores quoque & Ecclesiasticos inuadit, vbi commoratur vt *tinea*, vnde D. Cyprian. de Ieiunio, & tentat. *In sinu Sacerdotum ambitio dormit*, in corde sacratorum hominum nidulatur, *ibi sub vmbrâ recubat, in secreto calami sese fraudulenter occultat, doli artifex*, vt ex se, & non ex arbitrio summi Creatoris regnent hi, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam diuinitùs vocati, sed suâ cupiditate accensi, culmen regiminis, rapiant potiùs quàm assequantur, vt scribit D. Gregorius in Pastorali, à D. Bonauenturâ in pharetrâ cap. 24. citatus.

Isa. 14.

SS. Iacobus & Ioannes principatus ambitione tentati. Matt. 20.

Sacerdotes.

4. Ambitione tentati Angeli.

Cæteriúmne in solos audet mortales, quos propagationis culpa, pronos in aucupium potestatis fecit? imò verò, *liuoris illa parens, & vitiorum origo*, pulsauit & Angelum adhuc stantem, pulsauit hominem rectum, & non alienis, sed suis viribus submisit, vnde D. Bernard. *Potestatis ambitio, Angelum felicitate Angelicâ priuauit: scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloriâ spoliauit. Non Euam ei. ... deflexerat, non mandatorum destituerat obliuio, sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit.* Et quia terminum nullum habet, vt inquit Seneca epist. 84. tam solicitâ ne quem ante se videat, quàm ne post se alium, ipsum Dei filium non est est aggredi verita, regnorum omnium huius orbis imperia promittens, si se adoraret, si coleretur ab eo. Casum illa priùs suggerit, quàm præualeat, nec impetrat, suadet nec persuadet, cur autem suadeat, est, quia omnis vis eius in casu est. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*, Mat. 4. cadit vt adsurgat, adorat vt adoretur: cadit humiliata *mater hypocrisis*, ex quâ velut ex vlcere putrido sanies ac putredo, omnia peccata ebulliût, vt inflata erigatur superbè: prosternitur, curuaturque vt camelus ad onera, vt, ceu asinus mox admissa in sedem sibi de, dignitatum onusta officijs adoretur. *Habet enim forensem gratiam, domesticum periculum*, inquit D. Ambros. super Luc. 4. *& vt dominetur alijs priùs seruit: curuatur obsequio, vt honore donetur: & dum vult esse sublimior, fit remissior, cùm in ipsâ potestate, quod præcellit, alienam fit: legibus enim imperat, sibi seruit.* Ideoque exclamat D. Bern. lib. 3. de consideratione. *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places! nil atrociùs cruciat, nil molestiùs inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotijs eius.* Infelix ambitio, & cauenda gloriæ cupiditas, eripit enim libertatem, pro quâ magnanimis viris, omnis debet esse contentio, inquit Tullius Officior. 1.

Matt. 4.

Eapropter Seneca epist. 84. *Relinque*, inquit, *ambitum, timida res est, vana, ventosa* vt res quidem inanes, spiritus distendit stultos ambitio. *Timida est ambitio*, inquit Cicero pro Milone. *& sollicita cupiditas magistratus.* Metuit, nedum quæ palam reprehendi, sed etiam quæ obscurè cogitari possunt; semper pauida, semper anxia, ne, quem demereri vult, offensum reddat: & in Rhetoricis, Ambitio, inquit, multos mortales falsos fieri cogit, aliud clausum in pectore, aliud linguâ promptum habere, amicitias, inimicitiasque non ex re, sed ex commodo suo æstimare, magisque vultum quàm ingenium bonum habere. Chamæleonti similis est, de quo Plinius natur. hist. lib. 8. cap. 33. Ipse celsus hianti semper ore, solus animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento: mutat colorem subinde, & oculis, & caudâ, & toto corpo-

Chamæleon.

re: redditque semper quemcumque proximè attingit, præter rubrum, candidumque. Defuncto pallor est. Nullum animal pauidius existimatur, vt scribit Gesnerus, ideóne varius illi color, & in momento mutabilis? an potiùs vt Ioan. Vrsinus,

Non timor, imo[l]ibus, nimirum limpidus aër,
Ambo simul vario membra colore notant?

Sicut etiam testatur Ouid. 15. Metam.

Id quoque quod ventis animal nutritur & aurâ,
Protinus assimilat, tetigit quoscumque, colores.

Ita ambitiosus, quia gloriolis & auris popularibus alitur, eiusmodi semper fumos captat quibus inflatur miser, variumque in commodum suum, assumit ingeniū. Namque, vt Innocentius de vilitate conditionis humanæ, inquit, *Ambitiosus semper est pauidus, semper attonitus, ne dicat quod displiceat. humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur & obsequitur, cunctos honorat, vniuersis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, adsurgit & amplexatur, applaudit & adulatur.*

5. Isti sunt ambitiosi colores; candorem nescit simplicitatis, innocentiæ, & veritatis, nescit rubeam charitatis vestē, *linoris parens*: & omnibus omnia fieri dū studet, in plures se vertit formas, quàm Protheus. potentiorum limina terit, fauorem sibi conciliat, sollicitat blanditijs, & *Ancipiti obsequio dominos alternos oberrat*, vt inquit Pers. Saty. 5. fidem mentitur & amorē, donec feram, in quá sibi placeat. & à quá tandem pessundetur, venatu sit consecutus. Nāque, vt Verinus inquit,

Quo maior ciuis, maior solet esse ruina:
Magnaque liuorem, gloria sæpè parit.

Inde verò mores barbari, inferiorū proculcatiò, parium contemptus, superiorum dedignatio, honoris & adorationis exactio, etiam per contumeliam; inde tumor & elatio, affectatioque superba potentiæ. Æmulorū calamitatibus gaudet, nullius malo compatitur, nulli promissa se debere putat, nisi pro sua libidine nulli gratiam refert, sed omnes pariter, aut beneficio indignos iudicat, aut negligentiâ præterit: nōnullos odio compensat; sed in odio gratiam fingit, & dissimulat iram: præter principem aut regem, nullū alium obseruat aut veretur: sed ne hos quidem, nisi aut metu, aut pro compendio. *Papæ, quàm homines mali, vbi fortunam nacti sunt prosperam, contumeliosi fiunt, tanquā semper fortunatè victuri!* inquit Euripides.

Ambitio ærugo virtutum. Quid? quod, vt superbia bonis operibus insidiatur vt pereat, inquit D. Augustinus in regulâ, virtutum quoque ærugo? sit ambitio. *Videte fratres*, inquit D. August. homil. 8. in Ioan. citatus à B. Iordane de Saxoniâ nostro lib. 2. Vit. fratr. c. 9. *quanta operâ, & quàm similia & paria charitati facit superbia. Pascit esurientem charitas, pascit & superbia: vestit nudum caritas, vestit & superbia: ieiunat caritas, ieiunat & superbia. Sepelit mortuos caritas, sepelit & superbia: omnia opera bona qua vult facere caritas & facit, agit contrà superbia. Caritas, vt Deus laudetur; superbia, vt ipsa laudetur.* Et de ambitione Petrus Blesensis in epistolâ quadam ad Clericos Henrici regis directa, indicatus ab Holkot, in 1. cap. Sapientiæ lectione 5. *Ambitio est quadam simia caritatis: caritas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Caritas benigna est pauperibus, Ambitio verò diuitibus. Caritas omnia suffert pro veritate; ambitio pro vanitate. Vtraque omnia credit, omnia sperat, sed lōgè dissimili modo: hæc ad gloriam huius vitæ, illa ad gloriam sine fine.* Et infra. *Omnes qui militant in castris ambitionis, capti sunt à Naas Ammonita, dextrosque oculos amiserūt. Prospicientes enim sunt in acquisitione temporalium, iacturam verò vitæ, & imminentia mortis æternæ supplicia, non attendunt.* Miserum fumi euanescentis ambitum, qui mellificas alioquin actiones necat, dum bonis operibus insidiatur, vt pereant, vt in ventū, inanes abeant, quas, non ambitiosa caritas, suâ virtute firmat. Hinc D. Ambros. lib. 10. epist. 84. *Inflatio ergo & ambitio, & propriorum bonorum superba defensio, possunt destruere eleemosynas, possunt exinanire martyria: si & humanas opes amore quis humanæ laudis effundat, & sæua supplicia, non eâ fortitudine quam Deus tribuit, sed eâ quam de se præsumpsit, excipiat. Hoc est enim propriâ fiduciâ inflari, hoc vanam gloriam quibuslibet ambire dispendijs: hoc postremò est, nolle habere quæ Dei sunt, & ibi suum constituere meritum, vbi diuinum cessauit auxilium. Hæc superbia omni peccato nocentior, omni genere est elationis insanior. A quibuslibet lapsibus delictorum facilè surgitur: quando opem à reparatore suo poscit elisus. Huic autem ruinæ, nihil subuenit, quia aut difficilè peccatum suum superbus agnoscit, aut etiam si intellexerit, non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur: nec vnquam ibi proficit cura, vbi morbus est ipsa medicina. Ex remedijs morbos creat.* O doxa, doxa, exclamat cum Sapiente D. Bernard. de cōuersione, ad Clericos cap. 12. *in millibus mortalium nihil aliud quàm aurium inflatio vana. Et tamen quaenam putas infelicitas?, hæc ipsa non tam felix vanitas, quàm vana felicitas parit? Hinc namque cæcitas cordis, vti scriptum est,* Isa. 3. *Popule meus qui te beatum faciunt, in errorem te inducunt. Hinc ceruicosus furor animositatis: hinc suspicionis labor anxius, hinc liuoris crudele tormentum, & clementis inuidiæ miserior, quàm miserabilior cruciatus: hinc diuitiarum amor insatiabilis.*

Isa. 3.

6. Ambitiosis dignitatem consecutus, venalis est.

Quisquis enim ambitiosus adeptā dignitate, laborum egressus est angustias, nullum deinceps eius obsequium gratuitum est, sed, omniaque venalia habet, & cum nouo honore mutatis moribus, quæ retrò sunt oblitus, in anteriora tendens, priora sua contemnit, vlteriora concupiscit, auaritiaque contractus, ad prædam, strepitumque lucri, omnia vertit, fide parcus, verborū prodigus, blandus pariter & insidiosus, sermone obscurus, & oraculorum instar ambiguus. *Ambitiosus statim vt est ad honorem promotus*, inquit Innocent. lib. de vilit. condit. huma. *in superbiam extollitur, in iactantiam effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse, præsumit se meliorem, quia cernit se superiorem, priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum auertit, ceruicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, arrogans, grauis, & importunus.* Hospites, propinquos, socios, ex quibus nulla lucelli spes, tanquā steriles arbores despicit: pristinos sodales, si quis eorum occurrat, præterit, quasi nō norit quidē. Si quis eius opem implorarit, hūc verbis & promissis abundè pascit, promittit multa, pauca præstat, & nisi sit quod emungat, auxilio destituit, vel causâ spoliat: atque ita, vt diuerbio dicitur, Honores mutāt mores: rarissimè in meliores, sed, vti cecinit quidam:

Optimus esse soles, te fecit honos meliorem,
Æstimo, quòd fies de meliore bonus.

Athenion, inquit Ioan. Berclaius in Icone animorum cap. 12. tamdiu mores ad publicū probitatis exemplum componēs, quamdiu in Academiarum spatijs inter famem & cētones pro virtute dicebat, nactus tyrannidem, statim cum viliori pallio etiā philosophiam excussit. Abdolominus quotidianū victum ex hortuli cultu quærere suis manibus assuetus, cùm destinaretur ad Sidoniorum regnum, optauit vt quā modestiā inopiam tulerat, eā sceptrum pati posset.

Psal. 48. Peruertunt namque iudicium, secundum illud psal. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* De quodam nobili adolescente proditum legimus, qui, præceptori suo, cui liberalibus disciplinis instruendus, erat traditus, ira addictus erat, vt Præstites omnes cœcos appellaret, qui cum aliquo beneficio Ecclesiastico, non donarent: qui

tandem ad Episcopatum euectus, & ipse oblitus est didascali sui. Cæterùm non defuit exprobrator pædagogus, is enim in vrbe aduentanti, multis luminibus accensis, processit obuiā; & sciscitāti, quid istic esset rei? reposuit: quia, vt video, cœcus es, vt ceteri, ideò his tibi facibus accensis præco. Habuit & alius quispiam ad amplissima munera adsumptus, familiarissimum quendā in suā obscuritate, qui grandigrado homini factus obuiam, quæsiuit ex eo, sociúmne & familiarem suum cognosceret? cui ille, sed nec meipsum.

Arduum est bibisse ex hac vitiorum scaturigine, & non inflari: arduum bonæ mentis esse, qui de hoc temulentiæ fonte potarit. Saul, qui coram Domino, filius vnius anni erat quū regnare cœpisset. 1. Reg. 13. elatus potentiā, pessimus euasit contemptor Dei. Ambitio Hieroboam ad idola conflanda peruertit. 3. Reg. 12. Nabuchodonosorem ad impias in cælum voces mouit. Dan. 3. *Et quis est Deus, qui eripiet vos de manu meā?* Ambitio hæreticos peperit. Theobules, siue Thebulis apud Euseb. Ecclesiast. hist. lib. 4. cap. 21. aut 22. ambit Episcopatus repulsā passus, auctor vnius ex septē hæresibus fuit, ex quibus erat & Simon, à quo Simoniani. Nouatus præsbyter, tumore, ambitione, & gloriæ cupiditate immēsā correptus, nullo nō modo frustra lapide, vt Romanæ Ecclesiæ gubernacula consequeretur, ab ipsā defecit; Nicephor. lib. 3. cap. 8. Arrius Antistitis honore frustratus, factus est hæreticus. Aërius, doluisse fertur, quòd Episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresim lapsus, noua quoque addidisse dogmata: D. August hæresi 53. ad Quodvult Deum. Omitto Caluinum Hæresiarcham, aliosque innumeros.

1. Reg. 13.

Daniel. 3.

Theobules hæreticus.

Nouatus.

Arrius.
Aërius.

Caluinus.

Veruntamen, nunquid qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat? 3. ad. Timoth. Nūquid Episcopalis dignitas sancta, ad quam, ab Episcoporum fonte & origine, pastore verò animarum nostrarum Christo, euecti primùm Apostoli, quibus successere, & succedunt reliqui omnes Orthodoxi, quemadmodū & septuaginta duobus discipulis, omnes inferioris ordinis præsbyteri? Sicut enim in Apostolis forma est Episcoporū, sic in septuaginta duobus discipulis forma est præsbyterorum secūdi ordinis, Gloss. in Luc. 10. D. Thom. 2. 2. quæst. 184. art. 6. ad 1. & quæst. 187. art. 4. ad 5. & 3. part. quæst. 67. art. 2. ad 2. Cur ergo ab huius boni prosecutione fræuandus animus? Scilicet, ne quod inde sibi accersat malum. Non enim citra capitis vertiginem, cuiuis ad altiora conscensus datur. Non omnis esca eadem omnibus, citra noxam; hyoschyamo vescuntur passeres innoxiæ, homini exitio est. Et ex Io. Baptista Porta, rhodophane, folijs & floribus, iumentis omnibus perniciosa est, homini verò contra serpentes, præsidium: veratrum & cicuta homini pestifera: illo coturnices; hac sturnos vesci constat, vnde Lucretius:

7.
Episcopalis dignitas sancta.

Non tamen cupide expetenda.

Quippe videre licet pinguescere, sæpè cicutā
Barbigeras pecudes, hominumque est acre venenum,

Et de veratro alibi.

Præterea nobis veratrum est acre venenum;
At capris adipes, & coturnicibus auget.

Serpentes Ciconijs, Ceruisque cibus iucundus, quibus alia animalia enecarentur: ita non cuiuis commodi fasces & sacerdotia: ad Hebr. 5. *Nemo assumit sibi honorem sed qui vocatur à Deo, sicut Aaron.* Et l. 30. §. Tantū ab ambitu. C. de Episcopis & Clericis, cauetur appetitio dignitatum, vt qui quæsierit, illis indignus repellatur, assumatur inuitus, *Tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat.* Et c. sicut is qui. 1. quæst. 6. ab eā quam quis appetierit, potissimū si spiritualis sit, eo ipso indignus eā iudicandus, & repellendus dicitur, quum nec à merentibus quidem peti debeant, sed potiùs offerri. Gedeon oblatum principatum, magno animo recusauit. Iudic. 8. D. Ambrosius, vt Sacerdotij Mediolanēsis onus à ceruicibus suis auerteret, laborauit, sed præualuit offerentium adfectus, Valētiniani Imperatoris auctoritate probatus. D. Gregorius Magnus, ne summum Pontificium susciperet, latuit, & datis ad Mauricium Imperatorē supplicibus literis, ne ratam vellet esse electionem, extractus est columnæ lucis indicio, & Imperatoris beneplacito, sūmi sacerdotij apice decoratus est: signa illa sunt administrationis rectæ futuræ, nemo enim bene imperat, inquit Plato, nisi qui coactus imperat: non illum tristis tyranni minæ à recto mouent; non principum fauor emollit, nō munera frāgunt. Felicia sæcula, in quibus ad dignitates aditus, fuga; & ambitio fuit repulsa; Sozomenus lib. 8. cap. 1. Ammonium refert, virum summā eruditione spectabilē, nullis vnquā precibus adduci potuisse vt oblatum Episcopatū assumeret, quumque vinci videretur, sibimet abscidisse auriculam, quò istā mutilatione, tanquā ad diuina mysteria conficienda inidoneus, instātium preces compesceret, qui nisi temperarent, vrgētes, nō ad corporis, sed ad animæ præcipuè mutilationem Deū inspicere, etiam linguæ propriæ cędem comminatū. Magnúmne iam dixeris qui quæsitas dignitates susceperit, an qui sic respuerit? Sciebat eiusmodi fastigia nō vacare periculo, quæ licet captantes se onerent, fugientes honorent, solicitudinem habent periculosiorem, quod à Gaufredo Clareuallēsi renuntiatū, qui se in beatorum sortem translatū significauit, in barathrum aliàs præcipitandum, si Episcopatum acceptasset, Elegāter D. August. epist. 148. ad Valerium, & habetur dist. 4. can. ante omnia agens de statu & officio Episcopali. *Nihil, ait, hoc officio facilius apud homines, lætius, & acceptabilius, si perfunctoriè res agatur: sed nil apud Deum, tristius, periculosius & damnabilius reperiri potest: contrà, si bene administretur nihil apud homines operosius & laboriosius, sed apud Deū, nihil facilius, lætius, honestius, & salubrius esse potest.*

Gedeon.

D. Ambrosius.

D. Gregorius

Imperat recto bene à coactus.

Ammonius.

Gaufredus

Procurritur interea sine discrimine vllo securitatis & periculi, & dignitatum, beneficiorúque Ecclesiasticorum, cathedrarum, thronorumque ambitione, perditissimè insaniunt homines. Largitiones in plebem fiunt, aulicorum, penes quos potestatis & dignitatis arbitrium, auro inungūtur manus; aurum quod per auaritiam latuit, in mox maiorem, funditur, auaritiā: quæritur sūmis dignitas, ad thronos, ad tribunalia, ad catqedras, per gradus aureos argēteósve ascēditur à pecuniosis, qui nec Bartholum, nec Baldū, nec Iustinianum salutauerint vnquam. Vix aurē est, qui illicitā cupiditate magistratus & potestatē ambierit, vt postea non nundinetur illicitè, & mercaturā eiusdē nō exerceat fœdissimā, vt inquit Petrus Greg. l. 36. Syntagm. iuris vniuersi. c. 29. num. 1. scitum illud Iuuenal. Satyr. 14.

8.
Beneficia & dignitates qui emunt, etiam vendunt.

Contra vendentes & ementes dignitates & beneficia.

——— peregrina ignotaque nobis
Ad scelus, atque nefas, quodcunque est, purpura ducit:

Quò fit, vt iurisdictionis ordinariæ potestatem, quam quis suo, non aliorū beneficio habere debeat. l. more maiorum de iurisd. om. iud. in P. nō suo, sed alieno beneficio teneat, quia pecuniā datā illam consequitur. Itaque profusa est in ambitionem auaritia, profusaque in auaritiā ambitio; vtraque nō parcit numis, vt erepta pretio dignitate, pretiū faciat dignitatis, & suffragia ære demereatur immeritus, quod admonitum voluit Claudianus in 3. Honorij Consulatu; in hanc sententiam canens:

Hebr. 5.

Tradit auaritiam, enim sæuissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusque potentum
Excubat, & pretijs commercia poscit honorum.

Iul Cæsar.

Quæ lues olim ita grassata est, vt Iulius Cæsar ipse, qui profusissimâ largitione, prætermissis ijs qui & ætate & dignitate antecederet, Pontificatum adeptus est, cõperto tandem, qui inde nascebatur, abusu; vt & nundinationibus istis viã obstrueret, vt seditionum irritamenta efficacissima rescinderet, vtq; muneribus publicis dignos præficeret, legem Iuliã de ambitu dixerit, quã & ius suffragij, in Magistratuũ & Sacerdotũ electione, populo adueniт, & illud in se trãstulit, teste Modestino. l. 1. ad le. Iul. de ambitu in p. Subsecutus

Octauius.

Octauius, qui Dione Cassio auctore l. 45. anno. V. C. 736. legem tulit, vt qui largitionibus factis Magistratum ambiuisset, ab eo in quinquenniũ arceretur. Sed & lib. 36. tẽpore expeditionis Pompeianæ contra pyratas, Consules lege de ambitu,

Consules.

sanxisse narrat, vt qui eius cõuictus esset, nec Magistratum gerere, nec cum Senatoribus ei sedere liceret, insuperque pecuniaria ei mulcta irrogaretur. Caij Petulij Trib. plebis. Cintij Calphurnij Muneral. Pauli Æmilij Cos. Licinia. Ebutia. & eã, quæ Pompei Magni lex est, dantes huiusmodi, & accipientes, graui damno, & pœnâ mulctantur. Et Q. Coponium inuenimus ambitus damnatũ, inquit Plin. lib. 35. cap. 12. quia vini amphoram dedisset dono ei, cuius suffragij latio erat.

Dignitates non adeũdæ pecuniâ.

In eas impingunt leges, qui ad munus aliquod politicum, siue Ecclesiasticum conseque̅dũ pecuniâ, aut illicitis artibus, eorũ, qui ius habẽt, suffragia, aucupantur. Nõ desunt interea hodie quoque plurimi in ciuitatibus, qui omnium, quoad fieri potest, sũmæ, mediæ, infimæ sortis hominũ, gratiam aucupari studeant, inquit Guilielmus Stucpsius lib. 1. antiquitat. conuiuialium. fol. 16. hocque pacto viam sibi, aditũque ad quoslibet honores, atque munera cũm Ecclesiastica, tũm politica muniant. Quum tamẽ, vt verissimè Plautus, Virtute ambire oporteat, non fautoribus. Cato, grauissimus morum Censor quum L. Muræнam Cos ambitus nomine accusasset, inter alia, hoc illi quoque obiecit, quod spectacula tributim dedisset, & ad prandium vulgò multos vocasset, quo, nimirum, faciliùs Cõsulatum adipisceretur: non enim cibo alliganda est beneuolentia, neque iudicia hominũ, in decernẽdis Magistratibus, vel sacerdotijs, corrumpenda voluptatibus, nõ euertenda muneribus; & tamẽ, hac potissimũ ratione hodie multi Christianorũ sũmos honores atque dignitates cõsequi student. *Videas homines pecuniosos ad honores quosque Ecclesiasticos peruolare*, inquit D. Bernard. homil. 4. super Missus, *moxque applaudere sibi sanctitatem, vellium dumtaxat mutatione, nõ mentiũ: & dignos se existimare dignitate, ad quam ambiẽdo peruenerunt: quodque, si audeo dicere, adepti sunt nummis, attribuere meritis.* Huic corruptelæ vt obuiam irẽt, vo-

Theodosius & Valentinianus.

luerunt Cæsares Theodosius & Valẽtinianus, ad regendas prouincias homines accedere, qui ad honoris insignia, nõ ambitione, vel pretio, sed testimonia probatæ vitæ promoti sint, iurareque eos pro administrationibus sortiendis, neque dedisse quidpiam, neque daturos postmodũ fore, siue per se, siue per interpositam personam.

9.
Munus pro re spirituali quomodo accipi possit.

Adducat qui volet, ob honorem consequendũ, pollicitationem in iure esse validam. l. 1. §. 1. & l. toties. 6. de pollicit. Nam etsi istud ita sit, quum vel ei qui Magistratum consequitur, vt consequi velit, datur: vel is qui cõsecutus est, ex animi beneficẽtiã, spõte largitur, quomodo citra simoniæ metum, pro re spirituali, sine pacto dari & accipi munus oblatum potest. c. quidquid. 1. quæst. 1. nõ minùs tamen in secularis, quàm in Ecclesiastici Magistratus procuratione, largitionibus crimen

Iudicis officium emẽs, Simoniam committit.

cõmitti certũ est, cùm nõ sine simoniæ labe, sacra & spiritualia, & dona Dei, vendi possint. c. 1. 2. & tota 1. q. 1. Est autem sacra res iustitia, quam qui tractant, sacerdotes dicũtur. l. 1. de iustit. & iure. atque iudicis officiũ & fides, religio appellatur. l. 1. si ex fals. alleg. excus. sit tutor; Et iurisdictio spiritualis est. ca. ex multis. ca. non solũ. ca. vẽdẽtes. 1. q. 3. Quapropter Iosaphat. 2. Paralip. 19. *recipiens iudicibus: videte, ait; quid faciatis. Nõ enim hominis exercetis iudiciũ, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit.* Et Moises Deut. 1 quomodo acceperat à Deo iustitiã, iudicibus à se constitutis cõmittens, ait: *Nec accipietis cuiusquã personã, quia Dei iudiciũ est:* apud quẽ 2. Paralip. 19. *Non est iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerũ.* Scelerosum igitur est, superisque admodũ inuisum, iustitiam *quæ de cælo prospexit*, ps. 84. quæ diuinitùs rationali concessa naturæ est, cauponari. Alexãder Seuerus Imperator, vt auctor est Lampridius in eius vitã, nunquã honorem iuris & gladij vendidit, dicẽs, *Necesse est, vt qui emit, & vendat: & ego non patiar mercatores potestatem, quos si patiar, damnare non possum, erubesco enim punire eum hominem, qui emit & vendit.* Iustè sanctèque pronunciatum, & obseruatũ, ne locũ ambitioni simoniacæ, & auaritiæ daret, aut iniuriã sibi irrogaret, si non virtute, sed licitatione iudices sortiretur: cùm enim illi sint pars corporis principis. l. quisquis. C. ad leg. Iul. Maiest. turpe est, si nõ gratis, vt debet, sed accepta pecuniâ, vel ipsi probitati, locum in corpore suo faciat princeps. Nam si quis ab eo qui iuris & iurisdictionis dandæ potestatem habet, iustitiam emerit, cõsequens est, vt dum de damno euitãdo, & lucro captando laborat, eiusdem mercaturam faciat cùm non maior in emendo quàm in vẽdendo, religio esse putetur, cùm sint reciproca: indeque fit, vt cũ indepti magistratus sumptus quæritur, prædo grassetur. c. militare. 13 qu. 1. Viderint autẽ illi, sed viderint, apud quos iustitia (quæ ex Hesiodo, *Virgo est Ioue prognata, Casta & veneranda Dijs cælicolis*, quæ Platoni in Protag. *Sancta.*) nil aliud quàm publica merx est, num in ista negotiatione, aliqua numaria vel ambitionis commutatio, cum animæ detrimento comparanda videatur.

2. Paralip. 19.
Deut. 1.
2. Paralip. 19.
Psal. 84.
Alexander Seuerus.

Vt superari possint hostes hi, Diuitiæ, & Ambitio?

10.
Antidota diuitiarum & ambitionis.

HOstium istorũ impetũ elidere, non admodũ tibi difficile, si tamẽ tantisper animũ, à vanã ista caducarũ rerũ vanitatẽ subducens, ad ea quæ vera, quæ fixa sunt, cõuersus, perditioni studijsq; mortalium futilibus, ac denique incuriæ tuæ ingemueris, cũ Pambone viro sanctissimo, qui ad-

Pambo.

hortãte Athanasio Episcopo, cùm ex eremo Alexandriam venisset, vidẽs ibi theatricam mulierẽ, tum illius perditioni, tum negligentiæ suæ, quod nõ tantũ studij impenderet vt Deo placeret, quãtũ illa vt obscœnis hominibus, illacrymatus est, vt auctor Socrates hist. Eccles. l 4. c. 23. Si in animũ demiseris, id quod narrat Martinus Delrio, Disquisit. Magic. to. 1. l. 6. c. 2. sect. 3. qu 3. Fratrẽ

Fr. Tiberius.

Tiberium vitæ sanctimoniã inlustrem, anno Dñi 1599. quũ sub noctẽ fratres inuiseret, an ex more lecto accubuissent, ac triclinium præteriret, vidisse pleraque lumina, audisseque vocẽ è superiori loco legentis, atque ministros nõ paucos cõspexisse eũ verò qui superioris locũ tenebat, facto super mẽsam signo, quod adhuc hæret, tanquã cicatrix ab igne relicta sic loquentẽ intellexisse. Ambitio & crapula duxerũt nos ad tartara. Si, inquã ista seriò cogitaris, fluxũ esse & caducũ, & in pedicã mortalibus datũ, quidquid est diuitiarũ, comperies, vt propterea animus, nõ multũ ijs adijciendus sit, quemadmodum à Vate regio accepimus ps. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Si affluãt,

Psal. 61.

inquit, & rectè; nam quod fluit labitur, præterit, fugit, sedem nullã, statũque nullũ habet. Affluen-

ter illæ tuum labantur in sinum, tecum sint vsque ad vitæ exitũ, fluunt tamẽ semper, vt ipsa vita, & effluũt: neque enim nostræ sunt, vt eas ne effluãt retinere possimus. Et dabimus animũ rei alienæ? diuitijs fallacibus? Matth. 13. incerto diuitiarũ? 1. Timoth. 6. *Si Dominus Iesus propria deseruit*, inquit D. Ambros. super Luc. relatus à D. Bonauent. in Pharetrã c. 24. *tu aliena cur quæris? Si Creator omniũ, fecit gloriam subeundæ paupertatis virtute contempsit: cur tu fastidias ad quod natus es? appetas quod indebitũ est: cur ea quæ ad vsum tibi diuturna esse non possunt, ad supplitiũ diuturna deposcas?* Non sunt tua quæ tecum efferre non potest. Diuitiæ & paupertas, differẽtiæ sunt viuentium, mors æquat vtrumque. Scitissimum illud Horatij ex epist. vltimã.

1. Timoth. 6.

Quid vici prosunt aut horrea? Quid've Calabris
Saltibus adiecti Lucani? si metit orcus
Grandia cum paruis, non exorabilis auro?

11\. Quid ex tam magnis opibus secũ Crœsus? quid illi, qui immersi auaritiæ, quã totius vitiositatis metropolim esse cõstat, nullo fine cõgestas opes, Pluti carceribus ad mucorem vsque & fœdũ situ frænarunt, quæ vsu liberali puriores fluxissent, & in pauperes, & in acquisitionem cœlestis regni? *Putei qui exhauriuntur*, inquit D. Basil. in Luc. *meliùs fluunt, quibus, si suas aquas intactas relinquas, fœtorem cõtrahunt: ita etiam diuitiarum quies inutilis, motus & trãsgressus, publicè vtilis est & fructuosus.* Quid tibi, auro pictæ, quid arte laboratæ, Tyrioque ardẽtes murice vestes? influãt honores, addantur potestates, haurias indubitanter, quod cuiusque etiã deliciæ sitirent, viuas in ædificiorum exquisitissimis molibus, in nitore balnearum, in tesseris quas honestas non respuit, in venatibus: cõuiuijs quotidianis mensæ opimæ struantur, inimicus nemo tibi esse audeat: iacteris in ore clientũ, in ore ciuium, in ore denique populorum humanissimus, liberalissimus, mũdissimus, fortunatissimus: felix nõ es, sed eò maximè miser, quò tibi minimè videris: *Nihil proderunt thesauri iniquitatis.* Prou. 10. & , *Nudus ab infernã, stulte, vehere rate.* Ibi pares sunt, diues & pauper: sic Ausonius,

Prouerb. 10.

Effigiem rex, Crœse, tuam, ditissime regum,
Vidit apud Manes Diogenes Cynicus.
Constitit vsque procul, solito maiore cachinno
Concussus dixit; Quid tibi diuitiæ
Nunc prosunt regum rex ô ditissime, cùm sis,
Sicut ego solus; me quoque pauperior.
Nam quæcunque habui, mecum fero, cùm nihil ipse
Ex tantis tecum Crœse, feras opibus.

Sola misericordia fidelis est hominis comes, quæ etiam vitã functũ comitatur: cætera abeuntẽ destituunt: & quamuis amata vehementer, ingenti quæsita solicitudine, magno etiam per iniustitiã coaceruata labore, atque anxio custodita timore, magnũ est si ad tumulum vsque te nõ rediturum comitẽtur. Etenim: *Quæ sunt diuitiæ, quas non egestas, & fames, & mendicitas à tergo sequatur*: inquit Seneca l. de tranquillit. animi c. 11. *Locuples est nunquid ditior Pompeio? cui cùm Caius, vetus cognatus, hospes nouus aperuisset Cæsaris domum, vt suam clauderet, defuit panis & aqua: cùm tot flumina possideret in suo ortu, & in suo cadentis, mendicauit stillicidia: fame ac siti perijt, in palatio cognati, dum hæres publicum funus esurienti locat.* Quem iam in suo mediocriter consistere, vel in aliqua pauperie esse, non delectet magis, quã ex tãtã rei familiaris amplitudine, ad stipem, & manticam cadere.

Pompeius è uoi fame perijt.

12\. At onerosa res est paupertas, inquies, & molesta. Arcesilaus apud Plutarchum, paupertatem aiebat asperã quidẽ esse, quemadmodũ & Ithacã, sed bonã prolis nutricem, & quæ assuefaciat frugalitati & abstinentiæ, & in vniuersum, efficax virtutis gymnasium sit. Pulchrè autẽ Saluianus l. 1. de Prouident. & iudicio. Siue grauia hæc, siue leuia, animus tolerantis facit. Nam sicut nihil est tam leue, quod ei graue non sit, qui inuitus facit, sic nihil est tam graue, quod non ei qui id libẽter exequitur, leue esse videatur: nisi fortè antiquis illis priscę virtutis viris, Fabijs, Fabritijs, Cincinnatis, graue fuisse existimamus, quod pauperes erant, qui diuites esse nolebãt, cùm omnia scilicet studia sua, omnes conatus suos ad cõmunia emolumenta conferrent, & crescẽtes Reip. vires, priuatã paupertate ditarent. Nunquid parcam illam tunc, agrestemque vitã, cũ gemitu & dolore tolerabãt? cùm viles ac rusticos cibos, ante ipsos, quibus exercebãtur focos, sumerẽt, eosque ipsos capere ante vesperã nõ liceret? Nunquid ægrè ferebant, quòd auara illos à diuite conscietiã auri talenta non premerẽt, cùm etiã argenti vsũ legibus coërcerent? Nũquid illecebræ & cupiditatis pœnam putabant, quod distenta aureis nũmis marsupia non haberẽt, cùm Patritium hominẽ, quòd ad decẽ vsque argenti libras diues esse voluisset, indignũ curiã iudicarent? Non despiciebãt tunc, puto, pauperes cultus, cùm vestẽ hirtam, ac breuẽ sumerent, cùm ab aratro arcesserẽtur ad fasces, & illustrãdi habitu consulari, illis fortasse ipsis, quas assumpturi erant, imperialibus togis, madidũ sudore puluerẽ detergerẽt. Itaque tũc illi pauperes magistratus, opulentã Rempub. habebãt. Et quæ, rogo, insania est, & quæ cæcitas, vt egestuosã ac mendicãte republicã, diuitias posse credant stare priuatas? Tales ergo tũc veteres Romani erãt, & sic illi tunc contẽnebant diuitias, nescientes Deũ, sicut nunc nõ spernunt sequẽtes Dominũ. Hactenus Saluianus. *Nec tamen, maior ad pecuniæ cõtemptum exhortatio subiacet*, inquit Tertull. l. de patiẽtiã, *quàm quòd ipse Dominus in nullis diuitijs inuenitur: semper pauperes iustificat, diuites prædamnat.* Quapropter Iac. 2. *Audite fratres dilectissimi: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mũdo: diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligẽtibus se.* Vbi Glossa, *Diligẽtius attẽdite, quia nõ qui ditiores in sæculo, hi sũt meliores in examẽne diuino, & ideo nõ sunt præferẽdi.* Vbi & D. Thomas paupertatẽ multũ placere Christo aduertit, primò quia eam sibi assũpsit. 2. Cor. 8. *Quoniã propter nos egenus factus est, cùm esset diues*: tum quia paupertatis signa in sua natiuitate ostendit, Luc. 2. *Inuenie tis infantẽ positũ in præsepio.* 3. quia pauperculos parẽtes habere voluit, Luc. 1. *Missus est Angelus, &c.* quia paupertatẽ inter homines cõuersando tenuit. Matt. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autẽ hominis nõ habet vbi caput suũ reclinet.* 5. pauperes discipulos & piscatores in Apostolos elegit, pastores in patriarchas. Mat. 4. *Ambulãs Iesus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonẽ qui vocatur Petrus, & Andream fratrẽ eius, mittẽtes rete in mare: erãt enim piscatores, &c.* Gen. 46. *Viri pastores quiñ sumus.* Sextò quia regnum cælorum promittit pauperibus. Mat. 5. *Beati pauperes spiritu* 7. quia paupertatis cõsiliũ dedit. Mat. 19. *Si vis perfectus esse, &c.* Octauò, quia pauperrimus, & nudus in cruce pepẽdit. Thren. 3. *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis.* Scilicet, amica Deo paupertas est, & apud bonos residet potiùs quàm apud improbos. Cur ita? An quia, vt inquit Arist. in problematib. sect. 29 problem. 3. cùm omnes eam oderint, atque expellãt, ad probos perfugit, rata apud eos se salutem & permanendi locũ habere posse: è cõtrario autẽ, si ad prauos venerit, scit eos suo cõsortio & societate minimè cõtentos fore, sed vel furta, vel latrocinia adituros, quibus rebus futurũ, vt ipsa ampliùs apud illos manere nequeat? An quia existimat homines probos bene ipsã vsuros, idq; sibi magno decori & ornamẽto futurum? Itaque, vt nos pecuniarum deposita hominibus bonis tutò credimus, sic etiã paupertas apud homines virtute præstãtes, tutã se ac securã fore cõfidit. An libenter se ad viros bonos cõfert, quia femina est, inopsq; proinde cõsilij ac virũ; quare se illis esse com-

Pauperias aspera quidem, sed virtutis nutrix.

Iac. 2.

2 Cor. 8.

Luc. 2.

Luc. 1.

Matt. 8.

Matt. 4.

Gen. 46.

Matt. 19.

Thren. 3.

Paupertas cur apud bonos residet.

cōmendatam maximopere cupit, vt eorū prudētiâ & virtute regatur, ac defendatur. An denique quia paupertas malū quoddā est: quapropter adiūgit se ad bonos, vt malū eius, bona quæ in illis sunt, vel obruāt, vel certè mitigent? sin autē se ad malos homines cōferret, cùm ipsa quoque malū quoddā sit, ex eorū profectò societate, malū ipsa quodāmodo irremediabile, redderetur? ita Aristoteles. Vt vt sit, innocentiæ custos est paupertas; & vt Menander inquit, magistra morum; hac Apostoli vicere mundum, hac emitur regnum Dei, propriæ voluntatis paupercula pretio emitur: hanc propter, nemo vnquam tortus est: huic inuidit nemo, &, Pauperes semper existimantur ad Deos pertinere, inquit Menander.

Est innocentiæ custos.

13. Diuitiarum mores pedisequi.

In cuius vt amplexū faciliùs ruas, aspice pedisequos diuitiarū mores, quorū expers est paupertas: *Opulentia*, inquit D. Ambros. l. 1. de Abrahā, *plerūque dissidiorū & seditionū caussa; paupertas consiliatrix & altrix pacis, & cōcordiæ.* Quid D. August. serm. 110. de tēpore c. 1. *Diues est, superbus est,* inquit: *Nā & in diuitijs istis, quæ vngō appellātur diuitiæ, quibus est cōtraria vulgaris illa paupertas: in diuitijs ergò istis, nihil est sic cauendū, quā superbia morbus. Qui enim nō habet pecuniā, nō amplissimas facultates nō habet vnde se extollat.* Et Saluian. l. 7. de Prouid. *Superbia & tumor, tā peculiare diuitū regnū est, vt aliquid forsitā de iure suo se putēt perdere, si hinc sibi aliud quidquam voluerit vendicare.* Quid Aristotel. 2. Rhetoric? Diuitias qui mores sequātur, promptū est omnibus ad vidēdum, inquit: Sunt enim diuites cōtumeliosi & cōtumaces: videlicet propter diuitiarū abundātiā perinde affecti sunt, ac si bonis omnibus affluāt: siquidē diuitiæ quasi pretiū quoddā æstimationis rerū aliarū sunt; quocirca venalia omnia ipsorum esse vidētur. Diuites itē sūt delicati & arrogātes. Delicati quidē propter delicias & beatitudinis ostentationem, arrogantes autem & elati, quòd ijs bonis excellant ipsi, quæ plerique omnes vehementer concupiscunt, & admirantur; & quia se dignos esse imperio arbitrantur. Et (vt summatim dicam) quales sunt amantium & beatorum, tales quoque vidētur diuitum mores. Hactenus Arist. inde quoque Iuuenalis:

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit: & turpi fregerunt secula luxu
Diuitiæ molles.

Diuitias vir bonus ne contemnat.

Demus porrò, quòd quemadmodū ab eodem viro generoso, alij contumeliosi, alij benigniores fiunt, sic à diuitijs, alios aliter affici: & cōsequenter admittamus in eorum, quæ vera sunt, seriem illud Elisij Calentij, epistolā ad Hiaracem, totidē verbis. Diuitias ergo, ô Hiarace, neque cupio maximas: neque si mihi darentur, medius fidius, aspernarer; nam illud auarissimi esse, hoc pusillanimi vitium puto. Neque ego is sum qui opibus credā virtutes impediri, aut suggeri vitia, si viro bono & rerū non cupido gubernentur: Nam hæ quoque cū hominibus inter malū bonūque, mediæ sunt, & quasi earū rerū instrumenta homini data ad alterutrā vitā capessendā. Quibus si quis rectè, ita vt decet, vtatur, cōducūt: si malè, nō earū culpâ, sed malè vtentis nocent. Quis (nisi vesanus aliquis) ignē accusabit, quòd vrbes, quòd segetes, quod vineta deuorat? Quādo ad id negotij datus sit vt epulas coquat, tenebras fuget, vitæ auxilietur? Sed diuitiæ sunt virtutū adiumēta sapiēti, stulto verò, nōnisi vitæ exitiū. Hæc ille. Insuper Abrahā & Lothb, quorū opulētia tāta, vt terra illos capere non posset. Gen. 13 Diuitijs bene vsi sunt ad iustitiā cōparādam. Laudetur Iudithæ virtus, à diuitijs multis, quas ei vir suus reliquerat, Iudith. 8. à familiā copiosā, ac possessionibus armentis boum, & gregibus ouium plenis. Rarū istud in diuite est: fac esse cōtinuū: *quoniā ista omnia trāseūt sicut vmbra*, Sap. 5. & mūdus crastino, vel hodie, aut etiā mox, mortis iudicio, proprietatē eius, cuius tu momētaneā possessione habes, absque vllā prouocationis spe, recipiet. Sicut nāque 2. Decret. tit. 2. c. 1. legali prouisione decretū est, tā momēti quā proprietatis causā, sub vno eodēque iudicio debere cognosci parissimè diuinā prouidētiā cautū est, tā possessionis caducarū rerū, quā proprietatis causā, sub vnā eadēq; mortis sentētiā dirimi debere. Vt autē possessio, momētū appellatur, nō quia durat per momētū, sed quia parū duratura sit apud possessorē, quū actor docuerit de proprietate: & à sentētia momētaneæ possessionis secūdum l. nō appellatur. C. de momētanea possess. & 2. q. 6. §. *Sai quorū* ita caducarū opū substātia, momētanea dicitur, quòd nō diu hafura sit possessori, quū actor Mundus, iure sibi proprietatem vendicarit: neque vllus erit appellationi locus à iudicio, per quod se possessor omnibus istis exutum, nudumque inueniet.

Sap. 5.

Proprietatis & momēti diuinatio.

Hæc cùm ita sint, vt quid ad ista te sic occupatum tenes, vt in acquirendā earum rerum, quæ nunquam non adhæsura sit, proprietate, otieris. Abdica ista ad altiora natus, priusquam illa te. *Relinque ista iamdudum ad quæ discurristi*, inquit Seneca epist. 84. *relinque diuitias, aut periculum possidentium, aut onus.* Præclaro exēplo Maximilianus Cæsar, vt scribit Iacob Spieg. in Æneæ Commentaria de rebus Alphonsi. quamuis nō rarò ad eum ingens pecuniarum summa adferretur, tamen penes se eam nunquam retinuit, sed ad Quattores referri iussit, dicens, se regendis hominibus propositum, nec auri sibi custodiam demandatā: quā si quis semel capiatur, mox è rege, seruū futurum. Fac itaque te felicē, si tibi pactolus fluat, *Opum vis*, inquit Francisc. Petrarcha dialogo 53. *Anceps & onerosa felicitas, quæ pius inuidiæ sit habitura, quàm gaudij. Diuitiæ sparsæ si fuerint, decrescent, seruatæ, non te diuitem sed occupatum, non dominum facient, sed custodem. Multis mortem attulere diuitiæ, requiem ferè ab omnibus abstulere.* Et ille diues Euangelicus, qui dilexit opulentiam, nō inuenit misericordiam.

Maximilianus Cæsar.

14. Antidota ambitionis.

Iam verò contra fumantes ambitionis faces audentior ibis, si quanto, tum corporis, tum animæ dispēdio, honorum fastigia adeuntur, cogitaris. Dominus es & tui, non alieni iuris, si te nō submisit ambitio vana, quæ suos clientes seruire cogit. Iob. 27. *Gigantes gemunt sub aquis.* Et qui illi gigantes, nisi potentes seculi, fastuosi, superbi, qui nullum ambitionis suæ statuunt modū? vti interpretatur D. Gregor. l. 7. Moral c. 11. & *quæ illæ aquæ*, nisi populi, iuxta illud Apocal. 17. *Aquæ quas vidisti, populi sunt?* sub his gemere, his ancillari debēt qui principari ambiunt. Vilis animus, (etsi magnus sibi videatur) qui indecorā seruitute, primatus venatur, quos vel ipsa virtus & ingenuitas, indecenter apperat: euisceratur araneæ instar, retia texens in volaticæ capturam dignitatis, quam vel casus euertit, vel scopa mortis euerrit. *Quæ dignitas*, inquit Seneca lib. de tranquillit. animi c. 11. *cuius non prætextam & augurale, & lora patricia, & sordes comitentur, & exportatio, & notæ, & mille maculæ, & extrema contemptio? Quod regnum est, cui non parata sit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? nec magnis ista interuallis diuisa, sed horæ momentum interest, inter solium & aliena genua. Scito ergo omnem conditionem versabilem esse, & quidquid in vllum incurrit, posse in te quoque incurrere. Honoribus summis functus es: Nunquid aut tam magnis, aut tam insperatis, aut tam vniuersis quàm Seianus? Quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta diuisit: in quem quidquid cōgeri poterat, Dij hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Rex es? Non ad Crœsum te mittam, qui rogum suum & ascendit iussus, & extingui vidit; factus non regno tantum, sed & morti suæ superstes. Non ad Iugurtham, quem populus Romanus intra annum* quam

Iob. 27.

Apocal. 17.

quàm timuerat, spectauit. Ptolomeum Africæ regem, Armeniæ Mithridatem, inter Caianas custodias vidimus, alter in exilium missus est: alter vt meliori fide mitteretur, optabat. Per viã enim interfectus est: Non abs re Saturninus Ægypti rex, quem quum sui principatum suscipere cogerent, *Nescitis, inquit, amici, quid mali sit imperare, gladij pendentes ceruicibus imminent, hastæ vndique, spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur.* O curas mortalium inanes! desudant ludicris, seria negligunt, momentaneis inhiant honoribus, æternos in postremis habẽt: ô cæcitatem. Sed, *O vtinam prælati tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram!* vt inquit D. Bernard. in Cantica. *Omnis verò adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se iudicãdos potiùs quàm iudicaturos, hi qui præesse volunt populis, cogitarent.* inquit Origenes super epistolã ad Rom. & D. Augustinus epist. 203. tom. 2. *Trãsit honor huius sæculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium, atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, vbi cœperit accusare conscientia, & conscientiæ arbiter, iudicare. Quæ hîc honorant, ibi onerant, quæ hîc releuant, ibi grauant. Ista quæ pro tempore, propter Ecclesiæ necessitatem, honori nostro exhibentur, defendẽtur fortè bonã conscientiã, defendere autem non poterunt malam.* Idcirco fortè D. Bernard. lib. 3. de Considerat. nullum Eugenio Papæ, venenum, nullum gladiũ plus formidabat, quàm libidinem dominandi? *Dominari ne affectes,* inquit, *hominum homo, vt non dominetur tui omnis iniustitia*: omni quippe iniustitiæ seruire est paratus, cui animus morsicatione quadam potestatis, & gloriolæ, prurit. Quem scalpere iucundum, sed breue, ast æternum vri. Igitur, *Mortales quid gloriamini propter potestates. Quas vna lux vel dedit, vel abstulit?* vt inquit Sosiphanes apud Ioan. Stobæum. c. 22. minaces nempè cælo ambitionis fluctus, atque improbæ spes mortalium, ad incertæ mortis arenam, tandem cõstringentur, nullum sui reliquum facturæ vestigium.

(Saturninus.)

Capitis 38. §. 11.

De tertio animæ inimico, Carne.

(1. Mundi tentatio stultorum est, Dæmonis sapientum.)

EXtra nos sunt hostes, Mundus, Dæmon, quorum tentamenta, aut sapientes explorant, aut stultos: stultos, mundus, qui quos subegit aspectabili rerum specie, sic dementat, vt quod momentaneum est, & leue, in seros sibi annos producant: sapientes, dæmon, qui inditã scientiã, multarumque rerum experientiã, quomodo Euam vt periret, in fraudes suas, illos argutijs trahit. Tertius intra nos hostis est, Caro: eò nocentior quò familiarior, eò periculi plenior, quò minùs illam domestica cohabitatio suspectã facit: ad obsequium quippe descendit, vt inter amicitiæ iura, tutiori fraude grassetur: plusque hac arte, quàm vllã mundus, dæmonque acie, animi opes, semper afflixit: siquidẽ ad nocendũ, nulla pestis est efficacior, quàm familiaris inimicus, vt inquit Boëtius lib. 3. de Consolat. prosã 7. *Non enim est nobis aduersarius extrinsecus formidandus,* inquit Cassianus lib. 5. c. 21. *in nobismetipsis hostis inclusus est, intestinum nobis quotidie geritur bellum: deuicto eo, omnia quæ forinsecus sunt reddentur infirma, ac militi Christi vniuersa pacata erunt, & subdita: non habebimus aduersarium nobis extrinsecus metuendum, si ea quæ intra nos sunt, spiritui deuicta reddantur.*

(Carnis, infirmorum.)

Pusillanimes, infirmos & flaccidos, hæc tentatio aggreditur, quos vel ipse dæmon ingenitæ nobilitatis memor, de lasciuiã tentare, dedecori, probroque sibi duxerit. Vineas illa & pluteos agit, vt vel ad malum inducat, vel à bono abducat. Curuat enim in delectabilia corporis, animum, quibus afficitur, vt ipsum ad illa educat. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, Spiritus autem aduersus carnem.* Galat. 5. *Hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Et retrahit à spiritualis boni prosecutione, in quod animus semper intenderet, nisi à carne deorsum traheretur.

(Galat. 5.)

Cùm enim appetitus intellectiui oblectamẽta secundum se nobiliora, maiora, suauioraque sint, quàm sensitiui, vt propterea regius vates carum melle delibutus, exclamarit psal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Et Philosophus Ethicor. lib. 10. cap. 7 delectationũ maximam eam esse asseruerit, quæ sit secundum sapientiæ operationẽ, nunquam non spiritus noster suum in illis sudorem exerceri vellet.

(Psal. 118.)

Esse autem voluptates illas, corporeis præstãtiores, imò has, præ ijs quæ animo percipiuntur, nullius momẽti esse, figuratũ in vtroque Abrahæ filio, cecinit in Anthologiã sacrã Iacob. Billius:

Ingens Abrami perfudit corda voluptas,
Ex Agarã sese vidit vt esse patrem.
Ast vbi se nato sensit meliore parentem,
Lætior hinc multis partibus ipse fuit.
Ergo etiam dulcis primùm solet esse voluptas,
Quam caro sensilibus percipit aucta bonis.
At cùm animus meliora cupit, potiturque cupitis,
Rebus ab his vanis tum fugit omnis amor.

Et probat D. Thomas. 1. 2. quæst. 31. art. 5. Cùm enim ad delectationis sensum tria conferant, bonum scilicet coniunctum, id, cui coniungitur, & vtriusque cum cognitione cõiunctio, cuius cognitionis defectu, si delectabile gustui dormientis applicueris, eius voluptate, non titillabitur. Spirituale bonũ, tùm sui præstantiã, tùm dilectione, sensili anteferitur, hoc argumento, quòd profligatissimi, ac perditissimi homines, interdum maximis voluptatibus corporis, honoris appetitu, (quod intelligibile bonum est) temperarint. Rursus, pars intellectiua, cognitionis nobilitate, præstat sensili, indeque illius operatio, ad quam sequitur delectatio, nobilitatis ei palmã præripit. Est & coniunctio vtriusque intimior, quia sensilis, externa oberrat tantum, atque delibat, intellectilis verò, intima ipsius essentiæ peruadit. Perfectior, quia coniunctioni sensibilis ad sensum, motus adiungitur, qui est actus imperfectus, vt inquit D. Thomas, intelligibilia autem motum nesciunt, vnde fit, vt eiusmodi delectationes, sint totæ simul. Firmior, quia voluptuarium siue delectabile, quod sub sensum cadit, corruptioni est obnoxium, citiusque perit, quàm coquantur asparagi; at verò spiritualia, sempiterna sunt, & incorruptibilia, vel etiam, quia sensitiua voluptas, in suo ipsiusmet ortu iugulatur, interitque planè, nisi aliquã succedaneã instauretur. *Fluit voluptas,* inquit Tullius 2. de finib. *& prima quæque euolat: sæpiùsque relinquit caussas pœnitendi, quàm recordandi.*

Hoc quoque sapientum auctoritate roborari potest, ex quorum decretis, iudicium de rebus sumendum est: ait ergo sapienter Psalmographus, *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia.* Psal. 83. Nam si spiritualia corporalibus, æterna caducis cõferantur, mirum in modum suauiùs est, vnum diem ijs voluptatibus capi, quæ dolore & cupiditate vacant, quales sunt, inquit Aristoteles Ethicor. 7. quæ cognitionis, contemplationisque gratiã suscipiuntur, quàm mille alijs, improbã corporis voluptate affici. Ideoque præsẽtiã temporalium, renuit *consolari anima mea: memor fui Dei, & consolatus sum.* Supergreditur ergo sapor ille omnem saporem, dulcedo illa omnem dulcedinem, voluptas illa omnem voluptatem, quæ ista voluptas, ista dulcedo, iste sapor non est: etsi fortè aliter carnis voluptate præuinctis, qui nõ gustauerunt quã suauis est Dominus, esse videatur.

(Psal. 83.)

(Psal. 76.)

(2. Voluptates corporis cur magis nos stimulent quàm intellectilia.)

Acriùs interea nos sensile voluptuariũ stimulat, & ad se trahit. Cur hoc; nisi quia corporalia cum delectamenti illecebra, intellectualia verò cum labore quæruntur? Sunt & sensibilia, quoad nos, notiora intelligibilibus, nobiscum crescunt, adolesc-

adolescunt, nutriuntur, & coalescũt, ideoque nos & sui consuetudine, & blãditijs delinitos, fortiùs trahunt: mouemurque obiectorũ præsentiâ sensili vehementiùs. Et cùm ipsæ delectationes sensiles (quia sunt appetitus sensitiui passiones) non sine quadam corporeâ transmutatione obueniãt, qualis in intellectualibus, nisi fortè ex redundantiâ quadam superioris appetitus in inferiorẽ non reperitur, nos in sui affectum procliuiùs rapiũt. Rursus quia voluptates corporis expetuntur, vt defectuum, molestiarumque corporearũ ex quibus tristitia oritur, medicinæ; fit vt mœrori leuãdo atque profligando quæsitę, sensũ afficiant magis, ideoque auidiùs ad eas vergat homo, quàm ad spirituales, quas habere nec ita promptum est, nec ita delectabile, cùm nihil triste, nihil molestũ, habeant cõtrarium. Adde hinc fieri, vt plures sensili voluptati quàm intellectili adhærescant: nam cùm omnis nostra perfectio à sensili bono ducat originem, & in bono spiritus cõpleatur; inchoant sanè plurimi, complent atque perficiunt pauci. Ideoque Plato, voluptatem malorum escam, cum reliquâ Philosophiæ procerum turbâ, appellauit, qđ capiuntur homines, ceu hamo pisces.

Voluptati tanquam reginæ, etiã virtutes subiecerunt quidam.

Hanc tamen ita magnificè habuerũt quidam, vt principe, inter cætera, loco donarint, quo in genere Eudoxus, teste Aristot. l. 1. Ethicor. c. 12. & apud Athenæum Dipnosophistam l. 12. c. 2. Tyranni, atque Reges, *Cùm omnium bonorum sint Domini, omniaque sint experti, voluptatem omnibus præferant, cùm magnificam faciat virorum naturam ipsa voluptas.* Quid Seneca in quæstionibus? *Plerique etiam nunc ex hominibus, ita voluptatis imaginem concipiunt, vt illam in solio statuant regio, veluti humanarũ planè reginam rerum. quod verò ferendum minus est, virtutes ei subijciunt, vt famulas, nutum quoque, ne quid indignationi desit, obseruantes, vt è vestigio quidquid ei visum fuerit, exequantur, tanquã illud demum productio hominis spectet. vt cibum potumque, delectamentis implicitum percolas.* Vbi Epicuri dogma insinuat, ad ventris voluptatem omnia referentis: vnde & de fine inquit, Colendum est honestũ, colendæ virtutes, colenda omnia huiusmodi, si voluptatem tamen nobis comparauerint: sin minùs relinquenda sunt prorsus: sic Athenæus l. 12. c. 24. qui addit: In his virtutem voluptatis seruam manifestè facit, famulæque habentem conditionem. Quo quid absurdius homini studioso virtutis potest videri? Scitissimum illud, naturam, quò vnũquodque agens promptè in suas actiones prosiliat, rebus in omnibus, voluptatum conciliasse illecebram: atque adeò, ex primario, præcipuoque auctoris naturæ instituto, non esse operationes propter voluptates, maximè verò in genere moris: sed è conuerso, voluptates operationum gratia, quod & D. Thomas & Ferrariensis l. 3. contra gentes, c. 26. adnotarũt, & noster Ægidius de Præsentatione, in almâ Conimbricensium vniuersitate primarius Theologiæ professor emeritus, l. 11. de beatitudine animæ & corporis quæst. 12. art. 3. §. 2. nu. 9. & 13. vt peripatheticum dogma, cum communi Theolog. sententiâ, tuetur. Et hic Epicurus, in brutorum cœtu, operationẽ, in voluptatem, esse vult, quæ si defuerit, animus sit vel ab ipsâ, honestâ actione auocandus: scilicet, metiebatur ille omnia voluptate, tanquam actionũ suarum regulâ, quam idcircò in solium cum Epicureorum grege, recepit, cùm tamen eam, vti nec meretricem in matronarum cœtum, in virtutum concilium non oporteat adducere, sicut Tullius 2. de fin. inquit.

Voluptas est propter operationem, non contrà.

3. Voluptas se nobis offert.

Offert ipsa nihilominus sese, & quidem animorum nostrorũ, si manum dederimus, præreptura tyrannidem; quemadmodũ Herculi, vt Xenophon. & Tullius habent, cùm eò loci venerat partes vbi via se findit in ambas, hærẽti in quam potiùs partem se inclinaret, duas mulieres occurrisse fingit Prodicus Philosophus, Virtutem, & Voluptatem: hanc, porrectâ manu in latam primùm viam, omni deliciarum, florumque amœnitate inspersam, mox verò in arctam, spinisque horrentem, eum abducturam illam è diuerso, difficiles primò in aditus, mox in faciles progressus & iucundos, recepturam: quarũ fortè meminit D. Ambros. l. 1. de Cain & Abel, totidem verbis: *Duæ mulieres vnicuique nostrum cohabitant, inimicitijs ac discordijs dissidentes, velut quibusdam Zelotypiæ contentionibus nostræ replentes animæ domum. Vna earum, nobis est suauitati & amori, blandæ conciliatrix gratiæ, quæ vocatur voluptas, quæ est meretrix. Nam quid tam meretricium, quàm secularis voluptas, quæ à fenestrâ domus suæ intrat, oculis prima tentamenta præludens, & penetrat cor sic in plateas prospiciens, id est, in publicas transeuntiũ vias, non in legis interna mysteria obtutum mentis intendat? Ea profectò est, quæ validioribus vinculis, velut cubile quoddam consociatæ nobis communitatis intexit, vt qui inclinauerit se, ligetur, & opprobriosæ fraudis velamẽ, operiat corporis sui statum: ad solicitandum animos iuuenum, absentiã viri, hoc est, incuriam legis obtexens. Lex enim peccantibus abest: nam si adesset, non delinqueretur.* Pantheræ suauissimo solicitatæ spiritu quadrupedes, & maximè simiæ, eam sequuntur, ad eam accedunt, quibus caput occultat, ne illius toruitate terreantur: itaque illectas odore, corripit, necat: sic improba voluptas, quam aut multi, aut simi sequuntur, caput suum, virum suum, nempe legem, cui vt actionum nostrarum capiti obtemperandum, occulit, atque blandiciarum suarum inspiramentis illectos quoscunque miserandum in modum perimit, de quâ Silius Italicus:

> *Quippe nec ira Dei tantum, nec tela, nec hostes,*
> *Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.*

Et quod acerbius est, officium simulata, occultis potenter sæuit insidijs: quare Plutarch. lib. contra voluptatem, Fera est, inquit, mancipans sibi homines voluptas, sed non fera: nam si apertè pugnaret, citò caperetur: nunc autem etiam ideò inuisa magis, quòd celat inimicitiam, induta habitum beneuolentiæ. Itaque dupliciter auersanda, & quòd nocet, & quòd fallit. Et quidem tam valido virium suarum supercilio, vt eius illecebris, etiam summi viri, qui de Prouincijs & Regnis bello victores triumpharunt, succubuerint: Illa inuictum armis Hannibalem, suis illecebris amplexata, Romano militi vincendum tradidit, Valer. Max. lib. 9. c. 1. Illa Holofernem Iudithæ occidendum dedit, Iudith. 12. Illa, Zenonem Orientis Imperatorem, potu & amentiâ captum, cùm prolapsus à mortuo nihil differret, ab Ariadnâ vxore in monumẽtum imperatorium efferri iussum, horrendâ morte extinxit Io. Zonar. to. 3. Annal. Quodque omnium luctuosissimum est, admissa in sinum, ex carnis in eam procliuis consinio, auctu tam pudendo roboratur & crescit, vt iam vel ipsius animæ pretio, quod voluptuarium est, redimere, nihil pensi fecerint quidam. In exemplũ sit ille cypharius, apud Tho. Cantipratem. l. 2. apum, c. 56. p. 2. qui mero cum socijs incalescens, inuecto sermone quid post hanc vitam futurum esset, in cachinnos solutus, negauit animas extra corpus viuere, vitam autem præ hac, Clericos, ad mortalium terrorem, comminisci: dæmonique, sub hæc, in robustâ hominis specie aduentanti, inter pocula animam suam venundedit, acceptumque pretium, commune cum cæteris, ad potus voluptatem habuit: inclinatâ autem die, quũ ad sua cuique remeandũ esset, interrogatis priùs à mercatore socijs, nunquid cum equo, in ius ementis, cederet & capistrum quo esset alligatus? atque respondentibus cedere. Mox ab eo, in corpore & animâ, videntibus omnibus, sublatus est

Voluptas fortes vicit.

in aëra, & ad inferorum incendia pertractus. Pulchrè Seneca, epist. 39. *Quis hostis in quenquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ? Quidã se voluptatibus immergunt, quibus in consuetudinem adductis, carere nõ possunt, & ob hoc, miserrimi sunt, quod eo peruenerunt, vt illis, quæ superuacua fuerunt, facta sint necessaria. Seruiunt vtique voluptatibus suis, non fruuntur: & mala sua (quod malorum est vltimum) amãt.* His desudatur, quum captatur voluptas: cui quid vnquã satis? D. Hier. ep. ad Damas. Papam, D. Ambros. itidem super Luc. 6. *Nihil prodiga satis est voluptati, semper famem patitur sui, quæ alimentis perpetuis, nescit impleri:* itaque quæritur voluptas voluptate, malum malo, dolor dolore. Vnde Boët. l. 3 de consolatione prosa 7. *Quid autẽ de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena est anxietatibus; satietas verò pœnitentiæ? quantos illæ morbos, quàm intolerabiles dolores, quasi quendam fructum nequitiæ, fruentium solent inferre corporibus: quorum motus, quid habeat iucũditatis, ignoro. Tristes verò esse voluptatum exitus, quisquis reminisci volet libidinum suarum, intelliget; quæ si beatos explicare, id est, efficere possunt, nihil caussæ est, quin pecudes quoque beatæ esse dicantur, quarum omnis, ad explendam corporis lasciuiam, festinat intentio.* Hæc ille, qui & metro sequenti, apibus mella & aculeum fundentibus, voluptatem comparauit,

Voluptas hostis contumeliosus.

Habet omnis hoc voluptas,	*Vbi grata mella fudit,*
Stimulis agit fruentes,	*Fugit, & nimis tenaci*
Apiumque par volantum,	*Ferit icta corda morsu.*

Ideò monet Horatius, 1. epistolar. 12.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Myrrhæ incestuosa voluptas.

Quod Ouid. 10. Metamorph. Myrrhæ Cyniræ Cypriorum Regis filiæ, fabula significauit: hæc enim nefando patris amore capta, quũ aliquot noctes auxilio nutricis cum illo concubuisset, tandè illato lumine agnita, quum illam pater vellet occidere, noctis beneficio elapsa, in Arabiam profugit, vbi in arborem sui nominis conuersa, continuò amarioris lacrymæ defluxu, procacitatis suæ dolorem testatur. Quodque caput malorũ est, ceu visus per hyemales latebras linctu & suctu manuum suarum viuit, Plin. l. 8. natural. hist. c. 36. voluptas ex ipsâ carnis nostræ corruptione & infirmitate, robore accrescit suo, quod Antæi fabulâ, vt Fulgentio placet, Poëtæ significarũt; qui Terrâ genitus, atque cum Hercule congressus, quoties mẽbra labore defecta essent, tactu Terræ recreabatur. Quâ re tandè animaduersâ, Hercules altè sublatum, terræ contactu prohibuit, pectorique suo arctiùs adstrictum, enecuit. Quid enim Antæus nisi voluptas terræ nostrę, carnis nostræ filia, quæ cum Hercule, hoc est, cum virtute, siue ratione congreditur, nec cędit afflicta, sed continenter ex carne nostrâ, nouas vires, noua haurit fomenta libidinũ? Quam tamen, si ratio à sensibus auocarit, si à corporalibus ad spiritualia subduxerit, enecabit victoriâ nobili, cum hocce virtutis elogio, quod olim Scipionis Africani tumulo, inscriptum legimus:

Antæus.

Maxima cunctarum victoria, victa voluptas.

Tu qui illam expetis, mortis præconem time, horribili tubâ sonantem, quod Horatius epist. 2. *Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti. Tempus abire tibi est.*

Carnem spiritui reluctari, vnde proueniat?

4. Voluptas carnis filia.

CAro itaque nostra, filiæ suæ voluptatis cõsuetudine, armatur in spiritum, & plurifariam progressibus eius, impedimenta obijcit, tã in cõtraria sensuum placita abstrahendo, quàm ex suâ corruptione atque imbecillitate, spiritum circa intellectualia iugiter diuersantem, non ferendo. Scitũ enim illud Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animã, & terrena habitatio, deprimit sensum multa cogitantem.* Quia enim fomite cõcupiscentiæ corpus infectum est, infelicitate viciniæ inuitatus animæ adfectus corrumpitur, fitque ipse grauis in motum ad spiritualia: atque inhabitatio, siue occupatio, quâ circa terrena vel ipsi corpori necessaria distrahitur, intellectum deprimit, auocatque à sapientiæ & scientiæ studio: quod & Horatius lib. 2. sermon. satyrâ 2. significauit:

Sap. 9.

Corpus onustum
Hesternis vitijs, animum quoque prægrauat ipsum,
Atque affigit humi diuinæ particulam auræ.

Eluctari vt vix possit, quod Apost. ad Rom. 7. indicauit: *Condelector, inquit, legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Etsi enim rationi cõsentanea lex Dei non modicè mentem afficiat, inducatque ad bonum: fomes tamẽ peccati, lege suâ, ad malum eam flectit, rationi renitendo, eam seruituti subijciendo, perque consensum in peccatum, atque concupiscentiæ, ad illud morsũ. Adeò nempe viribus pollet testula illa carnis quâ vestitur animus, vt cor humanum, quod pyri instar, triangularis formæ, symbolũ est Diuinitatis, teste Plutarcho, atque adeò sacrosanctæ Triadis capax, ita in arctum deducat, vt ipsum sensibilium sphęræ attemperatum, eadem velit satiari, quum tamen, non sphæra triangulũ, non triangulus sphæram implere possit, quin alterutrius latera figuræ superfint inania; solus triangulus triangulum satiat, circulus circulum, sacra Trias hominis cor, quod quidem, blãdus hostis noster, & sub mellis fauo crudelis, caro peccati, ita in angustum redigit, ita premit imperio, vt ad ea quę iuris sui sunt consectanda, nõ aliter possit euadere, quàm medicinale poscendo adiutorium, *ab eo qui potest omnes huiusmodi sanare languores, non à nobis aliẽ à separatione, sed in nobis nostræ reparatione naturæ*, inquit D. Aug. l. de continentiâ, c. 7. quòd & ipse homo, nõ solùm illicibus blanditijs trahi, sed etiam violentiâ quadam, non ab alio quàm à seipso in malũ videatur impelli, quod D. Iac. epistolæ suæ c. 1. significauit, *Vnusquisque*, inquit, *tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus, & illectus*: illectus voluptatis illecebrâ, abstractus violentiâ, quâ tum maximè vrgeri se experitur mente infirmus, quum tentatio ita incanduit, vt caro famula, dominæ rationi sceptrum eripuisse iudicetur.

Rom. 7.

Cor triangulare, est Diuinitatis symbolum.

Iac. 1.

Verùm, quinam huiusce defectionis fontes? quæ caussa & origo istius rebellij? Fecit sanè ab initio Deus hominẽ rectum, hoc est, in originali iustitiâ creauit illum, in quâ corpus animæ, anima rationi, ratio Creatoris parebat imperio. Refragatus est Numinis legi homo, ideòque ad pecudis similitudinem curuatus, sensit & ipse carnis spiritui rebellantis defectionem, & meritò, quia, vt D. Aug. l. 3. de Ciuit. Dei, c. 13. inquit, *Qui superiori suo denegat subiectionem iustæ obedientiæ, iustum est vt patiatur à subdito rebellionem*: sic enim, vt Sap. 11. dicitur, *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*: & alibi. *Quâ mensurâ mensi fueritis, eadẽ remetietur vobis. Hanc ergo* infit D. August. l. 2. de peccatorum meritis & remissionibus c. 22. *priusquam violassent* (obedientiam primi homines) *placebant Deo, & placebat illis Deus, & quamuis corpus animale gestarent, nihil inobediẽs in illo aduersum se moueri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo iustitiæ, vt quia eorum anima, famulum corpus à Domino acceperat; sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus eius obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine vllâ resistentiâ famulatum. Hinc & nudi erant, & non confundebantur. Animam quippe rationalem naturali verecundiâ nunc pudet, quòd in carne, in cuius seruitutem ius potestatis accepit, nescio quâ infirmitate efficere non potest, vt se nolente non moueantur membra, & se volente moueantur.*

5. Carnis rebellionis caussa.

Sap. 11.

Matt. 7.

Itaque non ex primæ conditionis suæ naturâ, sensilis appetitus, quem hoc rerum statu, propter deserti ordinis vitium, sensualitatem vocamus, voluntati reluctatur, sed ex corruptione, quæ ex Adami peccato, in naturam irrepsit humanam: *Nondum quippe animã ratio-*

rationalis, Domina carnis, inobediens extiterat Domino suo, inquit D. August l. 2. de peccator. meritis, c. 22. *vt pænà reciprocà inobedientem experiretur carnem famulam suam, cum sensu quodam confusionis & molestiæ suæ: quem sensum certè ipsa per inobedientiam suam non intulit Deo. Neque enim Deo pudendum est aut molestum si ei non obedimus, cuius in nos summam potestatem minuere valeamus: sed in nobis pudendum est, quod imperio nostro caro non seruit, quia hoc fit per infirmitatem quam peccando meruimus, vocaturque peccatū habitans in membris nostris. Sic est autem hoc peccatū, vt sit pæna peccati.* Eapropter, ista sensitiuæ portionis, in homine, ab initio rectè institutæ, rebellio, io Creatorem, qui nō est dissensionis Deus, sed pacis 1. Cor. 14 minimè referri potest, sed omnis dissidiorum seges, adscribēda homini, qui diuinam auersatus voluntatem in præuaricationis suæ pœnam, pleno quo potiebatur appetitus inferioris dominio, cedere compulsus est. Quæ labes, propagatione in posteros omnes deriuata, neminem non infecit, quia nemo non peccauit in Adamo, & quidem ipsiusmet illius inobedientiæ peccato, nō personali præsentia sed originali, per quam in ipso eramus, Deo ita instituente, vt Adamus esset nos omnes, & nos omnes essemus ipse Adamus, ex Apost. sententiā ad Rom. 5. dicentis: *per vnum hominem peccatum in hunc mundū intrauit, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Vbi Origen. *Absolutā sententiā pronunciauit Paulus, in omnes homines mortē pertransisse peccati, in eo in quo omnes peccauerunt:* adde ex D. August. l. 1. de peccatorum meritis c. 10 & l. 3. c. 7. *quando omnes, ille vnus homo fuerunt.* Veluti ergo, è ferri materiā insigne opus quod limis discobinatum, politū, lucidumque, è manu suā dimisit artifex, non illius operā, sed ferri indole ferrugine trahit: ita sensitiuæ hominis portiunculæ repugnantia, peccati fomes, atque ad malū propensio, non ab auctore tanti moliminis quod vnum animalium omnium erectū est, cuius natura atque substantia diuina, officium autem diuini, intelligere & sapere, vt inquit Arist l. 4. de partib animal. sed ex naturæ humanæ vitio trahit originē: indeque est, vt intestinum carnis & spiritus bellū, tanquam duarum gentium in proprio gestemus vtero. Ibi enim, non secus ac in paradiso, mulier, lenocinio atque blanditijs, cogit aberrare virum, spiritualiumque rerum meditationi nuncupatū, ad corporis voluptates auertit, abstrahitque. Ita D. Aug. in ps. 48. *Singulis nostrum inest mulier hæc,* inquit, *quippe caro nostra Eua est, quæ seducit virū, id est, rationem: per quam carnē, labitur homo, quē lapsum, calcanei nomine, quod à serpēte fuerit impetitū, Prophetæ appellarūt.*

1. Cor. 14.

Rom. 5.

Voluptatum omnium deterrimam esse veneream.

6. Stomachus cibo grauatus, vt sentina nauis multum onerata.

GRauioribus semper oneribus, naues onerarias caricare, earum præfecti solent, quibus multa consarcinasse, vix vnquam satis, inde sentinæ repletio molestior, exhauritioque, naui salū faciente vberiùs: ita cupediarij, gulones, nepotesque tricongij, quibus cura sagine, farcti plurimū, indigesti cruditatis fluxionum & nauseæ sentinā grauātur, quam vomitionibus, phlebotomiā, potione medicā euacuare oporteat; &, quod in diuerbio est, resumto bestiæ villo, nauseatis stomachi fastidium relarcire, in gloriæ scenam transferunt. *Nihil, interea sic inflammat corpora, & accendit libidinem, sicut indigestus cibus.* inquit D. Hieron to. 1. epist. ad Furiā, cuius & illud est, *venter mero æstuans, facile despumat in libidinem.* Velut enim vites, arbores, & sata luxuriare dicuntur, quum multo ac validò succo in sarmenta & ramos inutiles, herbasque exuberant, iuxta illud Poëtæ Georgic. 1.

Luxuriem segetum tenerā depascit in herbā

Et Ouidij 1. epist. de agro pinguiori:

Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus,

Quod & ad animum transfertur; rebus prosperis, otióve lasciuientem: Tibullus.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis:

Luxuriā, quidquid est superflui, quidquid est excessus rei cuiusque, quo sensus voluptate afficiuntur, significante: ita caro nostra, præ nimiā sibi potusque copiā æstuat, turget, luxuriatur in luxuriam, soluiturque in excrementa libidinis; vnde Isidorus in l. etymol. luxuriosum dici vult quasi solutum in voluptates, immodicas, scilicet, venereorum, mollioris vestitus, epularum lautiorum, aliaq; id genus in delicias, profusiones. Vnde D. Aug l. 2. Conf. c 6. *Luxuria satietatem atque abundantiam se cupit vocari.* Quia tamē voluptates venereæ, maximè hominis animum resoluunt, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 153. art. 1. ideò luxuria maximè circa res venereas consideratur, cuius ardor, quū cor, securéque hominis occuparit, illa, ceu thus in igne, mollescunt, & quidquid inerat boni quidquid animi vigoris, quidquid odoris boni nominis, vaporāt. Est autem luxuria inordinatus appetitus & adfectus actuum venereorum. Dicitur *appetitus*, quia omne peccatū, præcipuè in voluntate consistit: *Nemo* enim inquit D Aug. *impudicè vtitur corpore, nisi prius spiritu, id est, volūtate.* Atque ita corruptionem corporis, præcedit corruptio mētis; quod sentiens Collatinus Lucretiæ maritus, cuius pudicitiā victrix, Tarquinij libido expugnauerat; cum propinquo bruto, in hunc modum ægram animi consolantur, *mentem peccare, non corpus; & vnde consilium abfuerit culpam abesse.* Nutrix quoque in Hippolito apud Senecam.

Lib. 10. c. 1.

Luxuria quid sit.

Mens, i. pudicam facere, casta non potest.

Quocirca ridet Lucretiam D. Aug. l. 1. de Ciuit. Dei, c. 19 quæ, etsi se peccato absoluit, supplicio non liberauit, vt est apud Liuium Decad. 1. l. 1. Nā, *si non est illa impudicitia, quā inuita comprimitur, non est hæc iustitia, quā casta punitur* inquit August. quo fit, vt si apud laudatorem eius pudicitia, extenuatur homicidium, adulterium cōfirmetur, si purgatur adulterium, homicidium cumuletur: sed impudica fuit, latente cōsensione, quæ casta videri voluit, alterius manifestā inuasione: idque in se puniens, ita doluit, vt morte putaret expiandum: Voluntatis itaque fœtus est, quod peccatur, quæ si sancta fuerit, vsu suo, sanctum quoque corpus facit, & hac inconcussā ac stabili permanente, quidquid aliud in corpore vel de corpore fieri contigerit, quod aliàs sine peccato proprio non valeat euitari, citra culpam erit patientis; Nam cùm pudicitia sit virtus animi fortitudini coniuncta, quæ potiùs quodlibet malum patitur, quam malo cōsentiat: nullus magnanimus aut pudicus in potestate habet quid de carne suā fiat, sed tāiùm quid annuat mente, vel renuat. Dicitur autem *inordinatus*, quia peruerso rationis ordine, in vagas diffluit libidines, scortationes, adulteria, spurcitiasque naturæ aduersantes, quæ legibus improbatæ sunt, & pœnis coërcitæ: contrariè appetitui iuxta rectæ rationis normam, ordinato, quæ vsum quandoque venereorū in legitimā viri & fœminæ coniunctione præcipit ad propagationē, conseruationemque generis humani, dicēte D. Aug. l. de bono coniug. c. 6. *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis.* Ex quo sequitur quòd quemadmodum in necessario ciborum vsu, nonnunquam intemperantia gliscit, sic incōtinentia, inter sacros matrimonij cancellos, caput plerūque efferat; quanquā non semper lethali morsu, si debitus naturæ ordo seruetur quod Frater Ægidius, D. Francisci socius, cuidā sese de coniugali castitate iactitāti, satis significauit, dicens: An non potest quisquā ex suo dolio inebriari? Hinc illud D. August. l. 2. contra Julian. ex Xisto Pythagorico, & itidē D. Hier. l. 1. contra Iouinian.

Voluntatis fœtus peccatum.

Adulter

Herodes. *adulter est vir, in vxorē ardentior amator.* qualis Herodes fuisse perhibetur, qui moriturus vxorem occidit, ne ipsa in alterius coniugis potestatem veniret, auctor Iosephus l. 1. de bello Iudaico, c. 18.

7. Sensus quinque voluptatibus inhiant. Infelix prosilientis ex carne procacitatis voluptas, hac nulla pestis capitalior; nulla cum quadam lubricâ suauitate, ad illicita, sordidæ mentis inclinatio turpior, vtpote per quam ad feritatem recedat omnis humanitas. Cùm enim quinque sint hominis sensus, per quos voluptas animo, aut corpori, quæri videtur, quasi equi sine ratione currentes, nisi anima in aurigæ modum, retineat fræna currentium, vti D. Hieron to. 1. ep. ad Furiam, pronuntiauit, gustus, tactus, odoratus, visus, auditus. Ex his quidem omnibus quæ immodicè voluptas capitur, ea turpis, atque improba existimatur, vti totidem verbis scribit Aul. Gell. Noct. Attic. l. 19. c. 2. Sed enim, quæ nimia ex gustu, atque tactu, est voluptas, omnium rerū fœdissima est. Eosque maximè qui duabus istis belluinis voluptatibus sese dediderunt, vel libidinosos & intemperantes, vel incontinentes dicimus. Istæ namque voluptates duæ, gustus atque tactus, id est, libidines in cibos, atque venerem prodigæ, solæ sunt hominibus cum bestijs communes: & idcircò in pecudum, ferorumque animalium numero habetur, quisquis est his ferinis cupiditatibus præuinctus. Cæteræ ex tribus alijs sensibus proficiscentes, hominū esse tantùm propriæ videntur. Licet enim brutorum animantiū perfectiora, horum sensuum functiones non solùs cognitionis gratiâ, sed & ad necessaria vtiliáve quærenda, aut noxia declinanda, exerceant; vti docent, D. Tho. 1. 2. quæst 35. art. 2. ad 3. & Magnus Albertus 1. Metaph. tract. 1. cap. 4 homo tamen solius cognitionis studio, frequenter sensuum ministerio ad scientiam comparandam vtitur. & quia sciētia; aut doctrinâ, aut experiētiâ adipiscitur: ad illā quidē, auditus; ad hanc verò, adspectus, cōmodior, aptiorque est, vt constat ex ijs quæ docet Arist. 1. Metaph. cap. 1. & lib. de sensu & sensili cap. 1. Quia enim, aliud est rei visus, aliud intellectus, vt ait Epictetus to. 3. lib. 1. cap. 6. bruta Deus sic instruenda censuit, vt visa sequerentur; nos verò vt rerum visum intelligeremus. Itaque satis illis est, edere, bibere, quiescere, procreare, aliæque cuiusque illorum functiones. Nobis autem, quibus intelligendi vim ille quoque tribuit, non item hæc sufficiunt. Nisi enim ritè & ordine, & naturæ cuiusque rei, ac rationi conuenienter egerimus, nequaquam nostro fine potiemur. Quorum enim ratio diuersa est, eorum & officia, & fines sunt diuersi. Hęc ille. Sed audiamus super hac re Aristotelē, vt vel autoritas tanti Philosophi, tam infamibus nos voluptatibus deterreat: *Cur incontinentes*, inquit, *appellare solemus, qui voluptate contrectandi aut gustandi exuperantur? Nam qui immodicè re vtuntur venereâ, & qui luxu delectantur ciborum, incontinentes vocamus. Ciborum tamen non eadem ratio est, sed partim linguam, partim gulam suâ mouent suauitate. Vnde Philoxenus gruis collum, à Dijs immortalibus sibi dari optabat. At verò qui in videndo, audiendóve modum excedūt, non eodem vocabulo significamus. An quoniam voluptates sensibus hisce accommodatas, communes cū cæteris animantibus habemus? Ergo, vt communes, spernimus & notamus, solasque omnium, aut maximè probro damus. Itaque hominem ijs deditum reprehendimus, & incontinentem, intemperantemque appellamus, quòd, victus à teterrimo voluptatū genere ducitur. Sed quum sentiēdi genera quinque sint, cætera animalia duobus tātū, quæ modò dixi, voluptatem sibi acquirunt: cæteris, vel nihil omninò delectantur; vel per accidens ita afficiuntur. Quod enim videt aut olfacit, sātisper gaudet, quoad gustus, tactúsve fruiscatur. Cúmque genus idipsum concupiscendi explenit, illorū quoque suauitas desijt: vt nobis salsamenti odor, quum indigemus, suauis non est. Rosæ autē odor, semper suauis est.* Hęc

Incontinens quis dicatur

Arist. quibus subdit Aul. Gell. Quis igitur habens aliquid humani pudoris, voluptatibus istis duabus, coeundi, atque comedendi, quæ sunt homini cum sue, atque asino communes, gaudeat? Socrates quidem dicebat multos homines propterea velle viuere, vt ederent & biberent, sese bibere, atque esse, vt viueret: apud Stobæum in serm. Hippocrates autem, vir diuinæ sapientiâ, de coitu venereo ita existimabat, partem esse quandā morbi teterrimi quem nostri Comitialem dixere. Nāque verba ipsius hæc traduntur: συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν. Ita, A. Gell. Ideóque venerem damnauit Democritus, vt in qua homo alius exiliret in homine: apud Plin. l. 28. nat. hist. c. 6.

Ad luxuriam inducentia.

8. Luxuriæ fomenta. PORRÒ autem, sonticum hunc morbum, pasci cōuiuijs, nutriri delicijs, vino accendi, ebrietate inflammari, scribit D. Ambr. l. 1. de pœnit. c. 14. nec ignorarunt filiæ Loth, quæ deletâ pentapoli, quum nullum superesse virum putarent, cui nuptum traderentur, patris sui senis libidinē vino accenderunt, ebrietate inflammarunt, prouocatis vt potirētur amoribus. Gen. 9. *Dixit maior ad minorem, Pater noster, senex est, & nullus virorum remansit in terrâ, qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuersæ terræ. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen.* Nec frustra fuere: cōcepit enim vtraque patris sui, & nata & coniux. Itaque iam, non solùm lac veneris, cum Aristophane, vinum, sed quidquid faciat seminarium voluptatum, cum D. Hieron. ad Furiam, venenum puta. Vide quæ diximus c. 13. §. 5. n. 16. & c. 36. hominem namque, velut Circæum quoddā poculum, quâ secretus est à belluis humanitate, id est, ratione, exuit, curas soluit & vittā pudoris, sic, vt cum illis, nihil sentiat nisi voluptatem, ad quam toto proruit impetu. Quapropter Hesychius Bacchum, etiam dici adnotauit, Comū, qui apud veteres, conuiuiorum, comessationum, nocturnarumque saltationum, Deus est habitus: an quia Bacchus, Terpsichore chorearū præside, & Thaliâ conuiuiorum, ad nos, comitatus, nocturno venit tempore, vt Plutarcho placuit in Symposijs. Certè & Lyæus dictus est quod membra soluat ebriorum, & Liber, quòd lubrica mēs ebrij inquit Varro, quo iubet, prolabatur.

Gen. 19.

9. Carnis quę vitus milites. Sunt & sex alij gregarij carnis milites, in spurcarum proritantes oblectamenta libidinum, vētris, scilicet ingluuies, otiū, quies nimia, frequens cū mulieribus familiaritas, curiositas sensus, superbia. Accedit autem proximè, mero largiùs in luxuriam influenti, sordida vētris ingluuies, quæ eduliorum apparatui nimio, lautitiæque, in gulā inhiat vehementiùs, oneratque corpus, ad animę naufragium vsque. Sic enim D. Chrysost. hom. 9. in Gen. *Sicut nauis aquis impleta, vt exhauriri nequeat, statim submergitur: ita & homo, quum crapulæ & ebrietati seipsum exponit, in præceps vadit, & rationem suam submergit.* vbi tamen, velut illa quæ sarcinis est farcta, modicis, in cursum expeditior, procellarum impetus eluctatur, defertúrque in portū secura, ita, sobria mens, in fidam veræ Philosophiæ stationē, periculis altior, enauigat. Hinc D. Basil. epist. de lect. profan. *Vniuersum corpus despiciendum est*, inquit, *nisi in luto voluptatum velimus submergi; aut certè tamen ei indulgendum est, vt Philosophiæ sicut ait Plato, ministerium præstare possit. Nam hi qui corpus optimè nutriunt, animam verò, quæ eius seruitio vti debet, negligunt, nihil ab eis differunt, qui, vt quàm optima organa habeant, summo studio conquirunt, artem verò, cuius gratiâ illa sunt composita, despiciunt.* Et meritò Demosthenes, teste Fauorino, temperantiam sapientię fundamentum, appellauit: quā & animi altitudinem augeri, dixit Apoll. Porph. autē l. 1. de abstinēt. anim. *Victus tenuitas*, inquit, *ad conseruandā sanctitatē pertinet, nec Philosophaturus Milonis athletæ eget robore, nec proinde eius corpisio*

Ingluuies

Sobria mens secure nauigat.

Protogenes.

piso alimento. Quare si Protogenes, teste Plin. lib. 35. cap. 10. cùm Lalysum pingeret, traditur madidis lupinis vixisse, quoniam simul famem sustinerent & sitim, ne sensus nimiâ dulcedine obstrueret; multo magis diuina contemplaturus, tùm ebrietate & crapulâ, tùm omni prorsus incontinentiâ quæ ex his pullulat, abstineat necesse est: quia, vt Verinus inquit,

Non bene Sorratten chartis, thalamoque vacabis:
Nunquid erit Veneris casta Minerua comes?

Acephalus.

Reluctatur quippe corpus pinguefactum animæ, & aruina, adductâ in ventrem ratione, eam cogit esurire, à felici vitâ cadentem, augetque mortale, vti Porphyrius inquit. Eduliorũ itaque, vinique studiosos, Acephalo, siue tauro comparauit Clemens Alexand. qui propterea Acephalus, hoc est, sine capite, dictus sit, quòd is præ cęteris animãtibus ad pastum natus, caput in terram & in ventrem inclinet, quodque per cæli signa vagans erraticum Phœbi sidus in illud per anteriora eius non intret, sicut in cætera: ait enim lib. 2. Pædagogij: *Mihi videtur, qui à Mathematicis vocatur Acephalus, qui ante stellam errantem numeratur, capite in pectus compresso, ac considente, significare helluones homines, & voluptuarios, & ad ebrietatem propensos; nam in his quoque facultas ratiocinandi, non in capite, sed in intestinis collocatur.* Ideóne finxerunt Poëtæ Iouem in taurum fuisse conuersum, quum Agenoris filiam rapuit, quia post ventrem & saturitatem sequatur luxuria? *venter & genitalia vicina sunt membra*, inquit D. Hieron. *vt ex vicinitate membrorum, intelligatur confederatio vitiorum.* Inde est, quòd primi satores hominum, mox vt gulâ peccarunt, carnis stimulos senserint & erubuerint, Gen. 3. Propterea Salomon Prouerb. 29. *qui delicatè à pueritiâ nutrit seruum suum, postea illum sentiet contumacem.* Vim ancillam vino deditam non inebriari? equum ferocem nõ recalcitrare? ignem non luxuriare flammis? ollam non efferuescere? Illi ius adime clauium cellæ vinariæ; equo auenam, foco ligna, ollamque subtrahe: sic ventri in luxuriam prono, subducito pabula libidinum quibus efferatur, & feruet. Harmoniamque quam Deorum pincernam, quidam existimarunt, apud Athenæum lib. 10. cap. 7. esculentis, poculentisque ministram adhibito, vt non quantum gulæ adlubet, sed quantum bonæ menti conueniat, accipias. Quemadmodum enim, inquit Democritus, medicina non quæ suauis, aut longa est, bona dicitur, sed quæ ægritudini medetur: ita cibus, non qui dulcis aut multus est cẽsendus est bonus, sed qui valetudinem tuetur: addo, mentemque à suo non auocat munere.

Prouerb. 29. Harmonia.

10. Otium.

Suum quoque famulatum, non grauanter exhibet Carni, otium pestilens, atque omni ferarum genere nocentius, quo qui torpent, vitâ abutuntur, & tanquam ignauum pecus, quæsitas alieno labore opes consumunt, atque nullum non aperto pectore monstratâ in iecur viâ, inertiæ desidiosissimæ spiculum, veneno spurcitiæ illitum excipientes, feruent in libidinem; de quibus dictum hoc puta, Prou. 1. *Auersio paruulorum interficiet eos*, quod ex Hebraico משובת פתים *meschubath phethaim* reddi potest, *Otiũ simplicium*: Otium namque inertiâ & desidiâ plenum, eos euertit, qui illi seipsos tradiderunt, inquit Hect. Pinto Annotat. in 4. cap. Danielis, qui ideò paruuli & simplices dicuntur, quia quamuis sint ætate senes instar infantium, nihil gloriæ litarunt, nihil in exemplum præstiterunt, quod eos post mortem vixisse testetur: sed otium, quo diffluebant, illis exitio fuit, secundum illud Ezechiel 16. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius.* Hoc segnitiei pædagogo, quas nõ concipies animo, lasciuiæ faces procacioris? hoc in socordiæ puluinari mens lubrica recliuis, in quæ non mala consilia erumpet? vt cętera vsu splendent, neglecta situ & veterno marcent, corrumpunturque, sic animus, nisi virtutibus exerceatur, putri sordet inertiâ: Neque tamẽ etiam sic, in suo otio otiatur, aut otiari potest. habet enim etiam in otio, otij sui motus & negotij, quibus infatuatur; quòd homines nihil agendó, discant malè agere. Quam in rem Marsilius Ficinus, lib. 12. epistolar. 23. ad Callimachum, ita philosophatur, *vniuersum hoc, cuius quodammodo partes sumus, semper quum moueatur, certè nos ab actione, motuque vacare, neque possumus vnquam, neque debemus. Præsertim quãdo primus perpetuusque motus, vt placet Platonicis, est ipsi animæ naturalis: & vita nihil aliud est, quàm animæ motus & actus. Motus verò ad bonum est laborare: contrarius verò, malis operam dare.* At malis operam dare, siue vt Democrates inquit, viuere imprudenter, intemperatè, impiè, non tã malè viuere est, quàm diu mori. Et, vt Seneca epist. 82. inquit, in otio tãquam in viui hominis sepulturâ dissolui inertiâ, & ebullire in turpium actionum vermes: *Natura namque humana* vt ait Theodoricus Gothorum Rex apud Cassiodor. lib. 1. variar. epist. 40. *sicut duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia infatuatur.* Verino.

Prouerb. 1. Ezech. 16.

Otia mors hominum est: spirantis & esse sepulcrum
Arbitror indocti, Canisiane, viri. Et
Luxuria est prædulce malum, quàm carpere multi,
Sed pauci vitare queunt: pariturque labore
Virtutis robur; corrumpunt otia mentem.

11. Eccl. 33. Naturale est delectari, & tristitiam fugere.

Eccl. 33. *Multam enim malitiã docuit otiositas.* Et vt demus hanc luem in omnes grassari; pręcipuè tamẽ in iuuenes & adolescentulas. Quum enim naturale sit omni animantium generi, delectationem sectari, & tristitiam fugere, si iuuenilis animus, putris in otio tanquam in conditorio stertat, quę in se habet semina libidinis, mox in amplissimã spurcitiarum segetem exuberantia, quidquid bonæ sementis inerit, obruent, ipsa in fasces, & faces luxuriæ abitura: sin verò in honesti prosecutione fuerit occupatus, præcidet gestientis luxuriæ fœtus, & adsuetus rectæ operationi, haud secus quàm apes in laboriosâ mellificatione, & araneæ in texturæ industriâ, sentiet cum eâ delectationem: alioquin ad illicitarum voluptatum salebras, sine vllâ moderatione, residebit. Cùm enim mortalium animus, in malum quàm in bonum sit propensior, quòd mellita sit & facilis operatio mali, fellea & laboriosa operatio boni. Gen. 6. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terrâ: & cuncta cogitatio cordis, intenta esset ad malum, omni tempore*, non reluctanter delectamentã carnis consectabitur.

Gen. 6.

Proinde crimini semper datum fuit, ita otiari, vt nulli probo labori se quis, quantumuis etiam claritate sanguinis, vel opum affluentiâ fulgeat, tradere velit; & iure, quoniam vt Catullus ad Lesbiam inquit,

Otium, reges priùs, & beatas perdidit vrbes.

Hyberni otiosi, ideoq; ad furta acres.

Immunes operam Hyberni, quibus per ignauiã, fertiles campos colere, ac serere penè ignotum, exigant in turpi otio vitam, solo telluris suæ genio opulenti, in armentorum alimenta feracis: certè, eorum animus labori auersus, ac per hoc omni frugi, acer ad furtum & prædam erumpit, teste Barclaio Iconis animorum cap. 4 Gallorum Patricij, quos ad teruncium vel casus aliquis, vel sumptus in multam sobolem redegit æmulentur præpostero ambitu, magnitudinem auorum, putentque maculari gentilitium sanguinem, si vel mercaturæ, aut artificiorum vtilissimã disciplinã, vel etiam viuendi consuetudine, ad populum accesserint. Hæc animi celsitudo, inquit Barclaius cap. 3. quamuis sibi placeat, adeoque ab omnis generis sordibus abire videatur, tamen interdum

interdum penè necessarijs facinoribus corrumpitur, in miserorum penatum angustijs turbulentam industriam exercens, vt vel publicâ violentiâ, vel arcanis sceleribus, inopiæ squalorem repellat. Hæc ille.

Otiositas lerna malorum.

Horret sanè natura otium, quæ vel in ipsis apibus, quas ignauas adnotatint, morte castigat. Est quippe otiositas lerna malorum, & scelerum viperina origo: Itaque, placuit Sardis, lege, quæ pœnas ignauiæ & secordiæ, rationem quoque otij, & victus exigeret, proximum istum ad scelera gradum intercipere: vt auctor est Ælian. var. hist. lib. 4. cap. 1. quam legem Solon ab Ægyptijs mutuatus, teste Herodoto lib. 2. Atheniensibus tulit, ipsique castissimam habuere. Lacedæmonij verò, otij conuictum, aut infamiâ, aut bonorum priuatione multabant, & scribit Iul. Pollux lib. 8. Onomastic. Plutarchus autem in Solone, Draconis legem hanc adfert, τοὺς τῆς ἀργίας ἁλόντας ἀποκτείνεσθαι. *Otij conuictos interficito.* Illi enim. *In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate, & impietate suâ*, psal. 72. &, de pœnit. dist. 1. cap. Serpens, c. paratus. 23. q. 1. Cadit enim in superbiâ mollis inertia; *Homo namque nascitur ad laborê, & auis ad volatum*: Iob. 5. mâcus igitur & quasi implumis in superbiâ labitur, qui laborare detrectat; & tanquam vestimento, totus iniquitate in proximû, impietate in Deû tegitur, contêptui habens illud Dauidicû ps. 103. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* Quâ sententiâ admonemur, improbam illam otij speciem, pulchris laboribus refellere, ne feriato à studijs bonis animo, vacuam illam mentis & corporis nostri sedem, quam obseruat naturæ humanæ aduersarius, vanis & impijs cogitationibus, pessimisque laboribus impleat. Proprium namque & peculiare cùm sit omnium hominum, labores sustinere, vt Euthymius inquit: Nemoque ex omnibus filijs Adæ, sine labore hîc viuat, sine dolore, ait D. Bernard. serm. de obed. sapientiâ, patient: etsi quis declinat aliquos, incidit proculdubio in grauiores; à molestis, scilicet, sed vtilibus, in eos, qui scalpunt, & cruciant, quos si D. Hieronymus, vt scribit ad Eustochium, inter asperrima ieiunia, chameunias, solitudinis horrores, euadere omnino non potuit, quid illi, quos amor desidiæ emollijt?

Psal. 72.

Iob. 5.

Ps. 103.

12. Adolescentulæ à pulcritudine & pudicitia laudabiles.

Sed vt ad adolescentulas tantisper sermonem deflectam: duo sunt à quibus commendantur præcipuè, pulchritudo nimirum, & pudicitia, quæ si otio temerata aut labefactata fuerint, etiâ si reliquarum virtutum series in illis consentiat habeatur despectui, quod in carmine nuptiali Catullus pulchrè modulatur:

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ:
Idem cum tenui captus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.
Sic virgo dum intacta manet, tum cara suis; sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis,

Vbi, teste Platone 3. de Republ. *Si quo in homine hæc concurrant, in animo pulchri mores insint, & in corporis specie illis singula respondeant conjentiantque eandem suscipientia rationem, pulcherrimum hoc erit ei qui inspicere possit spectaculum.* Cui concinit Menander, *Si naturæ decus mores exornent Boni, duplo amore accedens capitur.* Pulchritudo quidem, vt inquit Aristoteles, omni epistolâ est commendatior, quòd ei vis suadelæ maior insit, quàm aut orationi, aut epistolæ: vnde Phrynem, scortum nobile, venustas iudicio liberauit, quam Hyperidis oratio non eripuisset. Et Proclus omne pulcrum, dixit honestum esse, idemque amabile, eò quòd naturæ diuinæ, aliquam habeat imaginem, ex quo, τὸ καλὸν, à καλεῖν, hoc est *pulcrum*, à, *vocare*, deductum quidam existimarunt, quòd ad se vocet, & alliciat homines, cuius sensu, sicut & diuinitatis. soli animantium capiuntur. Quò pertinet illud Ciceronis 1. Officior. *Pulchritudo corporis, aptâ compositione membrorum, mouet oculos & delectat, hoc ipso quòd inter se omnes partes, quodam lepôre consentiant.* Quare Aristoteles, quærenti, cur quæ pulcra essent, tam impensè amarentur, dixit, eam esse cœci hominis interrogationem. Pulchritudo certè, desiderium sui, non sine voluptate, accedentibus immittit, in exemplum sit e millibus vnus Holofernes, qui visâ Iudithæ elegantiâ, *statim captus est in suis oculis.*

Phryne.

Iudith. 10.

Et quanquam denique Aristoteles 1. Rhetoricor. cap. 5. in puellâ, vt perfecta sit, tria desideret, formam in staturâ decente: in anima castitatem: & sedulitatem; tria quoque bona Philosophi profiteantur; animi, vt virtutes, quæ sicut animus, æternæ sunt: corporum, vt forma, oris species, & elegantia, quæ cum corpore occidunt: & fortunæ, vt diuitiæ, quæ in ipsiusmet fortunæ sunt arbitrio. Cæterùm tamen, quia, vt Sallust. in Catilinam, inquit, *diuitiarum & formæ gloria fallax, atque fragilis est.* Et Ouidius 2. de Arte,

Forma bonum, fragile est, quantumque accedit ad annos
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.

Eloquia sacra, quæ non in corporibus efformandis laborant, sed animis; non à caducâ corporis, rerumque specie, sed solo castitatis nomine, puellam seu mulierem commendant, vt Sap. 5. *O quàm pulcra est casta generatio cum claritate*, aut etiâ sedulitatis, quæ inter animi opes censetur: Prouerb. 31. *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* Et vir probus mulierem, quam natura, venustate, siue eleganti oris speciæ destituerit, siquidem solo pudicitiæ flore, tanquam præclaro animi ornamento, atque ingenuæ virtutis tesserâ, insignita fuerit, habebit quàm cômendatissimam: quia, Prouerb. 31. *Fallax gratia & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum, ipsa laudabitur*: etenim, vt quidam cecinit,

Sap. 5.

Prouerb. 31.

Prouerb. 31.

Quæ dos matronis pulcerrima? vita pudica.
Quæ casta est? de quâ mentiri fama veretur.

Hoc tam insigne animi & corporis decus, quo, nihil mulieri carius esse potest, vt integrum & impenetrabile seruari possit, iubet D. Hieronymus, virgines perpetuâ exercitatione distrahi, alioquin etiam maritis, si nupserint, nulli assuetas labori, oneri futuras. Præcidenda itaque omnis, pudicitiæ labefactandæ, occasio, quæ lasciuo discursu, & euagationibus, plurimùm impugnari solet, & expugnari, è domo namque exeuntes adolescentulæ, etiam plerumque ex seipsis abire solent, & ea videre & audire foris coguntur, quæ neque nuncijs, neque literis, neque verbis essent intellecturæ. Illa fuit vitij Dinæ inferendi occasio. Parcè itaque prodeant in publicum, & nisi incessu graui & modesto, aspectuque verecundo, vt si corpus domo efferendum sit, bona mens & pudica, suâ se semper statione tueatur. Comes enim virtutum est pudor, sine quo non potest salua esse virginitas, vt ait D. Ambros. lib. 2. de virginitate: huius autem facilis est iactura, si discurritur, si amantur consortia iuuenum, si fabulæ, & lasciui sermones admittuntur: velut enim rusticus, qui primùm in hominum cœtus, quos videre non assueuerit, vel in ignotas Principum aulas admittitur, naturali suffunditur verecundiâ: vsu autem & familiaritate, ponit

13. Virgines labori adsuefacant.

Consortij consuetudine pudor abstergitur.

ponit pudorem: vtque fera, nisi cicurata, adiri non potest: ita illæ, familiariori hominum consuetudine, necessarium seruandæ castitati, abstergunt pudorem; & iam cicuratæ comprehenduntur faciliùs. Exteriùs autem, pudor, modesto, & pudico ornatu continetur, quem D. Athanasius lib. de Virginit. descripsit, *vt indumentum non sit pretiosum, non coloratum, sed fuscum, vel album sine fimbrijs.* Impingunt interea parentes, qui vestium luxu, proles suas excipiunt à teneris, vt ornatæ demùm velint hominum oculis ostentui esse. Vnde *Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ.* Iustinus lib. 3 Lycurgum Spartanorũ regem, molliorem vestitum, suis legibus castigare, scribit: *Iuuenibus non amplius vnâ veste vti toto anno permissum: nec quenquam cultiùs altero progredi, nec epulari opulentiùs, ne imitatio in luxuriam verteretur.* Et vt Verinus canit:

Infelix patria est, pueros vbi purpura vestit.

Ibi enim plerumque bonorum morum, qui decens animæ vestis sunt, incuria & neglectus, vbi mollior corporis ornatus cordi est, quo & intuentium concupiscentia fouetur, & desideria praua accenduntur: in quæ ipsa, neruis instruit filios pater, vel non conscio patre, mater, nummis in societates & luxum datis, quo bona alioqui puerorum indoles, corrumpi, adulterarique solet: quos proinde saniùs domi continerent, omnemque ætatem idoneo sudore exercerent, vt virgines ad filum lanamque eruditæ, ignotam à puero familiari labore segnitiem, vel ipsa consuetudine, amare nesciant: atque ita vitent incentiua libidinis. Non enim habet, sublato otio, quod feriant, tela Cupidinis, quod pulchrè à Luciano descriptum in dialogis, vbi Venus, Cupidinem filium obiurgat, quòd Palladem non vulnerasset, is autem se tuetur, quòd otiosam nunquam deprehenderit, sed continuò literis operã dantem. Ideò virginibus Athenis ne otiosæ essent, solemne fuit, peplum Mineruæ contexere, in quo fortia & præclara Heroum facta exprimerent, & Palladi dicarent, vt scribit Euripidis interpres in Hecubâ.

14. Quieti nimium indulgere, otiari est.

Otio affine est, nimiæ quieti indulgere. Et hæc noua prouitatio luxuriæ, quæ ex comessationis, ebrietatisque fontibus fluens, cubili affixum, rapit in venerearum voluptatum cœnum. Ideò hanc intemperantiam superfluæ dormitationis castigaturus Apostolus ad Rom. 13. inquit, *Non in cubilibus & impudicitijs ambulandum:* cubilia præmittens impudicitijs, quòd ex nimiâ pigritantis quietis indulgentiâ, ad impudicitias fiat progressio, *Et ni*

Rom. 13.

Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studijs, & rebus honestis:
Inuidiâ, vel amore, vigil, torquebere.

Vt cecinit Horat. lib. 1. epistolar. ep. 1. Sicut namque Banaa & Rechab, latronũ principes. 2. Reg. 4. dormientem Isboseth Saulis filium super stratum suum in meridie, percusserunt in inguine, caputque eius à trunco diffibulatum abstulerũt: ita dæmon petulantiæ & procacitatis spiculo, otiosâ quiete demersos, in inguine ferit, & caput, quod est ratio absorpta venereis, ne intelligat, siue cor humanum ferino supposito, effert, secundum illud Oseæ 4. *Fornicatio, & ebrietas, & vinum auferunt cor.* Sed ô! quot, & quanti spurcarũ cogitationum æstus, in desidiosa quiete stertentis mentem exagitant? Quot, turpissimarum rerum picturis & imaginibus, phantasia illuditur, quas dæmon mirabilis pingẽdi artifex describit, in decipulam inquietis in illa quiete animæ? rectè Cato: *Nec somno deditus esto:*

Ose. 4.

Nam diuturna quies vitijs alimenta ministrat.

15. Familiaritas cum mulieribus castitati aduersa.

Succedit ardentem inspirans menti Cupidinem nimia cum mulieribus familiaritas, quæ & ad ingenitæ innocentiæ proditionem, virilem Adæ animum eduxit. Non sic vipera, viridi gliscit in herba, auidamque floris, carpentem pungit manum illatura necem, sicut ex mulierum familiari consuetudine irrepens animo flamma Cupidinis, & placet, & fæuit: quâ impetuntur quoque ij, qui earum consortia sub pietatis imagine expetunt, principium quidem à spiritu habitura, sed tandem disparato affatu, oculorum lasciuiâ, nutu faciei, corporis gestu, lenocinijs, liberiorique contrectatione, basijsque, cõcessura in carnem; Siquidem emissum à vipera venenũ, non antè inficit interituram carnem, quàm sanguini misceatur, species autem mulieris, etiam eminus oculorum contacta radio (quid autem si comminus?) occultum inspirat mortis virus, & mentem in mœchiam, ante corporis mœchiam trahit, secundum illud Matt. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.* Certè Genesis 2. in mulieris fabricam, dedit vir formatori eius, costam de suo: sed quo fœnore? non alio quàm quòd Dominus Deus *repleuit carnẽ pro eâ.* Cur ita? nisi quia vir, quantumcunque mulieri familiaris, quantumcunque illam ad probatos mores, vitæque rectitudinem promouere satagat, quod est quasi os solidum ædificandæ mulieri dare, non aliud quàm carnem, eiusque adfectus recipiat. Proindeque D. August. de Cohabitatione Clericor. & mulier. *Grauem*, inquit, *inimicum fortita est castitas, cui non solùm resistendũ est, sed dimisso freno, longiùs fugiendum: nec eò minùs cauendæ sunt, quia religiosæ dicuntur; quia quantò religiosiores, tantò citiùs alliciunt, & sub prætextu pietatis, latet viscus libidinis. Experto crede, loquor coram Deo. Non mentior. Cedros Libani, duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu, non magis suspicabar, quàm Ambrosij, vel Hieronymi.* Ideoque Ecclesi. 42. cauetur, *In medio mulierum, noli commorari:* & periculi commonemur Prouerb. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Cum mulieribus conuersari, ignem contrectare est; quo, quis non ardeat? Ideoque Eccl. 42. dicitur: *Melior est iniquitas viri, quàm mulier bene faciens:* hoc est, vt D. Cyprian. de singularitate Clericor. interpretatur, *Expediebat qualemcunque virum inutilem sustinere, pro existimatione muniendâ, quàm bonos effectus mulieris, cum existimatione turpissima?* siue, vt Lyranus inquit, minùs periculosa est conuersatio cũ homine improbo, quàm cum muliere, etiã sanctâ. Ideò D. Hieron. ad Nepotian. *Hospitiolum tuum, rarò aut nunquam, mulierum pedes terant.* Et D. Cyprian. lib. 1. epistolar. epist. 2. virginũ & masculorum cohabitationem periculosam esse censet, quòd ex aliâ corporis parte corrumpi virgo possit, quæ non spectatur, & quæ manus obstetricum & oculos fallat, quodque hac frequentatione, virginitatem sæpiùs animo corrumpant, quàm priùs corpore delinquerint: denique, quia, vt Euripides in Electrâ, act. 2 inquit, γυναικὶ τοι αἰσχρὸν μετὰ ἀνδρῶν ἑστάναι νεανιῶν.

Matt. 5.

Gen. 2.

Eccl. 42.

Prou. 6.

Eccl. 42.

Turpe est mulieri stare cum iuuenibus.

Quod assertum puta, ne quispiam arbitretur, ex hominum frequentiâ, iuuenumque consuetudine, virgines cariores iri, quum accidat contrarium. Et D. Ambrosius lib. 1. Officior. mulierum cohabitationem non sanam esse Clericis docet, *Fæminarum*, inquit, *cum clericis, nullo modo permittitur conuersatio. Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nociuum genus est fæmina quum proximat: Simulat, & ignem incendit.*

Feminæ cũ clericis conuersari non debent.

16. Curiositas carnis famula.

Curiositas quoque famulans carni, sensuum stipata satellitio, in suũ incumbit munus; atque, nunc in pulcrarum rerum contrectatione, vel dispicientiâ, nunc in turpium auditione, modò in canti-

cantilenarum blandulis vocibus, in choreis, in amatorijs bucolicis, epigrammatibus rythmisque lasciuis, modò in pictis tabulis, in Poetarum figmentis, Rhetorumque narrationibus, atque in ipsâ voluptatum experientiâ, insidijs subtiliter dispositis, bonam indolem, castos mores, omnemque pudicitiam subuertit. Propterea Salomon Prouerb. 5. *Ne intenderis fallatiæ mulieris*, inquit: oris namque venustate, odoramentis & splendore vestium, labiorum fauo, gutturisque illius nitore capieris, quisquis curiosos inieceris intuitus. Neque enim quisquam est tam prudens & eruditus, tam fortis & cōstans, tam potens & sanctus, qui hac lenâ duce, qui curiositatis implicitus consilijs, non concipiat lasciui flammas amoris. Ideóque monet Ecclesiasticus cap. 9. vt oculos & mentem ab illicit feminarum venustate diuertamus, néve simus alieni, sed nostri tantùm curiosi; *Auerte*, inquit, *faciem à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienã. Propter speciem mulieris, multi perierunt, & ex hoc, concupiscentia quasi ignis exardescit*: Nempe, vt

Prouerb. 5.

Eccl. 9.

Castitas pulcritudini anteferēda.

Sit formosa alijs vxor, tibi sit bona. Nescis
Quàm noceat casta forma pudicitiæ?

Inquit Verinus, castam præ formosa, probans. Sichem filius Emor, Dinam curiosam, quæ videri voluit, curiosè vidit & vsus est, & rapuit. Vrebatur Iosephi adolescētis castissimi amoribus, Putipharis vxor, quos ex curioso iniectu oculorum in eum, conceperat, & frustrata in furorem abijt. Gygem, apud Iustin. lib. 1. ad adspectum vxoris Candaulis Lydorum regis, quam hic ad pulcritudinis stuporem illi nudauerat vt amico, Curiositas vocauit, armauit in regem; & illa mariti dotata sanguine, regnum viri, & se pariter adultero tradidit. Et vt præteream voluptatum olim perceptarum curiosam recordationem, ad eas repetendas titillare, teste D. Hieron. epist. ad Amandum, faciliusque esse virgini continere, quàm maritæ, quòd illa ignoti non sic afficiatur cupidine, vt hæc perceptæ voluptatis occurrente specie concitatur: non minimæ sunt Curiositatis technæ expugnando decori muliebri, in voluptarijs vocum, instrumētorumque modulis, quorum suauitas in omnem lasciuiam & corruptionem, animum emollit. Quibus accedit chorearum, saltitationumque commoditas, de quibus Aristophanis interpres, in Auibus:

Mūsica in strumentorum, & choreæ, pudicitiam corrūpunt.

Eneruant animos citharæ, cantusque, lyræque,
Et vox, & nerui; brachia mota, sui.

Denique, adfectus & luxuriæ concupiscentiam validissimè incutit, lasciuæ historiæ, fabulæque curiosa lectio. Neque verò vlla est machina, hac validior, ad virginum, matronarum, viduarum pudicitiam oppugnandam. Nullaque est tam bonæ indolis fœmina, tam exactæ castitatis, tam obstinatæ atque impenetrabilis pudicitiæ, quæ huiusmodi lectione, non corrumpatur, peregrinaque libidine, ad furorem vsque accendatur. Propterea Plato, Hesiodum, Homerumque, ceu libidinis incentores, è Republicâ suâ expulit. Octauianus Augustus, Ouidium, quòd impudicis documentis iuuentutem corrupisset, in promontorium exilium, ad Getas vsque relegauit. Lacedæmonij libros Archilochi, ex ciuitate suâ exportari iusserunt, quòd eorum parum verecundam & pudicam lectionem putarēt, Valer. Max. lib. 6. cap. 3. Et nos, istos recipimus, & Martialē, Terentium, aliosque id genus eruditionis auctores, ludimagistri, discipulis suis in scholis prælegendos suscipiunt: qui sanè nisi illos castigarint, atque expurgarint, quid nisi tardè meantem veneni potum, simplicibus, atque innocentibus animis infundūt, decriptæ post ætati perniciem allaturum?

Picturas adijce, rudimenta illiteratorum, ex quibus, curiosa multitudo, plura quæ æmuletur flagitia intelligit, quàm quæ alius ex lectione cognoscat: vt merito iure Aristoteles, pœnam publicam statuerit pictoribus, qui salaces has libidinum faces, in obscœnis tabulis, turbæ oculis subijciunt.

Postremò tandem, superbia, & mentis timor, si suppurauerit saniem creat, & pus luxuriæ: habet nempè in quo detumescat & extinguatur regina vitiorum superbia, fœdæ prurientis libidinis lutum. Sit illa primos homines confecit, abiecitque ad repugnantis carnis sensum voluptarium. Hoc namque institutum Numinis, præclaros quandoque viros, quos superbia excœcauit, permittere luxuriæ, vt suffusi delicti pudore atque infamiâ, humiliter & modestè, de se in posterum sentiant: quod indicatū Osee. 5. *Quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. Et respondebit arrogantia Israël in facie eius, & Israël & Ephraim ruent in iniquitate suâ.* In quē locum D. Gregor. *Culpa quæ per elationem mente in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondebit.* Quā de re commonens filium suum Tobias cap. 4. inquit, *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsâ enim initium sumpsit omnis perditio.*

17.
Superbia à luxuriam detumescit.

Ose. 5.

Tob. 4.

Isti sunt molles Sirenum cantus, & pocula Circes, quibus intoxicari solent etiam illi, qui ad virtutem, tāquam patriam festinant, has proinde, vt inquit Tzetzes, præterire opus est, exemplo Vlyssis, qui vt naufragas Syrenes enauigaret incolumis, *Illeuit cerâ sociorum, calles tis, aures.* Et vt Clemens lib. 2. Pædag. cap. 6. inquit, ἀφεκτέον τῶν αἰσχρῶν ἀκουσμάτων, καὶ ῥημάτων, καὶ θεαμάτων, *Abstinendum à turpibus acroamatis, verbis & spectaculis.* Ceram quippe, & cera firmius spissamentum, timorem Domini, foribus animi obdere oportet eū, cui virtus, & sua salus curæ est.

Fornicationis grauitas, & pœna.

PRotritiores ad luxuriam vias recensuimus, quæ in sex præcipuè species, à Gratiano. 36. quæst. 1. c. lex illa, D. Thoma. 2. 2. quæst. 154. art. 1. & alijs, enumeratas, excurrens, humanam fœdat naturam, quam Dei filius ex virgine nascens, castitati consecrauit. Sunt autem species illæ, *Fornicatio* simplex: Adulterium: Incestus: Stuprum: Raptus: & Vitium contra naturam: quibus si addideris Immunditiam, siue Impudicitiam, & Sacrilegium, quæ tamen ad aliquas recēsitarum reuocari possunt, octo efficies. Fornicationem, esse omnem illiciti concubitus speciem putauit Gelasius Papa, in cap. lex illa, §. cùm ergo. 36. quæst. 1. ipsa tamē ad meretricios soluti cum soluta complexus, restringitur. Adulterio sanctā coniugalis tori fœdera violantur: Incestu affinitas, & sanguis sanguine polluitur. Stupro deflorantur virgines. Raptu vi abducuntur. Vitio cōtra naturam, spes omnis humanæ propagationis succiditur. Immunditiâ atque impudicitiâ, oscula libidinosa, tactus, complexus etiam nō omnino pudendi, & confabulationes continentur, quæ omnia pariter atque fornicationem, cauēda monet Apostolus ad Ephes. 5. *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis.* Diuusque Cyprianus itidem crimini deputauit lib. 1. epist. 11. ad Pomponium, totidem verbis. *Si incorrupta inuēta fuerit virgo ea parte sui, quâ mulier potest esse: potuerit tamen ex aliâ corporis parte peccasse, quæ corrumpi potest, & tamen inspici non potest. Certè ipse concubitus, ipse cōplexus, ipsa confabulatio & osculatio, & coniacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur?* Sacrilegio vel locus, vel sacræ Deo, votoque castitatis adstrictæ personæ, cum iniuriâ

18.
Fornicationis sex species.

Speciem luxuriæ efferentis.

Ephes. 5.

iniuriâ & irreuerentiâ creatoris contaminatur.

Fornicatio.

Non hîc mei instituti singula persequi, sat erit, si quædam, vnde cæterorũ grauitas fœditasque haberi possit, attigero. A fornicatione exordior, ad adulterium inde transiturus: Illa igitur graue delictum est, vt D. Cyprianus inquit lib. 3. testimonior. ad Quirinum, num 63. & ex genere suo lethale, vtpote excludens regno Christi, & Dei, teste Apostolo ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt Fornicatio, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur:* cui consonum est illud Apocal 21. *Homicidis & fornicatoribus, &c. pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secũda.* Ad Ephes. 5. *Fornicatio & omnis immunditia, &c. nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Vbi Theodoretus, *Quàm sint execrãda quæ dicta sunt, satis ostẽdit, quum ipsas earũ appellationes, è memoriâ amãdare iusserit.*

Galat. 5.

Apocal. 21.

Ephes. 5.

19. Fornicatio est peccatũ mort.

Plures sunt sacrorum voluminum sententiæ, quæ hanc impuritatem barathri flammis deuouent, quas prætereo, vt priscorum Ecclesiæ procerum pauca, in huiusce veritatis robur, proferam; videantque quàm fractâ fide fuerint, qui in diuersam olim abiere sententiam: affirmat ergo D. Augustinus. quæst. 71. in Exod. fornicationẽ, illegitimum esse concubitum, ideoque eam non secus præcepto, *Non mœchaberis,* prohiberi, atque rapina, quæ ex naturâ suâ mortiferâ labe mentẽ inquinat, præcepto *Non furtum facies.* Ait enim: *Si furti nomine intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ: non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed vtique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur; profectò & nomine mœchiæ, omnis illicitus cõcubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi.* Et vt ab omni scortationis genere mens seruetur innoxia, cuius volaticæ voluptatis virulẽtiâ, extincto Soteris sanguine in redimiam dato, in non interituros esset recessura cruciatus, serm. 150. de tempore, cap. 3. monet vt *Non solùm ab extranearum mulierum familiaritate, sed etiam ancillarum nostrarum, vel quarumcũque vicinarum, aut filiæ, aut alumnæ, aut ancillæ, vnusquisque familiaritatem, vel secretam collocutionem vitare contẽdat: quia quantò earum vilior conditio, tanto facilior ruina est. De familiaritate enim talium, Salomon nos admonet dicens: Nunquid alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta eius non ardebũt? Aut ambulabit quis super prunas, & non comburentur plantæ eius:* Et illud; *Pretium meretricis, vix dimidium panis, mulier autem pretiosam viri animam capit. Et quanta iniquitas, & quàm lugenda peruersitas, vt animam quam Christus sanguine suo redemit, Luxuriosus quisque propter vnius momenti delectationem libidinis, diabolo vendat. Verè enim nimiũm plangenda & miseranda conditio est, vbi citò præterit quod delectat, & per diabolum in cruce manet sine fine quod cruciat. Sub momento enim, libidinis impetus transit, & opprobrium infelicis animæ permanet.* Hæc D. Augustinus: qui etiã, volenti non impiari mentem ad prostitutam accessu, quasi nulla illi fieret iniuria, respondet violari Dei imaginem. *Vnde facit tibi iniuriam*, inquit lib. de 10. chordis cap. 10. *qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in quâ tabulâ imago tua est in domo tuâ inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet nonne in te esse contumeliam factam attendis? Quum verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationem, & per diffluentias libidinis, attendis quia ad nullius vxorem accessisti? attendis quia post vxorem tuam nihil fecisti, quia vxorem non habes: & non attendis per libidines, & illicitas fornicationes, cuius imaginem violasti?* Sed & serm. 16. de Verbis Domini, fornicationem suapte ratione illicitam esse, argumenta eius quod dixit Apostolus 1. Corinth. 6. *Qui autem fornicatur, in suũ corpus peccat*, quoniam corpora nostra templum sunt Dei, luculenter ostendit: *Si eligeres*, inquit, *in Ecclesiâ facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modò autem tu ipse es templum Dei, templum intras, templum exis, templum in domo tuâ manes, templum surgis; Vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, & in ruinam vertaris.* Quod ipsum confirmat ex illis eiusdem Apostoli verbis, ibidem. *Nescitis quòd corpora vestra membra sunt Christi?* quibus à fornicatione deterret Apostolus, quasi dicat, *Non tanquam sponsa sponso Christo coniuncti estis?* vt scribit Theodoretus: ex quo concludit, *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Membra nostra, Christi membra appellans, vt *ista membra tua, non sint tua, sed Christi*, inquit Theodoretus: vtpote, cuius seruitio deputari debent, secundum illud Rom. 9. *Exhibeatis membra vestra arma iustitiæ Deo*, vt inquit D. Thomas ibi lect. 3. Non dissimili argumento idem contestatur D. Chrysostomus hom. 18. in epistolam primam ad Corinth. cum Isidoro lib. 2. sententiar. de summo bono cap. 38. totidem verbis: *Inter cætera septem vitia, fornicatio maximi est sceleris, quia per carnis immunditiam templum Dei violat, & tollens membrum Christi, facit membrum meretricis.* Et rursum D. August. de 10. chordis cap. 1. *Ipse ergo Dominus, qui scit quid tibi sit vtile, vxorem concessit, nihil amplius. Hoc iussit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum eius, quod esse cœpisti.* Et, *Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei?*

Prou. 6.

Fornicatione simplici iniuria fit Deo.

1. Cor. 6.

1. Cor. 6.

Rom. 9.

20. Veneream voluptatem esse naturalem.

Obtrudant iam suæ defensores lasciuiæ, naturalem esse voluptatem, propterea quòd animalia omnia, illâ adducantur: quum timor, animi imbecillitas, atque animorum affectus, non in omnibus animalibus reperiantur, quæ à ratione vtentibus, reprobantur, vt scribit Athenæus Dipnosophista, lib. 12. cap. 11. & cecinit Virgilius 3. Georgicon.

> *Omne adeò genus in terris, hominumque, ferarumque,*
> *Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,*
> *In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.*

Concubinatus an permissus aliquando.

Censeant fornicationis patrato facinore, nullo scelere impiasse mentem, siquidem suo corpore vtantur, ad vsum à Deo institutum: nec quidquã esse, quod fini istius vsus aduersetur, præcipuè concedentibus pati fide, in bonam futuræ prolis educationem: velut in Concubinatu, quem iure Pandectarum. l. in concubinatu, de Concubi. permissum fuisse constat: & Alexandrum Cæsarem, Magistratibus quibus cõmittebat prouincias, exemplo veterum, si vxores non haberent, singulas concubinas cõcessisse, quòd sine his esse non possent: vt scribit Iul. Capitolinus in Alexandro.

Certè luxuriantem hanc libidinem, ne in ferinos desiliat impetus, intra rationis & prudentiæ frena, iustâ & ad castitatem sufficiente moderatione, residere oportet. Apostolus autem Philosophos, qui fornicationem, aliasque carnis spurcitias, licitas esse putarunt, seriò castigauit, cæloque exclusit, hominis corpus, non ad fornicationem ordinatum esse contendens. 1. Corint. 6. sed, vt sit Domini nostri Iesu Christi, tanquam membrum eius, & Spiritus sancti inhabitantis domicilium: Dominum verò datum esse hominibus, vt quia caput illorum est constitutus, humana corpora, suæ conformet gloriæ, secũdum illud, ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, sicut interpretatur D. Thomas, illud Apostoli, lect. 3. *Corpus autem nõ fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori.* Non enim sicut venter est cibi receptaculum, ità corpus propter fornicationem creatum est, inquit Theodoret. sed propter vsum generationis, ordinatâ ratione, cui omnia membra corporis deseruire debent, inquit D. Thomas suprà.

Philip. 3.

1. Cor. 6.

Et quanquam ex pacto, fideque mutuâ, proli caueretur, non tamen tam certo, tamque apto

modo, ei consuleretur, quàm oportet, salusque eius æterna interdum postularet. Quapropter neque ex eo capite purgatur fornicationis deformitas, quam tantò grauiorem esse scribit D. Tho. 2. 2. quæst. 153. art. 3. quantò in re maximè necessaria inuenitur: *Quia, inquit, quantò aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet, vt circa illud rationis ordo seruetur: vnde per consequens magis est vitium si ordo rationis prætermittitur. Vsus autem venereorum, est valde necessarius ad bonum commune, quod est conseruatio generis humani. Et ideò circa hoc, maximè attendi debet rationis ordo: & per cōsequens, si quid circa hoc fiat, præter id quod ordo rationis habet, vitiosum erit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, vt ordinem & modum rationis excedat circa venerea: & ideò, absque dubio, luxuria est peccatum.* Etsi denique Concubinatus, quo nomine soluti cum soluta, aut etiam cum viduâ, contubernium intelligimus, Pandectarum lege interdum concessus videatur, ob vitanda scilicet adulteria, pluriumque scortationes, malo hoc tolerato, vt maius proscriberetur: non tamē per omnia approbatus est, inquit Petrus Gregorius Syntagmatis iuris vniuersi lib. 10. c. 2. quando & imminuta honestas illius mulieris esset, quæ se in concubinatum dedisset. Certū autem est, omnem concubinatum, & illicitum extra nuptias concubitum, improbatum semper & punitum. c. nemo sibi blandiatur. 32. q. 4. can. de consanguinit. 35. quæst. 3. c. 1. 30. q. 5. neque id iure Pōtificio tantùm, sed etiam nouissimo ciuili, quia castitatem amplexæ sunt eius leges. §. illud, quib. mod. nat. effic. sui. Antè quidem quàm veritatis Euangelicæ lux irradiasset orbi, omnium penè nationum vitium fuit, siue prolis habendæ, siue libidinis explēndæ caussâ, concubinatu irretiri. Discussit istius erroris tenebras veritatis iubar, ad quod, vt auctor de rectitudine catholicæ cōuersationis apud D. Augustinum tomo 9. inquit, *Concubinas, siue antè nuptias, siue post nuptias habere prohibemur, quia omnino illicitum est. Nam qui vxorem legitimam ducere cogitat, dignum est, vt virginitatem vsque ad nuptias custodiat, & post nuptias nullam alteram, nisi vnam legitimam coniugem cognoscat, sicut Apostolus præcipit.* Et ad quod filium suum adhortatur Tobias c. 4. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam, nunquam patiaris crimen scire.* Eapropter si interdū compereris in decretis Patrum. Can. omnib. cum seq. 34. dist. concubinatum permissum: concubinatus nomine, vxorem intellige, quæ in maritum consenserit, atque ita contraxit matrimonium: quia verò, ecclesiasticis precibus, sanctisque cæremonijs initiatum non fuit, itaque clandestinè factum; quod ad Ecclesiam spectat, quia apud eam de contractu illius non constat; etsi aliàs verè contractum sit: tamen pro non cōtracto habetur. c. cum inhibit. de clandest. desponsat. Et sic concubinatus approbatus, matrimonium est, vt rectè admonuit P. Gregor. suprà.

Concubinatus ante Euangelium, in vsu fuit.

Tob. 4.

Concubinatus nomine quid intelligendum.

21.

Nicolaitæ vxores communes esse volebant.

Porrò autem iure prorsus omni, scortationis, prostitutionisque prohibitio, & vindicta certior: vt meritò quis stupeat, id spurcitiarum genus, olim in Ecclesiam, religionis obtentu, bruto quodam impetu, Nicolaitarum hæresi, irruisse, qui vitandæ zelotypiæ caussâ, nōn modò vxores prostituebant, verùm etiam, veluti lege Platonicâ, communes habendas esse, docebant: de quibus Apocal. 2. & Irenæus lib. 1. cap. 27. Græcos schismaticos, licitam sibi fornicationem existimasse, vt narrat Guido Carmelita in Catalogo hæresum: Gnosticos, non modò licitam, sed etiam frequentandam censuisse, apud Epiphaniū, hæresi 26. De quibus quid aliud ominari licet, quàm quod incendium concupiscentiæ luminis naturæ facem in ipsis extinxerit, ad cuius radiū cognoscere debuerant, illam turpitudinem, veluti rem suo genio malam atque execrandam, æquè ac idololatria, & furtum, & homicidium, iuri naturæ aduersari, ureque diuino, iure Pontificio, iure Cæsareo, necnon etiam iure ciuili, pœnis coërceri? vt autem pauca exempla in re tam manifestâ, proferam, quid cantatius quàm illud, *Non mœchaberis!* illud, naturâ dictante, amplexaræ sunt etiam gentes barbaræ, apud quas, transgressoribus pœnæ, à bonis Principibus, constitutæ, & quidem de Drusi, Germanicique temporibus lib. 2. Annalium Corn. Tacitus, totidem verbis, *Grauibus Senatus decretis, libido fœminarum coërcita, cautumque ne quæstum corpore faceret, cui auus, aut pater, aut maritus, Eques Romanus fuisset*, scilicet putarunt illi natalium splendorem hac sordidâ labe tenebrari. Sed neque ignoscendum censet ius ciuile Pandectarum, ei, quæ obtentu paupertatis, etiam turpissimam vitam elegerit: & quæstum corpore facturæ, licentiam stupri apud Ædiles vulgabant, inquit Alexādēr Sardus, de moribus & ritibus gentium lib. 1. cap. 14. *More inter veteres recepto*, inquit Tacitus, *qui satis pœnarū aduersus impudicas in ipsâ professione flagitij, credebant.* Néve matronas inter irreperent, definitum illis impudicitiæ signum: *Togatæ erant*, ait Sardus, *succinctæque veste, quod ex Aphranio Togatarum scriptore, patet.* Tolosæ, ab armis dependens ligulâ, erat symbolum, inquit Petr. Gregor. Syntagmatis iur. vniuer. lib. 10. cap. 2. num. 38. Iure quoque ciuili Romanorum, meretricius cōcubitus, & lenocinium damnatur, & lenæ capitis pœnæ supponuntur. §. 1. & tot. tit. de lenonib. in Authent. graue enim crimen est pudicos animos ad libidinem lenocinio deflectere, nec dissimile illi quo quæstus fit proprij corporis. Apud Persas prostituisse pudicitiam, summæ erat infamiæ, & Artaxerxes Arbacem extremo supplicio obnoxium, satis punitum putauit, si meretricem humeris, totum diem publicè circumferret. Plutarch in Artaxerxe. Athenis, inquit Alexand. Sardus, meretrices templis arcebantur: nullas in vrbem admittebant Cij, nec tibicines: in quâ insulâ nunquam adulterium, aut veteres concubitus commissos dicunt; nec apud Seras, vbi non meretrices sunt, non fures. In regione Palmariâ noui orbis, nauigationis Hispanicæ, nefas est, & morte piandum, ante connubia, nosse venerem: auctor Petr Martyr lib. noui orbis, de insulis nuper repertis. Domitianus Cæsar, lege perpetuâ, mulieribus incontinēter viuentibus, legata, hæreditatesque acceptādi facultatem ademit, Sueton. in Domitiano: Periander apud Corinthios, quæ pudorem prostituissent, in vndas submersit, Heraclides lib. de politijs, in politiâ Corinthior. & Numer. 31. iugulantur. Scortorum quippe nō leue facinus, venale corpus habere, velut propolę merces, quas distrahūnt, & contra naturam, ex membris suis, quorum nemo Dominus est, quęstum facere, probrum mergentibus lymphis meritò expiandum.

Fornicationi pœnæ constitutæ.

Domitianus Cæsar.

22.

Lupanaria an permittenda.

Interim tamen barbarorum Principum, Legislatorumque consilio, instituta in ciuitatibus lupanaria, & instructa prostibulis. fit ille magnus Atheniensium legislator Solon, lupanaria ædificauit, & scorta meritoria iuuentuti comparauit, è republicâ fore arbitratus; si illa concessâ venere, fracto iuuentutis impetu, castiorum pudicitiæ parceretur. Eadem mente, seu potiùs lenonio commēto, in Christianâ Republicâ proh dolor! siue Principum, Magistratuúmve patientiâ, siue politiæ necessitate erecta istius turpissimæ fœditatis theatra publica, non sine turpi earum ciuitatum famâ, in quibus illa tunc cōspicua; quasi verò iunctus egello illic libidinis impetu, peiora conari sit destitura: impossibileque

est,

sit, his absque, Reipublicæ tranquillitati, matronarum integritati, viduarum pudicitiæ, virginũ ac vestalium pudori, rectè consulere, sine quibus tamen olim populus Israël per tot sæcula continentissimè durauit, sicut illis præceptum à Domino Deut. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filijs Israël:* cùm ex priscis seculis inter Christianos non fuerint, qui stupra interrẽt, non fœminæ, nec mares, quæstum corpore facerẽt; sed Seniores vt alienæ pudicitiæ parceretur, matrimonio iuuenibus virgines collocarent, & ijs qui salaciores viderentur, viduas etiam iuuenes, vt scribit Alex Sardus lib. 3. de morib. & ritib. gentium, cap. 27. & apud Boemos meliori statuto, lupanaria publica fuerint prohibita teste Ænea Syluio, lib. 11. de dictis & factis Alphonsi, cap. 61. Iustinianus quoque Cęsar lenonum, meretricumque sodalitia, Bizantij sustulerit, atque in meliorem frugem receptarũ, Cœnobium ædificarit, quod reditibus amplissimè locupletauit, auctor Procopius l. 1. de ædific. Iustinia. Scipio denique, scorta tanquam noxia, castris pepulerit, Suidas, ἑταῖρα. Et certè, quæ principes castigare non poterant, extra ciuitates esse, & lupanaria voluerunt, indictâ fustigationis pœnâ redeuntibus in oppida, quam subiẽt eorum auctoritate, qui iurisdictioni loci præessent; & Romæ prostabant meretrices extra mœnia, in fornicibus, à quibus fornicationis nomẽclaturæ, ob idque dictæ à Martiali l. 8. vxores submœnianæ:

Conuiua Zoili quisquis potest esse,
Submœnianas cœnet inter vxores.

Deuter. 23.

Iustinianus Imp.

Scipio.

Interdictaque illis, veluti lepræ cõtagio infectis, cum alijs mulieribus communicatio, ne quas, exemplo, vel colloquio pollucrent: quã ob rem, fæx huiusmodi mulierum & lenonum, à viciniâ honestâ extrudi debet, & tãquam cadauera fœtida, quæ sana corpora visu, & tabificâ lue inficiũt, velut in cloacam & sentinam malorum, impelli.

23. Lupanaria qui fouent, scorta approbant.

Viderint autem Principes, Iudices & Magistratus, quicunque lupanaria fouent, aut quouis modo permittunt, non scorta non approbent in nominis Christiani probrum, quæ Numinis & naturæ leges improbarunt, minùs, quàm Athenienses, prouidi, qui accepti à scorto beneficij, meminisse volentes, scorti non meminerunt, rem narrat Plin. l. 34. nat. hist. c. 8. de Leænâ Iphicratis, totidem verbis scribens, Scortum hæc lyræ cãtu familiare Harmodio & Aristogitoni, consilia eorũ de tyrãnicidio, vsque ad mortem excruciata, tyrannis non prodidit. Quamobrem Athenienses, & honorem habere ei volentes, nec tamen scortũ celebrasse, animal nominis eius fecere: atque vt intelligeretur caussa honoris, in opere linguam addi ab artifice vetuerunt. Viderint, inquam, prostibulorum fautores, quibus, etsi ipsi nõ scortentur, dicturus est Dominus illud ps. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuã ponebas. Hæc fecisti, & tacui: existimasti iniquè quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Nobis enim satis non est, inquit Tertull. de spectac. c. 15. si ipsi nihil tale faciamus, nisi & talia facientibus, non conferamur. *Potestas quippe magna & potentissima,* ait Saluian. l. 7. de Prouidentiâ, *quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. In cuius enim manu est vt prohibeat, iubet agi, si non prohibet admitti.* Hoc autẽ quid aliud est, quàm cum adulteris portionem suam ponere? alienum scelus tibi placuisse satis, vt eiusdem reus fias. ita D. August. in ps. 49. *Ne fortè diceres, non feci furtum,* inquit, *non feci adulterium: quid si placuit tibi qui fecit? Nonne ipso placito concurristi? Nonne portionẽ tuam cum illo qui fecit, laudando posuisti*: deinde, *Etsi nõ facis, & laudas quod fit, astipulator es facti, quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ.* Abominati sunt barbari fœminarum impuritates, horruerunt lustra & lupanaria, horruerunt concubitus, contactusque meretricum. Nunquid hoc laudabile vllis videri potest, Christianos admittere, quod horruerunt Barbari? Wandalos Africâ olim potitos, hanc labem, quâ gens illa laborabat, nõ solùm horruisse, sed etiam sustulisse scribit Saluian. *Potest enim quis inhonesta horrere, non tollere: illud magni & singularis est meriti, non solùm ipsum labe non pollui, sed prouidere etiam ne vnquam alij polluantur. Procurator enim est quodammodo salutis humanæ, qui non tantùm agit vt ipse bonus sit, sed efficere hoc nititur, vt alij mali esse desistant.* Horruerunt ergo illi contagiones meretricum, nec horruerũt tantum, aut temporariè submouerunt, sed penitus iam non esse fecerunt, nõ interficientes mulierculas infelices: ne vitiorum curam crudelitate respergerent. Sed ita errantes emendauerunt, vt factum eorum medicina esset, pœna non esset: iusserunt siquidem & compulerunt omnes ad maritalem torum transire meretrices. Sarta in connubia verterunt, implẽtes scilicet Apostoli dictum atque mandatum. Et vt vnaquæque mulier virum habeat suum, & vnusquisque vir coniugem suam, vt quia cohiberi cõtinentia sine hac carnalis vsus permixtione non posset, ita legitimum vsum calor corporalis acciperet, vt peccatum incontinentia non haberet. In quo quidem non id tantummodo prouisum est, vt viros fœminæ haberent, quæ sine viris esse non possent, sed etiam vt per conseruatores domesticos saluæ essent, quæ seipsas seruare nescirent, & adhærentes iugiter tabernaculo maritali, etiamsi ad improbum eas facinus consuetudo anteactæ impuritatis illiceret, coniugalis tamen custodia ab improbitate prohiberet. Addiderunt quoque ad libidinem comprimendam, seueras pudicitiæ sanctiones decretorum, gladio impudicitiam coërcentes, vt puritatem scilicet vtriusque sexus & domi connubij seruaret affectus, & in publico metus legum: ac sic duplici præsidio castimonia niteretur, cùm & intus esset quod amaretur, & foris quod timeretur. Leges autem illorum nequaquam sunt illis legibus consentaneæ, quæ ita partem improbitatis remouent, vt partem obscœnitatis admittant, vt Romana illa decreta, quæ scortatores quidem ab alienis vxoribus remouerunt, ad omnes autem solitarias passim admiserunt, adulteria vetantes, lupanaria ædificantes. Hactenus Saluianus.

Psal. 49.

Quæ, quantaq; sint nocumenta luxuriæ?

14.

ACris & irrequieta cupiditas, quã Venus in licentiores vsus conciliata, flagitiosè quæritur, viperæ morsu nocentiùs, sibi deuotis, extremum illatura fatum: testes illi, qui Exodi 32. & Numer. 25. sese blandientis lasciuiæ imperio dediderunt, sub cuius adhuc lenocinãtis dolosæ voluptatis fauo, machæra vtrimque acutâ confossi, hàc, periere idolomaniâ, illàc corporis nece; de quibus D. Ephræm Syrus in illud *Attende tibi* cap. 9. *Et nosse cupis, quàm grauis & periculosa est fornicatio? Quos enim occidere nequiuerunt in eremo morsus serpentũ, hos Madianitarum fornicatio prostrauit, & per fornicationem, etiam idolorum victimam comedere non recusarunt, vnde ex populo ceciderunt vno die viginti tria millia.* Neque tamen hoc in peregrinæ libidinis sectatoribus minimum malorum dixerim, quod & natura ipsa, conuertatur, sæuiatque in scortatorum viscera, corpusque animumque castiget, atque non vno supplicio ad pœnas rapiat. Peccat equidem is qui fornicatur in corpus suũ, 1. Cor. 6. siue, quòd voluptuaria ista iucunditas in carne subsidat, alia verò peccata spiritum afficiant: siue, quòd calcato rationis vsu, corpus inquinet, atque

Natura scortatores plectit.

1. Cor. 6.

que corrumpat: siue quòd anima infra iusti decoris sui fastigiũ, illius libidinis actu pressa nullo tunc alio quàm carnis sensu affici possit. Quid iam autẽ ex carne metat seruus peccati, nisi corruptionem? Corpus namque quod se luxuriæ dicauit & tenebris, fœdum visitur, polluitur, exhauritur, fœtidum, olidum, hircinum redditur, exsugitur, exsiccatur. Imò & vxorios nimium, plusque quàm par sit, rei venereę deditos conspicies, colore giluo, buxeo, exangui, plumbeo, mẽbris, articulisque fractis, & eneruatis. Venus enim venustatem depopulatur, inquit Leuin Lemnius, lib. 3. de occult. rerum miraculis c. 2. sequitur podagræ, sciathicæ, iliacæ passiones, stomachi dolores, vertigines capitis, elephantiasis, scabies Gallica, seu Neapolitana, & alia eius generis: breuiatur vita, deficit intellectus, obnubilatur mens.

Continentiã & temperantiã, vita fit productior.

Cur enim in annos plures veterum vita esset productior, minusque afflicta morbis, illorum temperantiæ, atque continentiæ dandum est. Ita Barclaius Iconis animor. c. 8. quod è Noruergiâ, finitimisque regnis, tantæ gentes olim numero suo, & victorijs celebratæ, toti Europæ infusæ sint, hodie autem tanta multitudo, & quasi fons gentium aruerit, vt quum bella ingruerint, externo milite vti consuescant; non aliunde factum ominatur, nisi quòd cùm frugales ibi olim in inculto solo essent, ignarique vitiorum, multa sobole increuerint, nũc autem insano commessandi, bibendique vitio, genitalem, vitalemque vim obruisse. Eccl. 38. *Propter crapulam obierunt multi, qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Neque verò vni genti propria luxuria, sed in totum orbem criminatio.

Eccl. 38.

Totum per orbem maximum est exortum malum,
Luxuria pestis blanda.

Inquit Seneca in Octauia, & hæc, ceu ignis è barathri caminis prosiliens, vniuersa populat, cuius papulum, gula; turpitudo, flamma; immundicia, cinis; infamia, fumus; tormentum, finis. Plin. hist. nat. l. 26. c. 1. supra trecenta morborum genera homini esse scribit, præter noua quæ timentur: & istorum pars plurima à luxuriæ veterno ducit originem, (*nam voluptates immoderatè sectari, dolores perquirere, existimandum est*, ait Athenæus l. 12. c. 1.) nonnullorum autem consumpta remedia. Quamuis enim Orus & Aratus Æsculapij discipuli, quingentis venenorum generibus, tabem eluentia remedia adinuenerint, frustra tamẽ Neapolitanæ grandini abigendæ insudarunt. Quâ in re Diuinæ Iustitiæ radius micat: quia enim nullum adeò peccatum est, quod verecundiâ premẽte, magis occultè perpetratur, voluit illud Deus in exemplum, palam conspicuis morbi notis puniri. Quippe non speciosior illis quàm morbo pallentibus color, inquit Seneca ep. 122. & languidi, & euanidi albent, subrubentibus pustulis, ad speciei deformitatem grandinati, & in viuis caro morticina est: *Ex quo intelligatur*, ait Cic. Offic. l. 1. *corporis voluptatem, non satis esse dignam hominis præstantiâ, eamque contemni & reijci oportere. Sin sit quispiã qui aliquid tribuat voluptati, diligenter sciat ei tenendum esse modum eius fruendæ.*

25. Luxuria eneruat.

Quantum verò in ipsas corporis vires grassetur hoc incendium, exemplo sit Samson, qui primùm mulierculæ præda, cessit pòst in prædam hostibus suis. Verinus:

Quis Samsone fuit, quis fortior Hercule? constat
Femineis ambos succubuisse toris.

Quòd si Salmacis in Cariâ iuxta Halicarnassum fontis, ea vis credita, vt euiraret qui se in eo lauarent, de quo Ouid. 4. Metam.

Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde
Semiuir, & tactis subitò mollescat in vndis.

Verior est luxuriæ vis, quâ qui diffluunt, eneruantur. Iob. 36. *Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos.* Ideoque Cornel. Scipio missus in Hispaniam, scortorum duo millia Romanorum castris exegit auctor Valer. Max. lib. 1. quorum consuetudine, militum robur exhauriebatur. Insignis victoria hæc, victæ libidinis, qua vinci solent etiam qui armis vinci non potuere. Prouerb. 7. *Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab eâ.* Verinus:

Iob. 36. Scipio.

Prou. 7.

Fæmina magnanimos domuit persæpè leones:
Prædaque victores sæpè fuere duces.

Mars in adulterio deprehensus.

Sic Mars belli Deus, victus, & vinctus, in complexu Veneris Vulcani coniugis, Deorum spectaculo expositus est, de quo sic Athenæus Dipnosophista l. 12. c. 1. Tum fortissimus Mars à debilissimo Vulcano ligatus fuit, qui cùm illegitimis amoribus detineretur, calumniam ac pudorem, ex illis reportauit. Inquit enim ad Deos, qui vt eum vinctum viderent, conuenerant:

Si quod agit virtute caret, celerem capiet te
Vel tardus; tardo sum Mars comprensus vt ipse
Vulcano, superum cùm velocissimus essem.
Irretit volucres sic claudus is, artibus istu. Hactenus Athenæus.

Quot sunt præterea qui ad victorias & triũphos geniti, irretiti eâ libidine, præclara facinora negligentes, suam ipsi gloriã afflixerunt? eiusmodi quondam in Ponto Mithrydates, in Capuâ Hannibal, in Alexandriâ Cæsar, in Græciâ Demetrius, in Ægypto Antonius. Feriatur olim ab opere Hercules propter Iolem, Achilles pugnam detrectat, propter Briseidem, moratur Circe Vlyssem, moritur in carcere Claudius propter Virgineam, retinetur Cæsar per Cleopatram, eademque exitio fuit Antonio.

Opes frangit.

Adde neruos opum frangi, patrimonij calamitatem, totiusque rei familiaris naufragium turpium amorum delinimentis accelerari, secundũ illud Prou. 29. *Qui autem nutrit scortum perdet substantiam.* Ventris enim caussâ, terrâ, marique exquirenda omnia, ad lyræ, citharaque modulos, choreę & tripudia instituenda, vestis cultior & ornatus, cuius incesserit libido, emenda, his autem exhauriuntur loculi, citiùs quàm ἀφύα ἐς πῦρ, id est *aphya ad ignẽ* decoquitur, semper quod scorto detur, ad manũ esse debet; cupidum & insatiabile animal. &, vt Horatiano illo vtar, in art. Poët.

Prou. 29.

Non missura autem nisi plena cruoris hirudo.

Isti sunt amicæ mores, fuctu rem tuam hauric, quâ haustâ echino fit asperior. Quâ de caussâ Plautus in Trinum. luxuriam inopiæ matrem facit: & accinit Claudian. 1. in Ruffinum:

Et Luxus populator opum, cui semper adhærens,
Infelix humili gressu comitatur egestas.

Semper enim, vti Ouidius de arte cecinit:

inuenit artem
Fæmina, quâ cupidi captat amantis opes,

Velut meretrix meum herum miserum, inquit ille, apud Plautum in Trucul. *suâ blanditiâ intulit*
In pauperiem, priuauit bonis, luce, honore, atque amicis.

Tantaque, tamque grauis interdum eâ ex re conflatur rei familiaris egestas, vt reliquus non sit,

Frangendus misero gingiuâ panis inermi.

26. Veneris imago.

Quamobrem veterum quidam, Venerem porrectâ manu finxere, non eò solùm, vt iurantis speciem exprimerent, quòd amantes sint in iuramẽta & periuria proni, quorum veniam apud Deos dixere facilem, teste Athenæo l. 12. c. 1. totidem verbis, Verùm sic ratio postulat, vt in voluptatibus quę spectant ad rem veneream, quę omnium maximę esse dicuntur, vel peieratio veniam apud Deos consequatur: velut voluptates puerorum, qui

qui nondum compotes sunt rationis: hæc ille: in quibus amantes, tanquam amentes, vsu rationis carere censet, ne procorum, amatorumque suorũ sacramentis puellæ fidem adijciant, sed animo erecto succenteant potiùs, aut etiam rideant, velut

Iupiter ex alto periuria ridet amantum.

Sed etiã extensâ manu efficta Venus, quòd scortum, nunquam non intentum in munera animum habeat, spolietque amantem, citiùs quàm si tu obijcias formicis papauerem, vt Stasimus seruus, apud Plautum in Trinummo, inquit. Nec antè dimittat, quàm cinclum auem effecerit, cui nempe, neque villula, neque domus, neque arca, vt Catullus de Furio scripsit, neque quidquam sit, quod suum possit dicere

Πτωχότερος ἢ λεβηρίδος καὶ κιγκάλου

Mendicior leberide, atque cincalo. Ait Menander in Thaide.

Lais.

Quod prostibuli genium significatura Lais scortum elegans & nobile, tumulo suo Leænæ figuram cum ariete intra eius pedes priores, imponi voluit, non eã mente, vt suam ipsa lasciuiæ petulantiam, per arietem proderet, sicut visum est Pierio Valeriano Hieroglyphicor. l. 10 c. 31. sed potiùs, vt Leænã, meretricis rapacitatem crudelitatemque significaret, siquidem iuxta Poëtæ veteris senarium:

Ἴσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης:

Par est leænæ, & fœminæ crudelitas.

Ariete verò, amantis stultitiam stoliditatemque, quẽ protinus leæna deglubit, à quã non habetur beneuolè, nisi porraceã fronde adstrictã alligatamque crumenam ferat, in quam inuolet. Sed enim, quæ non inflicta vulnera, quæ non priuatæ neces, quas sæpe videre cogimur, istius immanis belluæ occasione perpetratæ? Quæ regna, quæ vrbes, quæ palatia sæuis non funesta cladibus? Propter fornicarios amores, fœminarumque raptus, Thebani, Phocenses, Circei expugnati atque deleti sunt, ipsumque Peloponnesiacum bellum à Pericle susceptum est, ac decennali bello expugnatum Ilium, totius Asiæ, Græciæque detrimento maximo. Similes ob caussas Tarquinius, Claudius, Dionysius, Hannibal, Ptolomæus, M. Antonius, Rodoaldus Longobardus, Childericus Francus, Aduincelaus Boëmus, atque Manphrodus Neapolitanus, mortem, & patriæ ruinam passi sunt. Propter Canam Iuliam Tingitanæ prouinciæ præfecti filiam, cui Rodericus rex vitium obtulerat, pulsis Gothis, Saraceni omnem Hispaniam occuparunt. Henricus secundus Anglorum rex, ob stupratam nurum suam Philippi Francorum regis sororem, à filio suo regno pulsus est. Tempus me deficeret, si ortas ex luxuriã clades, sceleratáque facta, & afflictas domos recensere vellem. Istud sit satis, improbã venere eneruari funestarique omnia: Quapropter Paridis iudicium, quod antiquitùs factum est, vt rectè Athenæus lib. 12. c. 1. *Voluptatis, virtutisque comparationem esse contenderim, Cùm Venus igitur potior iudicata fuisset, id est, voluptas, omnia confusa perturbataque sunt.* Ipsa quippe furoris genitrix est, quosque suis stimulis agit, turbatã totius corporis œconomiã, & reginã ratione suo deturbatã solio, inque ditionem & imperium redactã furoris, in eam impellit amentiam, vt ea quis faciat, quæ alioqui sanã mente non esset admissurus, ideoque Alexander Aphrodisæus fabulam contexuit quã proditum est Erynnim furiatum vnam à Cupidine adamatam, quòd videlicet, amantes furiosis quibusdam affectibus agitentur, quibus tantùm intumescunt, vt ex penso ad rationis libellam eorum impetu, Amoris furore nihil esse vehementius dixerit Iustinianus Cæsar. §. illud quoque. quib. mod. nat. effic. legi in Authen. apud Petr. Greg. Syntagmatis iuris vniuersi l. 30. c. 3. solius que perfectæ philosophiæ, illum cohibere: quo qui correpti sint, bacchantes veluti furore vini affici. §. erat, de successio. quæ fiebant per bono. vindic. vnde Virgil. in epigram.

Luxuriæ clades.

Erynnis furia cur à Cupidine amata.

Vno namque modo, vina, venusque nocent.

Et vt scribit Hesiodus in Theog. impurus amor, lætam mentium sublimitatem, earumque præclaros affectus domat.

ἠδ' ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι,
λυσιμελής, πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων,
δάμναται ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

Atque amor, qui pulcerrimus inter immortales Deos,
Soluens curas, & omnium Deorũ, & omnium hominum,
Domat in pectoribus animum, & prudens consilium.

27.
Luxuria cur capitale vitium.

Indeque est, cur Luxuria vitiorum capitalium vnum esse censeatur. Quia enim, venereorum delectatione, nulla vehementior, totam animi intentionem, ad materiata conuertit, & applicat, abstrahitque à spiritualiũ diuinarumque rerum consideratione, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 15. art. 3. perfectio autem intellectualis functionis in homine, in abstractione quadam ab ijs quæ sub sensum cadunt sit posita, à quibus quantò altiùs mens euocatur, tantò meliùs intelligibilia considerat: obscœna voluptas, animum ad sensibilium fæcem quibus capitur, è fastigio suo deturbat quo fit, vt nihil tunc sublime agitare, nullum ingenij aut prudentiæ opus, moliri queat. Quo ex fonte, plura alia vitia, tanquam luxuriæ effectus quidam, deriuantur, præcipuè verò illa octo, quorum meminit D. Gregor. lib. 31. moral. cap. 17. *De luxuriã, cæcitas, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur,* quæ sic explicat D. Tho. 2. 2. quæst. 153. art. 5. *Per vitium luxuriæ maximè appetitus concupiscibilis, vehementer intendit suo obiecto delectabili, propter vehementiam passionis & delectationis: & ideo consequens est, quod per luxuriam maximè superiores vires deordinentur, scilicet ratio & voluntas. Sunt enim rationis quatuor actus in agendis: primò simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem, vt bonum, & quantum ad hoc, ponitur cæcitas mentis. Secundus actus, est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem: & quantum ad hoc, ponitur præcipitatio, quæ importat subtractionem consilij. Tertius actus est iudicium de agendis, & quantum ad hoc ponitur inconsideratio. Quartus est præceptum rationis de agendo, & quantum ad hoc, ponitur inconstantia. Ex parte autem voluntatis cõsequitur duplex actus inordinatus, quorum vnus est appetitus finis, & quantum ad hoc ponitur amor sui, quãtum ad delectationem quam inordinatè appetit, & per oppositum odium Dei: alius autem est eorum, quæ sunt ad finem; & quantum ad hoc ponitur affectus præsentis sæculi, in quo vult frui voluptate, & per oppositum desperatio futuri: quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat peruenire ad spirituales, sed fastidit.*

Rationis actus quatuor.

Voluntatis actus duo.

Quamuis autẽ voluptates corporis impediant prudentiam, vt inquit Aristoteles 7. Ethic. c. 11. & quò vehementiores sunt, eò densiorem menti caliginem offundunt, & rationis, & iudicij sedẽ occupant, corpusque animumque illecebris in seruitutem pertrahunt: ideoque cœcitas, & hebetudo mentis, ceteraque huiusmodi ex alijs varijsque cupiditatibus oriri possint: maximè tamẽ illa ex petulantiã lasciuæ libidinis prodire solent, quomodo de impudicis senibus Dan. 13. legimus, quòd quum exarsissent cõcupiscentiã, *Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Quò pertinet illud psal. 75. *Supercecidit ignis,* scilicet concupiscentiæ, *& non viderunt solem,* id est, nõ attenderunt ad iudiciorum Dei, rerumque diuinarum lucem.

Daniel. 13.

Ps. 75.

Dira libido, quæ animæ & corporis lumina obscurat, mentis aciē obruit, de quâ D. Aug. l. 14. de Ciu. Dei, c. 16. *Hæc autem sibi, non solùm totum corpus, nec solū extrinsecus, verumetiam intrinsecus vendicat, totumque commouet hominem animi simul affectu cum carnis appetitu coniunctio, atque permixto, vt & voluptas sequatur, quâ maior in corporis voluptatibus nulla est: ita vt momento ipso temporis, quo ad eius peruenitur extremum, penè omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruitur.* Feritur autem hoc ancipiti voluptatis ense homo, & in corpore & in intellectu; quoniam, vt inquit idem Doctorum Antistes Augustinus lib. 10. de Genesi ad literam, c. 12. *Ipsius concupiscentiæ carnalis caussa, non est in anima sola, sed multò minus est in carne solâ. Ex vtroque enim fit: ex anima scilicet, quòd sine illâ delectatio nulla sentitur: ex carne autem, quòd sine illâ carnalis delectatio nō sentitur.* Illo percussus est Salomonis decor, & ex sapientissimo, stolidissimus amator factus, seruiuit idololatriæ. 3 Reg. 11. quantū occæcatæ mentis vulnus? *Sol hominum Salomon*, inquit Valer. ad Ruffinum, *thesaurus deliciarum Domini, sapientiæ singulare domicilium, crasso tenebrarum fuscatus atramento, lucem animæ suæ, odorem famæ suæ, gloriā domus suæ, amore mulieris amisit: & postremò, incuruatus coram Baalim, ex Ecclesiastico dono, mutatus est in membrum Zabuli, id est, ex concionatore Dei, mutatus est in membrum diaboli.* Notum illud Claudiani:

> *Luxuries prædulce malum: quæ dedita semper*
> *Corporis arbitrijs, hebetat caligine sensus.*

Et blanditiarum eius delinimentis, obtunditur acies ingenij. Quapropter D. August. l. de verâ religione, asserit Platonem discipulos edocere solitum, vt à venereis voluptatibus abstinerēt, persuasúmque haberent veritatem, non corporis oculis, aut sensu aliquo, sed solâ mentis puritate videri, ad quam percipiēdam, nihil magis impedimento esset, quàm vita libidinibus dedita. Ita referunt Conimbricenses in lib. 2. de Generat. & corrup. c. 8. quæst. 4. art. 1. quò spectat illud Senecæ, in præfat. l. 7. declamationum. *Nihil est tam mortiferum ingenijs, quàm luxuria.* Adduntque istiusmodi voluptates cerebro, in quo interni sensus insunt, plurimum nocere, ex Galeno, in Comment. l. 8. Epidem. Hippocratis; Arnaldo in speculo introductionum medicinalium c. 83. & l. de regim. sanit. part. 2. c. 6. & Albert. Magno l. 12. de animalibus, qui narrat, factà aliquādo cuiusdam corporis humani dissectione, inuentum fuisse caput cerebro exhaustum. Cuius rei, quū Medici caussam inuestigassent, compertum fuisse frequentem vsū rei venereæ. Neque minus oculis officit, quorum vsus, quàm sit ad ingenij munia necessarius, ignorat nemo: ideoque Poëtæ, cæcum finxere Cupidinem, quòd corpori, mentique aspectum eripiat: vt autem immoderatâ Venere, videndi organum, & inhærens facultas lædatur, scripsit Arist. l. 2. de generat. animalium c. 5. & Galenus l. 4. de locis affectis, alijque quamplurimi.

Venerea voluptas cerebro nocet.

Et oculis.

Istæ sunt strages & incōmoda luxuriæ, isti sunt Cupidinis arcus & vulnera, qui sub infuētis mali dulcedine, quos suis lenocinijs rapit, affligit. Et commodum erit cuiquam mortalium, sub leui modicæ voluptatis bracteâ delitescenti, huic se tyranno addicere? nisi fortè quibusdam pulcrum videatur, non cum Catone apud Plutarch. in M. Portio Catone, in reipub. administratione, animæque culturâ, sed cum Dionysio Syracusano, in tyrannide sepeliri, non in castitate, sed in impudicitiâ mori. Neque tamen hoc extremum in illis malorum esse dixerim, aliud pudendū est, & execrandum, virum illum esse apud eos, & alium neminem, non qui seuero à se imperio tela cupidinis arceat, sed qui succubuerit: adeò vt erubescat castus inter impudicos, de quo queritur D. Aug. l. de decem chordis, c. 9. totidem verbis, *Ad hoc delapsa est humana peruersitas, vt vir habeatur à libidine victus, & vir non habeatur victor libidinis. Triumphantes exultant, & non sunt viri: iacent prostrati, & viri sunt!*

Capitis 38. §. 12.

De adulterij grauitate, eiusq́; pœnis.

Genialis tori sacra esse fœdera, omnium gentium consensio est, quæ proinde & omnino inuiolata esse voluerunt, aut violata, grauiter & acerbè vindicarunt. Est autē hæc non solùm scripta, sed etiam nata lex, quam principio rerum indiuiduâ suæ societate protoplastus noster consecrauit. Obscurauere ergo illi, qui contrarijs institutis, non ordinatæ naturæ, sed libidinis suæ seruientes furori, aut sponsas adulterijs priùs subiecere, quàm viri concessis hymenæis, quomodo Baleares spōsas, amicos nuptiali cœnâ exceptos, suis legibus admittere, & extremo loco virum, scribit Alex. Sardus de morib. & ritib. gentium lib. 1. cap. 4. quomodo apud Nasamones & Angilas nocte primâ, noua nupta, singulos cōuiuas in complexum recipit, ab ijs donum acceptura: & in fortunatis Insulis Regi ius virginis cuiusque vxoris, zonam soluere, non mariti. Vt omittā Tebetheos Indos, Adyrmachidas Afros, qui hospitibus: Volsinienses qui seruis corrumpendas vxores dabant. Aut quum tres quatuórve liberos suscepisset, fœcūdas vxores, alijs viris prolis gratiâ permisere, vt Tapyri, qui inter Derbicas & Hyrcanos, Romanive ex Numæ lege: & apud Sparthas, senes, qui vxores suas, iuuenibus commisceri iubebant, ex quibus susceptos filios sibi adscriberent, Sardus c. 6. Aut denique communes habendas vxores censuisse, vt Massagetæ, nonnullæque aliæ nationes barbaræ; quibus accedere videntur noui homines nostri, qui in statutis Geneuensibus prælo cōmissis anno 1560. ita decreuerunt, licere viro, propter absentiam coniugis, trinâ denuntiatione per tres dominicas factâ, nisi cōparuerit, alteram in vxorem accipere. Mulieri autem, viro in longam peregrinationem profecto, vnius anni continentiam indici; postea verò si viri contubernio eguerit, posse nubere alteri.

1. Matrimonium omnibus sacrum est.

Decretum Geneuēsiū de matrimonio.

Quorum decreta, mente præcepisse, & ante exortum, ratione obtruncasse videtur D. Ambrosius l. 1. de Abraham c. 4. dicens: *Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab vxore debetur castimonia. Quidquid in eam quæ non sit legitima vxor, commissum fuerit, adulterij damnatur crimine.* Sed neque procreandorū filiorum caussa concessum adulterium, excusari vllo modo potest: *Non enim propterea flagitiorum est permittenda licentia*, inquit D. Aug. l. 2. de adulterinis coniugijs cap. 11. *aut viro tam cauendum est sine posteris mori, quàm pudicè in posterum viuere*: qui & Catonem lib. 5. contra Iulian. Pelagian. c. 12. damnat, quòd susceptis aliquot ex Martia vxore liberis, ne illius fæcunditate grauaretur, Hortensio fæcundam cesserit, quomodo Atticæ sapientiæ vir Socrates, suam vxorem alteri viro tradidisse fertur.

Sed enim, isti fuerunt nequitiæ furores, quibus concitati obscœnitatis antistites, aut in alienum cubile eluttriendum, aut nouum incerti tori temporaneū fœdus, viro, vel vxore adhuc superstite paciscendū potiùs, quàm continendū, sanxerunt: sublestiori fide matrimonia, quàm pecus aliquod nundinantes. Quibus aduersatæ gentes etiā barbaræ, quarū animus purior lege quadam naturæ menti diuinitùs insitâ, sanctā esse rem matrimonij, & maius quiddam, quàm vt humanū inuentum existimari possit, intellexerunt, inquit Stanislaus Hosius Cōfessionis Christianæ to. 1. c. 55. atque ideò vagos cōcubitus arcebant aut de ijs qui stuprum, vel adulteriū cōmisissent, pœnas capitis,

2. Adulterij peccatum graue.

tis legibus fouebant. Non erat tamen apud eos matrimonij sacramentum, cùm eis liceret, etiã nulla caussâ matrimoniũ rescindere. Sed neque apud Iudæos, apud quos maior etiam fuit matrimonij sanctitas, fuit matrimonij sacramentum, eadem illâ ratione, quâ apud nos est sacramentũ: quibus & ipsis ob duritiam cordis, permissum erat vxores dimittere, quamuis leuem ob caussam. Solum ergo Christianum matrimonium, sacramentum rectè dicitur, & est. Hæc ille. Et hoc violare non formidat Christianus, qui tanto se grauiori crimine polluit, quantò sacratiora præ reliquis celebrati cõiugij iura temerantur, & vxorius pudor soluitur. Quâ in re, non se Dei reuerentiæ cultorem, nõ iuris naturæ patronum, sed præuaricatorẽ, totiusque pudicitiæ, & omnis legis contemptorem profitetur, Epicureis ipsis deterior, flagitiosiorque, qui quamuis in voluptate corporis suam felicitatem collocarent, adulterium tamen, aut tanquam naturæ inimicum, aut vt pœnarum inductiuum, exhorruerunt, teste Origene lib. 7. contra Celsum totidem verbis. Declinant adulteriũ qui Zenonis statuta philosophando sectantur, nec secus & Epicurei plerique. Sed dum adulterium in omnes declinant, vide quàm inter se differant, siquidem hi ex mutuâ partim caritate, partim quia præter animantis naturam, qui ratione vtatur, esse decernunt, velle mulierem adulterare, quæ alteri cuiquam ex lege priùs desponderit, & alterius hominis corrumpere domicilium. Epicurei verò, idcircò nihil adulterando delinquunt, quum adulterio abstinent, quia bonorum finem in voluptate præfiniunt, & eis pleraque obstent, quæ voluptatem hanc intercipiant, cùm qui fornicandi hanc viam subierint, in carcerem plerumque detrudantur, vel mortes incurrant nonnunquam; hæc ille. Et D. Chrysost. hom. 62. in Io. inquit, adulter, alienam domum trepidus & formidolosus ingreditur, omnia timet, & seruos, & liberos: hæc autèm voluptati sunt contraria. Quidquid sit tamen, adulterio abstinent, tanquã rei, & felicitati, & naturæ aduersanti: quâ duce, tanta sub Licurgo fuit mulierum pudicitia, vt adulterij crimen apud ipsas pro incredibili haberetur: hinc apud Plutar. to. 1. opusc. in apopht. Laconum, Geradatæ cuiusdam ex antiquissimis Spartanorum, responsum hospiti quærenti, quâ pœnâ Spartæ in adulteros vindicaretur. Nullus, inquit, apud nos fit adulter, inferenti, quid autẽ si aliquando existeret? Tantum, inquit, perdere cogitur, tantæ magnitudinis, vt capite trans montẽ taygetum porrecto ex Eurota fluuio bibat. Dicẽti quomodo posset tantus inueniri? subiecit, quo verò pacto Spartæ possit adulter existere, vbi diuitiæ, luxus & fucus ignominiosa censentur: verecundia autem, modestia, & subditorum obedientia obtinent. Hæc ibi. Scilicet, vt inquit Seneca in Thyeste. act. 3.

Humi iacentem scelera non intrant casam.

Matrimonium nouæ legis sacramentum.

Eadem naturâ prælucente, Pharao Ægypti Rex, qui Saram vxorem Abrahæ, suam erat facturus, Gen. 12. cognito illius connubij nexu, illibatam reddidit viro. *Etsi naturâ ferus ac barbarus*, inquit D. Ambros. l. 1. de Abraham. c. 2. *tamen significat etiam exteris ac barbaris moribus esse curam pudoris, & adulterij etiam sibi crimen cauendum. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si barbarus ius naturæ nouit, muta animalia, licet nullis constringantur legibus, sunt tamen aliqua, quæ non solum paribus suis copulæ seruent fidem, verumetiam coitus vnius castitatem custodiant. Ita maior lex naturæ, quàm legum præscriptio est.*

Pharao.

Et verò brutorum pleraque, aut nescire adulterium, aut admissæ fœditatis quam acerbè vindicent, sensum habere, proditum est. Plinius enim lib. 8. nat. hist. c. 5. inter elephantes casta & verecunda esse coniugia, eaque intemerato custodiri, scribit: pudore, inquit, nunquam nisi in abdito coëunt, mas quinquennis, fœmina decennis. Initur autem biennio, quinis, vt ferunt, cuiusque anni diebus, nec amplius: sexto perfundũtur amne, non ante reduces ad agmen. Nec adulteria nouere nulláve propter fœminas, inter se prælia, cæteris animalibus perniciália. Et c. 16. Leones suarum coniugum adulteria sentiunt, totaque vi cõsurgunt in pœnã: nam cùm leæna ferueat ad coitum, vt tradit Gesnerus, leo autem ob nimiũ temperamenti calorem, non admodum inire possit, admittit illa Pardũ. Quòd cùm odore percipiat leo, aquis illa se niuis lauat, vt adulterij odor obliteretur, antequam ad leonem redeat, aut lõgiùs comitatur, inquit Plin. vbi verò pariendi tempus appetit, in montes & loca pardalibus consueta, cõfugit paritque catulos maculosos, simulansque se venationis gratiâ abesse à coniuge, in densissimis nutrit filios, quos deprehensos, leones lacerant, & sobolem, tanquam adulterinam abijciũt. Camelum oculis pallio obtectis matri admissariũ exhibuerat quidã, vt narrat Arist. 11. de animalibus: sed is peracto concubitu, vt matrem cognouit, calce virum qui eam submiserat, elisit, & interemit: adeò adulterium, incestumque execratur camelus. In volatilibus, palumbes, & columbarũ genere cinericij neque mares fœminas vsque ad mortem deserunt, inquit Athenæus l. 9. c. 16. neque fœminæ rursus mares; sed vbi viduus relinquitur, alter viuit absque alterius cõiugio; hoc idem, corui, monedulæ, & cornices faciunt. Tertull. lib. de Monogamia c. 8. columbam ait autem esse non tantum innocuam, verùm & pudicam, quam vnam vnus & masculus nouit: quod & de perdicibus testatur Alexand. Sardus l. 1. de ritib. & morib. gent. c. 5. vnde epithalamium Athenis ἐκ κορὶ κορὶ, quæ perdicũ vox est, inquit, quæ tantâ religione matrimonij iura seruant, vt alterâ mortuâ, superstes, vitam omnem viduam degat, quod etiam faciunt cornices, quare & ipsæ inuocabantur in nuptijs, concordiæ, vt ait Ælianus omen. Sin autem palumbes impudico amore capti, inquit Ælian. l. 3. de animalib. c. 44 ad alienam venerem libidinis oculos adiecerint, eos reliqui circumsedentes, marem quidẽ mares discerpunt, fœminas verò fœminæ disperdunt. Huiusce etiã modi castitatis lex ad turtures pertinet, sanctaq; & sincera permanet: tum etiam ad columbas albas manat, præterquam, quod non vtramque occidunt, nam marem dumtaxat perimunt: fœminam verò illius misericordiâ permoti, impunitã atque inultam, in viduitate reliquam ætatem ducere permittunt: ita Ælianus. Ioannes à Sancto Geminiano, Ciconia, inquit, si alium masculum cognouerit, nisi lota ad comparẽ non redit. Cygnus, non solum adulterium refugit, sed & si cum coniuge concubuerit, tanquam rem turpem & fœtidam fecerit, nisi se lauerit, cibum non sumit. Hæc ille, l. 1. de cælo & elementis c. 43. Sed quantò castiora hæc animalia Christianis, qui multis sceleribus & adulterijs inquinati, absque pœnitentiæ lauacro, adeunt Eucharisticas dapes? Gesnerus apud aquas Sextianas congregari ciconias narrat, vbi habitis inter se publicis concionibus, commurmurant, exercitum lustrant, cognitionibus diem vnum aut alterum traducunt, iudicia grauiter exercent, & si quã tardior segnities morata est, aut adulterij crimen conuicit, eam communibus sententijs dispungunt, occiduntque: Guilielmus quoque Parisiensis, Primæ partis de vniuerso, parte 3. capite 8. testatur, *Tempore meo*, inquit, *ciconia tanquam de adultero conuicta per olfactum*

3. Bruta adulteria com- parium vlciscuntur. Quadrupedia.

Volatilia.

factum masculi sui, congregatâ multitudine ciconiarum, nescio qualiter accusante masculo, vel detegente eius crimen, à totâ illâ multitudine deplumata atque dilacerata est, tanquam concilio aut iudicio omnium esset adulterij iudicata.

Aquatilia.

Est & in marinis beluis sua castimonia, & adulterij fuga: Gesnerus ex Æliano, ætneum piscem, siue cantharum, castitate præstare scribit, de quibus Oppianus, post sargos, & merulos salaces; cecinit:

Vxores sargi multas, & merulus ardens
Ducunt: ast alij contenti coniuge solâ
Cantharus, ætnæus spernentes agmina lecti.

Posteaquam enim ætneus, cum pari suo, tanquã vxore cum quadam coniunctus, eam sortitus est, aliam non attingit, neque ob fidem tuendam sponsalium, tabulis illi opus est; neque malæ tractationis pœnam timet, neque Solonem veretur, ex quo leges nobiles, & vrbes graues profectæ sunt, quibus libidinosi homines non parere nihil verentur. D. Ambrosius quoque, Scorpænam castitatem immaculati cõnubij generi suo seruare asserit, lib. 5. Hexamer. cap. 3. Aliud est naturæ insigne documentum: eas animantes, nõ in suum genus adulterum, sæuire tantùm, sed etiam humana adulteria denotare, & vindicare. Ælian. cap. 42. & Athenæus lib. 9 cap. 12. Polemon, inquit lib. 5. eorum quæ ad Antigonum, ac Adæum scripsit, Porphyrionem ait, auem, domi educatum, mulieres quæ sunt sub viri imperio diligenter obseruare, eiusmodiq́ue sensum habere adulterium admittentis, vt quãdo hoc cognouerit, domino significet, sibiq́ue vitam suffocatione finiat. Ciconia, inquit Ælianus lib. 8. c. 20. riuali inuidiâ laborare fertur, seu quod sit Zelorypa: nam cùm in Cramione Thessaliæ, Alcinoë eximia formâ mulier, marito peregrè profecto, stupri consuetudinem cum seruo haberet, cubilis iugalis perfidiam non ferens, facto impetu, mulierem oculorum sensu, orbauit, illatam Domino vlrura iniuriam. Et lib 7. cap. 25. Canicula Sicula, ab adulterâ, peregrè redeuntis mariti sentiente prælentiam abditum quo cum consueuerat, adulterum, latratu, pedibusq́ue constupratoris receptatrices fores conuellens, prodidit, heroq́ue sæuum quid suspicanti tradidit, accinctum in suam necem. Libro verò 11. de animalib. c. 15. Elephantem scribit, domitoris & altoris sui vxorem cum stupratore interfecisse, vt cædis caussam, vtroque in stragulo iacente, rector agnosceret. Et alium Romæ sub Tito Imperatore, non solùm occidisse adulteros, sed etiam stragula veste eos texisse, nutritio autem aduenienti retexisse, vt flagitium intelligeret, quod ipse cornu adhuc cruento, vindicarat.

Adulteria humana incant bruta.

4. Adulterum occidens vt excusetur.

Quibus exemplis adductus Theodoricus Gothorum Rex, fuisse videtur, vt excusatum haberet eum, qui adulterum occiderat, ep. ad Crispinũ apud Cassiod. l. 1. var. ep. 37. tanquam vindicandi adulteria lex quædam omni animanti innata sit: *Quis ferat*, inquit, *hominem ad leges trahere, qui matrimonij ausus est iura violare? feris insitum est copulam suâ extremâ decertatione defendere. Dum omnibus animantibus est inimicum, quod naturali lege damnatur. Videmus tauros, fœminas suas cornuali concertatione defendere: arietes pro suis ouibus capitaliter insanire; equos adiunctas sibi fœminas colaphis & morsibus vindicare: ita pro copulatis sibi animas ponunt, qui verecundiâ nõ mouentur. Homo autem, quomodo patiatur inultum relinquere adulterium, quod ad æternum suum dedecus cognoscitur commisisse?* Tanti nempe flagitij habitum est adulterium, vt verus mariti dolor, illatam deprehenso adultero necem, licitam fecisse videatur, adstipulante præsertim legum fauore, quarum concessione, adulteria vlcisci quibusdam liberũ fuit. Solonis quippe lege, impunè interimitur adulter deprehensus, quam legem primus tulisse creditur Hyettus Argiuus, quum Molurum Arisbantis interfecisset vxorem adulterantem, inquit Alexander Sardus lib. 2 de ritib. & morib. gent. cap. 29. Hoc ius maritis in vxores datum scribit ex M. Catone Aul. Gell. Noct. Attic. lib. 10. cap. 23. vbi & iniqua hæc lex, quæ vxores solas grauat: *In adulterio vxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio, impunè necares: illa te (si adulterâres) digito non auderet contingere. Neque ius est.* Lege 12. tabular. tit. 11. de iniurijs, sic cauetur, *Mœchum in adulterio deprehensum, necato.* l. Marito. 24. de adulterijs. P. & l. si adulterium. §. Imperatores. l. Gracchus 4. C. eod. tit. l. 3. §. si maritus: permittitur marito vt occidat adulterum, si vilis sit persona & humilis, in domo propriâ, in ipso flagitij actu deprehensũm: Lex Vuisigothorum hac de re similis est. l. 4. de adulterijs lib. 3. Cod. Vuisig. tit. 4. *Si adulterum cũ adulterâ, maritus vel sponsus occiderit, pro homicida non teneatur.* Vbi & sponso occidendi ius, quia matrimonij vel cõiugij violatio, extenditur quoque ad sponsas, vt non solum matrimonium violare nõ liceat inquit Petr. Gregor. Syntag. iur. vni. lib. 36. cap 6. 2. 1. sed nec spem matrimonij l. si vxor. 13. §. diui. & §. si minor de adulterijs. P.

Licetne marito adulterum occidere?

Et vxorem adulteram necare?

Patri quoque fas esse filiam, quæ coniugata sit, & in patris potestate, cuiuslibet fuerit conditionis, in suâ & generi domo, in ipso opere turpi, cũ adultero deprehensam, vno eodem impetu occidere si possit. Nam l. 20. P. de adulterijs, *Patri datur ius occidendi adulterum cum filiâ, quam in potestate habet* l. 22. §. 2. *Ius occidendi patri cõceditur domus suæ, licet ibi filia non habitet, vel in domo generi,* l. 23. *Voluit lex ita demum hanc potestatem patri competere, si in ipsâ turpitudine filiam deprehendat:* inquit Leonar. Lessius de Iure & iustit. lib. 2. cap 9 dubitat 5. num. 14. quod & in filijs occidentibus vtrosque iussu patris obseruandum placuit Alexandro Cæsari. l. Gracchus. §. 1. cod. tit. C. inquit Pet. Greg. quod & Vuisigothorum legibus sancitur. l. 5. cod. tit. *Si filiam in adulterio, pater in domo suâ occiderit, nullam pœnam aut calumniam incurrat. Si certè eam reseruare voluerit, faciendi de ipsâ, & adultero quod voluerit habeat potestatem. Similiter & fratres, siue patrui, post obitum patris, faciendi habeant potestatem.*

Adulteram filiam patri ius occidendi.

5. Homicidium adulterio maius.

Cæterum quanquam mariti primus iusti doloris motus, si adulterum adulterámve necarit, excusationem aliquam mereri videatur, legesq́ue ciuiles propterea, cæsorem in adulterij copulâ reperti, velint innoxium, quod tanquam iustæ punitionis executor, vt in plerisque alijs criminibus accidit, non priuatâ, sed publicâ auctoritate fecerit, quod fecit. Siue vt Lessius n. 15. adnotauit, fas sit maritis, iure Cæsareo, non vxores adulteras, sed adulterum tantùm occidere, vxores verò accusare in iudicio vt puniantur: Patri verò permittatur, vt filiam simul, & adulterum occidat. Iure tamen Pontificio, non ita graue scelus ducitur adulterium pati, ac vxorem interimere. cap. si quod verius. 33. quæst. 2. Quare in foro animæ, non esse licitum ante sententiam marito adulterum, aut vxorem adulteram occidere, communis est Doctorum sententia. Cui licet repugnet Iulius Clarus lib. 5. sententiarum iuris. §. homicidium, num. 50. & 51. dicens hanc permissionem legis non esse contra conscientiam, præsertim cùm tot præclara Græcorum Romanorúmve ingenia, nullam in huiusmodi permissione tot seculis, iniustitiam viderint, legesq́ue istæ, in Iustiniani Principis Christiani codicem redactæ sint, & à principibus viris & Iureconsultis acceptatæ. Nullo modo tamen, vel ipsius adulteri cædes à mortali delicto

excu-

excusari potest; cùm parata sint iuris & accusationis remedia, ad vindicandum adulterium. Nec est singulis concedendum quod per magistratus licet expediri. l. non est singulis. de regul. iur. P. & idcirco iudiciorum vigor in medio positus est, ne quisquam sibi valeat permittere iniuriam. c. porrò de diuortijs. Quocirca iure quoque ciuili, occidens adulteram, non omnino excusatur à delicto, sed pœnâ afficitur aliquâ. l. si adulterum. §. Imperatores ad l. Iul. de adulter. P. Ita sentiunt Petrus Gregor. Couarr. de matrimonio. 2. part. cap. 7. §. 7. num. 15. & Lessius supra. num. 16. vbi leges illas ciuiles, per quas impunè liceret adulterum occidere, per Canones reprobatas videri scribit. Nam 33. quæst. 2. cap. inter hæc, inquit, Nicolaus I. Papa consultus, liceréteneꝛ marito, secundum legem mundanam, vxorē in adulterio deprehensam occidere? respondit. *Sancta Dei Ecclesia, mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet nisi spiritalem, quo non occidit, sed viuificat.* Vbi occultè insinuat Ecclesiam illam legem improbare. Sed & D. August. lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 15. apertè. *Verùm dicitur, non licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantum dimittere*: nisi fortè per iudicem, ei occidenda tradatur, vt fit in quibusdam regnis, inquit Lessius.

Hæc dicta sint, vt quàm execrandum adulterij facinus semper habitum fuerit, ex legum seueritate constet, quæ vxoricidium, homicidium, parricidiumque tolerare, leuiùs duxerunt, quàm lectuli coniugalis sanctitatem tanto flagitio conspurcari, quæ tamen iam non toleranda videntur, tum quòd parata sint iudiciorum, accusationisque præsidia, tenerique adulteri, capive possint, quod secus in alijs flagitiosis hominibus, velut in bannitis, accidit, qui cùm capi non possint, cuiuis traduntur occidendi: tum etiam quia omnis cædium rescindenda occasio quæ domi patrari posset, fingente marito, patréve, etiam innocentem quemque, cum vxore, aut filia habere commercium.

Adulterium vnde dicatur.

Quum autem adulterium, secundum D. Thomam, sit ad alienum torum accessio, & adulter dicatur inquit Ioan. Viualdus, *De verâ contritione.* quasi alienum violans torum, vel quasi alienum vterum terens, vel ad alterius vxorem accedens, siue vt Tertul. lib. de Monogamiâ, cap. 9. *Cùm quoquo modo disiunctis duobus, alia caro, imò aliena miscetur, de qua dici non possit hæc est caro ex carne mea, & hoc os ex ossibus meis*: committi illud potest, vel ex parte viri tantùm, vel ex parte fœminæ tantùm, vel ex parte vtriusque. Et graue quidem est vxorati cum soluta, peccatum, grauius tamen coniugatæ, cum soluto; grauissimum verò, vtriusque vinculis coniugalibus adstricti.

6. Adulterij grauitas.

Graue omnino est, non illos solùm, qui Ecclesiæ Dei gremio non continentur, sed Christianos præcipuè, qui sacrorum fontium, ac sanctæ Cōfirmationis fœdere, *Sub ijsdem alis cubantes*, (vt D. Nazianzeni orat. 1. de pace, verbis vtar) *vnanimes Dei domum ingressi, vnam in harmoniam pulcritudinis ac spiritus conglutinati sunt*, violatâ lectuli genialis sanctitate, alteri carni misceri. Habet autē hoc peccatum, supra simplicis fornicationis malitiam, quam Basil. Legionensis noster lib. 10. de matrimonio c. 12 n. 6. in studio effrænatæ voluptatis, absque eius naturali fine consistere, eruditissimè scribit, additam iniustitiam: à quâ inferendâ, & Dei, Matrimonij institutoris, & sacramenti eiusdem auctoris reuerentia, deterrere vnumquemque debet. Est enim matrimonium vnius cum vnâ à Deo institutum, sicut Scriptura testatur, Geneseos namque 2. Deus formauit mulierem de costâ viri, quam ille primus homo mox agnouit sibi datam in sociam, & adiutorium propagationis humanæ, atque illud ita indissolubile esse cōfirmauit, vt vir parētes potiùs quàm vxorem relinquere debeat. Audiamus in hāc rem D. Chrysostomum hom. 32. in Matth. *Masculum, inquit, & fœminam, non masculos, & multas fœminas, vt vni masculo liceat plures fœminas possidere: neque masculos & fœminam, vt vni fœminæ liceat plures viros accipere: sed masculum & fœminam, vt vna fœmina nullum putet masculū factum esse in seculo præter vnum: vt vnus masculus nullā putet fœminam esse factam in seculo nisi vnam. Non enim duas aut tres costas tulit de latere viri, & duas aut tres fecit mulieres.* Et hoc vinculū vnius cum vnâ, quod ipse instituit Deus, audeat homo Christianus, ad aliam carnem transitu dissoluere? Illud sanè sanctum semper & inuiolabile esse voluerunt, vel ipsi infideles, quod ex Isocrate ad Nicoclem liquet, adulteros, tāquam perfidos, iniurios, atque improuidos insectante. *Ac hæc non possum non vehementer accusare illos, inquit, qui ductis vxoribus & initâ totius vitæ societate, pactis & conuentis non starent: sed dum suis voluptatibus indulgerent, eas offenderent, à quibus ipsi in nullâ re offendi se vellent: cùm in alijs contractibus æquitatem colerent, solas conuentiones cum vxoribus factas violarent, quæ tanto sanctiùs custodiendæ erāt, quantò sunt alijs interiores & maiores. Deinde nec illud isti animaduertunt, seipsos sibi factiones, & dissidia in suis regijs serere.* Vidit Orator ille, adulterium iuri naturæ ex diametro opponi, quo præfinitum istud est, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quam in sententiam præclarè D. Aug. lib. de decem chordis cap. 9. *Nolite mœchari post vxores vestras, quia non vultis vt mœchentur post vos vxores vestræ. Nolite ire vos quo eas sequi non vultis. Sine causâ vos excusare conamini, quando dicitis, Nunquid eō ad vxorem alienam? Ad ancillam meam eo. Vis vt dicat vxor tua tibi, nunquid eo ad virum alienum ad seruum meum eo. Dicis, non est vxor aliena ad quam vado. Nunquid vis vt dicatur tibi, non est vir alienus ad quem vado? Absit vt dicat hoc illa. Meliùs enim dolet te, quàm imitetur te.* Tantò verò maior debet esse coniugij fides, quantò sanctius matrimonium, quod & ad sacramenti naturam euexit Christus, & Matth. 19. confirmauit dicens, *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Nunc tamen apud Christianos, ludus est adulterium, apud quos matrimonium verè est sacramentum, & pudorem rei tollit multitudo peccantium, & desinit esse probri loco, cōmune maledictum, vt inquit Seneca lib. 3. de beneficijs, cap. 16. Inde iusta per Prophetas suos Domini querimonia, Ierem. 23. *Adulterijs repleta est terra*, & Oseæ 4 *homicidium, furtum, & adulterium inundauerunt.* Et Saluian. lib 7. de prouidentiâ. *Vnus gurges, omnium gula: pene vnum lupanar, omnium vita. Et quid dicam de lupanaribus? minoris etiam criminis lupanar puto. Meretrices enim quæ illic sunt, fœdus connubiale non norunt, ac per hoc non maculant quod ignorant. Impudicitiæ enim piaculo sunt obnoxiæ, sed reatu tamen adulterij non tenentur.* Et vbi non intercedit matrimonium, vnitatis sacramenti sponsi Christi cum sponsâ Ecclesia, non violatur repræsentatio. Adde, cùm vxor nomen sit dignitatis, eam non esse ancillam sed sociam, ideoque ex viri latere sumptam, eiusdemque cum viro honoris esse participem: principatum verò singularitatem requirere, vt docet D. August. lib de bono coniugali cap. 17. quisquis ergo obscœnâ libidine extra legitimum torum euagatur, vxoris euertit dignitatē, eamque ad ancillas relegat, id quod præclarè prosequitur Saluian. totidem verbis, *Quis coniugij fidem reddidit? imò quantum ad passiuitatem libidinis pertinet, quis non coniugem in numerum ancillarum redegit? & ad hoc venerabilis connubij sacramenta deiecit, vt nulla in domo eius vilior videretur in maritali despectione, quàm quæ erat princeps matrimonij dignitate.*

Matth. 19.

Ierem. 23. Osee. 4.

Vxor est dignitatis nomen.

Videam-

Videantur licet matres-familias ius suum, & Dominarum honorem potestatemque tenere: quomodo ius dominij integrum habitura est, quæ ius matrimonij impollutum non habet? ita Salnian. *Quamuis nec potestatem quidem illic matres familias integram habuisse dicam, quia quæcunque ius connubij inuiolatum ac saluum non habet, nec dominium saluum habet. Haud multum enim matrona abest à vilitate seruarum, vbi paterfamilias ancillarum maritus est:* & separat sese à connubij fide scelerate, & debitum maritæ amorem atque beneuolentiam, per effusos peregrinæ libidinis æstus, in scorta effundit sceleratiùs, illis blandus, sociæ seuerus.

7. Coniugatæ adulterium grauius.

Grauius est coniugatæ cum soluto, quàm ancillarioli crimen, pugnat enim cum naturâ vehementiùs, institutosque matrimonij fines omninò elidit. Præterquam enim quòd nulla re ita quis excandescat, atque perceptâ tori legitimi in suâ vxore violati fraude, secundum illud Iob. 31.

Iob. 31.

Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius fit vxor mea, & super illam incuruentur alij: hoc enim nefas est, & iniquitas maxima, ignis est vsque ad perditionem deuorans. Plura sunt quæ ex hoc flagitio nascuntur incommoda, quorum meminit Philo lib. de decalogo, & alij. Primùm enim plurium confluente libidinis profluuio, concipiendi facultas obruitur, impediturque generatio, quæ istius coniunctionis est finis. Quod si interdum non impediatur, natam prolem cui certo assignabis patri? maritóne, an adultero? atque illud probæ prolis educationi, quæ paternâ operâ maximè indiget, aduersatur. Subijcias marito, grauissima sequitur iniuria, cùm adulterini seminis propaginem, tanquam legitimam, maritus habere, alereque debeat: aut saltem ipsa se huic iniuriæ inferendæ periculo, exponit. Adhæc spuria proles in partitionem hæreditatis cum legitimâ adducitur, quod nefas est graue, familiaque pura, alieni semini impuritate conspurcatur. Quodque scelestius est, adultera plerumque virum fraudis ignarum auersatur, odit, animoque necem machinatur, cuius suspicionem, sincerum erga illum mentita amorem, à cœco & non intelligente auertit, ridente adultero mariti læsi ignorantiam. Hæc autem incommoda, non sequuntur ex adulterio viri cum solutâ. Hinc fit vt si maritus vxorem adulteram in iure prosequatur, capitis pœnâ plectatur, non autem vir.

Adultera, iure capite plectenda.

Humanæ enim leges, inquit Theodoretus in prioris ad Corinth. cap. 7 *mulieribus quidem castas esse præcipiunt, & si contra legem faciant, in eas animaduertunt, sed à viris non eandem castitatem exigunt. Cùm enim viri essent qui leges tulerunt, æqualitatem non curarunt, sed sibi veniam dederunt.* Atque ideò fortasse, quòd licet olim Deo in suâ lege dispensante, vni viro, plures habere tori socias permissum sit, non lasciuiendi, sed procreandi causâ, vt docet D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 47. non contra legem, quia nullâ tunc lege prohibitum, non contra consuetudinem, quum mos esset illius temporis, & *quando mos erat, crimen non erat*: cap. obijciuntur 32. quæst. 4. nunquam tamen, vt vna vxor cum pluribus viris matrimonio iungeretur, quòd hoc directè repugnet iuri naturæ.

Vxores plures cur olim permissæ.

Nec vlli vnquam licuit insimul plures vxores habere, inquit Innocent. III. cap. Gaudemus, de Diuortijs, *nisi cui fuit diuinâ reuelatione concessum, qui mos quandoque, interdum etiam fas censetur: per quam sicut à mendacio Iacob: Israëlitæ à furto, & Samson ab homicidio: sic & Patriarchæ, & alij viri iusti, qui plures leguntur simul habuisse vxores, ab adulterio excusantur.* Mulieres autem minimè, vtpote quibus nunquam est à Diuinitate permissum, vt multorum masculorum simul essent vxores.

8. Adulterium grauissimum quale.

Grauissimum porrò est adulterium, cùm vterque adulterantium connubiali iure tenetur: hec enim in impuritate, duorum coniugiorum fœdera violantur, duobusque coniugibus iniuria mortifera irrogatur. Atrox adulterij scelus, quod & furto grauius, nec homicidio multò leuius, ob quod medium inter vetita homicidia furtaque locum habet eius prohibitio. Non enim sine furti labe patrari tantum nefas potest, non eò solùm quòd impurum expugnati pudoris germen puræ insertum stirpi, indebitam legitimorum intercipiat hæreditatem: verumetiam quòd adultera sui copiam adultero faciens, furatur mariti corpus, & vice versâ, adulter vxoris, quorum potestatem non habent 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

1. Cor. 7.

Hoc enim operatur in mutuâ atque solemni corporum traditione, societatis indiuiduæ vtrimque iurata fides. Eapropter, vt inquit D. August. lib. de bono coniugali cap. 4. *in eo ipso quod sibi coniuges debitum soluunt, etiamsi id aliquanto intemperantiùs & incontinentiùs expetant, fidem tamen sibi pariter debent. Cui fidei tantum iuris tribuit Apostolus, vt eam, potestatem appellaret, dicens, Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Huius autem fidei violatio, dicitur adulterium, cùm vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu, cum altero vel alterâ, contra pactum coniugale concumbitur, atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis & abiectis, magnum animi bonum est, & ideò eam saluti quoque corporali, quâ etiam vita nostra ista continetur, certum est debere præponi.* Quantò autem res quæ ruptâ fide surripitur, est præstantior, tantò quoque furtum grauius censeri debet; atqui *Scortationes & adulteria*, inquit D. Nazianzen. Cygneorum Carminum libro, *quædam sunt corporum, videlicet rerum alienarum quasi furta*, præstant autem rationalis creaturæ corpora, omnibus fortunæ bonis, sceleratiùs ergo illa per iniustitiam subducuntur, quàm hæc. Dicit eni in Scriptura Prouerb. 6. *Non grandis est culpa* (adulterij scilicet comparatione) *cùm quis furatus fuerit, furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet & liberabit se. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam.*

Prou. 6.

Hic mors adulteris, furi autem, quod minus morte est, præscripta restitutio: neque vllum in lege veteri institutum sacrificium, quo scelus illud expiaretur, sed saxorum grandine obruebatur. *Hæc crimina*, inquit D. August. lib. 6. de adulterinis coniugijs cap. 2. *in veteri lege nullis sacrificijs mundabantur, pro alijs omnibus erat propitiatio, non pro hac. Et ideò tunc omninò prohibitum erat, ab alio contaminatam viro recipere vxorem.* Vide Deuter. 24. Ad cuius seueræ animaduersionis exemplum, nonnulli veterum mœchis indulgétiæ aditum præclusere. *Et quidem apud antecessores nostros*, inquit D. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum, *quidam de Episcopis istic in Prouinciâ nostrâ, dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt.*

Adulterij pœnitentiam negarunt quidam.

Idcircò D. quoque Chrysostomus homil 62. in Euangel. Ioannis, *Nullam veniam consequitur*, inquit, *qui captâ vxore, post illud carnis remedium, alienæ iniuriatur. Hoc iam lasciuia est. Quòd si ab vxore suâ multi ieiunij & orationis tempore abstinent, qui suâ contentus non est, sed aliquam introducit, quantum sibi mali accumulat?*

9. Homicidium minus adulterio, putarunt quidam.

Iam verò, si furti grauitate, grauius adulterium, quòd viuentium coniugum corpora, quòd honestatem matrimonij, quòd eius sanctitatem, quodque famam honoremque surripiat, iniustosque hæredes instituat; non multo leuius quoque homicidio videri debet: quinimò, teste Lyrano, & Tostato Gen. 12. quæst. 30. Ægyptij, minus

nus peccatum esse putabant virum occidere, quàm viuente viro, ad eius vxorem accedere, quod quum non ignoraret Abraham, sibique marito metueret, Ægyptijs in Saræ vxoris concupiscentiam æstuantibus, ne moreretur, Saram sororem dici voluit, non vxorem. Est autem hominis mutilatione grauius, vnde Clemens Papa: *Quid in omnibus peccatis adulterio grauius, secundum enim in pœnis tenet locum, & in prohibitionibus quodammodo homicidio assimilatur adulterium. Cùm enim vir & mulier sint vna caro, qui aufert vxorem alicui, idem est, ac si seipsum sibi auferret, sicut fit in morte.* Cur non etiam maius homicidio? ita existimatur in l. codicillis. 91. §. matre, iuncta glo. marginali. & ibi Bald. de leg. 2. Et quas non prætereà cædes adulteria patrant: Dauid Betsabeam Vriæ vxorem adulterij sordibus polluit, & Vriam interfecit. 2. Reg. 11. nec minor adulterarum in viros furor, Clitempestra, adulterio infamis, viri sui Agamemnonis mortem attentauit. Antonius verus, à Lucina vxore Fabium amante, veneno sublatus creditur. Rosimunda Alboini Longobardorũ Regis vxor, Helmechildum, cui se pro ancillâ substrauerat, accusationis metu perculsum, impulit vt maritum tolleret è medio: nec multò post à Longino, ad nefarios expetita complexus, dum Helmechildum veneno adoritur, agnitum coacta pariter poculum bibere, cum adultero perijt: Ioan. Nauclerus, volum. 2. Chronogr. gener. 10. an. 574. Maria Arragonica Othonis III. Imperatoris vxor, nobilem quendam in amplexum vocatum, sed facinus horrentem, de tentatâ suâ pudicitiâ apud Cæsarem accusat, condemnatum innocentem gladio necat. Krantzius Sax. lib. 4. cap. 26. *De coniugijs ista nascuntur*, inquit D. Ambros. lib. 3. de virginib. *vt perimatur adulter vxoris: raptor prælijs appetatur*: & Horat. lib. 3. Carmin. Ode 6.

Clades ex adulterio ortæ.

Fœcunda culpæ secula, nuptias
Primùm inquinauere, & genus, & domos:
Hoc fonte deriuata clades
In patriam populumque fluxit.

Infandum Lucretiæ stuprum, in Tarquinio superbo, regno Romanorum finem imposuit. Liuius decad. 1. lib. 1. & 2. Græciam afflixit Helenæ raptus: Ecclesiam Dei, Constantini Imperatoris, repudiatâ vxore legitimâ, illegitimæ cum Theodotâ cubicularia, nuptiæ: Baron. an. Christi 795. & Galliam, Lotharij cum Waldradâ, dissoluto Theutpergæ Reginæ legitimo matrimonio, falsò, ad id, accusatæ, quod incestum cum proprio fratre cõmisisset. Bar. an. Chri. 862.

10. Adulterij pœna.

Et vt infinita huius argumenti exempla, armatumque Herodiadis adulteræ in Baptistam furorem silentio inuoluam, quàm scelestum sit connubialia iura temerare, testantur, decretæ tum diuino, tum humano iure, in adulteros pœnæ. Prohibet Deus *Non mœchaberis*: additur mœchiæ pœna. Ioan. 8. *Moises mandauit eiusmodi lapidare.* Extat lex Leuit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui: morte moriantur, & mœchus & adultera.* Et Deuteron. 22. *Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, id est, adulter & adultera: & auferes malum de Israël. Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum eâ, educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur. Puella quia non clamauit, cùm esset in ciuitate, vir quia humiliauit vxorem proximi sui, & auferes malum de medio tui.* Et crimen vtriusque exaggerans Ecclesiasticus cap. 23. ait, *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens quis me videt? tenebræ circumdant me & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus: & non intellexit quoniam omnia videt oculus illius: quoniam expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: & non cognouit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes, &c. Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, quasi pullus equinus fugabitur, & vbi non sperauit, apprehendetur. Et erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini.* Et de adulterâ. *Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege altissimi incredibilis fuit, & secundò, virum suum dereliquit: tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi: Hæc in Ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur. Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum.* Quia vt Sap. 4. dicitur, *Adulterinæ plantationes, non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.* Non erunt filij eius sicut nouellæ oliuarũ, quarum natura alterius stirpis insitionem non admittit, non erunt fructus matrimonij suauis, asparago coronatæ, quomodo in Bœotiâ sponsæ ducebantur ad virum, quòd asparagus, spina quidem sit, sed fructu suaui, cuiuscemodi, & matrimonium, inquit Alex. Sardus, de morib. ac ritibus gentium lib. 1. cap. 5. Et si spiritu zelotypiæ propter stupri suspicionem vir concitatus fuerit, fiet adulteræ exploratio. Num. 5. & ex potu aquæ maledictionis, si rea fuerit femur eius computrescet: & Eccles. 9. *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in viâ conculcabitur.* Velut Panthera, de quâ Plinius lib. 8. Natural. hist. cap. 27. tam auida est excrementorum hominis, vt à pastoribus ex industriâ in aliquo vase suspensa altiùs, quàm vt queat saltu attingere, iaculando se, appetendoque deficiat, & postremò exspiret, in appetentiâ furtiuæ veneris extinguetur, & amplexata fœditatis illius stercora, conculcabitur. Sublata est Sara in domum Pharaonis in Ægypto, Gen. 12. & Abrahæ soror credita est: *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram.* Flagellatur innoxius tanquam nocens, ne alienam pro vxore habeat. Abimelech Rex Geraræ eandem tollit, ignarus tori eius iugalis, cum quâ ne peccet, Gen. 20. *Venit Deus ad Abimelech per somnium, nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & iustam interficies? Nonne ipse dixit mihi, soror mea est, & ipsa ait, frater meus est? In simplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum feci hoc.* Præuenitur pœnâ, peccatum, & ad peregrinæ vxoris introitum percussus rex ægritudine, languet, & mulieres domus eius, ne laborantes in partu enitantur, concluduntur. Nunquid agnouit simplicitatem cordis illius, Deus, & probauit? ita est, ideoque illam vallo infirmitatis munit, atque minaci mortis terrore percellit, ne ignoranter in alienum is se coniugium inijciat. Quid acturus cum nocente, si sic innocentem grauat? Tanquam violatrix pacti cum Zela connubij, ad vltrices flammas rapiebatur Thamar Gen. 38. nisi feracis vteri pignora, prolato concubitus pignore, socero tribuisset. Senes illi, qui in Susannæ exarsere concupiscentiam, & falsi, & pertentati pudoris rei peraguntur Daniel 13. & inter saxorum iaculatos imbres, animam agunt. Summa fastigia pro suâ dignitate euadant acerbitatem legum, legislatoris supremi non euadent manum, Dauid semel lapsus est, nec vnum errorem suum à præsentibus pœnis, priuilegio saltem meliorum operum potuit vindicare, ad quem sermo diuinus 2. Reg. 12. Tollam vxores tuas in conspectu tuo, & gladius non recedet à domo tua, vsque in sempiternum. Agnoscit culpam reus, inquit Saluianus lib. 2. de Prouid. totidem

Ioan. 8. Leuit. 20. Deuter. 22.

Eccl. 23.

Sap. 4.

Eccl. 9.

Gen. 12. Adulterium flagello prosequitur Deus.

Gen. 20.

2. Reg. 12.

modo, ei consuleretur, quàm oportet, salusque eius æterna interdum postularet. Quapropter neque ex eo capite purgatur fornicationis deformitas, quam tantò grauiorem esse scribit D. Tho. 2. 2. quæst. 153. art. 3. quantò in re maximè necessaria inuenitur: *Quia*, inquit, *quantò aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet, vt circa illud rationis ordo seruetur: vnde per consequens magis est vitium si ordo rationis prætermittitur. Vsus autem venereorum, est valde necessarius ad bonum commune, quod est conseruatio generis humani. Et ideò circa hoc, maximè attendi debet rationis ordo: & per cōsequens, si quid circa hoc fiat, præter id quod ordo rationis habet, vitiosum erit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, vt ordinem & modum rationis excedat circa venerea: & ideò, absque dubio, luxuria est peccatum.* Etsi denique Concubinatus, quo nomine soluti cum soluta, aut etiam cum viduâ, contubernium intelligimus, Pandectarum lege interdum concessus videatur, ob vitanda scilicet adulteria, pluriumque scortationes, malo hoc tolerato, vt maius proscriberetur: non tamē per omnia approbatus est, inquit Petrus Gregorius Syntagmatis iuris vniuersi lib. 10. c. 2. quando & imminuta honestas illius mulieris esset, quæ se in concubinatum dedisset. Certū autem est, omnem concubinatum, & illicitum extra nuptias concubitum, improbatum semper & punitum. c. nemo sibi blandiatur. 32. q. 4. can. de consanguinit. 35. quæst. 3 c. 1. 30. q. 5. neque id iure Pōtificio tantùm, sed etiam nouissimo ciuili, quia castitatem amplexæ sunt eius leges. §. illud, quib. mod. nat. effic. sui. Antè quidem quàm veritatis Euangelicæ lux irradiasset orbi, omnium penè nationum vitium fuit, siue prolis habendæ, siue libidinis explēndæ causâ, concubinatu irretiri. Discussit istius erroris tenebras veritatis iubar, ad quod, vt auctor de rectitudine catholicæ cōuersationis apud D. Augustinum tomo 9. inquit, *Concubinas, siue antè nuptias, siue post nuptias habere prohibemur, quia omnino illicitum est. Nam qui vxorem legitimam ducere cogitat, dignum est, vt virginitatem vsque ad nuptias custodiat, & post nuptias nullam alteram, nisi vnam legitimam coniugem cognoscat, sicut Apostolus præcipit.* Et ad quod filium suum adhortatur Tobias c. 4. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam, nunquam patiaris crimen scire.* Eapropter si interdū compereris in decretis Patrum. Can. omnib. cum seq. 34. dist. concubinatum permissum: concubinatus nomine, vxorem intellige, quæ in maritum consenserit, atque ita contraxit matrimonium: quia verò, ecclesiasticis precibus, sanctisque cæremonijs initiatum non fuit, itaque clandestinè factum; quod ad Ecclesiam spectat, quia apud eam de contractu illius non constat; etsi aliàs verè contractum sit: tamen pro non cōtracto habetur. c. cum inhibit. de clandest. desponsat. Et sic concubinatus approbatus, matrimonium est, vt rectè admonuit P. Gregor. suprà.

Concubinatus ante Euangelium, in vsu fuit.

Tob. 4.

Concubinatus nomine quid intelligendum.

21. Nicolaitæ vxores communes esse volebant.

Porrò autem iure prorsus omni, scortationis, prostitutionisque prohibitio, & vindicta certior: vt meritò quis stupeat, id spurcitiarum genus, olim in Ecclesiam, religionis obtentu, bruto quodam impetu, Nicolaitarum hæresi, irruisse, qui vitandæ zelotypiæ caussâ, non modò vxores prostituebant, verùm etiam, veluti lege Platonicâ, communes habendas esse, docebant: de quibus Apocal. 2. & Irenæus lib. 1. cap. 27. Græcos schismaticos, licitam sibi fornicationem existimasse, vt narrat Guido Carmelita in Catalogo hæresum: Gnosticos, non modò licitam, sed etiam frequentandam censuisse, apud Epiphaniū, hæresi 26. De quibus quid aliud ominari licet, quàm quod incendium concupiscentiæ luminis naturæ facem in ipsis extinxerit, ad cuius radiū cognoscere debuerant, illam turpitudinem, veluti rem suo genio malam atque execrandam, æquè ac idololatria, & furtum, & homicidium, iuri naturæ aduersari, iureque diuino, iure Pontificio, iure Cæsareo, necnon etiam iure ciuili, pœnis coërceri? vt autem pauca exempla in re tam manifestâ, proferam, quid cantatius quàm illud, *Non mæchaberis*? illud, naturâ dictante, amplexatæ sunt etiam gentes barbaræ, apud quas transgressoribus pœnæ, à bonis Principibus, constitutæ, & quidem de Drusi, Germanicique temporibus lib. 2. Annalium Corn. Tacitus, totidem verbis, *Grauibus Senatus decretis, libido feminarum coërcita, cautumque ne quæstum corpore faceret, cui auus, aut pater, aut maritus, Eques Romanus fuisset*, scilicet putarunt illi natalium splendorem hac sordidâ labe tenebrari. Sed neque ignoscendum censet ius ciuile Pandectarum, ei, quæ obtentu paupertatis, etiam turpissimam vitam elegerit: & quæstum corpore facturæ, licentiam stupri apud Ædiles vulgabant, inquit Alexāder Sardus, de moribus & ritibus gentium lib. 1. cap. 14. *More inter veteres recepto*, infit Tacitus, *qui satis pœnarū aduersus impudicas in ipsâ professione flagitij, credebant.* Néve matronas inter irreperent, definitum illis impudicitiæ signum: *Togatæ erant*, ait Sardus, *succinctaque veste, quod ex Aphranio Togatarum scriptore, patet.* Tolosæ, ab armis dependens ligulâ, erat symbolum, inquit Petr. Gregor. Syntagmatis iur. vniuer. lib. 10. cap. 2. num. 38. Iure quoque ciuili Romanorum, meretricus cōcubitus, & lenocinium damnatur, & lenæ capitis pœnæ supponuntur. §. 1. & tot. tit. de lenonib. in Authent. graue enim crimen est pudicos animos ad libidinem lenocinio deflectere, nec dissimile illi quo quæstus fit proprij corporis. Apud Persas prostituisse pudicitiam, summæ erat infamiæ, & Artaxerxes Arbacem extremo supplicio obnoxium, satis punitum putauit, si meretricem humeris, totum diem publicè circumferret. Plutarch in Artaxerxe. Athenis, inquit Alexand. Sardus, meretrices templis arcebantur: nullas in vrbem admittebant Cij, nec tibicines: in quâ insulâ nunquam adulterium, aut vetitos concubitus commissos dicunt; nec apud Seras, vbi non meretrices sunt, non fures. In regione Palmariâ noui orbis, nauigationis Hispanicæ, nefas est, & morte piandum, ante connubia, nosse venerem: auctor Petr Martyr lib. noui orbis, de insulis nuper repertis. Domitianus Cæsar, lege perpetuâ, mulieribus incontinēter viuentibus, legata, hæreditatesque acceptādi facultatem ademit, Sueton. in Domitiano: Periander apud Corinthios, quæ pudorem prostituissent, in vndas submersit, Heraclides lib. de politijs, in politiâ Corinthior. & Numer. 31. iugulantur. Scortorum quippe nō leue facinus, venale corpus habere, velut propolę merces, quas distrahunt, & contra naturam, ex membris suis, quorum nemo Dominus est, quęstum facere, probrum mergentibus lymphis meritò expiandum.

Fornicatio ni pœnæ constitutæ.

Domitianus Cæsar.

Interim tamen barbarorum Principum, Legislatorumque consilio, instituta in ciuitatibus lupanaria, & instructa prostibulis. sit ille magnus Atheniensium legislator Solon, lupanaria ædificauit, & scorta meritoria iuuentuti comparauit, è republicâ fore arbitratus; si illa concessâ venere, fracto iuuentutis impetu, castiorum pudicitiæ parceretur. Eadem mente, seu potiùs lenonio commēto, in Christianâ Republicâ, proh dolor! siue Principum, Magistratuúmve patientiâ, siue politiæ necessitate erecta istius turpissimæ fœditatis theatra publica, non sine turpi earum ciuitatum famâ, in quibus illa sunt cōspicua; quasi verò iunētus egesto illic libidinis impetu, peiora conari sit destitura: impossibileque sit,

22. Lupanaria an permittenda.

sit, his absque, Reipublicæ tranquillitati, matronarum integritati, viduarum pudicitiæ, virginũ ac vestalium pudori, rectè consulere, sine quibus tamen olim populus Israël per tot sæcula continentissimè durauit, sicut illis præceptum à Domino Deut. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filijs Israël:* cùm ex priscis seculis inter Christianos non fuerint, qui stupra inferrẽt, non fœminæ, nec mares, quæstum corpore facerẽt; sed Seniores vt alienæ pudicitiæ parcerentur, matrimonio iuuenibus virgines collocarent, & ijs qui salaciores viderentur, viduas etiam iuuenes, vt scribit Alex Sardus lib. 3. de morib. & ritib. gentium, cap. 27. & apud Boëmos meliori statuto, lupanaria publica fuerint prohibita, teste Ænea Syluio, lib. 11. de dictis & factis Alphonsi, cap. 61. Iustinianus quoque Cæsar lenonum, meretricumque sodalitia, Bizantij sustulerit, atque in meliorem frugem receptatis, Cœnobium ædificarit, quod reditibus amplissimè locupletauit, auctor Procopius l. 1. de ædific. Iustinia. Scipio denique, scorta tanquam noxia, castris pepulerit, Suidas, ἑταίρα. Et certè, quæ principes castigare non poterant, extra ciuitates esse, & lupanaria voluerunt, indictâ fustigationis pœnâ redeuntibus in oppida, quam subirẽt eorum auctoritate, qui iurisdictioni loci præessent; & Romæ prostabant meretrices extra mœnia, in fornicibus, à quibus fornicationis nomẽclaturæ, ob idque dictæ à Martiali l. 8. vxores submœnianæ;

Deuter. 23.

Iustinianus Imp.

Scipio.

Conuiua Zoili quisquis potest esse,
Submœnianas cenet inter vxores.

Interdictaque illis, veluti lepræ cõtagio infectis, cum alijs mulieribus communicatio, ne quas, exemplo, vel colloquio polluerent: quã ob rem, fæx huiusmodi mulierum & lenonum, à viciniâ honestâ extrudi debet, & tãquam cadauera fœtida, quæ sana corpora visu, & tabificâ lue inficiũt, velut in cloacam & sentinam malorum, impelli.

23. Lupanaria qui fouent, scorta approbant.

Viderint autem Principes, Iudices & Magistratus, quicunque lupanaria fouent, aut quouis modo permittunt, non scorta non approbent in nominis Christiani probrum, quæ Numinis & naturæ leges improbarunt, minùs, quàm Athenienses, prouidi, qui accepti à scorto beneficij, meminisse volentes, scorti non meminerunt, rem narrat Plin. l. 34. nat. hist. c. 8. de Leænâ Iphicratis, totidem verbis scribens, Scortum hæc lyræ cãtu familiare Harmodio & Aristogitoni, consilia eorũ de tyrãnicidio, vsque ad mortem excruciata, tyrannis non prodidit. Quamobrem Athenienses, & honorem habere ei volentes, nec tamen scortũ celebrasse, animal nominis eius fecere: atque vt intelligeretur caussa honoris, in opere linguam addi ab artifice vetuerunt. Viderint, inquam, prostibulorum fautores, quibus, etsi ipsi nõ scortentur, dicturus est Dominus illud ps. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuã ponebas. Hæc fecisti, & tacui: existimasti iniquè quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Nobis enim satis non est, inquit Tertull. de spectac. c. 15. si ipsi nihil tale faciamus, nisi & talia facientibus, non conferamur. *Potestas quippe magna & potentissima,* ait Saluian. l. 7. de Prouidentiâ, *quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. In cuius enim manu est vt prohibeat, iubet agi, si non prohibet admitti.* Hoc autẽ quid aliud est, quàm cum adulteris portionem suam ponere? alienum scelus tibi placuisse satis, vt eiusdem reus fias. ita D. August. in ps. 49. *Ne fortè diceres, non feci furtum, inquit, non feci adulterium: quid si placuit tibi qui fecit? Nonne ipso placito concurristi? Nonne portionẽ tuam cum illo qui fecit, laudando posuisti?* deinde, *Etsi nõ facis, & laudas quod fit, astipulator es facti, quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ.* Abominati sunt barbari fœminarum impuritates, horruerunt lustra & lupanaria, horruerunt concubitus, contactusque meretricum. Nunquid hoc laudabile illis videri potest, Christianos admittere, quod horruerunt Barbari? Wandalos Africâ olim potitos, hanc labem, quâ gens illa laborabat, nõ solùm horruisse, sed etiam sustulisse scribit Saluian. *Potest enim quis inhonesta horrere, non tollere: aliud magni & singularis est meriti, non solùm ipsum labe non pollui, sed prouidere etiam ne vnquam alij polluantur. Procurator enim est quodammodo salutis humanæ, qui non tantùm agit vt ipse bonus sit, sed efficere hoc nititur, vt alij mali esse desistant.* Horruerunt ergo illi contagiones meretricum, nec horruerũt tantum, aut temporariè submouerunt, sed penitus iam non esse fecerunt, nõ interficientes mulierculas infelices: ne vitiorum curam crudelitate respergerent. Sed ita errantes emendauerunt, vt factum eorum medicina esset, pœna non esset: iusserunt siquidem & compulerunt omnes ad maritalem torum transire meretrices. Sarta in connubia verterunt, implẽtes scilicet Apostoli dictum atque mandatum. Et vt vnaquæque mulier virum habeat suum, & vnusquisque vir coniugem suam, vt quia cohiberi cõtinentia sine hac carnalis vsus permixtione non posset, ita legitimum vsum calor corporalis acciperet, vt peccatum incontinentia non haberet. In quo quidem non id tantummodo prouisum est, vt viros fœminæ haberent, quæ sine viris esse non possent, sed etiam vt per conseruatores domesticos saluæ essent, quæ seipsas seruare nescirent, & adhærentes iugiter tabernaculo maritali, etiamsi ad improbum eas facinus consuetudo anteactæ impuritatis illiceret, coniugalis tamen custodia ab improbitate prohiberet. Addiderunt quoque ad libidinem comprimendam, seueras pudicitiæ sanctiones decretorum, gladio impudicitiam coërcentes, vt puritatem scilicet vtriusque sexus & domi connubij seruaret affectus, & in publico metus, legum: ac sic duplici præsidio castimonia niteretur, cùm & intus esset quod amaretur, & foris quod timeretur. Leges autem illorum nequaquam sunt illis legibus consentaneæ, quæ ita partem improbitatis remouent, vt partem obscœnitatis admittant, vt Romana illa decreta, quæ scortatores quidem ab alienis vxoribus remouerunt, ad omnes autem solitarias passim admiserunt, adulteria vetantes, lupanaria ædificantes. Hactenus Saluianus.

Psal. 49.

Quæ, quantaq́; sint nocumenta luxuriæ?

24.

ACris & irrequieta cupiditas, quâ Venus in licentiores vsus conciliata, flagitiosè quæritur, viperæ morsu nocentiùs, sibi deuotis, extremum illatura fatum: testes illi, qui Exodi 32. & Numer. 25. sese blandientis lasciuiæ imperio dediderunt, sub cuius adhuc lenocinãtis dolosæ voluptatis fauo, machæra vtrimque acutâ confossi, hàc, periere idolomaniâ, illàc corporis nece; de quibus D. Ephræm Syrus in illud *Attende tibi.* cap. 9. *Et nosse cupis, quàm grauis & periculosa est fornicatio? Quos enim occidere nequiuerunt in eremo morsus serpentiũ, hos Madianitarum fornicatio prostrauit, & per fornicationem, etiam idolorum victimam comedere non recusarunt, vnde ex populo ceciderunt vno die viginti tria millia.* Neque tamen hoc in peregrinæ libidinis sectatoribus minimum malorum dixerim, quod & natura ipsa, conuertatur, sæuiatque in scortatorum viscera, corpusque animumque castiget, atque non vno supplicio ad pœnas rapiat. Peccat equidem is qui fornicatur in corpus suũ, 1. Cor. 6. siue, quòd voluptuaria ista iucunditas in carne subsidat, alia verò peccata spiritum afficiant: siue, quòd calcato rationis vsu, corpus inquinet, atque

Natura scortatores plectit.

1. Cor. 6.

que corrumpat: fiue quòd anima infra iusti decoris sui fastigiũ, illius libidinis actu pressa nullo tunc alio quàm carnis sensu affici possit. Quid iam autẽ ex carne metat seruus peccati, nisi corruptionem? Corpus namque quod se luxuriæ dicauit & tenebris, fœdum visitur, polluitur, exhauritur, fœtidum, olidum, hircinum redditur, exsugitur, exsiccatur. Imò & vxorios nimium, plusque quàm par sit, rei venereę deditos conspicies, colore giluo, buxeo, exangui, plumbeo, mẽbris, articulisque fractis, & eneruatis. Venus enim venustatem depopulatur, inquit Leuin Lemnius, lib. 3. de occult. rerum miraculis c. 2. sequitur podagræ, sciathicæ, iliacæ passiones, stomachi dolores, vertigines capitis, elephantiasis, scabies Gallica, seu Neapolitana, & alia eius generis: breuiatur vita, deficit intellectus, obnubilatur mens.

Continentiâ & temperantiâ, vita fit productior.

Cur enim in annos plures veterum vita esset productior, minusque afflicta morbis, illorum temperantiæ, atque continentiæ dandum est. Ita Barclaius Iconis animor. c. 8. quod è Noruergiâ, finitimisque regnis, tantæ gentes olim numero suo, & victorijs celebratæ, toti Europæ infusæ sint, hodie autem tanta multitudo, & quasi fons gentium aruerit, vt quum bella ingruerint, externo milite vti consuescant; non aliunde factum ominatur, nisi quòd cùm frugales ibi olim in inculto solo essent, ignarique vitiorum, multa sobole increuerint, nũc autem insano commessandi, bibendique vitio, genitalem, vitalemque vim obruisse. Eccl. 38. *Propter crapulam obierunt multi, qui autem abstinens est, adijciet vitam.* Neque verò vni genti propria luxuria, sed in totum orbem criminatio.

Eccl. 38.

Totum per orbem maximum est exortum malum,
Luxuria pestis blanda.

Inquit Seneca in Octauia, & hæc, ceu ignis è barathri caminis prosiliens, vniuersa populat, cuius papulum, gula; turpitudo, flamma; immunditia, cinis; infamia, fumus; tormentum, finis. Plin. hist. nat. l. 26. c. 1. supra trecenta morborum genera homini esse scribit, præter noua quæ timentur: & istorum pars plurima à luxuriæ veterno ducit originem, (*nam voluptates immoderatè sectari, dolores perquirere existimandum est*, ait Athenæus l. 12. c. 1.) nonnullorum autem consumpta remedia. Quamuis enim Orus & Aratus Æsculapij discipuli, quingentis venenorum generibus, tabem eluentia remedia adinuenerint, frustra tamẽ Neapolitanæ grandini abigendæ insudarunt. Quâ in re Diuinæ Iustitiæ radius micat: quia enim nullum adeò peccatum est, quod verecundiâ premẽte, magis occultè perpetratur, voluit illud Deus in exemplum, palam conspicuis morbi notis puniri. Quippe non speciosior illis quàm morbo pallentibus color, inquit Seneca ep. 122. & languidi, & euanidi albent, subrubentibus pustulis, ad speciei deformitatem grandinati, & in viuis caro morticina est: *Ex quo intelligatur*, ait Cic. Offic. l. 1. *corporis voluptatem, non satis esse dignam hominis præstantiâ, eamque contemni & reijci oportere. Sin sit quispiã qui aliquid tribuat voluptati, diligenter sciat ei tenendum esse modum eius fruendæ.*

25. Luxuria eneruat.

Quantum verò in ipsas corporis vires grassetur hoc incendium, exemplo sit Samson, qui primùm mulierculæ præda, cessit pòst in prædam hostibus suis. Verinus:

Quis Samsone fuit, quis fortior Hercule? constat
Fœmineis ambos succubuisse toris.

Quòd si Salmacis in Cariâ iuxta Halicarnassum fontis, ea vis credita, vt euiraret qui se in eo lauarent, de quo Ouid. 4. Metam.

Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde
Semiuir, & tactis subitò mollescat in vndis.

Verior est luxuriæ vis, quâ qui diffluunt, eneruantur. Iob. 36. *Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos.* Ideoque Cornel. Scipio missus in Hispaniam, scortorum duo millia Romanorum castris exegit auctor Valer. Max. lib. 2. quorum consuetudine, militum robur exhauriebatur. Insignis victoria hæc, victæ libidinis, qua vinci solent etiam qui armis vinci non potuere. Prouerb. 7. *Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab eâ.* Verinus:

Iob. 36. Scipio.

Prou. 7.

Fœmina magnanimos domuit persæpè leones:
Prædaque victores sæpè fuere duces.

Mars in adulterio deprehensus.

Sic Mars belli Deus, victus, & vinctus, in complexu Veneris Vulcani coniugis, Deorum spectaculo expositus est, de quo sic Athenæus Dipnosophista l. 12. c. 1. Tum fortissimus Mars à debilissimo Vulcano ligatus fuit, qui cùm illegitimis amoribus detineretur, calumniam ac pudorem, ex illis reportauit. Inquit enim ad Deos, qui vt eum vinctum viderent, conuenerant:

Si quod agis virtute caret, celerem capiet te
Vel tardus: tardo sum Mars comprensus vt ipse
Vulcano, superum cùm velocissimus essem.
Irretit volucres sic claudus iis artibus istis. Hactenus Athenæus.

Quot sunt præterea qui ad victorias & triũphos geniti, irretiti eâ libidine, præclara facinora negligentes, suam ipsi gloriã afflixerunt? eiusmodi quondam in Ponto Mithrydates, in Capuâ Hannibal, in Alexandriâ Cæsar, in Græciâ Demetrius, in Ægypto Antonius. Feriatur olim ab opere Hercules propter Iolem, Achilles pugnam detrectat, propter Briseidem, moratur Circe Vlyssem, moritur in carcere Claudius propter Virgineam, retinetur Cæsar per Cleopatram, eademque exitio fuit Antonio.

Opes suffugantur.

Adde neruos opum frangi, patrimonij calamitatem, totiusque rei familiaris naufragium turpium amorum delinimentis accelerari, secundũ illud Prou. 29. *Qui autem nutrit scortum perdet substantiam.* Ventris enim caussâ, terrâ, marique exquirenda omnia, ad lyræ, citharaque modulos, choreę & tripudia instituenda, vestis cultior & ornatus, cuius incesserit libido, emenda, his autem exhauriuntur loculi, citiùs quàm ἀφύα ἐς πῦρ, id est *aphya ad ignẽ* decoquitur, semper quod scorto detur, ad manũ esse debet; cupidum & insatiabile animal. &, vt Horatiano illo vtar, in art. Poët.

Prou. 29.

Non missura autem nisi plena cruoris hirudo.

Isti sunt amicæ mores, suctu rem tuam haurit, quâ haustâ echino fit asperior. Quâ de caussâ Plautus in Trinum. luxuriam inopiæ matrem facit: & accinit Claudian. 1. in Ruffinum:

Et Luxus populator opum, cui semper adhærens,
Infelix humili gressu comitatur egestas.

Semper enim, vti Ouidius de arte cecinit:

inuenit artem
Fœmina, quâ cupidi captat amantis opes,
Velut meretrix meum herum miserum, inquit ille, apud Plautum in Trucul. *suâ blanditiâ intulit*
In pauperiem, priuauit bonis, luce, honore, atque amicis.

Tantaque, tamque grauis interdum eâ ex re conflatur rei familiaris egestas, vt reliquus non sit,

Frangendus misero gingiuâ panis inermi.

26. Veneris imago.

Quamobrem veterum quidam, Venerem porrectâ manu finxere, non eò solùm, vt iurantis speciem exprimerent, quòd amantes sint in iuramenta & periuria proni, quorum veniam apud Deos dixere facilem, teste Athenæo l. 12. c. 1. totidem verbis, Verùm sic ratio postulat, vt in voluptatibus quę spectant ad rem veneream, quę omnium maximę esse dicuntur, vel peieratio veniam apud Deos consequatur: velut voluptates puerorum, qui

qui nondum compotes sunt rationis: hæc ille: in quibus amantes, tanquam amentes, vsu rationis carere censet, ne procorum, amatorumque suorũ sacramentis puellæ fidem adijciant, sed animo erecto succenseant potiùs, aut etiam rideant, velut

Iupiter ex alto periuria ridet amantum.

Sed etiã extensã manu efficta Venus, quòd scortum, nunquam non intentum in munera animum habeat, spolietque amantem, citiùs quàm si tu obijcias formicis papauerem, vt Stasinus seruus, apud Plautum in Trinummo, inquit. Nec antè dimittat, quàm cinclum auem effecerit, cui nempe, neque villula, neque domus, neque arca, vt Catullus de Furio scripsit, neque quidquam sit, quod suum possit dicere

Πτωχότερος ἢ λεβηρίδος καὶ κιγκάλου

Mendicior leberide, atque cincalo. Ait Menander in Thaide.

Quod prostibuli gehium significatura Lais scortum elegans & nobile, tumulo suo Leænæ figuram cum ariete intra eius pedes priores imponi voluit, non eã mente, vt suam ipsa lasciuiæ petulantiam, per arietem proderet, sicut visum est Pierio Valeriano Hieroglyphicor. l. 10 c. 32. sed potiùs, vt Leænã, meretricis rapacitatem crudelitatemque significaret, siquidem iuxta Poëtæ veteris senarium:

Ἴσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης:

Par est leænæ, & fœminæ crudelitas.

Ariete verò, amantis stultitiam stoliditatemque, quẽ protinus leæna deglubit, à quã non habetur beneuolè, nisi porraceã fronde adstrictã alligatamque crumenam ferat, in quam inuolet. Sed enim, quæ non inflicta vulnera, quæ non priuatæ neces, quas sæpe videre cogimur, istius immanis belluæ occasione perpetratæ? Quæ regna, quæ vrbes, quæ palatia sæuis non funesta cladibus? Propter fornicarios amores, fœminarumque raptus, Thebani, Phocenses, Circei expugnati atque deleti sunt, ipsumque Peloponnesiacum bellum à Pericle susceptum est, ac decennali bello expugnatum Ilium, totius Asiæ, Græciæque detrimento maximo. Similes ob caussas Tarquinius, Claudius, Dionysius, Hannibal, Ptolomæus, M. Antonius, Rodoaldus Longobardus, Childericus Francus, Aduincelaus Boëmus, atque Manphrodus Neapolitanus, mortem, & patriæ ruinam passi sunt. Propter Canam Iuliam Tingitanæ prouinciæ præfecti filiam, cui Rodericus rex vitium obtulerat, pulsis Gothis, Saraceni omnem Hispaniam occuparunt. Henricus secundus Anglorum rex, ob stupratam nurum suam Philippi Francorum regis sororem, à filio suo regno pulsus est. Tempus me deficeret, si ortas ex luxuriã clades, scelerataque facta, & afflictas domos recensere vellem. Istud sit satis, improbã venere eneruari funestarique omnia: Quapropter Paridis iudicium, quod antiquitùs factum est, vt rectè Athenæus lib. 12. c. 1. *Voluptatis, virtutisque comparationem esse contenderim, Cùm Venus igitur potior indicata fuisset, id est, voluptas, omnia confusa perturbataque sunt.* Ipsa quippe furoris genitrix est, quosque suis stimulis agit, turbatã totius corporis œconomiã, & reginã ratione suo deturbatã solio, inque ditionem & imperium redactã furoris, in eam impellit amentiam, vt ea quis faciat, quæ alioqui sanã mente non esset admissurus, ideoque Alexander Aphrodisæus fabulam contexuit quã proditum est Erynnim furiarum vnam à Cupidine adamatam, quòd videlicet, amantes furiosis quibusdam affectibus agitentur, quibus tantùm intumescunt, vt ex pensó ad rationis libellam eorum impetu, Amoris furore nihil esse vehementius dixerit Iustinianus Cæsar. §. illud quoque. quib. mod. nat. effic. legi in Authen. apud Petr. Greg. Syntagmatis iuris vniuersi l. 30. c. 3. solius que perfectæ philosophiæ, illum cohibere: quo qui correpti sint, bacchantes veluti furore vini affici. §. erat, de successio. quæ fiebant per bono. vindic. vnde Virgil. in epigram.

Vno namque modo, vina, venusque nocent.

Lais.

Luxuriæ clades.

Erynnis fuerit cur à Cupidine amata.

Et vt scribit Hesiodus in Theog. impurus amor, lætam mentium sublimitatem, earumque præclaros affectus domat.

ἠδ' ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι,
λυσιμελὴς, πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων,
δάμναται ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

Atque amor, qui pulcerrimus inter immortales Deos,
Soluens curas, & omnium Deorũ, & omnium hominum,
Domat in pectoribus animum, & prudens consilium.

Indeque est, cur Luxuria vitiorum capitalium vnum esse censeatur. Quia enim, venereorum delectatione, nulla vehementior, totam animi intentionem, ad materiata conuertit, & applicat, abstrahitque à spiritualiũ diuinarumque rerum consideratione, vt docet D. Tho. 2. 2. quæst. 15. art. 3. perfectio autem intellectualis functionis in homine, in abstractione quadam ab ijs quæ sub sensum cadunt sit posita, à quibus quantò altiùs mens euocatur, tantò meliùs intelligibilia considerat: obscœna voluptas, animum ad sensibilium fæcem quibus capitur, è fastigio suo deturbat; quo fit, vt nihil tunc sublime agitare, nullum ingenij aut prudentiæ opus, moliri queat. Quo ex fonte, plura alia vitia, tanquam luxuriæ effectus quidam deriuantur, præcipuè verò illa octo, quorum meminit D. Gregor. lib. 31. moral. cap. 17. *De luxuriã, cæcitas, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur,* quæ sic explicat D. Tho. 2. 2. quæst. 153. art. 5. *Per vitium luxuriæ maximè appetitus concupiscibilis, vehementer intendit, suo obiecto delectabili, propter vehementiam passionis & delectationis: & ideo consequens est, quod per luxuriam maximè superiores vires deordinentur, scilicet ratio & voluntas. Sunt enim rationis quatuor actus in agendis: primò simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem, vt bonum, & quantum ad hoc, ponitur cæcitas mentis. Secundus actus, est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem: & quantum ad hoc, ponitur præcipitatio, quæ importat subtractionem consilij. Tertius actus est iudicium de agendis, & quantum ad hoc ponitur inconsideratio. Quartus est præceptum rationis de agendo, & quantum ad hoc, ponitur inconstantia. Ex parte autem voluntatis cõsequitur duplex actus inordinatus, quorum vnus est appetitus finis, & quantum ad hoc ponitur amor sui, quãtum ad delectationem quam inordinatè appetit, & per oppositum odium Dei: alius autem est eorum, quæ sunt ad finem; & quantum ad hoc ponitur affectus præsentis sæculi, in quo vult frui voluptate, & per oppositum desperatio futuri: quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat peruenire ad spirituales, sed fastidit.*

27. Luxuria cur capitale vitium.

Rationis actus quatuor.

Voluntatis actus duo.

Quamuis autẽ voluptates corporis impediant prudentiam, vt inquit Aristoteles 7. Ethic. c. 11. & quò vehementiores sunt, eò densiorem menti caliginem offundunt, & rationis, & iudicij sedẽ occupant, corpusque animumque illecebris in seruitutem pertrahunt: ideoque cœcitas, & hebetudo mentis, ceteraque huiusmodi ex alijs varijsque cupiditatibus oriri possint: maximè tamẽ illa ex petulantiã lasciuç libidinis prodire solent, quomodo de impudicis senibus Dan. 13. legimus, quòd quum exarsissent cõcupiscentiã, *Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Quò pertinet illud psal. 75. *Supercecidit ignis,* scilicet concupiscentiæ, *& non viderunt solem,* id est, nõ attenderunt ad iudiciorum Dei, rerumque diuinarum lucem.

Daniel. 13.

Ps. 75.

Dira libido, quæ animæ & corporis lumina obscurat, mentis aciē obruit, de quā D. Aug. l. 14. de Ciu. Dei, c. 16. *Hæc autem sibi, non solùm totum corpus, nec solū extrinsecus, verumetiam intrinsecus vendicat, totumque commouet hominem animi simul affectu cum carnis appetitu coniunctio, atque permixto, vt & voluptas sequatur, quâ maior in corporis voluptatibus nulla est: ita vt momento ipso temporis, quo ad eius peruenitur extremum, pene omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruitur.* Feritur autem hoc ancipiti voluptatis ense homo, & in corpore & in intellectu; quoniam, vt inquit idem Doctorum Antistes Augustinus lib. 10. de Genesi ad literam, c. 12. *Ipsius concupiscentiæ carnalis caussa, non est in anima sola, sed multò minus est in carne solâ. Ex vtroque enim fit: ex anima scilicet, quòd sine illâ delectatio nulla sentitur: ex carne autem, quòd sine illâ carnalis delectatio nō sentitur.* Illo percussus est Salomonis decor, & ex sapientissimo, stolidissimus amator factus, seruiuit idololatriæ. 3 Reg. 11. quantū occœcatæ mentis vulnus! *Sol hominum Salomon* inquit Valer. ad Ruffinum, *thesaurus deliciarum Domini, sapientiæ singulare domicilium, crasso tenebrarum fuscatus atramento, lucem animæ suæ, odorem famæ suæ, gloriā domus suæ, amore mulieris amisit: & postremò, incuruatus coram Baalim, ex Ecclesiastico dono, mutatus est in membrum zabuli, id est, ex concionatore Dei, mutatus est in membrum diaboli.* Notum illud Claudiani:

Luxuries prædulce malum: quæ dedita semper
Corporis arbitrijs, hebetat caligine sensus.

Et blanditiarum eius delinimentis, obtunditur acies ingenij. Quapropter D. August. l. de verâ religione, asserit Platonem discipulos edocere solitum, vt à venereis voluptatibus abstinerēt, persuasúmque haberent veritatem, non corporis oculis, aut sensu aliquo, sed solâ mentis puritate videri, ad quam percipiēdam, nihil magis impedimento esset, quàm vita libidinibus dedita. Ita referunt Conimbricenses in lib. 2. de Generat. & corrup. c. 8. quæst. 4. art. 1. quò spectat illud Senecæ, in præfat. l. 7. declamationum. *Nihil est tam mortiferum ingenijs, quàm luxuria.* Adduntque istiusmodi voluptates cerebro, in quo interni sensus insunt, plurimum nocere, ex Galeno, in Comment. l. 8. Epidem. Hippocratis; Arnaldo in speculo introductionum medicinalium c. 83. & l. de regim. sanit. part. 2. c. 6. & Albert. Magno l. 22. de animalibus, qui narrat, factâ aliquādo cuiusdam corporis humani dissectione, inuentum fuisse caput cerebro exhaustum. Cuius rei, quū Medici caussam inuestigassent, compertum fuisse frequentem vsū rei venereæ. Neque minus oculis officit, quorum vsus, quàm sit ad ingenij munia necessarius, ignorat nemo: ideoque Poëtæ, cœcum finxere Cupidinem, quòd corpori, mentique aspectum eripiat: vt autem immoderatâ Venere, videndi organum, & inhærens facultas lædatur, scripsit Arist. l. 2. de generat. animalium c. 5. & Galenus l. 4. de locis affectis, alijque quamplurimi.

Venerea voluptas cerebro nocet.

Et oculis.

Istæ sunt strages & incōmoda luxuriæ, isti sunt Cupidinis arcus & vulnera, qui sub influētis mali dulcedine, quos suis lenocinijs rapit, affligit. Et commodum erit cuiquam mortalium, sub leui modicæ voluptatis bracteâ delitescenti, huic se tyranno addicere? nisi fortè quibusdam pulcrum videatur, non cum Catone apud Plutarch. in M. Portio Catone, in reipub. administratione, animæque culturâ, sed cum Dionysio Syracusano, in tyrannide sepeliri, non in castitate, sed in impudicitiâ mori. Neque tamen hoc extremum in illis malorum esse dixerim, aliud pudendū est, & execrandum, virum illum esse apud eos, & alium neminem, non qui seuero à se imperio tela cupidinis arceat, sed qui succubuerit: adeò vt erubescat castus inter impudicos, de quo queritur D. Aug. l. de decem chordis, c. 9. totidem verbis, *Ad hoc delapsa est humana peruersitas, vt vir habeatur à libidine victus, & vir non habeatur victor libidinis. Triumphantes exultant, & non sunt viri: iacent prostrati, & viri sunt!*

Capitis 38. §. 12.

De adulterij grauitate, eiusq; pœnis.

Genialis tori sacra esse fœdera, omnium gentium consensio est, quæ proinde & omnino inuiolata esse voluerunt, aut violata, grauiter & acerbè vindicarunt. Est autē hæc non solùm scripta, sed etiam nata lex, quam principio rerum indiuiduâ Euæ societate protoplastus noster consecrauit. Obscurauere ergo illi, qui contrarijs institutis, non ordinatæ naturæ, sed libidinis suæ seruientes furori, aut sponsas adulterijs priùs subiecere, quàm viri concessis hymenæis, quomodo Baleares spōsas, amicos nuptiali cœnâ exceptos, suis legibus admittere, & extremo loco virum, scribit Alex. Sardus de morib. & ritib. gentium lib. 1. cap. 4. quomodo apud Nasamones & Angilas nocte primâ, noua nupta, singulos cōuiuas in complexum recipit, ab ijs donum acceptura: & in fortunatis Insulis Regi ius virginis cuiusque vxoris, zonam soluere, non marito. Vt omittā Tebetheos Indos, Adyrmachidas Afros, qui hospitibus: Volsinienses qui seruis corrumpendas vxores dabant. Aut quum tres quatuórve liberos suscepissēt, fœcūdas vxores, alijs viris prolis gratiâ permisere, vt Tapyri, qui inter Derbicas & Hyrcanos, Romanive ex Numæ lege: & apud Sparthas, senes, qui vxores suas, iuuenibus commisceri iubebant, ex quibus susceptos filios sibi adscriberent. Sardus c. 6. Aut denique communes habendas vxores censuisse, vt Massagetæ, nonnullæque aliæ nationes barbaræ; quibus accedere videntur noui homines nostri, qui in statutis Geneuensibus prælo cōmissis anno 1560. ita decreuerunt, licere viro, propter absentiam coniugis, trinâ denuntiatione per tres dominicas factâ, nisi cōparuerit, alteram in vxorem accipere. Mulieri autem, viro in longam peregrinationem profecto, vnius anni continentiam indici; postea verò si viri contubernio eguerit, posse nubere alteri.

1. Matrimoniū omni iure sacrum est.

Decretum Geneuēse de matrimonio.

Quorum decreta, mente præcepisse, & ante exortum, ratione obtruncasse videtur D. Ambrosius l. 1. de Abraham c. 4. dicens: *Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro quæ ab vxore debetur castimonia. Quidquid in eam quæ non sit legitima vxor, commissum fuerit, adulterij damnatur crimine.* Sed neque procreandorū filiorum caussa concessum adulterium, excusari vllo modo potest: *Non enim propterea flagitiorum est permittenda licentia,* inquit D. Aug. l. 2. de adulterinis coniugijs cap. 12. *aut viro tam cauendum est sine posteris mori, quàm pudicè in posterum viuere:* qui & Catonem lib. 5. contra Iulian. Pelagian. c. 12. damnat, quòd susceptis aliquot ex Martia vxore liberis, ne illius fœcunditate grauaretur, Hortensio fœcundam cesserit, quomodo Atticæ sapientiæ vir Socrates, suam vxorem alteri viro tradidisse fertur.

Sed enim, isti fuerunt nequitiæ furores, quibus concitati obscœnitatis antistites, aut in alienum cubile eluriendum, aut nouum incerti tori temporaneū fœdus, viro, vel vxore adhuc superstite paciscendū potius, quàm continendū, sanxerunt: subleuiori fide matrimonia, quàm pecus aliquod nundinantes. Quibus aduersatæ gentes etiā barbaræ, quarū animus purior lege quadam naturæ menti diuinitùs insitâ, sanctā esse rem matrimoniū, & maius quiddam quàm vt humanū inuentum existimari possit, intellexerunt, inquit Stanislaus Hosius Cōfessionis Christianæ to. 1. c. 55. atque ideò vagos cōcubitus arcebant aut de ijs qui stuprum, vel adulteriū cōmisissent, pœnas capitis,

2. Adulterij peccatum graue.

tis legibus fouebant. Non erat tamen apud eos matrimonij sacramentum, cùm eis liceret, etiã nulla caussã matrimoniũ rescindere. Sed neque apud Iudæos, apud quos maior etiam fuit matrimonij sanctitas, fuit matrimonij sacramentum, eadem illã ratione, quã apud nos est sacramentũ: quibus & ipsis ob duritiam cordis, permissum erat vxores dimittere, quamuis leuem ob caussam. Solum ergo Christianum matrimonium, sacramentum rectè dicitur, & est. Hæc ille. Et hóc violare non formidat Christianus, qui tanto se grauiori crimine polluit, quantò sacratiora præ reliquis celebrati cõiugij iura temerantur, & vxorius pudor soluitur. Quã in re, non se Dei reuerentiæ cultorem, nõ iuris naturæ patronum, sed præuaricatorẽ, totiusque pudicitiæ, & omnis legis contemptorem profitetur, Epicureis ipsis deterior, flagitiosiorque, qui quamuis in voluptate corporis suam felicitatem collocarent, adulterium tamen, aut tanquam naturæ inimicum, aut vt pœnarum inductiuum, exhorruerunt, teste Origene lib. 7. contra Celsum totidem verbis. Declinant adulteriũ qui Zenonis statuta philosophando sectantur, nec secus & Epicurei plerique. Sed dum adulterium in omnes declinant, vide quàm inter se differant, siquidem hi ex mutuã partim caritate, partim quia præter animantis naturam, qui ratione vtatur, esse decernunt, velle mulierem adulterare, quæ alteri cuiquam ex lege priùs demþserit, & alterius hominis corrumpere domicilium. Epicurei verò, idcircò nihil adulterando delinquunt. quum adulterio abstinent, quia bonorum finem in voluptate præfiniunt, & eis pleraque obstent, quæ voluptatem hanc intercipiant, cùm qui fornicandi hanc viam subierint, in carcerem plerumque detrudantur, vel mortes incurrant nonnunquam; hæc ille. Et D. Chrysost. hom. 62. in Io. inquit, adulter, alienam domum trepidus & formidolosus ingreditur, omnia timet, & seruos, & liberos: hæc autem voluptati sunt contraria. Quidquid sit tamen, adulterio abstinent, tanquã rei, & felicitati, & naturæ aduersanti: quã duce, tanta sub Licurgo fuit mulierum pudicitia, vt adulterij crimen apud ipsas pro incredibili haberetur: hinc apud Plutar. to. 1. opusc. in apophr. Laconum, Geradatæ cuiusdam ex antiquissimis Spartanorum, responsum hospiti quærenti, quã pœnã Spartæ in adulteros vindicaretur. Nullus, inquit, apud nos fit adulter, inferenti, quid autẽ si aliquando existeret? Tantum, inquit, perdere cogitur, tantæ magnitudinis, vt capite trans montẽ taygetum porrecto ex Eurota flumio bibat. Dicẽti quomodo posset taurus inueniri? subiecit, quo verò pacto Spartæ possit adulter existere, vbi diuitiæ, luxus & fucus ignominiosa censentur: verecundia autem, modestia, & subditorum obedientia obtinent. Hæc ibi. Scilicet, vt inquit Seneca in Thyeste. act. 3.

Humi iacentem scelera non intrant casam.

Eadem naturã prælucente, Pharao Ægypti Rex, qui Saram vxorem Abrahæ, suam erat facturus, Gen. 12. cognito illius connubij nexu, illibatam reddidit viro. *Etsi naturã ferus ac barbarus*, inquit D. Ambros. l. 1. de Abraham. c. 2. *tamen significat etiam exteris ac barbaris moribus esse curam pudoris, & adulterij etiam sibi crimen cauendum. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si barbarus ius naturæ nouit, muta animalia, licet nullis constringantur legibus, sunt tamen aliqua, quæ non solum paribus suis copulæ seruent fidem, verum etiam coitus vnius castitatem custodiant. Ita maior lex naturæ, quàm legum præscriptio est.*

Et verò brutorum pleraque, aut nescire adulterium, aut admissæ fœditatis quam acerbè vindicent, sensum habere, proditum est. Plinius enim lib. 8. nat hist. c. 5. inter elephantes casta & verecunda esse coniugia, eaque intemerato custodiri, scribit: pudore, inquit, nunquam nisi in abdito coeunt, mas quinquennis, fœmina decennis. Initur autem biennio, quinis, vt ferunt, cuiusque anni diebus, nec amplius: sexto perfunduntur amne, non ante reduces ad agmen. Nec adulteria nouere, nullave propter fœminas, inter se prælia, cæteris animalibus perniciala. Et. c. 16. Leones suarum coniugum adulteria sentiunt, totaque vi cõsurgunt in pœnã: nam cùm leæna ferueat ad coitum, vt tradit Gesnerus, leo autem ob nimiũ temperamenti calorem, non admodum inire possit, admittit illa Pardũ. Quòd cùm odore percipiat leo, aquis illa se nimis lauat, vt adulterij odor obliteretur, antequam ad leonem redeat, aut lõgiùs comitatur, inquit Plin. vbi verò pariendi tempus appetit, in montes & loca pardalibus consueta, cõfugit paritque catulos maculosos, simulansque se venationis gratiã abesse à coniuge, in densissimis nutrit filuis, quos deprehensos, leones lacerant, & sobolem, tanquam adulterinam abijciũt. Camelum oculis pallio obtectis matri admissariũ exhibuerat quidã, vt narrat Arist. 11. de animalibus sed is peracto concubitu, vt matrem cognouit, calce virum qui eam submiserat, elisit, & interemit: adeò adulterium, incestumque execratur camelus. In volatilibus, palumbes, & columbarũ genere cinericij neque mares fœminas vsque ad mortem deserunt, inquit Athenæus l. 9. c. 16. neque fœminæ rursus mares; sed vbi viduus relinquitur, alter viuit absque alterius cõiugio, hoc idem, corui, monedulæ, & cornices faciunt. Tertull. lib. de Monogamia c. 8. columbam ait autem esse non tantum innocuam, verùm & pudicam, quam vnam vnus & masculus nouit: quod & de perdicibus testatur Alexand. Sardus l. 1. de ritib. & morib. gent. c. 5. vnde epithalamium Athenis ex κορὶ κορὶ, quæ perdicũ vox est, inquit, quæ tantã religione matrimonij iura seruant, vt alterã mortuã, superstes, vitam omnem viduam degat, quod etiam faciunt cornices, quare & ipsæ inuocabantur in nuptijs, concordiæ, vt ait Ælianus omen. Sin autem palumbes impudico amore capti, inquit Ælian l. 3. de animalib. c. 44 ad alienam venerem libidinis oculos adiecerint, eos reliqui circumsedentes, marem quidẽ mares discerpunt, fœminas verò fœminæ disperdunt. Huiusce etiã modi castitatis lex ad turtures pertinet, sanctaq; & sincera permanet: tum etiam ad columbas albas manat, præterquam, quod non vtramque occidunt, nam marem dumtaxat perimunt: fœminam verò illius misericordiã permoti, impunitã atque inultam, in viduitate reliquam ætatem ducere permittunt: ita AElianus. Ioannes à Sancto Geminiano, Ciconia, inquit, si alium masculum cognouerit, nisi lota ad comparẽ non redit. Cygnus, non solum adulterium refugit, sed & si cum coniuge concubuerit, tanquam rem turpem & fœtidam fecerit, nisi se lauerit, cibum non sumit. Hæc ille, l. 1. de cælo & elementis c. 43. Sed quantò castiora hæc animalia Christianis, qui multis sceleribus & adulterijs inquinati, absque pœnitentiæ lauacro, adeunt Eucharisticas dapes? Gesnerus apud aquas Sextianas congregari ciconias narrat, vbi habitis inter se publicis concionibus, commurmurant, exercitum lustrant, cognitionibus diem vnum aut alterum traducunt. iudicia grauiter exercent; & si quã tardior segnities morata est, aut adulterij crimen conuicit, eam communibus sententijs dispungunt, occiduntque: Guilielmus quoque Parisiensis, Primæ partis de vniuerso, parte 3. capite 8. testatur, *Tempore meo*, inquit, *ciconia tanquam de adultero conuicta per olfactum*

Matrimonium nouæ legis sacramentum.

Pharao.

3. Bruta adulteria com-

parium vlciscuntur. Quadrupedia.

Volatilia.

factum masculi sui, congregatâ multitudine ciconiarum, nescio qualiter accusante masculo, vel detegente eius crimen, à totâ illâ multitudine deplumata atque dilacerata est, tanquam concilio aut iudicio omnium esset adulterij iudicata.

Aquatilia.

Est & in marinis beluis sua castimonia, & adulterij fuga: Gesnerus ex Æliano, æteneum piscem, siue cantharum, castitate præstare scribit, de quibus Oppianus, post sargos, & merulos salaces, cecinit:

Vxores sargi multas, & merulus ardens
Ducunt: ast alij contenti coniuge solâ
Cantharus, æteneus spernentes agmina lecti.

Posteaquam enim æteneus, cum pari suo, tanquã vxore cum quadam coniunctus, eam sortitus est, aliam non attingit, neque ob fidem tuendam sponsalium, tabulis illi opus est; neque malæ tractationis pœnam timet, neque Solonem veretur, ex quo leges nobiles, & vrbes graues profectæ sunt, quibus libidinosi homines non parere nihil verentur. D. Ambrosius quoque, Scorpænam castitatem immaculati cõnubij generi suo seruare asserit, lib. 5. Hexamer. cap. 3. Aliud est naturæ insigne documentum: eas animantes, nõ in suum genus adulterum, sæuire tantùm, sed etiam humana adulteria denotare, & vindicare. Ælian. cap. 42. & Athenæus lib. 9. cap. 12. Polemon, inquit lib. 5. eorum quæ ad Antigonum ac Adæum scripsit, Porphyrionem ait, auem, domi educatum, mulieres quæ sunt sub viri imperio diligenter obseruare, eiusmodique sensum habere adulterium admittentis, vt quãdo hoc cognouerit, domino significet, sibique vitam suffocatione finiat. Ciconia, inquit Ælianus lib. 8. c. 20. riuali inuidiâ laborare fertur, seu quod sit Zelotypa: nam cùm in Craunione Thessaliæ, Alcinoë eximia formâ mulier, marito peregrè profecto, stupri consuetudinem cum seruo haberet, cubilis iugalis perfidiam non ferens, facto impetu, mulierem oculorum sensu, orbauit, illatam Domino vltura iniuriam. Et lib. 7. cap. 25. Canicula Sicula, ab adulterâ, peregrè redeuntis mariti sentiente præsentiam abditum quo cum consueuerat, adulterum, latratu, pedibusque constupratoris receptatrices fores conuellens, prodidit, heroque sæuum quid suspicanti tradidit, accinctum in suam necem. Libro verò 11. de animalib. c. 15. Elephantem scribit, domitoris & altoris sui vxorem cum stupratore interfecisse, vt cædis caussam, vtroque in stragulo iacente, rector agnosceret. Et alium Romæ sub Tito Imperatore, non solùm occidisse adulteros, sed etiam stragula veste eos texisse, nutritio autem aduenienti retexisse, vt flagitium intelligeret, quod ipse cornu adhuc cruento, vindicarat.

Adulteria humana incant bruta.

4. Adulterum occidens vt excusetur.

Quibus exemplis adductus Theodoricus Gothorum Rex, fuisse videtur, vt excusatum haberet eum, qui adulterum occiderat, ep. ad Crispinũ apud Cassiod. l. 1. var. ep. 37. tanquam vindicandi adulteria lex quædam omni animanti innata sit: *Quis ferat,* inquit, *hominem ad leges trahere, qui matrimonij ausus est iura violare? feris insitum est copulam suã extremâ decertatione defendere. Dum omnibus animantibus est inimicum, quod naturali lege damnatur. Videmus tauros, fœminas suas cornuali concertatione defendere: arietes pro suis ouibus capitaliter insanire; equos adiunctas sibi fœminas calcibus & morsibus vindicare: ita pro copulatis sibi animas ponunt, qui verecundiâ nõ mouentur. Homo autem, quomodo patiatur inultum relinquere adulterium, quod ad æternum suum dedecus cognoscitur commisisse?* Tanti nempe flagitij habitum est adulterium, vt verus mariti dolor, illatam deprehenso adultero necem, licitam fecisse videatur, adstipulante præsertim legum fauore, quarum concessione, adulteria vlcisci quibusdam liberũ fuit. Solonis quippe lege, impunè interimitur adulter deprehensus, quam legem primus tulisse creditur Hyettus Argiuus, quum Molurum Arisbantis interfecisset vxorem adulterantem, inquit Alexander Sardus lib. 2 de ritib. & morib. gent. cap. 29. Hoc ius maritis in vxores datum scribit ex M. Catone Aul. Gell. Noct. Attic. lib. 10. cap. 23. vbi & iniqua hæc lex, quæ vxores solas grauat: *In adulterio vxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio, impunè necares: illa te (si adulterares) digito non auderet contingere. Neque ius est.* Lege 12. tabular. tit. 11. de iniurijs, sic cauetur, *Mœchum in adulterio deprehensum, necato.* l. Marito. 24. de adulterijs. P. & l. si adulterium §. Imperatores. l. Gracchus 4. C. eod. tit. l. 3. §. si maritus: permittitur marito vt occidat adulterum, si vilis sit persona & humilis, in domo propriâ, in ipso flagitij actu deprehensum: Lex Vuisigothorum hac de re similis est. l. 4. de adulterijs lib. 3. Cod. Vuisig. tit. 4. *Si adulterum cũ adulterâ, maritus vel sponsus occiderit, pro homicida non teneatur.* Vbi & sponso occidendi ius, quia matrimonij vel cõiugij violatio, extenditur quoque ad sponsas, vt non solum matrimonium violare nõ liceat inquit Petr. Gregor. Syntag. iur. vni. lib. 36. cap. 6. 2. 1. sed nec spem matrimonij. l. si vxor. 13. §. diui. & §. si minor de adulterijs. P.

Liceatne marito adulterum occidere?

Et vxorem adulteram necare?

Patri quoque fas esse filiam, quæ coniugata sit, & in patris potestate, cuiuslibet fuerit conditionis, in suâ & generi domo in ipso opere turpi, cũ adultero deprehensam, vno eodem impetu occidere si possit. Nam l. 20. P. de adulterijs, *Patri datur ius occidendi adulteram cum filiâ, quam in potestate habet.* l. 22. §. 2. *Ius occidendi patri cõceditur domui suæ, licet ibi filia non habitet, vel in domo generi.* l. 23. *Voluit lex ita demum hanc potestatem patri competere, si in ipsâ turpitudine filiam deprehendat:* inquit Leonar. Lessius de Iure & iustit. lib. 2. cap. 9. dubitat. 5. num. 14. quod & in filijs occidentibus vtrosque iussu patris obseruandum placuit Alexandro Cæsari. l. Gracchus. §. 1. eod. tit. C. inquit Pet. Greg. quod & Vuisigothorum legibus sancitur. l. 5. eod. tit. *Si filiam in adulterio, pater in domo suâ occiderit, nullam pœnam aut calumniam incurrat. Si certè eam reseruare voluerit, faciendi de ipsâ, & adultero quod voluerit habeat potestatem. Similiter & fratres, siue patrui, post obitum patris, faciendi habeant potestatem.*

Adulteram filiam patri ius occidendi.

5. Homicidij adulterio, malus.

Cæterum quanquam mariti primus iusti doloris motus, si adulterum adulterámve necarit, excusationem aliquam mereri videatur, legesque ciuiles propterea, calorem in adulterij copulâ reperti, velint innoxium, quod tanquam iustæ punitionis executor, vt in plerisque alijs criminibus accidit, non priuatâ, sed publicâ auctoritate fecerit, quod fecit. Siue vt Lessius n. 15. adnotauit, fas sit maritis, iure Cæsareo, non vxores adulteras, sed adulterum tantùm occidere, vxores verò accusare in iudicio vt puniantur: Patri verò permittatur, vt filiam simul, & adulterum occidat. Iure tamen Pontificio, non ita graue scelus ducitur adulterium pati, ac vxorem interimere. cap. si quod verius. 33. quæst. 2. Quare in foro animæ, non esse licitum ante sententiam marito adulterum, aut vxorem adulteram occidere, communis est Doctorum sententia. Cui licet repugnet Iulius Clarus lib. 5. sententiarum iuris. §. homicidium, num. 50. & 51. dicens hanc permissionem legis non esse contra conscientiam, præsertim cùm tot præclara Græcorum Romanorúmve ingenia, nullam in huiusmodi permissione tot seculis, iniustitiam viderint, legesque istæ, in Iustiniani Principis Christiani codicem redactæ sint, & à principibus viris & Iureconsultis acceptatæ. Nullo modo tamen, vel ipsius adulteri cædes à mortali delicto

excusari potest; cùm parata sint iuris & accusationis remedia, ad vindicandum adulterium. Nec est singulis concedendum quod per magistratus licet expediri. l. non est singulis. de regul. iur. P. & idcirco iudiciorum vigor in medio positus est, ne quisquam sibi valeat permittere iniuriam. c. porrò de diuortijs. Quocirca iure quoque ciuili, occidens adulteram, non omnino excusatur à delicto, sed pœnâ afficitur aliquâ. l. si adulterum. §. Imperatores ad l. Iul. de adulter. P. Ita sentiunt Petrus Gregor. Couarr. de matrimonio. 2. part. cap. 7. § 7. num. 15. & Lessius supra. num. 16. vbi leges illas ciuiles, per quas impunè liceret adulterum occidere, per Canones reprobatas videri scribit. Nam 33. quæst. 2. cap. inter hæc, inquit, Nicolaus I. Papa consultus, liceretne marito, secundum legem mundanam, vxorē in adulterio deprehensam occidere? respondit. *Sancta Dei Ecclesia, mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet nisi spiritalem, quo non occidit, sed viuificat.* Vbi occultè insinuat Ecclesiam illam legem improbare. Sed & D. August. lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 15. apertè. *Verùm dicitur, non licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantum dimittere*: nisi fortè per iudicem, ei occidenda tradatur, vt fit in quibusdam regnis, inquit Lessius.

Hæc dicta sint, vt quàm execrandum adulterij facinus semper habitum fuerit, ex legum seueritate constet, quæ vxoricidium, homicidium, parricidiumque tolerare, leuiùs duxerunt, quàm lectuli coniugalis sanctitatem tanto flagitio conspurcari, quæ tamen iam non toleranda videntur, tum quòd parata sint iudiciorum, accusationisque præsidia, tenerique adulteri, capive possint, quod secus in alijs flagitiosis hominibus, velut in bannitis, accidit, qui cùm capi non possint, cuiuis traduntur occidendi: tum etiam quia omnis cædium rescindenda occasio quæ domi patrari posset, fingente marito, patréve, etiam innocentem quemque, cum vxore, aut filia habere commercium.

Adulterium vnde dicatur.

Quum autem adulterium, secundum D. Thomam, sit ad alienum torum accessio, & adulter dicatur inquit Ioan. Viualdus, *De verâ contritione.* quasi alienum violans torum, vel quasi alienum vterum terens, vel ad alterius vxorem accedens, siue vt Tertul. lib. de Monogamiâ, cap. 9. *Cùm quoquo modo disiunctis duobus, alia caro, imò altera miscetur, de qua dici non possit hoc est caro ex carne mea, & hoc os ex ossibus meis*: committi illud potest, vel ex parte viri tantùm, vel ex parte fœminæ tantùm, vel ex parte vtriusque. Et graue quidem est vxorati cum soluta, peccatum, grauius tamen coniugatæ, cum soluto; grauissimum verò, vtriusque vinculis coniugalibus adstricti.

6.
Adulterij grauitas.

Graue omnino est, non illos solùm, qui Ecclesiæ Dei gremio non continentur, sed Christianos præcipuè, qui sacrorum fontium, ac sanctæ Cōfirmationis fœdere, *Sub ijsdem alis cubantes*, (vt D. Nazianzeni orat. 1. de pace, verbis vtar) *vnanimes Dei domum ingressi, vnam in harmoniam pulcritudinis ac spiritus conglutinati sunt*, violatâ lectuli genialis sanctitate, alteri carni misceri. Habet autē hoc peccatum, supra simplicis fornicationis malitiam, quam Basil. Legionensis noster lib. 10. de matrimonio c. 12 n. 6. in studio effrænatæ voluptatis, absque eius naturali fine consistere, eruditissimè scribit, additam iniustitiam: à quâ inferendâ, & Dei, Matrimonij institutoris, & sacramenti eiusdem auctoris reuerentia, deterrere vnumquemque debet. Est enim matrimonium vnius cum vnâ à Deo institutum, sicut Scriptura testatur, Geneseos namque 2. Deus formauit mulierem ex costâ viri, quam ille primus homo mox agnouit sibi datam in sociam, & adiutorium propagationis humanæ, atque illud ita indissolubile esse cōfirmauit, vt vir parētes potiùs quàm vxorem relinquere debeat. Audiamus in hanc rem D. Chrysostomum hom. 32. in Matth. *Masculum*, inquit, *& fœminam, non masculos & multas fœminas, vt vni masculo liceat plures fœminas possidere: neque masculos & fœminam, vt vni fœmina liceat plures viros accipere: sed masculum & fœminam, vt vna fœmina nullum putet masculū factum esse in seculo præter vnum: vt vnus masculus nullā putet fœminam esse factam in seculo nisi vnam. Non enim duas aut tres costas tulit de latere viri, & duas aut tres fecit mulieres.* Et hoc vinculū vnius cum vnâ, quod ipse instituit Deus, audeat homo Christianus, ad aliam carnem transitu dissoluere? Illud sanè sanctum semper & inuiolabile esse voluerunt, vel ipsi infideles, quod ex Isocrate ad Nicoclem liquet, adulteros, tāquam perfidos, iniurios, atque improuidos insectante. *Ac hæc non potui non vehementer accusare illos*, inquit, *qui ductis vxoribus & initâ totius vitæ societate, pactis & conuentis non starent: sed dum suis voluptatibus indulgerent, eas offenderent, à quibus ipsi in nullâ re offendi se vellent: cùm in alijs contractibus æquitatem colerent, solas conuentiones cum vxoribus factas violarent, quæ tanto sanctiùs custodienda erāt, quanto sunt alijs interiores & maiores. Deinde nec illud ipsi animaduerterunt, se ipsos sibi factiones, & dissidia in suis regijs serere.* Vidit Orator ille, adulterium iuri naturæ ex diametro opponi, quo præfinitum istud est, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quam in sententiam præclarè D. Aug. lib. de decem chordis cap. 9. *Nolite mœchari post vxores vestras, quia non vultis vt mœchentur post vos vxores vestræ. Nolite ne vos quo eas sequi non vultis. Siue causâ vos excusare conamini, quando dicitis, Nunquid eo ad vxorem alienam? Ad ancillam meam eo. Vis vt dicat vxor tua tibi, nunquid eo ad virum alienum? ad seruum meum eo. Dicis, non est vxor aliena ad quam vado. Nunquid vis vt dicatur tibi, non est vir alienus ad quem vado? Absit vt dicat hoc illa. Meliùs enim doleat te, quàm imitetur te.* Tantò verò maior debet esse coniugij fides, quantò sanctius matrimonium, quod & ad sacramenti naturam euexit Christus, & Matth. 19. confirmauit dicens, *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Nunc tamen apud Christianos, ludus est adulterium, apud quos matrimonium verè est sacramentum, & pudorem rei tollit multitudo peccantium, & desinit esse probri loco, cōmune maledictum, vt inquit Seneca lib. 3. de beneficijs, cap. 16. Inde iusta per Prophetas suos Domini querimonia, Ierem. 23. *Adulterijs repleta est terra*, & Oseæ 4 *homicidium, furtum, & adulterium inundauerunt.* Et Saluian. lib 7. de prouidentiâ. *Vnus gurges, omnium gula: penè vnum lupanar, omnium vita. Et quid dicam de lupanaribus? minoris etiam criminis lupanar puto. Meretrices enim quæ illic sunt, fœdus connubiale non norunt, ac per hoc non maculant quod ignorant. Impudicitiæ enim piaculo sunt obnoxiæ, sed reatu tamen adulterij non tenentur.* Et vbi non intercedit matrimonium, vnitatis sacramenti sponsi Christi cum sponsâ Ecclesia, non violatur repræsentatio. Adde, cùm vxor nomen sit dignitatis, eam non esse ancillam sed sociam, ideoque ex viri latere sumptam, eiusdemque cum viro honoris esse participem: principatum verò singularitatem requirere, vt docet D. August. lib de bono coniugali cap. 17. quisquis ergo obscœnâ libidine extra legitimum torum euagatur, vxoris euertit dignitatē, eamque ad ancillas relegat, id quod præclarè prosequitur Saluian. totidem verbis, *Quis coniugij fidem reddidit? imò quantum ad passiuitatem libidinis pertinet, quis non coniugem in numerum ancillarum redegit? & ad hoc venerabilis connubij sacramenta deiecit, vt nulla in domo eius vilior videretur in maritali despectione, quàm quæ erat princeps matrimonij dignitate.*

Matth. 19.

Ierem. 23.
Ose. 4.

Vxor est dignitatis nomen.

Videamus

nus peccatum esse putabant virum occidere, quàm viuente viro, ad eius vxorem accedere, quod quum non ignoraret Abraham, sibique marito metueret, Ægyptijs in Saræ vxoris concupiscentiam æstuantibus, ne moreretur, Saram, sororem dici voluit, non vxorem. Est autem hominis mutilatione grauius, vnde Clemens Papa: *Quid in omnibus peccatis adulterio grauius, secundum enim in pœnis tenet locum, & in prohibitionibus quodammodo homicidio assimilatur adulterium. Cùm enim vir & mulier sint vna caro, qui aufert vxorem alicui, idem est, ac si seipsum sibi auferret, sicut fit in morte.* Cur non etiam maius homicidio? ita existimatur in l. codicillis. 91. §. matre, iuncta glo. marginali & ibi Bald. de leg. 2. Et quas non prætereà cædes adulteria patrant: Dauid Betsabeam Vriæ vxorem adulterij sordibus polluit, & Vriam interfecit. 2. Reg. 11. nec minor adulterarum in viros furor, Clitemnestra, adulterio infamis, viri sui Agamemnonis mortem attentauit. Antonius verus, à Lucinâ vxore Fabium amante, veneno sublatus creditur. Rosimunda Alboini Longobardorũ Regis vxor, Helmechildum, cui se pro ancillâ substrauerat, accusationis metu perculsum, impulit vt maritum tolleret è medio: nec multò post à Longino, ad nefarios expetita complexus, dum Helmechildum veneno adoritur, agnitum coacta pariter poculum bibere, cum adultero perijt: Ioan. Nauclerus, volum. 2. Chronogr. gener. 20. an. 574. Maria Arragonica Othonis III. Imperatoris vxor, nobilem quendam in amplexum vocatum, sed facinus horrentem, de tentatâ suâ pudicitiâ apud Cæsarem accusat, condemnatum innocentem gladio necat. Krantzius Sax. lib. 4. cap. 26. *De coniugijs ista nascuntur*, inquit D. Ambros. lib. 3. de virginib. *vt perimatur adulter vxoris: raptor prælijs appetatur*: & Horat. lib. 3. Carmin. Ode 6.

Clades ex adulterio ortæ.

> *Fæcunda culpæ secula, nuptias*
> *Primùm inquinauere, & genus, & domos:*
> *Hoc fonte deriuata clades*
> *In patriam populumque fluxit.*

In fandum Lucretiæ stuprum, in Tarquinio superbo, regno Romanorum finem imposuit. Liuius decad. 1. lib. 1. & 2. Græciam afflixit Helenæ raptus: Ecclesiam Dei, Constantini Imperatoris, repudiatâ vxore legitimâ, illegitimæ cum Theodotâ cubicularia, nuptiæ: Baron. an. Christi 795. & Galliam, Lotharij cum Waldradâ, dissoluto Theutpergæ Reginæ legitimo matrimonio, falsò, ad id, accusatæ, quod incestum cum proprio fratre cõmisisset. Bar. an. Chri. 862.

10. Adulterij pœna.

Et vt infinita huius argumenti exempla, armatumque Herodiadis adulteræ in Baptistam furorem silentio inuoluam, quàm scelestum sit connubialia iura temerare, testantur, decretæ tum diuino, tum humano iure, in adulteros pœnæ. Prohibet Deus *Non mæchaberis*: additur mœchiæ pœna. Ioan. 8. *Moises mandauit eiusmodi lapidare.* Extat lex Leuit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui: morte moriantur, & mæchus & adultera.* Et Deuteron. 22. *Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, id est, adulter & adultera: & auferes malum de Israël. Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum eâ, educes vtrumque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur. Puella quia non clamauit, cùm esset in ciuitate, vir quia humiliauit vxorem proximi sui, & auferes malum de medio tui.* Et crimen vtriusque exaggerans Ecclesiasticus cap. 23. ait, *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens quis me videt? tenebræ circundant me & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus: & non intellexit quoniam omnia videt oculus illius: quoniam expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: & non cognouit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes, &c. Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, quasi pullus equinus fugabitur, & vbi non sperauit, apprehendetur. Et erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini.* Et de adulterâ. *Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege altissimi incredibilis fuit, & secundò, virum suum dereliquit: tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi: Hæc in Ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur. Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum.* Quia vt Sap. 4. dicitur, *Adulterinæ plantationes, non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.* Non erunt filij eius sicut nouellæ oliuarum, quarum natura alterius stirpis insitionem non admittit, non erunt fructus matrimonij suauis, asparago coronatæ, quomodo in Bœotiâ sponsæ ducebantur ad virum, quòd asparagus, spina quidem sit, sed fructu suaui, cuiuscemodi, & matrimonium, inquit Alex. Sardus, de morib. ac ritibus gentium lib. 1. cap. 5. Et si spiritu zelotypiæ propter stupri suspicionem vir concitatus fuerit, fiet adulteræ exploratio. Num. 5. & ex potu aquæ maledictionis, si rea fuerit fenur eius computrescet: & Eccles. 9. *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in viâ conculcabitur.* Velut Panthera, de quâ Plinius lib. 8. Natural. hist. cap. 27. tam auida est excrementorum hominis, vt à pastoribus ex industriâ in aliquo vase suspensa altiùs, quàm vt queat saltu attingere, iaculando se, appetendoque deficiat, & postremò exspiret, in appetentiâ furtiuæ veneris extinguetur, & amplexata fœditatis illius stercora, conculcabitur. Sublata est Sara in domum Pharaonis in Ægypto, Gen. 12. & Abrahæ soror credita est: *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram.* Flagellatur innoxius tanquam nocens, ne alienam pro vxore habeat. Abimelech Rex Geraræ eandem tollit, ignarus tori eius iugalis, cùm quâ ne peccet, Gen. 20. *Venit Deus ad Abimelech per somnium, nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & iustam interficies? Nonne ipse dixit mihi, soror mea est; & ipsa ait, frater meus est? In simplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum feci hoc.* Præuenitur pœnâ, peccatum, & ad peregrinæ vxoris introitum percussus rex ægritudine, languet, & mulieres domus eius, ne laborantes in partu enitantur, concluduntur. Nunquid agnouit simplicitatem cordis illius, Deus, & probauit? ita est, ideoque illam vallo infirmitatis munit, atque minaci mortis terrore percellit, ne ignoranter in alienum is se coniugium inijciat. Quid acturus cum nocente, si sic innocentem grauat? Tanquam violatrix pacti cum Zela connubij, ad vltrices flammas rapiebatur Thamar Gen. 38. nisi feracis vteri pignora, prolato concubitus pignore, socero tribuisset. Senes illi, qui in Susannæ exarsere concupiscentiam, & falsi, & pertentati pudoris rei peraguntur Daniel 13. & inter saxorum iaculatos imbres, animam agunt. Summa fastigia pro suâ dignitate euadant acerbitatem legum, legislatoris supremi non euadent manum, Dauid semel lapsus est, nec vnum errorem suum à præsentibus pœnis, priuilegio saltem meiorum operum potuit vindicare, ad quem sermo diuinus 2. Reg. 12. Tollam vxores tuas in conspectu tuo, & gladius non recedet à domo tua, vsque in sempiternum. Agnoscit culpam reus, inquit Saluianus lib. 2. de Prouid. totidem

Ioan. 8. Leuit. 20. Deuter. 22. Eccl. 23. Sap. 4. Eccl. 9. Gen. 12. Adulterium flagello percutit Deus. Gen. 20. 2. Reg. 12.

 verbis;

verbis. Humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet: gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumēta deponit, purpurā exuitur, diademate exoneratur, cultu & corde mutatur: totum regem cum ornatibus suis abijcit: prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, ieiunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur. Et tamen rex tanti nominis, sanctitate maior quàm potestate, prærogatiuis meritorum antecedentium supereminens, cùm tanto habitu supplicet, non euadit. Et hic tantus tam grandis fructus pœnitentiæ est, quod æternis quidem piaculis non addicitur, sed in præsenti tamen veniam non meretur. Denique quid pœnitenti Propheta ait? Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui ex te natus est, morietur. Præter pœnam acerbæ orbitatis, etiam hunc addi pijssimo patri intellectum summi supplicij Deus voluit, vt dilectissimo filio caussa mortis pater ipse existeret qui doleret, cùm vtique natum ex crimine puerum, crimen ipsum occideret, quod creasset. Hoc ergo primum est diuinæ animaduersionis exordium. Primum vtique, non solum. secuta namque ærumnarum longa series, atque à domo eius iugis admodum malorum continuatio non recessit. Thamar amoris furore corrumpitur, Amon ab Absalone iugulatur. Scelus quidem grande ab vno fratre committitur, sed peius tamen ab alio vindicatur. Inter hæc, pater Dauid facinore vtriusque punitur: duo filij peccant, sed tres duorum scelere percutiuntur. In Thamar enim virginitas amittitur, in Amone etiam Absalonis perditio lugetur. Et quidem nescias quem de filijs duobus tam bonis pater potissimùm amiserit, illum qui manu fratris occisus est in hoc seculo, an illum qui suâ periijt in futuro. Iam verò hinc iuxta verbum Dei inæstimabilis mali cumulus: insidias diu pater à filio patitur, regno pellitur, & ne occidatur profugus abscedit. Impurior nescias an cruentior filius: quia interficere patrem non potest parricidio, fœdat incestu: & quidem incestu, præter incesti nefas, per industriam accumulandi sceleris elato: cùm vtique facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, persecutor parentis publicè perpetraret: scilicet vt feralissimo crimine non pater tantùm absconsus deformaretur, cùm oculi etiam totius orbis publico fœdarentur incestu. Iam si danda est & ipsius fugæ facies, quale illud fuit, cùm tantus & ex tanti nominis cunctis regibus altior, mundo maior, omnes admodum suos cum paucissimis suis fugeret, in comparatione dudum sui egestuosus, in comparatione sui solus: fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu: operto, inquit Scriptura, capite, & nudis pedibus incedens: super istis, prioris status à seipso exulans, pœnæ iam post se viuens: deiectus vsque in seruorum suorum, vel quod graue est, contumeliam, vel quod grauius, misericordiam, vt vel sibi compateretur, vel maledicere publicè non timeret. Ita Dei iudicio à se alter effectus, vt ei quem timuerat totus orbis, vnus in faciem insultaret inimicus. Hactenus Saluianus. Et ista malorum congeries in caput adulteri incubuit, dissimulatâ homicidij tanquā minus execrandi pœnâ, quod Nathani Prophetæ parabolâ significatum 2. Reg. 12. in quâ adulterij expressa atrocitas, & ad quam ille dignum morte virum pronuntiauit, qui vnicam pauperis hominis ouem, quam in delicijs habebat, in sinu nutriens suo, tulerat, parcens suis, alijs scilicet mulieribus, quas sibi sine piaculo coniungere poterat.

2. Reg. 12.

2. Reg. 13.

2. Reg. 15.

2. Reg. 12.

Quare licet gladio filiorum Ammon Vriam percussisset, nihilominus tamen, solius adulterij pœnas sustinuisse videtur: *Quamobrem*, inquit per Prophetam suum Dominus, *non recedet gladius de domo tuâ, in sempiternum, eo quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Ethei, vt esset vxor tua. Suscitabo super te malum de domo tuâ, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius.*

II. Adulteria legibus humanis punita.

Execrantur & prohibent humanæ leges adulterium, vindicesque admissi pœnas, aliæ alias constituunt, & *Sregnante Tarquinio nulla erat Romæ lata lex de stupris*, inquit Cic. 2. de legib. *idcirco non contra illam legem sempiternam* (quæ est ratio diuinâ prohibens) *Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit, &c.* Post iure ciuili legis Iuliæ pœnâ fuit vltimum supplicium. l. quamuis. 30 §. fina. C. ad l. Iul. de adult. §. item lex Iulia, de adulterijs; de publ. iudic. apud Iustin. lex Iulia temeratores alienarum nuptiarum gladiò punit. Augustus Cæsar Proculum ex acceptissimis libertis, matronas adulterare compertum, mori coëgit. Sueton. in Augusto Messalina capite damnata vt adultera, teste Dione Cassio lib. 60. & cùm clementia pœnam mitigauit, aut repudiata est adultera, aut ad ducentesimum lapidem ab vrbe remota: Alex. Sardus lib. 2. de morib gent. cap. 19. Octauius quippe Cæsar, Iulias filiam & neptem, ob ea probra relegauit. Sueton in Octauio. cap. 65. Cornel. Tacit. lib. 1. & 4. Seneca lib. 3. de benefic. cap. 32. qui & lib. de Clementiâ, Octauium non aliam, quàm exilij pœnam, adulteris irrogasse, est auctor Aurelianus Cæsar, militem suum, qui hospitis vxorem adulterasset, duabus arboribus curuatis, alligatum, in duas partes discerpsit, eò quòd fœdus matrimonij adulterio dissoluatur inter virū & vxorem: Flau. Vopiscus in Aurelia, quòd vtrimque distractus pendens, pulcerrimo publicæ disciplinæ exemplo ad aliorum terrorem demonstrabat. Opilius Macrinus Imperator, adulterij reos, semper viuos incendiis iunctis corporib. Iulius Capitolin. in Macrino. sic Leuit. 21. filia sacerdotis in stupro deprehensa, flammis deuouetur, & Gen. 38. Thamar, vt comburatur rapi iussa. Huc spectat atrox illa Pheronis Ægypti regis animaduersio, qui lumine captus, cùm decimo pòst anno ex oraculo didicisset sibi visum eius mulieris lotio restituendum, quæ virorum aliorum expers, coniugem suum solùm cognouisset, exploratâ primùm propriæ coniugis, tum cæterarum vrinâ, in vnicam tandem hortulani cuiusdam vxoris incidit, quâ lotus, vidit, eamque sibi vxorem fecit, reliquas verò omnes in villâ quadam viuas cremauit, quem locum postea Ægyptij, sacram glebam vocarunt: Diodor. Sicul. lib. 1. part. 2. cap. 1. & Herodotus lib 2. Milo flagellis cædit Sallustium in adulterio Faustæ Sullæ filiæ inuentum: Alex. Sard. Sempronius Musca, Gallium deprehensum.

Variæ adulterorum & adulterarum pœnæ.

In Germaniâ adulteram crinibus recisis, adstantibus necessarijs, vir domo expellit, & verberibus per vicum agit. Alex. Sard. suprà, & Corn. Tacit de morib. Germanor. Pisidæ circumducunt cum adultero asino imposito, inquit Sardus: adulteram asino Cumæi, vbi spectandam præbuissent in foro de saxo, vt esset omnib. contemptui. Sard. & Plutarchus in Parallel. Leprei, vndecim diebus in foro stare cogūt pellucidâ veste, adulteros triduo circumducunt per vrbem. Circumducunt & lanâ coronatos tanquam molles & mulierosos, ij qui Gortynam incolunt in Cretâ, venduntque sub hastâ quinquaginta staterribus, ducentis scilicet drachmis, inde ad rempub. non accedunt Ælian. lib. 12. var. hist. cap. 12.

22. Sard. & alij. In quibusdam locis Franciæ, adulteræ capilli incidebantur, atque in ignominiam scissâ retrò & antè veste, per totam ciuitatem circũducebatur: Coloniæ adultera per omnem ciuitatem traducta, cum candelis manu delatis ad Ecclesiam ducebatur. Solonis lege adultera nec ornare se vestibus, nec sacra adire poterat, si fecisset, verberibus cuique eam cædere licebat, & ornamenta detrahere. Notus & κεστρεὺς, siue mugil publicis adulteriorum supplicijs, apud Athenienses destinatus. Arabes & Armenij adulteros interimunt. Interimunt & Tenedij, lege quam temnes rex dixit, & in deprehensum filium est vsus, vnde erat in eorum numismatibus securis: alterâ parte, ex eadem ceruice, duo vultus, siue quod vno ictu adulter & adultera feriendus sit, vt visum est Heraclidi de Politijs, siue in recordationem eius quam filius subierat passionis, vt Stephano in vrbium Catalogo placuit. Mahometi lege, adulter accipit plagas centum; in Ægÿdto mille: truncantur mulieribus nares, quo dedecore vultus incontinentiâ maculatus, ea mulctaretur parte, quâ maximè facies exornatur: Diodor. Sicul. lib. 2. biblioth. cap. 3. eadem pœnâ afficiuntur & adulteri, Leonis Imperatoris constitutione Nouellâ 32.

Salæthi lege Crotoniatæ comburebant mœchos, hac & ipse damnatus, cùm non castè in complexus fratris vxoris venisset, nihil reluctans animo magno in ignem insilijt. Saxones matronam adulterio pollutam, aut virginem stupratam strangulant, supra cremate sepulcrum, violator cingulo tenus vestibus recisis, flagellis cæditur, castis matronis oppidatim pungentibus, donec interimatur. Sard. & Beat. Rhenan. lib. 1. rerum Germanicar. Carbo Accienus à Vibieno, item Pontius à P. Cetuio deprehensi, castrati sunt Valer. lib. 6. c. 1. apud Iberum Sacerdotes & Ægyptios, inter cætera ei qui adulterasset virilia exsecabantur, quoniam vno crimine tria haud parua scelera complexus esset, nimirum corruptelam, iniuriam, & liberorum confusionem. Zaleuci lege apud Locrenses adulterij crimine damnatus, vtroque priuabatur lumine: Val. max. lib. 6 c. 5. cumque filius eius reus ageretur, totâ ciuitate pœnam deprecante, ne quod semel omnium sententijs confirmatum erat, inquit Ælianus lib. 13. var. hist. cap. 24 irritum fieret, ipse pro altero filij oculo, sibi alterum eximi passus est, vt ne prorsus cæcus fieret adolescens.

Castrati adulteri.

Præclarum violatæ per fraudem pudicitiæ emendationis exemplum, grauiori pœnâ in fautorum caput conuersâ. Apud Egesippum Excidij Ierosolymitani lib. 2. cap. 4. totidem verbis: Paulina Romæ spectatissimi generis fœmina, cùm egregiam castitatis famam apud omnes haberet, esset etiam spectatissimi decoris, & eminentis gratiæ, tentata Mundi equestris militiæ ducis interpellationibus, nec inflexa, vitio nimiæ superstitionis patuit errori. Mundus namque subornatis Isidis sacerdotibus, qui velut Anubis ad eam mandata perferrent, quod eam ad templum inuitaret, delectatum se eius sedulitate, & pudicitia: noctem posceret, habere se quod eidem secretò vellet cõmittere. Quod illa læta accipiens, ad maritum detulit: itaque ex suâ & mariti sententiâ, pergit ad templum Isidis, noctem exigit. Mundus assumpto Anubis vultu & habitu, amplexum petit, illa non negat, beatam se reputans Dei sui visitatione: refert tamen, vtrum Deus possit homini misceri. Ille promit exempla, quòd ex Ioue Alcmena susceperit: Leda eiusdem concubitu sit potita, Deos plurimæ generatint: ex suo etiam congressu Deum generandum. redit ad maritum mulier lætior, fit ingẽs in stupro mulieris & mariti gaudium. Fraude per Mundum mulieri illudentem detectâ, vbi mulier illusam se intellexit, & dolens iniuriam pudicitiæ, confessa est fraudem marito. Ille principi querelam detulit: qui motus potentis viri contumeliâ, atque atrocis flagitij commento, sacerdotes è templo rapit, quæstioni subijcit, confessos necat, simulacrũ Isidis Tiberi demergit, Mundo fugiendi potestas concessa, eò quod vi amoris & formæ superatus gratiâ, leuioribus commissorum suorum pretijs multatus æstimaretur: hæc ille.

Fautores adulterij morte puniti.

Constantinus Imperator ad Catullinum rescribens, sacrilegos nuptiarum, tanquam manifestos parricidas, insuẽdos culeo viuos, aut exurendos decreuit. Et in summa, quibus pudicitia, & castitas, certaque proles placuit, hoc scelus capitali odio sunt prosecuti, atque adulterum adulterámve æquali supplicio damnarunt. Cur enim clementia legum in viros potius quàm in mulieres propendeat, vt hæ, quarum sexus infirmior & mœchi sollicitantis, promittentis & decipientis artibus expugnatu facilis, seueriori coërceantur lege quàm viri, quum Apostolus 1. Cor. 5. adulteri pœnam constituerit, adulteræ verò, tanquam infirmioris vasculi, miseratione & veniâ digni, non meminerit? *Respondent*, inquit D. August. lib. 2. de adulterinis coniugijs c. 8. tom. 6. *Sed nos viri sumus. Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare quia viri sunt; quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis huius exemplum se præbere, quia viri sunt: quasi non propterea minus debeant libidine superari, quia viri sunt: quasi non propterea minus debeant lasciuienti carni seruire, quia viri sunt. Et tamen indignantur si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cùm tantò grauius eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Christianis equidem loquor, qui fideliter audiunt, Caput mulieris vir, Vbi se agnoscunt duces, illas autem comites esse debere. Et ideò cauendum est viro illac ire viuendo, quà timet ne vxor sequatur imitando. Sed isti quibus displicet, vt inter virum & vxorem par pudicitiæ forma seruetur, & potiùs eligunt, maximèque in hac causâ mundi legibus subditi esse quàm Christi, quoniam iura forensia non eisdem quibus fœminas pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere: legant quid Imperator Antoninus, non vtique Christianus, de hac re constituerit, vbi maritus vxorem de adulterij crimine accusare non sinitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum: ita vt ambo damnentur, si ambos pariter impudicos, conflictus ipse conuicerit. Supradicti Imperatoris apud Gregorianum leguntur verba. Periniquum, ait, mihi videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet, quæ res potest & virum damnare.* Interim tamen quanquam ex æquo vtrimque peccetur adulterij actu, grauior nihilominus est fœminæ culpa, quòd conspurcatâ alterius generis hominibus familiâ, spurij cum legitimis in hæreditatis non suæ portionem, veniant, nec dignoscantur, & grauiùs in inferno punietur vxor adultera, quàm maritus adulter, inquit Abulensis in c. 19. Matth quæst. 73. Hinc est cur Iudæis vxorum pudicitiam explorare concessum, Numer. 5. nullum autem viris adulteris oblatum periculum: *Mitior enim semper fuit lex in adulterio cum viris*, inquit Ab Oleastro, *quàm cum fœminis, quoniam plura & grauiora mala sequuntur ex fœmina quàm viri adulterio: vt prolis incertitudo manifestè ostendit.*

Adulter & adultera æquali pœnâ puniti.

Ephes. 5. & 1. Cor. 11.

Quod extremum est tandem, Iure Pontificio, decreta adulterij vindicta. Adulteræ tori separatio & habitationis indicitur, viro eius, dotis lucrum accedit cap. plerumque de donat. inter vir. & vxor. cap. tuæ. Philippo Francorum Regi, Vrbanus II. Papa, sacris interdixit, quòd abiectâ Berthâ legitimâ vxore, cum aliâ viueret in

Ad iur... cio

 adulte-

adulterio, an. 1095. Meyer. lib. 4. Annal. Flandriæ. In Alemannia Otto comes, impudentissimus adulter, & pro adulterio à Constantiensi Episcopo excommunicatus, Dei iudicio turpissimè decollatus à militibus Ludouici Comitis cuius vxorem publicis nuptijs, eo viuente, sibi nefandissimè copulauit; quum apud monasterium in prædio ipsius constructum à suis sepultus esset, Constantiensis Episcopi iussu eijcitur, & (vt scriptum est) ad sepulturam asini deputatur: Baron. tom. 11. an. 1089. n. 4. Aliam quoque pœnam admittunt Canones, nempè vt adulter pariter & adultera cum candelis in manu, per ciuitatem cum contumelia traducantur cap. fin. 32. quæst. 6. quam pœnam olim indixit Plato: 11. de legib.

Transit & in quæsitam per flagitiorum immunditias sobolem, pœna, ita Sap. 3. *Filij autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo toro semen exterminabitur.* Nunquam factura est gloriosos fructus adulterina plantatio, quemadmodum in duobus filijs nothis Ludouici le Begue videre est, qui temporum iniquitate, regio diademati intrusi, vno vix amplius & floruerunt, & defloruerunt die, quum pater legitimâ orbatus prole, vt à Ioanne IX. summo sacrorum Antistite, coronarentur, multis frustra tentasset: sciebat quippe Pontifex, lilia, symbolum esse pudicitiæ, dataque diuinitùs, ideoque nullo degenere temeranda concubitu; vti nec olea vllius surculi, vllius alienæ stirpis bracteæ insitionem admittit, cuius proinde nouellis casti connubij casta generatio cū claritate comparatur: ps. 127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Arcet quoque Ecclesia, quamuis tamen benigna mater à beneficijs & muneribus Ecclesiasticis spurios, tanquam incapaces, & natalium suorum demerito, infames: & Sap. 4. Reipublicæ inutiles comprobantur: vt qui ceustolones à putridâ radice geniti, ab altâ auorum radice auctoritatem, honestatémve non trahant, quæ sunt ad optimarum legum & disciplinæ stabilimen, regimenque moderatum necessaria: *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur.* Et Eccl. 23. *non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum.*

Sap. 3.

Psal. 127.

Sap. 4.

Eccl. 23.

An viro permittente possit fœmina sui corporis copiam alteri facere?

13.

PRæit huic argumento D. Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 16. tom. 4. vbi huic quæstioni respondet, adducto exemplo, nec resoluit: ait enim totidem verbis: Quanquam nonnullæ caussæ possint existere, vbi & vxor mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur, sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante quinquaginta fermè annos Constantij temporibus. Nam Acindinus tunc Præfectus, qui etiam Consul fuit, cùm quendam libræ auri debitorem fisci exigeret nescio vnde commotus, quod plerumque in istis potestatibus periculosum est, quibus quod libet, licet, aut potiùs putatur licere, comminatus est iurans, & vehementer affirmans, quòd si certo die quem constituerat, memoratum aurum non exolueret, occideretur. Itaque cùm ille teneretur immani custodiâ, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere & propinquare cœpit. Et fortè habebat vxorem pulcerrimam, sed nullius pecuniæ quâ subuenire posset viro: cuius mulieris pulcritudine cùm quidā diues esset accensus, & cognouisset maritum eius in illo discrimine constitutum, misit ad eam, pollicens pro vnâ nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tum illa quæ se sciret non habere corporis sui potestatem, sed virum suum, pertulit ad eum dicens, paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse coniugalis corporis Dominus, cui tota illa castitas deberetur, tanquam de re suâ pro vita suâ, vellet id fieri. Egit ille gratias, & vt fieret, imperauit, nullo modo iudicans adulterinum esse concubitum, quod & libido nulla, & magna mariti caritas se iubente & volente flagitaret. Venit mulier ad villam illius diuitis, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus non nisi marito dedit, non concumbere vt solet, sed viuere cupienti: accepit aurum. Sed ille qui dedit, fraude subtraxit quod dederat, & supposuit simile ligamentum cum terrâ. Quod vbi mulier iam domi suæ posita inuenit, prosiliuit in publicum, eadem mariti caritate clamatura quod fecerat, quod facere coacta est: interpellat Præfectum, fatetur omnia, quam fraudem passa esset ostendit. Tum verò Præfectus, primò se reum, quòd suis minis ad id ventum esset, pronuntiat tanquam in alium sententiam diceret, De Acindini bonis auri libram fisco inferendam, illam verò mulierem, dominam in eam terram, vnde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hîc in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit. Hactenus Augustinus. Vbi quia indecisam reliquit quæstionem, paucis illam expendemus.

Acindinus vitæ amore, vxorem alteri cedit.

Supponimus ergo, ius coniugij in mutuâ corporum potestate consistere, continerique & debiti redditione, & abstinentiâ ab extranea persona: qui debitum negarit, vsum rei suæ alteri prohibet, qui alteri se miscuerit, furti reus, rem alienam alteri tradit; vtrumque non sine graui iniuriâ. Quid si vir vxoris suæ alteri copiam volens fecerit, velut in præfato, vel simili casu, innoxiéne fecerint? Ille enim iuri cedit suo, *Scienti, & consentienti, non fit iniuria*, de Regul. iuris in 6. hæc autem iniuriarum non tenetur: poterit ergo illa sic corpus dare marito, non concumbere, vt solet, sicut loquitur D. Augustinus, sed viuere cupienti: quemadmodum Sara corpus suum dabat Abrahæ viuere volenti, quod ipsa inculpato Abimelechi creditura erat connubio.

Ius coniugij in quo consistat.

Contendant alij virum non posse cedere iure suo, qui si cesserit, nihilominus iniuriam pati, quia coniugatorum nemo, sui comparis est Dominus, nisi in ordine ad seipsos, vsum habens corporum, non dominium: regulam autem illam iuris sic limitandam, vt de famâ, honore, alijsque bonis externis loquatur, quorum quis dominus est, & quæ, cùm spoliari vult, citra vim alieno permitti arbitrio; non verò de ijs, quorum quis custos est duntaxat, vt sunt, vita, membrorum integritas, filij, & his similia, quorum si quis ius suum alteri cesserit, peccauit contra iustitiam, veréque & propriè, quamuis consenserit, afficitur iniuriâ, iure illo in vigore suo permanente.

Vir ne possit cedere iure suo?

Meliùs tamen, atque communi modo loquendi conformiùs videtur, nullam ei fieri iniuriam: Quis enim ab eo se iniuriâ affectum dicet, à quo volens & iubens mutilatus est? veluti tamen clericus qui iure exemptionis suæ non potest conueniri coram iudice seculari hoc iure cedens, sponte sinit se ad seculare tribunal rapi, nullâ afficitur iniuriâ, sed fit ecclesiastico ordini: ita quamuis volens vxoris adulterium nullâ grauetur iniuriâ, grauatur tamen castitas, grauatur coniugatorum ordo, grauatur Deus, non potest ergo licitè in coniugis adulterium consensum dare,

Viro permittēti vxorem suam alteri, non fit iniuria.

vti nec Amalechites ille, quem Dauid 2. Reg. 1. tanquam homicidam puniuit, debuerat Saulis voluntati condescendere, vt eum traijceret, quia etsi in eum non esset iniuriosus, iniurius tamen erat Reipublicæ, Deo, & naturæ humanæ, in legalem peccans iustitiam. Ideoque non ignarus illius iniuriæ Abimelech. Gen. 20. dixit Abrahæ *Quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere fecisti nobis.* Tacitâ vxoris dignitate, vt dimitteres sororem mihi. Cedat Abraham iure suo, non cedit suo Deus: velit maritus tori socium cum altero habere commercium, non vult, sed punit Deus: Prouerb. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*, vbi secundum D. Hieronymum, Deus dicitur vir, cui fit iniuria. Status matrimonij auctor Deus quod inuiolabile quoad tori vinculum esse voluit Matt. 9. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; Geneseos. 2. Euam adduxit ad Adam, vt ipse, & coniugati quilibet intelligerent, vxores se à Deo accipere, vsum quidem concedente, non autem ius proprietatis transferente, neque se, sibi; sed Deo filios procreare, quod Gen. 6. interprete D. Augustino lib. 15. de Ciuit. Dei. cap. 23. indicatum, vbi sic legit, *Cùm intrarent filij Dei ad filias hominum, & generabant sibi*, quod Hebraicè est ויילדו להם *Veialedo lahem, & genuerunt eis*, vulgata autem. *illæque genuerunt*, insiciens: *quod autem, ait, Et generabant sibi, satis ostendit, quod priùs, antequam sic caderent filij Dei, Deo generabant, non sibi, id est, non dominante libidine coëundi, sed seruiente officio propagandi: non familiam fastus sui, sed ciues ciuitatis Dei.* Scirent quoque adulterinis coniunctionibus quibus prurientis libidinis æstus in fornicationis prolem exonerantur, rationem illam æternam lædi, quæ Abimelecho innocenti intonuit Gen. 20. *Et ego scio quòd simplici corde feceris, & ideo custodiui te ne peccares in me.* Non enim erat in Abraham peccaturus, *quia scienti & consentienti non fit iniuria*, sed in Deum, quem, vt inquit D. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 7. *Cognoscimus velut præsulem custodemque coniugij esse, qui non patiatur alienum torum pollui. Et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam soluat. Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cælestis amittit consortium.* Nec expectandum in opere quod in mente designatum est, vt diuini sequatur pœna iudicij: reus est adulterij ante adulterium: quia, vt inquit Isidor lib. 2. de summo bono cap. 39. *Antequam perficiatur adulterium in opere, iam extat adulterium in cogitatione: Nec enim luxuria*, ait D. August. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 8. *est vitium pulcrorum suauiumque corporum, sed animæ peruersè amantis corporeas voluptates, neglectâ temperantiâ quæ rebus spiritaliter pulcrioribus, & incorruptibiliter suauioribus, coaptantur.* Vnde monet Lactantius diuinar. institut. l. 6. c. 23. *Non tantùm adulterium esse vitandum, sed etiam cogitationem, ne quis aspiciat alienam, & animâ concupiscat. Adulteram enim fieri mentem, si vel imaginem voluptatis ipsa sibi depinxerit: mens est enim profectò quæ peccat, quæ immoderatæ libidinis fructum cogitatione complectitur. In hac crimen est, in hac omne delictum. Nam etsi corpus nulla sit labe maculatum, non constat tamen pudicitiæ ratio, si animus incestus est, nec illibata castitas videri potest, vbi conscientiam cupiditas inquinauit.* Quia vt Tertullianus lib. de pœnitentiâ scribit, Adulterium non enim solum definit Dominus, qui cominùs in alienum matrimonium cecidisset, verumetiam illum, qui aspectus concupiscentiâ contaminasset. Hinc liquet, neque Antiochenæ mulieris huius, pro mariti vitâ, neque Paulinæ Romanæ, aut alterius cuiusquam, diuini concubitus obtentu, caussam defendi posse.

Gen. 20. *Vide quæ diximus §. 11. num. 20 ad confirmationem huius veritatis.* *Prou. 6.* *Matt. 9.* *Gen. 6.* Fornicantes vxore permittente viro, ratio æterna læditur. *Gen. 20.*

Capitis 38. §. 13.

Parænesis.

Scitè admodum Epictetus tom. 3. lib. 2. cap. 26. Omne peccatum pugnam complectitur. Cùm enim is qui peccat, non peccare, sed rem bene agere velit, perspicuũ est eũ, id quod nolit, facere. Quid enim fur consequi vult? id quod sibi expediat. Ergo si furari ei inutile est, quod vult non facit: omnisque rationis capax animus à pugnâ abhorret: & quod ad id de quo pugnatur, non animaduerterit, nihil prohibet, quo minùs pugnantia faciat. Sed si eam intellexerit, necesse est vt à pugnâ desciscat, ac fugiat. Sic omnino necesse est, vt qui mendacium intellexerit, à mendacio declinet. Hæc ille. Simili modo, qui mœchiæ deformitatem, rationi æternæ, atque honestati repugnare intellexerit, illicitam venerem non consectabitur, quòd illa (quoniam nihil vtile & iucundum, nisi & honestum idem fuerit) ad rem bene gestam non conducat, atque ita, illius amator faciat quod nolit facere, sed declinabit ab eâ, tanquam à viperæ congressu, cuius cum muræna consuetudinem, adulterij hieroglyphicum esse, ex diuis Basilio & Ambrosio scribit Pier. Valerian. Hieroglyphicor. lib. 29. cap. 26. à quo vt mortales deterreat, totidem verbis Ambrosius lib. 5. Hexamer. cap. 7. *Nolite quærere viri alienum torum, nolite insidiari alienæ copulæ. Graue est adulterium & naturæ iniuria. Duos primùm Deus fecit, Adam & Euam, hoc est, virum & vxorem. Et vxorem de viro, hoc est de costâ Adam, & iussit ambos esse in vno corpore, & in vno spiritu. Quod vnum separas corpus, & vnum diuidis spiritum, naturæ adulterium est. Sed hoc docet murænæ & viperæ, non iure generis sed ardore libidinis expetitus amplexus. Discite, ô viri, qui alienam permolere quærit vxorem, cuius serpentis sibi assistere cupiat contubernium, cui etiam comparandus ipse serpenti fit. Festinat ad viperam quæ se in gremium viri non directo tramite veritatis, sed lubrico deuij amoris infundit. Festinat ad eam quæ venenum suum resumit vt vipera, quæ fertur peracto coniunctionis munere, venenum quod euomuerat, rursus haurire: adultera enim vipera est: vnde & Salomon ait, quòd is qui fuerit temulentus, cùm per vinum libido feruere consueuerit, tanquam à colubri ictu extenditur, & tanquã à cornutâ diffunditur illi venenum. Et vt scias quod de adulterâ dixit, adiecit, Oculi tui cùm viderint alienam, & cor tuum loquetur peruersa. Nec quisquam veins contraria posuisse nos credat, vt & ad bonum & ad malum viperæ huius exemplo vteremur, cùm ad institutionem vtrumque proficiat, si erubescamus aut fidem non exhibere delicto, cui exhibet serpens: aut relinquẽtes facta coniugia, lubrica & nocitura, salutaribus præferamus: quod facit qui cum serpente miscetur:* similis illi, qui puri fontis aquam despuens, turbidam bibit, in quem grauiter D. Hieronymus, epistola ad Gaudentiũ, *Habens vxorem vtatur vase suo in sanctificatione & pudicitiâ, bibat que de fontibus suis, non quærat cisternas luparum dissipatas, quæ purissimas aquas pudicitiæ continere non possunt:* quas quærunt illi qui feruidæ libidinis debacchationẽ grassantes, in quamcumque eos primùm fœminam ardens impudicitiæ furor traxerit, irruunt, quorum insectans atque proscindens petulantiã Ieremias cap. 5. inquit: *Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat:* Contra illud quod dicitur Prou. 5. *Bibe aquam de cisternâ tuâ, & fluenta putei tui: deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: Ceruа gratissima & gratissimus hinnulus, vbera eius inebriẽt te omni tempore, in amore eius delectare iugiter.* Vbi ex interpretum mente Salomon cisternam & puteum, vxorem appellat, duoque matrimonij officia commemorat, ad quæ est institutum: concupiscentiæ

1\. Peccatum nullum sine pugna esse potest. Murænæ cũ vipera congressus, adulterij hieroglyphicũ. *Prou. 23.* Fons puris vxor legitima. *Ierem. 5.* *Prou. 5.*

centiæ videlicet, remedium, in his *bibe aquam de cisterna tuá, & fluenta putei tui*, hoc est, extingue concupiscentiæ tuæ sitim aquis cisternæ tuæ, non alienæ; putei tui, non alieni, vtere vxore tuâ, non alienâ: & naturæ officium, ad procreationem sobolis, in istis, *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*: fontes & aquas liberos appellans: quia sicut è fontibus aquæ in plateas, ita ab vxore filij in rempubl. deriuantur, non sibi, sed patriæ nati. Excleduntur autem spurij & incerti patris quum dicitur: *Habeto aquas tuas solus*, hoc est, filios solus, quorum ipse sis pater: *sit vena tua benedicta*, vxor tua, scilicet, ex qua velut è puro fonte legitimi filij emanant, sit filiorum procreatione benedicta, iuxta illud Tob. 6. *In semine Abrahæ, benedictionem in filijs consequaris*: *Lætare*, non cum meretricibus & concubinis, sed cum vxore, quam adolescens accepisti: *Ceruа*, sit tibi vxor in delicijs, & amabilis, eam beneuolè atque blandè tracta, vt ceruam hinnulumque iucundissimum. Vbera eius, Hebraicè, *Amores eius satient te*, ne quæras alienam: *in amore eius delectare iugiter*: hoc est, esto fidelis, neque alteri misceаris; in aliorum infortunijs delicias quærens: vt & illa, quod de Germanis scripsit Cornelius Tacitus, sic vnum accipiat maritum, quomodo vnum corpus, vnamque vitam.

Tobiæ 6.

Quod si, vt 8. Ethicor. inquit Aristot. quia propensiores sumus ad voluptates naturâ, idcirco ad intemperantiam simus, quàm ad modestiam procliuiores, nullius tamen ingenij species, tam lubrico aut vicino vestigio in vitia propendet, quæ non facilè prudentiæ habenis, intra rectum flecti possit. Flectetur autem si intellexerit, Nomothetam nostrum Christum, multa quidem Collegij sui tolerasse peccata, velut D. Thomæ, ac omnium fere Apostolorum incredulitatem, Marci vltimo: ambitionem Matth. 20. & in nouissimâ cœnâ contentionem illam, *Quis eorum videretur esse maior*: Luc 22. iram in Samaritanos Luc. 9. *Domine vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos*? inuidiam, ibidem, *Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum*. Auaritiam, Io. 12. de Iuda Scariothæ, *Fur erat, & loculos habens*. Proditionem Iudæ, negationem, & execrationem Petri, impuritatem tamen luxuriæ, tanquam spiritualis vitæ iuratum hostem, ita detestatum, vt eâ inquinari neminem permiserit. Si citam ex immodicâ venere mortem venire cogitarit, cuius rei significandæ gratiâ, in templo veneris ea vendi solita tradunt, quæ spectarent ad funera, atque oblationes ibidem pro mortuis fieri: *Libidinis namque initium continebis*, inquit Seneca, *si exitum cogitaueris*. Si aduerterit clementissimum alioqui in peccatores dominum, adeò implacabilem sese exhibuisse adulteræ, vt in zelotypiæ sacrificio; non oleum, quod miserationis diuinæ hieroglyphicum est, quâ, vt Adamantius inquit, omnis anima eget, vt sospitari possit; non oleum, quòd integritatis, puritatisque symbolum est, vt pote, quòd nullam mixturam (velut lac, aut vinum) admittat, quâ corrumpatur: non oleum, quòd hilaritatem, lætitiamque significat, secundum illud, vt *exhilaret faciem in oleo, &c.* Et illud, *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*; adhiberi voluerit, quòd adultera, illicitam lætitiæ hilaritatem aucupans, solutâ integerrimæ societatis fide extraneo non maculandâ contubernio, immaculati tori lætitiâ & hilaritate non perfundatur cælestis indigna misericordiæ: non thus quoque orationis, delicti veniam exorantis; sed

2. Fornicatores in collegio Apostolico nō passus est Christus.

Luc. 9.

Psal. 103.

Psal. 44.

hordeaceam dumtaxat farinam offerri, quòd adulterij polluta sordibus, ad iumentorum pabulum relegata, occidioni deputetur: quapropter à viro traducta, execratæ conceptis verbis lymphæ haustu, mulier si adulterasset, fœmoris tabe mox conficiebatur, fœcundabatur innoxia. Num. 5. *Offerret oblationem pro illâ, decimam partem farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus.*

Num. 5.

Aduerte tibi, & vide cui princeps ratio tua, dominæ ancilletur luxuriæ: cui, vt & affectibus suis seruire, grauius quàm tyrannis: huius proinde imperio si te tradideris; ceu ranæ, altiuolam ardeam, quam ad sui principatum euexerant, quum domos suas, aquarum stagnantium lutum, rostro eius acuto lustrari, seseque ad interitum pungi rapique viderunt, electionis suæ pœnitentiâ auctæ, non regem, sed tyrannum sese accepisse intellexerunt: sic eius dominatus formam, non moderationem, sed meram experiere tyrannidem, aut ipsa tyrannide quid grauius, quod Sophocles apud Athenæum lib. 12. cap. 1. iam natu grandior, rogatus num rei vxoriæ adhuc vacaret, agnouit, & se à libidine hac, velut à quodam rabido & fero domino libenter esse liberatum, professus est; à quo, cùm & liberos nos esse velit Apostolus, secundum D. Ambrosium lib. 1. de Cain. & Abel. cap. 5. *Ideò dixit fugite fornicationem, vt vel loci fuga, furiosæ Dominæ declinare sæuitiam, & tetro seruitio exire possimus.*

Ardea tyrannis in ranas.

Dæmonis artes & machinas resistendo fugabis, *Resistite diabolo & fugiet à vobis*, Iacob. 4. Carnis illecebrosas veneres, fugiendo vinces.

Iac. 4.

Cede, Venus cædit, insta, magis improba lædit.
Si fugias Veneris prælia, tutus eris.

Est cani similis fornicatio, vt inquit D. Ephræm Syrus in illud, Attende tibi cap. 9. cui si blandiaris manet apud te, si pellas, fugit: lasciuus quippe est canis & impudens, blandientisque naturæ, cui si adblandiaris à te non recedit, si repellas fugit, ita quoque fornicatio, quæ non solùm molliusculè blandienti adhæret, sed etiam illum mordet vt coluber, vnde Philo lib. de Gigantibus voluptates, inquit, *earum more primum abblandiuntur; tunc repente mutatæ, morsum infigunt insanabilem*: & Prouerb. 24. de meretrice, *Ingreditur blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.*

3. Fornicatio blanditiis augetur.

Prouerb. 24

Fornicationis fugiendæ, cæteris verò vitijs superandis resistendi ratio est, quia in his, vt inquit D. Thomas lect. 3. in cap. 6. prioris ad Corinth. quantò magis homo particularia considerat, & tractat, tantò minùs inuenit in eis vnde delectetur, sed anxiatur magis, in illa verò, quantò magis particularia cogitat, tantò ampliùs crescit ardor fruendi, adfectus in adfectum rapit, voluptas in voluptatem, libido vnius in libidinem alterius, atque ita fit ex peccato in peccatum prolapsio, velut ex arenâ in arenam, quæ vestigiorum impatiens in immensum subsidere solet, & calcantes haurit. Erras si putas voluptatis sensu libidinis facem extinguere, non satiatur, non extinguitur ignis fomento, aut oleo, sed acuitur & accenditur vehementiùs, ita libido libidine. *Sicut enim vnus panis diurnam solùm effugat esuriem*, inquit D. Hieronymus in 6. cap. Prouerb. *& nihilominus postmodum esurit, qui comesto panè satur abscesserat: sic qui intrat ad scortum, ad horam quidem euaporat libidinem, sed post paululum, ardentior redit.* Oleum flammæ adijcimus, ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus, nisi immundos cogitatus, & quaslibet occasiones vitauerimus: *Fugite de terrâ Aquilonis, dicit Dominus*, Zachar. 2. fugito lutosam olentis volutabri suem,

Libido libidine accenditur.

Zachar. 2.

non

non expedit cominus illam admittere, vti neque cum lutu ĕto homine luctari, quem etsi prostraueris, inquinaberis, secundum illud Eccles. 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab eâ*: ita si cum cœnosâ luxuriâ, præcipuè verò, quòd illa ipsa, ex nostro, auxiliares suas copias, in nosmetipsos ducat, siquidem ex delectabilium cogitatione, in nos corpus nostrum insurgit vt hostis. Itaque sicut Dux prudens, si alienæ factionis milites in suo exercitu, proditorésve esse cognouerit, eminus pugnat, aut non priùs in arenam descendit, quàm perfidos in vincula coniecerit; ita eminus, non cominus cum luxuriæ vitio pugnandum, & constringendus domesticus hostis, corpus nostrum, ne sua in caput nostrum tela vibret: zonâ castitatis lumbi præstringendi sunt, ne vt bruta animantia, quibus lumbi remissi ac soluti sunt, neque ratio inest, quæ voluptatibus frænum inijciat, (quanquam ea quoque motus naturalis, libidinisque modum norint, vt inquit Nazian. Orat. 42. quæ est 2. in Pascha) in luxuriæ voluptatem feramur præcipites. *Non qui quam proditores laudat?* inquit Plutarch. lib. contra voluptatem: *at talis est voluptas, prodit quæ virtutis sunt. Num quis tortores? tale est voluptatibus indulgere, torquet quæ sunt temperantiæ. Num quis auaritiam? insatiabilis est vtraque. Quid huiusmodi oblectamur bestiâ quæ assentando conficit?*

Eccl. 13.

4. Sensuum custodia cōtra fornicationem adhibenda.

Adhibe, in hoc fornicationis certamine, sensuum custodiam, vt non viuant cupiditati. Diogenes deridebat eos, qui cellas promptuarias obserant vectibus & seris, & signaculis: corpus autem suum multis fenestris & ianuis aperiunt per os & pudenda, & aures & oculos. *Vt enim certâ ægritudine laborantibus vtile est*, inquit Cassian. lib. 6 cap. 3. *vt cibi noxij ne oculorum quidem obtutibus offerantur, ne quod aspectus occasione, desiderium eis lethale gignatur: ita plurimum confert ad depellendum hunc specialiter morbum, quies & solitudo*, vt non in aliena irrumpant sensus, sed secum morentur, non pateant illuuioni turpitudinis, sed offensæ, & integritatis amittendæ timore obfirmentur. Præclarè Diuus Augustinus lib. 50. homiliar. homil. 35. *Si virginitatem animæ integram seruare desideras, quantum potes, obserua blandimenta draconis: ne fortè si incautus fueris, quinque sensus, qui in te sunt quasi quinque virgines, permittas à serpente corrumpi. Quidquid enim pulcrescit visu, quidquid dulcescit gustu, quidquid blanditur auditu, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid mollescit attactu, in his omnibus si incauti fuerimus, surrepentibus concupiscentijs malis, animæ virginitatem corrumpi permittimus, & impletur illud quod per Prophetam dictum est: Intrauit mors per fenestras vestras.* Ierem. 9. Diuus quoque Basilius lib. de verâ virginitate, sic virginem alloquitur: *Tactum verò vt sensuum omnium perniciosissimum, & sæuissimè blandientem, sensusque reliquos in suas illecebras pellicientem, immaculatum, quàm maximâ poterit curâ, seruabit.*

Iereni 9.

Item carnis mortificatio.

In hoc dimicationis genere, non solùm irrepentibus fornicationis illecebris, occludendæ fores, sed etiam morte afficiendum, delendum est ad internecionem vsque, quidquid carnis in carne viuit, vt magno spiritu animus, mortuus carni, viuere valeat Deo. *Non parcas ei & non concupiscas illius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum*, inquit Dominus per Samuelem Prophetam suum Sauli, occidionem Amalechi præcipiens 1. Reg. 15. in quæ verba lib. 6. in eum lib. Diuus Gregorius: *Quis est autem qui parcit Amalech, nisi qui aut in cogitatione, aut in ore, aut in carne lasciuiæ aliquid retinet? nam plerique turpitudinis exempla non exercent, sed linguam à turpi locutione non cohibent: plerique per opus luxuriam vitant, per cogitationem non vitant: quidam nihil turpe agunt, sed quod actu refugiunt, corde concupiscunt. Parcit itaque Amalech qui blandimenta lasciuiæ aut locutione, aut per intentionem, aut per cogitationem tenet. Dicit, Non parcas ei, quia de tam nequissimo vitio, nihil accendi debet in mente, nihil permitti ardere in opere. Non concupisces ipsius aliquid, vt penitus eradicetur à cogitatione. Qui sunt viri interficiendi, nisi suadentes motus turpitudinis? viri etenim sunt, quia violenter suggerunt, & corruptis mentibus semina prauitatis infundunt. Mulieres sunt mentis concupiscentiæ, quæ prædictis motibus ad fœtus impios substernuntur. Paruuli & lactentes, qui sunt, nisi qui de Amalechitarum virorum & mulierum commistione generantur? nam si motus malæ suggestionis, quasi adulteri mente recipitur, concupiscentia quasi meretrix impregnatur: quia si effundere partum sinitur, libidinum motus non solùm in mente, sed etiam in carne generantur: qui dum nascuntur, paruuli sunt, quia adhuc carni violentiam mouendo, non inferunt: Lactentes sunt, cùm tenui & negligenti cogitatione nutriuntur. Lac ergo paruulorum cogitatio est immunditiæ, quia si motus turpis per cogitationem non pascitur, quasi negato sibi lacte, paruuli necantur. Quod lac meretrix mater porrigit, quia dum ardor concupiscentiæ mentem præuenit, quasi ex pessimâ cordis vbertate agitatur, vt peiores motuum soboles in carne nutriantur. Quid verò in boue nisi consilium fraudulentum accipitur, quod exemplo veterum carnis voluptatem suggerit qui inter carnis opera omnipotenti Deo placuere? Ouis autem nomine, innocentium vita signatur, hoc est, simulatio innocentiæ; quidam enim dum formam humani corporis, proprietates vtriusque sexus, & insitam membris libidinem considerant, quasi naturali bono, se hoc posse vti licenter putant. Quasi ergo ouis est, quando continentibus illud quasi bonum suggeritur, quod verè bonum non esse liquido comprobatur. Camelus ruminat, sed non findit vngulam, & est quædam cogitatio luxuriæ, quæ quasi à ratione incipit, sed per discretionem non finitur: nonnulli etenim continentiam professi, dum à carnis concupiscentiâ superantur, in coniugali vitâ saluari posse confidunt. Quid asinus, nisi aperta nequitia fornicationis accipitur? quosdam enim diabolus in apertum chaos fornicationis inuehit, quibus per fraudes illudit; Asinus etiam aliena onera portare consueuit, quo robur coniugalis copulæ designatur: quia electi coniuges onera sua fortiter portant, ne per carnis infirmitatem, in fornicationis barathrum remissiùs corruant. Asinus ergo interficiendus est, sed Amalechita, quia copula coniugis in honestate thalami roboranda est, sed à turpitudine interficienda. Debent quidem coniuges debitum suum inuicem reddere, sed turpiter conuenire non debent.* Vnde Diuus Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugijs, cap. 12. *Illicitè namque & turpiter etiam cum legitimâ vxore concumbitur, vbi prolis conceptio deuitatur: quod faciebat Onan filius Iudæ, & occidit illum propter hoc Deus.* Prosequitur Diuus Gregorius. *Omnia ergo Amalech demoliri iubentur, quia qui castè viuere proponunt, de blandimento carnis in se aliquid retinere non debent.*

1. Reg. 15.

Luxuriam, Diuus Bonauentura, Dieta 1. cap. 9 gehennæ comparari scribit, nec iniuria. nam sicut in gehennâ sunt specialiter tria, scilicet, ignis ardens, vermis rodens, sulphur fœtens: sic in peccato luxuriæ est ignis concupiscentiæ, vermis siue remorsus conscientiæ, & sulphur, id est, infamiæ fumus: & ideò, inquit, qui est in peccato luxuriæ, iam quodammodo est in supplicio gehennæ, vnde Diuus Hieronymus, qui luxuriatur, viuens mortuus est, condit quippe se in mortem ante mortem, & blandiusculæ Sirenis huius, inescatus dulcedine, iuxta sibi facit, in impuritate omnium impurissimâ sepultus, ceu Heliogabalus in latrinâ, in quâ, cùm vitam fœdissimam egisset, sepeliri voluit, vt scribit Lampridius: de cuius turpi vitâ & morte Bapt. Ignatius lib. 2. de vitâ eius, & Herodianus lib. 5. histor.

Luxuria velut gehenna ignis.

Heliogabalus.

Luxuriæ currus.

Hanc turpem Dominam quadrijugo vehi curru, auctor D. Bernard. serm. 39. in Cant. *Luxuriæ currus, inquit, quadriga voluitur vitiorum, ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otij soporisque resolutione. Trahitur equis duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantiâ, & qui his præsident duo, ignauiæ torpor, & infida securitas: quia & copia in ignauiâ soluit, & secundum scripturam, prosperitas stultorum perdet illos, non sanè ob aliud, nisi quia malè securos reddat.* In hoc curru sedentis impressionem vt superes, non aliter quàm fugâ pugnandum est. Fugite fornicationem, & genialis tori reuerendam societatem, & illud humani generis procreabile sacramentum, sceleratâ temeritate non profanabitis. Fugite fornicationem, & pulcherrimum illud decus & ornamentum puellarum, virginitatis florem, immani stupro non delibabitis, tot fornicationum rei, quot deinceps sunt secuturæ; velut enim, qui prior horti alterius sepem vel claustrum rupit, occasio est damni eius quod faciunt illi qui postea intrant, aliàs non ingressuri, & iuxta regulam iuris, Qui occasionem damni dat damnum dedisse videtur: sic qui soluit zonam virgini, si illa se pluribus commiserit, tot erit ipse peccatorum reus. Fugite fornicationé, & melior illa quæ in vobis est hominis portio non degenerabit in corpus, in quod, qui fornicatur, peccat: siue quòd ex diffuso ardore concupiscentiæ, in alijs vitijs non inuentâ, quadam turpitudine afficiatur, vti Diuo Anselmo placet: siue quòd cùm in cæteris peccandi cupiditatibus, anima sit extra corporis naturam, sano atque integro sensu, passiones suas illicitas dijudicans, secundum illud Iuuenal. Saty. 13.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet autori, prima est hæc vltio, quòd se
Iudice nemo nocens absoluitur.

In fornicationis tamen actu, ita sensilibus libidinis illius delectamentis immergatur, vt spiritualis exors muneris, præter carnem, in carnem conuersa, sapiat nihil. Vnde proniores in Venerem, cerebro euacuari, dixit Seneca, & nonnulli, hanc turpitudinis Deam, Venerem idcircò dici putarunt, quod sit, *Ve*, id est, *sine*, particulâ scilicet diminuente, & νοῦς, id est, mens siue intellectus, tanquam expers mentis & intellectus, sit, incapaxque sapientiæ, cui Pallas & Musæ virgines præsunt, quisquis rei venereæ, cœcoque Cupidini, hoc est, mente capto, sese effusius dederit. Fugite fornicationem: *Recordare*, inquit D. Hieronymus Prouerb. 6. quia breuis est voluptas fornicationis, & perpetua pœna fornicatoris: sic Verinus quoque:

Venus sapientiæ incapax.

Est instar floris verni fugitiua voluptas:
Quod pudeat semper, pœniteatque facit.

Extendamus vitâ, inquit Seneca epist. 122. huius & officium & argumentum, actus est. Vesana Venus, quæ inducta in scenam post se insanientes, in cruciatus æternos rapit.

6. Mulierum formosarum aspectus fugiendus.

Fugite consortia mulierum, aspectum fugite formosarum. Ignem quidem ventus, ait quidã, amorem consuetudo accendit. Et quanquam nõ dubites eximiæ castitatis exempla, etiam inter disspares sexus amantes durare posse, res tamen est plenior periculi, quòd sæpè mens oblita suæ præstantiæ, ex vicinitate præsentis sensibilis, in contrarios degeneret adfectus. & irrequieta cupiditas, venustatem alterius sexus in licentiores vsus conciliet. Fugite mulierum familiaritatem, aspectum fugite elegantiæ fœminarum. Vt quid pictæ ad venustatem cutis, formam paulò splendidiorem deperis, in quam, ceu papilio in flammâ, inuoles; in quâ pereas? χαρᾶν πυραύςα χαίρεις, *gaudium pyraustæ gaudes*, momentaria, fluxaque voluptate, perditis captus amoribus, non aliter ac vehementi igne consumeris.

Qui circumuolitat deceptus amoris ab igne
Nunquid naturam Papilionis habet?

Sargus piscis.

Pellicularis amator, velut sargus, à pruriente & falaci muliercula trahitur, & conficitur. De hoc pisce Gesnerus, Non solùm alienas vxores deperit, sed etiam mirè ardet fœdo caprarum amore, quam insaniam pluribus describit Oppianus lib. 4.

Inuadit Sargos caprarum mira cupido,
Qui madidi simas cupiunt tractare capellas
Montanis gregibus, quamuis sint agmina ponti.

Vide Alciatum, emblemate 75. Ælianus lib. 1. c. 23. Sargi, inquit capras vehementissimè amant, namque cùm caprarum proximè littus pascentium, vnius aut alterius vmbra in littore apparuerit, protinus gaudio exilientes, summo studio adnatant, ac saltu, non admodum ad saltandum idonei, capras contingere affectaut: sensum enim caprini odoris percipiunt, etiamsi sub fluctibus natent: itaque voluptate gestientes, ad eas accedere student. Quòd autem tantâ amoris insaniâ existunt in capras, ex ijs idcircò capiuntur, quæ tantoperè desiderant. Nam piscator caprinam pellem extractâ cum cornibus induens, insidias parat, sole à tergo relicto, atque farinam caprino iure madefactam, in eam maris partem spargit, vbi habitare solent Sargi, quibus tanquam philtro quodam odoris allecti, accedunt, farina vescuntur, pellis assimilatæ capræ conspectu permulcentur. Ex his autem piscator, multos hamo robusto capit. Similem in modum piscator ad mortem Dæmon propositâ voluptatis escâ, sub mulieris specie delitescens, cuius elegantiæ, etsi comptæ, commodæ, blandæque videantur, sentes sunt tamen & rubus prætereuntibus, dentes acuti, vnguesque leonis, quomodo de lænâ Plautus,

Bonis oportet esse dentibus lænam probam
Arridere, quisquis veniat, blandè alloqui, malè corde
Consultare, benè loqui linguâ:
Meretricem esse similem sentis condecet.

Caro omnis, putredo, & fœtor.

Sic, inquam, piscator ille mortis, cuticulæ illecebrâ, plurimos in barathrum rapit. Verùm quid in muliere deperis in quo peris, præda tartari? ocimum scilicet aspectu & odore gratum, tactu verò, & tritu fœtidum. *Quid enim est caro*, inquit Ludouicus Blosius Speculi spiritualis cap. 4. *quantumlibet etiam pulcra & elegans appareat, quid est, nisi stercus & putredo, & ingens fœtor? Si detrahatur pellis illa tenuissima, quæ magnam pulcritudinem præsefert, iam ipsa caro tota deformis erit.* Et D. Hieron. ad Eustochium in regulâ, grauiter simul splendorem & elegantiam vestium damnans: *Imperfectissimus mulierum affectus*, inquit, *semper in vestibus, semper in auro, semper in lapidibus pretiosis, & ornamentis extrinsecis gloriam ponunt. Non sufficit eis libido innata naturæ, sed occasionem quærunt explendæ libidinis. Affectant procul dubio vt oculi virorum aurum contemplantes & gemmas, tandem figantur in faciem, vt oculorum suorum nutibus faciliùs incitent ad libidinosum incendium. Quid meretrix gloriaris in margaritis & gemmis? Quid ad te attinet argentum & aurum? Quid exaltaris in pulcritudine panni? Nonne omnis caro cinis & fœnum, & vt verius dicam, massa putredinis, cibus vermium, & fœtidissimũ stercus? Quid in te mirandum, puerorum spectaculum? Nonne si laudatur gemmarum aut metallorum pretiositas, quam sibi natura tradidit, semper tamen cogno ceris cinis, fœnum, & stercus immundum ex immundo productum semine? O si tu velles intueri, vilissima mulierum, quam verecundareris in corpore quod tanto cultu extollis. Ipso etenim iumento, & bestijs terræ, aut es æqualis aut deterior. Intus est vnde glorieris, non extra. In vase isto tam turpi* thesaurum

thesaurum tenes, quem summâ cum diligentiâ colere debes, & seruare summâ custodiâ. Nihil ad te de vase fictili si turpis forma sit extra, dummodo intus sit nobile, sit pulcrum quod latet intus; sit integrum quod seruatur. Veruntamen fugite vos viri istas blanditiarum pestes & incendia concupiscentiæ, cucurbitas istas inanes, & latentes dolos fugite. Expeditam & vberem piscandi rationem, Bellonius in obseruationibus Hodœporicis edisserit, inquit Pierius Valer. Collectaneor. Hieroglyphicor. lib. 6. verbo, *Voluptas esca malor.* Quâ vti solent ad orientem Bosphori, & Propontidis accolæ: verba eius sunt: Ducentos aut trecentos hamos longâ quadam serie & fune, quem cucurbitæ sustinent, pēdentes disponunt, quibus escam è carnibus aut piscibus constantem affigunt: eum deinde funem noctu ad integrum vel dimidiũ milliare in mare deferunt, isticque totâ nocte relinquũt, vt pisces, qui cibum quærunt, quales sunt, murænæ, squatinæ, caniculæ, raiæ atque alij similes, hamis capti hæreant. Postridie mane, nisi tempestas impediat, hamos, quos è longinquo propter annexas ingentes cucurbitas statim agnoscunt, repetitũ eunt, & prædam domum referunt. Cucurbitæ sunt scorta meritoria, adulteræ, & salaci ardentes pruritu, quæ in speciem magni quid polliceri videntur, sed in tanto apparatu in tam præclaro mundi muliebris splendore, vacuæ intus sunt, & intecti in capturam hami, vt qui ad eas curiosiùs accesserint, in longissimos sese impediant errores, voluptatisque apparentis potiundæ desiderio illecti, hamos incurrant insidiarum capti miserè, & decepti.

9. Felix qui istarum Harpyiarum vincula rupit, euasit. Equos ferunt generosiores fieri, qui lupi tentati violentiâ, illius sese morsibus excusserint, quod quia pugnare cum rei naturâ videtur, (est enim vnicuique animanti, tanto timiditas eneruior, quanto se arctiùs ab hoste teneri, & in vitæ discrimine esse meminit) Plutarchus lib. 2. Sympos. quæst. 8. scribit, equos non ideò animosiores, & ad cursus pernicitatem valentiores fieri, quia lupi voracitatem euaserint, sed potiùs tale vitæ suæ discrimen euasisse, quia fortes fuerunt: quemadmodum Vlysses non idcircò fortior, prudentiorque, quia Cyclopis Polyphemi gulam elusit, sed quia ingenitâ prudentia, vt elaberetur, fortiter fecit. Similem in modum de illis fatebimur, qui imperiosæ luxuriæ luparumque dolosas artes & laqueos perruperint, non propterea, prudentiâ & fortitudine valere quia eruperunt, sed eripuisse se, quia fortes fuerunt, & nisi fuissent, furiosæ dominæ paruissent imperio, quæ in quos manus iniecit, tam arctè tenet, vt nisi magnâ prudentiâ præditi valeant erumpere. Quare Græci eam quæ amantium oculos ad se traheret, atque irretiret ἑλικοβλέφαρον appellarunt, hoc est, palpebras volubiles & tortiles habentem, quas in omnem partem, lasciuiæ quodam motu, gyrat, & minùs circumspectos inuoluit, velut vitium clauiculæ vel capreoli, quos Græci ἕλικας dicunt, primùm, in quos impegerint, palmites implicant, tanquam iniectâ manu. Sunt enim impudicæ oculi, capreoli quidam, qui, ceu manu, viperinis quasi orbibus amantem conuoluunt, atque eo tectu intortum, vt non elabatur, tenēt: quod D. Basil. lib. de verâ virginitate ostendit, *Iactu enim,* inquit, *luminum radijs, velut quibusdam incorporeis manibus, quemcumque volueris, eminus tangis, & quæ corporeis manibus attingere non potest, oculorum iactibus pathicès complectitur.* Et quia visus, velut sagitta quædam, hominem eminus in vulnus petit, D. August. serm. 83. de tempore, & D. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 5. *Prima,* inquiunt, *adulteria oculorum tela sunt, secunda verborum. Sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere. Suppetit defensio vbi adhuc liber affectus est:* & Petrus Gregor. Syntagmatis Ioris vniuer. lib. 36. cap. 12. num. 12. visu, inquit, primæ lineæ amoris ducuntur, & per oculos virus & amor, imò anima in animam transfunditur, vt docet in conuiuio Plato. vt in amore, amarorem esse & mortem intelligas, sicut ex vocabulorum vicinitate indicauit Poëta Gallicus.

> *Ostéz vn, y, vous trouuerés amer*
> *Au mot d', aymer; aymer, amer s'apelle:*
> *Et de l'amour, ostant, o, la voyelle*
> *Vous pourrés bien l'amour, l'a mor nommer.*

Et quid morte amarius.

Hinc Ecclesiastes cap. 7. *Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius.* Mortis amaror, in diuisione animæ & corporis consistit, *Siccine separat amara mors*? 1. Reg. 15. at nequitia mulieris, famã trucidat, animam à Deo separat, corpus eneruat, opes exhaurit, intellectum cœcat, rationem sopit, in infernum totum hominem trudit. Quantum virus amoris? inspiratur oculi pleni adulterijs radio, & per patentes animæ ianuas in cor infusum, gliscit, & miserandã tabe, animam animæ eripit. Sic Dominus Matt. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam iam mœchatus est in corde suo.* Laqueus est Apostatarum Angelorum, & sagena, & vincula, quibus innectuntur incauti: De Anthiâ Pisce Plin. lib. 9. nat. hist. cap. 59. vt capiatur, narrat, totidem verbis: Paruo nauigio & concolori veste, eademque horâ per aliquot dies continuos piscator enauigat certo spatio, escamque proijcit. Quidquid ex eo mittitur, suspecta fraus prædæ est: cauensque quod timuit, cùm id sæpè factum est, vnus aliquando consuetudine inuitatus anthias, escam appetit. Notatur hîc intentionè diligenti, vt autor spei, conciliatorque capturæ. Neque enim est difficile, cùm per aliquot dies solus accedere audeat. Tandem & aliquos inuenit, paulatimque comitatior, postremò greges adducit innumeros, iam vetustissimis quibusque assuetis piscatorem agnoscere, & à manu cibum capere. Tum ille paulùm vltra digitos in escâ iaculatus hamum, singulos inuolat veriùs quàm capit, ab vmbrâ nauis breui conatu rapiens, ita ne cæteri sentiant, alio intus excipiente centonibus raptum, ne palpitatio vlla aut sonus, cæteros abigat. Nihilo seciùs, piscator ille versutus dæmon, adulterâ, quam in rei venereæ studium escâ voluptatis traxit, vtitur in capturã amatorum gregis, quem ipsâ conciliatrice, iucunditatis, & oblectatiunculæ illecebrâ inuitatum, hamatâ rapit manu, & perdit: imò etiam specie formaque mulieris in exemplum castæ, stolidos amantes illaqueat. Vnde Cyrillus epist. 18. de laudibus D. Hieronymi, apud D. August. tomo 2. Nullo tot diabolus animas rete capit, inquit, quàm laqueo pessimo mulierum. Iuuenem nobilissimum accendit Sanctimonialis pudicitiæ expugnandæ, ardet ille, nec viam nouit: Magum adit, multa promittit, si vt eâ potiatur effecerit: dæmonem ille ad virginis cellam mittit, obstat illi ibi Diui Hieronymi imago, quæ non permittit ipsi limen transire præ timore. Redit re infectâ ad Magum, datque caussam, quem deridens Magus dimittit, & alium vocat, nec huic feliciùs successit, vociferatus interea, fortè coactus: Si me, Hieronyme, hinc finis recedere, hoc vlteriùs non reuertar: terretur mulier insistens orationi, quid ea sit vox tremula, percontatur: ingeminat eas dæmon, accurrunt aliæ pauidæ in subsidium, cognitoque dæmone,

cur

Equi qui lupi morsus euaserint, generosiores.

Eccles. 7.

1. Reg. 15.

Matth. 5.

Anthias piscis.

Castissimæ mulieris species, etiã in laqueum viris.

cur illuc venerit sciscitantur, narrat seriem, seque à Diuo Hieronymo catenis ignis ibi vinctum teneri, velint illæ sibi libertatem impetrare: id Moniales impetrarunt, & ille mox, magno stridore Maguni aijt, eique suum adscribens supplicium, diris verberibus afflixit, donec miser se Diuo Hieronymo commendauit, vota abiurationis nuncupauit, opem sensit. Iuuenis autem laqueo se suspendit, suis frustratus amoribus: hæc ille. Sunt & alia huius infelicis capturæ, & punitæ luxuriæ, punitique diuinitùs adulterij exempla. Narrat Vincentius lib. 3. speculi moral. dist. 3. par. 9. duos Principes contemporaneos, profusæ luxuriæ viros, miserandum in modum extinctos esse, vnum quidem, acerbâ ægritudine, genitali ad ollæ grandis similitudinem tumente, conflictatum: cuius dolore quum torqueretur, etsi caussam doloris in membri illius abusum meritò refunderet, impœnitentem tamen, inter blasphemas in Deum voces, quas dolore tortus euomebat, sordidum posuisse spiritum. Alterum verò graui languore tabescentē, fœtore intolerabili afflixisse domesticos, atque in cubili suo, quasi super quatuor pedes procumbentem, intestina omnia cum fæcibus suis & fœtore maximo, vnaque turpem animam, nullo dato pœnitentiæ signo, emisisse. Et Tho. Cantipratensis lib. 2. de vniuerso cap. 30. pa. 40. cuiusdam meminit adulteri, qui cum noctis intempestæ silentio, vice quadam, de vxoris latere surgens, completo cum alienâ flagitio, lucente luna domum rediret, visus sit intrans per fenestram, vxori eminus intuenti, horrendâ dæmonis facie, tum famulis ad mulieris vocem excitatis & spectri informitatem fugientibus: at ille, ex tanto suorum motu, agnouit immutatos in se ex crimine vultus, & in mane delituit, cùm ecce properantem ad Ecclesiam flagitij sui expiationis ergo, armenta villæ ad pascua prodeuntia, tanquam fulmine tacta diffugiunt, mugitibusque omnia complent: & ipse sacerdos qui in sacris adytibus horarum penso insistebat, eo viso, in ædem ingressus, ianuas occludit: inuocat illum miser: non esse se iam mente, qui videretur corpore, formam illam crimini suo datam, vellet illud se exomologesi expiare, admittitur, & pœnitentiæ lacrymis larualem illam diluit faciem. O vos qui petulantiæ procacioris bruto impetu in vetitos thalamos ruitis; qui, ceu muscæ in texturā araneę inuoluunt, quasi arreptitio quodam agitati spiritu, vosipsos præcipiti effrænis adolescentiæ motu in dæmonis capitiunculas impellitis; qui vestris dediti adfectibus & desiderij passionibus seruientes, vos ipsos visco voluptatis inuolutos, aduersario ceditis. Quousque tandem lasciuiæ veterno indolis vestræ felicitatem corrumpetis? Quousque substantiam vestram, opes, sanitatem, honorem, & animas vestras perditum ibitis? Abrumpite ista nequitiæ vincula quibus tenemini: maturate fugam qui necdum tenemini:

Seriùs eijcitur, quum iam pessundat ouile,
In septā admissi sæuior ira lupi.

Vt carcere amorum, Veneris laqueis & illecebris, quasi ex durâ seruitute liberati, & ad bonam frugem conuersi, dicatis Deo, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo sacrificiū laudis, & nomen Domini inuocabo.* Psal. 115.

Exempla.

Psal. 115.

CAPVT XXXIX.

De septimâ petitione.

Deum esse liberatorem nostrum à malis.

Vrbes cur ædificatæ.

QVæras ex sapiente, cur conditæ vrbes? cur

Tot congesta manu, præruptis oppida, saxis?

Virgil. 2. Georgic. Reponet quod Lucretius lib. 5.

Condere cœperunt vrbes, arcemque locare,
Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiumque.

Ergo claris præcinctæ sunt mœnibus vrbes, vt Rex, vt populus extra ferarum incursantium formidinem, extra prædonum, furûmve periculum, extra turbulentos bellorum motus, securi vitæ, transigant æuum. Ecquæ tamen vrbs, ita extra telorum fortunæ iactum, quam non aduersi excipiant casus? quam non labor, dolorque adfligit? vel in quâ non ipse homo homini lupus? Deitates fingere, ijsque templa dicare, superstitio Romanorum fuit, qui Vulcano ignis præsidi, vt incendiorum pericula cauerent, extra vrbem; Rori, vbi purior saniorque quàm vrbium aura, Æsculapio medicinæ antistiti; Quieti, extra vrbem, fana ædificarunt: Laboris autem & operarum Deo, in vrbe. Nam qui locus quietis & tranquillitatis animi plenissimus fore videtur, in eo maximæ moles molestiarum, & turbulentissimæ tempestates existunt: feliciores que iudicantur, qui à tumultuosis ciuitatum commercijs animum auocantes, in agrorum nemorumque solitudine vitâ fruuntur suâ, quàm qui in turbâ hominum, multitudini viuunt.

Ciuitates inquietæ, & motibus cōcutiuntur.

Finge nunc orbicularem terræ machinam, ciuitatem esse, quam nobis incolis eius futuris ornauit & muniuit Deus, in hanc, ab ipso irradiantis rationis lumine ingressuri, si Platoni auscultauerimus consulenti, quum de sede mutandâ agitur, videndum transmigraturo, quos sumptus alibi, quódve compendium sit facturus, ne sumptus superet censum: item, quæ proborum & improborum, quibuscum versari oporteat, copia: Quisve Magistratus, qui Consules, qui Prætores, quæ iudicia; graue quippe est, & totius Reipublicæ status peruersitas maxima, prædones sceleratissimos, flagitiosissimosque centies reste dignos, alios leuiori inspersos crimine, iniquis iudicijs in furcam agere: Si inquam, sequestri animo ciuitatis huius amplissimæ indolem contemplabimur, venturis in eam, dispendij plurimum, compendij parum offerri cōperiemus, adeò vt satius sit non nasci, vti Æschylus inquit, quàm natum esse: ad nundinas quasdam, quale est tempus hominum, vt Menander ait, solemnes & populosas, in quibus magna est turba, mercatus, fures, aleæ, colloquia, doli, mercium & numorum fucus, vitia in insidijs collocata, sub leui earum virtutum bracteâ, à quibus potissimum diuertunt. *Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine,* inquit Leo Papa, *insidiæ in paupertatis angustijs: illæ eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tractat sanitas, tentat infirmitas, & illa materia est negligentiæ, & hæc caussa tristitiæ: laqueus est in securitate, laqueus in timore; nec interest vtrum animus qui terreno tenetur affectu, gaudijs occupetur an curis, quum par morbus sit, vel sub vani delectatione languere, vel sub anxiâ sollicitudine laborare.* Prædiues ille & primus incola mundi, nimiæ felicitatis ambitæ vitio, lætam mentis suæ & corporis sublimitatem afflixit, quæ sors calamitosa in posteros deriuata, eos omnes ærumnosos fecit. Inde, eluuione deletus orbis: Pentapolis labente cælo, sulphureis extincta flammis: Pharao cum vniuerso exercitu suo, erithræi maris sub vndâ mersus. Esau odio in fratrem tabifico confectus perijt: Dauidis lapsus sexaginta hominum millia traxit in interitum; Salomon & Iudas, opes

Adæ peccatum nocumentes afflixit.

opes omnes naturæ & gratiæ, contulerunt in sumptum.

Incatur proborum & improborum contubernalium ratio, mox occurret cogitanti, illud sapientis *Stultorum infinitus est numerus*: vt enim argillæ in fictiles vsus, quàm aurifodinæ lapidumque communium, quàm pretiosorum, profusiores sunt terræ sinus: ita improbi probos multitudine superant, adeò vt ex vniuersis, octo tantùm cataclysmi ruinis subducti sint. Ipsa se quoque iudiciorum corruptela, in plurimorum Magistratu prodit, qui publicæ vtilitatis affectu postposito, toti in rem suam intenti, gubernacula Reipublicæ inuadunt potiùs, quàm virtute assequantur. De quibus vt taceam, in nos ipsos strictum illud Ezechielis 7. *Lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus*, vt nec ipsi se per omnem vitam, nec alias nutantes, prudentiâ regere valeant. Et in tanta rerum conuersione, quisquam erit mortalium, quem ciuitatis huius magnæ habitatio admodum delectet? Asclepiadem ferunt, Virtutem in lugentis eiulantisque speciem finxisse, Aiacis super tumulo, proprij capitis decus, crines, atrociter dissipantem, eò quòd Græcorum Principes, Achillis arma, quæ iure Aiacis erant, corrupto iudicio Vlyssi adiudicassent. Et in tanta æui nostri corruptelâ, non dabimus luctum & lacrymas infelicitati nostræ, iudiciorum peruersitati, & vitæ nostræ ærumnis ac miserijs? Si ista modestè ferre virtus est, si generosè vicisse, gloria: nunc temporis virtus extolli nata, premitur; gloria, in contumeliam commutatur. Atque hinc mundus, inde caro, istinc diabolus, cum ministris & satellitibus suis, tantum ad præclara intenti facessunt negotij, vt nisi imploratus Dei fauor opportunus accesserit, in prædam illis cessuri videamur. Eapropter in manifesta hac animorum nostrorum periclitatione, ad eius auxilium peruolare docemur, à quo instructæ illæ in nos acies, & castra theatricæ vitæ; à quo decretæ in exercitium & coronas pugnæ; à bellatore scilicet Deo, ad eundem pacificatorem; à periculorum erudiendis nobis immissore, ad eundem liberatorem; à percutiente, ad eundem sanantem & protegentem; ne quod nostrum est, tot cincti hostibus, & in arctum deducti, eorum voluntati conferentes nostra voluntate pereamus; sed potiùs, diuinâ prouidentiâ istis in melius commutatis, malo eripiamur, vnde dicimus, *Sed libera nos à malo*.

Eccl. 1.

Ezechiel. 7.

Virtutis species.

Vbi quæri potest, cur vltima petitionum, præ cæteris, à coniunctione disiunctiuâ vel aduersatiuâ, *Sed*, incepta sit? Aduersantis huius particulæ exempla sunt, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, sed timete eum, &c.* *Non estis sub lege, sed sub gratiâ*, Rom. 6. Nec aduersantis tantùm, sed etiam incipientis Gen. 3. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*. Et apud Terentium in Andriâ, *Sed Pamphilum video*. Hîc tamen, vt quidam volunt, non aduersatiuæ vim exercet, quasi quidpiam ex præcedentibus corrigat, sed vel completiuè ponitur, vel subiunctiuè, vt coniuncta præcedentibus, hoc sensu, *Pater noster, da nobis non solùm præcedentia, sed & libera nos à malo*. Aptissimus commentarius, si particula, *Sed*, præcedentes omnes petitiones afficiat, qui videtur Cypriani, quum inquit, *Post ista omnia, in consummatione orationis, velut clausula, vniuersas petitiones & preces nostras, collecta breuitate concludens. In nouissimo enim ponimus, Sed libera nos à malo, comprehendentes aduersa cuncta quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus; à quibus potest esse firma & fida tutela, si nos Deus liberet, si deprecantibus, atque implorantibus, opem suam præstet. Quando autem dicimus Libera nos à malo, nihil remanet quod vltra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei, aduersus malum petimus, quâ impetratâ, contra omnia quæ diabolus & mundus operantur, securi stamus & tuti. Quis enim ei de seculo metus est, cui in seculo Deus tutor est?* Si tamen super sextam dumtaxat petitionem cadat, quæ est negatiua, aduersantis eleganter fungetur officio, hac oratione, *Ne nos inducas, sed libera*: ne me exponas periculo, sed protege me. Quomodo exposuit D. August. serm. 9. de diuersis, dicens: *Liberari à malo ad vnam eandemque sententiam pertinet, liberandi nos malo: Non nos inferat in tentationem; non inferendo in tentationem, liberat nos à malo.* Quâ phrasi Iudith quoque, duo se à Deo impetrasse significauit, scilicet vt custodiretur apud Holofernem immaculata, & immaculata reuerteretur. *Non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me*. cap. 13. & rursum D. August. de serm. Dom. *Orandum est, non solùm vt non inducamur in malum quo caremus, sed ab illo etiam liberemur, in quod iam inducti sumus, & ideò sequitur: Sed libera nos à malo.*

3. Sed particula cur hic posita?

Rom. 6.

Gen. 3.

Iudith. 13.

Ecquod autem istud malum? varij varia dicunt, vt est apud Tostatum, in 6. cap. Matt. quæst. 119. Quidam enim, fomitem intelligunt, à quo liberari petimus, quòd ipse caussa sit cur tentemur & peccemus. Sed non rectè: aut enim illum omnino à nobis auferri petimus, atqui hoc importunè petitur, cùm nemini mortalium hanc vitam viuenti, præterquam diuinissimæ virgini, & fortè quibusdam in vtero sanctificatis, vt illo carerent, diuinitùs concessum sit, futurumque sit illud in corporum anastasi, reformatæ in pristinum gaudium naturæ, munus singulare. Aut, ne per illum ad malum inclinemur, postulamus, quod nihil est, nisi liberari à tentatione, atque ita coincidit cum præcedente petitione, aut perperam postulatur. Naturalis namque nostra in actus prauos propensio, passiones & affectus ad gulam atque luxuriam, aliaque id genus, nihil vitij ex suâ naturâ habent, vt eorum extirpatio meritò postulari debeat. Quis enim prudens Lycurgo consentiet apud Plutarchum, vt radicitùs omnem euellat vitium propaginem, quia vinum generat inebrians? Nec quisquam prudenter fecerit, si exhilarantem hunc liquorem, ne ebrius fiat, in solum effuderit: aut qui stadium, quòd in eo interdum cæspitarint quidam, aut qui sagittandi peritiam, quòd à scopo quandoque aberratum sit, damnauerit. Ita inconsultus ille sit omninò qui istas naturæ inclinationes prorsus aboleri petierit. Sua namque illis inest bonitas, & virtutis semen, & rationis imperium, ad libellam protuberantem earum luxuriem reuocantis, vt in vsus à naturâ destinatos, ordinatis motibus ferantur, tum ad indiuidui, tum ad speciei conseruationem. Velut enim cælum quod non est simplicis, sed mixtæ naturæ, vnâ sui parte, irrequieto motu raptus, qui diurnus appellatur, quatuor & viginti horarum spatio, terræ totum circumuolat orbem: alterâ verò, in sphæras & epicyclos diuisum, subcontrarios, errantesque agitat motus: Sic hominis anima, quæ Philosophis sphæra intellectualis est, in seipsam circulatiter recurrens, non viuus simplicis naturæ est, sed intelligenti parte constat, quæ spiritualis, & reginæ rationis sedes, tanquam auriga, vehiculum animæ æthereum sapientiâ & prudentiâ gubernantis: constat & animali portione, quæ nisi prudentiæ habenis intra recti sphæram adducta teneatur, in irregulares degenerat motus, alioqui in ipsam reditura mentem, vbi fatur Hugo Victorius libro 1. Didascalon, capite secundo, hisce verbis,

Malum à quo liberari petimus, quale sit.

Vites non euellendæ, quia vinum inebriat.

Mens

Mens nostra in orbes geminos motum glomerat, quia siue per sensus ad sensibilia exeat, siue per intelligentiam, ad ea quæ sensum fugiunt, ascendat; ad seipsam rerum similitudinem trahens, regyrat. Ad hos spirituales & sensuales animæ motus faciunt intelligendi, concupiscendique facultas, intellectus scilicet, & voluntas, ceu alæ duæ, quibus illa ad proposita sibi obiecta, aduolat; ab eisque auolat. Et rursus in duas quasi partes scinditur, quarum vna vegetatiua est, cibi, potus, somnique necessitatem, atque ad coitum inclinationem complectens, vt Plato dixit: Irascibilis & concupiscibilis altera; quæ passiones tanquam equi duo, animæ vehiculum ducunt quorum vnus bonus & alter malus; habentque se in animâ, velut in corpore, musculi tẽdones, nerui, per quos in suo motu, aut intenditur, aut remittitur: Quæ enim in inferiore animę parte sunt passiones, intendẽdis virtutibus seruiunt, velut ira moderata, in animis militum, in prælijs clangore tubarum excitata fortitudinem, odium impiorum, intendit iustitiam: amor & delectatio, quæ sunt passiones concupiscibilis, temperantiam. Equus bonus est irascendi vis cum ratione coniunctâ, & ab opinione boni ducta: Malus autem, est cupiditas, ad lasciuiem, libidinem, voluptatesque corporis propensa. Vt inquit Francisc. Picolomineo. Philosophiæ de morib. gradu 9. cap. 23. Hoc est quod dixit Plato in Phædro: in singulis hominibus duas esse dominantes ac ducentes ideas, quas sequimur quocunque ducunt: vna est, insita nobis voluptatum cupido; altera, acquisita opinio, optimum expetens; quæ frequenter inter se pugnant, & hi quoque nonnunquam duo nobis inserti destinatique Dæmones nuncupantur. Eapropter, quæ pars superior est ratio, iniectis sapientiæ & prudentiæ frænis eos moderari debet, atque in id quod rectum est, inflectere. Itaque passionum atque appetitionum istarum euulsio non est expetenda: quandoquidem haud secus atque toni graues & acuti non repelluntur à musica, sed proportione quadam, harmoniæ attemperantur: neque medicinâ, qui inest animali calor pellitur, aut frigus cietur, sed ista ad iustam temperiem reuocantur; & vinitor peritus, vitem luxuriantem non exuribat, sed falce premit, in vberes fructus abituram: ita, aurigante ratione, in magnos illæ virtutum actus possint excrescere.

4. Intellectus & voluntas alæ animæ.

Itaque alij malum, à quo liberari supplicatur, diabolum intelligunt, quos inter D. Chrysost. in homil. apud D. Thomam in Catenâ *Vei malum hic, diabolum vocat, propter excellentiam malitiæ, non quæ ex naturâ est, sed quæ ex electione: & quia ad nos implacabile bellum habet, propter hoc dixit, libera nos à malo.* Est quippe ipse absolutè malus, quia excellenter malus, inquit Abulensis in 13. cap. Matth. quæst. 45. nihilque illo deterius esse queat: & ratio est, quia quantò creatura aliqua præcellit cæteris, tantò fit præuaricatione deterior, Angeli autem reliquas omnes creaturas antecellunt, fiunt itaque excellenter mali, omnique aliâ creaturâ peiores, si Creatoris præscriptum sint auersati. Neque solùm est absolutè malus, sed etiam velis, remisque contendit omnes homines, malos efficere, atque in suam partem adducere, hostis & accusator fratrum, de quo D. Greg. Nyssenus homil. 2. in Cantica, *Inuentus est quidam in rerum natura, qui malè vsus est potestate & libero arbitrio, & congruente rei quod dicit Apostolus, factus est inuentor malorum. Qui quidem quod ad id attinet, quod est à Deo, est frater noster, eo autem quod suâ sponte deflexit à boni participatione, & malorum ingressum innouauit, & factus est pater mendacij, pro hoste seipsum constituit in omnibus, in quibus scopus liberi arbitrij tendit ad bonum.*

Malo, diabolus intelligitur.

Rom. 1.

Cum Diuo Chrysostomo, Tertullianus lib. de fugâ in persecutione, ostendens hanc clausulam. *Sed erue nos à malo*, sicut lib. de Oratione legit, interpretari, quid sit, *Ne nos inducas in tentationem*: ait, *Quæ autem maior tentatio, quàm persecutio? Ab eo illam profitemur accidere, à quo veniam eius deprecamur. Hoc est enim quod sequitur, Sed erue nos à maligno, id est, ne nos induxeris in tentationem, permittendo nos maligno. Tunc enim eruimur diaboli manibus, quum illi non tradimur in tentationem.*

Diuus autem Augustinus de alio malo interpretatur, à quo erui poscimus, nec de illo solùm quo caremus, verùm etiam de illo in quo iam periclitamur, quemadmodum communiter dicimus, aliquem alteri subuenisse, non solùm quia præcauit ne in periculum incideret, sed etiam quia in ipso iam periclitanti succurrit, veluti naufrago, ne pereat: quemodo Dauid 2. Reg. 22. se de manu inimicorum suorum, & de manu Saul, liberatum cecinit. *Misit de cælo & assumpsit me, & extraxit me de aquis multis: liberauit me ab inimico meo potentissimo & ab his qui oderunt me:* subierat enim sub vibratâ Saulis lanceâ, summum vitæ discrimen: sicut & quum 1. Reg. 19. Saul satellites & apparitores suos, *misit nocte in domum Dauid vt custodirent eum, & interficeretur mane*: neque euasisset, nisi capiti suo, per fenestram depositus, fugâ consuluisset. Quomodo Apostolus quoque 2. Cor. 1. grauissimâ ex tribulatione sese ereptum gratulatur, quam in Asiâ perpessus sit, *Quoniam supra modum grauati sumus, supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipsi in nobis metipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit.* Vbi Theodoretus tribulationis magnitudinem per illos excessus, *supra modum, supra virtutem*, non gratiæ, supra quam Deus non permittit quenquam tentari. 1. Cor. 10. sed naturalem, cui confidendum non est, vt scribit ibi l. 3. D. Thomas significari ostendit, quâ grauatus Apostolus, in vitæ tædium, & capitis sui discrimen venerit, quod opperiebatur, nisi protegente gratiâ, quæ desperatissimis maximeque afflictis rebus affulgere consueuit, ereptus, eruitusque fuisset: *Valdè autem apposité*, inquit Theodoretus, *meminit resurrectionis mortuorum, docens perinde esse, eum à maximis illis periculis liberasse, & à mortuis suscitasse.*

2. Reg. 22.

1. Reg. 19.

2. Cor. 1.

Sedenim quum tria censeantur esse malorum genera; maxima scilicet, quæ sunt culpæ mediâ, quæ sunt peccandi occasiones; & minima, quæ sunt pœnæ, atque malorum culpæ remissionem quintâ petitione deprecemur, *Dimitte nobis debita nostra*: Mediorum autem repulsam petitione sextâ, *Ne nos inducas in tentationem*, reliquum est, vt hæc nouissima petitio, de pœnis, aduersitatibus, infirmitatibus, periculis atque vniuersim de omnibus intelligatur, quæ ab extrinseco inferuntur: quæ quum multa sint, nec caueri ab homine solo possint, nec inferri idcircò dicimus: *libera nos à malo. Quod vltimum in oratione Dominicâ tam latè patet*, inquit D. August. ad Probam, *vt homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, & in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur in hoc terminet orationem, vnde sequitur, Amen, quò desiderium orantis exprimitur.* Admonemurque cogitare, nondum nos esse in eo bono, vbi nullum patiemur malum; sed omnem vitam nostram ab ipsis cunis, miserijs & ærumnis plenissimam esse, quarum non tempus, non hora, non mensis, non annus, sit expers: concrescere illas ætati, aucto magno: nosque esse cum Apostolo 2. Cor. 11. *In itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis*

5. Malorum tria genera.

2. Cor. 11.

periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Contentionibus, æmulationibus, seditionibus, pugnis, bellis, prælijs redundare omnia, nullamque æui nostri partem in quietem dari: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus*, inquit Ecclesiasticus cap. 40. *Et iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.*

Eccl. 40.

Et Iob. 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs: qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Circa quæ verba D. August. Soliloquior. cap. 2. *Cum dies sicut vmbra prætereunt, cum vita, sicut vmbra lunatica euanescit: sicut flos in arbore crescit, & statim marcescit: nunc floret, & statim aret. Vita, inquam, mea, vita fragilis, vita caduca, vita, quæ quantò magis crescit, tantò magis decrescit, quantò magis procedit, tantò magis ad mortem accedit, vita fallax & vmbratica, plena laqueis mortis. Nunc gaudeo, statim tristor; nunc vigeo, iam infirmor: nunc viuo, statim morior, nunc felix appareo, semper miser; nunc rideo, iam fleo. Sicque omnia mutabilitati subiacent, vt nihil vnâ horâ in vno statu permaneat. Hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc sitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor, inde dolor exuberat: subsequitur his importuna mors, quæ mille modis quotidie miseros homines inopinatè rapit. Hunc necat febribus, illum opprimit doloribus: hunc consumit fames, illum sitis extinguit: hunc suffocat aquis, illum interimit laqueo. Illum perimit flammis, alium dentibus ferocium bestiarum vorat. Hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit: alterum, tantùm repentino terrore, miseram vitam finire compellit.*

Iob. 14.

Harum cladium plenæ sunt historiæ 2. Reg. 4. Isboseth, festinans vt fugeret, cecidit, & claudus effectus est. Tob. 2. contigit vt dormienti illi ex nido hirundinum calida stercora inciderent super oculos eius, & fieret cœcus. 1. Reg. 4. Heli nonaginta & octo annorum, deletorum in prælio filiorum, & captæ arcæ nuncio perculsus, *cecidit de sellâ retrorsum, & fractis ceruicibus, mortuus est.* Luc. 13. supra decem & octo, cecidit turris in Siloa, & occidit eos. Socratem mundus sapientem fecit, inquit Sotades referente Ioan. Stobæo, ac eundem in carcere malè sustulit: cicutâ enim epotâ mortuus est. Diogenes cùm deuorasset crudum polypum obijt. Æschylum scribentem delapsa testudo oppressit. Sophocles, acino vuæ deglutito, suffocatus interijt. Euripidem canes Thracij deuorarunt. Diuinum Homerum fames absumpsit. Plin. lib. 7. nat. hist. cap. 50. Publius Cornelius Rufus, dormiens oculorum visum amisit, cùm id sibi accidere somniaret. E diuerso Phalereus cum deploratus à medicis vomicæ morbo, cùm mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam inuenit ex hoste. Et cap. 53. Gaudio obiere Sophocles & Dionysius tyrannus, vterque accepto tragicæ victoriæ nuncio. Mater pugnâ illâ Cannensi, filio incolumi viso, contra falsum nuncium. Pudore Diodorus sapientiæ Dialecticæ professor, lusoriâ quæstione non protinus ad interrogationes Stilbonis dissolutâ: Q. Æmilius lepidus iam egrediens, incusso pollice limini cubiculi: C. Aufidius egressus cùm in Senatum iret, offenso pede in comitio. Legatus quoque qui Rhodiorum caussam in Senatu magna cum admiratione orauerat, in limine Curiæ protinùs expirauit progredi volens. M. Iuuentius Talua Cos. cùm sacrificaret. C. Iulius medicus, dum inungit, specillum per oculum trahens. Manlius Torquatus Consularis cùm in cœnâ placentam appeteret. L. Durius Valla medicus dum mulsi potionem haurit. Laocoon Troianus Æneid. 2. cum filijs à serpentibus occiditur,

Isboseth. Tobias. Heli. 1. Reg. 4. Socrates. Diogenes. Æschylus. Laocoon.

> *illi agmine certo*
> *Laocoonta petunt, & primùm parua duorum*
> *Corpora natorum, serpens amplexus vterque*
> *Implicat, & miseros morsu depascitur artus.*

Eurydice Orphei vxor, morsu viperæ latentis in herba,

> *Hic iacet Eurydice calcato extincta colubro.*

Morsu equi Licinius Imperator. L. Domitius veneno poto propter tædium vitæ, quod postquam biberat, omni ope vt viueret annixus est: sed vt Nazarij aurea habet sententia, *Facilior & multo procliuior lædendi quàm commodandi semper est via, vulnerare integrum, quàm sauciato mederi, dissipare rupta, quàm diuulsa componere.* Exempla sunt miseriarum innumera, quarum remedia in arduo, mala in prono, vnde D. Ambros. serm. 42. de hostibus carnalib. non metuendis, mortem ærumnosæ vitæ optatissimum perfugium, miseriarumque remedium esse vult, breuioremque ideò vitam nobis dedisse Deum, vt quæ eius acerbitates meliori sorte pelli aut superari non possent, hac breuitate finirentur. Vitam verò istam, non vitam sed mortem esse dicendam, auctor D. August. Meditat. cap. 21. *in quâ momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diuersis generibus mortium.* Carpitque eos qui huius miseræ vitæ gaudijs deliniti, ita illi dediti sunt, vt exire nolint. *Mors ista vitalis*, inquit, *& vita mortalis: licet his, alijsque sit resperfa amaritudinibus, proh dolor! quàm plurimos suis capit illecebris: & quàm multos, suis falsis promissionibus decipit. Et cùm ita per se sit falsa & amara, vt etiam suos cæcos amatores latere non valeat, tamen infinitam stultorum multitudinem, aureo calice, quem in manu habet, potat, & prorsus inebriat.* Quã in sententiam eleganter & copiosè Plinius lib. illo 7. cap. 50. *Incertum ac fragile nimirum est hoc munus naturæ, quidquid datur nobis: malignum verò & breue etiam in ijs, quibus largissimè contingit, vniuersum vtique æui tempus intuentibus. Quid, quod æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque spatio vitæ suæ viuit? pars æqua morti similis exigitur, aut pœnæ, nisi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni qui sensu carent, non senectæ in pœnam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocatâ morte, vt nullum frequentius sit votum. Natura verò nihil hominibus, breuitate vitæ præstitit melius.* Agamedes & Throphinius igitur, vt scribit Plato in Axiocho, cùm Pythij Apollinis ædificassent templum, orantes dari sibi quod optimum esset, cùm obdormissent, nunquam deinde surrexerunt: optimum igitur est mors, bonum aliquod & sincerum in vitâ vix vllum est. Dispunge, inquit Seneca, ac recense vitæ tuæ dies, videbis paucos admodum & reijculos apud te resedisse.

Mors, ærumnosæ vitæ remedium. Agamedes & Trophinius.

Et, tot miserijs, tot calamitatibus, tot ærumnis, tot ægritudinibus, tot cladibus inundati, cuius opem implorabimus, nisi eius qui nos dicere docuit, *Libera nos à malo*? Quandoquidem ista sine speciali auxilio Dei, euadere nequimus: & ratio est, quia à Deo immittuntur, & intenduntur: propterea Exod. 21. ita cautum est, *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur, Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, constituam tibi locum, in quo fugere debeat;* Quasi dicat, voluit illum Deus occidere, te verò in eius rei ministrum elegit, Deuter. autem 19. tria, effugij loca in terrâ promissionis esse voluit Deus, tanquam præsidia vitæ eorum qui nescienter fudissent sanguinem, non aliunde quàm à Deo homicidij casualis remediũ habetur. Itaque quemadmodum cerui, teste Plinio lib. 8. nat. hist. cap. 32. vrgente vi canum, quod venator immisit, vltrò confugiunt ad hominem, ad eundẽ modum vrgente periculorũ vi, quæ sunt à Deo, ad Soterem

Exod. 21.

rem nostrum conuertimur, qui nos eruat à malo.

Capitis 39. §. 1.

Quomodo Deus liberet hominem à malo.

1. Cooperatio nostra necessaria.

SVpra humanarum virium mensum est, tot tantosque aduersantium infortuniorum impetus eluctari, neque tamen ipse Deus, nobis nihil desudantibus, adiutricem porrigit dexteram. Itaque, vult in persecutione fugam nostram, etiam vel in sportà per fenestram; vult nos in ægritudine, sanitatem medicinæ subsidijs conciliare, Eccles. 38. *Altissimus creauit de terrà medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam* Vult nos manum in salutis nostræ præsidia inijcere, velut Israelitas, oculos in serpentem æneum, in signum vitæ morsis à serpentibus erectum Num. 21. vult inter trisulcas serpentum, calumniæ spicula & venenum eiaculantium, linguas, nostram modestiam, nostram patientiam, nostram orationem, vt simus velut ille, qui, vt habet D. Ambros. in ps. 118. serm. 6. nu. 2. *Quasi bonum ceruum qui bibisset de fontibus aquarum, nequaquam humanorum serpentum spiras, & maledicorum venena metuebat. Coluber illi non erat noxa, sed præda. Cibus erat serpentini virus alloqui, & cibus laudis, de quo dicebat, Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & dolosi super me apertum est. Saginabatur venenatorum sermonibus. Illi in sibila obtrectationum ora tollebant, & sermonibus odij circumdabant innocentem. Bonus ceruus inter multos colubros positus non timebat, ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum. Simulabant caritatem, fundebant obtrectationem: ego autem,* inquit, *orabam. Bonus ceruus in medio viperarum, innocens pascebatur: illi trisulcis ora linguis micabant: hunc autem sancta pascebat oratio, imò cibum obtrectantibus offerebat. Respondit obtrectantibus sibi verbum, verbum enim cibus est.* Non vult nos Deus in iustificationibus nostris, tanquam in equis, superbo mentis fastu, inundantes istorum periculorum fluctus pertransire, sed pede humili, secundum illud ps. 65. *In flumine pertransibunt pede*: in quæ verba D. Augustinus, *In istum fluuium non se immittat cupida anima, non se immittat, flet; & quomodo transiet delectamenta rerum periturarum? Credat in Christum, & facilè pertransibit pede; pertransibit illo duce, pede transibit. Quid est pede transire? facilè transire. Non quærat equum vt transeat: non erigatur superbiâ ad transeundum flumen: humilis transeat, & tutiùs transibit.* Excutit sessorem superbia, & impatiens fræni, funestis ac multiplicibus vitijs in diuersa prorumpens, impellit in voragines blandientis mundi, in voragines sæuientis mundi. Quomodo autem *potest superare mundum sæuientem, qui non potest superare blandientem?* inquit D. August. serm. 49. de Sanctis, tom. 10. *blanditur hic mundus, pollicendo honores, diuitias, voluptates. Minatur hic mundus intendendo dolores, egestates, humilitates. Qui non contemnit quod pollicetur, quomodo superare potest quod minatur?* periculum in blandiente, periculum in sæuiente, sola tutè transmittit humilitas Christo duce, protegente Christo, liberante Christo: quem modis quatuor nos à malo liberare, scribit Abulensis quæst. illâ. 119.

Eccl. 38.

Psal. 108.

Psal. 65.

2. Modis quatuor Christus nos à malo liberat, aduersitates submouendo.

Primo, quum Deus altissimo sapientiæ, & prouidentiæ suæ consilio aduersitates submouet, impeditque ne iusto superueniant; quod rarum est, neque adeò, vti diximus, expetendum: quia enim mundus hic agon quidam est certaminum, vt ait D. Ambrosius epist. 38. nec coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, in varia discrimina suos adducit Deus, spectatque quàm generosè gradum tueatur, hostemque proterat, decretos euecturus ad triumphos. *Et omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* 2. ad Timoth. 3. *Qui verò adipisci virtutes quærunt,* inquit D. Gregor. 7. Moral. cap. 14. *sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certaminâ ig-*

2. Timoth. 3.

campo nesciunt, & triumphare in vrbibus concupiscunt? Plin. lib. 7. c. 50. Pro miraculo, & id solitarium reperitur exemplum, inquit, Xenophilum musicum, centum & quinque annis vixisse, sine vllo corporis incommodo. Dandum tamen est, Archiatrum infirmitatis nostræ, nostrique figmenti conditorem Deum, à quibusdam probatæ sanctitatis viris, afflictionum arcere molestias, & quòd ijs ferendis sint impares, & quòd, si illis conflictarentur, in malum concessuros cognouerit; velut expertissimi medicinæ antistites, ægro ac languenti stomacho molliores præscribere solent potiones quàm quæ valentioribus congruant. Ita Apocal 3. indicatum: *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum.* Tanquam si diceret: quia ad resistendum defectus es viribus, ecce tibi. per quam persecutiones & afflictiones euadas, patens ianua, promptitudo nempe, quâ te, ad elabendum, donaui: nec quisquam erit qui has fores claudere, qui hanc inditam tibi euadendi facilitatem impedire valeat.

Apoc. 3.

3. Consolationes subministrando.

Secundus à malo liberandi modus est, quo Deus cõsolationis præsidia afflictis subijcit, non enim cuiquam mortalium tribulationi ferendæ virtus suffectura est, nisi in aduersis posito Deus tempestiuè consolabundus aduenerit, qui aut ægritudinem funditus tollat, aut sedet, aut detrahat quamplurimum, aut supprimat, nec patiatur manare longiùs, aut ad aliam traducat: quia cùm homo in malis occurrentibus sustentari indigeat, quod propriè est cõsolari, inquit D. Thom. in 1. cap. poster. ad Corinth. lect. 2. nisi, quum mala superueniunt, haberet in quo quiesceret cor eius, non subsisteret: consolatione igitur, ei offertur refrigerium in quo quiescat in malis, fiatque fortior, sicut Poëtarum vnus scripsit,

Vtque Machaonijs Pæantius artibus heros,
Lenito, medicam, vulnere, sensit opem:
Sic ego mente iacens, & acerbo saucius ictu,
Admonitu cœpi fortior esse tuo.

Ouid. 3. de Pon.

Et quamuis in malis quibusdam, consolari in aliquo, & quiescere, & sustentari possit: solus tamen Deus est, qui consolatur nos in omnibus malis, secundum illud Apostoli 2. Cor. 1. *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.* Tamque magnum, tamque præclarum est, interdum casus leuamen acerbi, solamenque mali, vt etiam alijs subleuandis, sustentandisque satis sit futurum, vnde addit Apostolus, *Vt possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressurâ sunt, per exhortationem, quâ exhortamur & ipsi à Deo.* Peculiaribus namque donis ac muneribus suis quosdam afficit, non vt accepta stagnent, sed vt etiam in aliorum commodum, atque vtilitatem effundantur.

2. Cor. 1.

Sic largus liquidi fons luminis, æthereus Sol
Irrigat assiduè cælum candore recenti,
Suppeditatque nouo confestim lumine lumen.

Lucret. l. 5.

Neque enim sibi tantùm claris nitet radijs, sed orbi, sed suppari Lunæ noctis præsidi, oculisque stellantibus orbis cærulei: Ita magnus ille mundi arbiter Deus, bona nostra, quæ sunt dona sua, siue diuitiæ sint, siue scientia, siue potentia, siue sapientia, non in solius accipientis, sed in plurium commodum, non sine magno communicantis fœnore, collata esse voluit. In exemplum sint diuitiæ, quæ alterius paupertati subleuandæ, velut solaris splendor Noctilucæ inanitati, decretæ, ingenti auctu in egenos collocantur, vnde Prouerb. 22. *Diues & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus*, quod eleganter prosequitur D. Augustinus tom. 19. sermon. 25 de verbis Dom. super Lucam, totidem verbis, *Diues*

Prou. 22.

& pauper duo sibi sunt contraria : sed iterum duo sibi sunt necessaria. Nullus indigeret si inuicem se supportarent: & nemo laboraret, si se ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem factus est. Pauperis est orare, & diuitis erogare, Dei est pro paruis magna pensare. De misericordiâ enim paruâ, magna nascitur copia. Fœcundus est ager pauperum, citò reddit dominantibus fructum. Via cæli est pauper, per quem venitur ad patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonij tui, quo es ligatus, compedem in hac vitâ resolue, vt liberè ad cælum possis ascendere : abijce abs te diuitiarum onera, abijce vincula voluntaria, abijce anxietates & tædia, quæ te pluribus in annis inquietant. Da petenti, vt possis ipse accipere : tribue pauperi, si non vis flammis exuri. Da in terrâ Christo, quod tibi reddat in cælo. Obliuiscere quod es, & attende quod futurus es. Præsens vita fragilis est, & in mortem procliuis. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. Nolentes imus, inuiti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hospitium veniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos præmittimus, quod autem rapimus, hic totum dimittimus. His itaque, alijsvè consolationum modis, quas vniuersorum Deus exhibere solet, inquit Theodoretus, quæ tentationibus respondeant, ac sint eis commoderatæ, iuxta illud Beati Dauid ps. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam*, quod fit quando ita excellentes sunt, vt non modò tristitiam tollant, sed etiam exhilarent: his, inquam, ita vbertim quosdam inundat Deus, vt possint & ipsi alios in qualibet pressurâ consolari, siue per exemplum suæ consolationis, vt ait D. Thomas, qui enim non est consolatus, nescit consolari : siuè per exhortationem ad tolerantiam passionum, vt inquit Apostolus, eorum oculis subijciendo passiones Christi, & æterna præmia quæ laborantibus in tribulatione in quâ ipse Deus est, decreta esse, scriptura testatur. Vnde D. Augustinus, epist. 121. ad Probam, tom. 2. cap. 2. *Homines autem boni videntur etiam in hac vitâ præstare non parua solatia. Nam si paupertas angit, si luctus mæstificat, si dolor corporis inquietat, si contristat exilium, si vlla calamitas alia vexat: adsint boni homines, qui non solùm gaudere cum gaudentibus, verumetiam flere cum flentibus norunt, & salubriter alloqui, & colloqui sciunt, plurimum illa aspera leniuntur; releuantur grauia, superantur aduersa. Sed ille hoc in eis, & per eos agit, qui spiritu suo bonos fecit.*

Psal. 93.

Tertius eripiendi hominis ex malo modus est, quum Deus ærumnoso, talia impertit post tribulationem beneficia, quæ obliuionis spongiâ, quidquid malorum toleratum est, obliterent: Ierem. 31. *Et conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo.* Sic, vt nulla eius futura sit, quæ torqueat, recordatio :

4. Beneficijs malorum obliuionem inducendo. Ierem. 31.

Nec minùs hac læti trahimus solatia, quàm si
Præcipiti conuulsa Noto, prospectet amicam
Puppis humum.

Stat. 2. Thebe.

Sicut enim reducto sole, pacatisque fluctibus; effluunt animo præteritæ tempestatis & metus & mala, ita consolabile à Deo bonum, tribulationibus agitatæ mentis angustias, expungit. Nam si Eccles. 11. *Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ*, siue, vt Græcè est, κάκωσις ὥρας ἐπιλησμονὴν ποιεῖ τρυφῆς, *Vexatio & afflictio horæ, obliuionem facit deliciarum*, quod satis superque compertum est, siquidem illi qui delitijs innutriti sunt, si quid perperam inciderit, sic se calamitosos queruntur, quasi nunquam beati fuissent : è diuerso, tanta est vis eorum bonorum, quæ serenatâ tribulationum tempestate diffundit in suos Deus, vt omnem ab oculis eorum detergat lacrymam, dolorem eliminet, quod non ignorauit Sara Raguelis filia Tob. 3. quæ quum improperij ab ancillarum vnâ accepti, acerbitate conflictaretur, quòd esset virorum interfectrix, in hæc ad Deum verba tandem erupit : *Hoc autem pro certo habet omnis qui colit te, quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur : si autem in tribulatione, liberabitur : & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem, tranquillum facis, & post lacrymas & fletum, exultationem infundis.* Ista est Martyrum spes, ista fiducia, istud in tormentis robur, quod à petra, Christo, in quâ solidati sunt, haurientes, sæuientium calamitatum minas, furentium tyrannorum cruciatus, placidè, contemptimque habent : *Stat Martyr tripudians & triumphans*, inquit D. Bern. serm. 61. in Cant. *Toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed & alacriter, sacrum è carne suâ circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petrâ, nempe in visceribus Iesu : vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus scrutans ea, ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in petrâ habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit : Sed neque hoc mirum, si exul à corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor, submittitur enim sensus, non amittitur, non deest dolor, sed superatur, sed contemnitur.* Ista est virtus, quâ instructi Confessores sancti, per incumbentes persecutionum tempestates, carbasis, remisque rerum temporalium confractis, collectum vitæ nauigiolum, inter procellas, mirum in modum oblectati, in æternitatis portum, irretorto oculo dirigunt. Velut enim Nauclerus prudens, ac peritus, discissis velis, fractoque malo, reliquias nauis in cursum aptat, & turbulentum eluctatur mare: ita viri sapientes & iusti, amputatis vitæ commodis, in direptionibus bonorum, eiecti in exilium, in medijs calamitatibus & ærumnis, vitæ suæ nauigium ita moderantur, vt vno curriculo viam in cælum è terrâ emetiri videantur, quod beneficentissimum est beneficiorum, in quo non laboratur, quia amatur, aut si laboratur, labor amatur, & in singulos dies coronatur : sic enim D. Cyprian. epist. ad Moisen & Maximum, *Semel vincit, qui statim patitur, at qui manens semper in pœnis, congreditur cum dolore nec vincitur, quotidie coronatur.*

Tob. 3.

Martyres.

Confessores

Viri probi.

Quartus exemptionis à malo modus est, quum increata sapientia, Deus, qui, vt D. Augustinus inquit, meliùs iudicauit de malis bene facere, quàm mala nulla esse permittere, quidquid periculorum, quidquid laborum, quidquid ærumnarũ, tormentorúmve est, in ærumnosi bonum conuertit, è vepribus istis ac spinis plectens gloriæ coronam, ideoque dicimus, *Sed libera nos à malo, non verò, libera nos à tribulatione*, sicut Bernard. Senen. serm. 6. de religio. Christianâ cap. 8. adnotauit. tribulationes namque sanctorum, æternum gloriæ pondus operantur in cælis, inde gaudij iustorum, in rebus afflictis, seges amplissima : inde illa vox Apostoli. 2. Cor. 12. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Virtus Christi, patientia est, quâ ipse refulsit in exemplum secuturis, quáre armatus, proposito sibi gaudio sustinuit crucem; qui hanc inhabitantem habet, malum in bonum ordinante Dei sapientiâ, gloriæ immortalis operatricem habet. Est & ipsa lectulus spei animæ fidelis quærentis dilectum, in quo suspirat & gemit, donec aspiret dies æternitatis, & euigilans ex corpore mortali, illum inueniat, quem in tribulatione posita, à longè salutauit : *Vox turturis audita est in terrâ nostra* : Cant. 2. in quæ verba D. Bern. serm. 59. in Cant. *Turturis vox non dulce admodum sonat, sed signat dulcia : & vox quidem gementi, quàm canenti similior, peregrinationis nostræ nos admonet* : cuius amore ne teneamur, multis inspersa

5. Spinas tormentorum conuertēdo in coronas.

2. Cor. 12.

Hebr. 12.

Cant. 2.

sperfa est ærumnis, inquiete multâ: itaque, vt paulò post D. Bernardus. *Vbi regni cælorum promissio facta est, tunc intellexerunt homines se non habere hic ciuitatem manentem, sed futuram inquirere totâ auiditate cœperunt, & tunc primùm manifestè sonuit in terrâ vox turturis. Nam dum sancta quæque anima, iam Christi præsentiam suspicaret, regni dilationem molestè ferret, desideratam patriam gemitibus & suspirijs à longè salutaret, nonne tibi videtur vice turgi gemebunda turturis, quæcunque in terris anima ita fecisset?* Vocem turturis emittit Dei amicus in infirmitatibus suis, hoc est, interprete D. Thomâ, ad suam ipsius vtilitatem datis, in quibus gloriatur & gaudet futuræ æternitatis ineffabilium bonorum solamine vigens, quod fides adfert, tolerabiliores proponēs huius terræ nostræ tribulationes, quàm sint pœnæ damnationis futuræ; earumque fructum supra quàm locupletissimum. *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. vbi Theodoretus, *superant certamina coronæ, non comparantur cum laboribus remunerationes. Labor enim paruus est, sed magnum lucrum speratur. Et propterea non mercedem sed gloriam vocauit ea quæ expectantur.* Vox turturis, vox animæ sub furentibus tribulationum ventis, ceu arbor tenella per humilitatem inclinatæ, quam spes, repositæ coronæ accendens desiderium, quam redditurus est iustus iudex, ad tolerantiam earum quæ in Christo sunt passionum erigit. Vox turturis, vox cordis torrente citò transeuntium molestiarum non obruendi, quod caritatis æstuans flammis, per patientiam & obedientiam, oneri ferendo submittens humeros, temporarium ac leue tribulationis pondus, non modò non molestum, sed acceptabile, atque delectabile comperitur. Vox turturis, vox iusti, exundante curarum suarum solatio, atque ad cæteros, exemplo, & consilio manante, lætificati. Plantam paruam sed elegantem quæ Roraria dicitur, in sabulosis ac vdis locis, syluisque vmbrosis prouenientem, ferunt, quantumuis etiam æstate ardentissimis solis radijs sit exposita, nunquam tamen in folijs, quæ caua sunt instar pusilli cochlearis, roscido quodam humore destitui, eorumque lanuginem admodum teneram, guttulis quibusdam pellucidis, semper madere, vnde etiam nomen sortita est, vt Rorem solis, ac Rorariam recentiores nuncuparint. Illustris hæc electorū imago, eos in summis æstibus ac caloribus calamitatum & afflictionum, nunquam flaccescere aut succumbere, si ex sacratissimis verbi diuini fontibus, si ex fidei, spei & caritatis penu viuidum semper ac roscidum succum, quo sustententur & recreentur, hauriant. Vnde Bilius,

Spemque, fidemque, agapemque tene, fluxa omnia linquens:
Has nihil in tabulas vlla procella potest.

Quæ quum ita sint, quis vel turbulentissimas humanæ vitæ procellas admodum extimescat? quis aduersos horreat casus? ecquis iam vim, impetumque conflictationum reformidet? Prægustata in istis peregrinationis nostræ amaritudinibus, æternarum deliciarum suauitas, animos in tempestates facit, vt vel experiundæ virtuti expetantur, vel in oblatas, amplexibus irruatur, præsertim si considerata earum, tum necessitas, tum vtilitas sederit animo. Necessum quippe est amicas Deo mentes, inter malleum & incudem calo parari: quod in templi Salomonici structurâ indicatum. 3 Reg. cap. 6. *Domus autem quum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo quum ædificaretur.* Dolabantur nempè in latomijs lapides, ligna aptabantur in syluis, ibi malleorum strepitus, ibi secures, at in domo domini, nulli mallei, nullæ secures. Ita quoque in cælestis Ierosolymæ ædificium, vbi tranquilla pacataq; omnia, vbi nullus Satan, nulli audiuntur mallei, hic, hic, in terra nostra, malleis & securibus angustiarum & tribulationum, aptandi sunt electi, vt in paucis vexati, in multis bene disponantur, siquidem

Non est ad astra mollis è terris via.

Quanquam hoc, quo perficitur probus, desperet improbus, medicæ potionis amaritiem stomachi sui vitio, vertens in perniciem, vnde D. August. lib. 1. de Ciuit. Dei. cap. 8. *Sicut ab vno igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tribulâ stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideò cum oleo amurca confunditur, quia eodem prœli ponderè exprimitur: ita vna eademque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vastat, exterminat. Vnde in eadem afflictione, mali Deum detestantur, atque blasphemant, boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patitur. Nam pari modo exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum.* Et D. Cyprianus serm. 4. de mortalitate: *Quando area fruges terit, grana fortia & robusta ventos contemnunt: inanes paleæ flatu portante rapiuntur.*

Quod si iam auocata à sensibus cogitatio, ad mentis intelligentiam reuocetur, prouentus incredibiles contemplabitur, qui ex vulneribus, doloribus, tormentis, contumelijs, calamitatibus, enascuntur; velut enim rubigo ferri, attritûs exercitio tollitur; & ipsum splendet, sic animæ rubigo, peccatum, acuetitatum limâ, & præsens pellitur, & futurum cauetur, & ipsa, virtute rutilat. Et quæ in viris iustis ac pijs patientia, atque in virtutibus constantia, hactenus latuerūt, post afflictionum hyemes, in corollas meritorum efflorescere cognoscuntur: solidantur ventorum incursionibus arbores, & animus rectè institutus, multisque ærumnis ac aduersitatibus exercitus, eò fortiùs in malis resistit, & constantiæ radices firmiores agit. Arcula materiæ humilis, quæ impactis monilibus aureis, atque inæstimabilibus margaritis, scienti est in pretio, ab ignorante contemnitur, nisi effracta oculis intuentium, quas continet diuitias, subiecerit; viri probitas in secundis rebus incognita, in contemptum trahitur: confringatur aduersis vasculum illud humile, & viâ datâ inclusis virtutum thesauris, velut effracto malo punico, lucentibus granis, & oculos intuentium & animos, mirè afficiet. Terra nisi subacta diligenter, sæpiùs proscissa, ac crebrâ aratione vulnerata fuerit, fructus ad vitam necessarios non dabit, sic Ouidius

Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Ita infrugifer ad vitæ immortalitatem animus, qui aratrum crucis non fuerit expertus. Non perditur aratri sulcis ager, sed emendatur: *Sic & Paulus*, inquit D. Cyprianus, *post naufragia, flagella, post carnis & corporis grauia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit in aduersis.* & Ierem. 31. *Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus.* ad Hebr. 12. *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Gen. 44. in ore sacci Beniamin dilectissimi, cyphus Ioseph inuentus est: & calix Domini inebrians quàm præclarus est, è quo suis in amicitiæ symbolum propinat? ideoque hortatur Apostolus Heb. 12. *In disciplinâ perseuerate*, vbi disciplina, pro flagellis Dei accipitur. Nunquid illa amara? Theodoret. ibi; *Omnis disciplina initio sunt tristia, & valde molesta;*

Marginalia: Rom. 8. — Rorasia. — 6. Aduersis exerceri prudens quisque expetet. — 3 Reg. 6. — Improbi tentationibus succumbūt. — Peccatum cladibus purgatur. — Ierem. 31. — Hebr. 12. — Gen. 44. — Hebr. 12.

molesta, sed iucundos & admirandos fructus producunt, ex Deo pacem, & quae laudatur, iustitiam. Ita etiam dicit Dominus: Angusta est porta, & arcta est via, quae ducit ad vitam. In hac perseuerare cupiebat qui dixit: *Haec mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat.* Iob. 6. *Non negligere enim, nec etiam fatigari sub disciplina, non est aliud, quàm in disciplina perseuerare,* inquit D. Tho. ad Hebr. 12. lect. 2. Cupiebat & vates regius psal. 25. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Concupiuerunt & sancti, vt diuinae consolationis suauitate, tanquam afflictionum fructu non poenitendo, perfunderentur: istud Diui Bernardi votum fuit: hoc summa contentione expetebat senex Monachus in vit. Patrum. 2. parte. lib. de poeniten. qui quum frequenti aegritudine confligi consueuisset, essetque eius aliquando intermissio productior, gemebundus, eiusmodi querelas apud Dominum deponebat: vt quid dereliquisti me, Domine? hoc anno subtracta mihi est visitatio tua quae custodiuit spiritum meum: redde te mihi, Deus meus, tedeat infirmitas in qua robur salutis meae. Exemplo non absimili coecus ille, de quo Reuerendissimus & sanctissimus vir Frater Augustinus Antolinez, Archiepiscopus Compostellanus, atque olim in celeberrima Salmanticensi Vniuersitate Cathedrae vtriusque primariae moderator, & magister meus sapientissimus, in vita Sancti Ioannis Saguntini cap. 46. quum ad sepulcrum Sancti huius, oculorum lumina accepisset, mox in gratiarum actione profusior, altioris impulsu luminis, coecitatem, si saluti esset, redire postulauit, & impetrauit. Nouerant illi ex infirmitatibus, afflictionibus, coecitate, alijsque incommodis, fructuum sanctorum plaustra in caeli horreis exoneranda colligi, quemadmodum Ioannes Aegyptius insinuauit in vit. Patr. part. 3. §. 1. quum petenti ab aestu febrium liberari, respondit, non expedire, quoniam vt intro corpora, sic anima aegritudine abluitur, & purgatur, quem tamen postea mirabiliter restituit sanitati. Quantam in messem, anima, niue, geluque, temporis & hominum iniurijs petita praeparetur, quae rosae ex spinis istis decerpantur, quae lilia odorifera, ex male olentibus herbis colligantur, vix credi potest. Coronidis loco producam exemplum quod habet Surius 13. Iulij cap. 21. vitae S. Brigittae viduae, Suediae regis filiae, quae quum pro Algotio Dominicano S. Theologiae Doctore, qui iam senex orbitate oculorum & calculi doloribus cruciabatur, Deum precaretur, responsum accepit: Ille stella micans est, nec expedit sanitate corporis obscurari animam eius. Certauit, & cursum consummauit: nihil iam superest, nisi vt à me coronetur. Et hoc tibi signum erit, quòd ab hac hora mitescent dolores corporis eius: Iam enim anima eius prorsus ardet igne diuini amoris. Non diu pòst, Theologus ille è vita decessit.

Matt. 7. Iob. 6. Psal. 25. Monachus infirmitatē expetit, vt redeat. Coecus illuminatus orat vt in coecitatem redeat. Algotius Dominicanus vt stella micans.

Capitis 39. §. 2.

Cur expetamus liberari à malo.

NOn deerit qui dicat: si necessum vtileque est, mortalitatis nostrae nauiculam, molestiarum Africo Euro, Notoque ruentibus concuti, agitari procellis; cur flatus illos aduersitatis, tempestatesque sonoras, hac prece fugare, vel auertere molimur? Promptum est ex dictis, quid respondeatur. Non postulari ne irruant, néve quum irruerint, abigantur, eliminentur; inutile quippe istud foret, atque diuinae voluntati aduersum, quam sicut in caelo, sic in terra fieri volumus: sed hoc solùm, vt malum culpae, quod ex malo poenae intendit aduersarius, non incurratur, velut ex aegritudine, impatientia; ex aduersitate murmuratio contra Deum, ex paupertate furtum, ex dolore desperatio: quod Alexand. Alens. 4. part. quaest. 37. dixit, expetere nos liberari à malo tribulationis praesentis, non à tribulatione praesenti. Deprecamur ergo mala poenae, ne videlicet eorum occasione, labamur in culpam: Nauigantibus namque nobis, atque in fidam carinae nostrae stationem, quae sursum est, contendentibus, ferendi, superandique sunt tempestatum fluctus; atque prudenti temonis directione cauendum, ne in syrtes & breuia, naufragium facturi, impingamus.

1. Malum poenae deprecamur, ne peccemus.

Quod vt consequamur, duo nobis agenda sunt, vnum in opere, alterum in intentione: in opere, vt quemadmodum ab amico, gratiam demeremur obsequijs, ita diuinorum mandatorum obseruantia, ad tam praeclarum beneficium reddamur idonei, quod verbo Propheta regius dixit psal. 36. *Subditus esto Domino; & ora eum.* Impletione praecepti dante fiduciam impetrandi. In intentione, vt non proprium commodum sed Dei gloria expetatur, alioqui, à Turca & Maurio, qui à malo itidem liberari petunt, nihil verò de laude & gloria Dei cogitant quid abesset Christianus? vt ergo sanitas aegri gloria est medici, ita eluctatio tempestatis, periculorum euasio, laus sit & honor Dei. His obseruatis, quanquam sensu aliquo nos liberari non experiamur, miris tamen interdum, & occultis modis liberamur. Vt si ex alto monte vegrande saxum ante pedes tuos ruit, liberauit te à malo Deus: si offendicula praetergressus, nec illisus fueris, liberator tui est Deus. Timor Dei Labanum inuasit, & eius iras graues euasit Iacob. Gen. 31. Post caedem Sichem, vna cum filijs proficiscitur Iacob: *Et terror Dei inuasit omnes per circuitum Ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* Gen. 35. Incumbente saeua tempestate periclitabantur discipuli, & Dominus in naui dormiebat, sed virtute vigilabat, inquit D. Ambrosius quantumcunque enim Deus dormire videatur, cor eius vigilat, quia electorum suorum calamitates & conflictus cernit, & ne obruantur sua protectione munit, & custodit, quia verò sensibile quoddam auxilium subsidiumque conferre dissimulat, dormire putatur; *Siquidem dormire in scriptura dicitur Deus,* inquit Iudocus Clichtoueus serm. dominicae 3. post Epiphan. *Quum differt dare auxilium à se postulatum: quod tamen nunquam facit sine rationabili causa. Martyrum patientia sub tyrannis probatur & coronatur, ad maiorē fidei corroborationem & Ecclesiae consolidationem. Voluit propter importunitates haereticorum, sacrae scripturae sensum & intelligentiam diligentiùs perquiri & elucidari, & sacrarum literarum studium maiore vigilantia exerceri, ad fidei confirmationem, & falsitatis confutationem. Et idcirco fuit Christus quasi dormiens in naui, quia ad vtilitatem Ecclesiae distulit ad tempus compescere tyrannorum rabiem, & haereticorum insaniam infestantium Ecclesiam.* Atque ita, tum maximè adest laboranti quum minùs sentitur. *Quid enim sumus, si à Conditoris nostri protectione deseramur,* ait D. Gregor. in cap. 19. Iob. *quae protectio minus necessaria creditur, si semper habeatur?* (scilicet sensibiliter) *sed vtiliter plerumque subtrahitur, vt sibimetipsi homo, quàm sine illa nihil sit, ostendatur. Et vt doctrina sit quod in lapsu trepidamus, custodia, quod in statu permaneamus.*

Ad vitam beatam consequendam duo sunt necessaria. Psal. 36. Gen. 35.

Multae namque & variae sunt viae Domini, per quas suos ad se dirigit, in quibus magnifica sapientiae suae documenta ostendit. Modò humilitati nostrae studet, vti suprà D. Gregorius insinuauit,

2. Multis modis nos ad se ducit Deus.

nauit, vt bonum quod in nobis est non virtuti nostræ adscribamus, sed illius munificentiæ, qui non quum voluerimus donat, sed quum ipsi visum fuerit, quam ob caussam inquit D. Bonauēt. sæpè negat Deus quum quęritur, & donat quum non expectatur. Modò nostri in se amoris periculum facit, Eccles. 6. *Est enim amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis*: explorat fidem: quia, vt Michaël Verinus cecinit:

Eccl. 6.

Rebus in aduersis patientia vera probatur.
Rebus in aduersis vera probanda fides,

Et Prouerb. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est: & frater in angustijs comprobatur.* Sincerus est amor, vbi voluntas propria non quæritur, sed Dei: firma fides est, e vbi nulla adeò aspera est fortuna, quàm prudenter patiendo, vir fortis non vincat. Morbis quoque, alijsque cladibus conflictari quosdam melius quàm sanari, ad eum modum quo Appius Claudius crebrò solitus fuit dicere, negotium populo Romano meliùs committi, quam otium:

Prou. 17.

Nam qui desidiam luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incautâ mente labores,
Turpis inopsque simul, miserabile transfigit æuum.
At quisquis duros casus virtutis amore
Vicerit; ille sibi laudemque decusque parabit.

Et his quidem, si leuamen non exorauerint doloris, sat erit si malum illius fuerint deprecati, Deo vitæ etiam carissimorum suorum in eum modum prouidente, vt influentibus desuper solaminum riuulis non sic mente in superna fluenta fontis vitæ toti absorbeantur, vt necessariam corporis curam prorsus abiecisse videātur, actiuæ vitæ nihil donantes: velut Archimedes, vir Geometricæ, ac machinalis, sideralisque scientiæ consultissimus, qui quum animo ac oculis in terrâ defixis formas Geometricas describeret, à milite ignaro quis esset (interdixerat autem in Syracusarum expugnatione Marcellus, ne Archimedes vnus violaretur) interfectus est: & in totum occupatâ designandis formis mente, mortem priùs, quàm hostem sensit.

Archimedes.

His oppones, Ecclesiam institutis ad hoc orationibus, rogare Deum, vt infirmitates tollat, medeatur languoribus, tempestates auertat, à peste, fame, & bello nos liberet: ergo non à malo tantùm, sed etiam ab ipsâ mali caussâ & occasione poscemus liberari. Ad hoc dicendum est, aliud esse petere ab aliquâ particulari, aliud ab omni pœnâ exonerari. Adijce ipsam sanitatis restitutionem non propter se ab Ecclesiâ intendi, sed propter laudem & gloriam Dei, fideique corroborationem eorum, qui in desperatis maximè rebus, miram Dei prouidentiam in medendis nostris malis, quasi digito tangentes, in præclaros deuotionis & laudum diuinarum affectus transformantur.

Capitis 39. §. 3.

Eximiam Dei prouidentiam in totâ oratione Dominicâ, ex vi particulæ, Amen, cognosci.

1.
Iupiter cur tria fulmina mittat.

SEneca Naturalium quæstionum lib. 2. cap. 41. Quum tria fulmina à Ioue mitti, & tres illi manubias dari, ex Etruscorum, atque Philosophorum sententiâ scribit: quarum prima, monitoria sit & placata, quæ ipsius Iouis consilio mittitur. Secundam mittat quidem Iupiter, sed ex consilij sententiâ. Duodecim enim Deos aduocat. Et hoc fulmen boni aliquid aliquando facit, sed tunc quoque non aliter, quàm vt noceat. Ne prodest quidem impunè. Tertiam manubiam idem Iupiter mittat, sed adhibitis in consilium Dijs, quos superiores & inuolutos vocant, quæ vastat, & includit, & mutat statum priuatum vtique & publicum quem inuenit: cap. 43. quærit. Quare id fulmen, quod solus Iupiter mittit, placabile est: perniciosum id de quo deliberauit, & quod alijs quoque dijs auctoribus misit? & respondet. Quia Iouem, id est, Regem, prodesse etiam solum oportet, nocere non, nisi quum pluribus visum est: addíque discant hoc ij, quicunque magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio nec fulmen quidem mitti: aduocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant, vbi aliquid percuti debet, ne Ioui quidem suum satis esse consilium: quod scilicet ad benefaciendum satis. Quippe enim tam benignæ, tamque liberalis est naturæ Deus vt solo bonitatis suæ essentialis motu, donis, largitionibusque nos impleat, atque factâ impetrandi quidquid petierimus fiduciâ, inuitet ad pulsum sacrarij sui, vbi ipse Gratiarum stipatus catervâ, in nostros flectitur conatus: prouocet ad sagaciorem olfactum odoris sui, nostri cupidus. Huc pertinent voces illæ: *Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis*: pertinent & adfectus prouidi patris, in vota nostra, vel in ipsâ eorum conceptione cordis, ante parturitionem oris, descendere parati, secundum illud psal. 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Deus enim noster, non est vt homo, qui ad accipiendum porrectus, ad dandum contractus, Ecclesiastico aduersatur, in hunc modum cap. 4. consulenti: *Ne sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Neque stat promissis, quorum profusâ liberalitate, velut vter flatu tumens, esurientem non pascit animam, hoc compendio, futilis promissi resarciens dispendium: quanquam tamen, beatiùs sit dare, quàm accipere, quia dare, agere est, accipere verò pati. Sed mente prouidâ Deus, non quid aut quantum postulauerimus, sed quid, quantúmve in rem nostram fuerit, prospiciens, liberaliùs suas in nos diuitias effundit quàm exigamus. Exemplo sit seruus ille Matth. 18. cui donatum omne debitum est, cuius procrastinationem solùm exposcebat humiliter: & crucis dominicæ socius latro, qui se Christi in regnum suum ingressi memoriæ commendabat, nunquid in ipsius regni societatem mox admissus est? dixit enim Luc. 23. *Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Et Dominus illi: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

Matt. 7.

Psal. 9.

Eccl. 4.

Luc. 23.

2.
Cur terminetur oratio dictione, Amen?

Ideóne autem Dominus, istâ particulâ, *Amen*, tanquam eximiæ, certæque prouidentiæ suæ symbolo orationem à se institutam terminare voluit, vt se oranti non defuturum significaret? Hebræa vox est אמן *Amen*, à passiuo יאמן *ieamē*, *firmetur*, quasi באמן *beamen*, *verum fiat, efficiatur*. Et vna ex illis de quibus D. Augustinus tom. 3. lib. 2. de doctrinâ Christianâ, cap. 11. *Hebræa verba non interpretata, sæpe inuenimus in libris, Sicut Amen, Halleluia, racha, & Osanna, & si qua sunt alia. Quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamuis interpretari potuissent, seruata est antiquitas, sicut est Amen, & Halleluia: partim verò in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur, sicut alia duo quæ posuimus. Sunt enim quædam verba certarum linguarum, quæ in vsum alterius linguæ per interpretationem transire non possunt. Et hoc maximè interiectionibus accidit, quæ verba potiùs motum animi significant, quàm sententiæ conceptæ vllam particulam: nam & hæc duo talia esse perhibentur: dicunt enim, Racha, indignantis esse vocem, Osanna, Lætantis.* Eugubinus in psal. 67.

Amen

Amen apud Hebræos, vocem esse ait exaggeratioris affirmationis. Diuus Hieronymus epist. ad Marcellam. Hebræos scripta confirmando, ponere, Amen, vt feliciter trãslata protestentur. Addunt illi etiam hodie extremis suis precibus & epitaphijs אמן סלה *amen selach. amen in æternum*, siue, *in secula*. Et hìc conclusio est totius orationis: non tamen semper occupat finem, quemadmodum Diuus Hieronymus adnotauit, sed interdum in sermonis principio, vel in libri medio collocatur. Varia autem sunt eius vocis significata, Nunc enim nominis, nunc aduerbij, nunc verbi vim habet. Quum nominis vim sortitur, significat *verum*, veritate quadam sacratiori, velut enim, vt scribit Diuus Augustinus tom. 6. lib. 15. contra Faustum, cap. 9. *Adonai, verbum Hebræum est, & interpretatur Dominus, eo modo, quo solùm Deus dicitur Dominus: sicut latria, quod verbum Græcum est, & interpretatur seruitus, non quæcunque, sed illa, quâ tantummodo Deo seruitur*: sic, *Amen, interpretatur verum, non vbicunque, & quandocunque, sed mysticâ religione*. Hoc in significatu, quum Sacerdos in fine orationis ad Patrem, loquendo de filio, dicit, *Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum*, respondet populus, *Amen*, quasi dicat, est verum quòd tecum viuit, & regnat: ita Innocentius lib. 2 de Missa, cap. 25. Item, vt habet D. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. *Dicit tibi Sacerdos, Corpus Christi, & tu dicis Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua teneat affectus.*

Amen nominis vim habet.

Quando aduerbij. Ioan. 5.

Aduerbialiter posita, idem est, quod verè, seu fideliter, quo sensu Diuus Ambrosius lib. 4. de fide, cap. 3. illud Ioan. 5. *Amen, amen dico vobis, non potest filius facere à se quidquam*, à Domino dictum interpretatur, *Amen amen dico vobis*, inquit, *quod est fideliter, fideliter dico*: fideliter dicens, & cùm Sacramenti quadam repetitione confirmans, quod nihil facere possit, nisi quod facientem Patrem viderit. Verbaliter autem accepta, idem est, quod *fiat*, quomodo oranti Sacerdoti in hunc modum (vt aduertit Innocentius suprà) *Da nobis salutem mentis & corporis*, populus affectum & desiderium suum explicans, respondet *Amen*: quasi dicat, *sic fiat. Quod verbum*, inquit D. Ambrosius enarrat. in psal. 40. *diuersas significationes habet: vt sit interdum imperantis, interdum præcantis, interdum confirmantis aliquid. Imperantis est, quum superior inferiori statuit quid faciendum sit, vel sequendum. Precantis est sicut illud Fiat voluntas tua: non enim Deo quis imperat, sed precem fundit. Confirmantis est, quum benedicit Propheta vel Sacerdos, vel Sanctus aliquis, & populus respondet, Fiat, fiat*: sicut in Psalmo Græcè γένοιτο, γένοιτο. *Fiat, fiat*; quod in Hebræo est *Amen, amẽ. Sicut enim cũ Sacerdos benedicit, populus respondet, Amen, confirmans benedictionem sibi, quam plebi Sacerdos à Domino deprecatur: ita in psalmo responsum est, Fiat fiat, quasi Amen amen. Amen autem confirmationis verbum euidenter ostenditur in Euangelio, vbi Dominus confirmans verbum suum dicit, Amen dico vobis*: Marci 9. Sed, *Amen*, hìc, verè, significat, Diuo Chrysostomo, in illud Marci, homil. 10. tom. 2. interprete: ait enim, *Iurat Christus, debemus iuranti Christo credere Quod enim in veteri Testamento dicitur, Viuo ego dicit Dominus: in nouo Testamento dicitur, Amen, Amen dico vobis: Amen, amen, dicitur, verè, verè. Veritas loquitur veritatem, vt vincat mendacium.*

Quādo verbi.

Marc. 9.

Hìc iam quæri potest, quem sensum faciat, Amen; Aquila, referente D. Hieronymo, aduerbialem esse vult, idemque significare quòd veraciter, & fideliter, cui consonat Durandus in Rationali: quòd, *Amen*, in hac oratione, magis exprimat conclusionem affirmantis, quàm desiderantis adfectum: vt sit sensus, veraciter & fideliter, in omnibus petitionibus datur quod legitimè petitur, si vltimæ conditionis pactum obseruantes, debitoribus nostris ex corde remiserimus; ita Glossa, & Rabanus. Hinc quidam, caussam cur Sacerdoti facienti Deo, ad orationem Dominicam, à ministris respondeatur: *Sed libera nos à malo*, tantùm, ipse verò sacrificans dicat *Amen*, eam esse volunt, quòd quum Sacerdos mediator sit inter Deum & populum, eius vota, petitionesque Deo offerens, eius sit potiùs quàm populi, precum illarum, exauditionis pronuntiare sententiam: quemadmodum in precatiunculis, quibus desiderantis exprimitur affectus, populum respondere *Amen*, magis est consentaneum.

Nihilominus tamen, alij aduerbialiter accipi volunt, vt sit tantundem, ac, *Fiat*: atque ita orantis manifestetur affectus, optantis sibi à Deo petita conferri. Itaque, Amen, precantis est fieri, sic, vt oratum est: omnesque petitiones respicit, quibus postulationum vniuersitas continetur. Quemadmodum Diuus Augustinus Epistolâ ad Probam eleganter & copiosè disseruit, sicut cap. 30. §. 3. num. 3. vidimus. Quâ ex re manifestum est in his, nos vniuersam Dei prouidentiam circa mortalia nostra profiteri, cuius symbolum sit vox, Amen, quâ scilicet, cum fiduciâ prolatâ, in genere petitur, quidquid postulatum est in specie, & impetratur.

CAPVT XL.

De Fortunâ.

Sintne, bona & mala à Fortunâ?

QVia verò Dei nomine, mens illa intelligitur, quæ prouidentiæ suæ curâ & solicitudine cuncta permeat, attingens à fine ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter; tot, tamque varij interea euentuum fluctus humana impellant, vt à casu, fortunáve agi vniuersa, non ab æquo & bono Numine gubernari, dispensaríve videantur: non modò Poëtæ, sed etiam Philosophorum plerique, Fortunæ, numen attribuerunt. Quum enim res humanas quasi trochum, huc, illucque impelli, rotarivè, absque vllo meritorum discrimine viderent, caussasque cur ita fieret, ignorarent, subesse tamen aliquas sibi omninò persuaderent; secretioris cuiusdam Numinis iniquitate & inconstantiâ, distribui vniuersa, opinati sunt, quod Fortunam dixere, non rationabili dispositione, sicut inquit D. Augustinus, sed vt cuique acciderit, sua cuique dona conferentem. Cui proinde, quemadmodum Tullus Rex, auctore Blondo lib. 1. de Româ triumphante, omnes suos actus, omnes rerum euentus adscriberent.

1. Dei vocabulo prouidentia intelligitur.

Hesiodus comprimis, mutato Fortunæ sexu, Deum, eam esse dixit, quæ bona & mala, non ex merito aliquo virtutum aut actionum, sed ex temerariâ quadam voluntate tribuat, vti Franciscus Patricius Senensis lib. 1. de Regno, titulo 12. meminit. Quumque Varro dicat, teste Diuo Augustino lib. 7. de Ciuit. Dei, cap. 3. Dijs quibusdam Patribus, & Deabus matribus, sicut hominibus, ignobilitatem accidisse, atque ad eam nobilitatem vt selectis Dijs annumerarentur, non meritò, sed fortuitu peruenerint, Fortuna, *in Dijs selectis tenere apicem debuit*, inquit Diuus Augustinus, *in quibus maximè quid posset, ostendit: quando eos videmus, non præcipuâ virtute, non rationabili felicitate, sed temerariâ, sicut eorũ cultores de illâ sentiunt, Fortunæ potestate selectos. Nam & vir disertissimus Salustius, etiam ipsos Deos fortaßis attendit, quum diceret,*

Sed profectò Fortuna in omni re dominatur: ea, res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebrat, obscuratque. Maro, omnipotentem cecinit. Alij Hesiodi figmentum secuti, Deam fecere, cæloque locarunt. Vnicus Homerus, Fortunam nescire maluit, inquit Macrobius lib. 5. Saturnalium, cap. 16. soliqué decreto, quam μοῖραν vocauit, omnia regenda committit, Odyssea 24.

μοῖρ' ὀλοὴ, τὴν οὔτις ἀλύξατο, ὅς κε γένηται.

Parca perniciosa, quam nullus fugit quicunque natus est.

Adeò vt hoc vocabulum τύχη, in nullâ Homerici voluminis parte nominetur. Porrò autem Aristot. libro de institutione Reipublicæ, externorum bonorum Fortunam esse caussam dixit: & Demosthenes clypeo suo, bonam Fortunam inscripsit, quippe qui eam Reipublicæ Deam, Dominamque arbitraretur. Philostratus lib. 2. de vitis Sophistarum in Heliodoro, eam in rebus humanis, latum habere imperium scribit, ἐπεὶ δὲ, inquit, ἡ τύχη κρατεῖ ἐπὶ πάντα τὰ ἀνθρώπεια: *quoniam Fortuna in rebus humanis latè dominatur: In omni re*, inquit Liuius, & habent, Patricius Senensis, titulo 12. atque Lactantius Firmianus lib. de falsa sapientiâ, cap. 28. Et cùm παράδοξον ἀγώνισμα τύχης γινόμενον, admirabilis sit Fortunæ ludus, vti Philostratus inquit, mirè valet autè elaborata auferre, atque speciosam prosperitatem traijcere, ait Plutarchus de cōsolatione ad Apollonium. Hircius quoque de bello Alexandrino, *Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficijs ornauit, ad duriorem casum reseruat.* In exemplum erit Theramenes, vnus è triginta tyrannorum Athenis, qui illapsâ domo in permultos, quum solus euasisset incolumis, ob idque felix ab omnibus prædicaretur, exclamans, *O Fortuna*, inquit, cui me occasioni seruas? sentiens se non esse seruatum, sed maiori malo reseruatum: nam aliquantò post à collegis in tyrannide, excruciatus, necatus est, auctor Plutarch. de Consolat. ad Apollonium.

Demosthenes.

Theramenes.

2\. Ignoratio itaque Prouidentiæ, Fortunæ Numen induxit inconstantissimum, quod liquidò asseruit Plinius lib. 2. natur. histor. cap. 7. *Irridendum verò*, inquit, *agere curam rerum humanarum, illud quicquid est summum. Anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemúsve? Vix propè est iudicare, vtrum magis conducat generi humano, quando alijs nullus est Deorum respectus, alijs pudendus.* Quando & hos iuuant scelera, illos sacra sua pœnis agunt: quare occultæ prouidentiæ legum, vt quæ extra creati intellectus mensum positæ sint, ignara mortalitas, medium sibi ipsa Numen inuenit, *quo minùs etiam plana de Deo coniectatio esset. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur: vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur, volubilis, à plerisque verò & caca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in totâ ratione mortalium, sola vtramque paginam facit. Adeoque obnoxia sumus fortis, vt sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.* Vnde Horat. lib. 1. Od. 35.

Deum rerū minimarum cura pollui.

Te pauper ambit sollicitâ prece
Ruris colonus: te Dominam æquoris
Quicunque Bithynâ lacessit
Carpathium pelagus carinâ.
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Vrbesque, gentesque, & Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni.

Scilicet, quia vt alibi est:

Fortuna, immeritos auget honoribus,

Fortuna iniusta.

Hæc eadem, innocuos cladibus afficit.

Quum enim, nulla sic opinantibus fidei fax præiret, quæ nobis dux, atque totius notitiæ rerum Diuinarum norma, in Dei decretis caligantes, nullam Diuinam prouidentiam præesse rebus humanis, libenter opinati sunt, vt infit Diuus Augustinus lib. 3. de lib. arbit. cap. 2. tom. 1. *Dumque fortuitis committunt casibus & animos & corpora sua, tradunt se feriendos & dilaniandos libidinibus: Diuina iudicia negantes, humana fallentes, eos à quibus accusantur, Fortunæ patrocinio propulsare se putant: quam tamen cæcam effingere ac pingere consueuerunt, vt aut meliores eâ sint, à quâ se regi arbitrantur, aut se quoque cum eadem cæcitate, & sentire ista fateantur, & dicere. Nec enim talibus absurdè etiam conceditur, casibus eos agere omnia, quando agendo cadunt.* Vim autem caussæ validam, atque humanæ rationi ineuitabilem, esse sibi persuaserunt, cuius nullis bonorum malorúmve terminis circumscriptus motus vagaretur, eamque Deis, Deivè appellatione expresserunt: *Ignoratio siquidem rerum atque caussarum*, auctore Tullio, Fortunæ nomen induxit, & numen. Academicos enim vulgò appellare fortunam, scribit Diuus Augustinus Retractationum lib. 1. cap. 1. quæ occulto ordine regit, & rationem, & caussam secretam habet: vbi seipsum quoque castigat Doctor sanctissimus, quòd in suis contra Academicos lucubrationibus, liberiùs vsus sit Fortunæ nomine; non tamen, quòd eam nominando, Deam vellet intelligi, sed eâ ratione dumtaxat, quâ à Philosophis alijs accipiebatur, ac si effectus illius, nulli omninò prouidentiæ subessent, atque à nullâ caussâ, etiam supremâ, essent intenti, præuisi, & ordinati.

Capitis 40. §. 1.

Duplexne sit in rebus fortuna, bona, scilicet, & mala?

Diuus Augustinus, Diuinâ vir sapientiâ, 4. de Ciuitate Dei libro, cap. 18. absurdam & ridiculam de vtriusque Fortunæ, bonæ, & malæ, sententiam, quâ imbuti veteres, aris, delubris, & simulacris diuersis, eam, tanquam si duæ essent coluerunt, coarguit, verba eius sunt: *Quid sibi vult, quòd & Fortuna Dea putatur, & colitur. An aliud est felicitas, aliud Fortuna? Quia Fortuna potest esse & mala: Felicitas autem si mala fuerit, felicitas non erit. Certè enim omnes Deos vtriusque sexus (si & sexus habent) nonnisi bonos existimare debemus. Hoc Plato dicit, hoc alij Philosophi, hoc excellentes Reipublicæ, populorumque rectores. Quomodo ergo Dea Fortuna aliquando bona est, aliquando mala? An fortè quando mala est Dea non est, sed in malignum Dæmonem repentè conuertitur? Quot sunt ergo Deæ istæ? Profectò quotquot sunt homines fortunati, hoc est, bonæ Fortunæ. Nam quum sint & alij plurimi simul, hoc est, vno tempore malæ Fortunæ, nunquid si ipsa esset, simul & bona esset, & mala: his aliud, illis aliud? An illa quæ Dea est, semper bona est? Ipsa est ergo Felicitas: cur adhibentur diuersa nomina? Sed hoc ferendum est: solet enim & vna res diuersis nominibus appellari. Quid diuersæ ædes, quid diuersæ aræ, diuersa sacra? Est caussa, inquiunt, quia Felicitas illa est quam boni habent præcedentibus meritis. Fortuna verò quæ dicitur bona, sine vllo examine meritorum fortuitu accidit hominibus & bonis & malis, vnde etiam Fortuna nominatur. Quomodo ergo bona est quæ sine vllo iudicio venit, & ad bonos & ad malos? vt quid autē colitur quæ ita cæca est passim in quoslibet irruens, vt suos cultores plerumque prætereat, & suis contemptoribus hæreat?* Equidem Fortuna, quam Arist. 2. Physic. c. 5. textu 55. dicit esse quiddā à ratione alienum: quandoquidē ratio in his versetur, quæ aut sunt semper, aut plerūque; Fortuna autem in his, quæ præter hæc fiunt: cùm vna

1\. Fortuna bona vna, alia mala, aris & sacris culta.

2. Fortunæ epitheta, secunda, aduersa.

vna sit, effectuum tamen ratione, varia sortitur epitheta, non Numina, è quibus duo hæc Aristoteli, textu 56. *Secunda, aduersa.* Sic enim ait; τύχη δὲ ἀγαθὴ μὲν λέγεται, ὅταν ἀγαθόν τι ἀποβῇ, φαύλη δὲ, ὅταν φαῦλόν τι. εὐτυχία δὲ καὶ δυστυχία, ὅταν μέγεθος ἔχοντα ταῦτα. *Secunda autem dicitur Fortuna, cùm bonum aliquod euenerit: aduersa, quum malum: sed cùm magna hæc fuerint, Fortunæ grandis prosperitas, magnumque infortunium.* Vbi Fortunam vnam εὐτυχίαν, δυστυχίαν alteram, *prosperam & aduersam*, appellauit, ob euentuum varietatem, non verò quòd duæ essent distinctæ Diuinitates. Neque enim Fortuna bona aut mala, diuersarum per se caussarum aut etiam Diuinarum rationem sortiuntur, sed appellationes sunt ex secundis, aduersisque effectibus depromptæ. Tamen in bonam & malam partiri maluit Aristoteles Peripateticorum more, quàm ex Stoicorum sententiâ, quæ veritati proximior, neutram appellare. Nam reuera, talis euadit solùm, qualis & eius vsus fuerit, & perinde est, vt animus illius in quem inciderit: qui vti scit, ei bona, qui non vtitur rectè, mala. Vt os non secatur trama, inquit Plutarch. in Moralib. nisi priùs cinere & aceto præmollitum: nec ebur inflecti potest, nisi zutho priùs molliefiat: sic Fortuna, non potest reddere vulneratos animo, nisi accesserit malitia: vnde & Seneca tanquam Stoicus in Epistolis, inquit, *Nihil neque boni, neque mali dare potest Fortuna: valentior enim omni Fortunâ est animus; qui in vtramque partem res suas ducit: beatæque & miseræ vitæ sibi caussa est.* Quo respexit etiam Iuuenalis, quum cecinit;

> *Nullum Numen abest, si sit prudentia; sed te*
> *Nos facimus Fortuna Deam, cæloque locamus.*

3. Fortunæ nō fidendum.

Pausanias quoque, *nihil fit, & perficitur, Fortunæ impulsione.* Ne itaque animum præcipiti, & rationis experti Fortunæ adieceris sed eam, eiusque magna volumina prudentiç clauo moderabere: namque, vt habet Nicetas Scholiastes ad D. Gregorij Nazianzeni tetrasticha:

> *Est sorte cæcâ, sutior prudentia:*
> *Namque illa rerum est impetus tantùm leuis;*
> *Hæc, clauus.*

Ipse quoque Diuus Nazianzenus in Iambicis:

> *Quid sors? prona. ? quidnam item fatum tibi?*
> *Pronæa, clauus, cuncta quo regit Deus:*
> *Fatumque, rerum nexus, æternus Pater*
> *Quos sculpsit: hi sunt termini nostri breues.*

Francorum Reginæ prudentia.

Huc pertinet quoque Simeonis Florentini, Claudio Paradino additi, symbolum, quo Henrici II. Francorum Regis vxorem, fortunæ afflatu ad summa euectam, tantos accessus prudentiâ suâ temperasse, significauit, vt virtute admirabili, modestiâ, rerumque tolerantiâ, partes laudis primas, inter priores Franciæ Reginas, obtinuerit: stellam enim, angue coronato, caudamque immordente, circumseptam, superpositâ hac epigraphe, *Fato prudentia maior*, dedicauit. Enimuero vnicuique mortalium, nisi amens quispiam fuerit, ita constitutum esse debet, Fortunam, quãtumcunque grauis, molestaque sit, ei nihil obfuturam qui firmiùs in virtute, quàm in fortunâ præsidium, sibi collocarit. Virtus enim, vti Lactantius inquit lib. de falsâ sapientiâ, cap. 28. & Tullius Tusculanar. 5. *Omnia quæ in hominem cadere possunt, subter se habet, eaque despiciens, casus contemnit humanos, culpaque omni carens, præter seipsam, nihil censet ad se pertinere.* Et Seneca, vt nihil adfert momenti nimbus in mare decidens; ita fortunæ incommoda nihil mouent sapientem. Quare quod Alciatus emblemate 119 Bruti sibi mortem consciscentis emblema proposuit, cum hac inscriptione, *Fortuna virtutem superans*, brutum illud est, & ab omni rectâ ratione alienum, ignaui atque inconsulti hominis argumentum: in quod etiam impegit ipse Tullius, qui quum se cum fortunâ semper pugnasse loquatur, eamque à se, tanquam si Hyænæ corium induisset, superatam, quum fortiter inimicorum sustinuisset, & retudisset impetus: & ne tum quidem se ab eâ fractum, quum domo pulsus patriâ caruisset; tum autem quum amisisset carissimam filiam Tulliam, victum se à fortunâ, turpiter confitetur, inquit Lactantius libro de falsâ sapientiâ citato cap. 27. in quo, communi stultitiâ laborauit. Scitum illud Prouerb. 12. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit*, & quod Apostolus ad Rom. 8. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*, aduersa sint licet, vel prospera: Nulla est fortuna mala sapienti, quum in eius manu sit eam formare vt malit, quemadmodum Philosophiam sibi dicentem induxit Boëtius 4. de Consolat. prosâ 7. nam si aspera est, & verbera illius patienter sustinet, triumphat Ethnicus, meretur & coronatur Christianus: sin autem læta, magnus fructus ex bono illius vsu est. Verùm ista hactenus.

Prouerb. 12. Rom. 8.

Capitis 40. §. 2.

Quibus figuris olim Fortuna coleretur.

1. Fortunæ habitus quis sit.

FOrtunæ improbitatem varij varijs expressere figuris. Sedentem finxit Apelles, & caussam rogatus, adiecit, quòd stare nequiret: at non benè, siquidem ei quod est, stare non posse non sessio ipsa, sed potiùs constans fluxus respondeat. Rectiùs ergo, si cum Boëtio 2. de Consolat. reduxisset, quia in suâ volubilitate sedet & requiescit, habet enim illa magnam in sua leuitate & inconstantia, constantiam. Boëtij verba sunt: *Si putas erga te mutatam esse Fortunam, erras: hi semper mores eius sunt, ea naturam seruauit erga te propriam, potiùs in ipsa mobilitate constantiam manifestauit:* Præuerterat in hac leuitatis illius atque perfidiæ ratione assignandâ Ouidius, quum cecinit:

> *Passibus ambiguis, Fortuna volubilis errat,*
> *Et manet in nullo certa tenaxque loco.*
> *Sed modò læta venit, vultus modò sumit acerbos,*
> *Et tantùm constans in leuitate suâ est.*

Eiusdem mutabilitatis ergo, Ægyrenses Amorem & Fortunam eodem in delubro veneratã consueuisse scribit Pierius Valerianus Hieroglyphicor. lib. 28. cap. 18. Pausanias in Messenicis, Cæl. Rodigin. variar. lect. lib. 18. cap. 14. Petrus Crinitus lib. 1. de honestâ disciplinâ cap. 5. Conimbricenses in cap. 6. libri 2. Physicorum Aristotelis quæst. 1. art. 1. Bupalum tradunt architectum & plastem insignem, Smyrnæis primum, Fortunæ signum ita effinxisse, vt capite polum fulciret, & manu alterâ cornu Amaltheæ retineret: indeque apud Æginam, eodem Cælio referente, lib. 15. cap. 28. chlamyde stellis distincta, & κέρας ἀμαλθείας manu sustinens Fortuna visebatur: quo figmenti artificio indicabatur, eam humanarum rerum habere imperium, fatis præesse, opes largiri, bona & mala suopte arbitrio distribuere. Ideoque Antimachus (vt habet Patricius Senensis lib. 1. de regno, tit. 12.) scribit, hanc Deam omnium consensu Deorum, cuncta mortalium bona, in suâ potestate habere, quorum sanè penes eam fuisse arbitrium, satis indicauit Horatius lib. 3. Oda. 29.

> *Fortuna sæuo læta negotio,*
> *Ludum insolentem ludere pertinax,*

Fortuna inconstans.

Trans-

Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alijs benigna.

Et lib. 1. Oda. 34. *Hinc apicem rapax*
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

Propterea quidam, anteriori parte albam, posteriori, nigram fecere, quo sic æquam atque iniquam, bonam & malam significarent, ob quod etiam alij bifrontem esse voluerunt. Non vna est huius argumenti species, sed apud plerosque variat. Alexander ab Alexandro, Genialium dierum lib. 1. cap. 13. hac specie aliàs effigiatam tradit, vt vnâ manu Cornucopiam, alterâ vitrum sustineret, ideò fortasse, quia sicuti in munerum distributione, nec parca nec arida est, ita nec firma, stabiliaque sunt, sed quouis vitro fragiliora quæ concedit, quo sensu Fortunam, vitream appellauit Seneca, vt sic, & esse fragilem, & citò interituram significaret, aut etiam, quia quemadmodum vitrum non ex se fulget, sed radiorum solarium munere, quibus perfunditur: ita Fortunæ bona, non sui naturâ, sed virtutis beneficio illius qui rectè eâ vtitur, splendent: hinc fit, vt suam quisque sibi fortunam conflet, prosperam vel asperam, virtutis propriæ, aut ignauiæ merito. Aut denique vitrea est, quia dum splendet, frangitur: *Ex summa enim retrò volui fortuna consueuit*, inquit Liuius, & Seneca in Hercule furente:

Iniqua rarò maximis virtutibus
Fortuna parcit: nemo se tutò diu
Periculis offerre tam crebris potest
Quem transit casus, aliquando inuenit.

Sic nempe gaudet vel superbos vertere cineribus triumphos. Hinc luteam alij fecere, tum quòd facilè concedat in puluerem, tum quòd ipsa vilis admodum sit conditionis, vtpote ex depressiori elemento, omniumque infimo, terrâ nimirum, quam, in argumentum proculcandæ virtutis vi Fortunæ, pedibus calcamus, conflata: tum denique, quòd quæ elargiri videtur munera mortalibus, è terræ eruta sint visceribus, veluti aurum, argentum, lapilli lucidiores, & cætera huiusmodi. Meminit & aureæ fortunæ Cæl. Rodigin. lib. 18. cap. 14. quæ in Imperatorum cubiculis visebatur, & quam ipsi, è viuis iam iam abituri, ad successorem deferri curarent: quo argumento, fausta cuipiam apprecaturi, prouerbij facie, ad eum Fortunæ aureæ transitum optamus, non secus atque aureum vellus, aut fila aurea, illi cui felicitatem comprecamur. Vnde Martialis, Epigrammatôn lib. 6. Epigram. 3.

Fortuna aurea.

Ipsa tibi niueo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Iulia nebit ouem.

Erat enim ex Etruscorum disciplinâ, teste Domitio, vt quoties ouis aut aries, purpureo, aureóve colore aspergebatur, Principi felicitatem, ac copiam rerum portenderet, quò respicit illud de Phryxi oue, quam Iulia mater netura dicitur, in felicitatis argumentum. Huc pertinet illud Senecæ in Thyeste:

Prodigium misit, regni stabilimen mei,
Agnum inter pecudes, aureâ flauum comâ.

2. Fortunæ simulacrum, pilæ insistēs.

Pierius Valerianus suprà, Fortunæ simulacrum pilæ insistens, cum nouaculâ, cum nauali clauo, & cornucopiæ, se vidisse scribit, in quâ, nouacula, inquit, felicitatis indicat amputationem, pila facilem eius volubilitatem, clauus, vitæ nostræ sub eius ditione cursum, cornucopiæ bonorum largitionem. Apud Scythas, Fortunæ simulacrum sine pedibus fuit, vt manus tantùm, & pennas haberet, inquit Petrus Crinitus lib. 1. de honestâ disciplinâ, cap. 5. quia quum Fortunæ munera ex se iaceant, alienis quasi egeant pedibus, quibus rectè ambulent, & regantur, suoque ipsa fungantur munere. Alij sphæram continuo motu circumrotantem finxerunt, cuius fastigio insisterent quidam, alij molirentur ascensum, deorsum nonnulli vergerent, agerenturque præcipites, alij depressi sub rotâ gemerent, quibus hanc vocem tribuere possis,

Regnabo, regno, regnaui, sum sine regno.

Cuius vicissitudinis exemplum præbuit Marius tyrannorum septimus, qui Trebellio Pollione auctore, vno die factus Imperator, altero visus imperare, tertio à milite interemptus est: adeò præcipiti motu Fortuna rotat omne fatum. Super anguillam nonnulli inter æstuantes sæui maris fluctus & procellas, ad cuiusque flatus occursum vela facientem, pinxerunt: aut etiam in scopuli vertice, vel montis alicuius supercilio: lubrica namque est, & desultoria, quosque ad regni, honorumque summa fastigia euexit, eosdem ad extrema præcipitat. Hinc illud Senecæ in Medea:

Marij imperium.

Rapida Fortuna, ac leuis,
Præcepsque, regno eripuit, exilio & dedit:
Confide regno, quum leuis magnas opes
Huc ferat & illuc casus.

Et Amphitryo apud Euripidem in Hercule furente.

ὁρᾶτέ μ' ὅσπερ ἦν περίβλεπτος βροτοῖς,
ὀνομαστὰ πράσσων, καί μ' ἀφείλεθ' ἡ τύχη
ὥσπερ πτερὸν πρὸς αἰθέρ', ἡμέρᾳ μιᾷ.
Aspicite me, qui eram conspicuus mortalibus
Præclara peragens, & me deiecit Fortuna
Velut plumam ad æthera, vna die.

Quidam serpenti illam imposuere, iniquâ existimatione victæ ab eâ humanæ prudentiæ atque subiectæ, quum tamen *Probitatem, industriam, bonas artes, neque dare, neque eripere cuipiam Fortuna possit*, vt inquit Sallustius. Alij equis cæcis vectam tradiderunt.

Ouid.

Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Inquit Ouidius. Cebes Philosophus, vti habent Conimbricenses lib. 2. Physicor. cap. 6. quæst. 1. artic. 1. mulieris forma eam effinxit, cæcam, furenti similem, volubili saxo, siue rotæ, pedibus hærentem. Specie quidem muliebri, ad notum instabilitatis eius indicium, quod quidem amentiæ atque improbitatis, amplum satis erat argumentum, Galeno teste, oratione parænetica ad bonas artes: perquam bellè etenim quidam de muliebri leuitate.

Quid leuius vento? fulmen, quid fulmine? famâ.
Quid famâ? mulier: quid muliere? nihil.

Furenti similem, quia neque modo, neque mensurâ, neque ordine seruatis, perturbatè faceret omnia. Etenim,

Senec. in Agam.

Non sic Lybicis Syrtibus æquor
Furit alternos voluere fluctus
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis vnda, niuali
Vicina polo, vbi cæruleis
Immunis aquis lucida versat
Plaustra Bootes.
Vt præcipites Regum casus
Fortuna rotat.

Pes in rotâ, siue rota ipsa, globúsve sphæricus cui insistebat, aut insidebat alata, inconstantiæ illius signum fuit, cuius impulsu in præcipitia & abrupta fertur, interdumque in mare detruditur, inquit Galenus, in quo vnâ omnes obruuntur qui eam secuti fuerint, ipsa verò damni expers, elabatur, ad quiritantium vota, precesque surda & immitis: quo pertinet illud Ouidij lib. 4. de Ponto Eleg. 1.

Hæc

Hæc Dea, non stabili, quàm sit leuis, orbe fatetur,
Quæ summum dubio sub pede semper habet.
Quo libet est folio, & quauis incertior aurâ.

Cœca fingitur propter operandi modum, vt vult Aristoteles, quoniam ex euentu operetur, siue vt D. August. inquit lib. 20. contra Faustum cap. 9. quòd ex incerto accidant, quæ fortuita dicuntur. Fortuitum autem erit, quod sine proposito fit. l. qui ædes. de incen. ruin. & naufrag. in P. vnde casus fortuitus nemini imputandus. l. Iulian. qui & à quib. manumi. liber. non fiant, quia nullum hominis consilium potest præuidere. l. 2. §. si eo tempore, de administrat. ad ciuit. pertinent. in P. ita Petr. Gregor. lib. 30. syntagmatis iuris, cap. 4. num. 1. & lib. 21. cap. 12. num. 1. casus fortuitus accidit vel ex facto seu caussa naturæ, vel facto seu caussa hominis, quæ ex facto naturæ ex improuiso accidunt, dicuntur aliquando fatalia, cuiusmodi sunt maris tempestas, naufragium, grandinatio, sterilitas, vis fluminis, terræ motus, & similia, quæ in hominis potestate non sunt & prouidentiâ. Facto hominis fortuiti casus accidunt, vt latronum insidiæ, vis priuata, falsa testium depositio, iniqua iudicis sententia, & similia, quibus iactari quilibet ex improuiso potest.

Aut etiam cœca dicitur, quia cæci in eam incurrimus, vt vult Plutarchus: seu potiùs quia, sæpè largitur indignis munera, vt inquit Laërtius lib. 5. cap. 5. &

Iustos illa viros pauperie grauat,
Indignos eadem diuitijs beat. Et
Quod dignis adimit, transfert ad impios,
Nec discrimen habet, rectaque iudicat.

3. Fortuna cœca Pluti cœci dux.

Rectè Demetrius apud Conradum Lycosthenem in Apophthegmat. non solùm Plutum, id est, diuitias, esse cœcum dixit, sed etiam fortunam Pluti ducem, vt iam sit illud Prouerbij, Cœcus cæco dux. Quia tamen *Fortuna opes auferre, nõ animum potest*, vt inquit Tragœdus, nulla est cœca viro sapienti, qui non rebus externis & fortuitis, sed animi bonis felicitatem tribuit, quare lacessita iniurijs, quod cœca, inconstans, fragilis, perfida, lubrica, respondere posset, quod accusatæ apud Lucium diuitiæ, quòd nunquam se ad honestos viros conferant: non suâ id fieri culpâ, sed bonorum caritate. Nam quum cœca vagetur, neque selectione aliquâ vti possit, vsuuenire vt sæpiùs in malos, qui vndique circumfluunt, incidat, quàm in bonos; quasi plures sint qui se malè vtantur, quàm qui benè.

Aut denique cœca, quia mortales, quos vel inopinata hæreditas in altiorem extulit sortem, vel qui illotis manibus à remo ad tribunal irruũt, suorum munerum obiectu cœcos efficit: adeò, vt id tantum expetendum esse ducant, ad quod vulgaris appetitus communi errore labatur. Excœcantur namque auri argentíve splendore, cæterorumque appetentiâ, quæ præclara ac speciosa, vulgo publica insania fecit: vitanda consectantur, in his solùm quæ fortunæ temeritati parent, felicitatem sitam esse arbitrantes. Rectè Tullius vt cætera lib. 2. de Amicitiâ, *Fortuna, vt medicus ignarus, multos excæcat, non quòd ipsa cæca sit, sed eos cæcos plerumque efficit, quos complexa est: illi enim efferuntur fastidio ferè & contumacia: neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atque hoc quidem videre licet, eos qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, sperni que ab eis veteres amicitias, indulgere nouis.* Et Seneca, *Fortuna quem fouet, stultum reddit.* Tandem verò omnem Fortunæ vim paucis versibus complexus est Pacuuius, apud Tullium in Rhetor. & Crinitum l. 1. de honestâ disciplinâ, c. 5. quos subijcio.

Fortunam, insanam esse & brutam perhibent Philosophi,
Saxique ad instar globosi, prædicant esse volubilem;
Quia quò saxum impulerit fors, eò cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem esse vocant, quia nil cernat quò sese applicet:
Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inuestigabilisque sit.
Brutam, quia dignum aut indignũ nequeat internoscere.

4. Peccata Fortunæ qui tribuetint.

I nunc, cœca & excors gentilitas, Fortunam venerare, quàm acerrimis cõuitijs lacessere nõ desinis: illi te trade, & inter commotos sæuiori tẽpestate pelagi rerum sublunarium fluctus, illi gubernatori temonem naufraga committe, cui per calumniam, oculorum ademisti lumina: accipe illam cœcam vitę tuæ ducem. Ecquid agis, quàm quod erutis prouidentiæ oculis, tete concupiscentiæ, atque libidinibus dilaniandam tradis? Fac enim Fortunæ deberi omnia, etiam furari, compilare, lasciuire, Fortunæ tribuendum erit, quæ hæresis Pharisæorum fuit, teste Clemente Romano Constitutionum Apostolicarum lib. 6. Fortunæ & fato peccatorum actiones tribuentium. Fac Fortunæ adscribenda prouidentiæ opera, etiam iustitiæ atque moderationis actus, ad eandem referendi sunt, dimissisque consilijs nostris, permittimus nos Fortunæ, ceu ingenti vento, vt pulueris vel paleæ in modum ab eâ impellamur, vel vt hacque illacque tanquam à procelloso mari iactemur. Eleganter Plutarchus de Fortunâ Alexandri: Quòd si omnia quæ Alexander patrauit, fortunæ attribuis; fac quidem fortunâ Tyron ipsi exciderit, fortuna Ægyptum ei aperuerit, per fortunam Halicarnassus ceciderit, & Miletus rapta sit; fac fortunæ beneficio Euphratem deseruisse Mazeum, Babylonicamque planitiem cæsorum corporibus stratam. Num etiam & à fortunâ temperans, aut beneuolente fortunâ continens fuit? aut eum fortunæ præsidio quodam munito, animum eius securum præstare potuit ne à voluptatibus lanciaretur, neu libidinibus sauciaretur. Absurda illa esse iudicauit politioris literaturæ vir, quæ vel modica benè instructæ rationis fax tanquam horrentes animorum tenebras damnaret. Aut certè fac fortunæ meritò cuncta fieri; iam hominis felicitatem, fortunæ etiam subiectam esse dixeris; sed hoc Philosopho 7. Politicor. cap. 1. & 1. Ethicor. cap. 9. aduersatur, nam quum cœca sit, eorum quæ meliora sunt delectum facere non potest, quemadmodum ab eodem Philosopho proditum est, Problemat. 8. sect. 29. Et quidem intolerabile esset malum, si beatitas hominis fortunæ subiecta foret, eodem assertore, Ethicor. citato cap. 9. Felix enim, non per accidens & fortuitò, sed rationis studio, & electione, proprium finem consequitur.

Capitis 40. §. 3.

Fortunæ cognomina, & delubra.

1. Fortuna loquax.

ERrarem ab instituto longiùs si me penitùs in obscura cœci Numinis huius penetralia intromitterem, quod interea varijs celebratum cognominibus, delubrisque quamplurimis honoratum, præterire nequeo. Inprimis itaque Felix Capella apud Cæl. Rodig. lib. 21. antiquar. lect. cap. 19. *Fortunam*, omnium garrulam puellarum nuncupat. Meminit & loquacis Fortunæ D. August. lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 19. quæ aut ideò ita dicta sit, quòd quum matronæ susceptâ legatione, M. Coriolanum, hostiles copias vrbi admouentem, auertissent, indeque *Fortunæ*, quã muliebrem appellarunt, fanum ædificassent: signum

signum eius (quod præterquam primarum nuptiarum mulieribus attigisse nefas) quum dedicaretur, non semel, inquit D. Augustinus, sed iterum dixerit, quòd eam ritè matronæ dedicassent, & quidem conceptis verbis, quæ Plutarchus lib. de Fortunâ Romanorum refert, scilicet *Piè me & rite mulieres vrbanæ posuistis. Fuit enim*, ait Augustinus, *Fortuna loquax & muta felicitas, & ad quid aliud, nisi vt homines rectè viuere non curarent, conciliatâ sibi fortunâ, quæ illos sine vllis bonis meritis faceret fortunatos?* Meminit & Liuius, decadis 1. lib. 2. illius dedicationis. Cæterùm tamen D. Augustinus suprà, virilem potiùs quàm muliebrem Fortunam locutam scribit, vt non ipsæ quæ simulacrum dedicauerant, putarentur tantum miraculum muliebri loquacitate finxisse. Aut etiam loquax Fortuna, & garrula, quòd è Prænestinâ illius æde, certa oracula per sortem eruerentur, in quorum excipiendorum finem, Fortunæ simulacra apud Antium promoueri solita fuerint, vnde hæc apud Horatium lib. 1. oda. 35. illius inuocatio:

O Diua gratum quæ regis Antium,
Potens vel imò tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Consule Patricium Senensem lib. 1. de regno. titulo 12. Fortunæ autem virilis ædem, Ancus Martius dedicauit, ita dictæ (vt scribit Plutarchus suprà) quòd plurimum virtuti, ad victoriam, Fortuna contulisset: Fuit & illi fanum ad Nemorensem lacum, inquit Blondus lib. 1. de Româ triumphante, vbi virgines Deæ immolabant. Amatoria dicta est, & eius idolum Ægyræ (quæ Achaiæ ciuitas est) iuxta quam Amor alatus assidebat indicio, vt Pausanias arbitratur, ea quoque quæ ad amorem pertinent, fortunâ magis quàm pulcritudine secundari: Pier. Valer. Hieroglyphicor. lib. 56. cap. 44. Nouo quoque cognomento, redux appellata est, cuius simulacrum, inquit Pier. lib. 45. cap. 24. in Numo Neruæ Traiani, vbi Dea ipsa sede sedens, temonem manu regit, qui à pedibus surrigitur. Item, Mala, cui templum Romæ, Exquilijs: Plin. lib. 2. nat. hist cap. 7. Bona, cuius sicut & boni Euentus simulacrum in Capitolio. Plin. lib. 36. cap. 5. Q. Fuluium Romæ ædem Fortunæ Equestri dedicasse, auctores sunt Liuius & Valerius, cui vt tectum daret, quum ex Iunonis Laciniæ templo, marmoreas tegulas abstulisset, vti scribit Lactant. lib. de Origine erroris 2. cap. 7. sacrilegij pœnas dedit; nam & mente captus est, & amissis duobus filijs in Illyrico militantibus, summo animi mœrore consumptus est: Nominat eam ædem & Iulius Obsequens: C. Claudio, inquit, *& M. Perpenna Coss. bubo in æde Fortunæ equestris comprehensus, inter manus expirauit.* Non autem discutio, quâ mente Cornel. Tacitus Annalium lib. 3. cap. 71. nullam huius cognominis Romæ fuisse dicat, quum infit, *Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ, Equites Romani vouerant Equestri Fortunæ: nam etsi delubra eius Deæ multa in vrbe, nullum tamen tali cognomento erat: repertum est, ædem esse apud Antium, quæ sic nuncuparetur.* Huius meminit Cæl. Rodig. lib. 18 variar. lect. cap. 14. & alterius Equestris quoque lib. 21. cap. 29. quam Fuluius Prætor in Hispaniâ excitauit, eam ob rem, quòd strenuâ equitum operâ in Celtiberos vsus fuisset.

2. Fortunæ fana.

Primigeniam quoque Fortunam coluere Romani, auctor Plutarchus in quæstionib. centuriatis Romanor. & lib. de Fortunâ Romanor. siue quòd ipsa vrbis Romæ sit auspicata primordia, atque apud eam resederit; ait enim Fortunam traiecto Tybri, positis alis, exutis talaribus, abiectâ instabili, & vestigia fallente pilâ, ita Romam ingressam, quòd indicium esset, eam ibi constanter permansuram, neque aliò in posterum auolaturam, illud scilicet Maronianum secutus, inquit Pier. Valer. Hieroglyphicor. lib. 39. cap. 18. quod de Romanis ait;

3. Fortuna Primigenia Romanorũ.

His ego nec metas rerum, nec tempora ponam.
Imperium sine fine dedi.

Siue etiam, quòd ipsa sit rerum omnium exordium, consistatque fortuitò natura, quum quibusdam temerè constitutis accedit ordo, vt impiè voluerunt quidam: Siue denique, quòd Seruio Tullio ex ancillarum genere orto, Romæ clarè regnare contigerit: hunc enim Fortuna ita complexa est, vt cum eo consuetudinem habere, & in eius cubiculum per fenestram descendere putaretur. Is verò tanquam Fortunæ pullus, diuinis illam præ cæteris affecerit honoribus: Nõ enim solùm Fortis Fortunæ, quo nomine semper in bonam partem accipiebatur, cuique in summa temporum felicitate extra vrbem secundum Tyberim sacrificabatur, fanum ædificauit, vt scribit Varro; sed etiam Auerruncanæ, Blandæ, Conuersæ, Benesperantis, Virginis, Cluacinæ, Masculæ, Breuis: & in Capitolio Primigeniæ, & Obsequentis: in palatio Priuatæ, & Viscatæ ædes condidit. Sempronius Cos. cum Hannibale signa collaturus, auctore Tit. Liuio decad. 3. lib. 9. & decad. 4. l. 4. ædem Fortunæ Primigeniæ vouit, si eo die hostes fudisset, & voti cõpos est factus. Alterâ in colle Quirinali Q. Martius Ralla dedicauit.

Seruius Tullius.

Fortunæ barbatæ mentionem facit D. August. lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 11. quæ inuestes cultorum suorum malas, speciosiùs inuestiret, contemptorum dehonestaret: *vt hoc qualecunque numen, saltem masculum Deum, vel à barbâ barbatum, sicut à nodis Nodotum, vel certè non Fortunam, sed quia barbas habet, Fortunium nominarent*, inquit Diuus Augustinus.

Non tamen omnis ista superstitio Romæ sedit: Syri fortunam & Syros Fortunam impensiùs colere tradit Pausanias. Athenis quoque, prope Prytanæum, simulacrum ἀγαθῆς τύχης fuit; & Fortunæ omnia gubernantis fanum, & signum eius eburneum nominat Philostratus lib. 2. de vitis Sophistarum, in Herode Sophistâ. Refert, & de Fortunæ templo & statuâ in Cæsariensi vrbe, D. Gregor. Nazianzenus Orat. 3. in Iulianum, quam maiorem in modum colebant gentiles, inprimis autem Iulianus ipse: quo tamen imperante, vnâ cum delubro deflagrauit, Cæsariensi quodam acriori pietate prædito, ignem subijciente. Rhamnusiam quoque Fortunam appellari dicit Patricius Senen. lib. illo 1. de Regno, tit. 12. quia ei templum ad Rhamnum Atticæ pagum. Heram ab Ennio nominatam interpretatur Cælius Rodiginus variar. lection. lib. 17. cap. 18. hoc in versu.

Syri fortunam coluerẽ.

Tósne velit an me regnare hera.

Hoc est Fortuna. Et Pindarus vnam Parcarum, sororumque potentissimam scribit, quæ humanas sortes potenter admodum distribuat. Nortiam vocant alij Tychen, Sortem, Nemesimque, quasi Deam Iustitiæ filiam & nunciam: Plato 4. de legibus, propterea quòd quæ fortuitò euenire dicuntur, sint abditæ Diuini iudicij executiones.

Ista sunt Ethnicorum deliria, qui fortuitos rerum euentus, quos vnius veri Numinis voluntati deferre debuerant, Fortunæ tanquam Deæ, Deóve, adscripserunt, quorum errore complures nostrorum obstricti, ita hoc voluisse Fortunam edisse-

4. Fortunam ita voluisse non benè à Christianis dicitur.

edisserunt, quòd ipse voluit Deus: aut ex siderum leuissimis motibus, vt Seneca lib. de Consolatione cap. 18. inquit, Fortunas populorum dependere, & maxima ac minima proinde formari, prout æquum iniquúmve sidus incesserit; aut fato tribuenda adstruunt, quo mentem impiatam, erroresque & scelera vitæ, ne rei sint, in necessitatem reijciant, *Vnde enim fati nomen multum per ora hominum vbique vertitur* inquit D. Chrysost. aduersus vituperatores vitæ Monasticæ tom. 5. *Vnde siderum irrationabilibus motibus, cuncta quæ accidunt plerique imputant? vt quid fortunam, vt quid casum quidam profitentur, & prædicant? vnde sine ratione, sine prouidentiâ ac temerè ferri cuncta arbitrantur? Propter eósne qui iustè, & quietè, & moderatè viuunt?* an propter illos qui impiè, & sceleratè? De quibus dixit Propheta psal. 31. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*, Diuo Augustino interprete, totidem verbis, *Multæ aquæ sunt variæ doctrinæ. Doctrina Dei vna est, non sunt multæ aquæ, sed vna aqua: siue sacramenti baptismi, siue doctrinæ salutaris: De ipsâ doctrinâ quâ irrigamur per Spiritum Sanctum dicitur: Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus, &c. Aliæ aquæ multæ doctrinæ inquinant animas hominum. Alia doctrina est, fatum mihi fecit, alia doctrina casus mihi fecit, fortuna fecit. Casibus reguntur homines, nullâ prouidentiâ aliquid geritur*: His doctrinis non acceditur ad Deum, sed receditur à Deo: Hoc aquarum multarum diluuium, professores variæ doctrinæ, in barathri fauces trahit: Quare meritò D. August. 4. de Ciuit. Dei cap. 18. & Lactantius Firmianus Institutionum lib. 3. c. 28. & 29. istas loquendi formulas damnant.

Psal. 31.

Prou. 5.

Capitis 40. §. 4.

Quid ergo de Fortunâ, quum nominatur, sentiendum?

1. Fortuna fortuitum euentum significat.

QVod Diuus Augustinus lib. 1. Retractationum cap. 1. scilicet, non aliquam Deam hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum, vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis: qui & Quæstionum in Genesim lib. 1. quæst. 91. dilucidè, *Fortuna*, inquit, *intelligenda est pro his rebus, quæ fortuitò videntur accidere, non quia numen aliquod sit; cùm hæc ipsa tamen quæ fortuita videntur, caussis occultis diuinitus dentur. Vnde etiã verba quæ nemo potest auferre à cõsuetudine loquẽdi parata sunt, id est forte, & fortasse, & forsitan, & fortuitu.* Et Philosophi prudẽtiores, exploso Fortunæ potentissimo Numine, hanc, teste, Macrobio Saturnalium, lib. 5. cap. 16. & prouidentiæ ministram esse, neque vi suâ quidquam posse, existimarunt. Plato, caussam in propositis per casum, & consecutionem. Epicurus, caussam personis, temporibus, modis, sibi nõ constantem. Anaxagoras & Stoici, caussam humano captui obscuram. Plutarch. in lib. de placitis Philosophorum, cap. 24 & Commentario de fato, in caussarum numero reponendam, non earum quæ per se sunt caussæ, sed quæ ex euentu. Aristoteles 7. Ethic. ad Eudemum, caussam fortuitam in ijs, quæ ex impulsu propter quid fiunt, quam in naturalem & diuinam partitur: Naturalem vocat eam, quâ ex bono contemperamento, bonâque cæli constellatione quis operatur. Quò referri potest eorum interpretamentum, qui cæli merito, atque defluuijs, hominum brutorúmve mores formari contendunt, quorum è classe Iulius Firmicus Maternus in Astronomicis, apud Crinitum, de honestâ disciplinâ lib. 1. cap. 6. vbi in hæc dicta refertur, *quædam gentes ita à cælo formatæ sunt, vt propriâ sint morum vnitate perspicuæ. Scythæ immanis feritatis crudelitate grassantur. Itali fuerunt regali semper nobilitate præfulgidi. Galli stolidi; acuti Siculi, luxuriosi semper Asiatici, & voluptatibus occupati, Hispani elatâ iactantiæ animositate præpositi.* Et Martianus Capella lib. 6. de Geometriâ, titulo Thraciâ, ait, Thraciæ incolas, bardos esse, & appetitum maximum habere mortis: Habent, scilicet, singulæ nationes à superis agnata sibi morum discrimina, per quæ, facilè à se inuicem discernantur, vt cuius quisque nationis sit oriundus, à voce, à sermone, ab oratione, à consilio, à conuersatione, à victu, à negotio, ab amore & odio, ab irâ ac militiâ, similibusque exercitijs facilè cognoscatur. *Gens Saxonum fera est*, inquit Saluianus lib. 4. de Prouidentiâ, *Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, & Hunnorum impudica.* Verùm ista, casui veriùs quàm Fortunæ adscripseris: nam fortuna ex Aristotele 2. Physicorum est caussa per accidens in his quæ per electionem alicuius gratia fiunt. Casus autem, caussa per accidens in his quæ sine electione fiunt: vt casus sit natura, fortuna verò consistat in ijs quæ ex proposito & consulto geruntur: natura subeat rationem casus, & mens fortunæ, vnde Lactantius Fortunam pro casu definisse videtur, quum dixit, Fortuna est accidentium rerum subitus atque inopinatus euentus.

Causa fortuita, naturalis vna.

Diuinam appellat Philosophus eam, quâ benefortunatus dicitur agere ex impetu & imperio diuino, eamque apud homines frequentiorem esse, cuius euentus omnes reducantur in Deum. Est autem fortuna quædam peculiaris hominum, quam in rebus dari, ferè est omnium consensio, hanc Aristot. 10. Metaphysicor. cap. 7. & 2. Physicor. 6. caussam ait esse aduentitiam in ijs quæ voluntate atque iudicio aliqua de causâ fiunt, vt si aurum ab eo qui serendi causâ terram pastinat, inueniatur, aut quis effodiens cuniculos, terræ mole obruatur. Est & illud opus fortunæ artificiosum, à Plutarcho proditum: Etsi enim assessorem, Artes, Palladem & Mineruam, non Fortunam habeant, vnum tamen memorant, qui equum, cùm pingeret, spumæque sæpiùs expressæ, sæpiusque abstersæ raritatem, quæ ad frænum cum anhelitu verberabatur, non probaret, tandem iratus, spongiam vti erat colore infectam, tabulæ impegerit, atque mirificè, quod optauerat expresserit.

Diuina altera.

Differt autem Fortuna à casu, siue temeritate, quod hæc latiùs pateat, quod enim fortuitò, idem quoque temerè fit, quod autem temerè, non statim id fortuitu: & quod fortuna in ijs fit tantùm, quæ ex delectu ab homine fiunt, temeritas & casus etiam in ijs, quæ rebus inanimis, aut rationis expertibus, citra naturam & artem accidunt, veluti si lapis sponte auulsus à monte, in sedis aut mensæ figurâ, effectus sit: si equus ab hoste captus, dum sitibundus ad flumen cursu rapitur, in Domini sui redeat potestatem: Ita Elias Cretensis ad orationem 10. Diui Gregorij Nazianzeni, Plutarchus de placitis Philosophorum cap. 24. & alibi; Franciscus Patricius Senensis, tit. 12. lib. 1. de regno: Conimbricenses cum Aristotele lib. 2. Physicor. cap. 6. Hæc autem fortuna, quanquam si ad nos refertur, aut bona nuncupari possit, aut mala: absolutè tamen bona est, quoniam omnia à Deo bene ordinata sunt, atque in finem bonum directa: Mala nihilominus dici etiam potest, quia inconstans est & imago boni, si cum æternis & constantibus bonis comparetur. Aliàs verò, quidquid casu, fortunáve, in hominum vitâ, præter voluntatem nostram acciderit, corrigere quilibet potest, aut, vt Virgilius 5. Æneidos canit,

2. Fortuna vt à casu differat.

Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Quoniam, vt rectè Cornelius Tacitus Annal. lib. 1. *Quæ casus offert, in sapientiam vertenda sunt*. Quapropter, si quemadmodum Plautus inquit, *Perinde vt quisque fortunâ vtitur, ita præcellit*. Fortunam reuerenter habe, non illa obesse potest, si firmiùs in virtute præsidium, quàm in casu collocaris, si procul à cupiditatibus nihil alieni appetens, ætatem tuam in virtutis contentione posueris: si masculum pectus in vtramque fortunæ rem, obtuleris, quod monet his versiculis Ausonius:

Si fortuna iuuat, caueto tolli,
Si fortuna tonat, caueto mergi:

Si denique quidquid intra fortunæ aream geritur, æquo animo toleraueris, memor illius, fortunam esse virorum, non viros esse fortunæ; id quod ab Ethnicis, ad animi serenitatem tranquillitatemque seruandam, vsurpatum legimus: Ita enim ille, de quo Plutarchus, de tranquillitate animi, qui à cane quum aberrasset, & lapide icerat nouercam, inquit, *Ne sic quidem malè*. Pulsus fuerit in exilium Diogenes, *Ne sic quidem malè*, quippe philosophari in exilio est auspicatus: quò referri potest, quod alter dixit, *Perieramus, nisi Periissemus*, etenim vexatio dat intellectum auditui, sicut Isaias testatur cap. 28. Quapropter, *Omne quod tibi applicatum fuerit*, vti monet Ecclesiasticus cap. 2. *accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tuâ patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò acceptabiles, in camino humiliationis*. Itaque si iacturam pateris bonorum, si verbere fortunæ, si repentinâ atque inopinatâ calamitate percuteris, *ne sic quidem malè*: si armenta, gregesque tuos hostis abegit, si agros depopulatus, si incendio vastauit omnia, *ne sic quidem malè*: si inualetudo te corripuerit, si ægritudinis vis, aurium tuarum meatus obstruxerit, si obsurdueris; si catissima oculorum lumina catharri defluuium ademerit, si brachij, pedúmve operas, chiragra, podagráve abstulerit, *ne sic quidem malè*: si te maledicorum dentes prosciderint, si linguaces purpuræ, venenato linguæ spiculo, animum tuum traiecerint, si calumniarum, si conuiciorum, si iniuriarum plaustra in caput tuum exonerentur, *ne sic quidem malè*: si sata, si fruteta, si vineas, grando, pluuia, gelu, aut vredo vitiauerit, *ne sic quidem malè*. Zenoni Citiensi, inquit Plutarchus, nauis erat vna reliqua oneraria, quam vt accepit cum mercibus periisse fluctibus haustam, *Bene sanè agis fortuna*, inquit, *quæ ad pallium illud obsoletum me redegisti*. Audiat Christianus & dicat, quum multis & varijs vitæ conflictatur casibus: bene sanè agis, mi Deus, qui me amissione temporalium ad spem tui erexisti. Caduca sunt quæ oculis oberrant nostris, lubricâ versantur fortunæ rotâ, fluunt refluuntque motu continuo: & cùm prospero fortunæ flatu bene vtimur, ad optatos exitus prouehimur, & cùm resflauit, affligimur: tu solus permanes, & regnum tuum permanet in æternum. Fortunæ pernix gressus, feroces spiritus, & spes timida; quæ sunt omnia quæ tu operaris Deus, & quanquam interdum sensui vel appetitui nostro contraria, bona sunt tamen, & in bonum nostrum, tu qui bonus es, qui bonitas ipsa es, operaris, vt nimirum, velut sata hyberno premuntur gelu, quò pòst blando veris afflatu germinent vberiùs; velut ignis flatu & nimbis augetur; ita nostrum ad te desiderium accendatur aduersis, & in virtutum segetem vehementiùs pullulet, atque fœcundiùs.

Isa. 28.
Eccles. 2.
Zeno.

Tandem verò, vt pedem referam, si fortuiti rerum euentus ad primam caussam dirigentem referantur, vti referendos docuit Aristoteles; iam non cœca, leuis, inconstans, ac fluibunda luxu est fortuna, verùm oculatissima, prudentissima, sapientissima, certa & constans, quoniam respectu Dei nihil temerè, nihil fortuitò euenire potest, quemadmodum asserit D. August. lib. 3. de Trinit. cap. 4. totidem verbis: *Nihil fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiori inuisibili atque intelligibili aulâ summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in istâ totius creaturæ amplissimâ quadam immensáque Republicâ*; Et lib. 83. quæstionum, quæst. 34. in hanc quoque sententiam, *Quidquid à casu fit, temerè fit, sine prouidentiâ fit: sed nihil extra diuinæ prouidentiæ regulam accidit, ergo respectu illius, nihil temerè, aut vice fortuitâ potest accidere*. Itaque fortuita nobis, & quæ temeraria videntur, certa sunt Deo, vt quæ, ab eius prouidentiâ manant: ne Deum ex accidenti, alicuius caussam esse dicamus, cui præstantior quædam dominetur, atque inscienter in effectum incurrere, id quod summæ omnium rerum caussæ, aduersarium est. Hactenus de Fortunâ, vt cùm eam nihil esse cognouerimus, ea quæ mirabilitatione constant, maiori, instructa esse consilio, intelligamus.

Fortuna vt sit oculatissima.

CAPVT XLI.

De Prouidentiâ.

Prouidentiam esse, eaq; regi omnia.

CRudum illud Manilij lib. 4. Astronomicon, & contumeliarum plenum, & vera perturbatio atque confusio, non in rerum motu, inquit, D. Chrysost. to. 5. orat. 1. de prouidentiâ, sed in animo ita affecto:

1. Fata asserit regunt.

Fata regunt orbem, certâ stant omnia lege,
Longaque per certos signantur tempora cursus:

Si cum Hipparcho, fatum arbitremur, virtutem constellationum immutabilem, siue, vt alij volunt, seriem caussarum ineuitabilem, ex cælestium orbium motu manantem, secundum quos Pythias, *Sortem in fato destinatam, ipsi quoque Deo esse immutabilē*, impunè asseruit; cecinitque Virgilius, 2. Georgicon, Eclog. 4. *Inexorabile fatum*

Talia secla suis dixerunt currere fusis
Concordes, stabili fatorum numine, Parcæ.

Neque enim aliâ id dictum mente videri potest, quàm vt nulla omnino esse diuinitas putetur, cuius effectricis potentiæ manu, conflata sint vniuersa, vt neque proinde illius procuratione administrentur, quasi natura rerum temerè in hanc faciem defluxerit, atque minutis quibusdam ramentis, & non secabilibus seminibus conglobata, constiterit, impellaturque suopte genio: qui enim dicit, fato, casu, fortuitoque omnia fieri, is diuinitatem è medio tollit, vt inquit D. Ephræm Syrus in Confessione, & suâ ipsius reprehensione. Nam si Deus est, prouidens vtique est vt Deus, atque veluti parens optimus, ea omnia quorum ipse auctor est, nutu & regimine prouidentiæ suæ moderatur. *Præest mundo Dei prouidentia*, inquit Philo Iudæus, l. de mūdi opificio, *siquidem auctor, curam gerit operis sui, communi necessariaque lege naturæ, quemadmodum & parentes suam curant progeniem*. Vnde Saluianus lib. 4. de vero iudicio & Prouidentiâ: *Ipse est enim fons & origo cunctorum: & quia in ipso, vt scriptum est, viuimus, mouemur & sumus, ab ipso vtique affectum omnem, quo pignora nostra amamus, accepimus. Totus namque mundus, & totum humanum genus, pignus est creatoris sui. Et ideo ex hoc quoque affectu, quo amare fecit pignora nostra, intelligere nos voluit, quantum ipse amaret pignora sua*. Diuinitatem eliminauit prorsus, qui secus cogitarit, vide suprà cap. 13. §. 3. Cuiusmodi fuit Euemeri, Democriti, Epicuri, aliorumque pseudophilosophantium impietas, qui

2.

Prouidentiā qui negat, Deum negat.

qui Deum quidem esse non diffitentur, quoniam in vniuersâ rerum serie, aliquid vnum esse oporteat, præstans, eximium, & beatum, vt inquit Lactantius lib. de irâ Dei cap. 9. Veruntamen illius reuerentiam atque timorem, cordium suorum finibus proscripsere. Aut enim sicut voluptatem cum virtute, sic Deum cum incuriâ ac torpore iunxerunt, vt fuerit omnis prorsus expers actionis, nihil condiderit vnquam, nullis prouideat & consulat rebus, tanquam Tarpeij quoddam immobile saxum, ne scilicet actione fatigetur, ne distrahatur negotijs, ne gubernationis molestia afficiatur, haud secus ac per hyemem, implicitus conchæ limax; quidquid rerum vspiam est, non aliter quam ex partium vario concursu & mixturâ conglobatum, in materialem, non in agentem caussam referentes. Aut huic cognato deliramento, totius quidem orbis machinæ opificem Deum voluerunt, vt scribit D. Augustinus lib. 5. de Genesi ad literam cap. 20. Cæterum nunc, nec agere quidquam, nec consulere, incuriam nostri, vniuersa ipsi permisisse mundo, vt quemadmodum ille constituit & iussit, ab ipso fiant. Cuius insaniæ Aristotelem fuisse scribit Elias Cretensis, in Orationem primam D. Gregorij Nazianzeni, & in 3. in Iulianum, vt qui prouidentiam diuinam à sublunaribus arceat, quasi illa cælorum circumscripta terminis, in hæc inferiora non diffundatur, curet tantùm incorruptibilia, veluti corpora cælestia, corruptibilium autem nullam curam gerat, iuxta illud Iob. 22. *Quid enim nouit Deus? Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat*, & illud psal. 113. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum*, quasi cælum curandum susceperit Deus, terram autem, & ea quæ terræ sunt homini curanda tradiderit. Quod si quandoque in inferiora eius prouidentia diffundatur, curet ea tantùm quæ maxima sunt partis huius, non egrediatur ad minima, instar summorum Regum, qui ad quæuis non sese dimittunt, vnde profectum illud à Cæsare ad milites tumultuantes; apud Lucanum:

Aristoteles.

Iob. 22.

Psal. 113.

> *nunquam se cura Deorum*
> *Sic premit, vt vestra vita, vestræque saluti*
> *Fata vacent: Procerum motus hæc cuncta sequuntur:*
> *Humanum paucis viuit genus.*

Quod quid aliud etiam est, quàm fortuitis casibus, motibusque cuncta committi? sideribus ac fatalibus quibusdam figuris, cum Ptolomæo Alexandrino, nonnullisque Astrologis, mundi gubernacula tradi? nihil autem diuinæ summitatis sapientiâ fieri, nihil gubernari? *Ad quos vtique tales rectissimè Propheticum illud referri potest*, inquit Saluian. lib. 5. de Prouiden. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Nam qui nihil à Deo affici affirmant, propè est vt cui affectum adimunt, & substantiam tollant, vt quem dicant omnino nil esse. Equidem licet nullum admodum malum faciunt ratione subsistat, quia rationi non possunt scelera coniungi: nullum tamen est vt puto, vel irrationabilius, vel insanius. Quid enim tam furiosum, quàm vt aliquis cùm Deum creatorem rerum omnium non neget, & gubernatorem neget: & cùm factorem esse fateatur, dicat negligere quæ fecerit: quasi nulla hæc ei faciendorum omnium cura fuerit, vt quæque fecisset, negligere creatorem?*

Psal. 52.

> *Pereant prorsum qui negant, tanquam optimi*
> *Ne seruet ipsos cura metuentes Dei.*

Inquit D. Gregor. Nazian. in Iambicis, quia etsi Deum totius opificij fateantur auctorem, eius tamen operis sui abiecisse prouidentiam impiè, atque impudenter effutiunt, sine quâ tamen nec ipsum fieri potuit, siquidem, finis alicuius gratiâ, qui ab artificis prouidentiâ regulabatur, fiebat: vt propterea Epicurus ipse, prout apud Patricium Senen. lego lib. 6 de regno. titul. 11. prouidentiam, quam πρόνοιαν appellat, pro numine colendam censuerit, vtpote quæ summo Deo, quum orbem fabricaretur ordinareique, ministerium suum exhibuerit, fueritque humanarum rerum auriga & domina. Scilicet, vt volunt illi, in commune modò non consulit Deus, neque nostra cognoscit: indignum quippe videri, excellentissimam mentem, ab omni materiæ contagio remotissimam, ab omni potentialitate liberam, rudioribus nostris actibus intendere: indignum, pulchrum ipsum execrandam actionum humanarum turpitudinem & malitiam intueri: ita hallucinantur, ita occæcantur, & dicunt psal. 93. non videbit Dominus, scilicet, operum cogitationumque nostrarum vilitatem: *nec intelliget Deus Iacob*, intellectione suâ immateriali, varia & singula, quæ materiæ immersa operantium materiatorum relicta sunt arbitrio.

Epicurus.

Psal. 93.

Quo autem ex fonte hanc insaniendi libidinem hauserint, vt prouidentiam res humanas curare negent, prodit D. Iustinianus Martyr in dialogo cum Tryphone, totidem verbis. Hæc autem eorum sententia, & oratio quo spectet, non est difficile cognoscere. Impunitas enim & licentia, eos qui in hac sententia sunt, consequitur, & faciendi, & dicendi quæ velint omnia, qui nec supplicia metuant, nec beneficium vllum à Deo expectet, &c. Quos grauiter insectatur Saluianus: *Non sufficiunt enim multis consuetudinarij reatus*, inquit. *non sufficiunt lites, non rapinæ, non calumniæ, non sufficiunt vinolentiæ, non sufficiunt comessationes, non sufficiunt falsitates, non sufficiunt periuria, non sufficiunt adulteria, non sufficiunt homicidia, non sufficiunt denique cuncta ista, etsi atrocitate inhumanissima, re tamen ipsâ, ad humanas iniurias pertinentia; nisi blasphemiâ furiosarum mentium, manus iniiciant etiam in Deum. Posuerunt enim sicut de impijs scriptum est, in cælum os suum, & lingua eorum transiuit super terram, & dixerunt: Quomodo scit Deus & si est scientia in excelso?*

3. Prouidentia cur negata.

Psal. 72.

Psal. 93.

Alij proinde è cælis in hæc inferiora Prouidentiam quidem euocarunt, ita tamen vt eam circa genera, & species rerum tantùm, atque necessaria corruptionisque expertia indiuidua, versari putent, non se immittat corruptibilibus: quorum ratio est, quia cùm prouidêtiæ, dispositio præiaceat, quæ est ordo rerum inter se, & ad finem, eaque complectatur quæ sunt ad consecutionem finis, sit autem prouidentia firma, stabilis, atque erroris expers, vtique ea eiusmodi esse quoque oporteat, circa quæ versatur: sunt autem talia, genera, species, & indiuidua necessaria, corruptioni non obnoxia, cùm aliter se habere nequeant: cætera autem generabilium corruptibiliumque indiuidua, alterantur & deficiunt, neque vnum eundemque & perpetuum sortiuntur existendi modum. Ita Commentator Aristotelis 11. Metaphysicor. dicens, non esse fas diuinæ bonitati, singularium habere solicitudinem, nisi secundum quod communicant in naturâ communi, vt quod aranea telam texere nouerit, & similia. Sed hoc impietate non vacat: aufert enim à Deo actionum humanarum & cognitionem, & prouidentiam. Quare Rabbi Moises, generum, specierum, & indiuiduorum, non solùm vt in naturâ speciei communicant, sed etiam particularium actuum eorum, quanquam hominis indiuidua sint corruptibilia, tribuit prouidentiæ, negat tamen aliorum generabilium & corruptibilium vllam esse prouidentiam: sed hoc etiam perfectioni diuinæ repugnat cuius est tam vniuersalia quàm particularia cognos-

cognoscere, eaque pro innatâ bonitate suâ, in conuenientes cuique rei fines ordinare: ergo singularium quoque omnium, atque etiam accidentium erit prouidentia, quod & Tullius lib. de Natura Deorum, asseruit, *Dei prouidentiâ*, inquit, *mundus administratur, idem consulit rebus humanis, nec solum vniuersis, sed etiam singulis.*

Prouidentiâ versari circa singularia.

Et ab effectis quatuor, quæ famulante naturâ in homine operatus est Deus, euinci potest, quorum sanè perfectionem eminentiùs in supremâ causâ, quàm in illis ipsis contineri, nemo Philosophorum diffitetur: cuiusmodi sunt, Auditus, Visus, Synderesis, & Intellectus speculatiuus. Enimuero: *Qui plantauit aurem non audiet?* psal. 93. scientia, & cura operis sui præteritne Deum? D. Ambros. 1. Officior. cap. 14. *Potest opus suum*, inquit, *ignorare artifex: homo est, & in opere suo latentia deprehendit, & Deus opus suum nesciet? altum ergo profundum in opere, quàm in auctore? & fecit aliquid quod supra se esset? cuius meritum ignoraret auctor, cuius affectum nesciret arbiter?* Igitur qui aurium machinamenta extruxit, meatus perforauit, in cochleam duxit, quò ille vocum sonos admitterent, non ignorauit facturæ suæ ordinem, quam formare intelligens non potuit, nisi operationis suæ rationes expensas haberet. Vidit ergo ante aurium institutionem, ante earum plantationem, quale esset futurum earum officium, non extra se, sed in auditione suâ, ad cuius ideam, auditio humana vt esset, aures terebratum sapientiæ & prouidentiæ excauauit vertigine. *Ego autem*, inquit Saluianus suprà, *in tantum commune curam creaturarum suarum habere dico, vt probem etiam priusquam crearet habuisse. Res quippe ipsa hoc euidentèr ostendit. Nihil enim faceret, nisi curam faciendi habuisset antequam faceret: præsertim cùm etiam in ipso humano genere, nullus sit fermè hominum tam hebes, qui ad hoc aliquid agat atque perficiat, vt quæ perfecta sint, non curet. Nam & qui agrum excolit, ad hoc colit, vt culta conseruet: & qui vineam plantat, ad hoc plantat, vt plantatam custodiat. Et qui initia gregum præparat, ad hoc parat, vt multiplicandi greges non imperdat. Et qui domum ædificat, vel fundamentum locat, & si necdum habitationē paratam habeat, iam tamen ipsa quæ adhuc facere molitur, esse futuræ habitationis amplectitur. Et quid de homine hic loquar, cùm etiam minima animalium genera, futurarum rerum affectum omnia diligant. Formicæ in subterraneis latibulis varia frugum genera condentes, ad hoc cuncta contrahunt ac reponunt, quia effectum vitæ suæ diligunt.* Eadē de causâ araneus eruditâ operatione conspicuus, vt totidem verbis scribit Plinius natur. hist. lib. 11. cap. 24. Orditur telas, tantique operis materiæ vterus ipsius sufficit: siue ita corruptâ alui naturâ stato tempore, (vt Democrito placet) siue est quædam intus lanigera fertilitas: tam moderato vngue, tam tereti filo, & tam æquali deducit stamina, ipso se pendere vtus. Texere à medio incipit, circinato orbe subtegmina adnectens: maculasque paribus semper interuallis, sed subinde crescentibus, ex angusto dilatas indissolubili nodo implicat. Quantâ arte celat pedicas scutulato rete grassantes? quàm non ad hoc videtur pertinere cribratæ pexitas telæ, & quadam politura arte ipsa per se tenax ratio tramæ? quàm laxus ad flatus, non ad respuenda quæ veniant sinus derelicta lasso prætenti summâ parte, vt arbitrari licet quæ difficile cernuntur: atque vt in plagis lineæ offensæ præcipitent in sinum? Specus ipse quâ concameratur architectura: & contra frigora, quantò villosior? quàm remotus à medio, aliudque agenti similis? inclusus vero sic, vt sit, necne intus aliquis, cerni non possit? Age firmitas quanta irrumpentibus ventis? quâ puluerum mole degrauante? latitudo telæ, sæpe inter duas arbores, cùm exercet artem, & discit texere: longitudo fili à culmine, ac rursus à terrâ per illud ipsum velox reciprocatio: subitque pariter, ac fila deducit. Cùm verò captura incidit, quàm vigilans & paratus ad cursum? licet extremâ hæreat plaga, semper in medium currit: quia sic maxime totum concutiendo implicat. Scissa protinus reficit, ad polituram farciens. Hæc ille. Quod si talem affectum operis sui animalculis istis inseruit Deus, illóne seipsum solum priuabit, vt singula non intelligat? nesciat quæ sunt hominis? *Renum illius testis est Deus*, inquit Sapiens cap. 1. *& cordis illius Scrutator est verus, & linguæ illius auditor, quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Quemadmodum enim vox & sonus in aëre fit, eodemque vectante ad audientium aures defertur: ita omnino, si Spiritus Dei penetrat, atque complectitur omnia; quotquot intra illius complexum voces formantur, ad illius auditum, scientiamque deferri manifestum est: voces, inquam, non oris tantùm, sed cordis præcipuè, *Deus enim, non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector*, inquit Tertullianus lib. de oratione. Si namque oraculi Pythij dæmonium, *Et mutum*, inquit, *intelligo, & non loquentem exaudio*: Dei auditus sonum expectabit? *Quomodo ergo*, inquit Tertullianus, *oratio Ionæ de ventre ceti, per tantæ bestiæ viscera ab ipsis abyssis, per tantam æquoris molem ad cælum potuit euadere?*

Psal. 93.

Sap. 1.

Eodem modo liceat & in alijs argumentari. *Qui finxit oculum non considerat? qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam?* Nam qui oculos tornauit, constantes circulis, quos tunicas vocant, numero septem, cum triplici humore, qui eos fibris alligauit, & tanquam in imis speculas, reliquis sensuum officinis eminere voluit. Qui ex cœno oculum finxit, inquit Theodoretus, *quique videndi vim ipse largitus est, non videt?* Irritatur acerrimè Deus istâ Blasphemiâ, vnde apud Sophoniam cap. 1. inquit, *Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis*, nimirum, in colluuione peccatorum suorum stertentibus, quæ vt admittant securiùs, Dei oculum tollunt, omnis bonæ disciplinæ pædagogum. *Peruersa est hæc cogitatio*, inquit Isaias cap. 19. *quasi si lutum contra figulum cogitet, qui videt nos?*

4. Psal. 93.

Sophon. 1.

Isa. 29.

Præterea, qui dictamen rationis, siue synderesin præcordijs nostris alligauit, & eam rigidum actionum nostrarum correctorem esse voluit; hoc est, *qui corripit gentes*: alij sic. *Qui castigat gentes, qui erudit*; Quod quamuis Rabbi Kimhi, ad vltiones Dei insigniores referendum putet, quales fuere diluuionis subuersio, Sodomorum deflagratio, Ægyptiorum submersio atque consimiles plagæ ad vnius gentis vel vrbis excidiū, de quo Dominus in Ieremia cap. 5. *Nunquid super his non visitabo, & in gente huiuscemodi non vlciscetur anima mea? non arguet?* non plectet improbos? nihilominus ad synderesim quoque referri potest, & refert Caietanus, quæ de malo arguit, ad bonum instigat, tanquam insitus à naturâ, hoc est à Deo auctore naturæ, habitus.

Ierem. 5.

Ad extremum: *Qui docet hominem scientiam*, quippe *scientiarum Dominus* (sicut aduertit in hunc locum Lorinus) nihil ignorans, nec auro nec argēto beatus, tonitruisque & fulminibus potens, sed ἐπιστήμῃ καὶ φρονήσει, *Scientiâ & intelligentiâ*, vt inquit Plutarchus in Iside: Quomodo omnia sciens, non etiam sciet mala hominis vt arguat? psal. 49. *Arguam te*, inquit, *& statuam contra faciem tuam.* Qui itaque vtrumque fecit, & aurem audientem, & oculum videntem Prouerb. 20. qui sensus dicuntur à Philosopho 1. Metaphysicor. cap. 1. ad scientias adquirendas potissimi; nonne

Psal. 49.

Prou. 20.

mentem

mentem & interiora hominis, nouit actus singulos, nouit cogitatus, nouit eorum bonitatem & malitiam, decorem & turpitudinem, dignitatem & indignitatem, neque vllâ turpitudine polluitur, neque vllâ indignitate violatur: ita Vates Sanctus. *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanae sunt.* Non est igitur cur ista nostra submoueantur ab oculis prouidentiæ Dei, à quibus, qui longiùs abscesserint, in maiorem & maiorem erroris turpitudinem irreuocabili casu prolabentur.

Psal. 83.

Prouidentiam non agnouerunt quidam.

Quemadmodum enim profluentes ab oculis nostris visui subseruientes radij, quò in distans extenduntur longiùs, eò in angustum amplius terminantur donec euanescat acies: vnde sol, intuenti paruus videtur, quamuis octuagies terram superet magnitudine: quia illi qui procul à Deo, cœni huius volutabris immersi, concupiscentias suas & libidines, illius præhabuerunt amori, ea quæ sunt Apostolo detrimenta, existimantes lucra, aciem mentis, in Dei prouidentiam figere non valuerunt, aut tanquam circumscriptam intellexerunt: proindeque veluti tantò ampliùs vmbra nostra diffunditur, quantò sol occiduus à nobis recedit: eodem modo, sole iustitiæ illis occidente, eò maiorem vanitatis vmbram consectati sunt & consecuti, quò longiùs à Deo sese separarunt, vnde dicturi sunt illud Sap. 5. *transierunt omnia tanquam vmbra:* quibus proinde, *Væ*, dicit Ierem. cap. 6: *væ vobis, quia declinauit dies.* Eapropter, non mirum videri debet, si absente ab eorum cordibus Sole diuinô, mentis offucentur caligine, errentque in tenebris cœci, excordes, vagi, neque vllam diuinæ procurationis sementem, hyperboreo adstricti & rigentes gelu concipiant, positi procul extra viuificum calorem, quo soli illi feruent, & in vberes germinant fructus, qui orientalibus diuinæ maiestatis radijs propinquiores, eius prouidentiam venerantur: quapropter, vt est apud Valerian. lib. 5. Collectaneorum.

Sap. 5.
Ierem. 6.

Ne forte in tenebris offendas, sit tibi summi
Flamma iter ostendens, prouida cura Dei.

Capitis 41. §. 1.

Qui Philosophorum de Prouidentiâ bene senserint?

I. Deum esse prouidentiâ dixerunt sapientes.

NOn defuere Philosophi, etiam religionis expertes, qui necessitate quadam compulsi, & sentiri à Deo omnia, & moueri, & regi, dixerunt: & tanquam præfati deliri expugnatores acerrimi, nec fieri mundum sine diuina ratione potuisse, nec consistere, nisi summâ regeretur, constanter asseuerarunt: nempe totum hoc, quod sapientissimo consilio ab auctore naturæ conditum est, per omnes illius artus infusâ mente ali, quam teste Budæo Annotat. in Pandectas *προνοιαν*, id est, *Prouidentiam* appellarũt, Deumque ipsum esse crediderunt, vt adfirmat Tullius lib. 2. de natur. Deor. & intellexit Quintilianus, quum inquit, *Oratione nihil præstantius homini dedit Prouidentia*, id est, Deus: & alibi in eandem sententiam de Tullio testatur, dono quodam Prouidentiæ genitum, in quo omnes suas vires eloquentia experiretur. Siquidem ab eâ mente, quæ Prouidentia appellatur, animos defluxisse humanos, & quasi distillasse tradunt: nos verò, ab eadem mente creari pariter, & infundi corporibus magno Numinis consilio, vti illorum originem immortalitatemque speculantes, mutuis nos complectamur officijs, in quod verbum pedem immisit Iuuenal. saty. 14.

Sensum ex cælesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona, & terram spectantia: mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas: nobis animum quoque, mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præstare iuberet.

Pythagoras.

Pythagoras Philosophus, quem quasi magistrũ suum philosophia suspexit, inquit Saluianus lib. 1. de Prouident. de naturâ ac beneficijs Dei disserens, sic locutus est: Animus per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiunt. Non negligit itaque Deus mundum, quem hoc ipso scilicet, satis diligit, quod ipsum se per totum mundi corpus intendit. Plato, moderatorem rerum omnium confitetur Deum; & in Epimenide, diuinam prouidentiam, & maxima quæque & minima curare: cui subscripsere omnes Platonicorum scholæ. *De Prouidentiâ certè Plotinus Platonicus disputat*, inquit D. August. lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 14. eamque à summo Deo, cuius est intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, vsque ad hæc terrena & ima pertingere, flosculorum atque foliorum pulchritudine comprobat, quæ omnia quasi abiecta, & velocissimè pereuntia, decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, vbi forma intelligibilis & incommutabilis simul habens omnia, perseuerat. Hoc Dominus Iesus ibi ostendit, vbi ait, *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent.* Matth. 6. Quæ autem purpura regum, quæ pictura textricum potest floribus in pulcritudine comparari? inquit Beda. Epictetus tom. 3. lib. 1. cap. 14. singula facta à Deo, conspici profitetur, quòd omnia inter se cohæreant, terrenaque corpora à cælestibus afficiantur: ni enim ita esset, inquit; quo pacto tanto ordine, tanquam ex diuino mandato, cùm ille plantas florere iubet, florerent? cùm germinare, germinarent? cùm proferre fructum, proferrent? cùm maturescere, maturescerent? cùm rursus decidere flores & defluere folia, & ipsas in sese quasi conuolutas, quiescere ac refocillari, quiescerent ac refocillarentur? vnde porrò ad incrementa Lunæ & Solis accessum & recessum, tanta diuersitas & in contrarium mutatio terrenarum rerum cerneretur? Cùm ergo folia & corpora nostra sic vniuersitati deuincta, tantaque societate copulata sint: quantò magis animi nostri? An cùm animi nostri ita sint deuincti Deo, vt particulæ sint eius, & ab eo quasi auulsæ, non omnem eorum motum, vt proprium & cohærentem, animaduertit? Cùm tu de gubernatione diuinâ, & rebus tam diuinis quàm humanis, simul omnibus cogitationem suscipere, eademque operâ ab infinitis rebus simul & sensu & cogitatione moueri; quibusdam assentiri, quædam abdicere, de nonnullis ampliùs deliberandum censere possis: tu tot formas tam multarum & variarum rerum tuo in animo custodias, quibus impellentibus, in eas cogitationes incidis, quæ primis imaginibus consentiant: tu artes alias atque alias, & infinitarum rerum memoriam cõserues. Deus verò omnia intueri, omnibus rebus adesse, & ab omnibus aliquam sumere partem non potest? Sol tantam vniuersi partem illustrare potest, exiguam illam relinquens luminis expertem, quam vmbra terræ occupat: qui autem Solem ipsum & fecit, & circumducit, paruam suorum operum partem, si cum vniuerso conferatur: is verò non potest animaduertere omnia? hæc ille. Proclus quoque Prouidentiam primùm per omnia desuper ad vltimum vsque procedere, ac ne minimum quidem sui expers alicubi prætermittere, non in communi modò, at vnicuique

Matt. 6.

cuique rei priuatum consulendo, asserit, quia vt Thalassius ait Hecatontade prima in bibliotheca Patrum, *Salus omnis creatura est, optima creatoris circa ipsam prouidentia*: quam quidem formica, minutissimum animal (vt pluribus superius deam) prodit mirificè: siquidem hyemis memor, æstate experitur laborem, sedulaque victui inuigilans, cellas promptuarias apparat, collectaque frumenta condit horreis, quæ prius medio secat, vt eroso vitæ semine, non ampliùs exeant in fruges, & alimenti deperdant substantiam: quin etiam, si ea imbre maduisse senserit, profert, & exsiccat apricatione, idque cælo sereno; vt nunquã imbres è nubibus defluxisse conspexeris, quum à formicis expositũ est frumentum. Quod cùm supra intelligentiæ humanæ captum sit, diuinæ tribuendũ prouidẽtiæ, cuius formica hieroglyphicum esse scribitur à Pierio Valeriano l. 8. cap. 2.

Formicæ in condendis frumentis industria.

2. Aristoteles particularẽ esse prouidentiam asserit.

Aristoteles verò, non solùm ipsam sui ipsius cognitionem Deo attribuit, quã, vnicã se, ac simplicissimâ, perpetuâ & immutabili intellectione, quæ est substantia eius, intelligit, verum etiam omnium extra se rerum, non in vniuersum modò, sed etiam in particulari claram & distinctam habere docet. Ideò 2. Physicorum, naturam ab auctore suo directã agere propter finem demonstrauit: intellexit ergo auctorem naturæ cognoscere actiones, & fines agentium naturalium, quæ circa singularia versantur. ideò 1. de Cælo tex. 13. dixit, Deum & naturã nihil agere frustra: 12. Metaphysicor. c. 2. esse auctorem, caussamque omnium: l. de Cælo & mundo; ea continere ac mouere voluntate suâ. Rursus 10. Ethicor. cap. 8. esse ei carissimum, qui actiuæ felicitati, contemplatiuam adiunxerit. 2. Magnor. moral. cap. 8. bona malaque meritis distribuere: lib. 1. œconomicor. c. 3. *Sit diuinâ prouidentiâ ordinatam esse vtriusque naturam* (viri scilicet, & mulieris) *ad societatem*. Igitur, quia non ignoranter, sed per intellectum & voluntatem operatur Deus, particularem istorũ omnium scientiam, ipsum habere, sententia est Aristotelis. Neque obstat, quod ex Eliâ Cretensi adduximus c. superio. num. 2. quodque Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromatum: Theodoretus l. 6. de curandis affectionibus Græcorũ: D. Ambros. lib. 1 officiorum cap. 13. Ariminensis noster in 1. dist. 35. quæstione vnicã. Nemesius lib. 8. Philosophiæ c. 4. & Iandunus 12. Metaphysicor. quæst. 21. aliter ipsum opinatum fuisse velint, quasi diuinus intellectus vilesceret pollueretúrque quibusdam intendendo, quæ ignorare nobilius sit quàm nosse: nam & ipse Aristot. 1. de Anima. tex. 80. ad hoc deducit Empedoclẽ negantem Deum, discordiã & contentionem intelligere, vt ipsum minùs sapientem esse cæteris fateatur, qui ista intelligunt: *Accidit Empedocli*, inquit, *insipientissimum esse Deum, solus enim elementorum vnum non cognoscet, ipsam discordiam*. Quare non aliter diuino intellectu iudicauit indignum, minima quæque curare tot tantisque prouidentiæ suæ rationibus, quot res ipsas humanas, quas præcipuè intendit. In quem sensum visus est dixisse D. Hieronymus: Abac. 1. *Absurdum est ad hoc deducere Dei maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, &c.* Non quòd istud etiam sub diuinam prouidentiam non cadat, sed quòd peculiaris prouidentia circa huiusmodi non versetur: quo sensu dixit Apostolus: *Nunquid de bobus cura est Deo?*

1. Cor. 9.

Prouidentia triplex.

Plutarchus quoque Platonem secutus lib. de Fato: quanquam triplicẽ distinguat Prouidentiam, quarum prima sit, summa illa & princeps principis Dei, siue consilium siue voluntas in omnia beneficia, quã primò omnia diuina per omne æuũ, optimè & elegantissimè sunt descripta: Altera Deorum secundorum cælum permeantium, quã, mortalia rectè atque ordine dispensantur, nec non ea quæ tum ad generis cuiusque dignitatẽ, tum conseruationem pertineat. Tertia sit prouidentia & prospicientia geniorum, qui terræ assignati, actionum humanarum custodes sunt & arbitri. Quam partitionem secutus etiam Marsilius Ficinus Platonicus, Priorem in Deo, vniuersalem appellat, quòd in omnibus, & omnia prouideat, largiaturque; Alteram quodam modo vniuersalem, conditione quadam particulari, quã Dij sequentes munera quædam omnibus conferunt, aut omnia quibusdam. Tertiam quæ in dæmonibus particularem, & conditione particulari. Harum tamen primam. potissimam vsurpari tradit Plutarchus, quæ & antiquissima & summa, siue voluntas, siue consilium, siue vtrumque omnium parentis & Conditoris, à quã rerum sortes & fata regantur, dispensenturque.

Re igitur ipsã sicut vnum est principium rerũ omnium, ita & vnicam summi Principis prouidentiam adstruit, cuius administræ sint cæteræ, ab ipsã summã, volitæ & directæ, quæ, vti D. August. lib. 5. de Genes. ad liter. cap. 20. inquit, *occultâ potentiâ suâ mouet vniuersam creaturam suam, eoque motu illa versata, cum Angeli iussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus, & diuersis, & per aërem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant, suaque semina euoluunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui iustos exercere permittuntur, explicat secula, quæ illi, cùm primùm condita sunt, tanquam implicita indiderat, quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea, ille qui condidit, prouido motu administrare cessaret*. Non enim partibilis est diuinæ summitatis Prouidentia, sed vna eademque est, quæ cælo, quæ terræ, quævè inferis consulit, atque vilissimas abiectissimasque mundi particulas suis legibus cõtinet: non cælestia modò φροντίζει ὁ Θεὸς οὐ μόνον τῶν ζώντων ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν τεθνεώτων, *non solùm sed prouidentiâ Deus nos qui adhuc vitâ fruimur, sed etiam mortuos curat*, inquit Theophilus lib. 2. ad Autolycum, in fine: id quod Iouis trioculi simulacro, de quo Pausanias, & ad quod Priamus Troiâ captâ, incensaque confugisse proditur, hieroglyphicè indicatum tradit Pierius Valerianus lib. 33. hieroglyphicor. cap. 15.

3. Prouidẽtia, infima & minima quæque curat.

Neque cælorum cancellis arctari debuit conditoris rerum & cognitoris procuratio, nec excludi à minimis, quando & lilia agri, à se vestiri decore suo, ipsa veritas dixit, & rursus iustorum capillos numeratos, neque passerẽ vnum absque patris summi voluntate casurum, quum & ipsa creaturarum vitia, eius ordinationi deseruiant, D. August. Commentatore, quum inquit lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 4. *Cæterum vitia pecorum, arborum, aliarumque rerum mutabiliũ, atque mortalium, vel intellectu, vel sensu, vel vitâ omnino carentium, quibus eorum dissolubilis natura corrumpitur, damnabilia putare, ridiculum est: cùm istæ creaturæ eum modũ nutu creatoris acceperint, vt cedendo atque recedendo peragant infimam pulchritudinem temporum in genere suo istius mundi partibus congruentem*. Ita est, omnia & singula quæque, etiam minima diuinis militant legibus: *Nec pars parti in lapide adhæret, nec in aliqua creaturarum, nisi quia per Verbum conseruantur, per quod facta sunt omnia*, inquit Diuus Augustinus Soliloquior. cap. 6. Cæli, terra, mare, inferi, quævè in eis continentur, spiritualia corporalia, animalia, dæmon, Creatoris solicitudine administrantur; sed homo præcipuè & ex hominibus illi, maximè qui totâ voluntate Creatori famulantur; per quos & cetera gubernat, sicuti per optimos Angelos multa, vnde verissimè ab Apostolo 1. Cor. 9. dict

Iob. 39. 9. dici potuit: *Nunquid de bobus cura est Deo? Nec dubium,* inquit D. Bernard. serm. 78. in Cant. *quin idē possimus dicere de equis, de camelis, de elephantis, & de cunctis bestijs terræ, similiter & de piscibus maris, & volatilibus cæli: postremò de omni re quæ est super terram, sola sane excepta quæ nos dicitur, Omnem sollicitudinem vestrā proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Curam enim peculiarem hominis sibi vēdicat Deus, qui vniuersæ creaturæ prouidentiā non denegat: *In Scripturis enim sanctis,* inquit D. August. lib. de Agone Christiano, c. 8. *Deus docet homines quomodo cum hominibus agant, & ipsi Deo seruiant, quomodo autem agat cum peccatoribus suis, ipsi sciunt: id est, quomodo salutem pecorum suorum gubernent, vsu, & peritiā, & ratione naturali, quæ quidem omnia, de magni Creatoris sui operibus acceperunt.* Id quod in populo Israëlitico videre est, in cuius regimine præclara singularis prouidentiæ Diuinæ documenta emicuerunt. Quia enim hunc sibi mirabilibus suis manifestandis delegerat Omnipotens, peculiari curā est dignatus: non quòd reliquas nationes, ad alienorum Deorum, siue geniorum, reiecisset sollicitudinem, aut sortitò Israëlitarum dispositionem accepisset, nō autem gentium: sed quòd ad Diuinas illustrationes percipiēdas, illi præ cæteris terræ nationibus proximiùs accessisset. Vt propterea Angelis quoque sint traditi, quorum præfecturā ad vnius veri & vnici principij notitiam & cultum ducerentur. Audiamus in hoc negotio Theologorū principem D. Dionysium Areopagitā, Cælestis Hierarchiæ cap. 9. totidem verbis: *Vnum enim est omniū principium, vna prouidentia: nec putandum est vllo modo, Iudæos quidem quasi sortitò Deum præesse, Angelos autem propriè aut ex æquo, aut contrarijs voluntatibus, vel Deos aliquos imperare alijs nationibus. Quin etiam oraculum illud hac intelligentiā accipiendum est, non quasi Deus imperium nostrum cum alijs Dijs aut Angelis diuiserit, sortitòque ipse Israëlitico populo Dux aut Præfectus creatus sit; sed quod vna quidem de omnibus Altissimi prouidentia, omnes homines salutis caussā Angelis suis ad se deducendos, distribuerit: solus autem ferè præ omnibus Israëliticus populus conuersus sit, ad veri Domini illustrationem accipiendā & notitiam. Itaque Theologia cùm Israëliticum populum* Psal. 134. *seipsum veri Dei cultui attribuisse & dedisse narrat, hoc ait, Factus est pars Domini: cùm autem exponit eundē eodem modo quo cæteras gentes, alicui Sanctorum Angelorum traditum & commissum esse, vt eius operā vnum omnium principium agnosceret, Michaëlem Iudæis præpositum esse dixit: nos apertè, planeque docens, vnam esse ad omnia pertinentem prouidentiam, quæ omnibus virtutibus, & quæ obtutum oculorum effugiunt, & quæ sensu oculorū percipiuntur, infinitè partibus præstet. Omnes autem Angelos qui singulis præsunt, ad illud ipsum principium vt proprium, eos qui vltrò ac sponte sequantur, deducere.* Hactenus, magnus ille Sacrorum Antistes Dionysius.

Ad prouidentiæ, omnium & singulorum procurationem habentis stabilimen, accedit & illud fabulosè mystico autoritatis exemplo, quo se nō minùs Philosophum Maro probare voluit, quàm Poëtam, dixit, Deum,

namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.

Tullius quoque, de Natur. Deorum, *Nec verò Deus ipse,* inquit, *qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, quàm mens soluta quædam, & libera, & segregata ab omni concretione mortali omnia sentiens & mouens.*

4. Fatum quid sit.

Cæterùm quod Platonici, caussarum complexionem fatum appellarint: non inexorabilem aliorum necessitatem, sed ipsam Dei prouidentiā, & caussarum primam intellexerunt, à quā pendent, & quæ fato, & quæ fortunā fieri dicuntur: quando nihil aliud est fatum, vti Minutius Felix inquit in Octauio, quàm quod de vnoquoque nostrum Deus fatus est, qui cùm possit præscire materiam, pro meritis & qualitatibus singulorū etiam fata determinat. Quapropter, quum Plato scribit Fortunam & Artem, simul cum Deo omnia gubernare, sic interpretatum est, inquit Cæl. Rodigin. l. 10. antiquit. lect. c. 20. *Deus in omnibus per omnia mouet omnia, mouet mundi sphæras, quarū concursus, fatum alicubi, & quarto legum Fortuna nominatur. Mouet item animas lumen inspirando mentibus, vnde ars, non speculandi solùm accenditur, sed agendi. Ab arte tandem dispositio externorum, & corporis proficiscitur, quamobrem à Deo cuncta dependent,* qui teste Apostolo, omnia in omnibus operatur, cui cecinit Maro.

Sic fata Deûm Rex
Sortitur, voluitque vices.

Istud etiam est, quod Dominus ait, *Pater meus vsque modo operatur,* quoniam otiari Diuinitas citra rerum interitum nō potest, ad quæ verba D. August. lib. 5. de Gen. ad literam, cap. 20. *Sic credamus, vel etiam, si possumus, intelligamus vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.* Neque vllam quietis aut laboris vicissitudinē experitur, quia immutabiliter operatur: *Quia mutabilium omnium dispositionem,* inquit Magnus August. ep. 5. ad Volusianum, *immutabilis ratio continet, vbi sine tempore simul sunt, quæ in temporibus non simul fiunt, quia tempora non simul currunt:* quod in hunc modum metricè interpretatur D. Prosper in sententijs, & refert Billius Antholog. lib. 3.

Ioan. 5.

Deus non mouetur operando.

Lex æterna Dei, stabilis regit omnia [a] *nutu,*
Nec mutat vario tempore consilium.
Vsque locis præsens simul est Deus omnibus vnus,
Sic [b] *rerum motus secum habet & numeros.*
Nec serum aut properum sibi sentit in ordine rerum,
Cui cuncta adsistunt acta & agenda simul.

a Aliâs, motu.

b Aliâs, aut motus.

Quemadmodum ergo is qui nauem armamentis suis instructam, mare sulcare, & in portum appellere videt, credit aliquem à quo gubernetur inesse rectorem: sic sanè, nemo adeò obtrusi intellectus fuerit, quin credat (quia non promptā cuiquam Dei mentem videre) occulta Numinis Pronœa, vniuersam hanc mundi fabricam, cælorum motus, reditiones temporum, fluores stellarum, stirpium varietatem, fontium iugiter scaturientium amœnitatem, animalium nūquam intereuntem speciem, disponi, vegetari, gubernari: *Mundum enim hunc instar viridarij sibi excoluit & ornauit Deus, & in eo dominatur vt agri Dominus, cuius & assiduam prouidentiam gerit,* inquit Olympiodorus, enarratione in Eccles. vt is qui apertis animi luminibus (aperta volo, non clausa, atque peccatorum fuligine obcœcata) ordinem viderit, quantus in vnaquaque rerum specie, quantus in indiuiduis, quantus in membris cuiuslibet animantis appareat: qui vel culicis vnius symmetriam considerarit, vitæque animationem quā mouetur, vt ipse vitam tueatur, mortem fugit, conuenientia sectatur, aspernatur cōtraria, voluptates appetit, molestias deuitat, vt sibi congruo viget motu, aculeo sanguinem sugit, tenuique sorbet fistulā, protinus exclamet, ne puncto quidem tēporis, Deum à quo est omnis mensurarum modus, omnis parilitas numerorum, omnis ordo ponderum, ab eius gubernatione cessare, expauescatque in minimis laudaturus Magnum, quem vt laudent opera, (de quibus an Diuinæ ordinationi seruiant, faciliùs ambigi posset) excitat Vates Regius psalm. 148. *Laudate Dominum de terrā, dracones & omnes abyssi: ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* In quæ verba Diuus Augustinus, lib. 5. de Genesi ad liter. cap. 21. *Nihil enim tam videtur casibus volui, quàm omnes istæ procellosæ, ac turbulentæ qualitates,*

Ps. 148.

uitates, quibus cœli huius inferioris (quod non immeritò etiam terræ nomine deputatum est) facies variatur & vertitur. Sed quum addit, Quæ factum verbum eius, satis ostendit, earum quoque rerum ordinem, diuino subditum imperio, latere nos potiùs, quàm vniuersitati deesse naturæ. Laudet igitur factura Creatorem suum, à cuius nutu pendet ignis vt illuc luceat; nubes & illuc ferantur, siue niuem, siue pluuiam, siue grandinem vtero portent: venti vt æra turbent, & procellis æquora, quia, vt rectè D. Dionysius de Diuinis Nominibus cap. 1. *Diuinitatis prouidentia, quæ boni principium est, ex omnibus effectis laudari debet, quandoquidem & circum ipsam sunt omnia, & ad eam vt ad finem referuntur, & ipsa, omnia antiquitate vincit, & omnia in eâ constant, & eo ipso quod est, omnia in lucem prolata sunt, ac constiterunt, & eam expetunt omnia, ea quidem quæ mente ratione que vtuntur, cognitione: quæ autem his inferiora sunt, sensus indicio: aliaque motu vitali, aut quia essentia, aut status accommodata est.* Ecce vt nullum prorsus creatæ substantiæ gradum Diuinæ curæ detraxit: *Quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de omnibus,* Sap. 6. & in omni prouidentia occurrit illis.

Sap. 6.

5. Prouidentia prima Dei filia.

Quod & vetustissimi Poëtarum non ignorarunt; primam summi Dei filiam Prouidentiam cantantes, teste Patricio Senense lib. 6. de regno, tit. 12. Cùm enim omnia quæ in Deo, sint ipse Deus, atque potentiam, sapientiam, misericordiam, iustitiam, prouidentiam, aliaque huiusmodi perfectionum Diuinarum ab ipso Deo, tanquam nobilissimas Diuinæ mentis filias emanare concipiamus: primigeniæ locum meritò sibi vendicat Prouidentia, vt pote cuius præfecturâ administrentur cæteræ, cuius curâ constringantur, gubernenturque omnia quæ à potentiâ, sapientiâ, misericordiâ, & iustitiâ profecta sunt. Eundem namque eorum quæ sunt, & factorem esse necesse est, & prouisorem, Diuo Ioanne Damasceno interprete lib. 2. fidei. cap. 29. *Nam neque decet, ne que consequens est,* inquit, *alium factorem esse eorum quæ sunt, & alium prouisorem: sic enim imbecillitati, debilitatique vterque subiaceret; hic non faciendi, ille non prouidendi.* Manilius quoque ex ipso totius orbis molimine, aptaque partium illius dispositione, necnon ex certâ & imperturbatâ rerum vicissitudine, Diuini Numinis moderatricem omnium canit prouidentiam:

Ac mihi tam præsens ratio non vlla videtur,
Quâ pateat mundum Diuino Numine verti,
Atque ipsum esse Deum, nec sorte coisse magistrâ:
Vt voluit credi; qui primus mœnia mundi
Seminibus struxit minimis, inque illa resoluit,
Æquis, & maria, & terras, & sidera cœli,
Ætheraque, immensos fabricantem, finibus, orbes,
Soluentemque alios, constare, & cuncta reuerti
In sua principia, & rerum mutare figuras.
Quis credat tantas operum sine numine moles
Ex minimis, cæcoque creatum fœdere mundum?
Si sors ista dedit nobis, sors ipsa gubernet.
At cur dispositis vicibus consurgere signa,
Et velut imperio præscriptos reddere cursus
Cernimus, ac nullis properantibus, vlla relinqui?
Cur eadem æstiuas exornant sidera noctes
Semper, & hybernas eadem, certamque figuram
Quisque dies reddit mundo, certamque relinquit?

Orpheus.

Orpheus ipse, quanquam trecentorum sexaginta Deorum assertor, quos quia impudicis adulterijs, aliisque teterrimis facinoribus proiciunt, infrustra dilaceratus interijt, teste Isocrate, Oratione in laudem Busiridis vnius tandem Numinis prouidentia, & cuncta fieri, & conseruari professus est, quando mortem obiturus, reiectâ testamento inanium Deorum multitudine, vnum esse Deum Theophilo teste lib. 3. ad Autolycũ, asseuerauit.

Omnium itaque rectè scientium consensione adstruitur Dei prouidentia, cuius vi conseruantur vniuersa, constat rerum ordo, & in suos quæque fines diriguntur. *Quis enim non sentiat,* inquit Lactantius lib. 3. de falsâ sapientiâ, cap. 19. *hunc mundum tam mirabili ratione perfectum, aliquâ prouidentiâ gubernari: quandoquidem nihil est quod possit sine vllo moderatore consistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabitur: nauis sine gubernatore abit pessum: & corpus relictum ab animâ, defluit: nedum putemus tantam illam molem, aut consistere sine artifice, aut stare tamdiu sine rectore potuisse.* Huc etiam spectat illud D. Ephræm Syri, in Confessione & reprehensione sui, Nauem absque gubernatore submergi aspexi, & inanes hominum labores sine Dei gubernatione esse animaduerti. Ciuitates & respublicas diuersas benè cõstitutas vidi, & Dei ordinatione atque præscripto cuncta cõsistere intellexi. Ex pastore grex viget, & ex Deo cuncta quæ super terram sunt, crescunt & coalescunt. Per agricolam inter triticum & spinas discernitur, & à Deo omnis quæ in terris est prudentia & intelligentia adhibetur. Ab imperatore militaris exercitus dependet ordo, & à Deo vera cunctarum rerum constitutio atque dispositio. Nihil in terra absque capite vel origine, quoniam cunctarum rerum principium est Deus. Flumina ex fontibus scaturiunt, & à Diuinâ sapientiâ leges. Hæc ille.

Creaturarũ minima satis ad intelligendam prouidentiã

Ex quibus colligitur, vel minimam creaturarum, satis esse verecundo quidem homini & grato, vt Epictetus ait, ad prouidentiæ sensum percipiendum, quâ Deus cuncta quæ potestate ac maiestate condidit, moderatur: *Præsertim etiam cum in his quæ humano actu administrantur,* inquit Saluian. lib. 1. de Prouid. *nihil penitus sine ratione consistat, omniaque ita à prouidentiâ incolumitatem, quasi corpus ab animâ vitam, trahant. Ideoque in hoc mundo non solùm Imperia atque Prouincias, atque rem ciuilem & militarem, sed etiam minora officia, & priuatas domos, pecudes denique ipsas, & minutissima quæque domesticorum animantium genera, non nisi humanâ ordinatione atque consilio, quasi quadam manu & gubernaculo contineri. Et hæc omnia, sine dubio, voluntate ac iudicio summi Dei, scilicet vt eo exemplo omne genus humanum particulas rerum, & membra regeret, quo ipse summum totius mundani corporis gubernaret.*

Capitis 41. §. 2.

Quid sit Prouidentia; & quotuplex?

1. Prouidentia est ratio ordinandorũ in finem.

CVm, quæcunque ab effectrice illa summi Numinis bonitate profluunt, bona esse necesse sit, non modò quoad substantiam, verumetiam quoad omne omnino bonum: cumque inter bona creata, bonum etiam ordinis rerum in finem, præsertim vltimum, qui est Dei gloria & bonitas, numeretur, vti habet Doctor Angelicus 1. part. quæst. 22. art. 1. huiusce ordinis rationem in mẽte Diuina, res, rerumque ordines fabricante, præextitisse oportuit, quæ ratio, prouidentia appellatur, hancque finitionem habet, vt nimirum *sit ratio ordinandorum in finem cum proposito exequendi.* siue, vt Elias Cretensis, in 1. D. Greg Nazian. orationẽ, *Dei voluntas per quam res omnes, eam, qui cuique aptus est, vitæ statum accipiunt:* siue vt Boetius habet lib 4. de Consolatione prosâ 6. *Ipsa Diuina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit.* Disponit, inquam, in finem singula, siue singulis media & modos tendendi in finem. Arceamus enim à nomine prouidentiæ, eam dispositionem quę est ratio ordinis partium in toto, ex quibus totius vniuersi concinnitas emergit: hanc enim Deus, vt artifex, intellectu concipit, & tanquã vnius corporis membra, disponit vniuersi partes, vt per creationem singula suis aptata locis, admirabilẽ totius, gratãque oculis nostris exhibeant speciẽ. Ablegamus, inquam, si strictiùs de dispositione loquimur,

loquimur; quod illa ad creationem, quam prouidentia præsupponit, pertinere videatur. Quanquam Marsilius Ficinus in D. Dionysium Areopagitam, de Diuinis Nominibus, eam inter prouidentiæ officia adnumeret, ita vt tria prouidentiæ munia esse velit, dispositionem scilicet, conseruationem, & cooperationem, quum inquit. *Prouidentia diuinæ tria sunt officia: primum quando composuit vniuersum, suis quæque gradibus singula disponere; secundum, res singulas quo ordine naturaliter sunt dispositæ, conseruare: & si præuaricentur, in ordinem denuò redigere: tertium ita regere, mouere singula, sua cuique dispensare, prout natura cuique conuenit.* Priùs enim est ex partibus totum apta constitutione conflare, quàm partes ipsas, ipsumque totum facultatibus proprijs ad connaturales fines consequendos, instruere.

Cæterùm tamen, si dispositionem ita accipimus, vt ad ipsam, vniuersi, partiumque eius in suos fines ordinatio, virium, facultatumque ad eorundem consecutionem largitio, pertinere dicatur, & in creatione contineri: non video cur illam ab actionibus & officijs prouidentiæ reijciat. Suarius lib. 3. de attributis Diuinis. cap. 10. quum etiam ea quæ in creatione ordinata sunt in proprios fines dirigere, media ordinare, & ad finis consecutionem res fortiter & suauiter disponere, sit munus & officium Diuinæ prouidentiæ. Vt propterea non immeritò Durandus in 1. dist. 39. quæst. 3. dispositionem inter prouidentiæ actus reposuerit.

Quare, quod nos à prouidentiæ munere reijcimus, est ordo qui inter ipsas res est, ipsum totum tanquam partes componentes, & specialiter à Doctoribus dispositio appellatur: non autem ordinem rerum in suos fines relegamus, quẽ etiam dispositionem nuncupat Suarius. Atque ita prouidentiæ nomine censemus id, quod præsupposita illâ dispositione, quâ vnumquodque suum locum & gradum sortitur, est ratio siue cõceptio intellectus diuini ordinantis res in suos fines, tum particulares, qui varij sunt & multiplices, pro varietate & multiplicitate rerum: tũ generales, qui pauciores sunt: tum denique supremum & vniuersalissimum omnium, qui est gloriæ Dei, Diuinarumque perfectionum manifestatio cum voluntate exequendi. Tam enim volitiuæ, quàm intellectiuæ facultatis actus requiritur ad prouidentiam, vnde illa est eius, (referente Eliâ Cretense in primam D Nazianzeni orationẽ) ex D. Damasceno lib. 2. de Fide orthodoxa, cap. 29. definitio. *Prouidentia est Dei voluntas, per quam res omnes, eam quæ cuique apta est gubernationem capiunt.* Cuius quidem prouidentiæ executio, partim creatione fit, non per quam quæque suo ordine constituta, in totum quoddam confluxere, id enim ad executionem dispositionis spectat; sed per quam singula armauit Deus inclinatione, viribus, instrumentis, ad id quò spectant, idoneis. Partim insuper fit gubernatione, quæ conseruationem, cooperationemque cum re qualibet includit, varias quoque rerum motiones, quibus Deus creaturas mouet, vel per se solùm, vel per aliorum simul ministerium, vti inferiora per superiora, corpora sublunaria per cælestia, cælestia per Intelligentias, & Intelligentias inferioris ordinis, per superiores. Cumque Diuinæ prouidentiæ munus sit, rerum naturam non corrumpere, sed conseruare, vti tradunt D. Dionysius Areopagita de Diuinis Nominib. cap. 4. & Tho. 1. 2. quæst. 10. artic. 4. omnia secundum cuiusque conditionem mouet, ita vt ex necessarijs caussis per motionem Diuinam, necessarij sequantur effectus; ex caussis contingentibus, contingentes.

Prouidentiæ nomine quid intelligamus.

Non enim aliter decreuit dirigens prouidentia Dei cum caussâ operari; inquit noster Ægidius de Præsentatione lib. 1. de fine communi quæst. 12. art. 2. §. 8. num. 30. quàm pro naturâ ipsius caussæ. Hinc D. August. lib. 7. de Ciuit. Dei, cap. 30. *Sic enim administrat omnia quæ creauit Deus, vt etiã ipsa proprios exercere & agere motus sinat* mutabiliter, nempe, mutabiles, impedibiliter impedibiles.

Quia verò illa quæ secreto Majestatis summæ gubernantur arbitrio, aut in præscriptos naturæ fines, aut in eum qui supernaturalis est, mouentur, curam illam quæ ex Deo est in ea quæ sunt, vti loquitur D. Ioan. Damascenus lib. 2. de Fide Orthodoxâ cap. 29. siue vt Elias Creten. in primam Orat. Nazianzeni, quæ rebus conditis à Deo adhibetur; bifariam accipimus, vt vna sit naturalis, moralis altera.

2. Prouidentia naturalis & moralis.

Naturalis ad omne quod factum est, extenditur; eiusque legi paret, & quod inanime est & corporeum, & quod animatum, homo quoque & Angelus, quâ ratione commune ipsis est, esse cum cæteris & operari. Moralis, solum respicit hominem & Angelum, quòd illi quia voluntatis suæ habent arbitrium, moralium operationum atque finis qui per eas haberi potest, sint capaces.

Triplex itaque est nostra de Diuinâ prouidẽtiâ cogitatio: Prima, eius quæ in Deo, cuius vis inexpugnabilis, immutari aut impediri nullatenus potest, vt nemo vnquam propterea, eam ceu vanam & inefficacem iure quiritari valeat: vnde D. August. epist. ad Volusian. 5. *Tempora & ætas hominu mutatur, nec mutatur Diuinæ prouidentiæ ratio, quâ fit vt ista mutentur.* Altera eius quâ singulis animalibus, plantis, horum ortui interituique, & cæteris mutationibus consulitur, cuius vis ad vltima vsque & ima pertenditur. Posterior, eius quæ rebus humanis est propria: aliter enim hominibus, aliter cæteris rebus corruptioni obnoxijs à Diuina ratione prouisum itur, quoniam aliter atque aliter ad corruptionem se habent, vti scribit Dogmatistes sapientissimus Aquinas 1. part. quæst. 113. art. 2. Homines enim, non solùm spectatâ communi specie, corruptionis legibus absoluuntur, sed etiam spectatis singulorum formis, quæ sunt animæ rationales, id quod de alijs corruptibilibus enuntiari non potest.

Porrò autem, quamuis naturalis prouidentiæ rationes, humanam intelligentiam excedant, nihilominus per effectus suos ita euidenter manifestatur, vt eam inficiari nemo queat, nisi cui duo hæc desint: vnum, facultas naturam cuiusque rei perspiciendi, alterum gratus animus: sic enim vel vtilitates rerum multiplices non intelliget, vel gratiâ pro ijs non habebit: hoc autem est Diuinitati oculum eripere, quem agnouere Ægyptij in sceptri fastigio oculum efformantes, quo significarent opificem Deum, eadem quæ omnipotentiæ suæ sceptro condidit, oculo prouidentiæ gubernare. Neque illi oculum seorsum aut sceptrum, sed oculum cum sceptro coniunxerũt, quòd quæcunque ad dicentis imperium è nihilo emergebant, eadem simul prouidos Numinis oculos pari curâ ordinanda exciperet, sicut scriptum legimus de eâ Prouerb. cap. 8. *Cum eo eram cuncta componens*, siue, vt Hebraicè habetur ואהיה אצלו אמון *vaehieh etselo amon*, hoc est, *& eram apud eum nutritium:* quemadmodum enim proli generosæ quæritur optima nutrix, ita optimarum infantiæ rerum, tanquam nutrix adhibita prouidentia. Et quia *amon*, etiam pædagogum significat, sine cuius nutu puer nihil agit: sic Deus sine suâ summâ, & excellenti sapientia.

Prouidentia oculus Diuinitatis.

Prou. 8.

ta,hoc est,incomprehensibili ratione,egit nihil.

Traianus. Traianus Imperator etiam prouidentiæ symbolum exhibuit, sceptrum superpositum orbi; & nobis Soteris nostri effigies proponitur, sub cuius manu orbis, ac desuper erectum crucis sceptrum, quo indicatum est, omnia à Dei manu dependere, atque prouidentiæ sceptro administrari, meritoque crucis, in fines altissimos ordinari. Quò spectat etiam illud quod Pertinax Imperator finxit, scilicet manibus prouidentiæ orbem sustineri, quò discordem elementorum concordiam à Diuinæ procurationibus manibus esse significaret. Megarenses verò Numinis caput horologio instructum esse voluerunt, indicantes ratas temporum vices, cæteraque quæ hetis mensurantur, Diuinæ Sapientiæ ordinationi esse substrata: absurdum quippe videri, cùm nostræ sobolis prosperitatem curemus, Deoque acceptam referamus; cùm Nauarchus suæ naui prospiciat; cùm opifex operis sui rationem habeat; Deum opificem solertissimum, existimare suam ipsius sobolem quod nos sumus, suum nauigium quo mortales vectantur in portum, suum opus quod proprijs elaborauit manibus, nihil curare. Cur autem illi horarium siue clepsydram Diuino capiti tradidere, non verò manibus? Quia mirum, quæ Dei sunt, ex ijs quæ nostra sunt intelligimus: quum igitur, quæ manibus operamur, non sine membrorum motu fiant, quæ verò ratione, immotè omninò, ita Deus sine labore, sine cōmotione sui, sed quiescens, immittensque vim suam, omnia mouet & ordinat, sicut canit Ecclesia:

Rerum Deus tenax vigor, | Lucis diurnæ tempora
Immotus in te permanens | Successibus determinans.

Intellexere Veteres, qui Pierio Valeriano teste Hieroglyphicor. lib. 35. cap. 8. vt eam Numinis vim significarent, Ianum bicipitem, manibus & pedibus truncum effingebant, quia Deo ad ea quæ facienda iusserit, neque manuum, neque pedum motu opus sit, quippe qui solo nutu stabiliat vniuersa.

3. Familiare præterea fuit Ægyptijs, vt auctor est Eusebius, de Præparatione Euangelica, & Cælius Augustinus in Hieroglyphicis, hominis figurâ cælum terramque zonâ complectentis, atque constringentis, Dei prouidentiam exprimere, non cælestia modò, verumetiam ea quæ terrenæ fæcis sunt, non minùs gubernationis quàm creationis suæ rationibus complectentem. Hinc illi D. Augustini cum Deo affatus Meditationum cap. 29. *Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia; superexcedis omnia, sustines omnia. Neque ex alia parte sustines, atque ex alia parte superas: neque ex alia parte imples, & ex alia circumplecteris, sed circumplectendo imples; & implendo circumplecteris; sustinendo superexcedis, & superexcedendo sustines.* Et cap. 30. *Per id ergo quod interior es, ostenderis esse creator: per id verò quod exterior es, gubernator omnium demonstraris. Ac ne omnia quæ creata sunt sine te essent, interior es; exterior vero vt omnia includantur à te, non locali magnitudine, sed potentiali præsentia.* Aut etiam ideò illi zona in manibus quam Astronomi Zodiacum vocant, quia, quemadmodum Sol per Zodiaci signa duodecim, suos emetiens cursus & labores, generationum corruptionumque rerum est auctor; sic, vt Poëta 1. Georgicon,

Certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.

Ita Diuina prouidentia moderetur omnia, vitæ necisque fata contineat, ortui interituique rerū præsit, casúsve varios, qui in humana inciderint, ordinet, & regat: Aut denique quia sicut Zodiaci vis, ad minimum vsque animalculum penetrat: *ita per omnia desuper prouidentia ad vltimum vsque procedit, ac ne minimum quidem sui expers alicubi prætermittit*, vt inquit Proclus, quodque per scalam Iacob Gen. 28. cælum terramque contingentem, atque ex eius fastigio prospicientem Deum, significari tradit Theodoretus, quò reuellatur error dicentium; Iob 22. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* Iob. 22. Quā quoque impietatem explodere Cæsares, Titus, & Vespasianus; formata pro gentilicijs insignibus manu, quæ spicarum fasciculum prætenderet, additâ circum hæc epigraphe, *Prouidentia Deorum, quies Augustorum*, quò quisque intelligeret, pacem, tranquillitatem, abundantiamque temporalium, quibus Respublica frueretur, & floreret, à liberali Numinis prouidentiâ proficisci. Etsi enim non videtur Deus, neque prouidentiæ illius rationes intellectu consequamur, nō propterea nos, ipse, nostraque omnia suæ procurationis vinculo non complectitur, cùm & eius vim, nonnisi malè feriatus quispiam se sentire diffitebitur. Rectè Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autolycum: *Quemadmodum malum, punicum,* inquit, *cortice velatur, qui interiora continet, habet mansiones loculosque complures, pellibus interceptos, & distinctos, qui plurima grana intra se complectuntur: sic vniuersa natura à Dei continetur spiritu, spiritus qui vniuersam naturam consertam tenet, à Dei manu continetur: Quemadmodum granum mali punici, quod cortice exteriore includitur, corticem exteriorem cernere haud potest, sic nemo mortalium qui tenentur manu Dei, cum vniuersi naturâ, Deum cernere valet. Imperator terrestris esse præsumitur, quamuis non ab omnibus videatur, oculos vertenti in leges & imperij administrationem.*

4. Prouidentia generalis. Atque tandem ista est generalis prouidentia, quæ per omnia discurrens, omnia tenet, per quā ratis successionibus, omnia in nodos suos vrgentur. Hæc est, quæ statum, & certam temporū stationem ac vicissitudinem, stellarum reuolutiones, elementorum ordinatum cursum, dierum, noctium, mensium, annorumque eleganter dispositum ambitum; seminum, plantarum, fructuumque mirabilem amœnitatem: variam & eximiam quadrupedum, volatilium, reptilium, aquatiliúmve prolem, secretissimo, occultissimoque Maiestatis imperio fouet, conseruatque. Hæc est quæ iumentis dat escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum, psal. 146. Naturalis prouidentiæ in hac alite argumentum singulare. Psal. 146. Coruos ferunt exclusi fœtus curā non agere, sed aut naturali quadam feritate, quia ἀφιλόστοργοι, id est, *nullo affectu erga pullos*, vti ab Agellio ex Græco autore proditum est, pullos auersari, aut ingenitâ indignatione, quia aut implumes, aut subalbicantibus plumulis à parentum atro colore degenerant, eorum nutricationem dissimulare; ita Gregor. Magnus lib. 30. Moral. cap. 8. noster Iacobus de Valentiâ Episcopus Christopolitanus in psal. 6. Isidorus Hispalensis lib. 12. Etymologiar. cap. 7. & alij. Siue propriæ voracitati & ingluuiei deditos, cui consulere satagunt potiùs quàm editæ proli, educationem negligere; autor D. Chrysost. in Catenâ. Siue denique Numinis prouidentiâ, ne cadaueritio cibatu grauetur tenella pullorum infantia, inediæ dimittere, vti tradit Cassiodorus. *Quis ergo præparat coruo escam suam*, inquit Dominus sermo suo Iob, capite 38. *quando pulli eius clamant ad Deum, vagientes, eò quòd non habeant cibum?* Iob. 38. & niduli deserta ore hiante oberrantes? Coruinorum pullorum crocitatiunculas, velut filiorum vagitus suscipit prouidentia, & inuocata, οὐ λόγῳ, ἀλλὰ τῇ χρείᾳ; non sermone sed necessitate & indigentia (quam inuocationem Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 83. art.

art. 10. ad 3. appellat desiderium naturale, quo omnia Diuinam bonitatem consequi desiderant, quemadmodum etiam propter instinctum naturalem quo à Deo mouentur, eidem obedire dicuntur) *τῇ ἀπορρήτῳ ἑαυτοῦ σοφίᾳ*, suâ ineffabili sapientiâ vociferantium succurrit inopiæ, sicut & catulis leonum rugientibus, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi, ps. 103. Illis quidem, aut muscis in eorum fauces inuolantibus, seséque insinuantibus, sicut habet D. Chrysost. homil. in Eliam Prophetam: aut animalculis, siue vermiculis quibusdam, è certâ nidi materiâ, & parentum incubantium calore generatis, quibus interdum victitant, vti Plinij, & 1. Georgicôn Seruij, aliorúmve quorundam Physiologorum fert opinio: aut demissâ quadam aurâ à Deo in eorum ora, per quam nutrimentum ex aëre congregatur, quo, ad grandiorem vsque ætatem nutriuntur, sicut tradit Euthym. in psal. 146. siue, vt veriùs alij, inter quos Iacobus Christopolitanus in eundem psal. roscido rore illos obsonando. His verò, ad eorum rugitum consternatis animalibus, & quasi succisis suffraginibus, ne fugâ elabantur, quò sic in prædam datis, hi ad escam vtantur.

Ps. 103.

Ecce vti indulgentissimâ Conditoris prouidentiâ, non solùm quæ ratione sunt prædita, sed etiam irrationale animantium genus, non modò in necessaria, sed vsque in delicias amatur: cuius si tam munificâ liberalitate, rationis expertia necessarijs instruuntur; quid non homini, si mentem animumque in ipsum intenderit, conferet, quando & propter hominem facta sunt cætera, & propter eundem illum, rebus cæteris benefica est prouidentia?

Capitis 41. §. 3.

Prouidentiam ad electorum prædestinationem præcipuè referri.

1. Prouidentia moralis.

NVnc ad moralem prouidentiam quà hominem respicit. Manifestum enim est circa perpetua versari potissimùm Numinis prouidentiam, quando ea quæ transeunt, non aliter curat, quàm vt rebus perpetuis ad quas ordinata sunt, deseruiant. Mores interea hominum actusque eorum qui humani appellãtur, alienare à secretissimo Diuinæ Majestatis consilio, atque judicio, tentauere nonnulli, quoniam ij qui ad pietatem, religionem, iustitiamque compositi magis videntur, varios experiantur aduersantis fortunæ flatus, & reflatus, calamitatumque confodiantur aculeis: Praui autem, & qui ad omnem nequitiam parati arridente blandientis fortunæ sereno, optatis cumulentur, expleanturque, boni in paupertate sint, mali in abundantiâ; boni in infirmitate, mali in fortitudine, boni semper in luctu, mali semper in gaudio: boni in miseriâ & abiectione, mali in prosperitate & dignitate. Ea est D. Augustini lib. 83. quæstionum quæst. 82. interpretatio, quæ fuit Claudiani in Ruffinum hallucinatio, quum cecinit:

Sed cùm res hominum tantâ caligine volui
Aspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rursus labefacta cadebat
Relligio, caussæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ semina currere motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras
Fortunâ, non arte regi, quæ numina sensu.
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.

Peruersitas humana.

Quin etiam Diuo Augustino teste lib. 1. de ordi. cap. 1. *Tanta in humanis rebus peruersitas vsquequaque diffusa est, vt non Diuinæ, sed ne seruili cuipiam procurationi, si ei tanta potestas daretur, tribuenda esse videatur.* Teneantur communi prouidentiæ lege cætera, quæ status ratosque seruant molitionis, operationisque suæ gradus, quæve ipsa pronœa tanquam nutrix fidelissima, à potentia & sapientiâ Dei suæ commissa nutricationi, conseruat, dirigit, fouet. Nunquid verò & iniquitatem mortalium atque turpitudinem, & irrumpentium casuum temeritatem, quibus & contaminatur orbis, polluitur & tabescit humanum genus, conflictantur & opprimuntur iusti, Dei prouidentia gremio complexa est suo? Iuncta sit eius rheda tanquam equis trahentibus, sapientiæ, fortitudini consilio & intelligentiæ, his vehatur, his percurrat, his perlustret omnia, & in suâ quælibet statione corroboret. Cur humana exerceat plena nequitiæ, in quibus pro sapientiâ insipientia, pro fortitudine infirmitas imbecillitasque, pro consilio præceps temeritas, pro intelligentiâ, ignorantia dominatur? Felices sunt qui sceleratissimè viuunt, infelices qui sanctissimè: copiâ rerum circumfluunt illi, hi egestate conficiuntur, floret iniquitas, marcescit probitas, vigent mores nequissimi, proteruntur sanctissimi: facultates capitis periculo facinorosissimos eripiunt, innocentes paupertas illaqueat, dignitatibus eminent qui plus auro valent improbi, côculcantur pauperes & probi: nil triste vitam & gaudia impiorum interpellat, mœrore & tristitiâ tabescunt pij. Et quis non meritò cogitabit fortuitis omnia motibus ventilari? Nam si Deo curæ essent res mortalium, si, vt ait Tit. Liuius Decadis primæ lib. 1. *Interesse rebus humanis Numen videtur*, si Diuinum esset de moribus iudicium, non vigeret iniquitas, nec innocentia laboraret, *quoniam Deorũ beneuolentia præsente*, inquit Dion. Halicarnass. lib. 2. *omnes res in melius cedunt.* Vide cap. 13. §. 3. n. 2.

2.

Sed enim qui ista queruntur, si dolent, quæro ab eis, cum Saluiano lib. 1. de vero Iudicio & prouidentiâ, *De sanctis, hoc est de veris ac fidelibus Christianis, an de falsis & impostoribus doleant? Si de falsis, superfluus dolor, qui malos doleant non beatos esse: cùm vtique quicunque mali sunt, successu rerum deteriores fiant, gaudentes sibi nequitiæ studium benè succedere. Et ideò, vel ob hoc ipsum miserrimi esse debent, vt mali esse desistant, vindicantes improbissimis quæstionibus nomen religionis, & præferentes ad sordidissimas negociationes titulum sanctitatis: quorum negotijs si miseriæ comparentur, minùs sunt miseri quàm merentur, quia in quibuslibet miserijs constituti, non sunt tamen tam miseri, quàm mali. Nequaquam ergo pro his dolendum, quod non sunt diuites ac beati, multò autem pro sanctis minùs, quia quamuis videantur ignorantibus esse miseri, tamen non possunt esse aliud quàm beati. Superfluum autem est, vt eos quispiam vel infirmitate, vel paupertate, vel alijs istiusmodi rebus existimet esse miseros, quibus se illi confidunt esse felices. Nemo enim aliorum sensu miser est, sed suo. Et ideò non possunt cuiusquam falso iudicio esse miseri, qui sunt verè suâ conscientiâ beati.* Accedit ad hanc sententiam Seneca lib. 1. de prouidentiâ, cap. 2. hisce verbis: *Nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum supernè deiectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita aduersarum impetus rerum, viri fortis non vertit animum. Manet in statu, & quidquid euenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior, nec hoc dico, non sentit illa: sed vincit, & alioquin quietus placidusque contra incurrentia attollitur. Omnia aduersa, exercitationes putat:* quas, quia in vtilitatem magnam, decusque eximium cedunt, offerri sibi vir fortis optat, & dicit, quod Epictetus iubet, *Inuehe nunc, ô Deus, quẽuis casum. Habeo enim instrumenta à te data, & occasiones quibus id consequar, vt quidquid acciderit, ornamento mihi esse possit.*

Aduersa fortem non frangunt.

Nulla

Nulla denique tam grandis iniquitas, nulla tam grauis iustorum oppressio, nulli casus tam acerbi, nullum hominis consilium, quod non Deus pro suo arbitratu moderetur: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Eccl. 11. *Sapientia & disciplina, & scientia legis apud Deum: dilectio & via bonorum apud ipsum.* Et apud Isaiam cap. 45. *ipse formans lucem & creans tenebras*, felicitatem, scilicet, & miseriam, Emmanuele Sa in Annotationib. interprete, *faciens pacem, & creans malum*, bonorum nempe omnium affluentiam, & bellum, seu calamitatem, siue egestatem & inopiã. Respicit in omnia Dei oculus, & palpebris suis labores, actus, cogitatusque mortalium in propositos fines adducit, & vt est apud Sophoclem in Electris.

Eccl. 11.

Isa. 45.

ἐςὶ μέγας ἐν οὐρανῷ
Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει.

Est magnus in cælo Iupiter, qui inspicit omnia & imperat. Nam si corporearum rerum ortui interituique intendit, mirabili ordine procurans vniuersa, in quibus summæ illius prouidentiæ characteres lucidissimi, negliget animos immortales, in quibus effigies Dei? Diui Augustini est istud lib. 5. de Genesi ad lit. cap. 22. dicentis, *Et cùm animæ natura, corporibus antecellat, quid est dementius quàm putare nullum esse Diuinæ prouidentiæ iudicium de moribus hominum, cùm in eorum carne tanta eius solertia clareant, & demonstrentur indicia?* & in psal. 31. *Si casibus reguntur homines, nullâ prouidentiâ aliquid regitur:* id quod etiam D. Ambrosius testificatus est, nullam nimirum esse vllius rei prouidentiam, si nulla sit humanarum actionum.

3. Actionum malarum esse prouidentiam.

Diuino itaque Numini, rationalis creaturæ prouidentiam ita tribuendam esse, vt omnium & singularum, bonarum, malarumque operationum quæ ab arbitrij humani potestate sunt, non modò generalem & remotam, sed etiam particularem, non modò physicam, sed & moralem gubernationem habeat, dogma est Catholicum, quod non attigere Philosophi, aut si quid illius attigisse visi sunt, ita eneruatè prodierunt, vt incerti, & disputatæ, at non euictæ mentis flatu abrepti, suamet subuertentes dogmata, illo capite contraxerint, & reuocarint, quod alio expanderant, & inflatis buccis euentilarant. Testis suæ ipsius inconstantiæ Aristoteles, qui frigidè admodum, & sub Deorum appellatione, diminutè hac de re aliquid suspicatus videtur, quum lib. 10. Ethicor. cap. 8. inquit, veritatis sectatores Deorum amicissimos esse: *nam si Dij curam habent humanarum rerum, vt existimatur, rationi consentaneum est, ipsos eo gaudere quod est optimum*: qui quum etiam dixisset magnorum moral. lib. 2. cap. 8. *Deum bona & mala pro meritis distribuere*, ibidem, fortuitos euentus à Diuinâ administratione remouet. Claudianus in Rufinũ, modò Deum nostri negligentem augatur, modò curiosum ex Rufini casu opinatur, sic enim canit:

Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absoluitque Deos, iam non ad culmina rerum
Iniustos creuisse queror: tolluntur in altum
Vt lapsu grauiore ruant.

Horatius in Epicureorum prolapsus impietatem, horrendi tonitrui fragore perculsus, ad saniorem mentem redire compulsus est, vt videlicet, Dei prouidentiâ omnia etiam humana administrari cogitaret, sicut ipse testatur lib. 1. carminum Od. 34. vbi inquit:

Parcus Deorum cultor, & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro: nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter
Igni corusco nubila diuidens
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum,
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & inuisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur.

Pro se quisque tandem Deum esse & non negligere humana fatemur, inquit Historicus, Decadis 1. lib. 3. & superbiæ, crudelitatique, etsi seras, non leues tamen venire pœnas. Et Plin. lib. 2. nat. hist. cap. 6. Deum agere curam rerum humanarum credi, ex vsu vitæ est, pœnasque maleficijs aliquando seras, nunquam autem irritas esse. Quemadmodum enim patri familias incumbit omnia nosse, non tantùm quæ domus sunt, sed etiam filiorum suorum propensiones atque consuetudines, omnium seruorum dicta & facta: ita ad summi Regis œconomiam pertinet, humana omnia & singula cognoscere, vt ea plectat, aut præmiet, eademque clementissimo æquissimoque arbitrio disponere: Aut *oculum in te non intendit suum, qui fecit tuum?* inquit D. August. serm. 10. de verbis Domini, *non eras, & creauit te vt esses: non te curat cùm iam sis, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt?*

Punit actiones malas Deus.

4. Prouidentia in cognitione & voluntate fundata.

Hæc autem prouidentia in perfectâ cognitione & scientiâ posita est, qua Deus omnium & singulorum effectuum à libertate nostra, etiam antequam sint emanantium, momenta & rationes omninò perspectas habet: insuper in voluntate illos effectus conuenientibus medijs procurandi, si boni sint, præceptis, consilio, promissionibus, præmijs: & prohibendi atque impediendi comminationibus & supplicijs si mali sint: vel etiam permittendi, & de illis, vbi prodierint, cum æquitate & misericordiâ, pro sapientiâ suâ disponendi. Quam in rem pulchrè D. August. in psal. 7. quum hæreticos, ad animarum perniciem, prauo sacrarum Scripturarum intellectu vti, docet, Diuinâ permittente prouidentiâ, ob fines ab eadem dispositos: *Nam & ipsi* (Hæretici scilicet, ait) *ex eadem arcu, id est, ex ijsdem Scripturis, in animas non caritate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt, quod non contingit nisi pro meritis. Propterea Diuinæ prouidentiæ etiam ista dispositio tribuenda est: non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat, cùm peccauerint. Malo enim voto per peccatum legentes, malè coguntur intelligere, vt ipsa sit pœna peccati; quorum tamen morte filij Ecclesiæ Catholicæ, tanquam quibusdam spinis, à somno excitantur, vt ad intelligentiam Diuinarum proficiant Scripturarum.*

Quia ergo nihil est quod non peruadat Diuinæ prouidentiæ oculus, nihil est quod se abscondat à calore eius, nihil est de quo in rectum ferat iudicium, nihil quod non possit disponere, benè ordinare, & constituere, vti scribit Suarez lib. 3. de Attributis Diuinis positiuis, cap. 10. num. 9. quia voluntatem habet Deus rectissimam, quæ sine sui mutatione potest velle bonum, & odisse malum, summeque honestum est, vt singula sic velit, quia est supremus Dominus & Rex Regum, cuius officij est leges præscribere, præmia & supplicia operibus decernere: quia denique omnia sic ab eius dependent arbitrio, vt nisi velit, vel permittat, fieri omninò nihil vsquam aut à quoquam possit, moralem quoque actionum liberarum, etiam minimarum, prouidentiam habeat, necesse est.

Neque moralem solùm, verumetiam supernaturalem. Quia enim rationalem creaturam, suã ita disposuit Deus, vt fini supernaturali consequendo esset idonea, medijs, moderationeque omnem

Prouidentia supernaturalis.

omnem naturæ gradum supergrediente, in illum finem eam dirigi oportuit: vnde fit, vt quia illa quæ naturali, meraque prouidentiâ gubernantur, istius finis consecutioni deseruiunt, cùm quæ facta sunt minora homine, propter hominem sint, homo autem propter finem altiorem: altiori etiam ratione, quàm si intra naturæ cancellos morarentur, altiùs euecta, gubernentur.

Hinc electorum prædestinatio, quæ omnes totius diuinæ prouidentiæ rationes complectitur, sicut Apostolus indicauit, adnotauit Suarius lib. 1. de prædestinat cap. 18. num. 4. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei.* 1. Cor. 3. *Significauit enim*, inquit Suar. totam prouidentiam tendere ad salutem electorum, & hos ad Christi gloriam, ac tandem omnes electos cum ipso Christo, ad Dei gloriam ordinari.

1. Cor. 3.

Hinc arcanorum diuinæ voluntatis, quædam manifestatio exoritur, quorum rationes, reuelatâ hac supernaturali circa electos prouidentiâ, quanquam inscrutabilia sint iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius, vtcunque tamen, & quàm conuenienter possumus, assequimur. Vt quum afflictionum calamitatũ, ærumnarum, cladiumque incursu, iustos perturbari & concuti, iniquis cuncta ex voto accidere videmus, non iam irrepat animo, infidelium illa de diuinâ procuratione dubitatio, de quâ nihil perperam suspicati fuissent, nisi ista perperam accidisse cogitassent, D. Chrysostomo in hanc sententiam dogmatizante. lib. aduersus vituperatores vitæ monasticæ: *Si non essent iudicia, non accusatores, non calumniatores, non tormenta, non mulctæ, non carceres, non cruciatus, non bonorum publicationes & damna, non timores & pericula, non insidiæ & inimicitiæ, non iurgia, non maledicta, non odia, non pestilentiæ, non denique aliud aliquid eiusmodi: Sed omnes dignâ & conuenientissimâ cum moderatione viuerent, quis vnquam mortalium de prouidentiâ dubitasset? Profectò nullus. Nunc verò ferè idem contigit, ac si hyeme ingenti, ac procellâ imminente, gubernator quidem faciat quod sui muneris est diligentissimè, seruetque inter vndarum moles nauem, non autem appareat eius scientia & artis diligentia vectoribus, quòd hanc illis considerationem. & perturbatio, & metus, & solicitudo præsentium iam iamque impendentium malorum eripiat. Deus enim, nunc quoque gubernat omnem hanc machinam, etsi non id à plurimis animaduertitur, ob rerum turbines, & perturbationem vitæ.* Hactenus Chrysost. & hâc animi perturbationem, quum post irrogatas Thebanorum impietati pœnas excussisset Argiuarum chorus, apud Euripidem in supplicibus, quam conceperat de diuinâ circa nos prouidentiâ dubitationem, prorsus abrogauit: ait enim.

> Νῦν τὴν δ' ἄελπτον ἡμέραν ἰδοῦσ' ἐγὼ,
> Θεοὺς νομίζω, καὶ δοκῶ τὰς συμφορὰς
> Ἔχειν ἔλασσον, τῶνδε τισάντων δίκην.
> *Nunc hanc insperatam diem quum vidi ego,*
> *Deos existimo esse, & videor mihi calamitates*
> *Leniùs ferre, quum ij dederint supplicium.*

Prouidentiæ esse bonos aduersis exerceri.

5. NOn deerunt etiam ex Christianis fideles, qui eorum, quos pios esse nouerunt, ærumnas, impiorum autem optatissimum in omni re successum demirantes, sentiant se penè è sanæ mentis gradu deturbari, cum Prophetâ regio ps. 72. dicente: *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: Quia zelaui super iniquos* (alij. *tæduit me de insanis*) *pacem peccatorum videns.* Et Ieremiâ. cap. 12. cum admiratione exclamante: *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt:* Adeo nempe grauis & molesta est etiam viris sanctissimis ista tentatio, quâ se quoque pulsatum testatur D. Bernard. epistolâ 230. vt nisi quemadmodum, qui in arctâ, inæquali, confragosâ, lubricâ, angustâve viâ, extra quam ruina est & præcipitium, gressu vacillantem pedem reuocat, arctas & inuestigabiles iudiciorum diuinorum vias, intellectus & voluntatis suæ pedibus ingressus, resiliat, pœniteatque, in aliquam impietatem sit quis præcipitio proximus. Quapropter statuendi pedes supra petram, vt dirigâtur gressus nostri, orandus Deus, vt eripiat pedes nostros de lapsu, nec eos det in commotionem, & si fortè moueantur, misericordia eius adiuuet nos. Claudicantis autem in huiusmodi rebus, vel titubantis animi remedium singulare fides & humilitas, iuxta illud psal. 115. *Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis.* agnoscendo nimirum, & deflendo lubricitatem, & labendi, fallendique periculum. Fides enim ὑπόστασις rectè dicitur, quasi fundamentum & firmamentum, cui fixè & immobiliter niti debeamus, à quâ facilè excidunt, qui peruersis contra Dei prouidentiam cogitationibus, constanter non occurrunt. In hac igitur standum, in hac pro virili agendum, in hac oppugnationibus insidiantis infidelitatis, obnitendum fortiter, quoniam meliori cogitatione armati alia superesse virtutum præmia, alia iniquorum supplicia, quæ hanc vitam consequuntur, fide cognoscimus. *Placuit quippe diuinæ prouidentiæ*, inquit D. August. lib. 1. de Ciuit. Dei. cap. 8. *præparare in posterum bona iustis, quibus non fruerentur iniusti, & mala impijs, quibus non excruciabuntur boni.* Et verò, quis merita & virtutes tam magnis retributionibus dignas putet, vt in præsenti hac vitâ carnes ac fortitudines corporum, præmia putet esse debere sanctorum? inquit Saluianus. *Beatus vir*, inquit psal. 39. *cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Non mundi gloria, non opes, quas Propheta appellat vanitates & insanias falsas, merita iustorum coronant.

Psal. 72.

Ierem. 12.

Psal. 115.

Psal. 39.

Quare sit constitutum, nihil prorsus in omnem vitam nostram incidere, quod non à diuinæ procurationis œconomiâ, in electorum bonum, dispensatum, ordinatumque sit: & D. Nazianzenus orat. 53. cap. 2. testatur: *Nihil eorum quæ nobis ad salutem data sunt, citra Dei prouidentiam fieri.* Prouidentiæ verò, cùm quædam sint secundum placitum, alia secundum permissionem, vt scribit Elias Cretensis in 1. Diui Nazian. orationẽ: Secundum placitum, siue vti D. Ioan. Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. ait, Secundum acceptationem *sunt, quæcunque sine controuersiâ bona sunt.* Secundum permissionem sunt, quæ mala putantur, & quibus suos conflictari permittit Deus, virtutis eorum facturus periculum; vel vt illa, ex abditis animi eorum recessibus eruta, velut fuluum è terræ visceribus aurum, sub aspectum veniat mundi in exemplum sequuturis: quomodo Iobi magnitudo animi inter acerbitates emicuit, & Iosephi pudicitiâ in Ægypto: aliorumque compluriam animi opes, qui tentati sunt, secti sunt, facti omnium peripsema, siue piacula mundi, & succidaneæ pro populo victimæ, diris execrationibus abiecti. Vel vt à rectâ conscientiâ non excidant, néve ex indultâ virtute gratiæ in superbiam extollantur: quomodo D. Paulum ab Angelo Satanæ colaphizatũ legimus: *Ærumnarum namque siue sponte assumptarum, siue diuinâ prouidentiâ inductarum tolerantia & mæror, concupiscentiam interimunt*, inquit Thalassius: verum enim illud Origenis, *Sicut caro si sale non aspergitur, corrumpitur; ita anima si tentatione non salitur, continuò resoluitur.* Vel vt visâ iusti vnius cum ærumnis grauibus concertatione, corrigatur improbus, aut damnetur grauiùs; quomodo in splendidioris quoti-

Prouidentiæ secundum placitum quædam, alia secundum permissionem.

diani victus & amictus correctionem, Lazarus pauper diuiti epuloni est propositus: fit autem nonnunquam vt vnius perspectâ calamitate, alter euadat prudentior. Vel rursum cum suâ miseriâ, ad alicuius alterius gloriam luctari quis sinitur; quomodo cœcus à natiuitate, cum suâ cœcitate, ad illuminantis Iesu laudem, & qui virtute diuinâ à Sanctis hominibus curati sunt, ad fidei in Christum gloriam. Constat etiam permitti corporis laniatus, vstiones, sectiones, equuleos, carceres, flagella, cruces, necésve Martyrum, vt qui fortium athletarum Christi, in fide constantiam viderint, acres quoque ad fidem & ad martyrium stimulos concipiant. Cedunt denique clades, vel etiam turpis quispiam, viri probi Deóque accepti, casus, ad emendationem deterioris adfectus, vt videlicet, infirmitatis, imbecillitatísque propriæ considerato pondere, suæ illacrimetur miseriæ, eamque non impigrè confiteatur Domino. In hunc modum diuino munere perficiuntur & præparantur iusti ad vitæ æternæ beatitatem: quibus accidit, vt rerum omnium curam agente prouidentiâ, quæ putatur pœna, sit medicina, sicut habet D. Hieron. in Ezechielem, quòd cum ita esse intelligant, *recti corde*, à Diuo Augustino in psal. 63. appellãtur: *Qui omnia quæcunque in hac vitâ patiuntur, non ea tribuunt insipientiæ, sed consilio Dei ad medicinam suam: nec præsumunt de iustitiâ suâ, vt putent se iniustè pati quod patiuntur, aut ideo esse Deum iniustum, quia non plura patitur qui plus peccat.* Non ignorant illud Claud.

Explorant aduersa viros, perque aspera, duro
Nititur ad laudem virtus interrita cliuo.

Hercules.

In quem virum euasurum fuisse putas Herculem, inquit Epictetus lib. 1. cap. 6. tom. 3. nisi leo talis extitisset, & hydra, & ceruus, & aper, & iniusti quidam homines, & feri, quos ille expulit, & expurgauit? quidnam fecisset, si nihil huiusmodi extitisset? nonne stragulis inuolutus dormisset? Itaque primùm non factus fuisset Hercules, in talibus delicijs & otio stertens per omnem ætatem. Deinde, vt factus esset, quæ fuisset illius vtilitas? quis vsus brachiorum eius? quis tanti roboris? quis tolerantiæ & animi generosi, nisi tales cõflictationes, cum ad talia certamina concitassent, atque exercuissent? Hactenus ille: quod nos itidem de D. Laurentio, alijsque Christi Martyribus dicere possumus, quibus persecutiones tyrannorum, pædagogus ad gloriam fuere: quos certamina, ad honores, & æternæ felicitatis palmas & triumphos euexerunt.

Mali quod floreant prouidentiæ est.

6.
Malis nunc bene est, vt sit illis malè in futuro.

Eiusdem procurationis diuinæ est, sine quâ, ne tyrannis quidem dominandi potestas datur, vti ait D. August. 5. de Ciuit. Dei cap. 19: aut sic malos permittere, vt cuncta illis ex animi sententiâ cedant, quò grauiùs in futurum plectantur, non autem vt alij sumpto inde exemplo peccent liberiùs scelerum suorum impunitate sibi propositâ. hoc enim praui animi est, vt tradit D. Greg. Nazianzen. orat. 53. cap. 8. his verbis: *Quoniam enim Dei prouidentia, propter summam animi æquitatem & patientiam, haudquaquam omnes confestim persequitur, nec malus statim post admissa flagitia pœnis afficitur, ob eam causam sibi fas esse putat vir prauus, diutius peccare, quasi innoxius discessurus: illud videlicet non intelligens, quòd etiam post longum à perpetrato scelere tempus, Dei scientiam non fugiet.* Scilicet inde sibi sumit peccandi argumentum, vnde Dei timorem concipere debuerat. Verumtamen, vti Zonaras tom. 1. Annaliũ inquit, *Diuina prouidentia non inulta esse patitur, quæ præter ius, & æquum fiunt*: habet enim suos laqueos, habet suas tendiculas, habet sua retia summi Numinis prouidentia, quibus illaqueantur, quibus implicantur, quibus irretiantur, quanquam fortè tardiùs, quicunque iustitiæ & æquitatis metas transilierunt, vnde idem auctor alibi: *Etiamsi prouidentia tardiùs inuadat iniurios concesso pœnitentiæ spatio, tamen nisi à malitia discesserint, lento gradu eos assequitur, & pœnas exigit.*

Aut etiam tolerantur à prouidẽtiâ impij, quod ex ijs magnum aliquod bonum futurum sit: ita de Thare, ita de Esau, ita de Ægyptijs philosophatur D. Chrysostomus hom. 5. de pœnitentiâ: *Thare, inquit, Abraham pater, idolorum & cultor & factor, sed hoc loco haud impietatis pœnam Thare irrogauit, & meritò: si enim praeueniens Deus radicem amputasset, vnde tantus fidei fructus germinasset? Quid Esau nequius? consideratur ob alterius occasionem clementia. Quid Esau nequiùs inuerecundiusque? malitiâ ille nonne fornicator, nonne profanus erat? nonne odibilis Deo, quemadmodum testatur scriptura dicens, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: Si ergo & fornicator, & parricida, & profanus, & odibilis, quare protinus meritam non suscipit animaduersionem? Quare pulcrum quidem fratres, pulcram caussam libet dicere: Si excisus fuisset, maximum fortassis iustitiæ fructum mundus amisisset: & qualem, audi: Esau genuit Raguelem, Raguel Zaran, Zara Iob: certus quantus elanguisset patientiæ flos si praeueniens Deus, à radice pœnas exegisset? omnibus igitur in rebus, & initia speculatur, & exitus, Deus. Ea namque vtitur & prouidentiâ super Ægyptios, qui vltra fidem blasphemi: patienter expectat, quousque ibi monasteria & Ecclesiæ, atque in illis florerent, qui Angelicam imitarentur vitam.* Hactenus os illud aureum.

Aut denique idcircò mali viuere permittuntur, *vt corrigantur*, inquit D. August. in psal. 54. *aut vt boni per eos exerceantur*, sicut de Esau scriptum est, *maior seruiet minori*, non obediendo, sed persequendo, vt fraternæ patientiæ manifestationi, parricidæ persecutio deseruiret: & cùm ipsum viuere, sit prouidentiæ effectus, qui ad prædestinationem pertineat, ait in psal. 148. *Summos feriunt fulmina montes, cur non latrones? quia fortè adhuc latronis conuersionem quærit; & ideò percutitur mons quia non timet, vt mutetur homo qui timet aliquando.* Nonnunquam illi quoque acerba experiuntur in corporeis, vt nimirum cruciatus illi corporei, aut conuersos ad Deum exerceant, aut vt conuertantur, admoneant, aut iustæ damnationi vltimæ præparent obduratos: *Et sic omnia ad diuinæ prouidentiæ regimen referantur*, inquit D. August. in psal. 9. *quæ stulti quasi casu & temerè, & nullâ diuinâ administratione fieri putant.* Cui quidem prouidentiæ, non modò homines, sed Angeli quoque militant, siue boni, siue mali: boni ad rationalis creaturæ custodiam, mali ad eiusdem impugnationem: sed eum acerbiùs exercere non permittuntur, quàm quod ipsis à diuinâ prouidentiâ est constitutum, de quo suprà diximus cap. 38. §. 6. num. 9. & D. Augustinus lib. de Agone Christiano cap. 8. indicauit, dicens *illas animas quæ habent voluntatem nocendi, & rationem cogitandi, sub diuinis legibus ordinatas esse, ne aliquid iniustum quisque patiatur.* Velut enim molossus vinculis innexus, atque furore percitus, emutit, latrat, despumat, dentibus frendet, ringitur, sæuit, ferrumque quo eius rabies stringitur dente petit: ita Cacodæmones, tanquam furentes bestiæ, sic vincti, infibulatique sunt, vt non amplius possint, quàm quod diuinæ prouidentiæ largitur manus, magnam alioqui animarum stragem facturi, si pro arbitratu suo desæuirent. Tantum nempe illis est odium Dei, vt eius insesti imagini, quam in homine expressam vident, ipsam in sui effigie dilaniare moliantur, pardalis in morem, cuius tanta in hominem odij acerbitas, vt vel eius oblatam similitudinem discerpat, quemadmodum D. Basilius, serm. in aliquot scripturæ lo-

Viuere est effectus prouidẽtiæ.

eos testatur, verbis totidem: *Vidi ego eam, partim audiui, res certa est: inter animalia hominibus inimicissima, pardalim quandoque in stadijs, hominis oculos præ irâ inuadentem: qui autem feræ deludere furorem quærunt, hominis imaginem ei ex chartâ ostendunt; illa statim furibunda, eam concerpit, atque dilacerat, hoc argumento satis ostendens, quanta sit eius aduersus hominem inimicitia.*

Faciunt quoque ad hanc prouidentiam, mutationes rerum miraculosæ, per quas ordo caussarum naturalium immutatur, necnon etiam actiones, quæ naturæ vires superant: magna denique illa & stupenda procuratæ salutis humanæ, per stultitiam & scandalum crucis miracula. Quæ omnia, in hominis ad beatas illas supernæ Ierusalem sedes, atque ineffabilis & incommutabilis Dei essentiæ conspectum felicissimum, euectionem collimant; neque minùs in ipsius Dei gloriam, qui fortitudine & suauitate, tanquam arcticum sidus, inter vastas aquarum pelagi mundani moles, fluctuantē, periclitantemque vitæ nostræ nauem dirigit in portum, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter: quemadmodum scalæ Iacob symbolo indicatum videtur, cuius latera erecta, ima summis, terram cælo, centrum suæ periphæriæ iungebant: his enim fortitudo & suauitas significatur, quibus innixus immobilis, atque immutabilis Deus, omnia mouet, mutatque tantâ fortitudine, vt non sit quisquam qui vim eius prouidentiæ impedire queat, aut effugere: tantâ suauitate, sese creaturæ suæ attemperans, vt nulla vis aut necessitas cuiquam inferatur, sed sic fiant omnia, vt quum fiunt, quod ita fiant non sentiatur, haud secus atque plātas non crescere, sed creuisse videmus. Transuersi gradus, sunt diuersi creaturarum ordines, ceu Homerica rerum naturalium è cælo propendens catena, imaque cælesti vinculans curæ, per quos Angeli diuinæ gubernationis administri, ascendunt, orationum, operationumque nostrarum vasa cælo illaturi descendunt, dispositiones, ordinationesque diuinas, nobis reuelaturi: vide cap. 6. num. 3.

Bonas esse clades, quibus probi à prouidentiâ exercentur, puniuntur errantes.

7. *Prouidētiæ malum nullum adscribi.*

IAm verò, cùm prouidentia ad electorum prædestinationem potissimùm ordinata sit, eique cætera subordinentur, atque ad hominem tanquam ad finem immediatum referantur; quæcunque naturalis, moralisve Numinis cura administrat; quisquámne mortalium consultæ mentis inter mala reponat, clades, calamitates & infortunia, quæ humanam oberrant vitam, quantumuis illa, inconsultum vulgus funesta censeat? Nam si à Deo sunt, bona vt sint, necesse est: si promouendæ prædestinationis ergo volita sunt, illa malis adnumerare nefas: non enim nocendi cupiditate, sed naturam rationalem in supremum finem dirigendi, à Deo præstita sunt humano generi. Velut enim, *Mater modò lactat filium*, inquit Absalon serm. de Natiuitate Domini, *nutrit, fouet, modò flagellat & increpat: magis tamen procedit de pietate materni pectoris fouere, nutrire, quàm flagellare: hoc naturali pietate facit, illud à filio prouocatur: ita & filius Dei naturaliter bonus, nobis exhibet pietatem; prouocatus nostrū peccatis, facit vltionem.* Hinc D. Bernard. serm. 57. in Cant. *Non ergò contemnenda increpatio iusti, quæ ruina peccati, cordis sanitas est, necnon Dei via ad animam.* Non itaque nocet, neque nocere potest summa illa & essentialis bonitas, quæ naturam condidit, non vt eam perderet, sed vt conseruaret, vt ægram sanaret, vt imbecillam atque debilem corroboraret, vt fractā solidaret, vt otio deditam, ad prælia, ad victorias & triumphos exerceret, vt adspirantem ad se promoueret, vtque vincentem coronaret. Inde est cur veteres Deum, Iouem appellarunt, à iuuando scilicet, siue, vt Clemens Recognitionum lib. 10. *Græci Iouem à viuendo, vel vitam dando appellant.* Et quisquam iuuantem patrem quum irasci videtur, sui coëssentiali bonitate exutum cogitabit? ira, vindicta, vltio, increpatio, & cætera huiusmodi, sunt nomina adfectus humani, ab imbecillitate orta, à quibus quàm longissimè abest Deus, vt sunt talia. *Pœnitet te, & non doles,* inquit D. August. Meditat. cap. 29. *irasceris, & tranquillus es, opera mutas, sed non consilium.*

O immutabile Dei consilium, quod mutabiles mutabilium rerum clades, calamitates, strages, conflictationes, ærumnas, cruciatus, oppressiones, angustias, anxietates, tormenta, cruces, in finem immutabilem eorum qui ista patiuntur, tolerant, sustinent, ferunt, dirigens, ex fine bonas facit! Porrò autem ista permittens aut immittens Deus, quem alium finem præscriptum habet, quàm emendandi? *Noster Deus, irascitur & vindicat,* inquit D. Clemens Recognitionum lib. 2. *non est malus, sed iustus, proprios enim filios corripit, & emendat:* Et vt medici ventres primò purgantes, alios quidem à morbis intactos seruant, alios verò iam ægrotos, ad sanitatem reducunt, ita clades, medicinæ sunt electorum, antidota sunt contra peccati virulentiam, quam aut pellunt, aut cauent.

8. *Venæ sectio militaris olim animaduersio.*

Antiquitus militaris animaduersio fuit, teste Aulo Gellio lib. 10. noct. atticar. cap. 8. iubere militi stupentis animi, atque à naturali habitu declinantis venam solui, & sanguinem dimitti, primitùs quidem non tam in pœnam, quàm in medicinam, vt reliquo videlicet sanguine qui in venis restaret attenuato, stupor euacuaretur: pòst verò, etiam ob delicta pleraque, quasi minùs sani viderentur omnes qui delinquerent. Sic cladibus ferimur, vt quasi extracto putri terrenorum affectuum cruore, rarior, purior, subtiliorque sit reliquus ad diuina consectanda, curetur que à spōtaneis delictis minùs sana mens. Quid enim? Archiatrus noster Deus malus est si quod pectore virus gerimus, asperiori pharmaco, ad cutem sanaturus reuocet? nos non conflictabimur asperis, si ærumnæ nostræ caussam ipsi ponimus? Aptè D. Gregorius Nyssenus in mysticâ oratione vitæ Mosaicæ. *Quemadmodum si praui ac perniciosi humores in præcordijs ac intestinis lateant, non accusatur medicus, quòd eos ipse fecerit, si arte ipsos in cutem, vt appareant, traxerit; si effecerit, quidem illos inordinatâ diætâ, traxit autem in manifestum non imperitus medicus: sic cùm dolores ac cruciatus hominibus à Deo factos audimus, intelligere decet à nobis ipsis initia & caussas earum vexationum fuisse.*

Clades aliæ meræ, aliæ mixtæ.

Ita ergo dispensat clades Deus, ita ordinat, vt siue immittat ipse, siue permittat, hoc est, siue meræ sint, siue mixtæ (prout duplices intelligere possumus) cùm bonitate communicent. Meræ quidem, quia solius Dei voluntate fiunt, ac proinde, quin bonæ sint, nemo est qui ambigat, eiusmodi sunt sterilitas, fames, terræ motus, chasmata, cataclysmi, morbi, mortes. Mixtæ verò, etiam participatam bonitatem habent; nam, licet pessimorum hominum ministerio eueniant qui in omnem effusi nequitiam, ardeant in tyrannides, bella, oppressiones, cædes, Deo nihilominus etiam auctore fiunt, ordinanturque in designatos à prouidentiâ fines. Quare si videris tyrannum minas, ruinas, cædes spirantem, cui voluptas sit nocere, quique perire velit, vt pereas, sine eum, aberrabit à suo fine, & occulto proui-

dentiæ suæ sunt, Deus illum ad suum finem trahet: ita Pharao, ita Nabuchodonosor, Deo, quanquam contra niterentur, obtemperarunt. Quemadmodum enim non mala est eleemosyna, quam herus ambitiosi, gloriolamque expetentis famuli, manu erogat: non iniusta nex quam iudex æquus decreuerit, lictor verò iratus, & propriæ vindex iniuriæ intulerit, ita iustæ sunt & bona, quæ bonus & æquus Deus decreuerit, quamuis administer prauus. Id quod ex triplici gladium fine fit euidentius, quæ est, exercere, castigare, punire: aut enim calamitates exercent bonos, aut lapsos castigant, aut improbos puniunt. Videas enim optimum quemque premi cladibus aut iisdem inuolui pariter cum impijs, exercitium est quod iuuat bonos, non vno modo, sed firmat, probat, præit, inquit Iustus Lipsius lib. 2. de Constantiâ, cap. 8. Est quippe mundus hic gymnasium quoddam, in quo Deus suos ad robur & virtutem instituit. Athletas per aspera exerceri oportet vt vincant: ita & nos in hac gladium palæstrâ; acer enim ille noster Gymnaster, laboris & pœnitentiæ exactor est, non ad sudorem tantùm, sed ad sanguinem. Pater est, laboribus suam assuefacit sobolem, non eneruat indulgentiâ vt mater. Sin te nautam esse velis, tempestatibus; sin militem, periculis exerceaтis oportet; si virum, aduersitatibus: cur recusabis? cur non eas æquo & bono animo accipias tanquam à beneficâ omnium bonorum largitoris manu? non est alia ad virtutem & beatitudinem via. Clades sunt epulæ, quibus reficitur palæstritarum animus in huius mortalis vitæ palæstrâ, quarum auida erat Virgo illa, de quâ legitur, quod lætissima & glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas inuitata. Clades sunt epulæ diuinioris nostræ portionis, in quibus tenetur, possidetur & gustatur dulcedo inæstimabilis, per quam amara omnia dulcorantur, Deus nempe ligatus, Deus colaphisatus, Deus consputus, Deus flagellatus, Deus spinis coronatus, Deus clauis perforatus, Deus crucifixus, Deus mortuus. Tua enim illa dulcedo, mi Iesu, *Stephano lapides torrentis dulcorauit*, inquit D. Augustinus Soliloquior. cap. 22. *Tua dulcedo, craticulam Beato Laurentio dulcem fecit: præ tuâ dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc tua dulcedo ipsos Apostolorum principes sic repleuit, vt pro ipsâ crucis patibulum vnus eligeret: alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emendâ, Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustandâ, veneni poculum intrepidus Ioannes potauit.* Ecce vt firmant clades quos exercent, velut enim arbores ventorum flabris agitatæ, altiùs radices figunt, ita boni firmiùs in virtute consistunt, impulsi aliquot aduersitatum procellis. Contrà verò languida & vmbratica corpora videas, quibus rarus Sol illuxerit, quæ ventus non strinxerit, non libauerit aura tristior, superueniente pruinâ decoqui, adiri; ita molles animi deijciuntur minimâ aduersantis fortunæ aurâ.

Nautæ peritia, tempestate probatur.

Probant etiam virtutem clades. Solida nautæ peritia inter colluctantes ventos & procellas cernitur, si non cedat, si carbasa ventis attemperet, si recto temone moles aquarum penetret, si præter spem carinam præstet incolumem, si portum vincat: sic aspera, animi pij & boni firmitudinem, si non excutitur, si non cedit, si duret vsque ad victoriam; si nihil indecorum committat, si officium non deserit, vt verè possit dicere quod Nauta ille Rhodius, apud Gulielmum Canterum Nouarum lection. lib. 7. cap. 26. qui cùm in alto, tempestate premeretur, & naufragium iam iam facturus videretur, in hæc tandem verba prorupit, *ἀλλ' ὦ Ποσειδᾶν ἴσθι ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδύσω: At Neptune, rectam vt sciat, nauem demergam*: quibus indicabat, nihil se præter decorum, & quàm res postularet facturum, sed omni prorsus se satisfacturum officio: vt inquam, vehementiori cladium tempestate agitatus, si obruitur, si ad supplicium rapitur: dicere valeat: *At Domine, vt scias quia iustus sum, rectam nauem demergam*; vel sic in portum deferendus; fidei clauum rectum tenebo, vt si me demergat tempestas valida, ad te transeam, in quem direxi. Philo Iudæus lib. Quod omnis vir probus: Spectaui, inquit, aliquando certantes Pancratio, alterum obtundentem pugnis & calcibus, totisque viribus contendentem ad victoriam, tandem lassum, & incoronatum è stadio discedere: alterum carnosum, neruosum, musculosum, refertumque spiritu verè athletico, tanquam saxum ferrumve non cedentem plagis, soleque patientiâ superare aduersarium, & ad extremum adipisci victoriam: huic similem bonum virum censeo, qui validè confirmatus certo animi proposito, efficit vt aduersarius priùs delassetur inferendo iniurias, quàm ipse quidquam agat, præter animi sui sententiam. Hactenus Philo. Ita dixit Apostolus ad Rom. 5. patientiam operari probationem, hoc est, patientiam qui quis temporalia mala patitur, abundè indicare, æterna plus diligi, in quorum adquisitione, æquo animo, quæcunque aduersa tolerantur, quàm temporalia bona, in quorum iacturâ probatur vir probus, & Dei amicus. Quare rectè Demetrius, *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil euenerit aduersi*. Et verè: nam negligitur tanquam ignauus, & repellitur à coronâ: pericula rerumque difficultates sunt, quæ viros monstrant, & quum periculum inciderit, Deus te lanistæ instar cum aspero adolescente committit, vt vincas, vt coroneris, id autem citra sudorem non contingit: adductus in discrimen, tanquam pugil adolescentem illum tracta, oppone animi constantiam, atroci rictu verberet saxum conuiciatoris: vicisti. Neque tamen ideò non vocato in ardua, parcit rex noster, sed differt non indulget, sed abijcit & contemnit, expungit è rationum suarum libris, tanquam imbellem & inglorium.

Rom. 5.

Postremò, præeunt; quia robur & patientia iustorum tanquam fax lucidissima, terreni sensus nostri caliginem illuminant, & nos accendunt exemplo, vt calcatis carne & sanguine, in consimilia certamina, armati, generosè feramur. Armatos enim esse oportet quicunque de Imperatoris nostri familiâ sunt, vt cladium & fortunæ tela, in huius vitæ circo validè sustinere, & superare valeant: vnde sacra volumina Cantic. 7. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* quia enim semper in excubijs, semper in statione suâ, contra fortem armatum militat, semper in armis, semper in procinctu dimicationis esse debet, & ipsa per se virtutum armata choris, integrum exercitum, integra castra efficere, quomodo Ionathas solus cum armigero suo, velut castrorum acies bene ordinata, integros hostium fudit exercitus. Ita non abs re Poëtæ veteres Sapientiæ Deam armatam finxere, quasi instruat eos, qui ad sapientiam & virtutem nituntur, graui armaturâ contra hostiles impetus esse muniendos.

Cant. 7.

9. *Fines cladium plures.*

Quod si alias cladium fines æquâ trutinâ examinauerimus, quæ sunt, castigare lapsos, & reprobos punire, nemo est, qui calamitates etiam non

non admittat in seriem bonorum, præsertim si non simulatè dicimus, bonum hominis & malum in eius voluntate situm. Quid enim? relinquat optimus parens, & æquissimus Iudex Deus, aberrantes à se filios per ignorantiam, ad exanimationem vsque in præceps labi, nec eriget, nec reducet in viam rectam? Aut tenebriones ad saniora redire nolentes, impunitos ferat? quia verò clades, peccatoris est pædagogos, qui pluribus medijs discipulos instruit ab illicitis auocat, errantes emendat, & ad iustitiam adducit, non vno sed pluribus ad sanandum nos vtitur remedijs Deus, & *Quemadmodum erudituri vulnerum*, inquit Cyrill. in cap. 11. Ioan. *non vnum, sed varia vicissim remedia conferuntur, neque semel, sed frequenter appositis remedijs molliuntur, si. duro animo varia quædam & frequens accommodanda doctrina est, vt si prima parum profecerit, secundo saltem, aut tertia, vel eisdem verbis allata permulcere, atque attrahere possit*: etsi verba per veritatis præcones adhibita nil effecerint, eundem ad sectionem vlceris, & verbera, ne malè sit illi quem præterierit medicus, cuius manum exquirit sapiens, non timet. Namque vt D. Chrysost. homil. 7. de diuersis, & Concione 3. de Lazaro, *Et quis vultum habeat, quid timere dignum est? saniem an medici sectionem? ferrum an vlcerum depopulationem? Peccatum sanies est, pœna ferrum est medicinale. Sicut igitur saniem habens, & si non secetur, malè habet, & tunc peius habet cùm non secatur, & maioribus malis est: ita peccans etsi non puniatur, omnium miserrimus, & tunc maximè miser quum non punitur, & graue nil patitur: & sicut splene, & intercute laborantes, quum largâ fruuntur mensâ, & frigidâ potione, & delicatis ferculis & saporibus, tunc maximè omnium sunt miserrimi delitijs morbum angentes. Si verò siti & fame secundum medicorum leges crucientur, aliquam salutis spem habent: Sic in iniquitate viuentes, si puniantur quidem bonam spem habent: si verò, cum iniquitate, licentiâ, & delicijs fruantur: & hydrope laborantibus, & crapulantibus sunt multo miseriores, & tantò magis, quantò corpore melior anima.*

Rectè autem Metellus Numidicus referente Aul. Gell. noctium Atticar. lib. 1. cap. 6. Deos, etsi propensioris sint in nos voluntatis, amentque multum, non teneri tamen, neque debere mitiùs nobiscum agere, quàm parentes, qui si liberos habeant contumaces & proteruos, quique laxatis habenis in omnem proruant nequitiam, neque ad mentem bonam reuocari posse sperentur, iure sibi in eos à naturâ tributo, possunt exhæredare, bonorumque suorum communicatione priuare: ita si vitijs obærati fuerimus, vt nec ratio vlla, neque correctio, neque lex ad officium reduxerit, frustra benignum, frustra propitium expectabimus Deum, quem seuerissimum potiùs iudicem sumus habituri. Verba Metelli hæc sunt, *Dij immortales plurimum possunt, sed non plus velle debent nobis, quàm parentes: At parentes si pergunt liberi errare, bonis exhæredant. Quid ergo nos à Dijs immortalibus diutiùs expectemus, nisi malis rationibus finem faciamus? ijsdem Deos propitios esse æquum est, qui sibi aduersarij non sunt. Dij immortales virtutem approbare, non adhibere debent.*

Parentes liberos exhæredare possunt.

10. Puniendi caussæ duplices.

Aut ergo immissione cladium commonet & emendat Deus, aut extremo exemplo plectit: quæ sunt duplices puniendi caussæ apud Platonem in Gorgiâ, eodem Gellio teste lib. 6. Noctium cap. 14. παραίνεσις nimirum & παράδειγμα, monitio & *exemplum*: παραίνεσις dicitur, inquit Gellius, quum pœna adhibetur castigandi atque emendandi gratiâ, vt is qui fortuitò deliquit, attentior fiat, correctiorque. Hanc in Protagorâ etiam εὐθύνην, id est, *directionem, appellat Plato*: Velut reductrix sitiâ iter iustum, eius qui à viâ aberrauit. Vt enim quod obliquum est, & distortum, si flexile est, non difficulter virgulâ corrigitur, quodque in cantu dissonum, leui ac subitario impulsu in symphoniam sæpe litur, ita mortalium lapsus, virgâ directionis emendantur. Idcircò Prophetæ, quas prædicabant calamitates, onus appellabant, *Onus Babylonis, Onus Niniue*, quia sicut onus, natiuâ propensione in centrum suum tendit, ita clades, si patienter tolerantur, in centrum iustorum, quod Deus est, afflictum reducunt: quod significauit Iessæus vates psal. 59 quando Moabitas ollam suę spei esse asseuerauit: *Moab olla spei meæ*, siue vt Aquila legit: *Lebes lotionis*, aut, *lauatri mei*: Siue vt Symmachus: *Lebes tranquillitatis*, siue, *securitatis meæ*. Tranquillitatis etenim, atque securitatis æternæ spem operatur admissi reatus lotio, quæ in aduersitatum lauacro perficitur; ita sentit D. Augustinus, qui Moabitas ex maiore filiarum Loth oriundos, signa & symbola esse peccatorum tradit, à quibus tanquam à fonte, & origine omniũ malorũ, calamitates, morbi, afflictiones, ærumnæ, cæteraque huiusmodi humanæ vitæ impedimenta dimanant: & hæc olla spei dicuntur. Quasi dicat, à peccatis labores oriuntur, per ollam designati, qui sunt olla spei, non consumptionis meæ, inquit D. August. *In laboribus enim concoquor, sed non consumor*: imò sunt olla spei meæ, quia quantò maiori tribulationis igne accendor, tantò citiùs & emortua mea spes suscitatur, & à Deo ipso flagellante, maiora præmia me consecuturum spero. Hinc Apostolus ad Rom 5. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò spem.* Quia nimirum nonnisi per ardua passionum quæritur gloria, in quibus quum deprehendimur, & pugnamus, & vt saluâ naue eluctemur laboramus, certa quædam eius spes in animis nostris excitatur. Labores itaque & clades, olla dicuntur, quæ igni superposita cælestes nostras spes purificat, vnde Iob. cap. 5. dicitur, *Beatus homo qui corripitur à Deo*, corripitur namque non ad perditionem, sed ad reparationem, velut vasa quæ veteribus circulis detritis, nouis constringuntur, vt immissum in vsus bonos liquorem seruent: sic enim aduertit Philo Iudæus libro 1. de vitâ Moisis, dicens, Deum in plagas, non induxisse super Ægyptios feras, leones, tygrides, vrsos, & crocodilos, sed muscas, ranas, cyniphes, & huiusmodi sectilia, quòd illos exterminare nollet, sed tantùm corrigere. Ista enim ad doctrinam sunt & correctionem, sicut & aliæ clades: id quod satis intellexit Crœsus, qui teste Herodoto lib. 1. à Cyro rege captus, mortique addictus, dixit; Etsi mihi molestiam calamitates meæ attulerunt, eædem tamen doctrinæ loco fuerunt, vnde locum prouerbio dedit παθήματα καὶ μαθήματα.

Psal. 59.

Rom. 5.

Iob. 5.

Crœsus.

11. Exempla, grauissimæ pœnæ sunt appellatæ.

Altera verò puniẽdi ratio, à Græcis παράδειγμα, nominatur, inquit Gellius, cùm punitio propter exemplum necessaria; vt cæteri similibus à peccatis, quæ prohiberi publicitùs interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcircò veteres, exempla pro maximis, grauissimisque pœnis dicebant: quas, quia animaduersio peccati conditionem sequi debet, secũdum illud Horatij lib. 1. sermon. saty. 3. ——— *adsit*

Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Ne scutica dignum, horribili sectere flagello.

Tum sancient, quum nulla spes esset, eum qui peccauerat, emendari posse & corrigi, grauiori delicto, coërcitionem grauiorem exigente. Quemadmodũ enim in aspidis ictu, nullum est remediũ, nisi partes contactæ amputentur, ita quædam vitia solâ morte sanari possunt. Multum

tum autem ad coërcendam audaciam valet propositum punitionis exemplum, quum ipsa maleficii præsens forma, & ad recordationem admonere conscios, & ad sciscitationem cogit ignaros, vt proinde Thucidides apud Plutarchum de sera Numinis vindictâ, dicat, nihil æquè à maleficio reuocare illos qui aliorum exemplo facilè abducuntur, quàm irrogata, mox vt peccatum est, pœna: vnius namque improbi supplicio, multorum improbitas coërcetur, vti canit Ouid. 3. de Ponto elegia 2.

Cùm feriant vnum, non vnum fulmina terrent:
Iniectaque percusso turba pauere solet.

Atque ita fit, vt in quo alter cōfunditur, alius emendetur, iuxta illud Prouerb. 21. *Multato pestilente, sapientior erit paruulus.* Tullius quoque in Cluentianâ, *statuerunt*, inquit, *maiores nostri, vt si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animaduerteretur, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad pauciores perueniret.* Hinc monet Isidorus, Aspice in alieno tormento quod timeas, respice in alieno exitio quod paueścas, euita foueam in quam videris alium cecidisse coram te, pericula aliena in te pertimesce. Ordinatur quippe à prouidentiâ hæc quoque vindictæ ratio, siue eam Deus per se, siue per administros Angelos, vel homines, vel quamlibet aliam creaturam exerceat, vt alios arceat ab iniquis facinoribus vel reuocet. Ita Chore, Dathan, Abiron blasphemi terræ chasmate perierunt. Num. 16. ita ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens Dominus, euersione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi sunt, ponens 2. Petri 2. quæ pœna ad filios etiam eorum innocentes transijt, sine culpa quidem, at non sine caussâ, quod vindictæ genus ad exemplares quoque pœnas pertinere ratus est Plutarchus suprâ, *Vindicta vero*, inquit, *quæ ob maiorum facinora in filios, ac vniuersum debebatur genus, manifestè aliquando cernitur: quandoquidem multos à sceleribus auertit, at ne similia audeant, deterret, atque admonet:* Varijs enim ærumnis, & pœnis temporalibus conseruantur iusti, ne cadant, inquit Petr. Gregor. Syntagm. Iur. lib. 31. cap. 4. num. 4. qui iam ceciderunt, releuantur. Sunt pharmaca, quæ præueniunt morbum & anteuertunt, alia quæ curant. Et præstantior mihi & magis amicus videtur censendus medicus & medicina, quibus auertuntur & præcauentur morbi, illis quibus sanantur. In vtrisque bonum nihilominus: sed non esse ægrotum, quàm curari, melius. Meretrici minas intentans Nahum cap. 3. *Proijciam*, inquit, *super te omnes abominationes tuas, & contumelijs te afficiam, & ponam te in exemplum.* Actuum cap. 12. Herodem Agrippam *confestim percussit Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus, exspirauit:* 4. Reg. cap. 2. duo vrsi egressi de saltu, pueros lacerarunt, qui illuserant Elizeo. Iezabel à Canibus deuoratur. 4. Reg. 9. Quemadmodum enim agricolæ arbores, quarum sterilitatem neque circumfossione, neque putatione, neque aliâ industriâ corrigere potuerunt, igni deputant: ita Deus, quos diu, vt conuertantur, tolerat, non conuersos duriùs damnat, inquit D. Gregor homil. 13. in Euangelia. Merito namque, qui neque malis præsentibus corrigi, neque fructus dignos pœnitentiæ facere voluerunt, districtiore iudicio, cum æquitate & misericordiâ feriuntur.

Prou. 21.

Nahum 3.

Act. 12.

Quanquam verò præfatis duabus animaduertendi caussis, tertiam addat Taurus Platonicus, in primo Commentario in Gorgiam Platonis, quam τιμωρίαν, vocat, hanc tamen, promiscuè pro omni punitione accipit Plato. Est autem τιμωρία, quum dignitas, auctoritasque eius in quem peccatum est, tuenda est, ne prætermissa animaduersio, contemptum eius pariat, & honorē leuet: Idcircò ei id vocabulum à conseruatione honoris, factum putant. Τιμωρία itaque, vel in ipsas leues noxias statuendum, ne, si impunes permittantur, legitimæ dignitatis, auctoritatisque, quibus honor & obseruantia tribuenda sunt, oriatur contemptus, non modò apud delinquentem, verum etiam apud reliquos, qui viderint & cognouerint: Est enim impunitas, & contemptus superioris potestatis, & peccandi maxima illecebra: quam illecebram, ne repere sinat prouidentia, etiam quod leuiter peccatū est, punit, ne despecta peccando Numinis maiestas, cui debitus honos omnis & gloria, eadem non vindicando, veniat in contemptum.

τιμωρία quid.

Iustus itaque es, Domine Deus, & rectum iudicium tuum, quo dispensas clades mortalium secundum præstitutos à prouidentiâ tuâ fines: neque enim crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens & misericors Domine, qui quum non essemus, potenti virtute tuâ fecisti nos, & quum nostrâ culpâ perditi essemus, tuâ bonitate & pietate, mirabiliter reparasti nos, inquit D. Augustinus Meditationum cap. 38. Scio, & certus sum, & hoc tibi confiteor Domine Deus, quia vita nostra, non temerarijs agitur motibus, sed à te, Domino Deo nostro, etiam quum flagella irrogas, disponitur & gubernatur, vnde tibi cura est de omnibus, & maximè de seruis tuis, quos æternis præparas habitaculis, & qui totam spem suam posuerūt in solâ misericordiâ tuâ. Idcircò obsecro, & suppliciter rogo, vt non facias mihi secundum peccata mea, quibus iram merui, sed secundum magnam misericordiam tuam, quæ superat etiam peccata totius mundi, in quam me sperare fecisti, Deus meus, qui es misericordia mea, qui es prouidentia mea, & cornu salutis meæ.

Conuersio ad Deum.

CAPVT XLII.

De nominibus Diuinis, Hebraicis.

Nomen אהיה *ehieh, quod Græcis, τὸ ὄν, Latinis, qui est, Deo, vt competat.*

AD fidei meritum, mihi quidem Dominus, hæc Moisi effatus videtur Exod. 33. *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Illa enim quæ posteriora dicuntur Creatoris, si tanquam typos in ordinem compositos cogitauerimus, summi ac primi entis imaginem, quod cum secūdo ente nullam communionem habet, mentibus nostris valent imprimere: quod satis est ad formationem intellectus humani, vt in radiantem meridianā luce solis faciem, non aliter intendat, quàm humanæ argumentationis cilijs palpebrisque commissis atque demissis, nisi diræ cœcitatis tenebris vulnerari velit: *Adumbrationem enim ne Deus*, inquit D. Greg. Nazian. Orat. 38. *non ex his quæ in ipso sunt, sed ex his quæ circa ipsū sunt*, hoc est, ex posterioribus eius: *Hoc enim Dei tergum est*, inquit idem Sanctus lib. 2. de Theologiâ, *quidquid enim nobis suo indicio refert, vt tamen illius naturam non contingat, perinde ac vmbra, & in aquâ relucens solis imago hebetioribus oculis illā adumbrat: dum illum ipsum præ nimio purissimæ lucis fulgore, quo sensum facilè exuperat, intueri nequeunt.* Præcipuam enim illam essentiam, de quâ sic Reuchlinus lib. 2. de Verbo mirifico, cap. 15. *Essentia Dei est separatio à rebus, & omnimoda à seipso clau-*

4. Exod. 33. Posteriora Dei.

sio & extrema; in remotissimo suæ Diuinitatis recessu profunda ac solitaria retractatio, penitissimè in abysso suarum tenebrarum se contegens, neque mentis nostræ oculus attingere, nec eloqui nostra imbecillitas potest: quam quum sola ipsa mens increata penitùs cognoscat, eius quoque nomen apud mortales illustrauit, quum quærenti Moisi Exod. 3. nomen Dei, respondit, *Sic dices filijs Israel* אהיה *Ehieh, misit me ad vos*, hoc est, *Qui est*, siue vt alij ex Hebræo אהיה שלחני אליכם *Ehieh scelachani aliecem, Sum misit me ad vos*, in quem locum Gerundensis, *Est Deus illa existentia, quæ nec præterijt, nec præteribit*, hoc est, semper est Deus, qui nunquam cœpit, nec vnquam desinet, sed omnem transcendit rationem temporis, & solus potest dicere. *Sum*: Est enim ipse omnis essentiæ atque vitæ fons & plenitudo, à quo, cætera omnia quæ sunt, habent esse quod sunt, quæ tamen verè non sunt, quia sunt mutabilia, solus autem verè est, qui semper eodem modo est, vnde ait, *Ego sum qui sum*: quod perinde est, ac si diceret; Solus ego verè sum, qui à me habeo vt sim; cætera non sunt, quæ quum non essent, vt essent feci. Hinc D. August. Tractatu 38. in Euang. Ioan. *Si omnia sunt hæc quæ per te facta sunt: quid est quod tibi proprium quiddam tenuisti, ipsum esse, quod alijs non dedisti, vt tu solus esses? Res quæcunque prorsus, quacunque excellentiâ, si mutabilis est, non verè est; non enim est ibi verum esse, vbi est & non esse*. Et tractatu 4. in Epist. D. Ioan. *Nostis quid vocatur, Est? Quod vocatur: & non solùm vocatur, sed verè est, incommutabilis est, semper manet, immutari nescit, nullâ ex parte corrumpitur; nec proficit, quia perfectum est; nec deficit, quia æternum est*.

Exod. 3.

Quare hoc nomen, Creatoris essentiam significat; idcircò D. Thomas 1. part. quæst. 13. art. 11. ait, *Qui est*, esse maximè proprium nomen Dei, quia non formam aliquam, sed ipsum esse, significat, ac proinde solius Dei essentiam, cuius solius essentia est *esse*. Estque priùs essentiale cæteris, cùm cætera, aliquid quod ipso *esse* posterius est, significent: id quod in nomine, *Deus*, quod ad naturam Diuinam significandam, ab operatione propriâ Deo, impositum est, fit manifestum, necnon in reliquis præterea, quæ licet à perfectionibus à Deo in creaturas manantibus sint imposita, veluti bonus, sapiens, & cætera huiusmodi, Diuinas tantùm perfectiones, non naturam significant. At verò nomen illud, *Ego sum qui sum, Qui est ens*. Dei naturam essentiamque notificat: אהיה namque vt aduertit Galatinus lib. 2. de arcanis Catholicæ veritatis, cap 14. trium temporum differentias indicatiui modi complectitur, præteriti, præsentis, & futuri, *Fui, sum*, & *ero*. Quocirca aptissimè redditur illud Exod. 3. אהיה אשר אהיה *Ehieh aser ehieh, Ero qui fui, sum & ero*, ad insinuandam summam & omnimodam ac sempiternam Dei stabilitatem, quæ semper fuit, est, & erit.

Est, significat essentiã Dei.

2. Ex quâ notatione ea dubitatio solui potest, quâ non, *est*, sed, *qui ero*, haberi in Hebræo dicitur, quemadmodum indicauit Borgensis, & alij. Aut aliter cum Lippomano responderi, Idiomatis Hebræi consuetudinem esse, futurum pro præsenti vsurpare: aut cum Suario lib. 1. de existentiâ Dei, cap. 1. num. 6. non minùs illo futuro significari necessitatem essendi Dei, quàm præsenti, quia ex necessitate essendi sequitur vt semper duraturus sit Deus, quod significatur illo indefinito verbo, *Ero*.

Ero, de Deo rectè dici.

Et quanquam D. Gregor. Nazian. Orat. 38. quæ est 2. in Pascha, neget, *Erat, & erit*, posse Deo attribui, quia nostri temporis species, siue segmenta sunt; aut saltem velit, meliùs dici, *est*, quàm, *fuit*, & *erit*: *Deus & erat semper*, inquit, *& est, & erit, vel vt rectiùs loquar, semper est, nam erat, & erit, nostri temporis, fluxæque naturæ segmenta sunt*. Et luculenter Plato in Timæo, Marsilio Ficino interprete: *Atqui erat & erit, quæ nati temporis species sunt, non rectè æternæ substantiæ assignamus. Dicimus enim de illâ, est, erat, & erit: sed illi reuera solùm esse, competit: fuisse verò & fore deinceps, ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam duo illa sunt. Æterna autem substantia, cùm eadem semper & immobilis perseueret, neque senior seipsa fit vnquam, neque iunior: neque fuit hactenus, neque erit in posterum, neque recipit eorum quidquam quibus res corporeæ mobilesque ex ipsâ generationis conditione subijciuntur*. Quo etiam trahi potest illud D. Augustini de verâ Religione cap. 49. *Nihil præterit in æterno, & nihil futurum est, quia & quod præterit esse desinit, & quod futurum est, nondum esse cœpit, æternitas autem tantummodo est, nec fuit, quasi non sit: nec erit quasi adhuc non sit*. Illud quoque in templo Delphico aureis inscriptum literis, εἶ, quo significaretur Deum habere stabilem, & permanentem durationem.

Contra est tamen, quod D. Ioannes ait, cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. In quæ verba D. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 6. inquit: *Pulchrè Ioannes duabus vocibus cogitationem nostram intra præscriptos terminos reclusit, quum ait, In principio erat. Hæc enim vox, Erat, nullum cogitanti præbet exitum, quemadmodum & illa, Principium, non dat transitum humanæ mentis imaginationi. Quantumuis enim cogitatione curras ad interiora, non excedis, Erat: & quantumuis institeris videre quæ sint vltra filium, non poteris tamen superare principium*. D. Hilarius lib. 2. de Trinitate, *Quid est illud, erat? transeuntur tempora, transcenduntur secula; pone aliquid quod voles tuâ opinione principium, non tenes tempore, Erat enim*. Ita denique tenent Theodoretus lib. 5. Diuinorum decretor. cap. de Filio. D. Ambrosius lib. 2. de Dominicæ Incarnationis sacramento, cap. 3. & Cyrillus lib. 1. in Ioan. rectè nimirum de æterno illo *esse*, dicit, *erat*. Exclude namque, aut transcende tempora, fuit ante omnia tempora, qui nunquam non fuit, & erit post omnia tempora. qui semper est, & verè solus est, quia est id quod est: nihil autem extra Deum est id quod est, quia vniuersa compositionis quadam proportione constant, solus Deus simplicissimus est, & idcircò, *est qui est*: aliud omne, est quidem quo est, sed non quod est: *Quid item Deus?* inquit D. Bernardus lib. 5. de Consideratione: *sine quo nihil est. Tam nihil est sine ipso, quàm nec ipse sine se potest Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius est, & omnium esse*. Vt propterea Plato, qui ex suâ peregrinatione diuinior, hoc nomen, *Qui est*, ad Græcos, duarum literarum contextu, ὤν, transtulit, dicat in Timæo; *Principio ita mihi distinguendum esse videtur. Quid sit quod semper est carens generatione: quid verò quod gignitur quidem, neque est vnquam. Illud intellectu per rationis indaginem percipi potest, cùm semper sit idem. Hoc opinione per irrationalem sensum attingi, cùm gignatur, & intereat, neque vnquam sit*. ὤν itaque Platoni semper est, ortum verò non habet, atque אהיה *ehieh*, essentiali nomine dicitur, à verbo היה *haiah*, id est, *esse*, sicut aduertit Reuclinus lib. 2. de Verbo mirifico cap. 15. & Pineda in Iob cap. 18. versu 15. num. 6. ipsumque essendi principium & radicem, in Deo, significat.

Ioan. 1.

Capitis 42. §. 1.

Vt Deus, non ens dici possit, & non vnum.

1\. Qvia verò, qui *est*, ens est super omne ens, & vnitas super omnem vnitatem, & omnis vnitatis sempiterna origo, atque benè, *non ens*, atque, *ens*, dici posse putatur, quod vt confirment quidam, adducunt illud Exod. 17. *Nam est ens Adonai inter nos, an non ens*: Sed frustra sunt: nulla enim ibi prorsus mentio אהיה *ehieh*: estque omninò aliud Hebraicæ sententiæ interpretamentum, quæ sic habet בקרבנו אם אין היש יהוה *Haies Iehoua becirbenu im ain*: hoc est, *Num est Deus nos in interiori nostro*, siue, *in nobis*, siue, *in medio nostri, an non*. Quare non ita congruè summo illi enti, ac verè vnico, *non ens*, nomen attributum videretur, nisi quia omnem entis conceptus substantiam supergreditur, neque est id quod animo concipimus, ideò neque ens ex illis, qualia esse entia cogitamus: sed non ens, quia nihil eorum sit quæ intelligimus, quia ens ineffabile, interminum, quod à Platone in Sophista indicatum: *Neque proferri, inquit, neque rectè dici, neque cogitari non ens secundum seipsum potest, sed incogitabile, ineffabileque, & irrationale existit*, quia quantumuis humanæ rationis neruos intenderis, haud attingi potest. In hunc quoque sensum explicauit Elias Cretensis in Orat. 24. D. Gregor. Nazian. totidem verbis, *Deus, vt S. Dionysius ait, est quidem causa iis quæ sunt, vt sint; ipse autem non est, vt qui nihil horum quæ sunt, sed super omnia sit. Quamuis enim Deus ens dicitur, iuxta illud, Ego sum qui sum: at ens tamen non est, vt ea quæ sunt: (quonam enim modo ipse ex vt opera esset?) neque certo modo ens, sed simpliciter, ac peculiari modo, aut velut eximiè ac præcellenter, quemadmodum ipse se solus nouit*. Itaque quoque,

2\. *non vnum*, dicitur, quia vnum super omne vnum, vnde illud D. Dion. οὔτε ἀριθμός ἐστιν, οὔτε τάξις, οὔτε ἕν, οὔτε ἑνότης: *Deus, neque numerus est, neque ordo, neque vnum, neque vnitas*: & in eamdem sententiã Plato, *Si rectè loqui quis voluerit, neque vt vnũ, neque vt multa determinare ipsum debet, neque omnino ipsum vocare: nam in vna quadam specie, appellatione huiusmodi ponetur*. Et hoc sensu, si inenarrabilis illa essentia *sit non ens, non vnum, non vnitas*; quid ergo est is qui de seipso, *Sum qui sum, misit me ad vos*? Si per omne ens gradiar, si omne ens transgrediar, si etiam illud ipsum quod perspicacissimâ mentis intelligentiâ homo, vel Angelus consequi potest ingrediar, nihil inuenio præter infinitum pelagus incognoscibilitatis, ens in non ente, & in omni ente non ens, & omnis entitatis fontem, ex abysso tenebrarum latibuli sui, & vmbrosos superemicantis splendoris, manantem perenniter: cuius principij nulla ratio, cuius entitatis nulla comprehensio, quia principium sine principio, & sine ente, ens. Quo fit, vt qui illius inquisitione delectatur, quærat semper, neque omninò inueniat: & si inuenisse videbitur, & suâ inuentione dices, gaudens dicat, *Inueni quem diligit anima mea*, Cant. 3. Semper tamen superest quod quærat, semper quod inueniat, quia quærendo & inueniendo, totum non adipiscitur, & in eo quod adipiscitur, semper habet quod quærat vlterius, quod prosequatur ardentiùs, & quod inueniat delectabilius: nec quærendi finis vllus, nec inueniendi, crescit amor quærendo, crescit inueniendo, quia non ipsum, sed aliquid ipsum circumstans inuenit, & amplius inuenire desiderat, donec in ipsum transformetur amore, atque etiam non satietur se illius amore langüere.

Exod. 17.

Cant. 3.

Capitis 42. §. 2.

Quæ sit vis appellationis, Qui est?

1\. Nemo inficiabitur, nomen illud primarium, maximeque proprium & essentiale per, *Qui est*, indicari, qua appellatione, ipsa increata Sapientia nominauit, quum dixit, *Ego sum qui sum: Qui est, misit me ad vos*. Maximè qui Patres, atque Theologiæ proceres vel modicè celebrarit, Damascenum, Augustinum, Hieronymum, Bernardum, D. Thomam, Tostatum, Suarium, & reliquos. Cùm enim ea nomina quæ à sapientibus & prudentibus sunt imposita, eam rerum naturam, quibus induuntur, quam maximè soleãt explicare: haud dubium quin illud nomen sit primarium & essentiale Dei, quod ipse sibi, ab ipsâ sua met existentiâ imposuit, quemadmodum D. Thomas, Contra gentes cap. 22. philosophatur. Nam si concipimus (sicut concipere debemus) Deum esse ipsum esse per essentiam, quia est quoddam esse primum & singulare quod ex naturâ suâ propriâ & particulari habet non solùm formalitatem essendi, quemadmodum loquitur Suarius lib. 1. de existentiâ Dei, cap. 3. sed etiã exercitiũ & actualitatẽ essendi, quã appellãt existẽtiam in actu exercito; *Qui est*, significat ens per se subsistẽs, independens, causã primã, causam vniuersalem & vnicam rerum omnium, cui nullum prorsus cum potentialitate commercium: ens primum, æternum, simplicissimum, eminentissimæ puritatis, impassibile, perfectissimum, supereminentem substantiam immaterialem, incorpoream, insensibilem, non creatam, sempiternam, infinitam, interminam, spiritum & vitam simplicissimam, inuisibilem, singulariter vnam, *Qui est*: multarum perfectionum collectio, indicium formarum enim perfectissima & simplicissima, Abulense interprete quæst. 8. in cap. 3. Exodi. est *esse*, quia in qualibet alia forma includitur; vt si omnipotentem esse dixeris, sapientem, bonum, æternum, infinitum, immensum, immortalem, & cætera huiusmodi, *esse*, vbique semper includitur. *Qui est*, in simplicissimâ ratione suâ, omnẽ essendi perfectionem complectitur, & ex consequenti, omnem omninò perfectionem, ratione eminentissimâ: asseruit Abulensis suprà quæst. 8. & Suarius itidem suprà cap. 3. quia omnis perfectio, quædam essendi pars est, quam in ipso esse essentiali contineri, necesse est, vt rectè D. Tho. 1. part. quæst. 4. art. 2. asserit, & præiuit Damascenus lib. 1. cap. 12. dicens, ex omnibus nominibus significantibus Deum, propriissimũ nomen esse, *Qui est*, *vniuersum enim in quod est, tanquam immensum quoddam & infinitum essentiæ pelagus, complexu suo continet*: quod & Iacobo Fabro interprete, sic lego, *Totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse, velut quoddam pelagus substantiæ, infinitum, & interminum*.

Qui est, inquit Clichtoueus, Damasceni commentator, in cap. 12. lib. 1. eius, de Fide, *Diuinam designat substantiam vt in se ipsa est occultissimè latentem, omnes entium gradus superexcedentem, & superexcellenter in se vnicè continens. & omnia rerum inferiorum essentias interstitio transcendens, vt hæc ad Deum collata, non entia potiùs quàm entia, censeri mererentur: entia quidem, quia à summo ente profecta sunt: non entia verò, quia à Diuina essentia immensitate improportionabiliter deficiant, atque discedunt*. *Qui est*, significat Deum omnia in vnâ suâ existentiâ præhabere, sicut ait Diuus Dionysius, Diuinorum Nominum cap. 2. & 5. Hinc Diuus Bernardus lib. 5. de Consideratione, cap. 6. *Num iam transit spiritus iste, si fortè cum sponsâ dicere possim cum ea, Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Quis est? Non sanè occurrit meliùs, quàm Qui est. Hoc ipse de se*

Nomen impositum ad rei naturam significandam.

Cant. 3.

voluit

voluit respondere, hoc docuit, dicente Moise ad populum ipso quidem iniungente, Qui est, misit me ad vos. Meritò *quidem nil competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonū, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de eo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, Est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti, si non dixeris, nihil minuisti. Iam si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in comparatione huius, quidquid hoc non est, iudicas potiùs non esse, quàm esse? Qui est,* necessarium Diuini esse permanentiam, eiusque immutabilitatem significat, vt notarunt D. Gregor. Nazian. Orat. 44 quæ est 2. in Pascha, D. August. lib de vera Religione, c. 49. Isidorus lib. 7. Etymologiar. cap. 1. Hilarius lib. 1. de Trinitate Cyrillus lib. thesauri cap. 6. & alij. Est enim Deus semper suum esse, semper in actu, actus purus, cuius est influere in omnia immobiliter, immutabiliter, & possidere omnia, omnium possessio fixa & rata, ens infinitum, ens simplicissimum semper est id quod est, quia id quod est, periturus nuuquam est, inquit Abulensis in caput 3. Exodi. quæst. 7.

Exod. 3.

Qui est, independentiam significat entis entiū summi: vnde, quum ait, *Ego sum qui sum*, idem est ac si dicat: Ego sum qui verè sum, vel cui propriè esse conuenit, sicut interpretatur Abulensis: vere enim sum, quia id quod sum, ex me sum, & non ab aliqua alia naturà vel essentià recepi esse: in me sum, per me sum, mihi sum, nullius indigens, & omnium entium etiam possibilium diuitiæ infinitæ: supra omnem cogitatum, vnus, simplex, purus, & beatus, numerus sine numero, vnicus & trinus. Ita quoque D. August. lib. 4. de Trinit. cap. 2. ex ijsdem verbis colligit, Deum non esse aliud, nec aliunde habere quod sit, sed ex naturà suà habere suum esse, & cum illà idem esse: *Quis magis est*, inquit, *quàm ille qui dixit famulo suo Moisi, Ego sum qui sum, & dices filijs Israël, qui est misit me ad vos: Sed aliæ quæ dicuntur essentiæ, siue substantiæ, capiunt accidentia, quibus in eis fiat, vel magna, vel quantacunque mutatio: Deo autem aliquid eiusmodi accidere non potest: & ideò sola est incommutabilis substantia vel essentia quæ Deus est, cui profectò ipsum esse, vnde essentia nominata est, maximè ac verissimè competit.* Accedit D. Hieronymus in illud cap. 3. epistolæ ad Ephes. *Ex quo omnis paternitas*, vbi dicit Deum vsurpasse sibi, *esse*, tanquam proprium, quia solus ipse à se est. *Deus qui semper est*, inquit, *nec habet aliunde principium, ipse sui origo est, suæque causa substantiæ, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit.* Et rursum D. August. lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 2. ait, illo verbo, *Ego sum*, significari in Deo summā essentiam quæ est ipsum esse, non participatum ab alio, quale est, esse creaturarum: *Cùm enim Deus summa essentia sit, hoc est, summè sit*, inquit, *& ideo immutabilis sit, rebus quas ex nihilo creauit, esse dedit, sed non summè esse, sicut ipse est: & alijs dedit esse amplius, alijs minùs.* Non quod in essentijs rerum sit magis aut minùs nec enim minùs dicitur esse lapis quàm Angelus, vt docet Aristoteles in Cathegorijs. sed hoc ad præstantiam essentiæ, muneraque illi addita, referendum est, secundum quæ, aliud alio magis esse videatur, aut minùs, sicut ibi adnotauit Ludouicus Viues. Istud ergo nomen propriissimè conuenit Deo: nec est aliud nominum eius, quod maiorem declaret perfectionem, licet sub quodam vniuersitatis & eminentiæ inuolucro, inquit Abulensis quæst. 8. in cap 3. Exodi.

2. Esse Dei, est esse independens.

Ita porro in omni ente creato, virtutis suæ diffusione, præsens est & manifestum *Ehieh*, siue *Ens*, vt aliquid eorum quæ sunt, aut esse possunt, intelligenti, sese primum omnium offerat, mentemque informet: vt si animum adijcere voluerimus, lucentem per suum esse in suis creaturis Creatorem priùs intellecturi simus, quàm ipsas creaturas cognituri. Sed proh dolor! non aduertimus animum, sed sicut oculus corporis, colorum intendens varietati, lucem quà mediante videt omnia, non considerat, & quamuis eam videat, non aduertit tamen: ita oculus mentis in sensibiles naturas delatus, & tricis earum occupatus, præterit illud ens purum quod semper idem, & supereminens, sese intellectui nostro per seipsum repræsentat semper, tacitè per creaturam suam dicens, *Ego sum qui sum.* Et quanquam per ipsum reliqua omnia ad animæ nostræ tribunal deferantur, discutianturque ad illius radium: non attendit, non considerat animus, seseque sic habet, ac si non videret lumen; quia assuetus tenebris rerum extra lumen illud existentium, sensibiliumque phantasmatis inuolutus, in ens summum prospiciens, veluti qui ex meridiani Solis aspectu, aut caligat, aut cœcutit, nihil videre sibi videtur.

Esse Dei in creaturis intelligibile est prius quàm ipsæ.

Vtinam verò istud sedulò mente & cogitatione volueremus, & quàm fluxa, quàm caduca sint, quæcunque extra ipsum, *Qui est*, aliquid esse videntur, agnosceremus facilè, & ab ijs animum auocantes, præ amore entis veri, enti apparenti repudium scriberemus: *Volubiles enim sunt prosperitates humanæ*, inquit Philostratus vitæ Apollonij lib. 8. cap. 3. *& diurna penè diuitiarum duratio, & ille meas, & iste alterius, atque alter aliùs opes habent, non habet.* Quanquam enim Deus istis quæ sub aspectum cadunt, essentiæ suæ nomen tribuerit, ita tamen dedit, vt non semper futura sint, aut fuerint, neque eodem modo, sed id quod sunt, aut perditura sint, aut de se perderent, nisi ipse qui esse dedit, conseruaret: proindeque non sunt quæ sunt, quia id quod sunt, non ex se sunt, sed ex alio: vnde Isa. 41. *Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est*: igitur, non verè sunt, sicut Aristoteles 6. Ethicor. incorruptibilia & æterna, de quibus est sapientia, vocat per se entia, & verè entia, cætera autem quæ mutabilia sunt, nō propriè esse habent, vnde D. Hieronymus in cap. 3. epist. ad Ephesios, *Quando Deus essentiæ suæ nomen atque substantiæ etiam cæteris impertiit elementis, vt ipsa quoque esse dicantur, non quò secundum naturam sint; fuit enim tempus quando vniuersa non fuerunt, & rursum si volueris, in nihilum reuertentur: sed vt esse dicantur, habent Dei bonitate donatum.* O tenebras! ô cœcitatem! adhærere ijs quæ non sunt, vt miserè sis, & non adhærere ei *Qui est*, vt bene sis, & beatè!

Isa. 41.

CAPVT XLIII.

De Diuinis Nominibus יה *Iah;* & הוא *Hu.*

AB intellectus creati bolide, nedum tentato Diuinitatis pelago, scaturiunt & alia ipsius essentiæ Diuinæ nomina, Majestatis summæ naturam proximè, quantum fas est homini intelligere, nudantia: יה *Iah*, nimirum & הוא *Hu*: quæ ipsum ens purissimum, simplicissimum, perfectissimum, & quo maius intelligi nequit, significant. Conueniūt itaque illa inprimis Deo, quòd nullā particularem formā significent, sed ipsum esse solum & simplex, cui nihil horum omniū significatione derogatur: tum etiam vniuersitatis suæ ratione, quā fit, vt propria sint, cuicunque attributorum ea adaptare volueris, cùm ipsius *esse* naturam, non determinent, verum tanquam abyssus, quidquid dici & non dici, quidquid animo concipi potest, & non concipi, complectantur. Tum denique, quia ipsum

1. Iah & Hu essentiam Dei proximè significant.

quod est, à præteritione, & futuritione liberum in præsenti significant.

Iah in Deo tantùm ponitur.

Et יה *iah*, quidem, ex Diuinis nominibus ipsum Dei *esse* manifestantibus vnum in Deo tantum ponitur, teste D. Hieronymo, & הללויה *hallelvia*, id est, *Laudate Deum*, terminare legimus, & Deum denotat Creatorem vt timendũ, inquit Rabbi Salomon, quasi moneamur per *halleluiah*, ita laudare Deum, vt timeamus simul ac vereamur illum: & Deus vocatur יה *iah*, inquit Rabbi Kimbi, eò quòd sit Creator mundi, & caussa essendi ipsum, cui consentit Vatablus; Diuinam quippe eius essentiam signat, quâ cuncta condidit, conseruatque: estque abbreuiatum ex verbo יהיה *iaiah*, & entis notionem habet, quo pacto Iustinus explicat *Halleluiah*, quæstione 50. ad Orthodoxos.

Psal. 67.

Hoc in nomine psallendum dicit Psaltes Regius: nam quod psalmo 67. legimus, ὑμνήσατε μετὰ μέλος τὸ ὄν *Canite Deo, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*: Arias Montanus, iuxta lectionem Hebraicam vertit, *Cantate Deo, canite nomini eius, exaltate equitantem in supremis cælis, in Iah nomen eius*: siue *in Iah nomine eius* ביה שמו *veiah schemo, in Domino nomen eius*. Sicut vertit quoque D. Hieron. Et infrà: *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*, siue vt alij interpretantur, *Et etiam rebelles vt habitent cum Domino Deo*: idem Arias Montanus ibid. sic: *Et etiam rebelles ad inhabitandum Iah Deum*, Hebraicè יה אלהים *iah elohim*. Quibus duobus nominibus simul positis, Deum incarnatum denotari volunt nonnulli, ac propterea יה *iah*, esse nomen contractum ex יהוה *iehouah* tetragrãmato, & Verbum per incarnationem abbreuiatum designare: id quod etiam ex Cantico Isaiæ cap. 26. quod est de Christo satis colligi potest, ibi, *Sperastis in Domino in seculis æternis, in Deo forti*: Hebraicè, ביה יהוה *beiah Iehoua*, quasi dicat, *In incarnato Deo*. Psallendum itaque in יה *Iah*: siue in Verbo abbreuiato Christo, qui vi donorum suorum effecturus sit, vt etiam peruicaces & increduli, fateantur Deum in assumpta carne inter homines commoratum fuisse, ipsique ad Deũ accedant, vt habitent in Domino, & Dominus in eis, vt Dominus sit יה *iah*, in eis, id est, ipsorum Deus, & ipsi sint populus eius. Cæterùm tamen Andreas Capella in cap. 2. Ieremiæ, ad illa verba, *Nunquid fortitudo factus sum Israëli, aut terra serotina*, יה *iah*, aduertit nomen יה in sacris potissimùm Literis vsurpari, ad res ipso iam euentu confirmatas, atque ad exhibita diuinitùs beneficia ostendenda: vnde emphaticè eo in loco poni arbitratur, quasi dicat, *Ego qui opere compleo, quod populo meo promisi*, qui fieri potest, vt sim iam veluti terra serotina & caliginosa, hoc est infœcunda, & quæ, non soli & cælo libero exposita.

Isa. 26.

Ierem. 2.

2. הוא *Hu* Dei nomen præferri אהיה *eheih*.

Tantæ quoque dignitatis, nomen הוא *hu*, id est, *ipse*, ferunt esse Hebræi, vt etiam ipsi אהיה *eheih*, *Qui est*, præferendum putent: nec immeritò, quoniam in seipso quiescentem, & in abditissimo Maiestatis suæ recessu, reclusum Deum demonstrat, vbi ipsum, *Quiest*, aliáve Dei nomina quibus vtimur quum Diuinam Maiestatem suis interminatæ magnitudinis campis diffundimus, summum Numen indicant, creaturas prospectans, atque sese omnibus insinuans, quibus suâ beneficâ potentiâ, substantiam largitur: hoc autem nomen הוא *hu, ipse*, quod indicatum Isaiæ à Domino dicente, *Ego Dominus hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo*, cap. 42. Hebraicè אני יהוה הוא שמי *ani Iehoua hu schemi*, *Ego Dominus Hu* (est) *nomen meum*: & cap. 43. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*, siue vt alij legunt, *Ego sum, Ego sum Hu delens iniquitates tuas apud me*. Hoc, inquam, nomen *Hu*, Diuinam essentiam secundum seipsam, & in seipsâ perfectissimam, superessentialiter æternam, incommutabilem, in seipsâ manentem, sibimet principium, medium, & finem;, sicut apud Isaiam inquit, *Ego Hu, ego primus, & ego vltimus*, nullius egentem firmiter & intemeratè (vti Reuclinus loquitur lib. 2. de Verbo mirifico, cap. 16. ex D. Dionysio de Diuinis Nominibus cap. 9.) in pulcerrimis substantiæ identitatis finibus locatam commonstrat. Quod enim, *Hu*, gloriam suam alteri non dat, quod non recordatur peccatorum, quod propter se, & apud se, non propter aliud extra se, iniquitates delet nominis ipsius significato, satis declaratur; quoniam *Hu, Ipse*, Deum ita à rebus separatum notat, vt omnia intra seipsum vel agat, vel permittat, vel quiescat, inquit Reuclinus suprà. Idcoque negatiuis etiam nominibus præponi, obseruatum est, vt quum ait, *Intelligite quia ego Hu, ante me non est formatus Deus, & post me non erit*, quia nimirum absolutè & super omnia ingenitus, simplicissimus, immutabilis, seipso totum se suaque omnia claudens, & semper existens, ipse idem sibi, idem in se, idem ipse à se, idẽ ipse ex se, vniformiter, & identiformiter, idem ipse à seculo in seipso, ex seipso, à seipso beatus.

Isa. 42.

Isa. 43.

Isa. 44.

Isa. 43.

3. ταυτὸν Dei nomen.

Ps. 101.

Hoc tam augustum nomen à Philosophis & maximè Platonicis, ταυτὸν, à Latinis verò *Idipsum*, est appellatum: quod enim Propheta Regius habet psal. 101. *Et tu es Hu, & anni tui non deficient*: Latinè est, *Tu autem idem ipse es*, quod nomen quoque ad Iouem transtulit Poëta, dicens,

——— *Rex Iupiter omnibus idem.*

Idem verò, inquit D. Dionysius, *quod æternum est, superiore modo quàm essentia; quod mutari non potest, quod in se manet: quod semper eodem modo se habet: quod omnibus eodem modo præsens est: atque ipsum per se, & in seipso constanter & sine labe in pulcerrimis finibus vnius eiusdemque natura, quæ essentiam superat, locatum*. Huius nominis potestati, nulla virtus obniti potest, nulla vis resistere, quippe cui omnis virtus, omnis potestas subiecta sit. Idcircò *Dominus virtutum Hu*, appellatur, psal. 23. cùm interrogantibus tenebrarum Principibus, *Quis est Hu ille Rex gloriæ?* redditum est, *Dominus virtutum est Hu, ipse est Rex gloriæ. Ipse*, qui semper idem in se. Idem vocant Philosophi id, cuius nec materia mutata est nec forma, sed semper eadem perseuerat: mutatio enim formæ vel substantiæ, diuersam rem facit, nõ verò eamdẽ, vt si veteribus tignis subtractis, nouâ materiâ suffectâ, nauem ædifices: si grex, si populus nouâ sobole, nouisque hominibus suffectus, quanquam species, formáve perstet, tamen materiæ mutatione, in eandem rem, sed aliam fieri nõ videretur dubitandũ: nisi Iureconsulti, ista idem esse vellet, quemadmodum scribit Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 3. cap. 1. quia nihil repugnat, quare illud ex constitutione iuris, idem censeri non debeat, quod eamdem seruat speciem, quantumlibet mutata sit materia;

Psal. 23.

& noua suffecta, vnde idem est apud illos iudicium, quod iudicibus fato perfunctis coram pluribus agitari cœptum, si illis alij suffecti sint: idem itidem grex mihi testamento legatus, quamuis noua suffectus sobole: quia licet quod prius erat mutatum sit, & eius loco aliud suffectum, non mutata tamen est testatoris voluntas, ex quâ iuris constitutio pendet. quare idem censeri putandum est. Sed reuera, nihil idem in rerum naturâ, quia nihil firmum, nihil stabile, sed omnia in fluxu & defluxu posita, vicissitudini substrata sunt. Solus Deus *Idem ipse*, in retrocessu essentiæ suæ absolutissimus, perfectissimus, & plenitudo totius perfectionis, solus habens immutabilitatem, siue potiùs *ipse* immutabilitas ipsa, cuius illa est circumlocutio, *Ego sum alpha & omega, principium & finis*, id est, Pineda interprete in cap. 18. Iob. versu 15. numer. 6. omnes numeros seculorum omnium comprehendo, omnia tempora æternitate meâ complector, & prætergredior: nimirum, regnum illius, regnum omnium seculorum, & dominatio eius in generationem & generationem ps. 144. *Qui est, qui erat, & qui venturus est.*

Apoc. 1.

Ps. 144.

Capitis 43. §. vnicus.

Creaturarum esse, est non esse: & peccator dicitur, qui non est.

1. Creata in Deo, sunt ipse Deus.

Itaque ipse qui est Deus, hoc est אהיה יה הוא *ha ehieh iah*, solus est, quia in se est, ab omni prorsus dependentiâ liber, & solus est in quo sunt omnia quæ sunt, quæ extra ipsum sunt, quòd illa in se non sint quod ipsa sunt, sed sunt in Deo, quod ipse est Deus. Ita indicatum Moisi quando diuinitùs acceptâ reuelatione nominis, *Qui est*, ipsum solùm esse, cætera verò non esse, didicit: Rogatus namque quid manu teneret, & virgam se tenere quum respondisset, vt agno sceret ipsam non esse quod erat, sed Creatoris arbitrio aliud esse, & ipsum aliud esse, non etiam esse, quod per conuersionem in aliud esse demutatur; iussus virgam in terram proijcere, proiecit, & versa est in colubrum, ad cuius aspectum horreret, & fugeret Moises: & rursum, serpentis caudam iussus apprehendere, extendit manum & tenuit, & versa est in virgam. Manum quoque quum summi Imperatoris præcepto in sinum misisset, protulit inde leprosam instar niuis; eandemque demùm in sinum retractam, sanam reproduxit, similem carni reliquæ. Aquam similiter è flumine haustam, quum effudisset super aridam, quidquid aquæ de flumine hauriebatur, vertebatur in sanguinem. Tandem, vt verbo dicam, virga non est virga, nec serpens est serpens: sanitas & integritas manus, non est sanitas, non est integritas, neque ægritudo eiusdem, est ægritudo: aqua non est aqua; neque quidquam eorum quæ sensu percipiuntur est quod est, solus ipse est, *Qui est*, Deus, solus amabilis, solus timendus, vt ea quæ ab ipso sunt, nec verè sunt, in ipsum recurrant, in quo sint, quod ipse est, si timetur nempe & amatur quod est *Secundum Deum viuere, & Deum esse*, inquit D. August. lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 4. Nam cùm Deus sit creaturarum omnium finis, ad quem nonnisi per medium valeant peruenire, de μικροκόσμῳ prouidit Deus, in quo elementa, plantæ, animantia, omnisque creatura compendio necteretur: hominem, videlicet, tanquam medium quo ista in finem suum vltimum adducerentur, constituit: vt si ille amoris nexu copularetur Deo, & illa per hominem copularentur eidem, in quo essent vnum cum illo, in quo, qui secundum Deum vixerit homo, est Deus.

Quod si illa quæ participatum essentiæ modû habent ab ipsius & totius esse principio, nô sunt, si cum principio comparentur: quod si illa quæ Creatoris sui exhalant odorem, cuius odoris fragrantiâ illectus sponsæ animus, trahi cupit, & post sponsum currere in odorem vnguentorum eius, quem cæteræ creaturæ spirant, & quarum cogitata natura ad Deum hominem rapit: *Trahe me*, inquit, *post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Si, inquam, illa non sunt, quia non verè sunt: Quid de homine dicam, qui odoris illius fragrantiam in se tetro inferni halitu obscurauit? quasi qui imbuta aromatibus veste, aërem quê præteriens secat, odoris suaueolentiâ perfusum relinquit, ita Deus sui odorem, quum creaturas condidit, in eis reliquit, qui si purus seruaretur, ad suum ille in homine recurrerent principium: sin autem deflueret, & fumigantium inferni titionum suffitu propelleretur, à principio suo & fine in homine & cum homine deciderêt, sic vt nec ipsæ essent nec homo: quoniam, vt inquiunt Philosophi, id quod origini suæ non redditur siue, id quod finem suum non consequitur, dicitur non ens.

Cant. 1.

2. Homo extra Deum nihil est.

Quantus rerum casus, vt à suâ quantulacunque entitate excidant in homine etiam nô sint, quia per peccati auia errans homo, à fine sibi constituto, toto recessit cælo? nam cùm res tamdiu sint, quamdiu suæ illarum ideæ, quæ in Deo est, conformantur: si homo ab ideâ hominis quæ est in mente diuinâ discedit, verum exemplar suum deserit, secundû quod viuere ipsum oportuit, vt verè esset, & bene, atque ad mendacij formatus similitudinem, viuens secundum hominem, non est, quia à veritate defecit, fitque socius eius *qui non est*, sicut apud Prophetam Iob legimus cap. 18. Diaboli scilicet; *Qui cùm sit naturæ suæ proprietate subsistens*, inquit Philippus interpres, *Deo non est, quia præuaricatione factus est alienus*. Quemadmodum enim, *Angelo non secundum Angelum, sed secundum Deum viuendum fuit, vt staret in veritate, & veritatem de illius, non de suo mendacium loqueretur*, inquit D. August. lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 4. *Qui idcirco iam non est*, inquit D. Gregor. lib. 14 Moral. cap. 11. *quia à summâ essentiâ recessit, quasi ad non esse tendit, ex quo semel ab eo qui verè est cecidit, quia bene esse perdidit*: ita homini secundum veritatem, & nô secundum mendacium viuendum est, vt imagini suæ, ad quam creatus est, respondeat, & sit secundum Deum, cùm secundum se non sit; quia, vt inquit D. August. suprà, cap. 3. *Homo viuendo secundum seipsum, hoc est, secundum hominem, factus est similis diabolo, quia & ille secundum seipsum viuere voluit, quando in veritate non stetit*; quod sanè, est non esse hominê, sicut rectè monet Pineda in cap. 18 Iob. ver. 15. aut, quod idem est, esse falsum, & nô verum hominem. Qui enim non est Dei, censetur non esse, aut falsò esse; idem autem est verum hominem esse, & hominem esse, vt Philosophis placet.

Iob 18.

Desertor est veritatis, quando à Deo, quando ab exemplari suo recedit, ad cuius similitudinem factus est, & amplexatur mendacium, per quod hominis & entitatis suæ versuram facit. *Quando enim*, inquit Diuus Augustinus suprà cap. 4. *homo viuit secundum seipsum, non secundum Deum, profectò secundum mendacium viuit, non quia homo ipse mendacium est, cùm sit eius auctor & creator Deus, qui non est vtique auctor & creator mendacij, sed quia homo ita factus est rectus, vt non secundum seipsum, sed secundum eum à quo factus est, viueret: id est, illius potiùs quàm suam faceret voluntatem: non autem ita viuere, quemadmodum est factus vt viueret, hoc est mendacium*. Quid

quidem,

quidem, pro scelus: magna ambitione requirunt filij hominum, non veritatem, sed vanitatem quæ nulla vera solidaque bonitate stabilitur consectantes: & tanquam in specu illo Platonico lib. 7. de Repub. in quo homines vmbris assueti nulla superficie alia corpora credebant, vmbratili inhiantes bono, decipiuntur specie, & quæ de veritate, deque supernis bonis adferuntur, non secus atque insanias falsas reputant, non intelligentes id quod ait D. Augustinus lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 4. & 5. *Deserto creatore bono, viuere secundum creatum bonum, non est bonum.*

3. Peccatum cur mendacium appelletur.

Quare peccatum, iure mendacium ab eodem Patre magno appellatur, tùm quòd illud spondeat quod præstare nequit; tùm quòd faciem præferens boni, sub vnæ apparenti suauitate, fel occultet botri amarissimi: tùm denique, quia sicut lingua aliud proferens quàm voluat animus, mentiri dicitur: ita ad aliud, & secundum aliud viuens homo, quàm quo ab auctore suo se referri nouit, mentitur: *Non autem ita viuere, quemadmodum est factus vt viueret, hoc est mendacium.* Quod quidem, vbi assecutus fuerit homo ea quæ tanto propriæ voluntatis impendio prosequitur, euanescet in eius manu, atque inter eius digitos: *Vt quid ergo, diligitis vanitatem, & quæritis mendaciũ?* scilicet, vt bene sit vobis: *Non enim fit peccatum, nisi ea voluntate quâ volumus vt bene sit nobis, vel nolumus vt malè sit nobis. Ergo mendacium est, quod cùm fiat vt benè sit nobis, hinc potiùs malè est nobis: vel cùm fiat vt meliùs sit nobis, hinc potiùs peius est nobis: vnde hoc? nisi quia de Deo potest bene esse homini, quem delinquendo deserit, non de seipso, secundum quem viuendo delinquit!* Hinc intellige quantum sui naufragium, sua ipsius desertione faciat homo, qui sua voluntate, à verissimo illo & primo totius essendi principio factus procul, amittit exemplaris sui similitudinem, à quâ iam extraneus, nomen sortitur eius, *Qui non est*; contradictoriè oppositum illi, *Qui est*: Quemadmodum de Rege Tyri testatur Propheta Ezechiel. cap. 28. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* Hebraicè, *Fuisti, & non tu, vsque in seculum.*

Ezechiel. 28

Ad nihilum siquidem peccato redactus homo, iam non est, quia non bene est, quicunque ab eo *Qui est*, discedit, quod fit per noxiæ reatum, quo violatâ hominis rectitudine, homo sui patitur interitum. Quemadmodum enim Respublica, non est Respublica, nisi sit res populi, qui est coetus multitudinis iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus, sicut tradit D. Augustinus in suis de Ciuitate Dei Commentarijs lib. 19. cap. 21. vbi ex Scipione Ciceronis ostendit, nunquam Rempublicam fuisse Romanam: iuris autem consensus esse nequit, vbi vera iustitia non est, sine quâ geri Respublica non potest: quod enim iure fit, iustè fit, quod iniustè fit, nec iure fieri censendum est: quare iniusta hominum constituta, non sunt dicenda iura: *Quocirca vbi non est vera iustitia*, inquit D. Augustinus, *iuris consensu sociatus cœtus hominum non potest esse, & ideò nec populus: & si non populus, nec ius populi, sed qualiscunque multitudinis, quæ populi nomine digna non est. Non est autem ius vbi nulla iustitia est, & vbi iustitia non est, Respublica non est*: ita homo non est homo, si à iustitiæ rectitudine, quæ sua cuique distribuit, declinarit: nam quæ iustitia est hominis, *quæ ipsum hominem Deo vero tollit, & immundis dæmonibus subdit? Hoccine est sua cuique distribuere? an qui fundum aufert eius à quo emptus est, & tradit ei, qui nihil in eo habet iuris iniustus est, & qui seipsum aufert dominanti Deo à quo factus est, & malignis seruit spiritibus, iustus est?* Quod si non iustus est, nec rectus est, si non rectus est, neque homo est, quia Dominus fecit hominem rectum: aut si homo dicitur, ementitum & falsum arbitrare hominem, non verum, sicut de Christiano philosophatur D. Gregor. Nyssenus epistolâ ad Harmonium, quem imitamentum Diuinæ naturæ esse dicit, & probat in hunc modum: *Prima hominis fabricatio ad imitationem Dei similitudinis erat, & Christianismi professio est, vt homo reducatur ad pristinam & antiquam felicitatem: igitur, si antiquus homo Dei similitudo erat, Christianismus Diuinæ naturæ imitatio est. Is itaque nomen ementitur, qui Christi iustitiæ, veritatis, & puritatis communionem & societatem, in seipso non ostendit.*

Homo qui non est rectus est falsus.

Conuersio ad Deum.

Hæc cùm ita sint, est quod ruinæ atque miseriæ suæ ingemiscat peccator, & crebro lacrymarum fluxu, arentes cordis sui fibras irriget, quò tepescat in illo ardor boni creati, ac proinde commutabilis, & porrò extendat se ad bonum increatum & incõmutabile, ad quod toto mentis affectu suspiret, donec Lucifer oriatur in corde suo, ad cuius splendicantes flammas, agnoscat inane suum, & horrescat; atque positis mendaciorum edacibus curis, illi soli adhærere studeat qui ait, *Ego sum qui sum*, siue vt est in Hebræo: *Ero qui ero.* Quia Dominus, non præsentis, sed futuri seculi sit pater, & vindex Deus, dissimulans in præsenti peccata hominum propter pœnitentiam, & differens in futurum remunerationem iustorum qui huic seculo, vt iussit Apostolus Rom. 12. conformati non sunt, vt æternis illos tunc stabiliat bonis, dicatque iam quidem homo cum Dionysio Carthusiano in meditationibus, mentem suam in æternum illud inuisibile proferens: O ens in omni genere entium primum ac supremum: ens increatum, incausatum, ens fontanum, summè simplex, sincerissimum, formaliter infinitum, totaliter perfectum: tibi soli verè, plenè, propriè, verum esse, in perpetuâ & indeficienti æternitate, inest: vnde interroganti Moisi quod esset nomen tuum, rectè respondisti, *Ego sum qui sum.* Certè ô superbenedicte, ô infinitum & incircumscriptum ens, tuum esse tãquam pelagus immensum in se fluens, comprehendit in se eminentissimè, omnem perfectionem & eminentiam cuiuscunque entis, & omnibus entibus suum cuique esse, & existentiam tribuit. Tu ô supergloriosissimum fontale ens, ita sincerum in tuâ puritate & simplicitate immensâ consistis, vt nihil tibi de imperfecto esse admisceatur. Tu esse, idemque essentia es; nec vlla vtriusque in te differentia est, qui es esse ideale, per se subsistens, primum, vnum, & omninò simplex: tanta est excellentia tui superlaudabilis esse, vt creata essentia illi comparata, tanquam nihil prorsus sit & inane, & subsistentia nostra sit tanquam vmbra vanissima quæ præterit. Tu qui semper idem ipse es, ô finale ens, in quod finaliter resoluuntur omnia entia de non esse ad esse per te reducta, comple imperfectum entitatis nostræ, aufer à nobis, non esse, defectuum nostrorum, infunde in nobis verum esse gratiæ tuę, vt postquam mortale hoc esse depositum fuerit à nobis, quiescamus in obiecto beatifico essentiæ tuæ, cui laus & gloria. Amen. Hactenus Carthusianus.

CAPVT XLIIII.

De sacro nomine יהוה *iehoua.*

1. Iehoua Dei nomen ineffabile.

GRande nomen *Iehoua*, ecquis illud in animum immittat suum? Ineffabile nomen *Iehoua*: ecquæ creatura, licet aliàs Diuinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, satis garrula, effari queat? Omnipotens nomen *Iehoua*, ecquis opera illius, mentis suæ complexu coërceat? Atque

quæ ideò grande, ineffabile, ideò omnipotens nomen *Iehoua*, quod cùm mens illa summa, vniuersitatis rerum effectrix & parens, non possit vno, quamuis è multis composito nomine nuncupari, vt Trismegistus in Asclepio inquit, hoc vnum, abdito suæ significationis sensu, quasi nūcupet. Peruolue sacrâ volumina & quæcūque occurrerint diuinæ simplicitatis nomina, illa ipsa, vel per modū formæ, vel per modū subiecti, entis illius simplicissimi naturā describere comperies, nullū verò esse, quod ipsum *quod est*, vti in se est, significet, præter illud sūmū *Iehoua*. & eius cōtractum *Iah*. Quorū prius, Deum significat vt est in se, ex se, & per se, vnde cætera in primâ rerū molitione habent vt sint: posterius verò, operis primi reparatorem liberalissimum, de cuius incomprehensibili beneficentiâ exultans omnis creatura cùm in psalmis, tùm in Canticis iubilationis clarâ voce intonat *Halleluiah*. Verbum enim hoc abbreuiatum, ex virginalis vteri castissimis sanguinibus caro factum, hominem qui sub protoplasti ruinis

Afflictum, vitam in tenebris, luctuque trahebat.

E fuligineâ dæmonum potestate eripuit, infectisque serpentis seminio, dedit potestatem filios Dei fieri, adimpleri ab eius plenitudine, atque ad ipsum patrem, à quo per adolescentiæ lasciuiam & lasciuientem adolescentiam recessimus, redire, & orata per ipsum exorare, prout scriptum est Isaiæ 10. *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam, consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*, quem locum, in hunc modum refert D. Paulus ad Rom. 9. *Verbum enim consummans & abbreuians in æquitate, quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram*. Breuiatum est quippe nomen יהוה *Iehoua*, & ad יה *iah*, priores illius nominis literas contractum, vt per Verbum à magnifici potentiâ caro factum, læta, feliciaque essent omnia humano generi.

Isa. 10.

Rom. 9.

2. Quæ diuina nomina formam significent.

Porrò autem, diuinorum nominum, illa, formas, aut quasi formas importare dicimus, quæ sine aliquo ad creaturas respectu, concipi non possunt, cuiusmodi sunt, omnipotens, creator, Dominus, misericors, miserator, dominator: quæve Deum aut per modum qualitatis significant, vt sapiens, benignus, fortis: aut per modum quantitatis, vt immensus, incircumscriptus, æternus: aut denique alia proprietatum aliarum, ad alia prædicamentorum genera spectantium, significatiua. Quæ quidem omnia quantum ad rem significatam sunt idem, & ipsemet Deus, non autem quantum ad significandi, siue prædicandi modum, sicut ex Rabbi Moise aduertit Abulensis quæst. 1. in caput 6. Exodi. Illa verò per modum subiecti, essentiam diuinam, vt est istarum complurium que aliarum perfectionū quoddam quasi receptaculum, significant, ex quorum interpretamento, illam in se, ex se, & per se existere, & ab omni attributo puram, nudamque concipimus, qualia sunt יהוה *ie houa* הוא *hu* יה *iah*, אהיה *ehieh*. Quāquam enim illa omnia, vnum idemque sint in Deo, in quo propter summam simplicitatem, neque subiectum, neque forma datur: modus tamen ipse significandi nominum, ista discernit: quæ quia non æquali perfectionis gradu penetrale diuinitatis attingunt, dandum in vnoquoque genere vnum, quod reliquis perfectiùs Deū significet. Quare præ cæteris quæ habent rationem formæ, & creaturas respiciunt, eminet nomen Omnipotens, maioremque in Deo perfectionem significat, quàm eius generis alia: amplius est enim Deum esse omnipotentem, quàm misericordem.

In ijs verò quæ per modum subiecti, diuinum esse repræsentat, non est magnum nomen atque adeò reliquis præferendum, *Deus*: siquidem non distinctè, sed confusè, non clarè, sed obscurè, diuini Numinis præfert indicium. Tetragammaton autem illud ineffabile, caput est diuinorum nominum, quod ceu speculum lucidissimum, diuinam essentiam puram, & vt omnium perfectionum est pelagus, perfectissimè repræsentat: vt propterea vnicum meruerit haberi, quod purè essentiam per modum subiecti indicaret. Quanquam enim alia huius significati recensuerimus, illa tamen huic nomini comparata, formam potiùs quàm subiectum indicare videntur: inter quæ, etiam primarium quoddam atque præcellens est, quod perfectiùs Deum vt formam significat. Formarum autem præstantissima est, ESSE. Quum & in omni formâ includatur, & eminenter omnem omnium formarum perfectionem contineat, à quâ formâ Deus אהיה *ehieh* dicitur ab *Essendo*, sicut legimus. *Ego sum qui sum*. Atque ita ineffabile *Iehoua*, essentiam primam, *Ehieh*, essentiam in rebus, *Iah* essentiam in meritis ac retributione connotabit: ita vt primum sit omnipotentis essentiæ, vt in se, ex se, & per se est: alterum informantis essentiæ, vt ipsa in se, rebusque à se conditis inest: Tertium beneficæ essentiæ, à quâ habent cætera vt sint: caussam primam dicerent Philosophi, Verbum breuiatum & ad formam serui contractum, totius gratiæ & gloriæ fontem primarium & originē. Theologi, cui propterea Angelorum, animarumque beatarum chori, cuique mortales omnes, benignitatis eius rore perfusi, vnâ voce concinunt *Alleluia*.

Capitis 44. §. 1.

Deriuatio, & singularitas nominis Iehoua, Iudæorumq. circa illud vanitas & superstitio.

1. Tetragrammaton Dei nomen.

PEr sanctum illud nomen יהוה *Iehoua*, quod per exellentiam Græcis τετραγράμματον, Latinis, *quadriliterum* dicitur, non ab הוה *houah*, vt vult Oleaster, quod vastationem, contritionémve significat, deriuari cēseo, sed potiùs vel ab הוה *huh*, vel cum Azorio Institutionum moralium parte 2. lib. 1. cap. 10. alijsque multis, ab היה *haiah*, quod est, *esse*, deductum arbitror; cùm *Iehoua*, vti dictum est, ipsum qui in se, ex se, & per se est, significet; quod nomen sanctum est & terribile psal. 110. nomen singulare, à solo Deo traditum, non repertum ab homine, atque ita singulare, vt nulli creaturarum suarum communicatum voluerit Deus: Quanquam interea non desint, qui nomen, *Iouis*, à sanctissimo hoc, ac veratione summâ dignissimo nomine *Iehoua*, gentiles siue Latinos, mutuasse opinentur, inter quos est Lorinus in psal. 18. versu 8. atque pro *Iehoua*, mutilatâ dictione, legi posse *Ioua*: quod equidem minùs castè, minusque religiosè dictum arbitror. Quid enim? sanctissimi nominis characteres troncabimus, vt Deorum Gentium nomen efformemus? Piéne apices illos diuinos contrahemus, vt *Ioua* legentes, inde deductum *Iouis* nomen fabulemur? facessat istud commentum, profana hæc à sacris istis arceantur, & inanitas illa Deorum, à fœcundissimis, potentissimisque

mitque diuini nominis characteribus, ablegetur.

Iah nomen sanctis cōmunicatū.

Meliùs illi qui *Iah* nomen plerisque sanctorum in compositione attributum volunt, id quod manifestum fit, si literam. י *iod*, non in vocalem, sed in consonantem verterimus in his & similibus nominibus, *Elias, Isaias, Barachias, Iosias. Elias* enim quasi *eliah*, id est, *Deus Dominus*, quod quidem nominis Propheta sortitus est diuinitus, quo indicaretur, quantis animis, quam feruenti pectore, quanto zelo, summæ, æternæque diuinitatis cognitionem, eiusque cultum esset promoturus, frustra reclamantibus, frustra in aduersum nitentibus Sacerdotibus Baal, quorum quum euidenti miraculo damnata esset religio, confutata idololatria, Eliæ victori acclamabat plaudens populus, Deus Dominus, Deus Dominus, non iisdem tamen Eliæ nominibus, dicentes אל *el* יה *iah*, sed his alijs יהוה הו אלהים *Iehoua, hu elohim* ne quis Eliam pro Deo videretur agnoscere, sicut aduertit Leonardus Marius in 15. caput Exodi cap. 11. digressionis de nominibus Dei.

2.

Singularissimum itaque est nomen tetragrammaton, atque potentissimum, quod colunt superi, obseruant inferi, vniuersitatis natura veneratur. Nomen, quod inter alia magnum appellatur psal. 75. *In Israël magnum nomen eius.* Magnum in fortitudine Ierem. 10. *magnum in gentibus, ab ortu solis vsque ad occasum, & horribile in populis*, Malachiæ 1. Quod in psalmis dicitur, bonum, honorabile, laudabile, sanctum, æternum, & in Isaiâ, excellens, antiquum, ab æterno: & in Ieremiâ cap. 7. inuocatum super nos; & in Ezechiele cap. 16. egressum in gentes: & in Daniele, benedictum: & in Amos יהוה *iehoua* nomen eius: & cap. 18. Sapientiæ magnificentia, *Magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat*, idque per excellentiam, vt notat Viegas in cap. 12. Apocalyps. sect. 1. Commentarij. 2. eò quòd Deum, non per ordinem ad creaturas, sed prout in se est, significet. Eapropter Chaldæi, teste Reuchlino, nomen hoc, proprijs non inscribunt characteribus, quos Dei formauit manus & Moisi tradidit, sed punctis quibusdam ritè ordinatis, siue apicibus quatuor, exprimere consueuerunt, ne vsu mortalium quotidiano, illa admodum sacra, diuinitusque accepta elementa, vilescant consuetudine. Horum morem secuti Hebræi, si quando hoc nomen exarare velint, aut non integras literas, aut Chaldaicam figuram inducunt. Alij idem nomen expressuri, tribus punctis hemicirculo connexis vtuntur: alij aliter, quos scribendi modos in superdiuini nominis reuerentiam adinuenere, ne tractatione frequenti, tantæ maiestatis diuini verbi sacramentum esset contemptui.

Psal. 75. Ierem. 10. Malach. 1.

Sap. 18.

Pro Iehoua nomen Adonai substitutum.

Eadem religione ducti, si sacra volumina lecturientibus hoc nomen inscriptum occurreret, non Iehoua, sed eius loco Adonai pronuntiare: quod & alios factitare docent, ne frequenti veræ pronuntiationis vsu, in ipsorum puerorum ore tandem vilesceret Deus. Quâ ex institutione, multa deinceps superstitione plena, apud Iudæos emanarunt. Vnde enim nisi ab insano isto errore, nomen hoc, quod ineffabili naturæ suæ imposuit Deus, ex eo ineffabile censeri, quod quatuor consonantibus tanquam simulacris quibusdam vocis incomprehensibilis constet? Id quod etiam à quibusdam è nostris, ab istâ anili superstitione haustum, & proditum. Nam quis vnico contextu, inquiunt, quatuor consonantes quiescentes exprimat? Istud haud possibile videri, quòd quiescentes literæ, non ampliùs sonent, quàm in plerisque gallicis dictionibus. *k*, Quod eo consilio factum est, vt quemadmodum ineffabilis est natura Dei, ita & indicium naturæ nomen linguâ proferri non posset. Vnde Hebræi ex eo quod Exodi 3. habetur, *erit memoriale meum in generationem & generationem*, colligunt hoc nomen secundum literarum, punctorúmve dispositionem non esse proferendum, sed animo tantùm & mente commemorandum: quam in rem adferût quoque illud ex Thalmud Iudæor. tractatu חלק *helek*, qui exprimit nomen Domini per literas suas, non habet partem in futuro seculo. Atque ita apud ipsos inualuit hæc inepta religio, vt si fortè à Catholico nomen hoc expressum inaudierint, ad illius prolationem obstupescant, timeantque ne cælum ruat.

Exod. 3.

3. *Refelluntur Hebræi.*

Verùm erroris insaui sunt ista, meræque delirantis animi offuciæ. Perquam enim ineptum est, licere nomen aliquod animo tractare, non autem labijs, ad illius effatum, formare: Deum eius nominis auctorem esse, quod ipsum nolit nominari, esseque impossibilis pronuntiationis institutorem & præceptorem. Neque hic superstitionis Iudaica finis, non hic impietatis terminus. Cabalistici Iudæi, magna stupendaque miracula, nominis huius virtute, si genuina veraque eius interpretatio haberetur, patrari posse tradunt: huius vocis intelligentiâ diuinitùs accepta, Moisen in Ægypto ista operatum, quorum sacra pagina meminit, & totus miratur orbis: eius virgam thaumaturgicam quadrilateram fuisse, & singulum quodque eius latus, charactere singulo diuini nominis inscriptum, Salomonem, sacrorum elementorum cognitâ virtute, ad summum illum quo peruenit scientiarum gradum, seu potiùs culmen ascendisse, affatimque diuitiarum accumulasse. Alij solum Messiam istius nominis abdita peruasurum scribût, cuius virtute ingentem opum vim sit acquisiturus, thesauros absconditos, ceu bifido surculo ex corylo, quo metallariorum superstitio, venas auri, argentique feraces explorari dicit, reuelaturus; orbem vniuersum imperij sui legibus submissurus, quemadmodum refert Iacobus noster de Valentiâ in psal. S. Quodque deterrimum est, autor libri Nazahon, infandum in Iesum Nazarenum euomit; Christum scilicet. Sotetem nostrum benignissimum, huius nominis vi, quod ab Ægypti Magis, Necromanticisque furatus fuerat, ægros sanasse, mortuos ad vitam reuocasse, cæcos illuminasse, cæteraque miracula (quibus diuinitatem suam testatus est) perpetrasse, haud secus ac Magi, qui preculis quibusdam adhibitis, mira operari videntur. Hinc tanta illos nominis huius inuestigandi, eiusque proprietates cognoscendi incessit cupiditas, vt in spem eruendorum thesaurorum erecti, si earum scientiam assequerentur, vanâ atque superfluâ curiositate, hoc nomen ineffabile, latentis mysterij explicandi causâ, nunc in duodecim, nunc in quadraginta duas, nunc in duas & septuaginta literas, frustrà resoluerint, atque ipsum nomen *Sem hammephoras* שם המפורש hoc est, nomen expositum, siue explicatum, appellarint. Nec insuper veriti sunt dæmonum magisteria implorare, à quibus de vocis huius sacramento instruerentur: quò fit, vt Rabbinorum quamplurimi, impijs Necromantiæ disciplinis perdiscendis operam collocent, quemadmodum scribit Episc. Christopolitanus noster

Capitis

Capitis 44. §. 2.

Cur nomen Iehoua ineffabile, cúrve expositum dicatur?

1. Iehoua nomen ineffabile, cur?

FAcessant qui æterna Dei suíque deque habentes, nihili pendunt, opum gratiâ, Cacodęmonis disciplinâ imbui. Sed cur ineffabile hoc nomen? cur expositum appellatur? Viegas in c. 12. Apocal. sect. 1. Ineffabile nomen יהוה *Iehoua* tradit, ex eo quod ignotum fuerit vel ipsis Hebræis, qui sine punctis legerent, quæ sub istis quatuor consonantibus subintelligerentur, vnde ἀνεκφώνητον dictum sit, id est, *Ineffabile*: scilicet, quòd pronuntiari non possit; atque ideò in varias pronuntiationes diffectos, qui illud aliquo sono efferre sint adorsi. Clemens namque Alexandrinus lib. 5. Stromatum legit *Iaboh*: & Diodorus Siculus, Deum Iudæorum *Iebo* appellatum tradit. Theodoretus quæst. 15. in Exodum *Iaueh*, siue *Iah*. Aduertit quoque D. Hieronymus epistolâ ad Marcellam, nonnullos qui nomen illud non intelligerent, & in Græcis libris reperirent, propter elementorum similitudinem, πιπι, legere consuesse. Cabalistæ veteres, qui nomen יהוה ita scribere soliti, vt tres priores literæ maiori figurâ, vltimum ה minori scriberetur: illæ quidem trium hypostaseôn indices, hæc verò hominis Christi; ab Angelis tantùm, & beatis animabus pronuntiandum aiebat, ideoque apud nos mortales ineffabile censeri.

Refelluntur ineffabilitatis rationes.

Sed non placent istæ ineffabilitatis huius nominis rationes. Vt enim à posteriori exordiar: Si nomen hoc mortali diuinitùs indicatum est, cur non mortalis illud pronuntiet? nisi frustrà indicatum velis, quod non asseres, nihil enim frustrà facit Deus; frustrà tamen esset, istius nominis reuelatio, si prolatio illius impossibilis; si illicita, & alius animorum status, ad illam reuelatam vocem efferendam, expectâdus foret. Adde, nec scribendum fuisse illud nomen, si non fuerit pronuntiandum. Etiam prior ratio languet. Esto etenim, sine pûctis, quæ vice sunt vocalium, scribatur nomen *Iehoua*, quid inde miri? etiam totus Codex Hebræus sine punctis; quæ quidem licet non omnino sit exploratum, quo primùm tempore literis Hebraicis additæ fuerint, ex probabili tamen Eliæ Leuitæ Germani sentētia in præfatione Mazoreth, adfirmat Bellarminus Institutionum linguæ Hebraicæ 1. parte cap. 2. id factû esse apud Tiberiadem Palæstinæ, anno 436. ab euersione templi, id est, anno salutis nostræ 476. Ergo antea absque punctorum adminiculo legebatur ab Hebræis, apud quos magis vsu legentium, quàm præceptis, ratio legendi & pronuntiandi cōseruabatur. Quod indicatum à D. Hieronymo epist. 126. quæ est ad Euagrium, scribit Bellarminus. Neque quisquam suspicari debet, sine vllo vocis sono, hoc nomen diuinitùs inpôtuisse homini, quod quum aure concepisset, memoriâ conseruasset, literis mandasset, pronuntiationem ipsam ignorasse, putandus non est, à quo & cæteri illam hauserint.

Ineffabilitatis vera ratio.

Quare sacrû illud nomen, inenarrabile, mihi dictum videtur, eò solùm, quòd Dei natura, essentia, immutabilis, æterna, præsens, & imperscrutabilis, per ipsum significata, & ab eo solo comprehēsibilis, & enarrabilis, qui sibi illud nomen imposuit, à nullâ prorsus creaturâ exprimi possit, quum sit infinita, atque ob id ineffabilis, ita vt vox quidem ipsa pronuntiari possit, sed quanta potentia, quanta virtus, quâta maiestas, quanta multitudo, quanta simplicitas sub illâ contineatur, à nemine possit explicari.

2. Iehoua cur dicatur nomen expositum.

Interea, hoc nomen expositum appellāt, quòd per certa nomina Dei naturam, quantum ab homine comprehendi potest, explicet: quale autē sit illius expositiuum, non satis tradunt Hebræi. Rabbi Moises in libro quem inscripsit More, non vnum, sed duorum, trium, pluriúmve cōgeriem fuisse opinatur, nomen duodecim literarum nominis יהוה *iehoua* expositiuum, quo quidē Patres vterentur, quotiescunque *Iehoua* legendum occurrisset, & de quo alios informarent; tollētes interea quadriliteri nominis memoriam: filios solùm, discipulosque qui honesti essent & pudici, quique sacerdotio censerentur, semel duntaxat in hebdomadâ, illud docendo, quia vitæ ac morum insolētiâ praui homines atque Schismatici, illo abuterentur: quod factum traditur ab obitu Simeonis iusti, qui nouissimus omnium, nomine יהוה *iehoua*, benedixisse dicitur.

Galatinus tamen lib. 2. de Arcanis, cap. 11. Nomen יהוה duodecim literis, in hūc modum ab Hebræis expositum scribit, אב *ab*, *Pater*: בן *ben*, *Filius*: ורוח *veruah*, & *Spiritus*, הקדש *baccodes*, siue *baccados*, *Sāctus*. Sed nullo fundamento ista expositio asseritur, quam nunquam tam apertâ Sacratissimæ Triadis notitiâ apud Iudæos fuisse constet, quanta harum duodecim literarum expansione traditur: ex quâ non minùs improbabili coniecturâ, aliud expositum quadraginta duarum literarum emanat, eodem Galatino auctore, videlicet אב אלהים *ab elohim*, *Pater Deus*. בן אלהים *ben elohim*, *Filius Deus*: רוח הקדש אלהים *ruah baccodes elohim*, *Spiritus sanctus Deus*, שלשה באחד *schelescha becbad*, *tres in vno*: אחד בשלשה, & *vnus in tribus*, vbi quadraginta duo characteres Hebraici numerantur. Quapropter ista potiùs, à viris Catholicis Hebraicè peritis, piè religiosèque inuēta arbitror, sicut & alia à Galatino lib. 2. de Arcanis cap. 10. Datablo Exod. 25. Viegas in cap. 12. Apocal. sect. 1. Azorio, Institutionum Moral. parte 2. lib. 1. cap. 10. alijsque multis adnotata. Ignotum autem esse expositum duodecim, duarúmve & quadraginta literarum, neque à Iudæis proditum, qui quàm vano studio expositionis nominis *Iehoua*, per literas duas & septuaginta, insudarint, ex eo liquet, quòd ex tribus decimiquarti capitis Exodi versibus, quorum quilibet septuaginta duabus literis constat, literarû metathesi, totidem Dei epitheta, minutissimâ, & inani diligētiâ agglomerēt. Verba scripturæ sūt

ויסע מלאך האלהים ההלך לפני מחנה ישראל וילך מאחריהם ויסע עמוד הענן מפניהם ויעמד מאחריהם

Exod. 14.

Et profectus est Angelus Dei qui ibat ante turmam Israël, & iuit à tergo ipsorum: & profecta est columna nubis à facie eorum, & stetit à tergo ipsorum. Et duo sequētes versus, quos studio prætereo, cùm satis exempli causâ fuerit, vltimâ dictionem secundi, quæ est הלילה *nocte*, & primam tertij, quæ est ויט & *extendit*, addidisse. Iungunt enim primi versus literæ primæ, vltimam secundi. & primam tertij, ex quâ coniunctione fit והו *vehu*, & *ipse*: & ita consi-

consequẽter, secundæ literæ primi versus, penultimam secundi, & secundam tertij, & fit ילי ieli, & sic de cæteris donec epitheta duo & septuaginta conficiant (prout latè ostendit Leonardus Marius) quæ Deo tribuuntur, & septuaginta duobus Angelis populorum præsidibus, secundũ numerum linguarum confusionis Babylonicæ, addito nomine אל el, vel יה iah, dicentes Vehuiah: Ieli el, Sitaël, hheelem iah, atque ita deinceps, quibus nominibus Angelos indigitant.

Scruta autem sunt hæc, quæ isti scrutantur, & voculæ in aëre sonantes, neque fiet vnquam, vt malis artibus addicti, vocis *Iehoua* mysterium enucleent, quantumuis impensè deludẽt: ad quod nõ aliter peruenitur, quàm fide, spe, & charitate: Id quod insinuatum à Domino, iuxta periti cuiusdam expositionem, Exodi 6. vbi ait, *Ego educam vos de ergastulo AEgyptiorum, & eruam de seruitute, & redimam in brachio excelso, & iudicijs magnis, & assumã vos mihi in populum, & ero vobis in Deum, & scietis quia ego sum* יהוה *Iehoua Deus vester*. Scietis tũc τετραγράμματον, inquit ille, quã doctrinã? quia in brachio excelso, ecce miracula ad quæ se extẽdit brachium Dei, Verbũ Patris, ex quibus agnosci voluit Messias in lege promissus: fecit enim opera, quæ nemo alius fecit, vnde inexcusabiles fuerunt increduli. Et hanc notitiam vocant Peripatetici posteriorem ex signo, vnde oritur *Fides. Scietis*, inquit, at quã fragilitate nostræ capacitatis? *quia iudicijs magnis*, Dei enim est iudicium, Dei sententia, cui parere potestas aduersaria compellitur: dicit enim Dominus Ioannis 12. *nunc est iudicium mundi, nunc princeps mundi eijcietur foras: ecce spes: Scietis*. At quis erit sciendi modus? Confœderatio Dei cum homine, quia *vos assumam mihi in populum, & ero vobis assumar in Deum, quia sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: ecce charitas*, ecce vtrimque amor & dilectio quã in Dei societatem confœderamur per Iesum Christum, qui assumptam mortalitatem nostram, sibi confœderauit; hæc ille.

Exod. 6.

Ioan. 12.

3. Iehoua, nomen admirabile.

Interim ad excellentiam mysteriorum huiusce nominis facit, quod cum alijs adnotauit Iacobus de Valentiâ in psal 8. & tractatu 4. in psalterium cap. 1. ideò nimirũ à Psalmographo admirabile prædicari: primùm quidem in potentiâ & magnificentiâ, vnde illud, eleuata est magnificentia tua super cælos: iam enim monuimus suprà §. 1. nomen illud à Sapiente, *magnificentiam*, appellari, estque adeò forte in omni terrâ, vt *operiat cælos gloria eius*, Abac. 3. & totum compleat orbem. Secundo in sapientiâ: hinc illud, *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum*, factos ab intellectu. psal. 135. stabilitos in prudentiâ, Prou. 3. digitis, ceu minimâ, sed validissimâ sapiẽtiæ diuinæ particulâ, formatos: fecit enim omnia Deus in sapientiâ. Tertiò, in misericordiâ, vnde dicitur, *Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis: quoniam visitas eum*: cùm enim homo putredo sit, & filius hominis vermis Iob 25. homo, Adam scilicet, qui prima veluti putredinis origo fuit, & posteri eius qui ex illâ putredine tãquam vermes procreati sunt; in nominis tamen sui admirabilis virtute, curam illius agit Deus, nõ modò vniuersalem, sed etiam particularem, relaxandó offensas, atque sacri cruoris sui merito, ad vitam & gloriam reuocando. Quartò, in iustitiâ, ibi, *Gloria & honore coronasti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum*, dans ei potestatem, etiam supra ipsos cælos, qui psal. 101. dicuntur *opera manuum Dei*, quemadmodum scripsit Hesychius. Ob quæ ineffabile quoque est, & incomprehensibile nomen יהוה *iehoua*, quia quatuor illos effectus ineffabiles, & incomprehensibiles in Deo, significat: Omnipotentiam, de quâ dicitur *Potens es Domine, & non est qui resistat tibi*: Sapientiam, de quâ, *Sapientia eius non est numerus*: Misericordiam, de quâ, *Miserationes eius super omnia opera eius*: & Iustitiam, de quâ, *Iudicia Dei abyssus multa*; quæ omnia nobis sunt incomprehensibilia.

Psal. 8.

Abac. 3.

Psal. 8.

Iob. 25.

Psal. 8.

Psal. 101.

Psal. 146. & 144. & 35.

4. Literarum nominis Iehoua sacramentum.

Magnum præterea est literarum huius nominis sacramentum, omnes enim illæ, vt meri sunt circulares, & י iod, denarium: ה he, quinarium: ו vau, senarium significat. Orontius Fineus lib. 1. Arithmeticæ cap. 1. cum alijs, elementa numeralia, decem assignat quibus omnis numerus exprimitur, nouem significatiua, vt 1, 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & vnum non significatiuum, quod tsiphra, siue Zero dicitur, vt 0. & hoc quidem Arithmetici nullius valoris esse dicunt, sed ad solam locorum occupationem, & significatiuorum elemẽtorum in articulis & mixtis numeris siue cõpositis, transpositione, deputari. Ob quod fortasse quidam denarium numerum à sphæricis expunxere: sed frustrà sunt, sicut ex numerorum diuisione liquet. Partiuntur autem Arithmetici numeros in digitum, qui nouem non excedit vnitates: articulum, qui ex vnicâ denâ, vel pluribus integratur, vel qui in decem partes æquales adæquatè partibilis, vt 10. 20. 30. &c. Et, mixtum, siue compositum ex articulo & digito, vt 12. 15. 28. 36. 49. &c. & ex illis, hos omnes & solos circulares vocant, 5. 6. 10. Circularis autem numerus ille est, qui per seipsum ductus, semper in seipsum recurrit, vt si quinque, quinquies ducas, efficies 25. rursus si quinquies repetas 25. efficies 125. Item si sexies ducas sex, efficies 36, & sic de cæteris.

Iam verò, cùm Deus sit caussa efficitrix & finalis rerum omnium, siue vt canit Boëtius,

Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

iuxta illud Isa. 44. *Ego primus, & ego nouissimus*, & Apocal. 1. *Ego sum α & ω*. hoc ipsum sacri nominis יהוה *iehoua* characteribus, qui numerorum circulariũ sunt notæ, significatur. Est enim Deus sphæra intellectualis, à quo circulari progressu fluunt omnia, & in quem omnia pariter recurrunt; quod Georgius Venetus Harmoniæ mũdi Cantico 1. tono 8. cap. 3. obseruauit: Neque enim creatarum rerum series tendere in aliud potest, quàm in id, cuius ipsæ simulacrũ gerunt. Quemadmodum igitur lineæ circuli à centro manãtes tendunt in periphæriam, & ab ea retrò commeantes in centrum redeunt: ita creaturæ, à cẽtro supremæ sphæræ, tanquã ab omnipotentẽ causâ rerum omnium effectrice exeuntes, feruntur ad eiusdem periphæriam, quæ Deus ipse est, & inde in eum ipsum, tanquam in centrum regrediuntur, in quo tandem conquiescunt. Et vt illæ ipsæ lineæ, circuli, siue sphæræ limites egrediuntur nunquam, nihilo seciùs, creaturæ, interminatæ sphæræ diuinæ naturæ terminos, nunquam exeunt, ita vt à Deo sint ipsæ, in Deo maneant, & ad Deum tendant: vt propterea Trismegistus in Pimandro dixerit, Deũ esse vnitatem, quæ principium est, omnem numerum continentem, & Proclus lib. de animâ & dæmone, per omnes rerum ordines ipsum vnum alia comprehendere, atque ante illa, & post illa, & vnâ cum illis agere, vt dicatur esse conuersa quæcunque à primo dependent. Adeò vt si creatura peccans extra ordinem suum, effracto quasi circulo, iste videatur,

Isa. 44. Apocal. 1.

suo, non effugiet tamen ordinem Dei, qui quos prauitas à circuli periphæriâ detorsit, iustitiæ lineâ corrigit, id quod præclarè prosequitur D. Augustinus epistola 120. cap. 3. totidem verbis, *Cum enim sint omnes substantiæ natura.liter bonæ, ea in qua sapientia honoratur, peruersitas culpata damnatur. Nec efficit anima peruersè vtens creaturis, vt ordinationem effugiat Creatoris, quoniam si ista malè vtitur bonis, ille benè vtitur etiam malis: ac per hoc ista peruersè vtendo fit mala, ille ordinatè etiā malis vtēdo, permanet bonus. Qui enim iniustè se ordinet in peccatis, iustè ordinatur in pœnis.*

Capitis 44. §. 3.

Nomen Dei sanctè habendum.

I. Iehoua, in anno semel tantùm, reuerenter ad modū pronunciatum.

ILlud quoque prorsus obseruatu dignum, tantâ Iudæos huius sanctissimi nominis religione teneri, vt nisi semel in anno, ex auro (cui inscriptum erat) maximâ cum reuerētiâ à summo Sacerdote, in sacris benedictionibus pronuntiaretur, expiationis nimirum die (vti refert Suarès de Sancta Maria serm. de Trinitate, ex Augulpho Iudæo Christiano) mense decimo, sacerdote solo intra sancta sanctorum recepto, nocte, ianuis sacrarij clausis, luminaribus extinctis, pronâ in terram facie, & ore hiante: atque ita submissè, vt qui in ianuis essent, vix intelligerent: quo audito pronus quoque in faciē ruebat populus, nominis diuini maiestatem veneraturus. Eoque pronuntiato, Sacerdos faciem suam aurâ suaui ac præterlabente afflari sentiebat, quo indicio, Deum ipsum ad diuini nominis prolatum adesse iudicabat, mortificationes, pœnitentiam, ieiunia, aliaque pia opera in quibus sese populus eo die exercebat, accepta habentem, atque debitas peccatorum pœnas relaxantem, quemadmodum propitiatus est peccato populi, adorationis vituli, ad preces Moysi, vt ait D. Tho. 1, 2. quæst 102. art. 4. ad 10.

Nomine Dei abutentes, nouam luût capite.

Hoc nomen si quis præterea temerè pronuntiasset, capitis agebatur reus. id quod mihi ex Philone lib. de vitâ Moysis colligere videor; quū inquit: *Quod si quis, non dico blasphemauerit hominum, Deorumque Dominum, sed ausus fuerit vel nomen eius intempestiuè promere, noxam luat capite: quandoquidem ne mortalium quidem parentum nomina proferunt ij quibus est cordi pietas, sed omissis proprijs, honoris gratiâ, vtuntur naturalibus, patrem appellantes, matremque: atque ita profitentur accepta immensa beneficia, simulque suam gratitudinem. Quomodo igitur merentur veniam, qui temerè abutuntur sanctissimo Dei nomine, tantùm ad explendum sermonem, non aliter quàm profanis vocibus?* Abominanda, proh dolor! æui nostri consuetudo. Ad diuini nominis inter laudes Deo sacras prolationem; non modò tanquam saxa perstamus immobiles, neque vlla benefici nominis reuerētiâ aut veneratione tangimur, iniquiores illis, qui quum in regum aut principum nomina iurarūt, ad eorum inter cōfabulationes suas memoriam, manibus pileo admotis, venerationem testantur: sed etiam in tantum valet quorundam impietas, vt vel religiosissima, nec sine horrore audiēda aut proferenda Dei nomina, per summam impudētiam aceruatim congerunt, quasi euicturi sint crebris deierationibus, vt sibi credatur. Fatui qui non intelligunt consuetudinem crebrò iurandi, argumentum esse perfidiæ: sic Philo Iudæus lib. de decalogo, *Iam qui iurat*, inquit, *suspectus est de perfidiâ: sit igitur cunctator & procrastinādo, si fortè differendo possit euitare ne iuret.* Fatui qui non suo infixerunt animo illud D. Basilij in psal. 14. αἰσχρὸν παντελῶς καὶ ἀνόητον, ἑαυτοῦ κατηγορεῖν ὡς ἀναξίου πίστεως καὶ τὴν ἐκ τῶν ὅρκων ἀσφάλειαν ἐπιφέρεσθαι id est. *Turpe sanè omnino & stultum, seipsum accusare vt indignum fide, & firmitatem ex iuramentis adferre.*

Clinias.

Clinias Pythagoricus, cùm per iuramentum, mulctam trium talentorum vitare posset, maluit tamen iniuriam pati, quàm iurare, etsi non esset falsò iuraturus, hoc barbatus fecit: & Christianus, vt vel lucellū, etiā per iniustitiam obtineat, non sine graui religionis contemptu iurat.

Caiphas.

Caiphas quanquam persequens flagitij, nomē Dei irreuerenter habere non est ausus, sed dixit, *Tu es filius Dei benedicti?* ita quoque venerationis gratiâ Apostolus, quum Dei nomen vsurpat, addit, *qui est benedictus in secula.* Nunc ore sacrilego Christi & Dei nomen, tanquam vulgare promiscuè teritur, etiam inter flagitia. Nam in tantum apud plurimos nomē hoc parui penditur, inquit Saluian. lib. 4. de vero iudicio & prouidentia, vt nunquam minùs cogitent quippiam facere, quā cùm se iurant per Christum esse facturos. Et cùm scriptum sit, Nomen Domini tui non nominabis in vanum, in id reuerētia Christi decidit, vt inter cæteras seculi vanitates nihil penè iam inanius, quàm Christi nomen esse videatur. Denique multi non otiosas tantummodo res, & aniles, sed etiam scelera quædā se iurant per Christi nomen esse facturos. Hic enim loquendi vsus est talibus: per Christum quia tollo illud; per Christum quia cædo illum: per Christum quia occido illum: ad hoc res cecidit, vt quod Christi nomine iurauerint, putent se scelera etiam religiosè esse facturos. Hæc Saluianus: & post pauca: Quis vnquam crederet vsque in hanc contumeliam Dei, progressuram esse humanæ cupiditatis audaciam, vt id ipsum in quo iniuriam Christo faciunt, dicant se ob Christi nomen facturos? O inæstimabile facinus & prodigiosum! Quid non auiæ sint improbæ mentes: armant se ad latrocinandum per Christi nomen, autorem quodammodo suo sceleri Deum faciunt: vt cùm interdictor ac vindex malorum omnium Christus sit, dicant se scelus quod agunt agere pro Christo. Hactenus Saluianus. Horrendam impietatem! Neque ab hoc scelere, terendi irreligiosè diuini nominis abstinet vel puerorum adhuc balantium ætatula, ab ipsis etiam cunis, parentum suorum & contubernalium impietatis afflictu, in criminis & flagitij partem traducti. Testis ille de quo D. Gregor. l. 4. Dialogor. c. 18. qui à parentibus in delicijs habitus, consueuerat pro minimo Deum blasphemare, & eā ætatulā, quam nonnulli peccati mortiferi incapacem putarunt, inter ipsa parentis complectentis brachia, quinquennis & blasphemus, à Dæmonibus interfectus est.

2. Mercatores blasphemi.

Quinetiam videas negotiatores ita prauè affectos, vt nullam prorsus Dei recordationem habere videantur, quàm vt sacratissimum omnique cultu & veneratione dignissimum eius nomen temerent, præceptorum diuinorum violatores sacrilegi. Exodi 20. ait Dominus, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*: at illi, vltro citroque negotiationibus suis, & iuramēta interponūt, & alijs deferunt. vtrumque autem hîc censeo prohiberi, ex hebraicis vocibus לא תשא *lo thissa* non *feres*, id est, *non exprimes, non pronuntiabis*, verbo, *assumere*, ista significante, quod est apud Hebræos תשא *thissa*, siue נשא *nasa*, quemadmodum habetur psal. 14. *qui opprobrium non accepit aduersus proximos suos* לא נשא *lo nasa, non detulit, contra proximum suum*: vnâ enim eademque voce *Thissa*, & assumi iuramentum temerariè, & deferri prohibetur. Raro enim iurandum esse nos admonet lubrica ad periurium via, vt meliùs sit non cogere iurare, quàm dare caussam periurijs. vnde cautum aliquando vt si quis iurare alio postulante cogatur, is qui postulat, teneatur purgare se priùs iuramento

Exod. 20.

Psal. 14.

mento de calumnia, & quod malitiosè illud no postulet, l. iusiurandum & ad pecunias l. 34 §. *qui iusiurandum, de iureiur.* P. Vide Petrum Gregor. Syntagm. iur. vni. l. 50. c. 3. num. 4. & Plato 12. de legibus propter facilitatem ad periuria, non passim esse permittendum iuramentum, tradit. Metu quoque periurij Heroës cùm Iasone profecti iurare timebant, vt auctor Orpheus in Argonaut.

Periurium metuunt Heroës.

ὅρκια δειμαίνοντες, ἐπεσφήκωσαν δὲ χεῖρας.

Iuramenta timentes, figarunt hoc manibus.

Iurare quomodo expediat. *Ierem.* 4.

Expedit tamen aliquando iurare non passim, non temerario atque improbo iuramento, non pro omni re, sed sicut Ieremiæ 4. dicitur *Et iurabis viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Istæ sunt circumstantiæ, quæ permittũt iuramentum, & probum efficiunt, vt habet totidẽ verbis, Pet. Greg. num. 7. Veritatis caussa prima est, ob quam rectè iuratur, & pro eo quod verum creditur. c. homines. 22. q. 2. c. si. 22. q. 5. Iudicium discretionem habet animi, vt in c. paruuli. 22. quæst. 5. vt sine ea non valeat, vel præstitum sine eâ, damnabile, & contra prohibitionem Dei, *Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum.* Exod. 20. Consuetudo quippe iurandi pro quibuscumque rebus; & sine necessitate reprehenditur: & ita monet Eccl. 23. *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei, non sit assidua in ore tuo: & nominibus sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.* Et paulò pòst. *Vir multum iurans implebitur iniquitate.* Et iterum idem c. 27. *Loquela multum iurans horripilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius, obturbatio aurium.* Iustitia, postrema iuramenti basis est, vt pro iusto iuretur tantùm, non pro re turpi & iniquâ, pro quâ præstitum iuramentum temerarium & impium est, & non seruandum. c. *tua nos; de iureiur. c. cum quidam* 12. § *fin. c. Quintauallis.* 23. *de iureiur. c. fin.* 17. quæst. 2. c. *si quis* 23. quæst. 2. l. *Imperialis, iuncta Authent. quod eis de nupt. Cod.* quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, tota 22. quæst. 4. & c *inter cætera.* 22. quæst. 2. c. *quemadmodum* 25. *de iureiu. c. non est obligatorium de regul. iuris in* 6. Hactenus Petrus Gregorius.

Exod. 20.

Eccl. 23.

Eccl. 27.

3.

Iam, vt in gradũ reuertar, quot & quanti illi, qui ter venerandũ Numinis nomen, & assumunt temerariò & deferunt, oneri, exitioque sibi proculdubio futurum, vt vanitati, improbitatique suæ seruire faciant? sic enim scriptura Eccl. 23. *Sicut seruus interrogatus assiduè à liuore non minuitur, sic omnis iurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur;* siue, vt alia versio habet, *Sicut seruus crebrò vapulans non leuatur vibicibus, ita qui deierat, & nomen Dei vsurpat assiduè, culpâ non vacabit:* sic enim vulgò proditum est, *Qui iurare solet peierare consueuit.* Vnde D. Chrysost. *Assiduitas iurandi, peierandi consuetudinem facit, vsus iurandi ad periurium inducit:* D. Augu. quoque & habetur 22. quæst. 1. *Ita ergo præcepisse Dominum intelligitur, ne iuraretur, ne quispiam sicut bonum appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi, ad periurium per consuetudinem dilabatur;* Quò spectat illud quoque Phocylidis, μήτ' ἐπιορκήσῃς, μήτ' ἀγνῶς, μήτε ἑκών τι. *Non iurabis, neque purè, neque sponte.* Hinc & illa.

Eccl. 23.

Ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον, εἰς ὕδωρ γράφε.

Θεὸν ἐπιορκῶν, μὴ δόκει λανθάνειν.

Ὅρκον δὲ φεῦγε, κἂν δικαίως ὀμνύῃς.

Virorum improborum iusiurandum in aquâ scribe.

Deum, dum peieras, ne te putes latere.

Iusiurandum fuge, vel si iustè iures.

Hoc D. Basilius homil. de legendis libris Gentilium iubet. hoc & Epictetus *Iusiurandum refuge, si potes: sin minùs, quum licet.* Plures interea inuenies, qui sæpiùs periurent, quàm qui omnino non iurent. Nam vt & de alio genere hominũ non dicam, inquit Saluianus lib. 4. de prouiden. consideremus solas negotiatorum & Syricorum omnium turbas, qui maiorem fermè ciuitatum vniuersarum partem occupauerunt: si aliud est vita istorum omnium, quàm meditatio doli, & trituratio mendacij, aut si non perire admodum verba existimant, quæ nihil loquentibus prosunt. Tantus apud hos Dei honor est prohibentis, etiam iusiurandum, vt singularem existiment fructum omnium periurium. Ista Massiliensis Episcopus.

Æthiopes, teste Alexandro ab Alexan. Genial. dier. l. 5. c. 10. per defunctos, quos in vitâ coluerant, & quorum corpora in vitro asseruabant, deierarunt. Nonnunquam Deorum aras tangere, sanctissimum iusiurandum putabatur: & Dominus Matth. 23. perperam Pharisæos agere dixit, qui non obligare iuramentum quod per altare fieret, arbitrabantur, sed quod, per donum altari illatum, quasi donum ab altari non sanctificaretur. Vbi Adamantius, per altare, cor hominis intelligit, à quo ieiuniorum, eleëmosynarum, reliquorúmve operum bonorum sanctitas est, atque ita, qui in testem, altare, hoc est cor & conscientiã appellat, per altare iurat, inquit Pierius Valerianus Hieroglyphicor. lib. 34. cap. 6. Exstat scriptum in legibus prisci cuiusdam nomine sapientiæ celebrati, Philone auctore, lib. de specialibus legib. *Deierato per religionem patris.* nimirum, vt hoc præcepto, prodesset posteris, docens quomodo honorandi parentes; pietate, vt bene meriti: religione, vt à naturâ constituti principes: & quod Deus non sit temerè nominandus. Ibi homo est, per quem iuratur; hîc Deus viuus qui peieratur; & iam ad sermonis complementum, sacramentum adhibetur: iam ad magnorum animorum ostentationem, sermonisque venustatem, à Castrensibus præsertim aulicisque execratoriæ deierationes, peierationes, tanquam elegantiæ accersuntur, imò etiam ad singula verba illotis, vt aiunt, pedibus, ad vniuersorum patrem irrumpitur, & periurium ipsum sermonis genus putatur esse, non criminis.

Æthiopum iuramenta.

Phryges, non modò vllo sacramento adiguntur, sed nec alios ad deierandum cogunt. Armenij, iusiurandum de rebus magnis in Anaitidis Deæ templo, quam insigni cultu prosequebãtur, præstare consuerant. Sancitum olim apud Romanos, vt qui per Ianum Deum intempestiuè iuraret, pœnâ capitis, crimen expiaret: neque enim hoc nomine sacramẽtum interponere cuiquam concessum, nisi Senatus autoritate, adhibitaque sacerdotum præsentiâ, & in rebus grauissimis, quum aliàs hoc iusiurandum à Senatu deposcere nemo auderet, quod præstari coram Sacerdotibus iubebantur, ad pietatem & reuerentiam. Cauerunt Athenienses iurari per illustres & claros rebus gestis viros, vt autor Cyrillus Alexandrinus. Quãtò autem minoris res criminis est, Iani nomen, aut cuiusuis alterius Deorũ Dearúmve ludificare, quàm Christi? ibi nulla diuinitas est, hic Deus summus: ibi cùm prope nullum sit sacramentum, nullum constat esse periuriũ: nam cùm Deus non sit per quem iuratur; nõ est periurium quum peieratur; hîc cùm maximi sacramẽti sit deieratio, necesse est maximi sit reatus & peieratio. Interea plerosque nunc audias nullâ temporum, nullâ locorum, nullâ personarũ diuinarũ habitâ ratione, in profanis impurisque locis, vbi nec viri honesti nomẽ audiri debet, cõceptis verbis iusiurandũ, multis Dei nominibus, præter decorum, maximâ cum impietate texere.

4. Qui non iurent.

Iura ciuilia, temeraria hæc iuramẽta & blasphemias prohibent, etiã mortis iudiciâ pœnâ. l. §. si. vt non luxuriet cont. nat. in Authent. l. si. §. si C. de relig. & sum. fun. Nihil enim blasphemiis peius, quã exuberãt sacrilegè qui Deũ in iuramẽtis suis, & sanctos eius probrosè & calumniantes habẽt, quod fit tribuẽdo Deo quod ei nõ cõuenit, detrahendo quæ eius sunt, & attribuẽdo creaturæ quæ

5. Ius ciuile iuramenta, & blasphemias prohibet.

Creatori conueniunt. Crimen execrandū, cuius tāta existimatur atrocitas, vt Iustinian dixerit §. præterea. *vt non luxurientur contra natur.* in Authent. collat. 6. inultum Deum hoc non relinquere, & per hoc, pestem, famem, & terræ motus, aliasque plagas à Deo hominibus immitti. Et Cōmentator Pragmaticæ sanctionis, inquit Petr. Greg. l. 33 Syntag. iur. c. 12. n. 3. refert, gl. in §. quib. ad placitum, in verb. excoluerūt in procem. Pragmat. sanctio. Robertum Galliarum Regem Capeti filiū pro Regni pace orantē, responsum à Crucifixi imagine accepisse, non futuram eam, donec notoria crimina & blasphemias extirpasset. Immanissimum quippe scelus blasphemia est, ad quam iure ciuili, pertinet iurare per capillos, per caput Dei, & ijs similia. Deus enim spiritus est, & ei mēbra tribuere, summam habet blasphemiam, quā, promiscuè iurātes, ac peierātes, notari audimus, qui cùm sua melioribus modis confirmare possent, nihilominus, nugarum etiam suarum Deū, membratim, arbitrum adhibent diuinæ illudentes Majestati: vel etiam Christum, temeritate diabolica, iras suas aduersus Deum exonerantes, acceptis per iniuriam & indignationem sacris eius membris, quæ pro nostrâ salute suscepit. Videas enim illos in nugis suis, caussisque leuissimis, inexpiabili sese piaculo contaminare, dum in sacra Dei membra inuolantes, quæ sanè Dei sunt, quia Christi, Christus autē est Deus, illa execrabili scelere partiūtur, per caput, per carnem, per corpus, per sanguinē, per vulnera, ore nefario deierantes, blasphemantes, immaniores sceleratissimo illo Scheltrot, apud Bredenbachum, Collationum sacrarum l. 3. c. 8. qui anno salutis humanæ 1383. omni addictus nequitiæ, ætatem insolentem in lustris & tabernis agens, quantulæcunque pecuniæ suæ in lusu iacturam passus, Deum, sanctosque horrendè blasphemauit, atque conceptum animo facinus, in Crucifixi effigiem admisit, quā dissecuit omninò, ita vt nec vllatenus hæreret: atque mox in B. Virginis, Diuorumque cruci adstātium signis, lupo haud absimilis, qui maiore interdum cædis libidine, quàm fame percitus, in ouile indefensum grassatur, punctim, cæsimque pleraque vulnera inflixit, è quibus quasi è viuentium corporibus terrificus ac mirabilis cruor fluens, sicarium crudelissimum solo adfixit attonitum, donec in flagranti crimine deprehensus, & Moguntiam ductus, viuus exustus est: immaniores, inquam, quia ab hoc, ense in lignea signa sæuitum est, ab illis verò, in Deum viuentem gladio linguæ. Quare non secus ac fustigatione dignus censeretur, qui Cæsaream Majestatem in res leuissimas suæ familiæ ita demitteret, vt eius requireret testimonium, si non bene coctum olus domi, si non strata oportunè ab vxore mensa, si non ad lautitiam edulia: ita vlmeus sit, qui magnum Dei nomen in plura secans, reculis, voculisque etiam interdum turpibus iurans, & blasphemans accōmodat. Sanius profectò, & satius foret, sic veritati adsuescere, vt simplex sermo, vim iuramenti haberet, secundum illud Matt. 5. sit sermo vester, est, in affirmatiuâ, vel, non est, in negatiua, non ita passim in istas blasphemias irrumperetur: quas non immeritò Principes Christianissimi, suis legibus abrumpere studuerunt. Inprimis namque Iustinianus Imperator, vt habetur in Authen. colla. 6. §. præterea, vt non luxurientur cont. nat. & l. 2. Nouellar. titul. 9. iurantis per Dei aliquod membrum, aut per capillos blasphemiā, vltimo supplicio vindicari iubet. D. Ludouicus Galliarum Rex, si qui Numinis, Diuorumque nomen nefariè aut iureiurando, aut exsecrando vsurpabāt, eorū fronti candēti laminā notā inuri, voluit, habet D. Antonin. 3. part. Chron. tit. 19. c. 9. § 4. & Paulus Æmilius l. 7. hist Franc. Quùmque pro reo quodam intercederetur, non acquieuit illud memorabile adijciens, Ego pro gratiâ reputarem mihi, vt tale signum in fronte meâ poneretur, dummodo tantum scelus de regno meo extirparetur. Philippus II. Augustus Francorum Rex, qui viuo patre coronatus est, statuit, vt si quis Christi nomen contumeliosè probroseque in testimonium, & cuiusuis rei minutissimæ assertionē adduceret, velut impietatis blasphemiæ reus in fluuium vel paludem citra mortem demergeretur: ita Robertus Gaguinus l. 7. in eius vitâ. Et vt aliorum Regum edicta præteream, qui labiorum & linguæ abscissionem, aliasque pœnas blasphemis sanxerunt: Magnus ille Nabuchodonosor, Daniel. 3. quum diuino munere tres pueros è camino ignis ardentis incolumes exisse vidit, constituit edicto, ne quis Dei Israël nomen blasphemare auderet, qui blasphemassent, occiderentur, & domus eorum destruerentur.

Robertus Galliarum Rex.

Scheltrot.

Matt. 5.

Iustinianus.

S. Ludouicus

Philippus II

Nabuchodonosor.

Nec mirum videri debet, si seuera animaduersio indicta sit blasphemijs: nam si fures & latrones, reliquique id genus, morte puniuntur, aut plagis quanto magis impij, qui Deum membratim discerpunt, & blasphemant, Iudæis deteriores qui nec minimum os Domini cōminuerunt? Isti autem consultò per membra & frusta, quæ linguâ secant, quia re non possunt, discerpere adnituntur: Conuitia in mortales iacta vindicantur, & impunè scelestus Diuinitati illudet?

6. Blasphemiis iure Canonico pœna decreta.

Sed neque Canones olim blasphemijs extirpandis defuere: sic enim statutum 22. quæst. 1. c. si quis. *Si quis per capillum Dei vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemiâ vsus fuerit, si in ordine Ecclesiastico est, deponatur, si laicus, anathematizetur.* Huic alia coniuncta est, c. 2. de maledi. ap. Greg. vt laici septē diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in conspectu populi recumbentes, vltimo illorum dierum Dominico, sine pallio & calceamentis, laqueo seu loro collo inuoluto & pendente, sedentes, non antea in Ecclesiam ingredi paterentur, quàm sex ferijs in pane & aqua ieiunassent, & pauperes simul singulis diebus aliquos refecissēt. Clericis porrò remittitur publica pœnitentia, & indicitur priuata. Pius autem Pontifex deponi vult Clericum blasphemātem, & laicum anathematizari. Pontificia quoque iura, vltra canonicā statuūt, vt huiusmodi blasphemi pecuniariâ pœnâ pro modo facultatum, à iudicibus secularibus afficiantur. c. 2. § fin. de maledic. apud Greg. Huc pertinet D. Chrysost. qui to. 5. hom. 1. ad pop. Antiochen. & 5. quid de istis blasphemis faciendum sit ita expressit. *Quia de blasphemiâ dictum est, vnam vos omnes petere volo retributionem pro cōcione hac atque sermone, vt in ciuitate blasphemātes mihi castigetis: & si quenquam in biuio vel foro Deum blasphemare audieris, accede, increpa: & si verbera infligere oportet, ne recuses, ipsius faciem alapâ percute, contere os ipsius, percussione manū tuā sanctifica. Et si vlli accusauerint, & in carcerē duxerint sequere: & si pœnas Iudex pro tribunali repoposcerit, dic cum libertate, quod Regem Angelorum blasphemauit; si enim regem terræ blasphemantem puniri oportet; multò magis illum cōntumeliâ afficientes. Commune crimen est publica iniuria, cuique licet accusare volenti.* Quid porrò de illis agendum, qui nullo timore pœnæ coërciti, barbaris ipsis & infidelibus deteriores, blasphemant Dei nomen, & primam veritatem, falsis falsimonijs, mendaciorum suorum testem aduocant? Iurare enim, est, Deum in testem adducere, inquit D. Tho. 2. 2. quæst. 89. perniciosæ insaniæ peccatum istud est, & expiatu haud facile.

Qui fronte sobrius ab amico peteres commoda mihi maleficium, meâ caussâ contra ius & fas age: resiliet ille statim ab amicitiâ quam inijsse etiam pœnitebit, præsertim, si liberaliter fuerit educatus, quomodo Pericles apud Plutarchum

Pericles.

chum in Apophthegmatis, roganti amico, vt pro se diceret falsum testimonium, cui adiunctum erat iusiurandum, hoc est, periurium, respondit; se quidem amicum esse, sed vsque ad aram: sentiens aliquousque gratificandum amicis, sed citra iuramenti violationem. Tu verò, quod ab amico non audes postulare, ad id Deum vocas? Itáne nulla inest tibi summi parentis ac Domini reuerentia? Nullus summi Numinis, eiusque gubernationis sensus? Iuuenal. Satyr. 13. eos qui ad periuria sunt parati, Atheis pares facit, & meritò, quum inquit:

Sunt qui in Fortunæ iam casibus omnia ponant,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Naturâ voluente vices & lucis & anni:
Atque adeò intrepidi, quæcunque altaria tangunt.

De his quoque Philo. De Decalogo: *Scis, an nescis illum inspicere omnia, exaudireque? Si nescis, impius es. Est enim fons omnium iniquitatum impietas. Præterea iurando prævaricaris, & dolo malo agis, dum iuras per eum, qui non animaduertis, quasi per prospicientem rebus hominum. Quod si nostri eius prouidentiam, nihil ad summam impietatem tibi facis reliquum, si non ore, linguaque, certè corde sic appellans Deum: dic pro me falsum testimonium: esto mihi sceleris & maleficij socius, vna spes mihi superest tuendæ existimationis apud homines si celetur veritas, esto aliena malitia vicarius, melior deteriori subseruiens, Deus optimus, scelesto homini.* Atque ita, si non verbis, reipsâ occlamas Deo, te pia texo iniustitiæ meæ, quia pudet malus aut improbus haberi, in te culpam recipe; adsis peieranti, quò mihi saluâ existimatione peccare liceat, quod non modò dictu, sed etiam cogitatu est nefarium.

M. Attil. Regulus.

M. Attilius Regulus apud Valer. Maxim. & Aul. Gellium Noct. Atticar lib. 6. cap. 4. Quod se pertractato cum Senatu Romano negotio, quod in mandatis habuerat, ad hostes rediturum, iureiurando affirmasset, ne sacramenti violati reus haberetur, rediit, etsi se acerbissimo excarnificandum supplicio, nó ignoraret. Et rursum A. Gell. lib. 7. cap. 18. Prælio Cannensi, Annibal Carthaginensium Imperator, quum electos decem è captiuis Romanis, Romam mitteret, cum populo Romano de captiuorum permutatione acturos. Hos, priusquam proficiscerentur, iureiurando adegit, redituros eos esse in castra punica, si Romani captiuos non permutarent. Romam veniunt captiui, Pœni Imperatoris mandatum exponunt, permutatio Senatui nó placita: parentes, cognati, affinesque captiuorum eos amplecti, eos in patriam postliminio rediisse, integraque illis esse omnia, dicere, orareque ne ad hostes redire vellent. At octo ex illis, postliminium iustum non esse sibi responderunt, quoniam deiurio vincti forent, statimque vti iurati erant, ad Annibalem profecti sunt duo reliqui, quòd egressi hostium castra, commentitio consilio, quasi ob fortuitam caussam, eodem die essent regressi, atque ita iureiurando satisfacto rursum iniurati abiissent, quasi soluti religione Romæ manserunt. Sed hæc eorum fraudulenta calliditas, tam esse turpis æstimata est, vt vel contempti vulgo discerptique sint, vel placuerit datis custodibus ad Annibalem deduci, vel vsque adeò intestabiles inuisique fuerint, vt tædium vitæ ceperint, necemque sibi consciuerint. Ita iusiurandum apud Romanos, inuiolatè sanctèque habitum, seruatumque est. At nunc Christiani nil pēsi faciunt periuria, & violatam fidem, in magnam veri Numinis contumeliam, Paganis ipsis nequiores, quos maior saxeorum, ligneorúmve Deorum, quam nostros summæ, veræ, ac vnius & solius Maiestatis Dei, religio tenet.

Sed enim si Principes iuramenta improba, blasphemias pœnis coercuerunt: si apud Ægyptios periuris mulcta capitis irrogabatur, tanquā qui duplici scelere tenerentur, quando & pietatem in Deum violarent, inquit Tiraquellus Semn. l. 8. tit. 10. de fide, ex Diodoro Siculo l. 1. c. 3. & fidem inter homines tolleret, quà sublatâ, tollitur pariter omnis societas humana. Si Indi, Strabone teste l. 15. ei qui de periurio conuictus esset, digitos extremos manuum pedumque decurtabant. Si Cicero 2. de legibus periurij pœnā Diuinam, exitium: humanum dedecus fuisse scribit: Si apud Scythas sacramentum maximum quod per regium solium iurantes interponebant, fallere fuit capitale, sicut ait Herodotus. Si apud Romanos vapulabat, qui per genium Principis iurasset falsum. l. si duo. ff. de iureiurando. Si denique populis gentium, periuri, intestabiles, inuisique fuerunt. Natura quoque ipsa & Numen, periuria & blasphemias vindicarunt.

Natura periuris pœna

Et quidem natura, aduersus tantæ impietatis artifices, vlciscendo non defuit. Solinus Polyhist. c. 10. & Isidor. l. 14. Etymolog. c. 6 ferunt in Sardiniâ fontem extitisse, cuius aquis attrectati peierantis oculi, mox cœcarentur, at iurantis verum clariùs viderent. Philostratus in vitâ Apollonij l. 1. c. 4. alterius meminit prope Thyanam, ex quo pustulæ, vomicæque noxiæ periuro creabantur, fieretque immobilis, suâ calamitate periurium palam professus. Simile quidpiam habet Plin. l. 31. c. 2. Amnis Olachas, inquit, in Bithyniâ Briazum alluit, cuius gurgite periuri notantur pati velut flammam vrentem. Omitto in similes prodigiosos effectus fontes à naturâ editos; illum scilicet in Æthiopiâ, de quo Dionysius de situ orbis cap. 5. Arcadinum de quo Aristoteles de mirab. audit. Stigem Arcadiæ, de quo Herodotus lib. 6. aliique permulti, quos citat Tiraquellus in Alexandrum ab Alex. lib. 10. cap. 6.

Deus periuria vltus. Zachar. 5.

Numen verò attritionem, periuro comminatur Zachariæ 5. *Ecce ego video volumen volans*: pro quo Septuaginta. δρέπανον, *Falx. longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum, &c. educam illud dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius & lapides eius.* Plenæ sunt historiæ tam sacræ, quàm profanæ, diuinarum in blasphemos vltionum, quarum non paucas, Iustinus Goblerus Guarinus in cap. 4. politiæ Caroli V. Cæsaris, his versibus comprehendit, referente Petro Gregorio Syntag. iur. lib. 33. cap. 12. num. 7.

Impius occubuit gelidis Maxentius vndis,
Patribus Herodes lendibus esca fuit:
Perfica Iulianum blasphemum sica peremit:
Constricto pœnas Commodus ore dedit.
Mersit & in tumidas cæcum Pharaona sub vndas
Sic & tu iustâ cæde, Philippe, cadis.

4. Reg. 19.

Lingua Nicanoris eo mortuo, miserè excisa, quâ templum Dei maledixerat, & templo affixa, manus verò quam in templum blasphemijs ac minis plenus extenderat, amputata Machab. 2. c. 15. Centum octoginta quinque millia Assyriorū 4. Reg. 19. vnâ nocte percussit Angelus, quia blasphemi in Deum dixerunt, *Deus montium ipse est Dominus eorum, & non est Deus vallium.* Narrat Nicephor. Cal. histor. Ecclesiasticæ lib. 18. cap. 33. insigne vltionis diuinæ, in blasphemos exemplum, quod sub Marco Cæsare contigit. Erant Græci & gentiles conuiuantes, peracto prandio, cùm plures blasphemias in Diuam Dei Genitricem

D. Virgo.

iactassent, vbi illa impietas innotuit, pœnas quidem illi debitas dederat: at ædiū Dominus, in quibus blasphemiarū iste vomitus, homo à sacris nostris non alienus periculū casu effugit. Non multū verò pòst, ei dormiēti in somnis Dei genitrix adstitit, cui diligentiùs, ecquid, quænam esset per-

contanti, postquam ipse se eam nosse professus est, illa ei indignationem contumeliarum in mentem reuocauit. Tum ille miser, supplex illi esse, veniamque delicti petere cœpit. Illa daturam se hoc ei, neque in præsentiâ ipsum ita morte pœnas luiturum promittere: vimine autem, quod manu gestare videbatur, genua ipsius circumcirca veluti exarans circumscribere. Id vbi factû, postea auolans non apparuit. At ille somno discusso, membra illa, quæ vimine notata fuerant, statim à reliquo corpore dirupta inuenit, recenti sanguine profluente, & in publicum productus, iustum omnibus iudicium promulgauit. D. August. epist. 137. ante corpora S. Felicis Nolani, aliorumque Sanctorum, periuros Mediolani à dæmonibus obsessos fuisse refert: D. Gregor. item, hom 32. in Euangelia, Romæ ante corpora Sanctorum Pancratij, Processi & Martiniani. Vincentius speculi historialis lib. 24. cap. 24. ad reliquias S. Saluij, periurum crepuisse medium tradit, atque ex oculis, auribus, naribus & ore, effuso largè cruore, mox interisse. Apud Gregorium Turonensem; hi resupini corruentes, caput ad pauimentum graui vulnere collidunt: isti dum periurium parant, linguâ, manibusque obrigescunt: illi igne sacro percutiuntur. Narrant alij anno 1601 Adrianopoli, oppido tribus leucis ab Angiâ dissito, Antonium de Haeck, vulgò Cruk, interno incendio deflagrasse. Ita, ira vindex est violatæ fidei, atque vltor blasphemiæ Deus, vel etiam occultæ. Vnde Tibull. rectè, lib. 1. Elegia. 9.

Ah miser! & si quis primò periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Dij Palici. Apud veteres quoque Palici Dij, periurij vltores crediti sunt, meminit Silius lib. 14.

Et qui præsenti domitant periuria Palici
Pectora supplicio.

Et apud Plautum in Pseudol. scen. 1. exultabat ille lætabundus, qui objicienti, *Peierasti, scelesté*, respondit: *At argentum intro condidi*, vt qui lucri causâ improbè peierasset:

Sed stant nulla diu deceptis gaudia Diuis.

Conscientiâ ipsa periuros plectit. Diræ namque vltrices, quibus se obnoxium fecit periurus, exacturæ sunt per occasionem pœnas tanto debitas sceleri: quas si quando æterna ratio differat, exiget tandem cum fœnore, quando id è republicâ esse iudicarit. Præterquâ quod accusantem, iudicantem, excarnificantemque conscientiam habeat, si quod intus animi est, inspexeris, donec abrumpat exécratam, & miserâ vitam. Vnde Philo lib. de Decalogo scribit, iurantis immodicè animum, plenum semper tumultu ac trepidatione, accusare seipsum, sibi ipsi omnibus modis facere conuitium: quod in hunc modum Tullius explicauit, *Magna est vis conscientiæ, & magna in vtram que partem, vt neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam ante oculos semper versari putent, qui peccarint.* Quid de periuris diceret Philo? Nefarios istos, iamque diris addictos ipsis, non magis absoluendos censeo, nisi resipiscant, quàm concubinarios qui peccandi occasionem à se nô ablegarint: imò verò sese quoque mortiferi criminis nexu inuoluere, qui passim, temerè iurantem, peierantem, blasphemantem absoluit, nisi adhibito priùs cauterio, etiâ antidoto munierit.

Capitis 44. §. 4.

Ab Adamo, posterisq; eius, nomen יהוה *iehoua, cognitum & inuocatum.*

I. AD te reuertor, nomen sacratissimum nomen quod ante molimen orbis fuit, sicut ait Propheta Isaias cap. 63. *Tu es* יהוה *iehoua pater noster, Redemptor noster, à seculo, vel, ab æterno, nomen tuum.* Nomen primis parentibus nostræ propaginis, atque cum inspiratione vitæ, diuinitùs cognitum: Isa. 63. peperit enim Eua primogenitum suû dicês Genes. 4. *Possedi hominem per* יהוה *iehoua*, siue vt alij Gen. 4. vertunt, קניתי איש את יהוה *Caini hi is Ath Iehoua, acquisiui virum à Domino*, sic enim sancti characteres sonant: tunc autem priùs nomen illud sanctissimum legitur, cùm autem neuter primorum parentum illud protulisset, quanquam Moises Genes. 2. nomen יהוה primùm scripserit, Gen. 2. יהוה אלהים *iehoua elohim, Dominus Deus.* Nec antea characteribus sit expressum, fortè quia, vt volunt Hebræi, quum perfectum esset Dei opus, perfecta quoque Dei sit adhibita appellatio. Postea verò in sanctam Deoque acceptam generationem deriuatum, quum Setho, Abeli subrogato & ad parentis sui Adæ imaginem & similitudinem formato, genitus esset filius Enos: etenim, *Tunc captum est inuocari nomen* יהוה Gen. 4. Gen. 4. Non quòd Abel & Cain, vt indicauit Angelus Roccha noster, in Bibliothecâ Vaticanâ, ipseque Adam, vt adnotauit Augustinus Torniellus ad annum mundi 236. num. 4. idipsum in sacrificijs suis non factitasse putandum sit: sed ideò quia tunc, auctioribus ceremonijs, nouo ritu, nouis animis, potissimùm paulatim succrescente idolomaniâ, à Sanctorum prosapiâ, inuocatum sit nomen *Iehoua*. Facit ad hoc interpretamentum Rabbinorum lectio, quæ sic habet, *Tunc profanatû est inuocatio nominis Domini*, vel, *Tunc profanum habitû est inuocare in nomine Domini*, cui lectioni adstipulatur paraphrasis Chaldaica, *Tunc in diebus eius inceperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini*: declinantibus videlicet ijs qui ex genere Cain orivndi, ad idololatriam, qui idcircò filij hominû dicti sunt, ad distinctionem filiorum Sethi, qui, vt communiter creditur, inquit Torniellus anno ab orbe côdito 131. filij Dei appellabantur Gen. 6. Sethum autem ob perspicuas admodum & singulares virtutes suas, à reliquis illorum temporum hominibus, Deum habitum, similitudine scilicet atque participatione, & appellatum fuisse, auctor Iosephus lib. 1. Antiquitatum cap. 3. & Suidas verbo Seth: vti scribit Torniellus. Vt nimirum tunc, quum profanum impijs videretur, qui ex reprobi Caini semine orti terram habitabant, Creatorem venerari, Seth, quia cultor Diuinitatis semper fuit, ingenti super sibi natâ prole affectus gaudio, videns se hærede honoratum, in quem veri atque vnius & solius Numinis obseruantiam, & cultum à parentibus acceptum transfunderet, vnà cum vxore suâ, nomen Dei, quod à patribus suis edoctus fuerat, ardentius inuocarit.

Quare, quod vulgata editio habet, *Iste cœpit inuocare nomen Domini* (de quo suo loco latiùs) siue etiam *Hic cœpit inuocare nomen Domini*, & côformiùs ad textum Hebraicum אז הוחל *az huhal: hic inceptum est*, in passiuo, ad Seth referri conuenientiùs videtur, quàm ad Enos Adæ nepotem, quem Caietanus, alijque non pauci, primum omnium, Dei inuocationem, non sub antea notis nominibus, videlicet, Elohim, Saddai, Iah. instituisse tradunt, sed sub nomine *Iehoua*, quod ad id temporis vsque ignotum fuerat, decepti fortassis librariorum errore, quemadmodum Reuclinus libro 2. de Verbo mirifico, cap. 19. aduertit; qui quod Diuus Hieronymus verterat aduerbialiter: *Hic cœpit inuocare*

uocari nomen Domini; pronominaliter edidere, *hic cœpit inuocare nomen Domini*, quum tamen per aduerbium temporis, ex Hebræo reddendum esset, vnde ista versio emanauit. *Tunc cœptum est vt inuocarent in nomine Domini*, quòd, hic, idem significet quod *Tunc*, sicut apud Virgilium Æneidos 7. legimus:

Hic Pater omnipotens, ter cœlo clarus ab alto Intonuit.

Id est, *tunc intonuit*; id quod etiam in alijs contingit: *vbi*, namque, quod est signum loci, pro, *quando*, sumi compertum est; ita Terentius in Andriâ, *vbi voles accerse*. & Maro,

Ipse, vbi tempus erit, omnes in fonte lauabo.

2. Iehouæ inuocatio, Sethi posteris hæsit.

Simulatque igitur ipsi Setho, editus est in lucem filius, hic cœptum est inuocari; *tunc*, inquam, effusis in spiritualia gaudia præcordijs, manifestè & cum gratiarum actione, inuocabatur nomen *Iehoua*, quod deinde explosâ Caini stirpe, ad Sethi posteros transmissum est, quod quidem ipse diligenti religionis veræ studio, atque assiduâ ergaDeum fide, virtutisque integritate præditus, vt fieret, procurauit. Quâ ex re factum est, vt ad Abrahamum vsque per continuatam stirpis sanctæ seriem, Diuini Numinis, & Nominis cognitio & reuerentia, veneratioque deueniret. Ædificauit enim Abrahã altare Domino cùm iret in terrã Chanaan, Gen. 12. & inuocauit illic nomen יהוה *Iehoua*: eidem aliquãto pòst apparuit Deus dicens, *Ego sum* יהוה *Iehoua qui eduxi te de Vr*, id est, *de fornace ignis Chaldæorum*, Gen. 15. & cap. 13. *Inuocauit ibi nomen Domini*, Hebraicè יהוה Et quia patrem sequitur sua proles, Isaac ad paternæ religionis exemplar, iuxta puteum iuramenti Bersabee, statuit altare Deo, & similiter inuocauit nomen *Iehoua*, Gen. 26. & apparuit *Iehoua* Isaac. Huius filius Iacob. quum in Haran recubuisset, vidit ostentum scalæ, Gen. 28. cuius scapi, cælum terramque contingebant, & Dominum יהוה innixum scalæ, qui per somnium hæc profari visus est, *Ego sum Iehoua Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.* Vnde quum euigilasset Iacob, inquit, *Certè est* יהוה *Iehoua in loco isto.*

Gen. 15. Gen. 13. Gen. 26. Gen. 28.

Ex quo manifestum fit hoc sacratissimum, omnique veneratione dignissimum nomen, ad Sethi prosapiam pertinuisse: impiam verò Caini progeniem, inani, cultu aliorsum conuersam oblitterasse: à Sethi posteris solis, cognitum & cultum fuisse. Inde est, quod quum nocte quadam luctaretur Iacob cum Deo, & in nomen eius inquireret, quasi increpans responderit Deus, *Cur quæris nomen meum*, Gen. 32. superfluum enim indicabat illud quærere, quod ipse notum antea perspectumque haberet.

Gen. 32.

Capitis 44. §. 5.

Quo tempore Idololatria primùm cœperit?

1. Idololatriã non fuisse ante diluuium.

EX dictis noua mihi seges de impietatum impietate maxima, hoc est, de idololatriã dicendi, quando nimirum orta sit? D. Thomas 2. 2. quæst. 94. art. 4. quem multi sequuntur, absolutè negat ante diluuium cœpisse, eò quòd ex recenti memoriâ creationis mundi, in omnium mentibus adhuc vigeret cognitio vnius Dei; pro quo facit Cyrillus lib. 3. contra Iulianum in hæc verba. *Qui ex Adam vsque ad Noë nati sunt, Deum vnum naturâ suâ, & venera vniuersorum conditorem, ac Dominum coluerunt: nullus enim eorum reprehenditur, quasi Dijs alijs se inclinarit, aut mundanis dæmonijs cultum detulerit.* Tantæ autem diuinorum inscitiæ primordia, vt elementa, sol, stellæque, & simulacra pro Dijs colerentur, ex Arabum gentibus, ceu idem contagiosam, quâ totus penè deflagrauit orbis, defluxisse ait Rodigin. lib. 22. cap. 3. var. lect. in quo terrarũ situ Chananæos, literæ sacræ constituũt, iam inde à Cham vno ex liberis Noë conuatos, cui cùm propter impietatem diras imprecationes extulisset pater, nullis etiamnum diuini cultus rationibus probè imbutus, raptim à patre reuulsus in Arabas recessit, vnde mox inibi roborata Diuinitatis inscitia, in plures data. Middendorpius lib. 3. Academiar. titulo Italia, quamuis dicat filios Noë satis instructos fuisse, vt & virtutibus studere, & contrarijs vitijs, atque idololatriâ abstinere possent: Noachumque de deducendis in vniuersum orbem colonijs cogitantem, Semo Asiam, Chamo Africam, Iapeto Europam & Asiæ partem colendam distribuisse; à Chamo nihilominus, veterem idololatriam, impietatem, tyrannidem, ac prioris mundi scelera, in nouum orbem Ecclesiamque profluxisse commemorat.

D. Petrus apud Clementem Roman. lib. 1. Recognitionum, ad quartamdecimam mundi generationem, idololatriam reijcit. *Quartadecimâ verò generatione*, inquit, *ex maledictâ progenie* (Chami scilicet) *quidam propter artem magicam primus aram statuit, Dæmonibus honorem sanguinis litans. Quintadecimâ generatione, primò omnium homines idolum statuentes, adorauerunt: & vsque ad illud tempus, diuinitus humano generi data Hebræorum lingua; tenuit monarchiam.* Heber enim filius Sale, tanquam vir pius & timens Deum, ex illustratione diuinâ futuram linguarũ diuisionem prænoscens, familiam suam, hæredesque suos, pietate, modestiâ, primæuoque idiomate, quod in familiâ suâ conseruandum noue rat, & ex nomine suo Hebræum appellandum erat, apprimè informauit, quemadmodum scribit Leonard. Marius Gen. 11. num. 32. Rursum D. Petrus, *Septimadecimâ generatione apud Babyloniam Nemrod primus regnauit, vrbemque construxit, & inde migrauit ad Persas, eosque ignem colere docuit.* Hic Nemrod, vti Middendorpius habet, tyrannidis accensus libidine, populos à Dei cultu abducere voluit, quos recenti adhuc eluuionis memoriâ perculsos, in suam sententiam pertrahere non potuit, donec persuasi turrim altissimam ædificare, quâ se aduersus Deum, si rursus cataclysmum in pœnam vellet inducere, tutarentur, colla voluntati illius submisere, molestiùs habentes diuinum, quàm hominis & tyranni imperium. In eamdẽ sententiam Galatinus lib. 4. de arcanis fidei. cap. 20. Nemrod qui Babyloniam ædificauit, homines ad ignis cultum adegisse, scribit. Quid? quòd & ipse Nemrod, qui & Belus dictus est, pro Deo habitus feratur? ita enim Cyrillus lib. 1. contra Iulian. *Primus in Assyriorum regione regnauit Belus, homo arrogans, & superciliosus, qui & primus hominum dicitur Deitatis nomen à subditis suis accepisse.* Et iterum D. Petrus apud Clementem, *Octauadecimâ generatione, muratæ vrbes factæ sunt, & exercitus instituti, armaque & Iudices, legesque sancitæ, templaque constructa, & Principes gentium, tanquam Dij adorati sunt*: Ninus namque Beli filius, ex inordinato in patrem nuper defunctum adfectu, primus ei imaginem posuit, quã reis veluti asylum esse voluit, quò sic populos ad patris sui cultum & reuerentiam, etiam post eius mortẽ prouocaret; quâ labe in posteros sese diffundente simulacrorũ cultus, sensim introductus est. D. Epiphanius initio Panarij scribit, Thare Abrahæ patrem, primum fuisse, per cuius industriam fieri cœperint statuæ ex luto & arte figillari, quique æmulum Deo per propriam versutiam commentus erexit, vnde &, à Thare, idolomaniam, Thracisinum vocat. Suidas autem, Abraha-

Abrahamum, cùm quatuordecim esset annorū, Dei cognitione diuinitùs illustratum, patrem in hanc sententiam commonuisse; Quid seducis homines ob perniciosum lucrum, hoc est, ob imagines? Non est alius Deus, nisi cælestis ille totius mundi opifex: quam ob confessionem alij, ipsum in Vr, id est, in fornacem ignis missum volunt, atque inde diuinitùs ereptum.

2. Hastæ pro Dijs cultæ.

Quanquam verò primos qui antiquissimi fuerunt, hastas colere cœpisse, aut ligna delibrata corticibus, pro Dijs veneratos, indeque à Romanis religionem fluxisse, vt singulis Deorum simulacris hastas darent, adferat ab Alexandro lib. 6. cap. 26. Genial. dier. Et Ægyptij Deorum genus apud se primùm extitisse glorientur, vtpote qui primi omnium (vt aiunt) geniti, duos, eosque æternos arbitrati sint, Solem scilicet & Lunam, Illum Osirim, hanc Isim, certâ nominis ratione compellantes, vt habet Polydor. Virgil. de rerum inuent. lib. 1. cap. 1. Illud certum tamen videtur, Deorum antiquitatem, ad Belum referri qui & Saturnus est nuncupatus, & à Græcis Deorum omnium parens habitus, vt scribit Lactant. Diuinarum institution. lib. 1. eò quòd primus omnium ab hominibus pro Deo habitus sit & inuocatus.

Sol & Luna, idem quod Osiris, & Isis.

Intellexerint porrò alij per Saturnum, Deum summum atque vnicum, sic appellatum, quia mentis saturitas sit & pabulum, intellectualisque vitæ contributor, quique filios deuoret, quia summus ille Deus, beatas mentes in sublimiori Diuinæ bonitatis contemplatione raptas, iugiter absorbeat, sempiternâ donās quiete; id quod per auream sub Saturno vitam intelligit Proclus Diadochus, quâ Diuinorum contemplator significatur. Aurum namque, quòd rubiginis atque putrefactionis sit nescium, puram, & tristitiæ ac perturbationis expertem vitam significat, vt propterea etiam Hebræi Saturnum, *Sabbath*, nomine quietis appellarint, vt est apud Rodigin. lib. 13. cap. 21. Certè tamen, Saturnum eundem esse qui & Belus, siue Baal, Baalim, Beelzebub, Belphegor, affirmat Eusebius in Chronico, quum inquit: *Belum Assyrij Deum nominarunt Saturnum.* Et lib. 9. de Præparat. Euangelicâ, cap. 4. ex Alexandro Historico & Eupolemo, refert, primum Babylonijs Belum regnasse, quem Latinè, inquit, Saturnum dicimus.

Sap. 14.

Facit ad hanc idololatriæ introducendæ occasionem, quod Sap. cap. 14. habetur: *Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit; & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore, conualescente iniquâ consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Quæ quidem Sapientiæ verba, tametsi de Nino, qui non filij, sed patris signarium pro Numine venerandum proposuit, non videantur intelligenda. Quod agitur tamen est, ex inordinato pietatis affectu, idololatriam sua sumpsisse principia, patre interdum filij imaginem efformante, interdum contra, filio patris. Nisi malis cum Roberto Holcot in Sap. 14. lect. 164. dicere, quòd cùm apud Ægyptios Idolorum cultus esset admodum celebris, placuerit auctori Sapientiæ, idololatriæ Ægyptiacæ tangere inuentorem. Syrophanes enim, siue Syrophenes apud Abulensem tom. 1. in Exod. cap. 20. quæst. 3. vir in Ægypto potentissimus, vti ex Fulgentio Mytologiarum lib. 1. & Alexandro à Diophane Lacedæmonio auctore antiquissimo acceptum narrat Holkot, filij vnigeniti vitâ functi manibus, præ improbo dilectionis adfectu, signarium in ædibus suis constituit, cui famuli, gratum Domino facturi flores offerre, serta, coronas plectere, odoratoque suffitu venerari: rei quoque suo ad illud de fugio patrati sceleris veniam deprecari. Extorquebatur interea timore veneratio, quod ansam Patronio Lacedæmonio dicendi præbuit,

Primus in orbe Deos, fecit inesse timor.

Atque ita Ninus apud Assyrios primus idololatriam inuexit: apud Ægyptios Syrophanes; aut potiùs dixerim Ninum simulacrorum inuentorem primum: Belum verò primum idololatram, Solem adorasse, atque Orientales Prouincias in hunc errorem induxisse, quemadmodum adfirmat Hugo de S. Victore in suis Annotationib. in Genesim, vbi ait, Nemrod mole corporis & viribus alios superans, dominium cœpit exercere per violentiam, & induxit homines ad idololatriam, vt ignem, ac Solem, qui igneus est, quasi Deum colerent: quem errorem postea Chaldæi secuti sunt. Itaque Deo & homini iniuriam fecit: Deo, quia ei debitum cultum ademit: homini verò, quia eum iniusto dominio oppressit, & in errorem decipiendo induxit hactenus Hugo: Isidor. etymologiar. 14. in Persidem quoque Belum abiisse, atque Persis ignis colendi modum præscripsisse, scribit: *Nam omnes*, inquit, in illis partibus Solem colunt, qui ipsorū lingua אל *el*, dicitur. Quare, quod D. Epiphanius lib. contra hæreses, sub initium scribit, Sarug primum Idolorum cultui addictum, qui vsque ad Thare Abrahæ patrem viguerit, ideo dictum puta, quia is primus fuerit ex familiâ Sem, qui Idola coluit: concinit Philo, cultum nempe imaginum cœpisse à Sarug ac viguisse vsque ad Thare Abrahæ patris tempora: alioquin enim Nemrod primus Idololatra absolutè dicendus est.

Nemrod.

Neque hic prætereundus Irenæus, qui, lib. 5. cap. 29. nisi post diluuium, idololatriam inter homines fluxisse indicat, vbi de Maximâ agens, qualis futura est illa Antichristi, qui sibi latriæ cultum ab omnibus imperabit, inquit, *Congruenter autem & nomen eius habebit numerum sexcentos sexaginta sex, recapitulans in semetipso omnem, quæ fuit ante diluuium malitiæ commistionem, quæ facta est Angelicâ apostasiâ. Noë enim fuit annorum sexcentorum, & diluuium aduenit terræ, &c.* Deinde ait, recapitulari quoque in hoc numero omnem idololatriam, quæ fuit à diluuio, & Prophetarum interfectionem, & succensionem iustorum, qui à diluuio idololatriæ restiterunt: nam statua illa erecta Nabuchodonosoris, Dan. 3. sexaginta cubitos habebat longitudinis, & sex latitudinis, qui numeri coniuncti cum numero annorum Noë, efficiunt sexcentos sexaginta sex. In hac autem statuâ omnis idololatria significata est: tres verò pueri in caminum ignis missi, sanctorum interfectionem, qui Antichristum adorare noluerint significarunt.

3. Idololatriæ auctor Diabolus.

Deplorandam porrò hominum miseriam, qui orbis totius ruinis proximi, & hactenus, cataclysmo extinctorum cadaueribus, ad nares eorum fœtentibus, in rerum humanarum diuinarumque scientiâ, in sincero Dei cultu & religione, à Noë, noui orbis satore priscæ veræque religionis Myste, sanctissimè instructi, nihilo tamen prudentiores, suasore Diabolo, à paternâ pietate, religione & moribus longissimè aberrantes, in vetitum nefas, Autore Nemrod, cuius vanitati, summi Imperatoris detrectando imperium, seruire placuit, proruerint. Tales nos videas, cladibus nil moueri, atque obuersante

oculis

oculis mortalium cæde, quos vel contagium, vel gladius, vel miser aliquis casus extulerit, quanquam in Christi disciplina eruditos, nihil prudentiores fieri, sed voluptati esse, benefici omnium patris, cui seruire, regnare est, iugo suauissimo à ceruicibus nostris excusso, diabolo, mundo, & carni, sæuissimis animarum nostrarum tyrannis, miseram seruire seruitutem. Quid Hæreticos commemorem, qui non secus atque hi sanctissima Noachi instituta, nefarijs dediti ritibus proculcarunt; externa signa Diuini cultus à maioribus nostris Orthodoxis tradita, ceremonias iam inde ab initio restitutæ per Iesum Christum veritatis, ad rudiorum in pietate & virtute institutionem introductas, impudenter habuerūt? arroganter, sectis sceleratis addicti, protriuerunt?

4. Hactenus ex plurimorum sententiâ de idolomaniæ primordijs, quos tamen non de primâ ætate locutos, præter vnum D. Thomam, in animum facilè induxeris, si præter Scriptorum auctoritatem, etiam sacræ paginæ monumenta curiosiùs perscruteris: è quibus in priori quoque illâ ætate ante diluuium, homines ad idololatriam declinasse, probabile admodum iudicabis.

Idololatria etiam ante diluuium.

Philo itaque Annianus apud Leonard. Marium, in cap. 4. Gen. num. 40. scribit, Tubalcaini tempore, cœpisse mortales sculptilia fabricare, eaque adorare. Cassianus Collationum lib. 8. cap. 21. refert, posteros Seth, post inita cum Caini filiabus matrimonia, *ex ijs curiosas maleficiorum artes, atque præstigias, & magicas superstitiones didicisse, quibus docebantur, vt sacrâ illâ culturâ Diuini Nominis derelictâ, vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos dæmones venerarentur & colerent.* Apud Tertullianum lib. de Idololatriâ, Enoch Patriarcha, aduersus idololatriam grauiter inuehitur, vt quæ, aliquanto priùs quàm in paradisum raperetur, progeniem Seth, quæ per septē generationes, in vnius summi Dei cultu, & morum probitate, illibata continuarat, commaculare iam ceperat. In hac eadem naui est, Middendorpius lib. 3. Academiar. tit. Italia, quum inquit, Dominum Noacho, quòd vir iustus & veræ antiquæ religionis cultor permansisset, indulsisse, vt per filios suos atque nepotes, nouum orbem, qui idololatriâ & sceleribus careret, instauraret: ergo ante diluuium idololatria. Et addit Noachum docuisse filios, vt impios cultus, & Giganteos mores cauerent, ob quæ vniuersus orbis perisset. Perijt ergo mundus eluuione, ad euertendam idolomaniam, qui non perisset, si prosapia Seth, quæ ob probitatem Diuinum Nomen consecuta, in sincero Dei cultu & vitæ sanctimoniâ perseuerasset. Quid enim? deleuisset Deus tantam Sanctorum multitudinem, qui Genesis 18. Pentapoli parcere fuit paratus, si ibi saltem decem iustos inuenisset? Grauiùs itaque præuaricatione filiorum Seth offensus, quàm à Caini progenie, per quam connubiorum facta mixtione in id flagitij pertracti sunt, orbem idololatriâ corruptum, aquarum illuuie expurgauit.

Augustinus quoque Tornielus Anno mundi 236. num. 2. & 3. scribit: quo tempore filij hominum, id est, impij ac peruersi homines à Caino, alijsque filijs Adæ, vnius Sethi exceptis, ducentes originem, creaturas pro Deo habere, & colere cœperant: Enos filium Seth, propensiùs diuinum cultum suis inculcasse, auxisse cæremonijs, nonnullisque imaginibus, inquit Angelus Roccha, in Bibliotheca Vaticana, per quas orationum deuotio excitaretur. Filij namque Adæ per diuersos errores sensim traducti, tandem roboratâ in dies malitiâ, in idolomaniam, in peccatorum omnium maximum, quale esse idololatriam probat D. Thomas 2. 2. quæst. 94. art. 3. & Abulen. in Exod. 32. quæst. 33. & 1. Reg. cap. 15. quæst 25. prolapsi sunt: Solem, Lunam, stellas, siue omnem militiam cæli, pro Numinibus venerantes & inuocantes, vti exponit Lyranus in 4. cap. Hebræorum secutus sententiam: cuius expositionem, quanquam Burgensis impugnet, Mathias tamen Thoringus in replicis, satis eam tuetur, vt scribit Tornielus: & fauet Scriptura Gen. 6. *Multa malitia hominis erat in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta erat ad malum omni tempore.* Et infrà. *Corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.* Ex quibus verbis tam grauibus, tantaque cum emphasi repetitis, satis liquet omne flagitij genus inundasse homines, & cordis humani cum Deo abstulisse integritatem, vnde pœnituit Deum quòd fecisset hominem: & quare pœnituit (si tamen pœnitere potuit) nisi quia cùm hominem ad se, suique cultum creasset, istam viam suam, inducto cultu execrando, corruperat? Ideoque tactus dolore cordis intrinsecus, vnde recesserat per flagitium homo, vt secundum hominem viueret, *Delebo*, inquit, *hominem*, qui se ex corde deleuit meo, non viuens secundum me. Quod dictum est, secundum D. Ambrosium lib. de Arcâ & Noë, cap. 4. vt peccatorum exprimatur acerbitas, quæ Diuinam meruerit offensam, *tanquam eo vsque increuerit culpa, vt etiam Deus qui naturaliter non mouetur aut irâ, aut odio, aut passione vllâ, prouocatus videatur ad iracundiam.* Cùm autem omnium Prophetarum testimonio, idololatria inter omnia præuaricationum genera, Deum ad iracundiā maximè prouocet, vt quæ sit impietatum maxima, directèque contra Deum, non vt legislatorem tantùm, sed etiam vt Deus est, tum quod debitum illi soli honorem auferat, tum quòd maiorem imperfectionem in illo ponat, quàm quodlibet aliud peccatum, quum vel Deum esse, quem colimus, negat, vel alios illi æquales facit, quæ offensio acerbissima est, & vitæ corruptela certissima, sicut Sap. 14. dicitur, *Initium fornicationis*, scilicet à Deo, *est exquisitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ est.* Credibile omninò videtur, inter nequitias, iniquitates, & flagitia, iam inde ab initio orbis, ad cataclysmum vsque perpetrata, adulterinum creaturarum cultum, quo omnis terra corrupta sit, esse numerandum.

Gen. 6. *Sap. 14.*

5. Nec obstat, quod D. Thomas putet recentem creationis mundi memoriam non admissuram fuisse inter mortales aliam, quàm Creatoris venerationem, quia hæc ratio, vt bene Thoringus in cap. 4. Genes. contra Burgensem, apud Torniellum, ad id non cogit; Nam si recens creati orbis recordatio, idololatriam per mille sexcentos & amplius annos, ante diluuium exclusit: etiam recens eluuionis tantæ memoria, quâ sæuissimè in genus omne mortalium animaduersum est, per plures annos eam excludere debuit; quam tamen, non multò post diluuium, cum reliquis extincti orbis flagitijs, in hominū vitam irrepsisse constat. Quòd si nihil de priori illâ idololatriâ, in scripturis proditum adferatur; Quid mirum? cùm ea tantum monumentis literarum consignarit Moises, quæ iusserit Deus, non verò omnia & singula, quæ ab orbe condito contigerunt? Satis igitur sit, etsi non omninò explicitè, saltem implicitè, idololatriam primæ ætatis, in sacris eloquijs indicari.

Recens creationis memoria, idololatriæ impedimento non fuit.

Idolola-

Idololatriam suscitauit diabolus, deleuit Christus.

ET hanc sanè ab ipso mundi exordio, diabolum affectasse, diuinosque præsumpsisse cultus, testis ipsemet apud Isaiam, cap. 14. *Qui dicebat in corde suo: in cælum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Quid autē mirum si eam, ante obrutam vndis tellurem sit consecutus. Quam in rem assequendam, non parùm profecisse præstitisse videtur quum tentata primorum parentum fide, suis illos strauit præstigijs, vt sibi magis quàm Deo crederent, quamuisquidem non parua sit idololatriæ nota, nec multò minùs Satan adoretur si Deo posthabito, terrenis te dederis quàm si victimam illi feceris, dicente Apostolo ad Ephes. 5. auaritiam esse idolorum seruitutem nec enim ad idololatriam idolum requiritur, inquit Tertullianus, de Idolol. [illegible] voluntate committitur: nec minùs adoratione, & obsequijs delectantur dæmones, quàm sacrificio vt ait D. August. in psal. 96. & hoc summum habent pro mercede vt à Dei cultu auocent.

Isa. 14.

Ephes. 5.

Non parum iam dictis adstipulatur Thalmudistarum commentum, quod habet Rabbi Eleazar, relatus à Galatino lib. 1. de arcanis fidei, c. 7. totidem verbis Latus partis Aquilonis creauit Deus, & eam non compleuit, quoniam dixit Deus quisquis dicet se esse Deum, veniat & perficiat hanc partem quam reliqui, & sciant omnes ipsum esse Deum, &c. Quod licet Doctor quidam mendacium patens esse dicat cùm Septentrionalis poli axem super nos altissimum, non occultari vnquam, sed ipsum totum, integrum, perfectumque conspiciamus: quod in re ita est. Nihilominus Galatinus, non parua his verborum inuolucris recondi mysteria docet. Fieri namque posse ostenditur, vt aliquis sit homo & Deus deinde diuinitatis Dei hominis signum esse, si Septentrionalem partem valeat perficere. Quid autem sit illa pars sinistra, inde haberi potest, quòd veteres allegoricè hominum malitiam, dæmonumque peruersitatem, sinistram, siue Septentrionem appellare consueuerint, iuxta illud Ierem. 1. *ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ*, & Eccl. 10. *Cor stulti in sinistrâ illius.*

Aquilonis latus imperfectum.

Ierem. 1. Eccl. 10.

Scio alios aliter sinistras dextrásve orbis assignasse: verum sufficiet nobis, quod Plutarchus de placitis Philosophorum 10. Galenus, & alij: Pythagoras, inquit, & Plato, necnon & Aristoteles, mundi dextras ad ortum partes dixerunt, à quibus sit principium motus sinistras verò occiduas: Empedocles autem dextras quidem in æstiuum tropicum, sinistras in hybernum reiecit cum Ægyptijs. Liuius quoque decad. 1. lib. 1. Augurum scientia, dextras ad meridiem partes statuit ad Septentrionē sinistras: fauet quod psal. 88. legitur: *Aquilonem, & mare tu creasti*, pro quo alij, *Aquilonem & dextram tu creasti*, id est, Austrum: in quæ verba Pierius Valerianus lib. Hieroglyphicor. 3. cap. 6. aduertit apud Eucherium de Septentrione loquentem, per quem dæmon intelligitur, illum vocari dextrum, dextrique nomen sibi adsciscere. Etsi enim, vt scribit D. Hieronymus, vndecunque sinister, sinistra omnia mortalibus suggerat appetenda, ideoque falso nomine dexter appelletur: aliâ tamen ratione Eucherius dextrum vocat, nempe, quod perperam agere volenti, dexter adsit obsecundando, suadendo, procliuiter attrahendo. Nam illud palam est, ait, in sacris literis, diabolum gestare Aquilonis nomen, eâque locutione, quidquid bonis conatibus aduersatur, accipi. Is enim bonorum operum odorem extinguit, atque omnia frigefacit; & ob id, & infideles, & impij, contumaces, sceleratique homines, eo notantur hieroglyphico.

Psal. 88.

Iam verò hominum nulla maior malitia, nulla dæmonum maior tentatio est, ea, quæ ad idololatriam pertrahit: ideoque idolorum cultus Aquiloni potissimùm tribuitur, vt patet Ezechiel. cap. 8. *Et introduxit me per ostium portæ domus Domini quod respiciebat ad Aquilonem; & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Neque tamē ab hac contagione eximuntur Orientales: ibidem. *Quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, adorabant ad ortum solis.*

6.

Ezech. 8.

Quid igitur aliud per foramen istud, quàm dæmonum tentatio, siue potestas, quæ potissimùm idolorum cultum respicit, designatur? Cur quoque foramen illud à Deo derelictum fingitur, nisi quia ipso permittente, idololatria cultus, à libero arbitrio quod Deus ipse homini dedit, mali electione processit? Secundum igitur Thalmudistarum veterum doctrinam ænigmaticam, signum diuinitatis est, posse dæmonum potestatem omnino conterere, idololatriamque explodere. Quod ipsum ex lib. Zoar. comprobatur, vbi Rabbi Recanad in Gen. 4. ait præsentia Dei vocata אתה *atta*, dominabitur Angelo mortis, id est, diabolo. Et rursus, Dictio *atta*, innuit sapientiam Dei. Ex quo manifestum fit, quod per Dei sapientiam, quæ in diuinis Filio tribuitur humana natura hypostaticè vnitâ, diabolica potestas erat superanda. Hoc itaque in exēplo prisci Thalmudistæ Messiæ diuinitatem tradiderunt, cuius notitiâ inde accipienda ipsis videbatur, quòd ipse Aquilonis partem esset completurus, iuxta illud. *Omnis vallis implebitur:* hoc est, quod de diabolo esset triumphaturus, genus humanum eius potestati eripiendo, ipsumque idololatriæ cultum euertendo, penitusque extirpando: quod quidem Christum Dominum, sacri sui cruoris diluuio, Apostolorumque suorum ministerio præstitisse, non est quisquam fidelium, qui dubitet.

Luc. 3.

Ascendebat igitur spiritu inflatæ mentis Satan ad Aquilonem, dicens *Exaltabo solium meum, similis ero altissimo*: vnde D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 17. *Præuaricatores Angeli, quorum duo maxima vitia sunt, superbia, atque fallacia per hunc aërem volitantes, hoc sibi à suis cultoribus exegerunt, à quibus Dij putari voluerunt, dante sibi locum vanitate cordis humani; maximè cùm ex desiderio mortuorum constituerentur imagines, vnde simulacrorum vsus exortus est, & maiore adulatione diuini honores deferrentur, tanquam in cælum receptis: pro quibus se in terris dæmones colenda, supponerent, & sibi sacrificari à deceptis & perditis, flagitarent.* Et quia inanitate mentis, quæ superbiam significat, velut inflato vtre, ambiuit Lucifer Dei similitudinem: foramen illud, siue vacuitas & inanitas, in Aquilone conficta est, vbi diuinos honores sibi deferri gestiebat: tum quia idololatria inanitas, & vacuitas est quàm maxima, dicente Apostolo. 1. Cor. 8. *Scimus quia idolum nihil est*, & psalmographo. psal. 113. *Aures habent & non audiēt, oculos habent & non videbunt, manus habent & nō palpabunt*: id quod Diogenes indicasse videtur quum solitus statuas adire, & aliquid ab illis frustra petere, demirantibus cur id faceret, respondit, vt consuescam non commoueri, si quando ab hominibus non impetro quod peto. Laert. lib. 6. vbi enim gratia Dei non est, totum id, quod videtur esse, nihil est, & nihilo deterius: vnde D. August. in Ioan. *Manifestum est, quia pecca-*

Vsus simulacrorum.

1. Cor. 8. Ps. 113.

tanì nihil est, & nihil fiunt homines quum peccant. Quia & Mardochæus Hester. 14. iuxta Septuag. non existentes vocat inimicos generis Israelitici, dicens, *Ne tradideris sceptrum tuum Domine, non existentibus*, quia scilicet, sine existente erant; sine Deo vani facti sunt, idolorum inanitate tumidi. Quod ingens malum, cùm nisi à Dei filio resarciri potuerit, solus ille passionis suæ merito, Aquilonis foramen, hoc est, damna à dæmone ad Aquilonem idololatriæ exaltato, in genus humanum deriuata, resarcire, & auertere voluit.

Hester. 14.

Nunc tecum age, ô homo, teipsum discute, cuius sis, Deine, an Dæmonis? Si ad Aquilonem iniquitatum te proieceris, inneceris idolomaniæ, pro Deo habens, aurum, ventrem, etsi quid huiusmodi inane, & colens: foramen inuenisti vacuum, inanis & vacuus, secundum illud psal. 113. *Similes fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Rectè Socrates se mirari aiebat quod cùm statuarum artifices summo studio conniterentur, vt lapis quàm simillimus homini redderetur, non pariter hoc curarent, ne ipsi lapidibus similes & viderentur, & essent. Si verò ad dexteram gratiæ tu te collocaris & steteris, Dei es plenus es, extra omne inane & vacuum, quia omni bono repletus es.

Psal. 113. Socrates.

Est ergo diabolus idololatriæ auctor principium, fons, & origo, sui ipsius primus idololatra, & adhærescente protinus, sibi curuari genu ab homine procurauit; illum in suam societatem pertrahendi studio: quod mille technis veterator ille prosecutus est. Solem, lunam, stellas, animantia, statuas pro Dijs obtrudens adorandas. Tartarei namque spiritus, per simulacra effusi, sese bonos genios, aut cælestes Deos, Heroúmve defunctorum animas esse mentientes, responsa dabant, maleficia exercebant, vt his pulsatus mortalium animus, diuinitatem inesse, quam inuocarent, cuius beneficam opem implorent, persuasi homines, à veri Numinis cultu abducerentur.

Diabolus idololatriæ auctor.

Capitis 44. §. 6.

Quomodo nomen יהוה *iehoua, dicatur non indicatum Patribus?*

PORRÒ autem, si ita est, vt diximus, primis humani generis satoribus, nomen יהוה *iehoua*, diuinitùs traditum, atque in vitali spiramine infusum, ac deinceps ad posteros fide & religione sanctissimos traductum: Quid est, quod Dominus ait Exod. 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum* יהוה *iehoua, non indicaui eis*; quod Hebraicè sonat ושמי יהוה לא נודעתי להם *vſeme Iehoua lo nodaethi lahem, nomine meo Iehoua, non cognitus sum eis?* variæ sunt huius loci interpretum sententiæ.

I.

Exod. 6.

Paulus Burgensis, additione primâ in Exod. referente Barradio lib. 2. Itinerarij filiorum Israel. cap. 3. num. 5. censet, hoc nomen יהוה *iehoua* neque secundum vocem, neque secundum significationem Patriarchis indicatum: cuius sententiæ videtur fuisse Iosephus lib. 2. Antiquitatum Iudaicar. cap. 12. vbi sic habet, *Aperit Deus Mosi nomen suum, nunquam antea hominum vlli auditum, aut cognitum.* Scholiastes quoque Caieta. Exod. 6. & Iansenius Prou. 30. ita scribens: Nomen illud quod Deo proprium erat, ac naturam eius vtcunque explicat, id est, nomen *Iehoue*, & antiquis Patribus incognitum fuit, iuxta illud Exod. 6. *Nomen meum Adonai, non indicaui eis*, & post reuelationem eius, Iudæis fuit ineffabile.

Exod. 6.

Rationem huius expositionis adfert Abulensis, quod nimirum non tantam Deus familiaritatem, atque necessitudinem cum Patribus, quantam cum Moise contraxerit, vt eis hoc ineffabile nomen indicaret.

Referuntur præterea in hanc sententiam, Cyrillus, Theodoretus, Procopius, & Diuus Gregorius; quasi Deus in signum, & pignus arctissimi amoris, quo erat in Moisem, nulli hactenus indicatum nomen *Iehoua*, commonstrarit. velut enim præcipui amoris argumentum est, nosse aliquem ex nomine, scripturæ phrasi, vnde Dominus Mosi suum testaturus amorem: *Noui te*, inquit, *ex nomine*: & explicans, quid sit istud, nosse ex nomine, ait, *inuenisti gratiam coram me.* Ita Deum nomen sui in Patriarchis ignotum, Moisi manifestare, magnum est summi amoris & familiaritatis indicium, quandoquidem ista nominis diuini manifestatione, Moises à Deo prouocari videatur, vt in testimonium sui reciproci amoris, quo diuinitatem prosequitur, dicat etiam Deo, *noui te ex nomine.*

Exod. 33.

Hæc est aperta Procopij Gazæi in 6. cap. Exod. sententia, sed ratione diuersa: ait enim hoc nomen Moisi indicatum propter populi infidelitatem: Patriarchas verò in fide roboratos, non eguisse istius nominis indicio. Verba eius sunt, *Tibi (Moisi) autem significans, licet fide multò sis Patribus inferior: præterea maiorem hic nactus es notitiam, dum tibi demonstraui nomen meum tetragrammaton, reliquis non effabile, nisi solis sacerdotibus, quod inscribebatur aureæ mitræ.* Et post pauca. *Supra se nominauit ὄντα, quod nomen nec Patriarchis, nec Iacob reuelauit, quamuis percontaretur nomen Dei cùm luctaretur cum illo. Quare hoc nomen illos celauit? Non erat necesse id nomen prodere, erant enim fideles: Cæterum illis illum nominis seruarem fecit, quorum infirmitas aureum vitulum iussit, & diuinis honoribus cultura erat.*

Quod autem Diuum Gregorium spectat, huius illum fuisse sententiæ, conuinci non potest, eò quòd non de nominis præcisè, & hactenus incogniti manifestatione, sed de ipsius iam cogniti, ampliori notitiâ, locutus videatur. *Quis enim nesciat*, inquit, homil. 16. in Ezechielem, *quia Abraham, cum Deo locutus est & tamen ad Moisem Dominus dixit. Ego sum Deus Abraham, &c. Et nomen meum Adonai, non indicaui eis. Ecce plus Moisi quàm Abrahæ innotuerat, qui illud esse Moisi indicat, quod se Abrahæ non indicasse narrabat.* Plus ergo innotuerat, quia amplius se illi, in suo nomine magno manifestauerat: aliàs, quid amplius Moisi, quàm Patriarchis contulisset, si nomen hoc, quoad vocem solùm indicasset: quando nomen ex se nullam habet excellentiam, sed ex rebus signatis? Neque enim refert, siue lapidem dixeris, siue lilium, si, quæ istis nominibus signata sunt, ignoraris: imò, barbara quædam erit locutio, quam nemo percepturus sit: vnde Apostolus 1. Cor. 14. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus.* Parum ergo accessisset Abrahæ, & Moisi parùm accessisset, aut nihil, si hoc nomen vni quoad vocem tantùm fuisset cognitum, & non alteri. Neque valet coniectura Leogarei Marij in cap. 6. Exod. quæ fuit etiam Burgensis, videlicet ante Moisem, huius nominis appellationem non fuisse à Patribus vsurpatam, sed alijs nominibus vsos fuisse, post reuelationem verò à Scriptore Moise postea substitutam nominibus אל *el*: vel יה *Iah.* quibus in illis scripturæ locis maiores vsi fuerant: non, inquam, valet, quia sine vllo fundamento adstruitur, cum verisimilius sit, nomina diuina prout ab antiquis vsurpata fuere, suis locis reposuisse, quàm nouum nomen, veteribus obliteratis, induxisse, non cuius-

1. Cor. 14.

cuiusdam mysterij causâ, cuius autor ipse videretur. Aut cur potiùs hanc scripturæ sententiam, isto decorauit nomine quàm aliam? cur non vbique immutabilem Dei expressit essentiam? vno certè illo nomine, multiplicem Dei virtutem, in alijs diffusam nominibus, explicasset

2. Aben Ezra, vult nomen *Iehoua*, secundum vocem veteribus indicatum, non autem secundum significationem, hoc est, Patribus quidem prioribus, innotuisse quidem maiestatem Dei in nomine אל שדי *el sadai, Dei omnipotentis*, neque tamen illos nomen יהוה *Iehoua*, ignorasse, sed nominis mysterium; cuius virtus & efficacia, Moisi primùm innotuerit. Ad quod interpretamentum accedit Rabbi Salomon apud Reuclinum: *Nomen meum* יהוה *non notificaui eis, in proprietate scilicet verâ*, inquit, *quæ in me est*, illud referens ad perfectâ eius quod hoc nomine significatur, cognitionem, quæ veteribus tradita non sit: id quod verbo נודעתי *nodâti hi*, hoc est, *sciri feci*, quod Septuag. reddidere. *Indicaui*, καὶ τὸ ὄνομά μου, κύριος, οὐκ ἐδήλωσα αὐτοῖς: non enim superioribus retrò seculis, nomen suum *Iehoua*. Deus sciri fecerat, & intelligi quæ in eius significati plenitudine latent magnalia, sed potiùs agnosci, & coli, & obseruari promiscuè, quemadmodum alia Dei nomina. Huic expositioni subscribunt Caieta. Lyranus, & Abulensis qui nihil amplius de hoc nomine Moisis maioribus indicatum volût, quàm quod sit Dei nomen, de virtute autem nihil traditum, non enim aperiebat illis maximam suam perfectionem, quæ erat signatum huius vocis quam illi frequentabant. Sed non placet quod addunt, Moisi tributum in huius nominis manifestatione, vt diuinam essentiam, saltem sub quodam raptu videret.

Respondent alij non solùm quoad vocem, sed etiam quoad significationem, nomen hoc antiquioribus Patribus indicatū, ideòque in eo nomine & Deum inuocasse, & in eodem rursus, Deum vitæ illorum fuisse propitium. Tertium autem quod hoc nomine cōtineri dicunt, pactio est, siue confœderatio diuina, (quod sanè multò maius est, & Verbi supereminentem potestatem complectitur) quæ tacita Patriarchis fit, à Deo Moisi indicata, & delegata; cæteris verò Prophetis indicata tantùm: quapropter Isaias inquit, cap. 25. יהוה *Deus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia*, & Dauid adfirmat psal. 118. super omnes docentes se intellexisse, etiam super veteres. Auxit enim Deus per crementa temporum huius nominis notitiam. Formabatur namque prisca ætas, ab infantiæ gradu, vsque ad perfectum, quando releuata sunt mysteria, quæ sub velamine cuique ætati conuenienti, Patribus tradita fuerunt: ita D. Gregor. homil. 16. in Ezechielem: *Per incrementa temporum creuit scientia spiritualium Patrum: plus namque Moises, quàm Abraham, plus Propheta quàm Moises, plus Apostoli quàm Prophetæ, in omnipotentis Dei scientiâ eruditi sunt.* Id quod etiam in Genesi exprimitur cap. 49. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt, siue, fortiores sunt benedictionibus Patrum eius*, id est, Abulense interprete, *Iacob Patriarcharum* vltimo, plura reuelauit Deus, quàm eius progenitoribus, Christus quoque testatur Luc. 10. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, dico enim vobis, quod multi Reges & Prophetæ desiderauerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt*,

3. Leuaturus itaque Deus Moisis animi angustias, et clariorem sui cognitionem pollicetur quàm Patribus anteà concesserit, securumque reddit, eorum omnium mirabilium, quæ per delegatam potestatem, & nominis cogniti virtutē facturus sit: *nomen meum* יהוה inquit, *non indicaui eis*: quasi diceret, non tantam nominis mei virtutem Patribus suis reuelaui, quantam ad ostensionem gloriæ nominis mei, in mirabilium, & magnalium patratione experieris, quæ nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob patrarunt. Ita enim, nominis diuini significationem, secundum quam non fuerit Patribus reuelatum, interpretantur nonnulli vt nimirum, quemadmodum Apostoli in nomine *Iesu*, miracula faciebant; ita Moises in nomine *Iehoua*: de quo nomine loquens Deus Moisi dixit, quòd Patribus in Deo omnipotente apparuit, quia videlicet, Dei omnipotentis nomen esse significauit; nominis autem pondus omne, non indicauit. In suâ namque omnipotentiâ (hoc significante Hebraismo, *In Deo omnipotente*) Patrum veterum seculo, ipsemet Deus fecit miracula; Patriarchis faciēda non commisit, Pentapolim siquidem igne scelerum vindice cælitùs demisso deleuit: vxorem Loth in præuaricationis suæ pœnam, in salis statuam obrigescere fecit, quod sanè mirandum est, & nonnisi ab omnipotente effici potest. Iacob insuper à periculo Chananeæ conspirationis, post euersam Sichmiam; & ab ipso quoque cædis periculo, quod ab Esau fratre metui meritò poterat, liberauit. Veniente verò tempore liberationis Israëliticæ, quæ liberationē generis humani per Messiam futuram significabat, qui est virtus, & potentia יהוה: maiestatem, energiam, virtutemque huius nominis, quæ Patriarchas vsque ad Moisis tempora latuit, Moisi benigniter manifestare voluit: Nouissimis autem temporibus apparens in filio, adimpleuit. Indicatum igitur nomen *Iehoua* Moisi, quia miracula facturus erat: vnde Burgensis, sub huius nominis consideratione, ad Deum pertinere dicit, miracula operari, quòd hoc nomē substantiam diuinam significet, prout est pelagus substantiæ infinitæ. Sed reuera, licet in Ægypto, sub hoc nomine, ea patranda susceperit; sub quocunque tamē nomine placuerit, Dei est illa operari; vt adnotauit Barradius. Pro hac quoque expositione facit Rupertus, totidem verbis: *Nomen meum non indicaui quantæ sit potentiæ vel virtutis, magnalia namque & terribilia facturus, hæc loquitur Deus ad ostensionem gloriæ nominis sui, qualia non fecit in diebus Abraham, Isaac, & Iacob.*

Rabbi Salomon apud Lyranum, significatum diuini nominis interpretatur cōstantiam & immutabilitatem Dei in promissis adimplendis, quam, Patribus apparens in Deo omnipotente, non indicarit. *Iehoua* enim, id est, *Sum qui sum*, & significat immutabilitatem Dei qui semper est quod est: nec promissis deesse potest. Hoc igitur sensu, nomen suum *Iehoua*, non indicauit, quia facto ipso non ostendit illis suam in promissis, & essentiâ, immutabilitatem, tradens illis terrā Chanaan, quam se traditurum receperat: Moisi verò, promissa completurus, populumque Israëliticum è seruitute Ægyptiacâ in terram Chananæorum introducturus, indicauit, vnde sequitur Exod. 6. *Pepigique fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan: & educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute.*

4. Oleaster, vt hac difficultate se expediat: Sadai & *Iehoua* deriuationes considerat. Aut enim compositum est nomen *Sadai*, à ש *sin*, & די *Dai*, quod est, *copia, sufficientia*, vt Sadai, idem sit quod,

Margin notes: Pactio. | Isa. 25. | Psal. 118. | Gen. 49. | Luc. 10. | Iehoua I. sum qui sum. | Exod. 6. | Oleaster. Sadai, vnde dicatur.

Cui sufficientia, vel אשר די *aser dai, cui satis est*, & sensus erit, *Ego sum Iehoua, & visus sum Patribus in Deo cui sufficit*, aut, *sufficiente*, quia opis nostræ non indiget, *apparui*, inquam, conferendo illis bona, sed nomen meum *Iehoua*, non indicaui illis, aut in se, aut secundum vim suam. Aut Sadai nomenclatura simplex nomen est à שדד *Sadad, vastauit, depopulatus est, fregit, prædatus est*: quasi prædari nil aliud sit, quàm alienas opes sugere, vnde שד *Sad*, id est, *mamilla, vber*, sic dictum, quia sugitur, Threnor. 4. *Sed & serpentes eduxerunt Sad*, id est, *mammam*, quod nos legimus, *Sed & lamiæ nudauerunt mammam*; & in eadem significatione שוד *Sod*, apud Isaiam, cap. 60. *Vesod*, id est, *mamillam regum suges*. Sod enim humorē significat, & quia vbera effundūt humorē pinguē vocātur שדים *Sadaim*. Igitur, vel à *Sod* deriuatur *Sadai*, & Deum significat, vbertim sua bona in nos effundentem, tanquam lac ab vbere. Aut à *Sadad*, quod est prædari, expilare, vastare, & significat Deum fortem prædatorem. Nomen verò *Iehoua*, non ab *haia*, quod est, esse, sed ab *houa*, quod est, *contritio, calamitas, vastatio, malum eueniens*, dictum autumat, vt significetur Deus vastator, conterens, & afferens הוה על הוה *houa al houa, Contritionem super contritionem*, apud Ezechielem 7. vt sensus sit, *Ego sum Deus conterens, & visus sum Patribus in Deum diffundentem se, sed sub ratione conterentis, non innotui eis sicut nunc innotescam*: quia enim liberalem me magis & beneficum in eos ostendere volui, quàm vt inimicos eorum contererem, ac debellarem, nomen meū *Iehoua* non indicaui eis, nō sum illis cognitus sub ratione conterentis, & bellatoris: idcoque dixerunt illi. *Nesciebamus nomen eius Iehoua*, id est, *bellatorem*: at nunc talis apparebo conterens regna, & nationes. Et hæc interpretatio, magis probatur Oleastro, quàm si dicas, Deum visum Patribus expilatorem & prædatorem fortem, auferentem bona Laban, & dantem ea Iacob. Ad quam accedere videtur expositio illa, cuius meminit Abulensis, Deum scilicet, non indicasse significatum nominis magni, nempe veritatem primam, quæ est in reddendo promissa, quæ vt redderet, ipsum regna & nationes conterere oportuit.

Threnor. 4.

Isa. 60.

Iehouæ deriuatio.

Ezech. 7.

Verùm hoc interpretamentum nihil confert ad vim nominis magni, quod neque veritatem promissorum, neque contritionem significat, cum ab הוה *houa* deductum, non magis diuinæ essentiæ significationem habeat, quàm quodlibet aliud Dei nomen non magnum. Aut cur hoc magnum appellatur, si non ab *esse*, deducitur? Sane innuimus hoc nomine, Deum significari, vt in suo esse inquiescit, sibique ipsi semper idem est, & in quo quiescunt omnia, veritatemque, & constantiam, & perpetuitatem habeat; cui & esse suum præsens est semper, quique est esse omnium Deus, omnia in omnibus: *Quid nempe cuique rei præsentiùs quàm esse suum?* inquit D. Bernard. serm. 4. in Cant. *Quid cuique tamen incomprehensibilius, quàm esse omnium? Sanè esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt quod est ille, sed quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et mox: *Omnibus creaturis est quod sunt: animantibus autem quod & viuunt: porro ratione vtentibus lux, rectè verò vtentibus virtus: vincentibus gloria.*

Refellitur.

Ego itaque sic censeo, Patribus quidem etiam ante terrarum diluuium indicatū nomen יהוה *Iehoua*, & quoad vocem, & quoad significationem diuinam, per quam intelligerent illud esse incommutabile creaturæ, & Creatorem omnipotentem in illo nomine inuocandum, quod impius Cain egressus à facie יהוה *Iehoua*, posterique eius, suppresserant; non autem quoad plenam יהוה significationem, quam Moisi erat indicaturus sub huius nominis velamento: quare quum dicitur *Et nomen meum Iehoua non indicaui eis*, non de vocali & in aere sonante nomine, non de scripto in tabellis dictum arbitror, sicut mihi suggerit Hebraica lectio, *Et in nomine meo Iehoua non sum cognitus illis*, ineffabilis in me & in iudiciis meis: sed de recondito ipso Verbo Patris, quod est nomen magnum quo se nominat Deus: de quo psal. 137. *Quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum*, in quæ verba D. Hieronymus Epistolâ de verâ circumcisione, Apud Hebræos ita esse cognoscite, quoniam magnificasti super omne nomen Verbum tuum: iuxta editionem autem Latinam hic sensus est: *Quoniam magnificasti super omne nomen*. hoc est, quod in cælo & in terrâ dici potest, sanctum filium tuum: super omne sanctum exaltatur Christus Dominus, &c. Et de quo Moisen instructum reor amplioris, quàm Patriarchas, cognitione, vt nimirum intra intimos huius sanctissimi nominis recessus admissus, arcanorum particeps factus fuerit, quæ in illo tanquam in ænigmate continentur, & quorum nulla Patriarchis facta reuelatio: fore videlicet, vt è tribus vnius essentiæ personis secunda; Dei filius naturalis, & consubstantialis Patri, Verbum Patris in quo facta sunt omnia, & in quo Moises figuram eius gerens & nomen (מושיע *mosiah* enim, saluatorem significat) mira esset operaturus; assumptâ mortalitatis nostræ trabeâ, ex virgine nasceretur homo, pro generis humani libertate & salute: vnde mysterium hoc edoctus, ait Exodi 4. *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*. Quem sub nomine Iehoua mihi manifestasti, quem in tuâ æternitate generando nominas & nominasti, nomine essentiæ tuæ plenitudinem significante, nomine, essentiæ tuæ infinitatem definiente: *Quod illi nomen Dei, quod os Domini nominauit* Isa. 62. *Os Domini*, Verbum patris, sonans in creaturis, sonans in Prophetis, Dei nomen, ipsa de Deo Dei substantia; nomine quod indutum carne, manifestabit tetragrammaton mundo, personarum scilicet trinitatem, & incarnationem Verbi, hoc est duarum naturarum in vnâ personâ mysterium, egressum à Patre sine egressu, per primam literam ה *he*, Patris & Spiritus sancti, cuius ipse cum Patre Spirator, notis inclusam ו *iod, & vau*: & egressum temporalem à matre, per additam eandem diuinitatis literam, vt de Spiritu sancto conceptus significetur: manifestabit essentiales perfectiones quatuor hoc inclusas nomine, omnipotentiam per opera mirabilia; quæ nemo alius fecit, sapientiā in fundanda Ecclesiā, de quā dictum est Isa. 62. *Vocabitur tibi nomen nouum* Et legis Euangelicæ traditione: Misericordiam in suā passione, & peccatorum remissione, nolens mortem peccatoris, sed vitam, & iustitiam, quia illi omnia tradita sunt à Patre. psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*: & has perfectiones nō esse formas, sed simplicissimam essentiam Dei. Hoc est nomen æternum יהוה qui est æternus Deus,

Omnipotens Verbum, finisque & originis expers

Psal. 137.

Exod. 4.

Isa. 62.

Isa. 62.

Psal. 8.

3.

in

à Patre in tempore nominatum, hoc est, *Caro fa-ctum est*, ita vt nominare idem sit quod in carnem mittere, de quo Ieremias cap. 23. Messiæ diuinitatis assertor, contra Iudæos, *Et hoc est nomen quod vocabunt eum Iehoua iustus noster*, & Paraphrastes Chaldaicus, *Hoc est nomen quod ipsi vocabunt eum, nempe Messiam, Iehoua iustus noster*: sequitur: *Ecce dies venient dicit Dominus Iehoua, & non dicent vltra, viuit Dominus Iehoua, qui ascendere fecit filios Israël de terrâ Ægypti*: quia accedente veritate, figuræ cessabunt, omnia autē in figuris contingebant eis: vnde sequitur, *Sed viuit Iehoua, qui adduxit semē Israël è terra Aquilonis, & de omnibus terris*, ex omnibus terræ regionibus & gentibus congregans veros Israëlitas, fideles suos, quos de potestate Aquilonis, hoc est, diaboli, sacro suo cruore redemptos liberauit, & ad Ecclesiæ gremium adduxit. Quod licet de proprio Messiæ nomine à Ieremia dictum non sit, sed de appellatione honorificâ & autoritatis plenâ: inde tamen habemus Messiam esse ipsum, *qui est*, Deum ineffabilem; in cuius hypostasi, conueniens natura humana, tanquam nominis ineffabilis character effabilis, ipsum alio nominat nomine, de quo Isa. 30. *nomen Domini venit de longinquo*, hoc est temporale nomen filij יהשוה *iehosua*, siue potiùs *Ihsuh*, & per contractionem *ihs* transuersâ virgulâ, quomodo Iesum quandoque scribimus, venit ab illo æterno *Iehoua*, quod in Soteris nomine, quantū ad præcipuos eius characteres inclusum manet. Ex quo factum est, vt nomen ineffabile, interpositâ literâ ש *sin*, inter humanos dentes stridere cœperit, & effabiliter vocari. שין *sin*, namque dentes significat, inquiunt D. Hieronymus & Bellarminus quasi à שן *sen*, id est, *dens*, quòd dentata sit litera: dentes autem cùm sint instrumenta faudi potentissima, & ש *sin* numeretur dentium litera celebrior, non mirum si ad istius nominis ineffabilis pronuntiationem, hoc elementum, quod dentibus pronuntiatur, inter cætera sit accersitum, vt idem ipse, cuius est nomen, ex diuinâ & humanâ essentiâ in vna hypostasi constare dignoscatur: *Nam sicut anima rationalis & caro, vnus est homo*, inquit D. Athanasius in symbolo, *ita Deus & homo, vnus est Christus*.

Ierem. 23.

Isa. 30.

Capitis 44. §. 7.

Nomen Iehoua, non esse idem cum nomine Saluatoris, quod & יהשוה iehosua & ישוע iesua scribi potest.

2\. NOn defuere auctores grauissimi, qui nomen יהשוה *Ihsuh*, idem esse quod יהוה *iehoua* censuerint, sicut scribit Petrus Galatinus, lib. 3. de arcanis Catholicæ veritatis, quibus adnumerandi veniunt Iacobus de Valentiâ in psal. 8. & Burgensis in cap. 3. Exodi, vbi habet, Apostolum dicentem ad Philippen. 2. *donauit illi nomen quod est super omne nomen* intelligendum de nomine *Iehoua*, quod incognitum dicit Episcopus Christopolitanus, quia non fuit notum Verbum incarnatum, quod est verum Dei nomen, vsquequo Deus venit in carnem, vti neque nomen tetragrammaton, quoad proprium sonum & significatum, donec Angelus nunciauit Mariæ: tunc enim nomen illud in Christo innotuisse, & effabile factum, qui ישו *Iesu* ab Angelo dictus, abbreuiatione nominis duobus ה *he*, quorum in pronuntiando exilis vel nullus est sonus, reiectis, in diuini nominis reuerentiam: cùm alioqui יהשוה *iehosua* appellandus esset, literis tetragrammatis, interpositō ש *sin*: non autem יהושע *iehosua* per ע *hhaiin* literam, quod in illo perfectum Dei nomen ineffabile reperiatur factum effabile accessione literæ ש S. in hoc verò minimè, cùm suæ significationis vi, saluandum potiùs, quàm Saluatorem significet.

Philip. 2.

Sed frustra sunt, diuersa enim est vtriusque nominis significatio, nam יהוה *iehoua*, diuinam dumtaxat essentiam significat, יהשוה *Iesua*, saluatorem: *Iehoua* ineffabile nomen propter abditum sacrosanctæ Triadis mysterium, & in tanta veneratione à Iudæis habitum, vt illud efferrēt nunquam, sed eius loco aut Adonai, aut Elohim pronuntiarent. Quod si quis tres vel quatuor huius nominis literas, in sui nominis appellatione sortiretur, non temerè à quoquam nominabatur, in familiari præsertim colloquio, sed aut fictitio nomine vtebantur, eiusdem cum proprio significationis, aut insigni aliquâ notatione proprium significante. Hinc qui יהודה *iehudah*, Iudas dictus, vulgo Leo appellari solet, quia Gen. 49. dicitur *Catulus Leonis Iuda*: Et in Euangelio Iudas Apostolus, interdùm Lebbæus, id est leoninus, interdū Thaddæus, quod idem significat ac iudas, appellatur: Theatrum vitæ huma. volum. 16. lib. 2. titulo, de Cultu Dei: At *Iesu* nomen enuntiabile est, quod tam mirabile sacramentum reuelauit. Super *Iehoua*, pepigit Dominus pacta & confœderationes cum domo Israel, quæ, Verbo carnem induto, cessare debuerunt, & in alia, super aliud nomen transferri, sicut apud Ieremiam cap. 31. pollicetur Dominus: *Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam Domui Israël & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum Patribus vestris in die quâ apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terrâ Ægypti*. Commutatum est ergo nomen *Iehoua*, in aliud, quod vel parem cum ineffabili, vel maiorem vim obtineat significandi, quemadmodum tradit quoque Reuclinus lib. 3. de verbo mirifico cap. 2. iuxta Isaiæ vaticiniū cap. 56. *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo meâ & in muris meis locum, & nomen melius quàm filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit*: Dabo, inquit, Eunuchis qui se castrauerunt propter regnum cælorum locum, Hebraicè יד *iad*, id est, manum, non sine mysterio, siquidem castis hominibus, qui

Nec quid hymen, quid amor, quid sint cōnubia curant,

Se filium Dei, qui manus eius est, daturum promittit: & nomen melius, quod non commutabitur amplius, sed durabit in æternum, scilicet nomen יהשוה *Iesus*, quod non vnūm modò, sed vtramque naturam significat, diuinam, quia Deus est, vt saluare possit, & humanam, quia homo est, vt pro salute humani generis mori possit & satisfacere. Vnde Iustinus Martyr, apologiâ 1. pro Christianis: *Iesus porrò, hominis & conseruatoris nomen significationemque complectitur: Nam homo quoque factus est Dei & Patris consilio ac voluntate, hominum qui credunt salutis causâ ex illo editus, damonumque exitij*

Refellitur.

Gen. 49.

Iesu nomen enuntiabile.

Ierem. 31.

Isa. 56.

& exercituum. Quòd fit, vt alterius sit significati, quàm *Iehoua*, litera ש. S interpositâ nouam addente significationem, decebat enim *Iehoua* incarnandum aliam cum carne characterem assumere, vt esset *Qui est, dextera Patris*. & in ea ignea lex. quod ipse de se confirmans ait, Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi vt accendatur?* אש enim, ignem significat, & Deus, qui ignis consumens est, quo accensus Seruator noster Iesus, de quo Isaiæ 62. *Egredietur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendetur, & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit*, nempe diuinorum interpres Angelus, quũ dixit יהשוה *Iesus, vocabis nomen eius*, siue etiam, *quod os Domini perforabit*, hebraicâ dictione יקבנו *ikobenu*, illud significante à נקב *nakab*, quod præter nominare, siue declarare, significat quoque perfodere, perforare. Os itaque Domini Spiritus-sanctus loquens in Prophetis Messiæ nomen perforauit, metaphorâ sumptâ à nominis in ære aut lapide excauatione, aut incisione, quando Christus meruit vulnerũ suorum perforatione, illustre nomẽ יהשוה *Iesu*. Ita enim nomen hoc nouum in calculo candido, sanctæ atque purissimæ eius humanitatis incidi oportuit, quod nemo scit nisi qui accipit.

Sed & litera ש. S. figurã lãpadis habet, in quã instar, י *iod* elementi, quod Deitatem Hebræis designat, lychnus splẽdet. *Et Saluator eius vt lampas accendetur*. Est & olei nota apud Hebræos effusi & effabilis nominis signaculum, quod ita Christi personam imbibit, vt quidquid in illo diuinæ naturæ adscribitur, illud etiam de humanâ dicatur: vnde Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum*: שמן *semen* etenim, quod est, *oleum*, à litera ש *sin*, inchoant Hebræi. Oleum autem, & lampadem & lychnum ita coniungit Isaias, vt absque ijs omnibus simul iũctis, splendor lãpadis exire tenebras nolit: vnde י *iod* diuinitas medium tenens, præsens & permanens totam humanitatẽ essentiali vnctione substantialiter inebriauit: hinc Vates regius psal. 44. *vnxit te Deus, Deus tuus præ participibus tuis*: Vnde factum est, vt nomen excellentius præ consortibus suis hæreditarit, quod est nomẽ super omne nomen, nomẽ יהוה *Iehoua* incremento literæ ש S. vocatum יהשוה *Iesus*, quod Pater æternus donauit filio, maiore honore, & excellentiore cultu colendum, quàm quodlibet aliud diuinitatis nomen, in quo cognoscitur verus Deus passus & mortuus, atque colitur, de quo Apostolus ad Philip. 2. *Donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur*.

Et quanquam Iansenius cum alijs quamplurimis censeat illis verbis, *Donauit illi nomen*, non intelligi nomen Iesu in circuncisione donatum, ab Angelo prædictum, sed aliud quod in suâ in cælum conscensione Christus acceperit, in eius obedientiæ præmium, quam in cruce moriens exhibuit, quodque Apocal. 5. indicatur, his verbis: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & diuinitatem*, hoc est, vocari fortem, & appellari Deum. Idque ex Apostoli contextu colligi, dicentis, *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, & mox, *propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen*.

Amplector tamen Origenis, & D. Bernardi sententiã, qui verba D. Pauli de nomine יהשוה *Iesu*, intelligunt. Et certè hoc Diui Apostoli menti conforme esse conuincitur, quòd cùm dixisset, *Donauit illi nomen, quod est super omne nomen*, mox subdiderit, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur*. Nec obstat Iansenij opposita sententia: præterquam̃ enim quod Patrem anticipatum laboris præmiũ infanti Christo contulisse, possumus dicere, ipsum ter venerando nomine Iesu exaltans: est quod præterea reddamus: videlicet, Diui Pauli sententiam sic esse intelligendam, vt in obitis Dominicæ præmium יהשוה *Iesu* nomẽ quod antea habuit, esset in posterùm super omne nomen gloriosum, cùm in orbem vniuersum esset diffusum, & coleretur ab omnibus, quasi è brachijs crucis, quæ alæ dicuntur, ad sui corporis gloriam, & nominis sui celebritatem euolarit. Quam in rem non parum conferre videtur dicti Apostolici occasio, quam refert D. Bernardinus, Apostolum videlicet, in suo vsque ad tertium cælum raptu, quod empyreum fuisse quidam interpretantur, supra ipsos beatarum mentium choros elatum, tandem ad Christi Soteris solium peruenisse, vbi in amorem, & stuporem conuersus, effari nil potuit, nisi *Iesus, Iesus*, quo audito nomine, mox Angelici Spiritus omnes, illud veneraturi, in genua visi sunt procumbere: vnde factum est, vt ad se rediens Paulus scripserit, *In nomine Iesu omne genu flectatur*.

Ex dictis manifestum fit, ter sanctum Iesu nomen, ineffabilis nominis literas, & vnam insuper consonantẽ continere, atque ita scribi posse יהשוה *Ihsuh* quanquam refragetur Salmeron. Latinè verò ה *he* elemento in S. commutato, & priori non sonante, quòd huiusmodi elementum tenuissimè pronuntietur in hunc modum *Iesus*, quemadmodum pro *Iehudah*, legimus Iudas ישעיהו *Iesahiahu Isaias* ירמיהו *Irmeiahu*, *Ieremias*, יונה *Ionah Ionas*, & sic de cæteris. Id quod mihi vel ex eo maximè probabile fit, quòd hac ratione, verè nomen nouum datum sit filio Dei, nomen incõmunicabile, nomen super omne nomen, quod de nullo alio nomine sine tropo dixeris. Non enim nouum est nomen ישוע *Iesua*, sed in scripturis satis vsitatum. Nisi dixeris cum Episcopo Christopolitano in ps. 8. ideò nouũ esse, quia Christus verè sit *Iesus*, reliquos verò qui hoc nomine nuncupati sunt, nostri Iesu figuram gessisse. Neque etiam incommunicabile, quãdoquidem plures inuenias hoc *Iesua* nomine indigitatos, id quod nõ adnotasse videtur Galatinus lib. 3. Arcanorum cap. 18. quum dixit ישוע *Iesu* nomen, nulli impositum præterquam Christo, Esdræ namque lib. 1. cap. 2. bis ישוע *Iesua* scribitur, item cap. 3. & 4. & 5. sæpè. Nec denique super omne nomen, quia non supra tetragrammaton, quod consideranti euidẽs est, quòd nomen super omne nomen, singulare esse oporteat, quale illud solum est, quod & tetragrammatum continet, atque illo quoque aliquid amplius habet.

Neque tamen inficior quin etiam Christi nomen ישוע *Iesus* scribi possit, cum ע *hain*, quemadmodum, cum quibusdam alijs, scribendum

Marginalia: Luc. 12. — Isa. 62. — Luc. 1. — 2. — Cant. 1. — Psal. 44. — Philip. 2. — Apoc. 5. — 3.

dum vult Viegas in cap. 11. Apocal. ex illo Euangelij Matth. 1. *De quâ natum est* ישוע *Iesus*, ע *hhain* literâ in S. transeunte, & ex titulo crucis Dominicæ, quæ Romæ in S. Cruce in Ierusalem visitur, vbi *Iesuhh* scriptum legitur, à ישע *iasah*, quod est, *saluare*. Imò non ישוע titulo crucis inscriptũ, sed ישע *Iasahh*, quod est, *Saluus*, vt Romæ à se lectum & diligenter obseruatum, affirmat Ribera in c. 3. Abac. num. 54. siue, quòd nomen istud, ab Hebræis, breuiari soleat. Et his tribus literis scribi ישע siue quòd Salus, eorundem Hebræorum more, accipiatur pro suo concreto actiuè sumpto, id est pro effectore salutis: à quo ישע nomen *Iesu*, Angelo interprete, deducendum est, quum inquit Luc. 1. *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*: non potest autem deriuari à salute, inquit Viegas, nisi sit *Iesuahh* à *Iasahh*. De quo Abac. 3. *Exultabo in Deo* ישוע *Iesu meo*. Accedit Rabbi Haccados auctoritas apud Galatinum lib. 3. Arcan. c. 18. *Quia Messias, homines saluabit*, inquit, *vocabunt eum* ישוע *Iesuahh*, *gentes autem alterius nationis quæ fidem eius sectabuntur, vocabunt eum Iesum, & propterea inuenies hoc nomen Iesu designatum in textu Gen.* 49. *Non recedet sceptrum de Iuda in primis literis horum verborum* יבא שילה ולו *iabo, silo velo*, id est, *veniat Silo & ei*. per Silo Messiam iuxta Chaldaicum interpretem, intelligentes: *si enim acceperis primas literas harum dictionum*, ישו *Isu*, *eadem literæ conficient*. Non exprimitur quarta litera *hhain* quia sic eum gentiles erant appellaturi, qui ad illius fidẽ fuerint cõuersi. Atque ita sub illo ordinatarum literarum artificio ישוע *Iesu* nomen indicatum obseruauit Rabbi Haccados, cuiusmodi sunt Acrostichia Sybillæ Erythrææ, apud D. August. 18. de Ciuit. Dei cap. 23. quæ singulis carminibus de Iudicio singulos nominis Christi characteres præfigit qui in vnam coordinationẽ collecti faciunt Ἰησοῦς χρειστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ. *Iesus Christus, Dei Filius, Saluator.* Et istos qidem versus recenset ibi ex Eusebio Ludouicus Viues, recenset & Viegas in cap. 8. Apocal. Commentario. 1 sect. 10. præter nonum, quem licet Viues in Græco non haberi dicat, neque in Latino esse adtititium, illum tamen ego apud Græcos, cum reliquis, sic lego,

> ἰδρώσει γὰρ χθὼν κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσαι.
> ἥξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων
> σάρκα παρὼν πᾶσαν κρῖναι, καὶ κόσμον ἅπαντα.
> ὄψονται δὲ θεὸν μέροπες, πιστοὶ, καὶ ἄπιστοι,
> ὕψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο,
> a σαρκοφόρων ἀνθρώπων ψυχὰς βήματι κρίνων:
> χέρσος ὅτ' ἄν ποτε κόσμος ὅλος, καὶ ἄκανθα γένηται.
> b ῥίψουσιν δ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα
> c ἐκκαύσει δὲ τὲ πῦρ γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν,
> ἰχνεύων ῥήξει τε πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο
> σὰρξ τότε πᾶσα d βροτῶν ἐπελεύθερον φάος ἥξει.
> e τῶν ἁγίων, ἀνόμους δὲ τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει,
> ὁππόσα τις πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει.
> στήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς, φωσῆρσιν ἀνοίξει
> θρῆνος δ' ἐκ πάντων ἥξει, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.
> g ἐκλείψει δὲ φάος σέλας, ἠελίοιο καὶ ἄστρων,
> οὐρανὸν εἱλίξει, μήνης δέ τι φέγγος ὀλεῖται.
> ὑψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν.
> ὕψος δ' οὐκ ἔτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται
> ἴσα τ' ἐρημπεδίοις ἔσαι, καὶ πᾶσα θάλασσα
> h οὐκέτι πλοῦν ἕξει, γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ
> σὺν πηγαῖς ποταμοὶ i καχλάζοντες λείψουσι,
> σάλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
> ὠρύουσα μύσος k μελέων, καὶ πήματα κόσμου.
> ταρταρεὸν δ' ἔχαος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα.
> ἥξουσι δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλεῖς ἅπαντες.
> ῥεύσει δ' οὐρανόθεν l ποταμὸς πυρὸς, ἠδέ τε θείου.

> *Iudicij* m *signum, tellus sudore madescet,*
> *E cœlo Rex aduenìet per sæcla futurus,*
> n *Scilicet in carnem præsens vt iudicet orbem*
> *Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis,*
> *Celsum cum Sanctis, æui iam termino in ipso.*
> o *Sic animæ cum carne aderunt, quas iudicet ipse,*
> *Cùm iacet incultus densis in vepribus orbis.*
> *Reijcient simulacra viri, cunctam quoque gazam.*
> *Exuret terras ignis, pontumque, polumque,*
> *Inquirens tetri portas effringet auerni.*
> p *Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni*
> *Tradetur, sontes æternaque flamma cremabit,*
> *Occultos actus retegens: tunc quisque loquetur*
> *Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.*
> *Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes:*
> *Eripitur Solis iubar, & chorus interit astris.*
> *Soluetur cælum, lunaris splendor obibit.*
> *Deijciet colles, valles extollet ab imo.*
> q *Non erit in rebus hominum sublime vel altum,*
> *Iam æquantur campis montes & cærula ponti,*
> *Omnia cessabunt; tellus confracta peribit:*
> *Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni;*
> *Et tuba tunc sonitum tristem demittet ab alto,*
> r *Orbe, gemens facinus miserum, variosque labores:*
> *Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.*
> *Et coram Domino Reges sistentur ad vnum,*
> *Decidet è cælis, ignisque, & sulphuris amnis.*

Ita ferè apud August. tom 6. Orat contra Iudæos, Paganos, & Arrianos. Hos eodem quo Græca artificio, paucis immutatis, leges apud Viegam, & apud Xistum Senensem Bibliothecæ Sanctæ lib. 2. litera S. meliùs.

> *Iudicij in signum tellus sudore madescet,*
> *Et Rex æternus summo descendet olympo,*
> *Scilicet vt carnem, mundumque vindicet omnem,*
> *Vnde Deum fidi, diffidentesque videbunt*
> *Summum cum sanctis in sæclis fine sedentem*
> *Corporeum, animas hominum quo iudicet, olim.*
> *Horrebit totus cùm densis vepribus orbis,*
> *Reijcient simulacra viri, gazasque repostas,*
> *Exuretque ignis terras, cælumque, salumque,*
> *Incendetque fores augusti carceris orci,*
> *Sanctorumque omnis caro libera reddita, lucem*
> *Tunc repetet, semper cruciabit flamma sceleslos*
> *Vtque quis occultè peccauerit, omnia dicet,*
> *Sub lucemque Deus reserabit pectora clausa:*
> *Dentes stridebunt, crebrescent vndique luctus,*
> *Et lux deficiet, solemque nitentiaque astra,*
> *Inuoluent tenebræ, tum Lunæ splendor obibit:*
> *Fossas attollet, iuga deprimet ardua, montes:*
> *Impedietque nihil mortales ampliùs altum,*
> *Longa carina fretum non scindet, montibus arua*
> *Ipsa æquabuntur. Nam fulmine torrida tellus,*
> *Vnaque & sicci fontes, & flumina hiabunt,*
> *Sidereisque sono tristi tuba clanget ab oris.*

Marginalia: Matt. 1. — Luc. 1. — Abac. 3. — Gen. 49.

a Alij legũt σαρκοφόρων, ψυχὰς ἀνθρώπων ἐπὶ βήματι κρίνει.
b ῥίψουσι.
c desideratur ab alijs.
d ἐκρῶν ἐς ἐλευτέριον.
e τοὺς ἀνόμους, nõ tamẽ meliùs.
f ἴσω.
g ἐκλείψει σέλας ἠελίου ἄστρων τε χορεία.
h οὐκ ἔτι πλοῦς ἥξει.
i addũt alij δὲ.
k μέλλον.
l ποταμὸς πυρὸς, ἠδ' ἔγε θείου.
m *signo.*
n Scilicet vt carnẽ præsens, iudicet orbẽ.
o Græcè. Videbunt eum carniferum, & indicabit hominum animas pro tribunali.
p Græcè. Caro tunc omnis mortuorum, in liberum veniet cælum.
q Tertio loco tribrachus pro dactylo. Ad literã Græcè sic. Sublime nõ amplius moles ũ hominibus apparebit: cur nõ ergo sic: *Amplius in rebus nec erit sublime molestum.*
r Græcè. Æquales erũt campis mõtes, & cunctum mare innauigabile fiet.
f Græcè. Orbis facinus.

Stultorum facinus mœrens, mundique dolores:
Et chaos effundet, & sattata terra dehiscent:
Regesque ad solium sistentur numinis omnes,
Vndique de cælo fluet igneæ sulphure mysto,
Atque omnes homines signum præsigne notabit
Tempore eo lignum, cornu peramabile fidis
Oppositum mundo casus, sed vita piorum,
Respergendo lauant duodeno fonte necatos.

4\. Interea, quocunque tandem modo, vel quibus literis, hoc sanctissimum nomen scriptum velis: istud certum est, ad illud vnicuꝫ è multis & magnificis Christi cognominibus, omne genu curuandum esse, non tantùm in honoris & reuerentiæ signum, inquit Alexander Halensis, verùmetiam, in officium grati animi, propter insigne illud redimitæ nostræ, & salutis humanæ beneficium. In alijs namque nominibus, sola Christi gloria, in hoc Iesu nomine, nostra salus designatur. Quod enim Verbum Dei, Filius Dei, manus & dextra Dei, Christus, & brachium Domini, appelletur, psal. 88. *Manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.* Psal. 73. *vt quid auertis manum tuam & dexteram tuam de medio sinus tui:* Ps. 131. *Paraui lucernam Christo meo*, & alibi sæpè, hoc ad Christi gloriam præcipuè pertinet: *Iesus* autem, quod Saluatoris est nomen, ineffabili amore grauidum, & ipsius Christi gloriam, & nostrā continet salutem. *Ideò σωτὴρ, hoc est, Saluator, ideò Iesus, sicut Angelus dixit, quia saluum fecit populum suum*, inquit D. Ambros. serm 6. in psal. 118. & D. August. 22. de Ciuit. Dei, cap. 22. *Nomen Iesu, interpretatur Saluator*, lib quoque 17. cap. 18. *Clamat & psalmus sexagesimus septimus, Deus noster Deus saluos faciendi, & Domini, Domini, exitus mortis. Quid apertius diceretur? Deus enim salutis faciendi, Dominus est Iesus quod interpretatur, Saluator, siue salutaris. Nam ratio nominis huius hæc reddita est, quando priusquam ex virgine nasceretur, dictum est: Paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. In quorum peccatorum remissionem, quoniam sanguis eius effusus est; non vtique oportuit eum de hac vita exitus alios habere quàm mortis.* Rufinus autem Aquileiensis in symbolum, ad calcem operum D. Cypriani, *Iesus Hebræi vocabuli nomen est, quod apud nos Saluator dicitur:* & primò quidem, vt aduertit Dionysius Carthusian. in Lucam, à saluandi potentiâ, quomodo nomen illud, Iesus, Seruatoris nostri proprium est ab æterno, videlicet, secundum suam Diuinitatem, quâ ab æterno habuit saluandi potestatem. Secundò, ab habitu saluandi, atque ita impositū ei fuit ab Angelo, & à primo instanti conceptionis suæ ei competit, in quo secundum humanitatem suam, eā gratiæ plenitudine donatus est, quâ valuit & mira operari, & inaudita proferre, per quæ actualiter mundum sanauit. Tertiò ab actu saluandi, sicque nomen istud in circumcisione datum est ei, & passionis suæ ratione ei competit, cuius arrhabonem, cùm circunciderentur, dedit, effuso primùm suo in nostram salutem cruore. Quam ob rem, quemadmodum non vnius tantum est naturæ in Christo, saluare, sed vtriusque: diuinæ quidem authoritatiuè & principaliter humanæ verò instrumentaliter, itidem Iesus nomen, nō vni tātùm, sed vtrique naturæ tribui potest: siquidem de Deo trino & vno scriptum est Abacuc. 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Septuaginta. *Salutari meo*, vel, *Saluatore meo.* Chaldæus in *Deo factore redemptionis meæ:* sed vt Iansonius in Canticum Abacuc adnotauit, meliùs quidam codices Latini habere videntur, *Iesu meo*, quàm hi qui volentes id Latinè ponere, nomen ipsum nō posuerunt, etenim *Iesus nomen est amicius & dulcius nominare quàm salutaris*, inquit D. August. lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 32. propterea D Hieronymus nequaquam vertit, in Deo salutari meo, aut in Deo salute mea, sed in Deo Iesu meo: quemodo Prophetam nomen ipsum scripsisse arbitratur Ribera, punctis verò lectionis varietatem induxisse. *Et quia filius Dei idem filius hominis est*, inquit D. Ambros. in epist. ad Titum cap. 4. *& Iesus dicitur & Christus, vt & homo significetur & Deus, duobus nominibus nuncupetur. Vtroque tamen nomine, dignitas designatur.* Et in cap. 2 epist. ad Philippen. *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu, id est, Deo & homine. Ante incarnationem enim, aut Christus potest dici, aut Iesus, quia simul ambo nomina, & hominis filium, & Dei filium significant.* Christi autem nomine Trinitatis mysterium significari, scribit D. Gregorius Nyssenus tract. 2. in psal. 11. explicans, illud Isaiæ 49. *Posuit me vt telum electum, & in pharetrā suā exaltauit me*, totidem verbis: *Hoc telum est Domini sermo viuus, penetrabilior omni gladio ancipiti: sermo autem iste Christus est, quo nomine Trinitatis mysterium significatur. Reuocat enim in mentē, & eū qui vnxit, & eū qui vnctus est, eūque quo vnctus est: si enim vel vnū horū desit, Christi nomē nō subsistit. Huius igitur nomē quādo in pharetrā nostrā exaltatur, hoc est, quando in animā nostrā per fidem exoritur (nam pharetra sermonis est anima) tunc confestim aduersarius qui nos insequitur & impetit, interit, & occumbit, cuius interitus in ligno accidit.* Viden autem vt velit nos Christum siue Christi nomen sanctissimum in animæ nostræ pharetrā portare, idque aduersus hostium impressiones educere?

Quia tamen diuersa est vtriusque nominis ratio: nam Christus à chrismate dicitur, *quia sicut antiqui reges*, inquit D. August. serm. 131. de tempo. *à Sacerdotibus oleo sacro perfundebantur, sic Dominus noster Iesus Christus, Spiritus sancti infusione repletus est:* & D. Gregor. Nyssen. de perfecti Christiani formâ, *Christi autem nomine regnum significatur imperiū*, cuius amplitudo omni dignitati & potentiæ, & principatui antecellit: vnxit Christum Pater, oleo lætitiæ præ consortibus suis, vnxit & misit plenum gratiæ & veritatis. *Aliam significationem habet Iesus*, ait D. August. tract. 3. in epist. D. Ioan. *aliam habet Christus. Cùm sit vnus Iesus Christus Saluator noster: Iesus tamen propriū nomen est illi. Quomodo Moises proprio nomine appellatus est, quomodo Elias, quomodo Abraham: sic tanquam proprium nomen habet Dominus noster Iesus: Christus autem, sacramenti nomen est, quomodo si dicatur Propheta, quomodo si dicatur sacerdos. Sic Christus commendatur vnus, in quo esset redemptio totius populi Israël.* Sicut Ozeæ. 1. dicitur Iehouam seruaturum domum Iehudam, in Iehoua Deo suo, atqui nonnisi in Christo & per Christum seruatur, Quis enim est Christus, nisi in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbū.

Similiter, quum Iesus vocatur, Deus esse ostenditur, quia à peccatis saluare nemo potest, nisi Deus. Isa. 43. *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Vbi ergo, aut Deum, aut hominem vult significare scriptura, inquit D. Ambros. in c. 2. ep. ad Philip. vnum è duobus ponit, aut Iesum, aut Christum. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum.* Christus propter se & propter me vocatus est: Iesus, propter me tātùm.

Excellentia nominis Iesu.

5\. QVàm admirabile est nomen tuum Iesu, in vniuersâ terrâ: ô Pater æterne, eleuata est magnificentia tua, nomen tuum, quo te nominasti, verbum tuum, Iesus meus, super omnes cælos: Iesus meus, est Patris magnificentia: figura & imago substantiæ Patris, essentia ipsa patris, referens in se paternarum perfectionum plenitudinem: velut enim omnis omninò perfectio in Patre est, cuius portiunculas, multiplicibus nostris nominibus seclusa omni imperfectione, nominamus; ita in patris magnificentiâ, in Iesu meo, omnia cōcluduntur, quibus veritas, scientia & potentia signifi-

Margin notes: Psal. 88. Psal. 73. & 131. Psal. 68. Abac. 3. Isa. 49. Hebr. 4. Isa. 43. Psal. 8.

significatur. *Multa quidem sponsi vocabula per omnem diuinam paginam legisti*, inquit D. Bernard. serm. 15. in Cant. *sed in duo ea vobis vniuersa complector. Nullum (vt arbitror) reperietis, quod non aut pietatis gratiam, aut potentiam maiestatis sonet. Spiritus ita dicit etiam per sibi familiaris organum; Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: Ergo secundum maiestatem, sanctum & terribile nomen eius. Secundum pietatem, non est nomen aliud sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* Pulchre D. August. de verbis Apostoli serm. 8. *Iesus enim quid est? Interpretatur Iesus, Saluator. Saluator est Iesus: quos non saluat, non habendo quod in eis saluet, non est illis Iesus.* Et serm. 14. *Si autem saluos fieri oportet nos in hoc nomine, sine hoc nomine procul dubiò, nec saluus erit, qui sine Christo promittitur paruulus*, quia sicut in regno mortis sine Adam, ita in regno vitæ nemo sine Christo: non est in alio aliquo salus, quam vita immortalis, in mortalis vitæ suæ exordijs operatura, meritò dum circunciditur, Iesus est appellatus, *hoc est, Saluator*, inquit D. Bernard. serm. 1. de circuncisione, *quia ex hoc iam Saluator fieri cœpit quod sanguinem suum fudit pro nobis.* Et serm. 1. *Vocatum est*, inquit, *nomen eius Iesus, ante conceptionem ab Angelo, & post natiuitatem ab homine, quia idem est Saluator Angeli & hominis: sed hominis ab Incarnatione: Angeli ab initio creaturæ.*

Psal. 61.

4.

Admirabile nomen *Iesu*, quia quidquid diuinum, humanúmve in cæteris nominibus, quæ Patribus reuelata sunt, fuit, hoc vnum Iesu nomen comprehendit: velut enim æs, argentum, stannum, quæ secundum se sumpta sonum suum particularem habent, mixta simul & in campanam conflata, grauiorem vel acutiorem sortiuntur: ita quidquid diuinorum beneficiorum sub alijs Dei nominibus, Patribus insonuit, in hoc vno Iesu nomine conflatur in vtero Virginis, sonatque grauiùs & acutiùs, non vt ante, vni populo, sed populis & nationibus vniuersis, Apostolis tanquam ventis, sonum eius in omnem terram vehentibus. Et sicut vnguentum pretiosum ex multis aromatibus odoratisque rebus cõficitur: ita Iesu nomen, quidquid odoramenti in creatis, atque increatis rebus est, complectitur. *Voca*, inquit Isaias cap. 8. *nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari.* Et cap. 9. *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Hæc, & his ampliora hoc Iesu nomine continentur, & bona cuncta quæ ad salutem nostram vllâ ratione conferre possunt. Nõ solùm vnum est bonum Iesus, vt inquit Origenes, sed omnia bona de quo Isa. 52. *Quàm pulchri pedes annunciantis bonum, prædicantis salutem.* Vita bonum est, Iesus est vita: Resurrectio bonum est, Iesus est resurrectio: lux mundi bonum est, Iesus est lux mundi. Et ita deinceps Origenes dicens, quod Iesus est veritas, via, ostium, sapientia, potentia, thesaurus denique omnium bonorum. Vnde Euangelizare Iesum, quid aliud est, quàm euãgelizare bona vniuersa, siquidem multitudo bonorum est Iesus, eò quòd in ipso complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter habitare. *Fons, ibi est, vbi Christus est*, inquit D. Ambr. in ps. 44. *Fons est vt aquæ superfluant requirentibus, quo & vniuersa carnis vel flagitia diluuntur, vel restinguantur incendia*: de quo fonte scriptum est, Zachar. 13. *In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Significatio excellentissima nominis Iesu. Fons, & fons patens; non absconditus, sed cuique requirenti obuius. Quid gratius, quid amabilius peregrino, arentibus & siti hiantibus faucibus, fonti patenti occurrere? fons est patens Iesus: si quid ex hoc fonte emanet quæris; memento fontem hunc esse Iesum, & ex hoc fonte in nos deriuari omne bonum: quare & fons salutis erit, inquit Ribera in cap. 13. Zach. num. 18. semper ex eo fluit salus, perennis fons est, nullis hominum peccatis arescit: Si quis accedere volet, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino: quantumuis sitiat, restinguet sitim, quantumuis sordibus sit, abluetur. Fons est, ex quo fonte in hominis salutem alij septem fontes fluunt sacramenta septem, vnde quilibet hauriat aquã de fontibus Saluatoris iugiter manãtibus. *Omnia igitur habemus in Christo*, inquit D. Ambros. lib. 3 de Virginibus sub finem, *Omnis anima accedat ad eum, siue corporalibus ægra peccatis, siue clauis quibusdam secularis cupiditatis infixa, siue imperfecta adhuc quidem, sed intentâ tamen meditatione proficiens: siue multis atque sit iam perfecta virtutibus: omnis in Dominî potestate est, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si indiges auxilio, virtus est: si mortem times, vita est: si tenebras fugis, lux est: si cælum desideras, via est: si cibum quæris, alimentum est. Gustate ergo & videte quàm suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.*

Isa. 8. & 9.

Isa. 52.

Zachar. 13.

6\. O fontem totius boni, ad quem desiderat anima mea fugiens à facie persequentis, vt fatigata, eius refocilletur aquis, ægra curetur ab arrhostematis siue ægrotationibus suis, sordida abluatur, languida, & in viuo corpore mortua perfundatur ad vitam. Tu Siloë fons, in quem qui se immiserit æger in Trinitatis nomine, sanatur. Æger sum, ad te recurro, sana me: dele mi Iesu, dele in me quod feci, salua quod fecisti, opus meum opus mortis, opus tuum, opus vitæ: quia nomen tibi Iesus, qui solus verè es Iesus. Fuerint quidam alij vocati Iesus, nemo tamen Iesus, sicut Iesus meus, quia nemo saluator: solus meus Iesus saluat populum suum à peccatis eorum. Idcircò, non frustra *Oleum effusum nomen tuum. Non vinum est effusum*, inquit D. Bernard. (*nolo enim intres in iudicium cum seruo tuo*) *sed oleum, quia coronas me in misericordiâ & miserationibus. Oleum planè, quod dum supernatat, cunctis quibus miscetur liquoribus, liquidò illud designat nomen, quod est super omne nomen: ô nomen præsuaue & prædulce: ô nomen præclarum, prælectum, & præexcelsum, & superexaltatum in sæcula. Hoc verè oleum quod exhilarat faciem hominis, quod caput ieiunantis impinguat, vt oleum peccatoris non sentiat. Hoc nomen nouũ quod os Domini nominauit, quod & vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Hoc non solùm Iudæus, sed quicunque inuocauerit, saluus erit, in tantum vsquequaque effusum est. Hoc Pater donauit Filio, sponsæ Ecclesiæ nostræ.* Sed nunquid Sinagoga alios habuit appellatos nomine, Iesus? Habuit, sed inane & vacuum fuit illorum nomen, ideò neque explicati sunt salutares, vel saluatores: quòd si populi particularis duces cõstituti, à temporali miseriâ aliquâ illum seruarint, non est ab eis vera salus, qui typus fuerunt mei Iesu, à quo est vera salus, quia saluat nos à peccatis nostris, quæ est miseria miseriarum. Ideò non illorum, sed mei Iesu nomen, est oleum effusum, non reclusum, non absconditum, non vni oblatum nationi, sed orbi vniuerso. *Hoc planè testimonium Israël ad confitendum nomini Domini*, inquit D. Bern. serm. 14. in Cant. *[illegible] nomen Israël secundum carnem, sed eius qui secundum spiritum est. Nam hoc ille quo pacto dicat? non quod non habeat oleum, sed non habet effusum. Habet, sed reconditum habet in codicibus, sed non in cordibus: foris hæret in litera: contrectat manibus vas plenum, sed & clausum, nec aperit vt vngatur. Intus, inquit, est vnctio spiritus, aperi, & vngere, & iam non eris domus exasperans. Quid facit oleum in vasis, si non sentias & in membris? Quid tibi prodest plùm Saluatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus?*

Bern. serm. 16. in Cant.

Cant. 1.

Ps. xxx.

7\. Sed audiamus, quomodo hoc nomen effusum

est

est vt oleum. *Hoc nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster*, inquit Ierem. 23. *Nomen potentiæ est*, inquit D. Bernard. serm. 15. in Cant. item, *& vocabitur nomen eius Emmanuel*. Isa. 7. *pietatem insinuat: item ipse de se: Vos vocatis me aut Magister & Domine. Primum Gratiæ est: secundum maiestatis. Non enim minus piũ est docere animas scientiam, quàm præbere escam corpori. Rursum Propheta; vocabitur, inquit, nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Primum, tertium, quartum, maiestatem sonant; reliqua pietatem.* Prosequamur hanc D. Bernardi sententiam, & inueniemus nomen Domini, fusum in se, infusum Angelis, & effusum in homines. *Quod horum ergo effunditur*: inquit. *Profectò maiestatis & potentiæ nomen, in id quod est pietatis & gratiæ, quodammodo transfunditur, ipsumque effunditur abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum. Nomen (verbi caussa) quod Deus est nonne in id, quod est nobiscum Deus, hoc est, in Emmanuel, liquescit & deficit: sic admirabilis, in id quod est, consiliarius, si Deus & fortis, in ea quæ sunt, Pater futuri seculi, & Princeps pacis. Et Dominus iustus noster, misericors & miserator Dominus. Non dico nouũ quid: quondam quoque nihilominus, Abram in Abraham, & Sarai in Saram effusa fuit, & iam tunc salutiferæ effusionis celebratum præfiguratumque mysterium recordamur. Cùm venit plenitudo temporis, facta effusio nominis, Deo quod per Ioëlem promiserat, adimplente, & effundente de spiritu suo super omnem carnem, cuius tale aliquid & apud Hebræos olim contigisse legam. Quale erat, quod sciscitanti Mosi primo responsum est: Ego sum qui sum, & qui est, misit me ad vos: Nescio an vel ipse Moyses caperet sic, si non videlicet, effunderetur. Sed fusum est, & captum est. Nec modo fusum, sed & effusum. Nam infusum iam erat. Iam cæli habebant illud: iam Angelis innotuerat. Est autem foris missum & quod Angelis ita erat infusum vt esset & priuatum; effusum & in homines est, ita vt iam tunc meritò clamaretur de terra, Oleum effusum nomen tuum, si non ingratæ plebis exosa peruicacia obstitisset: Ait enim, Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Currite gentes, ad manum est salus, effusum est nomen, quod quicunque inuocauerit, saluus erit.* Inuocabat ille qui dicebat, *Memor fui nocte nominis tui, Domine*, ps. 118. vbi D. Ambros. serm. 7. *Quod autem ait, Memor fui nominis tui, pia deuotio est, quia nemo dicit Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.* Auctor quæstionum in nouum testamentum, apud D. Augustinum tom. 4. quæstione 53. *Ergo Photinus, qui negat Christum Deum, potest Dominum nostrum Iesum Christum in Spiritu sancto fateri? & Marcion, & Manichæus, qui negant Christum in carne venisse, hi in Spiritu sancto possunt dicere, Dominum Iesum Christum? vel meretrices & impuri, cùm Spiritus sanctus non habitet in corpore subdito peccatis, & in maleuolam animam non intret sapientia*: Nemo itaque potest verè dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto inhabitante: *Nec fieri potest*, inquit B. Theodoretus, *vt qui à diuino spiritu agitur, Christum à diuinâ naturâ alienum pronuntiet: nec rursus vt ipsum Deum purè & sincerè confiteatur, nisi ab illâ gratiâ illuminetur.* Prosequitur D. Bern. Oleum misit in Iacob, & cecidit in Israël. Et, *Non solùm in Iudæam, sed etiam in omnes gentes, quatenus ab vno nomine, quod est Christus, millia millium credentium, Christiani dicuntur, & dicunt, Oleum effusum nomen tuum. Agnosco enim nomen, quod in Isaiâ legi: Seruos suos*, inquit, *vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Domino, amen.* Audiamus hic Epictetum: Si Cæsar te adoptasset, quis supercilium tuum ferret? Nunc cum Dei filius sis, non te æstimas & attollis? Christiani eodem modo erga Christum se gerere debent, quo milites erga suum Imperatorem: Ita D Greg. Nyssen. orat. de occursu Domini: *Quemadmodum enim cùm Regem exercitus sui magnificâ pompâ comitari, atque producere parant, aurà sectos atque delectos esse, & formæ illius clarissimæ expressam imaginem præferre, atque gestare conuenit eos, qui ad satellitium & custodiam corporis eius collecti sunt: eodem modo necesse est, vt nos nosmetipsos renouatione mentis, & animi nostri transformantes, & veterem hominem deponentes, & quoad homines id assequi possunt, diuinæ imaginis similitudinem, in nobis circumferentes, atque gestantes, ita tandem in salutaribus & spiritualibus diei huius festis prodeamus & conueniamus, in lætitiam, & bonos dies festos.* Festus autem dies ille, & lætitia cordis, quum hi qui Christi censentur, nihil in se funestum habent, quod Christo, & Christiano nomini aduersetur. *Si quis igitur nomen quidem Christi sumat, quæ verò vnà cum hoc nomine considerantur, vitâ non exprimat, neque repræsentet: is nomen ementitur*: inquit D. Gregor. Nyssenus epistolâ ad Harmonium, de professione Christianâ: in quem quadrat, quod de simiâ vulgo narratur, ibidem sub epistolæ initium, totidem verbis: Aiunt enim quendam in vrbe Alexandriâ circulatorem, & præstigiatorem exercuisse ac docuisse simiam, vt agilitate quadam in formam & habitum saltatricis sese componeret, eique saltatricis apposuisse personam, ac vestem circumdedisse exercitio conuenientem: & cùm chorum ei adhibuisset, placuisse, ac celebratum hominum sermone, in pretio fuisse propter simiam, quæ ad cantilenæ modos ac numerum sese flecteret, contorqueretque, ac per omnia, quæ & faciebat, & facere videbatur, naturam occultaret. Cùm autem capti essent rei nouitate spectatores, quendam cæteris astutiorem ibi fuisse, qui ludo quodam inhiãtibus spectaculo ostenderit simiam esse simiam. Acclamantibus enim cunctis & applaudentibus agilitati simiæ, ad cantum & modulationem aptè se mouentis, & circumagentis, proiecisse eum aiunt in orchestrâ ex bellarijs ea, quæ talium bestiarum ingluuiem attrahunt atque inuitant: illam verò nihil cunctatam, vt viderit ante chorũ dispersa amygdala, oblitã & saltationis, & plausuum, & vestis ornamẽtorum accurrisse ad ea, & manuum palmis collegisse, quæ inueniret: & ne impedimento esset, personam cri detraxisse celeriter, atque vnguibus suis assimulatam formam corrupisse, atque dilacerasse atque ita pro laudibus & admiratione risum abundè spectatoribus mouisse, vt quæ turpis ac ridicula ex persona reliquijs se conspiciendam præberet. Quemadmodum igitur illi non satis fuit falsa atque assimulata adscitaque forma, ad hoc vt homo existimaretur, deprehensâ per ingluuiem bellariorum, naturâ: ita qui non verè ipsam naturam suam fide formauerint, facilè per diaboli escam & ingluuiem conuincentur, quòd aliud sint atque præ se ferant ac profiteantur. Pro caricis enim vel amygdalis aut huiusmodi aliquo cibo, vana gloria, ambitio lucri, voluptatisque studium, & quæcunque sunt alia huiusmodi mala, diaboli annona loco bellariorum auidis hominibus proposita simiarum similes animos facilè produnt, qui per fictam imitationem Christianismum simulant, temperantiæ, mansuetudinis, aut alicuius alterius virtutis personam in tempore afflictionum & calamitatum sibi detrahentes, & amouentes. Hactenus D. Greg. Nyssen.

Simia semper simia.

8. Haud ergo quisquam agit choros, & dies festos Domini in lætitiâ cordis sui, qui quidem Christiani vocabulo insignitur, at verò Christiani opera non habet: atrociusque sub sancti nominis professione peccatur. vbi enim sublimior est prærogatiua, maior est culpa, inquit Saluianus, & ipsa etiam errores nostros religio, quam profitemur, accusat. Vacuum est, sine re, vocabulum, inane est Christiani nomen, quod non lucet obseruantiâ mandatorum Christi: immo ne nomen est quidem, quia cessantibus meritis, Christianus etiam nomen perdit: quod

in

Ierem. 23. Isa. 7. Ioan. 13. Isa. 9. Ioël. 2. Exod. 3. Ps. 118. 1. Cor. 12. Isa. 65.

in hunc modum ostendit Saluianus lib. 4. de vero iudicio, & prouidentiâ, totidem verbis: *Duodecim Hebraeorum tribus, cum electae quondam à Deo essent, duo nomina sacrosancta acceperunt: populus enim Dei, & Israël appellatae sunt. Sic quippe legimus, Audi populus meus & loquar: Israël & testificabor tibi. Ergo Iudaei aliquando vtrumque, nunc neutrum. Nam nec populus Dei dici potest, qui cultum Dei tam olim reliquit: nec videns Deum, qui Dei filium denegauit, sicut scriptum est: Israël verò me non cognouit, & populus me non intellexit. Propter quod alibi etiam Deus noster de Iudaicorum plebe loquitur ad Prophetam dicens: voca nomen eius non dilecta: Et iterum ad Iudaeos ipsos: vos non estis populus meus, & ego non sum Deus vester. Cur autem hoc de eis ipse diceret, ipse alibi euidenter ostendit. Sic quippe ait: Dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Et iterum: Verbum, inquit Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in illis.* Ecce vt ab effuso nominis sanctissimi oleo, etiam illi in quos effusum fuit alieni fuerunt, vt verè vncti non essent, quum verè vngatur nemo, nisi qui de plenitudine eius meruerit accipere. Diuus Bernardus. *O nomen benedictum, oleum vsquequaque effusum. Quousque? De caelo in Iudaeam, & inde in omnem terram excurrit*: velut gutta olei, si in vestem inciderit, latè diffunditur; ita nomen Iesu, in Iudaeam incidens, non intra Iudaeae fines haesit, sed in omnes terrae plagas vsquequaque diffusum est: *& de toto orbe clamat Ecclesia: Oleum effusum nomen tuum. Effusum planè, quod non solum caelos terrasque perfudit, sed aspersit & inferos, adeo vt in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, & dicat, Oleum effusum nomen tuum. Ecce Christus, ecce Iesus, vtrumque infusum Angelis, vtrumque effusum in homines, & in illos homines, qui computruerant tanquam iumenta in stercore suo, homines & iumenta saluans, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam Deus. Quam carum, quam vile, vt e, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur: si salubre non esset, non me lucraretur.* Addo: si carum non esset, non me redimeret: *empti enim estis pretio magno*, inquit Apostolus, *glorificate & portate Deum in corpore vestro*, qui se fecit pretium redemptionis nostrae, tantâ liberalitate sese totum effundens, ac si res leuiusculi momenti esset.

Isa. 1.

Osee 1.

Ierem. 2. & 8.

1. Cor. 6.

9. Iesu inuocatione ignis inferni extinguitur.

Agnosce debitum, Christiane, & reuerere Iesum, vt non defluat e capite tuo oleum tanti nominis, quo vnctus es, & tibi pereat. Horret infernus & contremiscit, quia suos ignes hoc oleo extingui videt, quos iniquitatis aqua accendit. *Sanctum & terribile nomen eius*, inquit Vates Regius psal. 110. in quem locum D. Chrysostomus, *Plenum stupore, plenum admiratione. Quod si tale est eius nomen, quantò magis substantia? Quomodo autem est eius nomen sanctum & terribile? Pertimescunt & contremiscunt daemones: id morbi formidant & metuunt. Eo nomine vsi Apostoli per vniuersum orbem terrae se praeclarè gesserunt. Eo Dauid armorum loco vsus, barbarum illum prostrauit. In eo res innumerabiles rectè & praeclarè gestae sunt. In eo sacris initiamur mysterijs. Considerant ergo, quot & quanta faciat hoc nomen miracula, quot beneficijs afficiat, & res apud se reputans, quae omnem naturae consequentiam, & humanam naturam superant, dicit, sanctum & terribile nomen eius.* Ad huius nominis inuocationem, torpent daemonis in tormenta vires, & ingenium: Caesarius lib. 12. cap. 38. S. Antonin. 4. parte. Historia Lombardica, legenda 49. Mombrit. to. 2. & alij: quum D. Patricius conuertendis ad fidem Hibernis operam daret, ipsi verò, poenas post obitum peccatis expiandis superesse, credere nollent, puteum altissimum à Domino impetrauit, vnde eiulantium exauditae voces, quem purgatorium S. Patricij appellarunt: in hunc poenitentiae caussâ ingressi, & à daemonibus in diuersa tormentorum variorum loca, ad ipsum vs-

Psal. 110.

S. Patricius.

que inferni puteum, nō sine maximis cruciatuū doloribus rapti, inuocato nomine Iesu sub hac formâ, Iesu Christe, fili Dei viui, miserere mihi peccatori, & tormentis & daemonibus ipsis superiores euadunt, nihil illis vltrà in eodem poenarum genere, ad tam robusti nominis inuocati praesentiam valentibus.

Beatus Abramius, de quo D. Ephraem Syrus in eius vita, totidem verbis; cùm mediâ nocte staret, & psalleret, repente lux magna in cellâ eius refulsit, & vox quasi multitudinis cuiusdam audita est dicens: beatus es Domine Abrahami; verè, inquam, beatus es; quoniā nullus in cunctis rectè factis inuentus est sicut tu; nullusque ita voluntates meas perfecit vt tu. Subito autem vir Dei beatus, dolum maligni cognoscens, exaltauit vocem suam, & dixit: Tenebrae tuae tecum sint in perditionem, ô plene dolo atque fallacia: homo enim peccator sum ego; quia tamen caritatem Dei mei habeo, & spem in ipsum, atque auxilium; in nullo ego te, & tuas insidias pertimesco, neque plurima tua phantasmata ac species terrorem mihi incutiunt. Pro muro siquidem munitissimo, est mihi nomen Domini mei & Saluatoris Iesu Christi, quem dilexi, ac diligo, in quo te nomine increpo immundissime canis, et miserabilis nimis. Quae cùm ipse diceret, illico velut fumus a conspectu eius euanuit. Terribile nomen Iesu, quo maligni spiritus repelluntur, fugantur: copiosique conteruntur, profliganturque exercitus; etenim, vt inquit D. Chrysost. in psal. 43. *Sufficit Dei vel sola appellatio ad profliganda bella innumerabilia*: exemplo sit Achatius ille, decem millium hominum primicerius, qui Adriano & Antonino imperantibus, cùm Gadareni & Euphratenses conspiratione facta, Romanum Imperium, apertâ vi oppugnare aggrederentur, ex Armeniâ aduolans, Principibus auxilio fuit. Sed cùm rebellium millia centum essent, Caesarianorum verò sedecim tantùm, diffisi de suorum animis, Imperatores, vnà cum plurimis, salutem in fuga posuere. Achatius interea fugientium increpitans ignauiam, suos confirmat, Deosque victimis propitiare adoritur; sed ecce subitò longe grauiori percussus formidine, & ipse abiecto clypeo fugere compellitur, cui obuius Angelus Dei, adolescentis specie, admirabili splendore coruscans: quid mirum si tantus vos pauor inuasit, qui spem & robur omne in simulacris collocatis: proijcite Deos istos, & solum Deum immortalem caeli terraeque conditorem colendum suscipite, qui vnâ noctium, vnici Angeli ministerio, tria & octoginta hominum millia Regis Assyrij deleuit. Suscipite filium eius Iesum Christum, qui vos sacro suo cruore expiauit, in hunc spem omnem vestram defigite, & praeclarissimâ victoriâ potiemini. Acquieuit Angelo cum suis Achatius, moxque sublato in caelum clamore, atque Iesu nomine inuocato, in hostium copias impetum fecerunt, fuderuntque. Hac exultantes victoriâ, atque sanctissimi nominis potentiam praedicantes, Angelus in Ararath montem deduxit, vbi, septem aliorum Angelorum ministerio fidei Christianae mysterijs instructi, ita altè oleum istud odoratum nominis Iesu imbiberunt, vt nullâ tormentorum vi, ab ingratis Imperatoribus, ab eorum cordibus auelli potuerit, qui tandem, Christum praedicantes, & hunc crucifixum, crucibus ad vnum omnes suffixi sunt: de quibus Baronius 22. Iunij. Beda hac die, Zacharias Carthusianus, de rebus gestis Sanctorum, & alij.

B. Abramius.

Achatius.

Verè sanctum & terribile nomen eius. Sanctum caelitibus, sanctū mortalibus nobis, terribile inferis,

terribile

terribile impijs; quanquam & illis quoque sanctum, quia ei curuatur omne genu: est oleum in omnes effusum, infusum paucis: infunditur iustis, effunditur impijs, vt & ipsi accedant, & infundantur, & hauriant salutem de fontibus Saluatoris. effunditur & inferis, vt leuiùs quam pro meritis torqueantur: infunditur superis conquiescentibus & condelectantibus in Deo Iesu suo; infunditur Christianis, vt hoc oleo, tanquã charactere indelebili, in Christi familiam adsciti censeantur. *Et quid mirum si sponsi effusum est nomen*, inquit D. Bernard. *cùm ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Denique ait, Sicut aqua effusus sum. Effusa est plenitudo Diuinitatis habitans super terram corporaliter; vt de illâ plenitudine omnes qui corpus mortis gestamus, caperemus, ac vitali odore repleti diceremus, Oleum effusum nomen tuum.*

Philip. 2.

II. Olei, oleæque dignitas

Cur verò oleum? Magna est profectò olei, oleæque dignitas & virtus. Iacob. Genes. 28. lapidem quem capiti suo supposuerat, erexit in titulum, & fundens oleum desuper in domum Dei consecrauit. Primaria Ecclesiæ sacramenta, & instituta sine oleo & vnctionibus non complentur, veluti Baptismus, Confirmatio, Extrema vnctio, Ordinis sacramentum, Episcoporum consecratio, & Regum inauguratio. Templa, ne profana sint domus & communis, sed sacra, inunguntur. Oleum enim, inquit Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 5. est communissimum & euidentissimum signum consecrationis: quia enim est liquor nobilissimus, quippe qui omnibus supereminet, & maximè omnium penetrat & sanat ac roborat, ac demùm res illustres facit: ideò placuit omnibus gentibus, & ipsi etiam Deo, illo vti ad consecrationem significandam. Hæc ille. Thomas Bosius lib. 2. cap. 6. olei dignitatem inde colligit: primò, quòd oleum efficacissimum sit aduersus venena remedium, corpus nutriat & confirmet, ferrum molliat, ignis alimentum sit conuenientissimum, à rubigine, tineis, & carie præseruet: solidis corporibus, vt ferro, ligno, lapidibus, alijsque huiusmodi splendorem inducat: res qualcunque permeet, atque etiam ad ossa vsque penetret, teste Aristotele problem. 22. sect. 31. vnde est illud psal. 108. *Fiat sicut oleum in ossibus meis*: glacietur nunquam: cæteris humoribus supereminecat: illo aspersi serpentes, subitò enecentur.

Psal. 108.

Secundò quòd oleum oculis admotum, prosit mirificè, quam ob causam, & alias quas prætereo, veterum mos fuit, oleo frequenter caput perfundere, Eccles. 9. *Oleum de capite tuo non deficiat.* Et Luc. 7. *Oleo caput meum non vnxisti.* Addo tamen quod scribit Plin. natur. hist. lib. 15. cap. 4. *Oleo natura tepefacere corpus, & contra algores munire. Eidemque feruores capitis refrigerare.*

Eccles. 9.
Luc. 7.

Tertiò, quòd antiquitùs vix vllus oleæ, oleíve vsus fuerit. An fortè, quia, vt, Hesiodo visum est, teste Plinio lib. 5. natur. hist. cap. 1. tam tarda tunc res erat olea, vt sator ex eâ fructum nunquam perceperit? At nunc, inquit Plin. etiam in plantarijs serunt, translatarumque altero anno decerpuntur bacchæ. An quia incognita veteribus olea, oleumque? Oleã Theophrastus, vrbis Romæ anno circiter quadringentesimo quadragesimo, negauit, nisi intra xl. mil. passuum à mari nasci: inquit Plin. ibid. Fenestella verò omnino non fuisse in Italiâ, Hispaniâ, atque Africâ, Tarquinio Prisco regnante, ab annis populi Romani clxxxiij. Et in fabulis est, inuentum oleæ Mineruæ deberi, quam quum inter, & Neptunũ coorta esset contentio, vter Cecropiam suo nomine vocaret, disceptantibus duodecim Dijs, ac ipso etiam Ioue; Neptunum ferunt, tunc percussâ tridente terrâ, equum produxisse Mineruam verò oleam, hoc erat signum pacis. illud belli. placuisse autem magis omen pacis; atque ita Mineruam Athenas nuncupasse. Ita Ouidius 6. Metamorphoseôn, & Virgilius 1. Georgicôn, inuocat in hunc modum,

Adsis ô Tegeæ fauens, oleæque Minerua Inuentrix.

Indeque factum est, vt Epidaurij, teste Herodoto lib. 5. cùm ex Delphici Apollinis oraculo, Danaë Acrisij filiæ statuas erigere iuberentur, neque indicata esset materia; percontantibus ergo an ex lapide, an ex ære, aliòve metallo essent dedicandæ, cùm ex oliuâ domesticâ reddidisset oraculum, ad Athenienses, apud quos oliua inueniri esset solita, confugerent. Cæterùm D. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei. cap. 9. ex Varrone, non à Mineruâ productam, sed illic repente apparuisse oliuam arborem, & alio loco aquam erupisse, Cecropem verò prodigijs motum, Delphicum oraculum sciscitatum misisse, ex eoque intellexisse, oleâ Mineruam significari, vndâ Neptunum, &c. Diodorus quoque Siculus, Mineruam olei quidem vsum docuisse, sed non inuenisse: & Iosephus Antiquitatũ lib. 3. Moisen primum omnium olei vsum in lucernis induxisse scribit. Cicero autem lib. 3. de Natur. Deor. Aristæo Apollinis filio oliuæ inuentum tribuit, olei, Plin. lib. 7. cap. 56.

Statuæ ex oleâ.

Sed facessant figmenta Poëtarum: Oliuam sanè à Deo satam ab initio fuisse, inficiari nemo potest, cùm Genes. 6. columbam cum ramo oliuæ in arcam reuolasse constet. Veruntamen, quòd extremis ferè mundi seculis, oliuæ honor, & olei vsus inoleuerit: quòd Oleæ honorem Romana Maiestas magnum præbuerit, vt refert Plinius, turmas equitum ex eâ coronando. Item minoribus triumphis, ouantes. Athenæ quoque victores oleâ coronarent; Græci verò oleastro Olympiæ, quòd veteres quum pacem postulatũ irent, supplicum more cum ramis oliuarum ad eos accederent, quos exoratos volebant, vt habet Dion. Halicarnass. lib. 7. Quod denique cùm aliàs priùs, tum maximè circa Incarnationis Dominicæ tempora, olei vsus mirificè propagari cœperit, magno miraculo erumpentibus è terrâ sponte olei fontibus, velut Romæ in regione Transtyberinâ, vt etiam scribunt Euseb. Cæsarien. & Orosius, & nos suprà cap. 8. §. 3. num. 3. in Siciliâ, Ciliciâ, & Armeniâ: è petrâ verò in agro Mutinensi: præterquam quòd inde magna colligatur olei dignitas, summâ quoque Conditoris & sapientiâ & prouidentiâ istud factum puta, vt nempe per hoc, mentes humanæ sensim, ad Christianæ religionis suscipienda principia præpararentur, quum viderent oleo vim quandam diuinam influendi communicatam esse potestatem: atque irradiante postmodum Euangelij luce, fidei nostræ mysteria, quæ maximè in vnctione consistunt, minùs auersarentur. Vtque nos Christiani ista legentes vel audientes, nostræ vnctionis admoneremur. Christus enim, id est, vnctus; & nos, qui membra eius sumus Christiani nuncupamur. Petra quoque Christi est symbolum super quam fundata est & vncta Ecclesia Dei.

Quartò & postremò, quòd è Sanctorum corporibus, oleum sanandis mortalium ægritudinibus & morbis idoneum emanare voluerit. Sudarit Dux ille Bruti, de quo Plutarchus in Bruto, ex brachiorum altero oleum quasi rosaceum tanta copia vt coërceri vix posset. Et in Æthiopiâ familia quædam, sudore suo tacta sic infecerit, vt elui notæ nullatenus possent: Non illi ad sanitatem

tatem liquores, ad vtilitatem nihil illi: at ex Diuarum Euphemiæ, & Catharinæ Senen. corporibus, sicut & ex Beati Ludouici Lermæ Ordinis Seraphici, qui in Insula Tanariffa sanctitate & miraculis claruit, & nonnullis alijs, fusus olei liquor, morbis curandis datur diuinitùs. His accedit, Diuos, oleo benedicto, mira in commodum & salutem hominum patrasse. Marci 6. vngebant Apostoli ægros oleo, & curabantur. Theodoretus in historia Religiosa scribit Symeonem Stilitem, cæteris admirationi fuisse, quod oleo stupenda circa infirmos patraret, cuius rei fama, cùm ad Regem peruenisset, & ipse oleum ab eo petitum misit; confluebant ad illum vndique olei quidpiam ab ipso & votis & supplici prece imperraturi. Diuus Aphruates, maleficium quo vir quispiam vxorem suam auersatus, meretricem deperibat, adhibito oleo dissoluit. D. Hospitius, oleo infuso cœcum illuminauit: & à muliere, tres malignos Spiritus à quibus obsidebatur, abegit: Gregor. Turon. lib. 6. histor. Franc. diuus Franciscus, micas panis oleo intinctas infirmis dabat, & sanabantur; S. Bonauentura in eius vita. Tempus me deficeret, si quæ Diuus Hilarion apud S. Hieronymum, quæ D. Bernardus, vt in eius vitâ scribitur lib. 3. cap. 5. quæ D. Gregorius, & alij, opera admiranda, olei benedicti vnctione patrarunt, recensere vellem.

Simeon Stilites.

12. Triplex olei qualitas maxime attenditur.

Et iam quærimus *cur oleum effusum nomen Domini*, cùm in oleo tanta agnoscimus mysteria? cur sudet brachium Dei Christus, & Iesu nomen piorum corda ita tenaciter, tingat vt eradi non possit? Pulchrè D. Bernard. serm. illo. 15. in Cant. *Est procaldubio inter oleum & nomen sponsi similitudo nec otiosè Spiritus sanctus alterutrum comparauit. Ego autem dico, in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, pascit, & vngit: si vos melius non habetis. Fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux cibus medicina. Vide idem nunc & de sponsi nomine, lucet prædicatum: pascit recogitatum: inuocatum lenit & vngit. Et percurramus singula. Vnde putas in toto orbe tanta, & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Iesu? Nonne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, & in lumine isto videntibus lumen, dicat meritò Paulus, fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino? Hoc denique nomen coram regibus & gentibus, & filijs Israël portare iussus est idem Apostolus: & portabat nomen tanquam lumen & illuminabat patriam, & clamabat vbique: Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuncians in omni loco Iesum, & hunc crucifixum.* Ad cuius Principis Apostolici ordinis imitamentum, D. Bernardinus, diuini verbi sementem quum per Italiam spargeret, in admirabile lumen tanti nominis populum inducturus, illud & corde, & ore & manu portabat, tanquam vexillifer summi Imperatoris nostri signum, quod castra venerarentur, sub quo mererent Christiani, & stipendia meritorum suorum reposita inuenirent. Fulget Sole clariùs hoc nomen, neque intuentium in se hebetat aut cœcat aspectum, sed diuiniori influxu illustrat, corroborat, obumbratque, ceu columna ignis noctium tenebras discutiens ad Israëlis ex Ægypto transitum; ceu columna nubis aduersus furentes persecutionis Pharaonicæ calores. Ad vmbram huius luminis, subsistit tenebrosus ardor, nec quod persequatur videt: ad lumen tanti nominis, illustratur fidelis, obcœcatur infidelis; fugatur tenebrarum potestas, morbi pelluntur, & ad æterna suspirantis animæ caligo, cedit. *Quomodo lux ista insplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos*, inquit D. Bernard. *quando de ore Petri tanquam fulgur egrediens, claudi vnius corporales plantas solidauit & bases, multosque spiritualiter cæcos illuminauit? Nunquid non ignem sparsit quum ait, In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula:* Et quid mirum, quum tale fulgur, tales ignes, suos iaculari docuerit Dominus, quum dixit, *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*: Emittebat quoque ille huius nominis flammas, de quo Ioannes Luc. 9. *Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illos Iesus, Nolite prohibere, qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* Quot saucti hoc lumine afflati diuinitùs ignota aliàs sibi idiomata barbara & intellexerũt, & elocuti sunt: Hilarion, agricolas à serpentibus venenatis læsos, olei lucentis huius infusione sanauit: Hieron. in eius vitâ. Idem habet Ruffinus lib. 2. hist. cap. 4. de discipulis S. Antonij: & Palladius in vitâ vtriusque Macarij. Aliique complures, ex vrbibus, prouincijs & regionibus venenata quæque illis infesta, ad splendicatem nominis Iesu flammam penitus excgerunt. Quot autem Sãcti propinatum sibi venenum in hac luce nominis Iesu, aut præsenserunt, aut vicerunt epotum? obscura quoque infuso oleo clarescere, compertum est: itaque vrinatores, quod in pelagi profundis extracturi sunt, vt videant, cùm eo peruenerint, quod immergentes sese oleum ore hauserunt, effundunt: Plin. lib. 2. nat. hist. cap. 3. mare omne oleo tranquillari & ob id vrinantes, ore spargere, quoniam mitiget naturam asperam, lucemque deportet: ita nominis Iesu oleum ex corde & ore fusum intellectus nostri caligini lucem adfert, ignorantiam pellit, veritatem aperit.

Ephes. 5.

Rom. 13.

Act. 3. Marci 16.

Luc. 9.

Hilarion.

13.

Nec tantùm lux est nomen Iesu, ait D. Bernard. *sed est & cibus. An non totiens confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fouet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur: insipidus est si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi nisi legero ibi Iesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus.* Quàm dulcis animæ cibus Iesus? Nemo est tam afflictis moribus, tamque despectæ pietatis, qui non cibo hoc refocillatus, aduersus mores improbos atque impietatem confortetur, corroboreturque, quique peregrinationis suæ diebus non perueniat tandem ad montem Dei Oreb. Huius nominis cibo saginatus Patriarcha Iacob, datoque osculo, Iosephi filij Proregis Ægypti, sceptri fastigio, quod crucis dominicæ figura fuit, inquit D. Ephræm, cuique inscriptum erat nomen Iesu, huic nomini adorato, nouissima verba sociauit dicens. *Salutare tuum expectabo Domine. Gen. 49.* siue, vt alij cum Procopio reddunt, *Iesum tuum expectabo Domine*, & exspirauit. & inuenta est dulcedo mellis sub linguâ eius: fauus distillans labia eius. Et Christiani, si vnquã de pinguedine cibi huius gustauerunt, tum verò maximè refici illo debent, atque aduersus dæmonum insultus, quos destituti hoc cibo superare nequeunt, aliaque salutis suæ impedimenta, roborari, quum ex hac vitâ sese abire sentiunt; hoc mel in ore, hoc in aure melos, hunc in corde iubilum habere debent: quemodo Diuum Paulum legimus tyranni gladio, pro confessione huius nominis ceruice recisâ, atque à corpore auulsâ, prolato, quod altè imbiberat nomine Iesu, mellis dulcedinem quæ sub lingua eius erat exhalasse: Non valent tartarei leones cor illius attingere, quod hoc cibo præmunitum inuenerint, corpus Sanctissimi Iob dilacerent, fortunas rapiant, flammis, ferro, cætera vorent auidissimè, quid in animam possunt huius nominis inunctam

Gen. 49.

D. Paulus.

ctam pinguedine, nisi exhibere custodiam? *Veruntamen*, inquit Dominus Iob. 2. *animam illius serua*. D. Ignatius Martyr, vt habet Surius, tanquam frumentum Christi, bestiarum dentibus contritus & commolitus fuit, cordi tamen eius ferarum pepercit immanitas, quæ res, cùm admirationi esset, placuit cor Martyris aperire, quod dissectum, nomen illud sanctissimum Iesu, quo impinguabatur, quod bruta venerabantur, aureis inscriptum literis, exhibuit. Sed quantus, nomen illud, in corde eius iubilus fuit, quum cibum illum suauissimum, dilaniatis famelicâ ferarum rabie faucibus, præreptoque spiramento cordis, vocalibus arterijs eructare ampliùs non valuit, verùm in ipso penetrali cordis rutilanti splendore fulgidus resedit? Vt nouerit Christianus, vel inter ipsas languoris, morborum, mortisque angustias; intercluso faucium spiramine, nomen illud sanctissimum corde agitare, cibum illum vitalem, in ventrem cordis demittere, vt dulcedo mellis sub linguâ cordis eius, velut in ore fortis inueniatur, & iubilus.

Iob. 2.
D. Ignatius.

Iesu nomen est medicina.

Pergit porrò D. Bernardus. *Est & medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Iesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? nonnisi inuocet nomen vitæ confestim respirabit ad vitam?* Quod si liquor oleaceus fontis Armeniæ, pecorum auertendis ægritudinibus suffecerit, oleum sancti nominis, morbis mortalium non medebitur? *Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis, duritia (vt assolet) cordis, ignauiæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui fons fortè siccatus lacrymarum, inuocato Iesu non continuo erupit vberior, fluxit suauior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti, inuocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui quæso in dubijs æstuanti, & fluctuanti, non subito ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in aduersis diffidenti, iam iamque deficienti, si nomen adiutorij sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animæ isti sunt, illud, medicina. Denique & probare licet: Inuoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* In salutem illorum quos serpentes lethali morsu infecerant, serpentem in ligno proponi voluit Deus, vt qui in illum intuerentur, salutem essent consecuturi: peccantibus nobis, atque lethalis peccati morsu infectis, in crucis ligno, Iesu nomen prælucet, in salutem contemplantiũ, quod Pilatus Hebraicè יהשוה נצרי מלך יהודים, siue vt alij ישוע aut etiam ישע velut Ribera suprà, & Paulus de Palatio in cap. 1. Matth. Græcè Ἰησοῦς ναζωραῖος βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, & Latinè, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, tabellæ cruci suffixæ, inscripsit, nec mutari voluit, etiam postulantibus Iudæis, vt adimpleretur votum Prophetæ, in titulo psal. 57. *Ne corrumpas aut perdas tituli inscriptionem*: itaque respondit, *Quod scripsi, scripsi*: vt intuentes in illud Christiani, salutis nostræ auctorem, peccatorum nostrorum plagis confossum, vitæ restituti venerarentur: suspiceremus morborum & læsionum nostrarum medicinam salutarem. Etenim: *Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem.* Sicut inuocatus Iesus crucifixus. *Siquidem cùm nomino Iesum, hominem mihi propono mitem & humilem corde benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate & sanctitate conspicuum, eundemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cùm insonuerit Iesus.* Vt enim effusum in mare oleum, tempestuosos eius fluctus sedat, æquatque: ita infusum cordi effusum ore nomen Iesu, tentationum nostrarum fluctus premit, viresque ad resistendum ne absorbeamur suppeditat. *Hoc tibi electuarium habes ô anima mea, reconditum in vasculo vocabuli huius quod est Iesus. Salutiferũ certè, quodque nulli vnquam pesti sua inueniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Iesum & sensus dirigantur & actus. Denique & inuitaris. Pone me*, inquit, *signaculum in corde tuo: signaculum in brachio tuo.* Vt brachio medearis & cordi, vt vel tuos actus prauos corrigas, vel minùs perfectos adimpleas, item, vt tuos sensus aut serues ne corrumpantur, aut si corrũpantur, sanes. Clypeus est fortis super brachium nomen Iesu, quod solum, si assumpsisset Dei filius, vniuerso orbi subijciendo abundè fuisset. Coactus olim Cæsar ad requisita naturæ recedere, cùm à suis aliquantulum processisset, deposuissetque ensem & clypeum: aduerterunt Pompeiani milites, quorum vnus occasione fretus euaginato ense Cæsarem interfecturus accurrit: vidit Cæsar, & scutum illicò apprehensum opposuit, grandioribus literis inscriptum *Ego Cæsar qui pro salute patriæ belligero*: deterritus miles, non tantùm non distrinxit in ipsum Cæsarem, sed in genua prouolutus, veniam exorauit, crudele, immaneque arbitratus eum occidere qui pro salute patriæ pugnaret. Si patriæ vnius protectoris nomen tantùm potuit, vt militem barbarum flecteret, à cede auerteret, & in genua curuaret: Quid non poterit totius mundi protectoris nomen, inscriptum clypeo fidei nostræ, positum vt signaculum super brachium nostrum, aduersus irruptiones hostium, præcipuè cùm debitum naturæ sumus persoluturi? ad huius aspectum, mollescet ferrum inimicum, retundentur sagittæ volantes in die; protegemur à negotio perambulante in tenebris, & ab incursu & dæmonio meridiano: quia in nomine Iesu, omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum. O ter sanctum Iesu nomen, totis animis amplectendum, totis præcordiorum medullis excipiendũ, omni veneratione cultuque dignissimũ, nomen quod est super omne nomen, quo non est aliud datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Lux, cibus, medicina, infundere cordi meo, vt in lumine tuo videam lumen, illabere ori meo, vt gustem & videam quàm suauis est Dominus: descende ad vulnera mea, vt sanes me, qui iter faciens in Iericho, incidi in latrones, qui despoliauerunt me, & plagis impositis, abierunt semiuiuo relicto. Succurre lux, cibus, medicina, succurre iacentibus in tenebris & in regione vmbræ mortis: refice vitali alimoniâ lassescentes animos, ægra trahentes corpora: alliga vulnera nostra, nostris medere peccatis, vt expurgato veteri fermento, in tuo nomine psalmum dicamus Domino.

Psal. 49.

Cæsar.

Conuersio ad Iesum.

Capitis 44. §. 8.

Cognoscibilisne sit intellectus humani vi, Deus Trinus & vnus.

HOc nunc inquirendum suggerit expositum nomen יהוה *Iehoua*, §. 2. huius capitis, num. 2. Ex quo Rabbini, trium hypostaseôn vnius essentiæ in diuinis mysterium, literarum eius studiosâ expansione ita eruisse dicuntur, vt humanæ intelligentiæ vi, rem tam sublimem, tam arduam, tam eminentem, tam remotam à sensibus, tamque humano captui imparem, assecuti videantur. Sed frustra illos esse senties, si, vt, inuisibilem, ineffabilem, & infinitum, ita quoque inuestigabilem Deum esse fateantur, *ad quem & eloquendum sermo*

1. Trinitatis cognitionẽ vnde se assecutos putent Iudæi.

sermo sileat, & inuestigandum sensus hebetetur, & complectendum intelligentia coarctetur, inquit D. Hilarius lib. 3. de Trinitate: quod & Ægyptij Dei sui Eneph habitu significarunt, formantes illum in veste cærulea, & capite struthionis pennis insignito, vti scribunt Cælius Euseb. de præparat. euãgelica, & Pier. Valerian. Eruditi cuiusdam Hieroglyphicor. lib. 1. cap. 1. quã figurã innuebant, difficilem inuentu esse Creatorem, adeoque sublimem eius naturam esse, atque inconspicuam, vt non modò sensuum, sed etiam omnem humanæ intelligentiæ captum effugeret: sicut enim exaltatur cælum à terrã; ita viæ eius, à vijs nostris. Hoc cæruleum amiculum indigitabat, quo colore cælum, etsi teste Aristotele peregrinas impressiones nullas suscipiat, nihilominus propter longam intercapedinem, imbutum videtur: itaque videri illa quæ Dei sunt, non vt sunt, sed vt per interualla infinita, apparent, vt quum eum iratum, placatũmve cogitamus. Hoc struthionis penna, non aquilæ, non columbæ, vel accipitris, quia non solùm quando aquilæ alis supra nos effertur, eius arcana mente non consequimur, huiusmodi sunt personarum trinitas, prædestinatio, reprobatio, æterna verbi coëssentialis generatio, Spiritus sancti processio, & incarnatio, sed nec illa quoque quæ nostro aspectui subiacẽt in terrenã substantiã. Struthio namque quanquam præ corporis grauitate à terra volatu sese non efferat, tantæ nihilominus pernicitatis est, vt Xenophonte teste, cùm Cyri exercitus, ad Euphratem deuectus, hanc multam copiam concitato equorum cursu esset insecutus, nullam apprehenderit. Eiusmodi sunt in creaturis abscondita Dei, quæ licet curiosã indagine prosequamur, non assequimur: quamobrem exclamat Apostolus ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* nam si pennas aquilæ assumit. *Iudicia eius abyssus multa*: si Struthionis, *inuestigabiles viæ eius*: quæ autem sunt viæ eius, per quas ad nos descendit, vt nobis se cõmunicet, & nos ad illum ascendimus, nisi creaturæ eius, & mirabilia quæ in natura operatur? & hæc quidem quamuis terræ adrepant, nec sursum eleuentur, tantã, tamque inscrutabili sunt vi prædita, vt humanam effugiant apprehensionem.

Vox hominis non exprimit vlla,
Fœdere quo iunctas rei omnes sparserit auctor,
Ignemque, aëraque, terramque, vndasque fluentes. Et
Omniaque in se se concordia muti à nectat.

Quis aquarum, plantarum, lapidum, metallorum, animaliumque miracula comprehendat? quis rationẽ afferat cur in Iudæa riuus, omnibus sabbatis siccatur? Plin. nat. hist. lib. 31. c. 2. Hunc Iosephus Sabatim vocat, & sabbatis intumescere, reliquis diebus remitti scribit. Quis magnetis arcanum penetrauit, vt eius vim explicet quã reuulsos nauium clauos, quæ, vbi generatur propiùs accesserint, instar volucrum ad se rapit, vt inquit Serapion? quis penetrauit smaragdi castimoniam, quã rumpitur actum detestata venereum? Quis vnde nocturnus cicindelæ fulgor oriatur edisserat? sicque de cæteris.

Hæc cùm humanæ mentis conceptus omnes effugiant, quisquámne poterit eorum conditoris intimos penetrare recessus? Ciconia, Crocodilusque Ægyptijs, Dei hieroglyphicum fuit, quòd illa elinguis sit, & quidquid

Glotorat immenso de turre ciconia rostro,

Vt Auctor philomelæ cecinit, oris potiùs quàm vocis sonus esse feratur: ita Solinus. Hic verò, etsi reuera linguam habere, sed latam & breuem, ex crocodilis exsiccatis, quos mercatores ex Ægypto deferendos curant, compertum sit, vt habet Gesnerus, eã tamen carere existimetur ab Aristotele, quòd multò interiore quàm in cæteris animantibus oris parte sita & hærens, valdeque imperfecta sit: Quibus symbolis significatum voluerunt, tanto silentio Deum perfrucere omnia, quanto & cæli & cognosci velit. Philosophi quidem, per ea quæ facta sunt, in eius vnius supremi cognitionem deuenere, à quo omnia tanquam ab vnico & solo principio emanarent: cæterùm præter essentiæ illius entis vnitatem, & attributa ad vnitatem spectantia, cùm plus sit Deus, quàm omnis humana ratio, vt ait Saluianus lib. 3. de vero iudicio, nihil vltrà cognoscere potuerunt, vti docet D. Thomas 1. parte, quæst. 32. neque quidquam de personarum in vna substantia trinitate, de Verbi generatione, deque Spiritus sancti processione, suspicari potuerunt, quia, vt inquit Apostolus, *Quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei*: Est enim supra humanæ mentis intelligentiam, sibique soli cognitus, inquit Auicenna. Velut enim vir prudens, ex propositã sibi vndequaque absolutã p[...] artificis præstantiam facile coniiciet, cæterùm Belgáne sit an Æthiops, pygmæus an gigas, non itidem consequetur: ita prorsus Philosophis accidit vt mundi opificium contemplantes, ordinem, creaturarum specierum, perfectionem & reductionem earum in finem, eaque ab infinitã potentiã bonitate, & sapientia, vt à principio vnico proficisci, equidem cognouerint, reliqua verò essentialia Dei, vt esse Patrem, Filium, Spiritum sanctum, Deum trinum & vnum, non sint suspicati.

Quòd si interea eorum nonnulli, de diuinarum personarum Trinitate quædam profati sint, illa aut per reuelationem acceperunt, vt volunt Lactantius Firmianus, & D. Thomas: aut ex sacris fidelium voluminibus, ad sua scripta pertraxerunt: ita permittente prouidentia, vt quum illis in vnitate substantiæ ineffabile Trinitatis mysterium annuntiaretur, non repudiarent vt inauditum quid & insolens, atque à Philosophorum scriptis alienum. Sic enim Trismegistum præiuisse legimus, quum dixit, *Monas genuit Monadem, & in se reflexit ardorem.* Præiuit Pythagoras, diuinã vnitate trinã esse asserens: *Est siquidem vnitas omnium prima*, inquit, *mox æqualitas, inde connexio.* Orpheus cantu de Nocte, Cælo, & Æthere, symbolis sacratissimæ Triadis: Nocte, Patrem significans, quum ait, *Nox quæ lucem emisisti*: posuit namque Deus tenebras latibulum suum: & consonat Apostolus, *Quoniam Deus qui dixit lucem de tenebris splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem notitiæ claritatis Dei in personã Iesu Christi*: Atque ita Cælum, siue lux, erit filius, æqualis cum Patre potentiæ, quia sicut tenebræ eius ita & lux eius. Æther autem Spiritus sanctus, qui ferebatur super aquas, & modò etiam, terram vndiquaque complectitur humentibus vlnis, vt loquitur Euripides. Trismegistus iterum, cùm extremum traheret spiritum, hæc profatur, *O cælum magni Dei sapiens opus, teque ò vox Patris, quam ille primùm emisit, quando vniuersum constituit mundum, adiuro per vnigenitum eius Verbum, & Spiritum cuncta comprehendentem, miseremini mei*: Auctor Volaterranus lib. 13. Antropo. ex Suidã, & habetur in Theatro vitæ humanæ volumine 2. l. 7. Plato, quum inquit, *Sunt Dij tres in caussã veritatis.* Proclus lib. 2 de animã & Dæmone. *In ipso ineffabili Deorum ordine, effulgens fides, veritas, amor. Fides quidem omnia firmat in bono: veritas autem omnem in entibus cognitionem explicat: amor denique conuertit omnia congregatque in ipsum pulchri naturam.* Aristoteles lib. 1. de Cælo, effatus, in numero ternario Deum coli debere.

Eneph. Vide cap. 10. num. 1.

Rom. 11.

Ciconia. Crocodilus.

Vide cap. 21. §. 2. num. 3.

1. Cor. 2.

3. Philosophi Trinitatis mysterium delibarunt.

2. Cor. 4.

Magi quoque, vt est apud Eugubinum lib. de perenni Philosophiâ, essentiam diuinam trianguli specie, in cuius medituillio inscriptum erat *Diuinitas*, repræsentantes, quò sic, in vnica atque simplicissimâ naturâ, personarum pluralitas per tres angulos significata, intelligeretur. Ita illi, mysterium hoc, non ex seculari haustum sapientiâ, sed diuinitùs traditum, prodidere.

3. Ioan. 8.

Sed & ipsos Iudæos huiusce veritatis ignorantiæ arguit Dominus Ioan. 8. *Est Pater meus*, inquit, *qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, & non cognouistis eum.* Illi enim, vt inquit ibi Ioannes Ferus, quamuis de Deo gloriarentur, tamen Deũ nõ cognoscebant vt Patrem, quãdoquidẽ filium eius negabant, nec cognoscebant illum vt Deũ, quia Verbum eius non timebant, vel denique quia non cognoscitur Deus nisi in Verbo: vel etiam quia factis negabant, sic loquente Scriptura 1. Reg. 2. de filijs Heli peruersè agentibus, *nescîebant Dominum*, & Apostolo ad Tit. 1. de quibusdam Christianis, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Ita quoque Thomas Caietanus, sed explicatiùs: Si pronomen, inquit, *eum*, demonstrat Patrem, planus est sensus, quia non cognouerunt Deum sub ratione patris æterni filij; si autem pronomen, *eum*, demonstrat Deum, tunc scrupulus occurrit, quia: *Notus in Iudæa Deus.* Solutio est. Quòd si sermo sit de notitia simplici, intelligitur de notitiâ affectiuâ, & effectiuâ, quâ ipsi carebant; & huic sensui fauent quæ subiungit Dominus, *Scio eum, & sermonem eius seruo.* Si autem est sermo de notitiâ euidentiæ, planus est sensus, quod Iudæi non habebant euidentem notitiam Dei sui, quamuis enim potuissent habere euidentiam per creaturas; euidentiam tamen Dei secundùm specialem prouidentiam, quâ nominabatur Deus eorum, non habebant. Videbant enim etiam illi solummodo posteriora Dei: summi scilicet opificis ôpera mirabilia, quæ in sacris literis posteriora dicuntur non secus ac Aristoteles, effectus vocat posteriora, caussas verò priora cognominat: mentem verò ipsam, quæ ista moderatur & gubernat, non cognouerunt. Pulchrè D. Gregor. Nazian. lib. 2. de Theologiâ: *Hæc Dei tergum est, quicquid eum nobis suo indicio refert, vt tamen illius naturam non contingat: perinde ac vmbra, & in aquâ relucens solis imago hebetioribus oculis illum adumbrat, dum illum ipsum præ nimio lucis fulgore, quo sensum facilè exuperat, intueri nequeunt.*

1. Reg. 2.

Ioan. 8.

Trinitatem reuelatam, rationes quædam declarant.

Quare, quòd Durandus ait in 1. dist. 3. quæst. 4. in omni creaturâ inesse vestigium ducens ad cognitionem confusam Trinitatis, sicut vestigium hominis, ducit in cognitionem alicuius hominis indeterminatè & confusè: sic accipiendum est, vt positâ Trinitate reuelatâ, ad illius declarationem congruant rationes huiusmodi, non tamen ita vt per eas sufficienter personarum trinitas adstruatur, vt rectè D. Thom. primâ part. quæst. 32. art. 1. ad 2. Cùm enim in omni creaturâ, essentiæ vnitas reperiatur, & tria quædam, quæ tribus personis diuinis aliqualiter respondeant, vt sunt, ex D. August. lib. de Naturâ boni, *modus, species, & ordo*: fit, vt per esse suum finitum ac limitatum, ad modum pertineat: per esse ad certam speciem determinatum, ad speciem: & per inclinationem quam habet ad aliquid aliud, ad ordinem. Ex hoc namque quod res qualibet habet substantiam modificatam terminatamque, pendet à principio, & ducit in potentiæ cognitionem, quæ Patri tribuitur: Species verò demonstrat Verbum Patris, sicut forma domus, conceptum artificis: Ordo verò, amorem producentis, quo effectus ordinatur in bonum; in quem sensum Proclus lib. de animâ & dæmone dixisse videtur: *Amor supernè ab intelligibili vsque ad mundana vsque descendit, ad diuinam pulchritudinem cuncta reuocans*: Amor autem, appropriatur Spiritui sancto: sic D. Augustinus in 5. cap. Gen. interpretatur illud Sap. 11. *Omnia in numero, mensurâ, & pondere disposuisti*: ait enim *Deus est mensura omni rei modum præfigens, modus omni rei speciem præbens, pondus omnem rem ad stabilitatem trahens.* Sunt & aliæ quædam in creaturis Trinitatis similitudines. *Ecce enim, sicut videmus in sole, tria sunt, & separari omnino non possunt*, inquit D. August. serm. 1. de verbis Apostoli, cap. 4. *Quæ autem tria sunt, videamus: Cursus, splendor, & calor. Videmus enim solem in cælo currentem, fulgentem, calentem. Diuide ergo si potest, ô Ariane, solem, & tunc demùm diuide Trinitatem.* Et rursus. *Ecce aliud propono elementum quod minus est, & in terrâ nobiscum est: Ignem dico, qui in manibus nostris habetur, & tamen non diuiditur. Et ignis enim tria habet, & diuidi non potest, hoc est, motum, lucem & feruorem.* Et iterum lib. 13. Confess. cap. 11. Trinitatis quoque symbola in homine, significauit; *Vellem*, inquit, *Si hæc tria cogitarent homines in seipsis: longè aliud sunt ista tria quàm illa Trinitas. Sed dico, vbi se exerceant & probent, & sentiant quàm longè aliud sint: Dico autem hæc tria, esse, nosse, velle. Sum enim, & noui & volo: sum sciens & volens: & scio esse me & velle: & volo esse & sciri. In his igitur tribus, quàm sit inseparabilis vita, & vna vita, & vna mens, & vna essentia, quam denique inseparabilis distinctio, videat qui potest. Certe coram se est, attendat in se, & videat, & dicat mihi.*

Sap. 11.

Fieri itaque non potest, vt quisquam mortalium ratione naturali, in sacratissimæ Triadis cognitionem deueniat: quare D. Hilarius lib. 1. de Trinit. *Non putet homo suâ intelligentiâ generationis sacramentũ posse consequi.* Et D. Ambr. l. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. *Impossibile est, generationis scire secretum, mens deficit, & vox silet.* Cùm enim homini non aliter quàm ex Creaturis Numinis illustratio fiat, hoc solùm de Deo cognoscit quod ei competere necesse est, vt omnium entium principio: virtus autem creatiua Dei, communis est toti Trinitati, atque ad essentiæ pertinet vnitatẽ, non autem ad personarum distinctionem: hoc itaque solùm cognoscet quod ad illius vnitatem, non verò quod ad hypostaseôn pluralitatem spectat, quam prædicans Apostolus 1. Cor. 2. inquit, *loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram: quam nemo principum huius seculi cognouit.* Id est, Philosophorum, inquit Glossa. & Origenes lib. 3 Periarchôn, cap. 3. *Sapientiam principum huius mundi intelligimus, vt est Ægyptiorum secreta quam dicunt & occulta Philosophia, & Chaldæorum astrologia, & Indorum de scientia excelsi pollicentium, sed & Græcorum multiplex variaque de diuinitate sententia.* Loquens autem Apostolus sapientiam Dei, filium loquitur Dei, & patrem ostendit, & filium dilectum, ac proinde etiam vtriusque Amorem, Spiritum sanctum Dei.

1. Cor. 2.

Mysterium Trinitatis ex solâ diuinâ reuelatiône haberi.

15. Trinitatis mysterium à Iudæis implicitè cognitum.

SVperest ergo, vt ineffabilis huius mysterij cognitio, ex diuina illustratione ad nos peruenerit, Iudæis primùm quidem implicitè tantùm tradita, vt scribit Galatinus, quòd sic à diuinâ prouidentiâ factum oportuit, ne ea gens ad idololatriam prona, ad quam præcauendam vniuersa lex vetus condita est, hoc diuinitatis arcano explicitè cognito, plura sibi Numina colenda proponeret: nouissimis verò temporibus, in quæ arcano summi Imperatoris consilio, clara huiusce apud Iudæos inuoluti mysterij manifestatio reseruata fuit, temporali natiuita-

tis;

te Dei Verbo ad eliminandam prorsus idolomaniam, vniuersasque gentium nationes, ad vnius veri Dei cultum reuocandas, è virgine illibatâ egresso, explicita, apertaque sacræ Triadis notitia haberi cœpit: factumque est, vt nos qui errore gentium tenebamur, Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, trinum in personis, & in essentiâ vnum confiteamur: hoc enim filius Dei vnigenitus, *Qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* Ioan. 1.

Ioan. 1.

Quod autem veteris instrumenti Antistites, aliquid ei de re diuinitùs acceperint, communi Sanctorum Patrum sententia proditum est; qui & protoplastum comprimis, in eo sopore Prophetico, quem Septua. extasim, Hebræi, tardema appellant, huiusmodi reuelatione illustratum ferût, quæ & in ipso Geneseos capite primo sit expressa; prophetico ore, attestante ipsâ increatâ sapientiâ, quum ait, *In capite libri scriptum est de me.* Quid autem scriptum est, nisi, *In principio, id est, in filio: creauit Deus*, scilicet Pater: *& Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quod ipsum repetit Vates regius psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt*: hoc est filio Domini patris: *& spiritu oris eius omnis virtus eorum*: hoc est, Spiritu-sancto. Sic enim in eum locum argumentatur Iansonius: Si cæli firmati sunt verbo & spiritu, ergo principaliter agente quodam alio: hic autem quis, nisi Deus pater? de quo filius, *Pater in me manens ipse facit opera.* Ioan. 14. & Eccles. 1. *Vnus est creator omnipotens ipse creauit illam Spiritu-sancto*, vt ipso loquendi modo insinuetur, opera quæ priùs dixerat, Verbi & Spiritus-sancti, à Deo patre, vt filij & Spiritus-sancti principio, principaliter prouenisse. D. Nazianzenus in orat. de Theologiâ, *In creatione Adam, in formatione Euæ, in generatione Abel, elucet mysterium Trinitatis*, inquit, *quoniam Adam à nullo, præterquam à Deo habuit originem: Eua à solo Adam, Abel ab vtroque genitus. Sic pater à se, filius à Patre per intellectum, Spiritus sanctus ab vtroque per voluntatis actum.* Innuitur quoque per id quod dicitur, *Deus Abraham*, pater, cuius Abraham typus fuit, eò quòd pater multarum gentium esset futurus. *Deus Isaac*, Deus filius, cuius diuinitatis Isaac figura fuit, aries verò immolatus, humanitatis: *Deus Iacob*, Spiritus sanctus, qui vnctio dicitur, erexit autem Iacob lapidem in titulum & vnxit fundens oleum desuper, qui lapis, ex tribus, quos ad solis occubitum, quieti se commissurus Iacob in Haran pergens capiti suo tanquam ceruical supposuerat, certatim concurrentibus, atque mutuò sese pellentibus, vt tam pio capiti substernerentur, coaluisse fertur à Rabbinis, & meminit Abulensis: Huicque traditioni scriptura fauere videtur Gen. 28. dicens, *tulit de lapidibus qui iacebant*; manè autem facto *Surgens Iacob tulit lapidem quem supposuerat capiti suo* Magno Dei vnius & trini iudicio: quem ineffabile nomen Iehouâ, continere volunt: significat enim Deum generantem, inquit Galatinus lib. 2. arcanor. cap. 10. & quia non potest esse generans absque generato, necessariò amor à generante in generatum, & è conuerso, procedere debet, quoniam si hoc non esset, non generaret, etsi non procederet amor à generato in generantem, distingueretur que generatus à generante, duæ essent substantiæ: propterea generatus & generans, vna est substantia, idcirco necesse est ex altero in alterum procedere amorem, inquit Rabbi Haccados ibi.

Patrib. reuelatum.

Psal. 39.

Gen. 1.

Psal. 32.

Ioan. 14.

Eccl. 1.

Gen. 28.

Quòd si quoque ineffabilis huius nominis literas consideres, י *iod*, quæ prima est, principium significat, vt inquit D. Hieronymus in prologo Threnorum, quod omnium aliarum sit principium, vnaquaque habente ab eâ scripturæ originem, & ipsâ, à nullâ aliâ. Ideoque patrem insinuat, qui principium sine principio, à quo aliæ personæ diuinæ emanant. ה *he* verò, quæ est secunda, significat, esse, vel, viuere, & filium denotat, qui de se Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*: per hunc enim facta sunt omnia, & quidquid factum est, in ipso vita erat. ו *vau* denique copulatiua dictio, Spiritum sanctum præclarè indicat, qui patris & filij amor, & vtriusque nexus à D. Thomâ dicitur. ה *he* verò duplici de causâ geminatur, cùm quòd sola secunda persona in diuinis duplicem respectum habeat, producti scilicet à patre, & producentis Spiritumsanctum cum patre: tum etiam quòd duplicem in filio naturam agnoscamus, Dei scilicet, & hominis: hanc quidem à Spiritu-sancto per temporaneam ex intemeratâ virgine generationem, Angelo dicente Luc. 1. *Spiritus-sanctus superueniet in te* illam verò à patre, per æternam generationem. Cuius vtriusque naturæ explicandæ gratia Rabbi Hascados, apud Galatinum lib. 3. Arcanor. cap. 2. resoluit ה *he* literam, in ו *vau*, & ד *daleth*, totidem verbis: Quemadmodum litera ה *he*, componitur ex ד *daleth*, & ו *vau*: ita rex Messias componitur ex diuinitate & humanitate. Et sicut hæc duo ה, ה, *he*, sunt duo ד *daleth*, & ab his procedunt duo ו *vau*, tanquam duo filij qui ab ipsis oriuntur: ita in substantiâ regis Messiæ inueniuntur duæ filiationes, quarum vna est diuinitatis, quâ Dei filius est: altera erit humanitatis, quâ erit filius Prophetissæ, de quâ dixit Isaias cap. 8. *Accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium.* Et sicut harum literarum ד *daleth*, & ו *vau*, quæ conficiunt ה, vnaquæque distincta est ab alterâ, quamquam ambæ, fiût vna litera: ita in Messiâ, substâtia diuinitatis distincta erit à substantiâ humanitatis, & è contrà, quæ duo simul iuncta, sunt Messias. Hæc ille.

Ioan. 14.

Luc. 1.

Isa. 8.

Quod si à Chaldæis hoc ineffabile nomen, in hunc modum scriptum inueneris י ָ י quam ob rem Isidoro, tetragrammaton fit *Iod Iod*: principij nomen, quod per י, *iod*, significatur, singulis in sacrâ Triade personis, respectu operum ad extra, inueniaur conuenire, totamque naturam diuinam per, ָ, *Cametz*, triplici, י, *iod*, suppositum, vnicuique hypostasi impartibiliter communicari, velut eleganter Fortunatus:

> *Virtus vna manens, eadem tribus vna potestas,*
> *Quæ Pater, hæc genitus, Spiritus ipse potest.*
> *Personis distincta quidem, coniuncta vigore,*
> *Naturæ vnius par ope, luce, throno.*

Tres denique י *iod* æquales, trium personarum æqualitatê ָ, *cametz*, vnâ in tribus personis essêtiam diuinam circulus, ipsius essentiæ denotat identitatem, quâ vnaquæque persona per circumincessionem, dicitur esse in alijs: vnde Prosper Aquitanicus:

> *Omnipotens Genitor, Natusque, & Spiritus almus,*
> *Vna in personis, par tribus est Deitas:*
> *Sic Deus est magnus, de se valet, & manet in se,*
> *Cui summum, & proprium est, semper id esse quod est,*
> *Splendet enim verum, vero de lumine lumen,*
> *Vt genitum agnoscens, nouerit ingenitum.*
> *Vna trium Deitas, vna est essentia ab vno,*
> *Idem est & Verbi, Spiritus, atque Patris.*

6. *Iehoua in tres syllabas resolutum.*

Adhæc si inenarrabile hoc nomen, in tria interualla, siue syllabas resolueris, vnaquaque earum, æquè totam diuinitatem complectitur, & ipsum nomen totum, verbi gratia יה *iah*, הו *hu*, והו *vehu*. *Ieh*, id est, Deus, ex primâ & secundâ literis, Patrem significat, qui totius diuinitatis est fons, & exprimitur in הללו יה *halelu iah*. Quod est, *Laudate Deū*. הו *hu*, id est, *ipse*, ex secunda & tertia litera, filium designat, quia ipsescest quē Prophetæ prædixerūt venturum, & digito demonstrandum. Isa. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit vos*: ita Gerundensis, in illud Leuitici. 26. *Ambulabo inter vos, & ero Deus vester*: in futuro tempore, inquit, pueri Israëlitici, Deum sunt digito demonstraturi, iuxta illud Isaiæ 25. *Ecce Deus noster iste est, expectauimus eum*: והו *Vehu*, id est, *& ipse*: Spiritum-sanctum monstrat, quia & ipse quoque visibiliter, post filium, mittendus erat, licet non eodem modo, quia filius in humanâ naturâ sibi hypostaticè vnita, Spiritus-sanctus autem in columbæ specie, & linguis igneis, tanquam sub signo.

Isa. 35. *Leuit. 26.* *Isa. 25.*

Verbū substantiuum.

Adhæc, tres illæ huius nominis literæ, tribus temporum differentijs verbi substantiui indicatiui modi significandis, apud Hebræos subseruiunt: verbo autem substantiuo indicatiui modi, quod non sicut adiectiuum, accidens, & fluxibilitatem, sed substantiam tantùm complectitur, diuinarum personarum stabilitas indicatur, & temporum differentijs, æternitas: היה *haiah* id est, *fuit* הוה *houe*, *Quod est*. Et יהיה *ihie*, *erit*. Quibus, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, fuisse semper, & esse, & fore, significatur: namque vt D. Prosper cecinit:

> *Æternus verè est solus Deus omnicreator,*
> *Vita in se viuens, permanet ipse quod est.*
> *Hoc Pater, hoc Verbum Patris, hoc est Spiritus almus,*
> *Quorum natura est vna eademque trium.*

Trinitatis mysterium paucissimis Hebræorum traditum.

Veruntamen, quidam peritiores legis intellexerunt, hoc ter venerando nomine, ita distinctè ineffabilis Trinitatis mysterium in vnitate substantiæ insinuari; non omnes tamen promiscuè, & nisi paucissimis qui Spiritus-sancti gratiâ affati forent, aperire, permissi sunt. Tanta nempe tenuit illos huius arcani religio. quam ipse Moises, velatâ facie, & non aliter, populum allocutus incusserat, significans, in figuris & ænigmatibus tantùm huiusmodi sublimia Dei, illis tradenda esse, quia carnalis homo non percipit quæ Dei sunt, neque alius quā perpurgatæ mētis oculus tanto splendore mysteriorū illustrari potest.

Exstant & alij diuinarum scripturarum loci, in quibus sacræ Triadis mysteria referantur, Deuter 6. שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד *sema Israël Iehoua elohenu iehoua ehad*, ἄκουε ἰσραήλ, κύριος ὁ Θεός σου, κύριος εἷς ἐστίν, *Audi Israel, Deus, Deus noster, Deus vnus est*. Vbi aduerte, Hebraicè Trinitatē clariùs exprimi, quàm Græcè, quia, quod Græcè κύριος, Hebraicè est יהוה *iehoua* ἀνεκφώνητον, quod Deum non per effectum, sed per essentiam designat.

Deuter. 6.

Hoc itaque è testimonio, quidquid refragetur Augustinus Chisamensis Episcopus in suis adnotationibus, apud Sixtum Senensem Bibliothecæ sacræ lib. 5. annotat. 130. Sanctissimæ Triadis veritas elicitur: quod in hunc modum exponit Anselmus Laudensis Glossæ interlinearis auctor, vt nempe Moises, Deum vnum tribus nominibus appellarit, quo significaret Deum in maiestate vnum esse, & in personis trinum, neque diuisionem admittere, neque recipere solitudinem: id quod ex D. Augustino sumptum videtur lib. 3. aduersus Maximinum Arianum cap. 23. vbi hunc locum de Trinitatis vnitate explicauit: aut ex epist. 1. Alexandri Papæ & Martyris, vbi sic argumentatur: Si Trinitas non est, quare in Deuteronomio dixit, *Dominus Deus vester, hic est Deus?* si vnitas non est, quare, *hic est*, dixit, & non *hi sunt*, plurati uo numero designauit? Si Trinitas non est, quare in eodem dicitur libro, *Dominus Deus tuus, Deus magnus & potens est?* Si vnitas non est, quare *magnus & potens*, pluraliter non nominantur? hæc summus sacrorum Antistes, & Martyr. D. Gregor. Nyssenus itidem, lib. de cognitione Dei, aduersus Iudæos, pro Trinitatis vnitate, hoc testimonio vlus est, *Audi Israël*, inquit, *Dominus Deus tuus, Deus vnus est*. Illud *Dominus*, & *Deus*, & *Deus*, tres personas ostendit: illud autem, *vnus est*, diuinitatem & naturam vnam. Similiter Theodoretus lib. 2. de curatione Græcarum affectionum, dicens, *Moises quum dixit, Audi ô Israël, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est, & vnitatem colere, & Trinitatem significat: semel enim Deo proprio, bisque Domino repetito, Trinitatem subostendit. Cumque adueceret, vnus est, & congruentem Iudæis doctrinam attulit, & vnam in tribus eandemque diuinitatem, & substantiam esse docuit.* Hoc autem est, quod D. Damascenus ait μία οὐσία, μία φύσις, μία Θεότης, *vna essentia, vna natura, vna Deitas*. Rabbi quoque Simeon, quum infit; Hic est, ô Israël, antiquus יהוה *iehoua*, id est, Deus, qui est principium rerum omnium, antiquus antiquorum, hortus radicum, & omnium rerum perfectio, & dicitur pater אלהינו *Elohenu*, id est *Deus noster*, profunditas fluminum, & fons scientiarum, quæ procedunt ab illo patre, & filius vocatur. יהוה id est, Deus, hic est Spiritus-sanctus, qui à duobus procedit, & vocatur mensura vocis: vnus est, & vnum cum alio concludat, & colliget: neque enim alius ab alio diuidi potest, & propterea ait שמע *sema*, id est, congregā Israël hunc Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, cumque fac vnam essentiam, vnamque substantiam, quia quidquid est in vno, est in alio, totus fuit, & totus est, totusque erit. Hactenus ille.

Quod autē de secūdâ personâ dicitur אלהינו *elohenu, Deus noster*, ideò est, quia ipse per incarnationem & natiuitatem, largiendo nobis suam Deitatem, Deus noster peculariter futurus erat. Simile est, quod habetur psal. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*: in quem locum Euthymius. *Vide*, inquit, *apertum ac denudatum sanctissima Trinitatis mysterium hac triplicatione, Deus, Deus, Deus.* Quod & plures alij adnotarunt, in illud etiam psal. 71. *Benedictus Dominus Deus Israël*: Hebraicè, *Benedictus Dominus, Deus, Deus Israël*, vbi manifestissimè, triplex Domini Dei, Deique nuncupatio, mysterium est Trinitatis inquit D. Hieron. ep. 135. relatus à Iacobo Iansonio, ibi. *Et metuant eū*, inquit pl. & non *eos*, vt personas si trinitas, & & in diuinâ essentiâ vnitas, identitasque ostendatur.

Psal. 66. *Psal. 71.*

Non absimiliter ex illo Isaiæ 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ eius*. Nam iuxta magnum Athanasium, inquit Nicetas in oratione 38. D. Nazianzen. eximia

Isa. 6.

animalia hæc animalia, ter dictionem hanc *Sanctus* proferentia, tres personas absolute ostendunt: rursus, eo quòd semel dumtaxat, *Dominus*, clamant, essentiam vnam declarant: & Rabbi Salomon in eadem verba, *Sanctus*, inquit, *hic est Pater: Sanctus, hic est Filius: Sanctus, hic est Spiritus Sanctus.* Propter autem mysteriorum plenitudinē, vt bis saltem in die, mane scilicet, & vespere, illa Deuteronomij & Ifaiæ verba, ab vnoquoque pronuntiarentur Thalmudistarū sanctio fuit, vt quòd exteriori verborum sono exprimitur, nempe personarum, in vnius essentiæ vnitate trinitas, quisque Iudæorum te etiam corde credere, profiteretur.

Deut. 32.

Huc quoque spectat illa Deuter. 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit Deus prӕter me.* Hebraicè, *Videte nunc, quia ego, ego, ipse, & non sunt Dij mecum*, vbi tria nomina diuina sunt posita, אני אני הוא *ani, ani, hu ego, ego, ipse*, vt diuinarum personarum pluralitas, atque distinctio designetur: & per, *non sunt Dij mecum*, tres diuinas hypostases, per tria illa nomina diuina significatas, non esse tres Deos, sed vnum Deum, demonstretur. Tota quippe essentia Diuina est in Patre, à quo omnia; tota in Filio, per quem omnia; tota in Spiritu sancto, in quo omnia: Atque ita, Pater est verus & perfectus Deus, Filius verus & perfectus Deus, Spiritus sanctus, verus & perfectus Deus: nec ideò sunt tres Dij, sed vnus est Deus, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, & ad quem redeunt omnia. Hæc impenetrabilia Dei, fide credimus, quia te, ô ens entium, & non ens, quia supra omne ens, nostræ mortalitatis infirmitas complecti non potest: & ore confitemur, quòd in te solo sit,

Maiestas, persona triplex, substantia simplex,
Æqualis, consors, atque coæua sibi.

Et bonum est creaturæ tuæ, quod te non capiat: si enim te caperet, si arcana tua intelligeret, si te tantum, quantus es comprehenderet, non esses quod es, Deus; quia aut tu summum eius bonū non esses, aut ipsa tecum sicut tu, Deus esset. Tu ergo finità mentis creatæ capacitate non contineris, ô ens infinitum, ô æterna & monas & trias, cuius tu & Creator & Deus, ipsa verò creatura tua, quæ non ingrata Creatori suo clamat:

Nate, æquæue Pater: Nateque, par Patri,
Et manans ab vtroque inclite Spiritus,
Soli tibi sit gloria.

Capitis 44. §. 9.

De quaternarij numeri potestate.

I. Elementis quatuor Dei nomen præcipuè apud omnes constat.

NVnc quadriliteri huius nominis diuini, inter alia totidem literarum, postulat dignitas, vt hic reponamus, quæ de quaternarij numeri celebritate passim ab auctoribus afferuntur. Mira sanè huius potestas, ex eo comprimis colligi potest, quod gentium penè omnium vsu receptum sit, præcipuum Dei nomen elementis quatuor exprimere, quod cum Cælio Calcagnino, & alijs, adnotauit Angelus Roccha noster, in Bibliothecâ Vaticanâ, quæ res citra diuiniorem afflatum, non videtur potuisse contingere. Hebræus enim sacrum Dei nomen præcipuum est יהוה *iehoua*, Græcis θεός, Latinis *Deus*; Gallis *Dieu*, Hispanis *Dios*, Italis *Idio*; Germanis *Gott*, Brabantis *Godt*; Polonis *Boog*: Ægyptijs θαὺθ aut θεὺθ: Persis συρη: Thuscanis veteribus *Esar*; Magis & Persis ὀρσι: Arabibus *Alla*: Assyrijs *Adad*: Turcis *Agdi*: Indis noviter repertis, *Zimi*.

Tum etiam quòd omnium rerum species, in quatuor distribuantur ordines. Philosophi namque mundi chaos, in quatuor elementa partiuntur: Cælum in quatuor anni partes: Aerem in Eurum, Zephyrum, Austrum & Boream: terram in quatuor spatia. Sub cælo quatuor tempora collocantur: sub tempore, quatuor qualitates, sub qualitatibus quatuor elementa: sub elementis substantia, quantitas, qualitas, motus: sub ipsâ substantiâ, corporeum, vegetabile, sensitiuum, intelligens: sub quantitate, punctio, latitudo, lōgitudo, profunditas: sub qualitate calidum, frigidum, siccum, humidum: sub motu, ascendens, descendens, progrediens, circulare. Tetras omnem Musices harmoniam continet: *quin & musicas symphoniarum rationes, idem quaternio continet*, inquit Philo lib. de Mundi opificio: *videlicet, diatessaron, diapente, diapason, disdiapason, è quibus concentus fit absolutissimus*. Totam Mathematicam colligit: siquidem punctum fluens, lineam facit: linea, epiphaniam, id est, superficiem: superficies solidum, siue corpus. Totam Physicam complectitur, in quâ primùm seminaria virtus naturæ traditur, tum pullulatio naturalis, tertiò adolescens forma: ad extremum, compositum. Totam quoque Metaphysicam insinuat, essentiam, esse, virtutem, & actionem. Atque ita in mundi vniuersitate, eiusque partibus, relucet Diuina quædam quaternitas, quemadmodum Reuclinus scribit lib. 2. de Verbo mirifico, cap. 21. & 22. Tetrapharmacum Medicis, Philone auctore, lib. de Confusione linguarum, est compositio quæ constat, cera, pice, resina, & adipe, ex quibus corruptis vna egregia facultas conficitur.

Tetrapharmacum.

Inter figuras, quadrata perfecta est, inquit Cæl. Rhodigin. variar. lect. lib. 18. cap. 14. quia quatuor lineis æqualibus continetur, habetque quatuor angulos æquales: propterea quadri specie, olim ædificata Roma, & ab Ennio quadrata est appellata,

Est nunc, & quis erat, Romæ regnare quadratæ.

Iano quadrifronti, quadrata templa dedicata: & ipse quadrifrons est, quia illi rerum omniū principia, fines, introitus, & exitus consecrati. Apoc. 21. ciuitas sancta superna Ierusalem, in quadro est posita.

2. Quadratum corpus.

Corpus quadratum dicitur, quod perfectum est: verbi gratiâ, *Cubus*, habet enim sex superficies quadratas æquales, quarū vnaquæque quatuor habet lineas, & quatuor angulos, & quomodocunque iaceat, rectus stat, eodem se modo habens, quia proportiones omnes sunt æquales. Hinc quadratâ formâ virum, eâ de causâ, probū dicimus, inquit Pier. Valer Hieroglyph. lib. 39. c. 34. quòd, quemadmodū Cubicæ figuræ species, quoquouersū iacta, versataque fuerit, recta semper consistit, quatuor lineis & totidem angulis semper insignis: ita ille in omni fortunæ afflatu, retineat æqualitatem quandam semper inflexus, eodem semper se modo, constanter & generosè habens, qui nihil faciat indecorum, nihil vituperatione dignum. Vnde Arist. Ethic. 1. quadratū virum, pro perfecto dici autumat. Hinc natum illud ἀγαθὸς ἀληθῶς καὶ τετράγωνος, ἄνευ ψόγου. *Quadrangulus verè probus, nullique obnoxius vituperationi.* Iustus & tenax propositi vir, quadratus est, quem Plato in Protagorâ, diuinum vocat, & sacratissimum, in quem nihil possint calumniantiū sagittæ, sed ab integritatis eius repercussæ constantiâ, in ipsos redeant auctores: quod Claudius Parad. in symbolis Heroicis expressisse videtur, saxi quadrati figurâ, sagittâ petiti, cum hac epigraphe, *Infringit solido*, significans, ad eum ipsum, qui quadrati & cordati hominis integritatem & constantiam calumnijs labefactare, & contaminare molitur, malum redire, quemadmodum si balista-

balistarius iaculum in cautem duram & impenetrabilem emitteret. Quadratum quoque corpus lego apud Celsum lib. 2. de re medicâ, cap. 1 dici quod est statura mediæ. *Corpus autem habilissimum*, inquit, *εὐεκτικώτατον*, id est, optimi habitus, *quadratum est, τὸ σύμμετρον, neque gracile, neque obesum*. Et ex Canibus apud Columellam probatur quadratus potiùs quam longus aut breuis: & Palladius in bobus membra exigit quadrata, & grandia, inquit Pier. Valerian. Hieroglyphicor. lib. 39. cap. 35. *Sint boues nouelli, quadratis & grandibus membris*: ex quâ similitudine, inquit Rhodigin. lib. 18. cap. 15. quadratam etiam compositionem æqualiter fusam inuenias apud Quintil. lib. 2. *Quæ lenis & quadrata, sed virilis tamen compositio est*. & Cicero in Oratore, *Quin redigeret omnes ferè in quadrum, numerumque sententias*. Inde etiam quadrati versus apud Classicos Auctores: & tetrametri, quadrati vocantur.

Quadratum numerum, octauo Geometriæ, intelligit Euclides, qui quatuor æqualibus continetur lateribus, vt quatuor, octo, sedecim, ex quo eruditi numerum quadratum intelligi volunt, ex seipso in seipsum resultantem, vt quater quatuor, sedecim constituant.

Dij præstites, quatuor homini adesse dicuntur, inquit Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 19. *δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην*. Est & humanitas quadrata, vt quæ distinguatur in carnem, spiritum, manes, & vmbram: vnde illud,

Bis duo sunt homines: manes, caro, spiritus, vmbra:
Quatuor ista, loca bis duo suscipiunt.
Terra tegit carnem, tumulum circumuolat vmbra;
Orcus habet manes, spiritus astra petit.

Sapientiam Veteres in quadro statuebant, huius sedem firmam & inconcussam indicantes: Gen. 6. iussus est Noë ex quadratis lignis, arcam fabricare: *Fac tibi arcam de lignis quadratis*. Sic enim legunt Septuaginta, vulgata verò, de lignis leuigatis, quibus aut Ecclesiæ Doctores significantur, quorum sapientiâ inclusi populi conseruantur, & ab incursantium Hæreticorum procellis, proteguntur: aut quales sunt viri illi exprimitur, qui Ecclesiam constituunt, ex D. Augustini sententiâ in ps. 86. dicentis, *Non enim frustra etiam de lignis quadratis ædificata est arca Noë, quæ nihilominus figuram gestabat Ecclesiæ. Quid est enim Quadratum? Attendite similitudinem quadrati lapidis, similis debet esse Christianus. In omni tentatione sua Christianus non cadit, & si impellitur, si quid inuertitur, non cadit: non quadratum lapidem, quacunque verteris, stat.* Bibliothecam ex quadratis lignis extruendam admonet Origenes, hoc est, Propheticis, & Apostolicis voluminibus, in quibus vera sapientia, vt qui refectis vitæ vitijs, quadratum tenorem, & ex omni parte libratum tenuerint: ita totidem verbis Pier. Valer. Hieroglyphicor. lib. 39. cap. 3. Est & quartus lunæ ortus obseruatus à Virgilio, lib. 1. Georgicôn, & in eo, virtus.

Gen. 6.

Bibliotheca e lignis quadratis.

Luna reuertentes, quamprimùm colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit, vento semper rubet aurea Phœbe:
Sin ortu in quarto (namque is certissimus auctor)
Pura, nec obtusis per cœlum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluuiâ, ventisque carebunt.

3.

Stoici vitæ nostræ splendorem ex quatuor virtutibus collaudât. Physici cum Pythagorâ, animâ, siue iudiciales potentias in quatuor partiuntur, in mentem siue intellectum, scientiam siue rationem, opinionem, sensum: & animus noster, per quatuor gradus ad cognitionem ascêdit, per sensum, per imaginationem, per phantasiam, & per intelligentiam. Hinc Pythagoræi, quod nos tetragrammaton, τετρακτὺν vocant, quam omnibus Dijs, Deorumque virtutibus præferendam ducunt, asseruntque perpetuæ naturæ fontem esse in animos nostros manantem, siquidem dici nihil possit, quod à numero quaternario, tanquam à radice & principio, non dependeat: vnde Pythagoras apud Plutarchum, lib. 1. de placitis Philosophorum cap. 3 vim omnem numeri denarij, in quatuor, & quaternario esse dicit: Caussa hæc est: si à monade profectus addendo colligas numeros, vbi ad quatuor progressus fueris, explebis numerum denarium: quòd si excesseris quaternarium, simul denarium transilies: vt si ponas vnum, & duo adieceris, hinc tria, atque his quatuor, numerum confeceris denarium: vltra quem non est propriè numerus: nam qui vltrà dicuntur numeri, priorum sunt replicationes: quod sic commonstrat Philo lib. de mundi opificio. *Quaternarium denarij omnium absolutissimi caussam, fontemque dicere licet, quod enim actu est denarius, hoc potentiâ quaternarium esse videtur: nam si ab vnitate vsque ad quaternionem, deinceps componantur numeri, denarium efficient, qui est immensitatis numerorum terminus, ad quem, tanquam metam circumaguntur, & se reflectunt.*

In aureo Pythagoræ carmine, per τετρακτὺν iuratur, tanquam summum quo fides, & rerum credulitas nitatur, hinc illud:

Iuro per hunc animæ potuit qui tetrada nostræ,
Æternæ fontes naturæ infundere habentem.

Quasi quaternarius, iusiurandum esset sanctissimum. Et Mercurio præcipuè, quaternarius dicatus est, inquit Plutarchus, quod quadratus censeatur Deus, vt notat Angelus Roccha in Bibliothecâ Vaticanâ; siue quòd quarto mensis die natus feratur, vt scribit Plutarch. lib. 6. Symposiacar. quæstionum quæst. 3. vel ob sedecim literas ab eodem inuentas, quæ quatuor quaternarijs constant, vt obseruauit Roccha. Pleraque etiam simulacra Mercurij, quadrato statu figurantur, vt scribit Macrob. Saturnalium lib. 1. cap. 19. solo capite insignita. Aut vt significaretur rationem & veritatem, perinde vt forma quadrata, rectam semper stare, inquit Pier. Valerian. Hieroglyphicor. lib. 39 cap. 32. nam rationis, sapientiæ, & veritatis Deus, Mercurius antiquis fuit: Aut etiam, vt, Macrobio auctore, totidem mundi plagæ significentur; vel quatuor vices temporum, quibus annus cluditur: vel quòd duobus æquinoctijs, totidemque solstitijs, zodiaci ratio distincta sit.

Lacedæmonij, summum Iouem, quatuor insignitum auribus depingebant, quoniam sit ipse quoque summus quaternio, id est, iuxta Pythagoricos τετρακτύς. Apud Arcadas, non solùm Iouis, sed & aliorum Deorum simulacra quadrifigura erecta sunt, Auctor Pausanias, nempe inquit Pier. Valerian. lib. 39. Hieroglyphic. cap. 33. vt eorum stabilitas esset indicata, secundum illud,

Iupiter ipse manens stabilis dat cuncta moueri.

Iehoua quoque veteres, Hieroglyphico signatio, his quatuor repræsentarût, oculo, baculo, scuto, & serpente, quibus figuris Scythæ, naturæ vniuersitatem expressere, punctum, lineam superficiem & corpus significaturi, quibus totius corporalis vniuersi natura perficitur. Plura compêries cùm in sacris codicibus, tum in profanis, quæ huiusmodi contineant quadraturâ, mysterij alicuius significandi caussâ.

Tetragrammaton vt in mysticam numerorum seriem resoluatur.

Nunc

4. ꞽ Iod, vnum significat.

NVnc ad sacræ tetradis resolutæ mysteria cuius si typorum rationes expenderimus, ab vno summo & immutabili, omnium omninò rerum formas emanasse intelligemus. ꞽ *Iod* namque prior huius nominis יהוה *Ihoua*, character, figuram refert puncti, & ita, vnum significat: nam veteres, punctis numeros exprimebant, nihil autem puncto, nihil vno prius, & ipsum omnium rerum est principium: vnde Eusebius in Orat. de laudibus Constantini: Ternarius, inquit, vnitatis veluti proles est, vnitas autem mater numerorum est, omniumque mensium, mutationum temporis, annorum; vniuersique temporis circuitus, cursusque varietates distinguit. Et præterea, multitudinis principiũ, fundamentum, & quasi elementum *μονας*, id est, vnitas, meritò dicitur *παρὰ τὸ μένειν*, id est, à *manendo*, appellata, propterea quod cùm omnis multitudo, accessione, ac discessione numerorum crescat & diminuatur, sola vnitas, stabilis & fixa manet, ab omni multitudine, omnibusque numeris ex se procreatis, secreta, seiunctaque: similitudinemque gerit essentiæ, quæ neque partiri potest, & est ab alijs rebus segregata, cuius vi & communione, rerum omnium natura firma consistit. Et apud Hebræos ꞽ *iod*, decadem, id est, finem numeri designat: ad denarium autem vsque diffunditur ipsa Diuinitas, ab vnitate nempe sua simplicissimâ & infinitâ, ad numerorum complementum sese effundens supra nouenarium primam vnitatem adscito zero, siue, o, nihil significante, nec se sua virtute mouente, in numeris accumulans: quò significetur, quidquid ab illâ summâ & infinitâ vnitate emanauit ad extra, nihil esse, si ab vnitate separetur, & discedat; esse autem, viuere & moueri in illa vnitate, si ad illam reuocatum, in ea permaneat.

Huius vnitatis per ꞽ *iod* significatæ, potestas & diffusio, ex numeris peti potest, quorum mensura communis ipsa quoque vnitas est, vicemque obtinet puncti, quæ cùm sit interualli principium, atque longitudinis, ipsa tamen nec interualli, nec longitudinis est capax. Quemadmodum enim si puncto punctum addideris, nihil nisi punctum erit; ita vnitas in seipsa multiplicata, nihil præter seipsam producit: vt si dixeris, semel vnum, semel, non latiùs vagatur, sed in vno permanet, nihilque est ampliùs quàm vnum. Vnde Orontius Fineus in proœmio Arithmetices, *vnitas omnium numerorum radix & origo, in se, à se, ac circum seipsam vnica & impartibilis permanet, ex cuius tamen coaceruatione, omnis consurgit & generatur, omnisque tandem in eam resoluitur numerus.*

Vnitas ergo est, quâ vnumquodque dicitur vnum, siue corporeum, vt homo; siue incorporeum, vt Angelus. Numerus autem, est compositarum vnitatum multitudo: igitur vnitas omnium numerorum radix & fundamentum esse dicitur, cùm omnis ex vnitate consurgat, & in vnitatem resoluatur numerus. Iam cùm in Deo non sit alius numerus quàm fœcunditas omniũ productionum, tam ad intra, quàm ad extra, dans rebus vt variæ sint, ex multâ virtute productiuâ quæ in ipso est: estque idem cum ipsâ vnitate eius infinitâ & essentiâ, vnde multiplex illa virtus, & rerum quæ in Deo sunt multifaria varietas, vnum sunt in illo, & tantùm in creaturis diffusa multiplicantur, quia vnitas in Deo, multitudo autem nisi in creaturâ cernitur. vnitas. Diuinitatis naturam nostræ exhibet imbecillitati, à quâ, & ex quâ, & per quam, & in quâ, & ad quam sunt omnia: sicut in numeris, est vnum, par, impar, totum, & reductio. Hinc D. Dionysius. *Etenim in monade omnis, numerus constat vniformiter, habetque omnem numerum vnitas in seipsa vnicè, & omnis numerus coniunctus quidem commonadice est: quantùm verò ex monade processerit, tantum discernitur, & multiplicatur.*

5. Vnitas in ternarium diffunditur.

Inprimis itaque intra Diuinitatis terminos, si illius infinitas, terminus appellari potest, vnitas in ternarium diffunditur, in tria nempe realia & absoluta, in quibus fundantur relationes originis, quæ per trinitatem significantur, veluti scribit Franciscus Georgius Venetus, Problematum tom. 6. sect. 1. videlicet intellectus, intelligens, & vis productiua Verbi, in quâ fundatur paternitas, & Verbum productum in quo fundatur filiatio, & amor ex vtroque emanans, in quo fundatur spiratio passiua Spiritus sancti. Quæ omnia, cùm radicata sint, in vnitate essentiæ infinitæ; dicuntur vnum, sicut ait Dominus Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* In ternarium tamen diffunditur illa virtus diuina, tanquam in primum numerum masculeum, & rerũ omnium extra Diuinitatem productiuum. Arithmetici namque, vt scribit Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis, cap. 6. imparem numerum patris, & parem matris appellatione venerantur. Inde à summa vnitate numerus, inde profectio; quoniam assumpto alio ternario ad primum potentiâ, scilicet, sapientiâ, & bonitate, tanquam principio, medio, & fine, quibus ternarius constat, extra se profecturus Deus, quaternarium etiam suscepit, qui vniuersitatem femineam signat, vt plenus esset fons & origo procedendarum rerum, denariusque compleretur numerus: hinc Timæus Platonis apud Macrobium, fabricatorem mundanæ animæ Deum, partes eius, ex pari & impari, id est, duplari & triplari numero intertexuisse, dixit, paris & imparis nomine materiam & formam adumbrãs, propter rationis similitudinem. Par etenim numerus, cùm in duo æqua diuiduus sit, aptus est diuisioni: at materia, caussa est interitus, atque adeò diuisionis. Item, impar, quia sectioni minùs est idoneus, formæ assimilatur, quæ nexus & stabilitatis caussa est. Non enim forma aliam desiderat materiam, cùm interim materia alias semper formas appetat, quo ex appetitu diuortium & dissolutio oritur; eoque spectat quod Philo, allegoriarum libro ait, Binarius est imago materiæ, quæ diuiditur, secaturque tanquam mortalis: & Trismegistus in Pimandro. Deus est vtriusque sexus fœcunditate munitus. Atque ita, ad denarium vsque sese diffudit prima illa vnitas; & in denario inuenitur vnitas, cum ipso nihil creaturarum, per o, siue ciphrâ, significatarum, quoniam extra Deum, qui vnitas est, nihil sunt.

Ioan. 10.

Porrò denarius Plutarcho Quæstionum Conuiualium lib. 9. quæst. 5. est ex numeris præcellentissimus: Macrobio in Somnium Scipionis lib. 1. cap. 6. & Philoni lib. de congressu quærendæ eruditionis gratiâ, perfectissimus; ideoque Deo familiaris, vtpote qui decimas sibi consecratas voluit. Et vt à sacris ad profana diuertamus, Romulus confirmatis rebus, regnoque constituto, Senatores in decem decurias partitus est, vrbem in decurias triginta: in totidem decurias Equites; Principes hastatos & pilanos, denario finiuit: annos in menses decem terminauit: ita Pier. Valerian. Hieroglyphicor. lib. 39. cap. 38.

6.

Nouenarius autem numerus, qui ex ternione

per seipsum multiplicato conflatur, & nouem solis illis significationis elementis constat; mortali nostro generi est conueniens, aut quia multitudinem significat, quandoquidem pro multis poni obseruatum est. vt quum Aratus inquit, ἐννεάγηρα κορώνη, non quòd nouem ætates viuat, sed quòd perquam diu, apud Pier. Valer. lib. Hieroglyph. 37. cap. 25. Aut quia iisdem diebus, homines liberantur à morbis, quibus intereunt, sicut docuere Hippocrates 2. Prognostici; Galenus 1. de Crisibus, cap. 1. & alij. Et rursus 3. Prognostici Galenus sect. 30 nonum diem in doloribus decretorum statuit: & venena nono vincuntur die: intra nouem dies intereunt, quibus Cerastes serpens veneficum impressit dentem. Morbus ex ictu antiqui serpentis contractus, nono expurgabatur die, vt habetur Leuit. 23. *Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis.* Atque ita pœnitentia & lacrymis eluebatur serpentis virus. Nouem igitur diebus, aut seruantur, aut intereunt homines seruantur, si cùm ab vnitate discesserint, ad eam pio mentis affectu redierint, intereunt, si in sua impietate, & ingratitudine, ab vnitate desciscentes, permanserint. Ideoque Dominus, mandatis decem leprosis, cùm ex illis vnus ad vnitatem, & salutem redijsset, de nouem alijs meritò requirit, *& nouem vbi sunt?* vt nimirum, salutem, si velint, consequantur. Nouenarius quippe, sicut & interitus, sic & salutis est principium, ex quo, vnici gradus ascensu, transitur ad decalogum, siue obseruantiam salutificam legis diuinæ.

Leuit. 23.

Luc. 17.

Renatus Benedictus in vita Sancti Marculphi, Christianissimos Reges, etiam sacratos, adeoque olei sancti vnctione delibutos, strumas non aliter curare scribit, quàm ad Sancti huius sacras exuuias, nouendiale sacrum obierint, honorandoque Sancto Marculpho, nouem dierum iter, cùm magnarum sacrarúmve cæremoniarum obseruantia, confecerint. Scrophulis laborantes, totidem dies, ad sancti huius corpus, certo ritu exigere oportere, cuius numeri, etsi ratio reddi non possit cur requiratur, non ideo superstitiosus esse iudicandus est, neque damnandus hîc ritus & obseruantiâ, vti nec in alijs.

Strumas Reges Franciæ curant.

Apud Ezechielem cap 40. octo templi gradus describuntur, quos qui prætergressi erant, intra templum admittebantur, nono descensu, intra templi adyta recepti. vbi cum Deo colloquebantur, & salutem reportabant, quemadmodum Ioan. Bustamantinus lib. 1 de animantibus Scripturæ sacræ cap. 20 num 368. adnotauit. Nouendialis obseruantia, à furente animali morsus ad Diui Hubertii, pro salute præscribitur, perit is qui infregerit. Nouem Dierum oratione Gaspar Barzæ, conuersionem nobilis cuiusdam impetrauit, auctor Nicolaus Trigaultius in eius vita. Et ne doctas veterum fabulas omnino aspernari videamur, facit ad hanc rem, quod Ouidius. lib. vltimo Metamorphoseôn scribit. In Africâ, lacum Tritonicum appellari, in quo primùm Pallas, Sapientiæ Dea visa sit mortalibus, quo si quis nouies immersus ablueretur, in alitem suauissimi cantus commutatum iri. terras aspernari, & sidera petere, quo innuitur, inquit Bustamantinus, lacum Christi cruoris, & lauacrum pœnitentiæ salutaris, nouies ingressis, imò vel semel in lauacro regenerationis, tanquam in piscina Siloë, ablutis, alas conferri, quibus ad superna peruolent, cælisque inferantur, cum suauissimo gratiarum actionis cantu Creatori iubilantes.

Hesiodus auctor, Iouem cum Mnemosyne, noctes nouem concubuisse, vnde Musarum prolem nouenam mox susceperit, quibus etsi Ephialtes, & Otus Aloei filij, primi omnium sacra fecerint, & Heliconem montem Bœotiæ, prope vrbem Thespiam consecrarint, easque numero tres religione sanxerint. Meleten, Mnemen & Aœdem, hoc est, Meditationem, Memoriam. & Cantionem; Pierus tamen Macedo. quum Thespias venisset, nouem nominibus Musas coli instituit. quum filias nouem haberet. de Musarum nominibus appellatas, Pausanias in Bœoticis. & Theatrum vitæ hum. volumine 27. lib. 4. titulo de Ethnicorum societate religiosa. Per nouem illas autem noctes significatum est, cum diu literis incumbere oportere, qui scientiæ, atque ingenij sui, aliquod monumentum posteris est relicturus. Et nouem mensibus, portati in vtero materno, lucem vitali effundimur: portati quoque ab vtero Dei, post nouem vitæ labores, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, iuuentutis constantis, siue virilitatis senectutis, decrepitæ ætatis, & [illegible], in [illegible], & nouem Angelorum choris inserimur.

Nouenarij porrò numeri, is ordo est, vt tradit Bustamantinus lib. 1. de animantib. Scripturæ sacræ, cap. 10. num. 347. vt prima vnitas sit Dei, & Deus ipse prima vnitas, qui est simplicissimè vnus, & vnitatis prima vnitas. Et sicut motus puncti facit lineam, & motus lineæ planiciem, ita motus vnitatis creat alterum, & alteritas, binarium: alterum enim nonnisi binario tribuitur & alter, inquit Seruius tantùm de duobus dicitur, binarius autem compositionem indicet vnitatum. Omne ergo quod primò extra Deum fluit, inquit Reuchlinus simulatque ipsum iam Deus non est alterum ab eo, & prima multitudinis par fit: vide Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis, cap. 6 Dyas inquit, quia post monadem prima est, primus est numerus: hæc ab illa omnipotentiâ solitariâ, in corporis intelligibilis lineam prima defluxit. [illegible] enim numerus, inquit Pier. Valerian. corpoream naturam indicat, & pro immundis accipitur in sacris, vbi & par turturum, aut duo pulli columbarum, pro immunditia mulieris efferri iubentur: pessimique spiritus esse nonnulli suspicantur; vt propterea 1. Reg 3. quum Angelus secundò Samuëlem vocasset, expectanda fuerit tertia compellatio, vt vox Dei fuisse dignosceretur. Sed & D. Hieronymus, aduersus Iouinianum obseruauit, à secundo creationis die, iuxta veritatem Hebraicam, submotum esse, & *vidit Deus quod esset bonum*, quod in alijs aliorum dierum operibus, dictum legitur, vt intelligamus numerum binarium non esse bonum, vt qui ab vnitate deficiat, sectionis & diuortij caussa sit vnionem diuidens, vnitas autem tota sit Dei.

7. Nouenarij numeri ordo.

Binarius.

Nihilominus tamen in bonam quoque partem accipitur Dyas, vt aliquid boni significet; sic Apocal. 12. datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ. quæ vel sunt duo testamenta, vt vult Beda, vel gemina Dei & proximi charitas, vt vult Primasius, vel vita actiua & contemplatiua. vt vult Haymo. 2. Paralipom c 3. & 5. & 3 Reg. 6. in domo Sanctisanctorum cōstituti duo Cherubim, & duabus alis tegebant sancta sanctorū, quo in loco reposita fuit arca Dei, vt & occulta, atque incognita Diuinitatis magnitudo subesse crederetur, & summæ illius naturæ contemplatio prohibita censeretur, quód per obtectionem propitiatorij significari docet Diuus Gregorius: Iosue 2. *Iesus misit duos exploratores ad ciuitatem Iericho*, inquit Diuus Augustinus sermone 106. de tempore, *quia verus Iesus daturus erat duo præcepta dilectionis*. Et tractatu 17. in Ioan.

Apocal. 12. Binarius numerus bonitatem suam h[abet].

In charitate autem duo præcepta nobis commendatur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ: & diliges proximum tuũ sicut teipsum. In his duobus præceptis, tota lex pendet & Prophetæ. Meritò & illa vidua omnes facultates suas, duo minuta misit in gazophylacium Dei: meritò & pro illo languido à latronibus sauciato, stabularius duos nummos accepit, vt saneretur: meritò apud Samaritanos biduum fecit Iesus, vt eos charitate firmaret: Binario ergo isto numero, cùm aliquid boni significatur, maximè bipartita caritas commendatur.

8. Ternarius numerus.

A binario ad ternarium fit diffusio, qui numerus primus in partes numericas æquales insecabilis, tum summæ Trinitatis, tum fidei, spei, & caritatis est: atque incorporeæ naturæ consecratus, nunc animæ, nunc Dei simulacrum est; & Angelicam naturam significat. Animam quidem tribus suis partibus absolutam assignat, inquit Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. quarum prima est, ratio, quam λογιστικὸν appellant: secunda animositas, quam θυμικὸν vocant: tertia cupiditas, que ἐπιθυμητικὸν nuncupatur. Deo autem tribuitur, quia vnus sibi est, & Trinitas vna, & vnus Deus trinus. Et dies tertius mysterium designat Trinitatis, teste D. August. serm 71. de tempore: *Nam quod dies tertius,* inquit, *in sacramento vel mysterio debeat accipi Trinitatis, frequenter in voluminibus sacris inuenitur, sicut in Exodo, viam,* inquit, *trium dierum ibimus in desertum: & iterum quando ad montem Sina ventum est, dictum est populo (Exod. 19.) sanctificamini, & estote parati in diem tertium. Et Iosue transiturus Iordanem, vt in die tertiâ populus paratus sit, admonuit: & Dominus die tertiâ resurrexit. Et Beatus Abraham, die tertiâ venit ad locum quem ei ostenderat Dominus.* Et serm. 106. *Dixit ergo Iesus, preparate vobis cibos, & estote parati ad diem tertium. Sicut enim tunc preparatis cibis, die tertio ventum est ad Iordanem fluuium: ita & nunc in Ecclesiâ Catholicâ, assumptis spiritualibus cibis fidei, spei, & caritatis, peruenitur ad Trinitatis mysterium, & ad Baptismi sacramentum.* Angelicæ verò naturæ, primùm numerus, quia multitudo est à Deo fluens, ex actu & potentiâ constructa, tùm impar datur, quia proxima est Deo, & eius participatione freta, tanquam aliqua Dei portio, rursus ad Diuinitatem conuertitur. Et quemadmodum in Trinitate, ternarius ita connexus est, vt ab vnitate simplicissimâ non discedat: ita in rebus tres vnitates considerantur, ita mutuò connexæ, vt vnitatis simplicitatem non egrediantur. Prima est, quâ vnumquodque sibi est vnum, inquit Pier. Valerian. lib. 39. Hieroglyphicor. cap. 40. sibique constat, atque cohæret: Secunda, per quam altera alteri res vnitur, & per quam omnes mundi partes, sunt vnus mundus. Tertia, quâ totum vniuersum cum suo opifice, sicut exercitus cum suo duce, est vnum: Et hæc tripartitiuò considerata vnio, inest vnicuique rei per suam simplicem vnitatem vnam, fluentem ab illo vno, quod est

Simplex ætherei Numinis vnitas,
Quæ distincta eadem est, verâque Trinitas.

Exod. 3. Exod. 19. Iosu. 3.

Vti cecinit Muretus. Patris enim potestas omnia producens, suam omnibus largitur vnitatẽ. Sapientia filij ritè omnia disponens, omnia inuicem vnit & copulat. Mox Spiritus amoris, suo vinculo ad Deum omnia conuertens, totum opus opifici, nexu caritatis coniungit: Atque ita in confesso est, numerum primum perfectissimũ omnium, esse ternarium, quòd principium, medium, & finem habeat, inquit Plutarch. Quæstionum Conuiualium lib. 9 quæst. 3. Principiũ namque est patris potentia, à quâ omnia: Medium, sapientia filij, per quam ordinantur omnia: finis, bonitas Spiritus almi, ad quam reuocantur omnia, quia propter bonitatem suam, omnia creauit Deus, omnia ordinauit. Hinc illi nomen amoris, nomen caritatis, quâ nos afflatĩ, primùm quidem Deum ipsum supra nos, supraque omnia diligere debemus, tum nos ipsos; tertiò proximum nostrum, sicut nos ipsos.

Ternarius numerus omnium perfectissimus.

Ab illo quoque trino simul & vno, ternarius etiam in homine cernitur, ad cuius complementum tria concurrunt, corpus, anima, & benè esse, quæ omnia primus homo immediatè accepit à Deo. Quamuis enim esse, complectatur corpus & animam, aliud tamen est corpus, aliud anima, aliud bene esse: anima separari potest à corpore, & habere esse, bene, vel malè; quâ tamẽ existente in corpore, meliùs sentitur malè esse corporis, quam male esse animæ, in quod incurrit Adam factâ iacturâ sui bene esse, & in ipso remansit corpus & anima cum malè esse, quæ nos per hominem à Deo recipimus, sed bene esse, quod est complementum hominis, per gratiam Christi à Deo accipimus. Tres etiam sunt in homine spirituum fontes, qui in membra influunt, illisque, quidquid habent vitæ, motus, & sensus, conferunt; nempe hepar, cor, & caput. Ab hepate digestioni destinato, fluunt spiritus naturales, transmissi cum sanguine per venas, quo ipsum corpus, membraque coalescunt, & nutriuntur. A corde emanat spiritus vitalis, calórve naturalis, qui per arterias in membra diffusus, illa alioqui interitura viuificat. A capite spiritus animalis diffunditur per neruos in membra, cuius vi, ipsa motum habeant & sensum. Spiritus autem dicuntur propter vim & energiam, quâ viuifici humoris, per venas, veluti per canales quosdam, in vniuersum corpus diffusione, vitam, motum, & sensum, membris conferunt.

9. Quaternarius ad animæ perfectionem pertinet.

A ternario, fit ad quaternarium additâ monade, progressio, quem Pythagoræos, quasi ad animæ perfectionem pertinentem, inter arcana venerari, scribit Macrobius lib. 1. in Somniũ Scipionis, & ex eo iurisiurandi religionem facere, vnde illud,

Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.
Iuro tibi per eum, qui dat animæ nostræ quaternariũ.

Hic numerus, sanctis quatuor animalibus consecratur, Ezech. 1. de quibus, *Et quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.* Euangelistis quatuor, totidemque sacris Ecclesiæ Doctoribus. Virtutibus quoque quatuor cardinalibus, vnde cæterarum est egressio, & quibus, quasi quatuor paradisi fluminibus, inquit Glossa, omnia virtutum germina irrigantur. De quo numerò multa congessimus in principio huius §.

Ezechiel. 1.

Quinarius per ה significatur.

Quinarius sequitur ex primo binario, & primo ternario genitus, per primum ה *he*, significatus, quod est quinarij numeri notula, & quadriliteri nominis elementum secundum, ideoque binarium indicat à primaria vnitate fluentem, potentiam scilicet, & actum, ex quibus creata immaterialis natura constatur: siue genus & differentiam, quibus constant vniuersa: siue virtutem fœmineam, pari (vt diximus) indicatam numero, quæ à masculâ per primum ternarium significata, creatur. Quum enim, quæ à Deo sunt, quantumcunque simplicia sint, plurium coaceruatione constent, idcircò primus Diuinitatis typus extra se fluens, non simplici aliquâ imparitatis nota celebrari debuit, sed quæ simul pari & impari numero constaret, vt esset ipsum quod est, quodque, ab ipso quod est, effluxisset. Sacer est hic numerus Christi Seruatoris nostri vulneribus quinque, quorum stigmata rediuiuus, in glorificato

ficato corpore, reseruauit, tanquam quinque sensuũ nostrorum ianuas quinque, per quas ad æternitatis gloriam nobis aditus pateret.

Senarius per ו van, indicatur.

ו *Van*, senarium numerum significat, & nota est cæli & terræ, hoc est, omnium rerum materiam & formam complectentium: estque copulatiua orationis particula, in verborum coniugationibus, tempora transmutat, quò temporalia omnia, temporum vicissitudini patere significatur, iuxta illud Eccles. 1. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est.* Et quidem senarius in solidorum naturâ ita est, vt inseparabiliter circa omne corpus versetur: inde ἑξάγωνον, id est, corpus solidum, quod propter longitudinem, latitudinem, & altitudinem sex angulis clauditur: est enim in longitudine, antè & retrò: in latitudine, dextra & sinistra: in altitudine, sursum & deorsum. Tria igitur sunt interualla solidorum, & cuiuslibet motus duo: ideò post י *iod*, id est, vnum, sequitur ה *he*, id est, duo, atque tria, & tandem ו *van*, id est sex; qui numerus, priorum numerorum multiplicatione oritur, vt si dicas bis tria, aut ter duo. Senarius autem ex vno & duobus, atque tribus colligitur. Hinc Macrobius in Somnium Scipion. lib. 1. cap. 6. Senarius variæ ac multiplicis religionis, & potentiæ est, quòd solus ex omnibus numeris qui infra decem sunt, suis de partibus constet, habet enim medietatem id est, tria, & tertiam, id est, duo, & sextam partem, id est, vnum, quæ in vnam summam redacta senarij corpus efficiunt, quod nulli præterea numero accidit; vt si octonarium assumpseris, habet partem mediam, vt, quatuor; & quartam, vt duo; & octauam, vt vnum, quæ simulsumpta, non octo, sed septem efficiunt. Quare senarius hic, totius corporalis naturæ perfectionem solus demonstrat; vnde Moises, sex diebus fabricatum ait mundum, inquit Philo, lib. de Mundi opificio, non quòd temporis spatio opus habuerit Conditor; Deus enim non iussu solùm, sed & cogitatu operari creditur: sed quoniam opus erat res creari ordine quodam, ordini autem numerus est proprius: inter numeros verò, lege naturæ, aptissimus generationi est senarius: nam post vnitatem primus occurrit perfectus, paribus constans partibus è quibus conficitur; è ternione, scilicet, siue dimidio, è binario, parte tertiâ, & ex vnione, parte sextâ: & post pauca: Imparium autem principium, ternio, parium binarius, ex amborum verò viribus, constat senio: oportet enim mundum, cùm sit creaturarum omnium absolutissimus, iuxta perfectum numerum compingi, nempe senarium; & quia in seipso complexurus erat generationes, è binariâ copulâ formari ad numerum mixtum, eum qui primus pariter impar est, vt in se contineret proseminantis masculi tum fœminæ genituram suscepturæ speciem. Hæc ille.

Senario opera misericordiæ intelliguntur.

In senario sex operum misericordiæ exercitiũ attendit Bustamantinus, quæ licet septem claritatis caussa numerentur, reuerà sunt sex, cùm idem sit, pascere esurientem, & potum dare sitienti, vti tradit D. Thomas. Hinc, fit ad Spiritus sancti dona transitus in quibus summa perfectio est, & septem numerantur, velut phialæ septem plenæ odoramentorum, in quibus erat spiritus vitæ, à cælesti medico ad sananda vulnera præparatæ, septem fortasse oscitationibus excitandis accommodatæ, vt inquit D. Bernard. serm. 16. in Cantica; quarum Scriptura meminit 4. Reg. 4. *Et oscitauit puer septies, aperuitque oculos*, vt à mortuis cum filio Sinamitidis, excitemur: Attulit enim Spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis spiritum scientiæ & pietatis, & spiritum timoris Domini: Sunt lampades, siue lucernæ septem, Exodi 26. *Facies lucernas septem, & pones eas super candelabrum*: Gloss. septem lucernæ sunt septem dona Spiritus sancti, quæ in Christo semper manserunt, & fidelibus secundum voluntatem eius distributa sunt: vt refert Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ, cap. 84. septem lampades Apocal. 4. & Zachar. 3. septem crines Samsonis Iudic. 16. septem columnæ quæ sustentant Ecclesiam: Prouerb. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*, id est, Ecclesiam, quam ædificauit Dominus supra petram, Matth. 16. Septem ætatibus cursus vitæ completur, infantiâ, pueritiâ, adolescentiâ, iuuentute, virilitate, senio, & decrepitâ ætate: quod Leuit. 32. indicatum: *Septem diebus comedetis azyma*, quod explicat Apostolus 1. Cor. 5. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis*, non ad tempus, sed omni vitâ. vt ad septenarium reducti, quo Deus quoque significatur, vt qui ipse sibi similis, alter ab alijs sit, nec genitus intra denarium; nec generans, sicut octo generantur à bis quatuor, sed non generant; quaternarius octo generat, & à bis duo generatur: septenarius sine matre est: sic Deus Princeps vniuersorum solus, semper singularis, semper immobilis, naturæ ingenitæ, cui septies in die laudem Psalmista dicebat, Ps. 118. & nos quidquid sumus, toties acceptum ei referre debemus, vt per octo beatitudines sanctificati, tandem in nouenario salutis & gratiæ numero, conquiescamus.

4. Reg. 4. — Exod. 26. — Prouerb. 9. — Leuit. 32. — 1. Cor. 5. — Psal. 118.

10.

Tandem post secundum naturæ corporeæ fluxum suis numeris absolutum, per ו *van* characterem, hoc est, senarium dierum numerum, quibus *perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum*: Gen. 2. designatum, sequitur emanatio tertia, per secundum ה *he*, hoc est, per secundum quinarium indicata: animus nempe rationalis, qui cum Angelis, esset spiritualis, & à materiæ concretione absolutus à formâ tamen corporis, inter merè corpoream, & merè spiritualem substantiam; medius: ad quod allusisse videtur Maro, quum cecinit:

Gen. 2.

Igneus est ollis vigor, & cælestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

Quia enim, vt inquit Plato in Timæo, primò Deus creauit ignem, deinde terram, hæc tam diuersa, absque medio cohærere non poterant: restabat igitur tertium quòd medium inter vtrumque partim cum superiore, partim communicaret cum inferiore.

Luces igneæ Angeli.

Cùm igitur luces primùm creatæ sint igneæ, hoc est, Angelica natura, deinde corporea, aliquam substantiam in materiâ fieri decuit, quæ nec à materiâ dependeret, neque sine materiâ existeret. vt quoad virium suarum operationem habitaret in corpore, & quoad essentiæ suæ potestatem, habitaret cum Angelis, & alterutra parte, neutri mundo deesset. Animus enim secretus à corpore, par Angelis, in corpore verò, minoratus paululum ab Angelis, inferiori humanitatis parte despectâ, confisus diuiniori, cælum suspicit, vt cælestis fiat & diuinus.

Hæc est vltima ה *he*, reductio, nempe, homi-

nis

nis ad Diuinitatem; hic est finis, hic terminus, hæc nominis sacri perfectio, de quo Dominus, *ostendam tibi omne bonum, & vocabo nomen* יהוה *iehoua coram te*: reducendo dependens creatæ substantiæ bonum, ad summum increatum & independens bonum. Hæc est quarta litera apud Danielem cap. 3. *Species quarti, similis filio Dei*: tùm, quòd ה, *he* Verbum Dei demonstrat sedens super Cherubim, habentia alas quinque cubitorum 3. Reg. 6. fecit Salomon super arcam, duos Cherubinos, in quibus sederet nomen Domini exercituum: *quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera*, quasi effigies quædam cælestis essentiæ, citra Deum, & naturæ: tùm, quòd, Deum hominem, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius, ostendat, in quo ternarius diuinitatis, & binarius humanitatis, quinario significetur. Tum denique, quia Ioan. 1. *Dedit Deus hominibus potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, cuius vltima litera ה *he*, est quasi quarta facies Aquilæ in rotis, quæ gradiebantur iugiter, nec reuertebantur Ezechielis 10. Hæc est quarta litera, cuius vi Abraham centenarius, ex nonagenariâ vxore, factus est pater multarum gentium, ob idque nomini eius addita, cùm antea Abram vocaretur. Est fluuius irrigans paradisum in capita quatuor distributus, qui sunt quatuor (vt diximus) Euangelistæ, aquis salutis vniuersum orbem irrigantes, ab ipso fluuio Christo deducti, qui cùm humanarum, diuinarumque rerum sit fons & origo, Oceanus ab Orpheo dicitur, Neptunus ab alijs, quem Orpheus quadrijugos currus impellere dicit, vt sunt Euangelistæ, qui Diuo Augustino interprete lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 32. per vniuersas orbis plagas Christum triumphantem portarunt. Tandem nostra omnis felicitas, hoc charactere quinarij numeri exprimitur, in characterizato notis quinque Seruatoris nostri corpore, è quibus sacramenta salutis nostræ emanarunt: harum enim efficaci virtute, ad principium, à quo deflexímus, reducimur, vt vnum simus cum illo per gratiam ipsius.

Daniel. 3. — 3. Reg. 6. — Ioan. 1. — Ezechiel. 10

CAPVT XLV.

De sacro nomine אל, el.

1. El est primarium nomen, à decem.

SAcræ decadis nominum diuinorum, quã texuit D. Hieronymus ad Marcellam scribens, hoc nomen אל, *el*, principem locum tenet: temeréne, an ratione aliquâ, ita enumerauerit, reposueritque, ambiguum est, אל *el*, אלהים *elohim*, אלהי *elohe*, צבאות *tsebaoth*, עליון *elion*, אשר אהיה *eser ehie*, ארני *adonai*, יה *iah*, יהוה *iehoua*, שדי *sadai*: potiùs videri nullam dignitatis habuisse rationẽ, quando illa quæ essentiam significant, & de quibus hactenus, primas sibi vendicẽt, sequãtur quæ virtutis sunt aut operationis, cùm esse sit prius quàm operari.

El virtutis nomen est.

Virtutis autẽ esse nomẽ אל *el* ex eo videri, quòd à themate איל *aiel*, ductũ tradãt Hebræi, & fortem significat, quam etymologiam, secutus Aquila, ἰσχυρὸς interpretatur, à quâ non recessit interpres Ieremiæ cap. 32. reddens *fortissime, magne, & potes*: quod in Hebraicis est. הגדול הגבור האל *hael, hagadol, hagibor, Deus magnus potens*: & repetitur lib. 2. Esdræ cap. 1. *Obsecro Domine Deus cæli* האל *hael, fortis, magne atque terribilis*; *& Deus est magnus* האל *hael, fortis*, eiusdem lib. cap. 9. à fortitudine nimirum & patientiâ sic dictus, vnde exclamat Dauid psal. 7. *Deus index iustus* האל *hael, fortis & patiens*. Inde הגוים *helgoim*, fortitudo gentium. Isaiæ 60. Sunt tamen qui hoc nomen אל *el*, ad אלה *alah*, referant, inquit Andreas Capella in Ieremiam, quod est iurare, maledicere, execrari, quia Dei potentia ita latè se exerit, vt omnia ei suam quamcumque habent virtutem & potentiam, acceptam ferentia, veluti iureiurando obstricta sint: & maledictio non sit sine iuramento, & recordatione nominis Dei. Nec desunt qui clementiæ nomen esse velint, è quibus Lemnius, exhortatione ad vitam optimè instituendam cap. 59. Sortitur quoque nomen Deus à placabilitate, inquit, mansuetudine, clementia, quâ vtitur erga homines, qui rebus afflictis & deploratis, illius opem ac subsidium implorant: & subdit, *El*, Hebraica vox, clementiam exprimit iustitiæ coniunctam, quâ pios fulcit, ac tuetur, & improbos castigat, atque incusso timore à sceleribus reuocat.

Ieremi. 32. — 2. Esdr. 1. — Psal. 7.

El, cur primarium Dei nomen.

Cæterum quod, *el*, in primarijs Dei nominibus decem, censente D. Hieronymo, primas occupet (si tamen ita senserit) ideò factum suspicatur Leonardus Marius in Exod. cap 5. digressionis nominum diuinorum, quia potentiam significat, passim ita vsurpante Scripturâ, quum de Dei potentiâ agitur: potentia autem Patri primò tribuitur, qui prioritate originis, sacræ Trinitatis princeps, fons & origo, fortis & potens: *Solus quippe*, inquit D. Gregor. Nazian. Orat. 1. Apologeticâ, *ex omnibus rebus Deus est, qui nec fugâ vitari, nec superari potest, cum aliquem arripere, ac sub manu & potestate redigere voluerit, celeres anteuertit, prudentes decipit, fortes subuertit, sublimes contrahit, audaciam mitigat, potentiam premit*. In eâ significatione locutus est Laban Gen. 31. יש־לאל ידי *Ies leel iadi*, id est, *& ad fortitudinem manus meæ*: siue, *est fortitudo in manu mea*, quod Chaldæus sic vertit, *est potentia in manu mea, vt faciam tibi malum*. Magnam potẽtiam, quasi Dei, viribus suis, & manui propriæ tribuens. Vulgata habent, *& nūc quidem valet manus mea reddere tibi malum*: quasi dicat, facultati manus meæ inest: sicut in eadem significatione Prouerb. 3. dicitur: *Si vales, & ipse bene fac*: Hebraicè, *in existẽda* לאל *leel*: id est, facultati manus tuæ ad faciendum, sicut interpretatur Pagninus. Sed cùm Hebraica litera sonet, *est ad Deum manus mea*, quod, iurantis speciem præfert, iusiurandum ipsum interponere dici posset: vel sic quoque explicari, *Cum Dei auxilio manu mea nocere vobis possem*. Igitur, aut fortitudinem, aut potentiam, aut manum Dei vocat vim, roburque magnificum quo pollet, Scripturæ phrasi, quâ, quæ ampla sunt & magnifica Dei dicuntur, vt mons Dei, cedrus Dei, manus Dei, id est, mons sublimis, cedrus procera, manus potens: & in euentibus magnis & inopinatis, manum Dei inesse dicimus.

Gen. 31. — Prouerb. 3.

Vocat autem se אל *el*, Deus Gen. 17. *Ego sum qui sum* אל *el* cui aram erexit Iacob Gen. 33. quam vocauit, *el elohe Israel*, id est, *Fortis Deus Israel*. Quòd de manu fratris Esau fortiter eum liberasset, quem inuocat Moises, *el meus, & glorificabo eum*: cuius protectionem implorat in tormentis, factus pro nobis, imbecillis in nostris

Gen. 17. & 33. — Exod. 15.

Psal. 21. Dei filius, psal. 21. *el meus, el meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Quem benefactorem & liberatorem suum expertus Dauid psal. 56. canit, *el, qui benefecit mihi*: Quem fidelem & veracem in promissis suis *Psal. 56.* Scriptura prædicat, Numer. 23. *non vir el, vt mentiatur, & filius hominis, vt pœniteat eum.* Qui fortis *Num. 23.* in promissis exequendis, *fortitudo Domini est el*, id est, protector fortis. Cuius fortitudo est, misereri & parcere: Osee. 11. *Non conuertar vt disperdam Ephraim, quoniam el, & non homo*: qui fortis, iustus *Ose. 11.* & potens, & ipsa fortitudo, ipsa iustitia, ipsa potestas est. psal. 5. *quoniam non el (Deus fortis) volens iniquitatem tu es: neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos*, quasi dicat, *Psal. 5.* non tu ex illis qui, rerum potiti, omnia sibi licere autument, suique deque æquitatem habere, & afflictos, & iudicia Dei derisui, quemadmodum de diuite cecinit D. Nazianzenus in sententiis,

> *Casum orphanorum dives in risum trahit,*
> *Et quasi minetur impetu pœnas Deum.*

Sæuiunt pro arbitrio, impijs præstant securitatem, nocent pijs. De אל *el* psal. 47. *Quoniam iustitia* *Psal. 47.* *plena est dextera tua, tu el fortis & iustus*: homo, si fortis, est iniustus. Tua, ô el, fortitudo cum summa æquitate & iustitiâ coniuncta est; hominis fortitudo, violentia est & rapina, nocet quantum potest, & valet: at tu nocentes non premis pro meritis: hominis fortitudo, quia sine iustitia est, tyrannis vocatur, ita Nemrod robustus venator coram Domino appellatur, quia fortitudinis suæ robore, populos premens in iniustitiâ, subtraxit Deo. Ideò, *potentia sequi debet iustitiam*, inquit D. August. lib. 13. de Trinit. cap. 13. *Ideò & in rebus secundis ponitur, id est, præpositus, secunda autem à sequendo sunt dictæ*: & subdit, *Peruersitas est, vt homo* *Agesilaus.* *amet, quod vehementer velle quod oportet.* Agesilaus teste Plutarcho, in Apophtheg. rogatus, vtra virtus præstaret, fortitudo an iustitia? fortitudinis vbi est iustitia, nullum esse vsum demonstrauit, quod si omnes iusti essent, fore vt non requireretur fortitudo: quomodo igitur iniquus fortis erit, & iniustitias aliorum comprimet, si fouet suas? *Potentia adiuncta iustitiæ, vel iustitiâ accedente potentiæ, iudiciariam potestatem facit, pertinet autem iustitia, ad voluntatem bonam*, inquit D. Augustinus.

Iustitiæ lex vera fortitudo. Sit ergo fortitudo nostra, lex iustitiæ, vti Sap. 2. dicitur. Plutarchus lib. de non irascendo, *fortitudo, inquit, non quærit fel, tincta est enim consilio, bilis verò & insania fragilis & flaccida est*: hinc quæ fortitudo putatur sine iustitiâ, non est fortitudo, sed feritas & impotentia, quia, vt inquit D. August. in ps. 61. *potens non est, nisi iustitia*: ad quâ desiderâdâ subnectet. lib. 13. de Trinit. c. 13. totidem verbis, *Optandum est, vt potestas detur, sed contra vitia, propter quæ vincenda, potentes nolunt esse homines, & volunt propter vincendos homines: vt quid hoc? nisi vt verè victi, falsò vincant? Non sunt veritate, sed opinione victores. Velit homo prudens esse, velit fortis, velit temperans, velit iustus, atque vt hæc veraciter possit, potentiam planè optet, atque appetat vt potens sit in seipso, & miro modo aduersus seipsum pro seipso.* Est autem iustitia virtutum cardinalium virtus & anima, sicut charitas Theologicarum.

2\. Etiam אל *el*, vocat se Deus, potentiam suam ab inani & impotenti Deiculorum turbâ secernens, qui non אל *el*, sed אליל *elil.* hoc est, nihil, idolum, dæmonium. *Elil* exponit Rabbi Kimhi, pro re quæ non existit, Alij pro אל אל *el el, non Deus*: qui non אלילים *elim*, Dij, sed per contemptum atque inanitatis & vilitatis irrisionem אלילים *elilim simulacra, Dijculi, impotentes, imbeciles, nihili*, dicuntur: vt mirum sit homines quibus ratio illuxit, in eam præcipites ruisse caliginem, vt idola impensè colerent; atque illa, tanquam seipsos, coeluminaque suum reputarent. Qua mentis occæcatione inuolutus Laban Gen. 31. Iacob Patriarcham *Gen. 31.* aggressus ait, *Cur furatus es Deos meos?* de quibus, quia clam se subrepti fuerant, dixerat prius, *Quid fecisti? & furatus es cor meum? & furatus es meos* quasi furtiuè ab eo recedens Iacob, furtim clepserit cor eius, & Deos eius, Hebraicè אלהי *elohai.* Quæ enim diuinitas in idolo, quod humanæ confixerunt, & formauerunt manus? humanæ furantur, tollunt, abscondunt, & inhumant manus? Ridiculum sane, aut insanum potius Hebræam gentem, vnius & veri & solius hæredem Dei, cum uni numinis violare, ludificare maiestatem, & ad vituli cultum deflectere. Deterrimum fuit Moise diutiùs in monte cum Iehoua commorante, Aaronem ad vituli conflationem, hac voce compellere, *Surge, fac nobis Deos* *Exod. 32.* *qui nos præcedant, Moisi enim nescimus quid acciderit.* An in hominis manu Deos formare? Deos cudere, conflare, quos tui itineris duces veneraris? Scilicet Satanæ præstigijs gens incredula, fidem habuit, & ad idolomaniam sese conuertit. Refert tamen ille Galatino lib. arcanor. 11. cap. vltimo, ex Hebræis referente, quum Moises cum Deo conuersaturus in montem secessisset, neque ad præstitutum diem ad eos rediret, perturbato velut mentis tempestate aëre, Moisen finxit mortuum, ostensoque in aëre, & nube feretri illius vanâ specie, suasit vt crederent non superesse Moisem, atque ideò efformandum itineris ducem Deum: ô stupiditatem! quasi cum Moise, si interijsset, interiturus quoque esset Israëlis Deus? *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*: maior ergò Aaron Dijs istis, qui ex inauribus aureis mulierum, vitulum fusorium, pro Deo illis obtrusit coactus.

Idola tanquam e cælo accepta pro Dijs habentur. Aliter Græci, qui Deorum inanium superstitione irretiti, quò imperitæ plebi præsentis Numinis fidem facerent in fabrefactis idolis, ea tanquam demissa cælitùs, non autem hominis elaborata industriâ, colenda proponebant, auctor Suidas, verbo διοπετής, Græci, inquit, colunt statuas Deorum διοπετεῖς, id est, à Ioue missas, sic enim, quò terrorem omnibus incutiant eas statuas vocant, quasi omni humano artificio & sumptu præstantiores sint, eamque famam spargunt, statuarijs vel relegatis, vel occisis ne eas manu factas dicant: Ita cœci illi, & post idola perditissimè insanientes, gaudebant vulgi incertæ fidei oculos eadem cœcitatis nebulâ offundere: quòd adeò industriæ præstiterint, vt non aduerterent inanes esse Deos, nullaque fortitudine præditos, quos imbecillis artificis manus, è subiectâ lapidis vel ligni, æris ve aut alterius metalli materiâ, scalpserat.

Solus Deus noster אל *el.* Quo nomine etiam potentes sæculi, necnon etiam inferni compellantur. Ezechiel. 32. *Loquentur ei potentissimi robu-* *Ezech. 32.* *storum de medio inferni*, siue *loquentur ei elei* אלי *fortes potentium.* Rursus Angelis tribuitur nomen hoc, veluti Iob. 41. *cùm sublatus fuerit (Behemoth) ti-* *Iob. 41.* *mebunt Angeli.* Hebraicè est, *à magnitudine*, siue, *ab altitudine eius, timebunt*, אלים *elim, fortes.* Et Angelus qui luctabatur cum Iacob Gen. 32. dici- *Gen. 32.* tur

tur אל *el*, id est, fortis, quod nomen deinceps adhæsit ipsi Iacob, stirpique eius, & vocatus est Israël, quasi fortis princeps contra אל *el*, fortis in fortem, sicut sacræ testantur literæ, *Quia si fuisti fortis contra Deum*: Hebraicè *quia* שרית *Scharaiath*, id est, *princeps fuisti cum Deo*. Hinc, non ita appositè, & origini vocis conuenienter adferri colligo, quod alij aiunt, ex eo dictum Israël nomen, quasi *vir videns Deum*, sicut & nos alibi, eorum secuti interpretamentum, satis enim nominis huius etymon explicatur in textu, prout legitur ab alijs, nempe, *qui principatur fortis, & confligit cum Deo*: vna lectione, sensum alterius supplente.

3. Verùm cur Angelo nomen fortis? Nunquid enim vinci imbecillitatis est, non verò fortitudinis? *Cùm videret*, inquit Scriptura, *quòd eum superare non posset*. Qui igitur fortis? Fortitudinem docuit Zeno, prudentiam esse in rebus gerendis, vnde factum est, Plutarcho auctore in Apophthegmatis, vt Agesilaus in pugnâ ad Mantineam, monuerit Lacedæmonios, vt alijs missis omnibus Epaminondam peterent, solos ferens esse prudentes, fortes, auctoresque victoriæ solos: prudentet namque aduersario cedere, & vinci, fortitudinis est, & victoriæ: neque prælijs exercitatus miles, accepto rubricatus vulnere, hastam abijcit, *qui scit*, inquit Seneca, *se vicisse post sanguinem*, quemadmodum de Entello Virgilius, Æneid. 5.

At non tardatus casu, nec territus heros,
Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat irâ.

Neque superesse victorem necesse est ad triumphum, qui moriens fortiter, prostrato hoste, in ipsâ morte inuenit triumphum. Ideoque campum illum, in quo fortissimi bellatorum occubuerant, *Agrum robustorum*, appellari voluit, Dauid rex, 2. Reg. 2. quòd nonnisi fuso sanguine, fortitudo probetur, nec victus putandus sit, qui non ad sanguinem vsque restiterit: quod veteres duobus ramis sese decussatim complectentibus significarunt, palmæ, nimirum, & cypressi arboris funereæ, quæ cariem & corruptionem non facilè sentit, vt refert Pier. Valerian. Hieroglyphicorum collectaneorum lib. 3. titulo, *fortis*. Hinc ex Cypresso arcæ fieri solitæ, vt auctor est Thucidides lib. 2. eorum corporibus recondendis, qui fortiter vitam vixerant, & bello Peloponnesiaco contra Spartanos, fortiter mortem oppetierant, hoc pacto immortalitatem consecuti: vnde natum illud:

Vincere pro patriâ, vel pulchrâ occumbere morte,
Fortis amat, ramus quod monet iste duplex.

Cedit ergo prudenter Angelus Iacob, & cedit illi palmam, quò fortiùs illo stratagemate, ipsum sibi deuinciat, & ipse Iacob, se, suaque omnia *Forti*, accepta ferat, cuius prudentiâ victor euasit ipse vinctus. Non tamen corporalis illa lucta fuit, vti submonet D. Hierony. in 6. cap. ad Ephes. & Osee. 12. orationem interuenisse dicit, & lacrymis concessam victoriam. *Praeualuit ad eum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum*. Magnanimitatis autem est, vinci prece & lacrymis, quibus ita vincitur ipse Deus, vt inde gloriosior videatur, victorem notâ seruitutis afficiens, sicut inquit D. Greg. Nazian. Orat. 20. *Deuictæ naturæ notas gerit, siquidem effectus Iacob*. Tanta nempe inest orationi vis, vt illâ vincatur Deus, & vincat quem sibi deuinctum cupit. Fortitudo namque Dei, sicut piè aduertit Marius in Exod. habet se cũ electis suis, sicut benignissimi parentis in sua carissima pignora, fortitudo, quem nunquam cedere, & virium suarum dissimulatione vinci videmus. Deus namque ex paternâ indulgentia, quæ nihil officit fortitudini, imò temperamentum est fortitudinis, vinci se patitur ad suorum solatium: imò se vinci gaudet, & si non vincatur, conqueritur. Ezechiel. 22. *Quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terrâ, ne dissiparem eam, & non inueni*. Et Isa. 64. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te*. Nimirũ, humili deprecatione placari vult & vinci; tum verò maximè, quum exploraturus vniuscuiusque animum, aut pœnas peccatis debitas irrogaturus, acutioribus cladium telis, suos aut ad probam, aut ad emendationem fecit, & vulnerat; tùm enim recurrentium ad se, innecti se patitur precibus, & capi, & vinci, adeò vt non modò sæuientium inimicorum cohibeat manus, & insultantium retundat impetus, verũ etiam, *voluntatem timentium se faciet*. Non secus atque Princeps quispiam bello victus & captus, ad victoris arbitrium pacisci cum victore compellitur. Ideoque fortis & patiens Dominus: non enim est fortitudo vbi non est patientia, inquit D. Bernard. serm. 1. de Natiuitate Domini. Quòd itaque fortis aduersus fortem Iacob perstiterit: quod Angelum fortem & patiẽtem vicerit prece, fletu fratris eius Esau reuincta malicia indicabatur, neque permissurum Deum, vt deinceps Iacob ab eo detrimentum ferret.

Gen. 32.

2. Reg. 2.

Osee. 12.

Ezech. 22.

Isa. 64.

Psal. 144.

CAPVT XLVI.

De nomine שדי *Sadai*.

I. Sadai, id est, omnipotẽs.

Quiusce nominis etymologiam & significatum, iam tradidimus ex Oleastro §. 6. num. 4. nunc ordinis gratiâ, quædam ad maiorem illius elucidationem, venerationemque, repetere visum est שדי *Sadai*, itaque D. Hieronymo, est Omnipotens: Aquilo vertit ἀλκιμον, quod nos, robustum & sufficientem ad omnia perpetranda accipere possumus, inquit D. Hieronymus epistola ad Marcellam. Et in plerisque scripturæ locis, pro שדי *Sadai*, redditur *omnipotens*, veluti Ezechiel. cap. 10. *Tanquam vox Dei omnipotentis*: Hebraicè אל שדי *el Sadai*. Et Iob. 8. 13. 15. & 21. capitibus, contra שדי, id est, *contra omnipotentem roboratus est*: quâ in significatione, à שדד *sadad*, quod est, vastauit, depopulatus est, fuxit, deductum existimatur, vnde vertunt alij, *fortem, robustum, vastatorem, victorem, inuictum*, propter caussas, potestatesque diuersas, *cuius potentiæ nulla vis renitti potest, prædatorem robustum*. *Inde* שד, siue שוד *sod*, depopulatio, vastitas Isa. 13. כשד משדי *chesod misadai*, *vt vastitas, vel præda ab omnipotente*. Et Ioel. 1. *quasi vastitas à potente (sadai) veniet*. Quam Dei vim Iani bifrontis figurâ indicarunt veteres, inquit Pierius Valerian. Hieroglyphicor. lib. 35. cap. 28. absque manibus, pedibusque ficta, quadrato lapide abexili basi in latum exurgente, quia neque manibus, neque pedibus illi opus sit ad ea quæ iusserit efficienda, vtpote qui solo nutu possit totum tremefacere Olympum, atque dicto citiùs tumida æquora placare.

Ezechiel. 10

Iob. 15.

Isa. 13. Ioel. 1.

Nihil autem æquè nos in bonitatis, sapientiæ, & magnitudinis infinitæ Dei cognitionem adducit, atque eius perspecta omnipotentia, quâ, plus valet agere, quàm creatura cogitare. Hinc est, cur antiquis Patribus se sub Dei *omnipotentis* nomine frequentiùs manifestarit, Gen. 17. *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, perfectus in vijs*

tur, vt intelligerent quandam esse diuinitatem, quæ rebus intendens mortalium, quas è nihili profunditate, omnipotentis operationis suæ manu, sub aspectum nostrum potuit eas pro arbitrio, vel demeritorum exigentia denastare, esse, potentissimamque esse rectè actorum retributorem, cuius potenti virtute, præmia & triumphos iusti referrent: iniusti, igne miniam & supplicia: est enim verus Deus diues, non pecunia, sed omnipotentia, cui tanquam munifico donorum Domino adhærere debemus, inquit D. Ambrosius lib. de fide resurrectionis, *qui ita veriam largiendi modum habuit, vt tantum fidelibus donaret in præmio, quantum ipse possidebat in regno.* Quod non recolentes animo plurimi, quò licentius per aperta mundi virentis spatia, tanquam vituli lasciuiæ addicti, per grata, sed intacta pascua lasciuientes, decurrant, nihil sibi desuper metuendum statuunt, atque in diuinitatem impij, terrenæ vanitati defixi, quærunt, quis sit omnipotens, & si est scientia in excelso. Quò fit, vt quemadmodum prædatrices volucres, dum pugno gestantur, oculos aiutâ prætentos habent, ne cæli lumen videant, quæ non soluitur, nisi in prædam & carnificinam inuolaturis: ita illi, obducta terrenarum rerum nubecula occæcati, & sub tenebrarum potestate constituti, cælum non videant, non cælestia, nec quidquam attendant vnquam, nisi quando in aliena cruentis vnguibus inuolandum est, emittuntur à diabolo, sub cuius manu sunt, & emissi, laniénæ manus promptè atque expeditè exequuntur,

Nam prompta res est ad scelus potentia,

inquit D. Nazianzen. in sententijs: tunc enim potentes haberi volunt, quando innocentes opprimunt, quando diripiunt, vastant, internecioni dant, deprædantur. *Sed quid facturus es potens?* inquit D. August. in psal. 51. *nullum te iactas; occidisti es hominem: hoc & scorpius, hoc & vna febris, hoc & fungus malus. Huccine redacta est omnis potentia tua, vt vno malo fungo coæquetur:* & *Opus est potentem esse, sed in bonitate, non in malitia.* Sic enim in Tetrastichis rectè D. Nazianzenus:

Alijs nocendo, robur haud monstra tuum,
Sed de merendo, si Deum sequi cupis.
Est enim illud quo suum noris genus:
Facile ut necarint, & trygon, & scorpius.

Vbi Nicetas, totidem verbis: Sunt qui regna & bellica imperia, & principatus obeuntes, ab ijs quibus præsunt, veluti Dij quidā haberi, colique volūt. Ad hos Theologus, Nolite lædēdis hominibus, imbecillibusq; & pauperibus exagitādis, atque vexandis, strenuitatem vestrā, animique magnitudinem, & efficacitatem ostentare. Verùm iuuando potiùs, atque ad Dei imitationem bene merendo. Hoc est hominis cognationem suam, hoc est humanam miseriam, ærumnamque perspectam & exploratam habentis, nec contumeliosorum hominum more, superbè sese efferentis: sed ad Christi exemplum, indulgenter sese ad alios demittentis, eorumque infirmitates perferentis: (potentiam enim suam Deus, parcendo maximè, & miserando, manifestat.) At verò, necare, bonis spoliare, calamitatibus afficere, à Dei erga hominum genus benignitate, atque beneuolentiā prorsus abhorret: bestiarumque venenatarum proprium est, mortem afferre, vt pastinacæ marinæ, scorpio, virus suum occultè euomunt, & citò perimunt. Ne quisquam præclarum sibi, neque ad laudem, nominisque splendorem amplum esse putet, quod nocendi facultatem habeat. Hactenus Nicetas. Quibus affine est, quod Cic. lib. 5. Tusculanar. de Theodoro, qui Lysimacho mortem sibi mini-

2. Theodorus.

tanti, inquit, *magnum effecisti, si cantharidis vim consecutus es.* Siue, vt refert Seneca lib. de Tranquillitate vitæ: habes cur tibi placeas, hemina sanguinis in tua potestate est.

Difficiliùs quidem, sed præclariùs prodesse, quàm nocere. Et pestilentius est nocendi virus quod occultum, quàm quod proditum: pestilentior animus qui tempestatem suam altiùs recondit, quàm qui fundiùs excludit. Imbellis istud est animi est, & ignaui: namque vti Elias Cretensis, od 3. orat. D. Greg. Nazian. inquit: Est magnanimi viri, præter alia quibus præditus & instructus est, nihil seruiliter, nihil tectè atque occultè dicere aut facere, sed omnia apertè, & propalàm, atque odium suum, & beneuolentiā, præferre. Nam occultare odium, simulare beneuolentiam, quid aliud est, quàm flammam manu prætendere, nec illā intrinsecus vri? sicut ex cuiusdam manu ingentem flammam emicuisse legimus apud Plutarchum in C. Cæsare, quod qui intuebantur, cremari hominem existimabant: vt verò extincta est, eum nihil mali habuisse liquebat: ità impotens potentia potestatis, illam, quā non tangitur amicitiæ & beneuolentiæ flammam præfert; aut si quā tangitur, furoris illa occulti est, in perniciem multorum mox emicaturi. Ecquid verò aliud est, inops illa iustitiæ, & crudelis, Domini potentia, quàm tyrannis, quā opprimuntur subditi? Sæuum hominum genus, qui potentiam ambiunt, non iustitiam: sine quā omnis potentia, tyrannis est. Si Domini haberi & videri volunt, bene quidem secundum illud Aristotelis lib. 1. Politicor. cap. δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου, *Seruus ante seruum, Dominus ante Dominū:* quo personarū inter homines indicatur inæqualitas, inter quos, seruus, alterius serui respectu, Dominus habetur & nobilis: & Dominus respectu vnius, censetur seruus respectu alterius, quemadmodū in aulis principum facilè videre est: at verò in aulā summi Imperatoris, vnicum & verum Dominum esse nouerint, cuius nos omnes serui sumus, & cuius potentis iustitiæ, nisi resipiscant, potentes potenter tormenta sustinebunt.

Capitis 46. §. 1.

Deus, Sadai dictus, quia sufficiens.

Demus cum aliquā portione iustitiæ potentiam homini, demus eam Principibus & Monarchis: impotens est quoque illa potentia, quia verè potentia non est, vbi inuenitur indigentia. Vbi autem illa maior quàm in aulis Principū, quos, quò maiores fuerint, pluribus indigere videas? ideoque potentior censendus videtur iustus & pauper non cupidus, adeoque diuino cognatior Numini, quam Princeps diademate coronatus, qui multo apparatu, multo milite, famulis, satellitibus eget; si vitam & gradum tueri velit. Quamuis enim talis sit creaturarum inter se nexus, vt alterius etiam sibi inferioris, altera indigeat, quia omnes ad vniuersi constitutionem pertinent; inter creaturas tamen rationales, amplioris potentiæ ea iudicari potest, quæ iustitiam sectando, paucis viuat, & in paucis sufficientiam se habere sentiat. Deus autem, cùm non sit pars, sed vniuersi principium, solus iustus, solus potens est, solus verè שדי *Sadai*, à ש *sh*, & די *dai*; sibi sufficiens in suæ Deitate, *sibi ipsi satis*: vbi enim, vt inquit D. August. lib. 83. quæstionum, quæst. 22. *nulla indigentia, nulla necessitas: vbi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo, nulla ergo necessitas*; de cuius sufficientiā Lucretius lib. 1.

1. Potentia non est, vbi est indigentia.

Ipsa

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Non enim creaturis suis, aut eorum bono indiget Deus: *Non sanè igitur pecore, vel qualibet alia re corruptibili atque terrena*, inquit D. August. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 5. *sed ne ipsa quidem iustitia homini egere Deum credendum est, totumque quod rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonte se quisquam dixerit profuisse si biberit, aut luci si viderit.* Et lib. 13. Confess. cap. 4. *Quid ergo tibi deesset ad bonum, quod tu tibi es, etiamsi ista vel omnino nulla essent, vel informia remanerent, quae non ex indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuae, cohibens atque conuertens ad formam, non vt tanquam tuum gaudium compleatur ex eis? Profecto enim, tibi displicet eorum imperfectio, vt ex te perficiantur, & tibi placeant, non autem in perfecta, tanquam & tu eorum perfectione perficiendus sis.* Et de eadem Dei sufficientia Aristoteles Ethic. 7. cap. 12. δῆλον γὰρ ὡς οὐδενὸς προσδεόμενος ὁ θεός, οὐδὲ φίλων δεήσεται: *Manifestum enim est, quod nullâ re egens Deus, nec amicis egebit.* Propheta regius psal. 15. *Dixi, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Deum suum appellat iustus, almo afflatus Spiritu, quia illo tanquam summo bono contentus viuit, à quo ne per offensam recedat, omnia mũdi quae sibi oblata propositaque perspexerit, despecta habet. Et rationem dat, cur Deus verè sit Deus, *quoniam*, inquit, *bonorum meorum non eges*: Solus enim ipse est, qui sibi sufficit, nullius prorsus indigus: omnis autem creatura bonis nostris indiget, vt proinde pudere nos debeat, egenam indigamque nostri creaturam pro Deo venerari: venerandus ille solus & colendus, quo egemus nos, quique ex bonis nostris nullam accessionem facit: *Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo*, inquit D. August. tractatu 8. in cap. 4. epistolae D. Ioan. *Vicissim se habitant qui continet, & qui continetur. Habitas in Deo, sed vt continearis. Habitat in te Deus, sed vt te contineat, ne cadas: ne fortè sic te putes domum Dei fieri, quomodo domus tua portat carnem tuam. Si subtrahat se Domus in qua es, cadis: si autem tu te subtrahas, non cadit Deus. Integer est, cùm eum deseris: integer cùm ad illum redieris. Tu sanaris, non illi aliquid praestabis: tu mundaris, tu reficieris, tu corrigeris. Ille medicamentum est non sano, regula est prauo, lux est excaecato, habitatio est deserto. Omnia ergo tibi conferuntur. Vide ne putes Deo aliquid conferri, quando venis ad eum, nec mancipium quidem.* Dat opes suas creaturis, quibus etiam sufficiens est. *Deus*, enim, inquit Tertull. lib. de poenitentia, *in omnia sufficit*: quas si repetierit, opulentior non fit, sicut fieret ditior homo, si distractum principatum iure ad se reuocaret: si auxerit non fit pauperior: dat regnum suum, nec minus habet. Vidit Plato nihil vtilitatis, à nobis ad Deum peruenire: cui quamuis τὸ ὅσιον κεχαρισμένον, ἀλλ᾽ οὐχὶ ὠφέλιμον, οὐδὲ φίλον, *Pietas grata, non autem vtilis vel amica*, propter vtilitatem scilicet quam inde percepturus sit. Hinc D. Paulus Actuum 17. Athenienses alloquens, de Deo inquit: *Non indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* Est enim naturaliter vita, vt inquit D. Fulgentius lib. de fide ad Petrum, qui si vita non esset, non viuentia corpora ipse non fecisset: neque enim facit rem non viuentem, nisi res viuens: est & omnis nostra sufficientia, 2. Cor. 3. *Et praestat omnibus abundè ad fruendum*: 1. Timoth. 6. quapropter Eliphas Iob. 22. *Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei confers si immaculata fuerit vita tua?* in quae verba D. Gregorius lib. 16. moral. cap. 1. *In omni quippe quod bene agimus, nos ipsos, non autem Deum iuuamus.*

Psal. 15.

1. Ioan. 4.

Actor. 17.

2. Cor. 3.

1. Timoth. 6.

Iob. 22.

6.

Propterea, quamuis mundum ab aeterno condere potuisset, non tamen condidit, vt se nullâ opus habere creaturâ indicaret: vnde factum est, vt omne quod creatum, quodque productum est rerum in mundo, non ad supplendam Dei indigentiam sit creatum, sed nostram; atque sui communicatione, potentiam, sapientiam, & bonitatem suam manifestaret, non suo, sed creaturae suae bono: qui enim ante spectabilis machinae molimenta, in seipso summè beatus fuit, creaturis non indiguit, cùm penes se, in thesauris, infinitatis, immensitatis, atque bonitatis suae, omnem sufficientiam reconditam haberet, ipse sibi sufficiens. Sic enim D. Chrysost. homil. 50. ad popul. *Nihil de nobis indigens Deus, nos fecit*, inquit, *quod autem nulla re indigeret, ex eo quod postea fecit, manifestauit: nam si indigus esset, iam prius eum fecisset. Sed si sine nobis ipse fuit, nos autem in posterioribus seculis facti sumus, nostri non indigens nos fecit: Fecit caelum, terram, mare, quaeque sunt omnia, propter nos.*

Eam ob rem D. August. epistola 5. ad Marcellinum, Deum esse verum Dominum ait, ideò, quia seruis non indiget: *Nihil*, inquit, *Deus iubet quod sibi prosit, sed illi cui iubet, ideo verus est Dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget.* Et tractatu 8. in epist. D. Ioan. cap. 4. *Ergo non habebit Deus seruos, si tu nolueris, & omnes noluerint? Deus non indiget seruis, sed serui Deo:* ideò dicit Psalmus: *Dixi Domino, Deus meus es tu: ipse est verus Dominus*: atque ita vt etiãsi nullum praemium seruitutis constituisset Deus, nihilominus illi seruiendum esset, quia nos bonorum illius indigemus: è conuerso in humanis accidit, vbi eget Dominus seruo, eget illius operâ, quam non exhibet seruus, nisi mercedis spe. *Tu eges bono seruo tui*, inquit D. August. *Eges seruo tuo, vt pascat illum, eges & tu, vt adiuuet te. Non tibi potes aquam implere, non tibi potes coquere, non tibi potes ante equum currere, iumentum tuũ non potes curare. Vides quia indiges bono seruitutis, obsequio illius indiges*: & infert, *Non es ergo verus Dominus, quando indiges inferiore. Ille est verus Dominus qui nihil à nobis quaerit, & vae nobis, si eum non quaeramus.* Quod & iisdem ferè verbis repetit in psal. 69. *Ille non eget nostri, nos egemus illius, ideò verus Dominus.* Domini verò temporales, ita sunt Domini, vt seruis suis indigeant.

Praeclarè dictum Heroinae cuiusdam, quae Deo totis animis famulatura, quum se ab ancillis pedissequisque expediret; nullius deinceps opis egere volo, inquit. Suis namque subditis egent maximè huius saeculi reges, quos si non haberent, non principarentur, quandoquidem omnis eorum gloria, maiestas & potentia, à subditis dependeat. At verò caeli Dominus, sic vniuersa condidit, vt istorum nihil egeat; vt qui opes suas, potentiam, maiestatem & gloriam, non à rebus conditis, sed à seipso fonte bonorum omnium hauriat, vnde ista fluxerunt, quae ab eo dependent, non ipse ab illis: & quibus funditus intereuntibus, atque in aequam nihili faciem resolutis, nihil incrementi, decrementíve accipiat, quia omnipotens est sapientia eius, potestas, & gloria, & incomparabiles diuitiae eius, nullis circumscriptae terminis. Etiamsi ergo Angeli omnes pereãt, & homines, vt inquit Abulensis in cap. 18. Matt. quaest. 71. nullo afficietur damno, quia de bonis eius nihil decedet, qui sibi est omne bonum. Eapropter excute eam mentem quâ tibi persuadeas Deo incremento futurum si ad illum accesseris: nam quòd amari capit & coli, si amaueris, si colueris, in magnos auctus gloriae tuae est: quòd oblationes & vota tua suscipiat, honos est, quo te afficit Deus, dona sua in te remunerans, quae sibi à te offerri exigit, te quaerens, non se. *Nihil à nobis quaerit*, inquit D. August. suprà, *& quasi nos,*

Heroinae dictum.

balistarius iaculum in cautem duram & impenetrabilem emitteret Quadratum quoque corpus lego apud Celsum lib. 2. de re medicâ, cap. 1 dici quod est statera mediæ. *Corpus autem habilissimum*, inquit, εὐεκτικώτατον, id est, optimi habitus, *quadratum est*, τὸ σύμμετρον, *neque gracile, neque obesum.* Et ex Canibus apud Columellam probatur quadratus potiùs quam longus aut breuis: & Palladius in bobus membra exigit quadrata, & grandia, inquit Pier. Valerian. Hieroglyphicor. lib. 39. cap. 35. *Sint boues nouelli, quadratis & grandibus membris:* ex quâ similitudine, inquit Rhodigin. lib. 18. cap. 15. quadratam etiam compositionem æqualiter fusam inuenias apud Quintil. lib. 1. *Quæ lenis & quadrata, sed virilis tamen compositio* &c. & Cicero in Oratore, *Quin redigeret omnes ferè in quadrum, numerumque sententias.* Inde etiam quadrati versus apud Classicos Auctores: & tetrametri, quadrati vocantur.

Quadratum numerum, octauo Geometriæ, intelligit Euclides, qui quatuor æqualibus continetur lateribus, vt quatuor, octo, sedecim, ex quo eruditi numerum quadratum intelligi volunt, ex seipso in seipsum resultantem, vt quater quatuor, sedecim constituant.

Dij præstites, quatuor homini adesse dicuntur, inquit Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 19. δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην. Est & humanitas quadra, vt quæ distinguatur in carnem, spiritum, manes, & vmbram: vnde illud,

Bis duo sunt homines: manes, caro, spiritus vmbra:
Quatuor ista, loca bis duo suscipiunt.
Terra tegit carnem, tumulum circumuolat vmbra;
Orcus habet manes, spiritus astra petit.

Sapientiam Veteres in quadro statuebant, huius sedem firmam & inconcussam indicantes: Gen. 6. iussus est Noë ex quadratis lignis, arcam fabricare: *Fac tibi arcam de lignis quadratis.* Sic enim legunt Septuaginta, vulgata verò, de lignis leuigatis, quibus aut Ecclesiæ Doctores significantur, quorum sapientiâ inclusi populi conseruantur, & ab incursantium Hæreticorum procellis, proteguntur: aut quales sunt viri illi exprimitur, qui Ecclesiam constituunt, ex D. Augustini sententiâ in ps. 86. dicentis, *Non enim frustra etiam de lignis quadratis ædificata est arca Noë, quæ nihilominus figuram gestabat Ecclesiæ. Quid est enim Quadratum? Attendite similitudinem quadrati lapidis; similis debet esse Christianus. In omni tentatione sua Christianus non cadit, & si impellitur, si quâ inuertitur, non cadit: non quadratum lapidem, quacunque verteris, stat.* Bibliothecam ex quadratis lignis exstruendam admonet Origenes, hoc est, Propheticis, & Apostolicis voluminibus, in quibus vera sapientia, vt qui resectis vitæ vitijs, quadratum tenorem, & ex omni parte libratum tenuerint: ita totidem verbis Pier. Valer. Hieroglyphicor. lib. 39. cap. 3. Est & quartus lunæ ortus obseruatus à Virgilio, lib. 1. Georgicôn, & in eo, virtus.

Gen. 6.

Bibliotheca è lignis quadratis.

Luna reuertentes, quamprimum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit, vento semper rubet aurea Phœbe:
Sin ortu in quarto (namque is certissimus auctor)
Pura, nec obtusis per cælum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluuiâ, ventisque carebunt.

3. Stoici vitæ nostræ splendorem ex quatuor virtutibus collaudât. Physici cum Pythagorâ, animã, siue iudiciales potentias in quatuor partiuntur, in mentem siue intellectum, scientiam siue rationem, opinionem, sensum: & animus noster, per quatuor gradus ad cognitionem ascêdit, per sensum, per imaginationem, per phantasiam, & per intelligentiam. Hinc Pythagoræi, quod nos τετραγράμματον, τετρακτὺν vocant, quam omnibus Dijs, Deorumque virtutibus præferendam ducunt, asseruntque perpetuæ naturæ fontem esse in animos nostros manantem, siquidem dici nihil possit, quod à numero quaternario, tanquam à radice & principio, non dependeat: vnde Pythagoras apud Plutarchum, lib. 1. de placitis Philosophorum cap. 3 vim omnem numeri denarij, in quatuor, & quaternario esse dicit: Caussa hæc est: si à monade profectus addendo colligas numeros, vbi ad quatuor progressus fueris, explebis numerum denarium: quòd si excesseris quaternarium, simul denarium transilies: vt si ponas vnum, & duo adieceris, hinc tria, atque his quatuor, numerum confeceris denarium: vltra quem non est propriè numerus: nam qui vltrà dicuntur numeri, priorum sunt replicationes: quod sic commonstrat Philo lib. de mundi opificio. *Quaternarium denarij omnium absolutissimi caussam, fontemque dicere licet, quod enim actu est denarius, hoc potentiâ quaternarium esse videtur: nam si ab vnitate vsque ad quaternionem, deinceps componantur numeri, denarium efficient, qui est immensitatis numerorum terminus, ad quem, ceu metam circumaguntur, & se reflectunt.*

In aureo Pythagoræ carmine, per τετρακτὺν iuratur, tanquam summum quo fides, & certum credulitas nitatur; hinc illud:

Iuro per hunc animæ potuit qui tetrada nostra,
Æternæ fontes naturæ infundere habentem.

Quasi quaternarius, iusiurandum esset sanctissimum. Et Mercurio præcipuè, quaternarius dicatus est, inquit Plutarchus, quod quadratus censeatur Deus, vt notat Angelus Roccha in Bibliothecâ Vaticanâ; siue quòd quarto mensis die natus feratur, vt scribit Plutarch. lib. 6. Symposiacar. quæstionum quæst. 3. vel ob sedecim literas ab eodem inuentas, quæ quatuor quaternarijs constant, vt obseruauit Roccha. Pleraque etiam simulacra Mercurij, quadrato statu figurantur, vt scribit Macrob. Saturnalium lib. 1. cap. 19. solo capite insignita. Aut vt significaretur rationem & veritatem, perinde vt forma quadrata, rectam semper stare, inquit Pier. Valerian. Hieroglyphicor. lib. 39 cap. 31. nam rationis, sapientiæ, & veritatis Deus, Mercurius antiquis fuit: Aut etiam, vt, Macrobio auctore, totidem mundi plagæ significentur; vel quatuor vices temporum, quibus annus cluditur: vel quòd duobus æquinoctijs, totidemque solstitijs, zodiaci ratio distincta sit.

Lacedæmonij, summum Iouem, quatuor insignitum auribus depingebant, quoniam sit ipse quoque summus quaternio, id est, iuxta Pythagoricos τετρακτύς. Apud Arcadas, non solùm Iouis, sed & aliorum Deorum simulacra quadrifigura erecta sunt. Auctor Pausanias, nempe inquit Pier. Valerian. lib. 39. Hieroglyphic. cap. 33. vt eorum stabilitas esset indicata, secũdum illud,

Iupiter ipse manens stabilis dat cuncta moueri.

Iehoua quoque veteres, Hieroglyphico signatio, his quatuor repræsentarũt, oculo, baculo, scuto, & serpente, quibus figuris Scythæ, naturæ vniuersitatem expressere, punctum, lineam superficiem & corpus significaturi, quibus totius corporalis vniuersi natûra perficitur. Plura comperies cùm in sacris codicibus, tum in profanis, quæ huiusmodi constent quadraturâ, mysterij alicuius significandi caussâ.

Tetragrammaton vt in mysticam numerorum seriem resoluatur.

Nunc

4. ? Iod, vnum significat.

Nunc ad sacræ tetradis resolutæ mysteria cuius si typorum rationes expenderimus, ab vno summo & immutabili, omnium omninò rerum formas emanasse intelligemus. ? *Iod* namque prior huius nominis יהוה *Iehoua*, character, figuram refert puncti, & ita, vnum significat: nam veteres, punctis numeros exprimebant, nihil autem puncto, nihil vno prius, & ipsum omnium rerum est principium: vnde Eusebius in Orat. de laudibus Constantini: Ternarius, inquit, vnitatis veluti proles est, vnitas autem mater numerorum est, omniumque mensium, mutationum temporis, annorum; vniuersique temporis circuitus, cursusque varietates distinguit. Et præterea, multitudinis principiū, fundamentum, & quasi elementum μονας, id est, vnitas, meritò dicitur παρὰ τὸ μένειν, id est, à *manendo*, appellata, propterea quod cùm omnis multitudo, accessione, ac discessione numerorum crescat, & diminuatur, sola vnitas, stabilis & fixa manet, ab omni multitudine, omnibusque numeris ex se procreatis, secreta, seiunctaque: similitudinemque gerit essentiæ, quæ neque partiri potest, & est ab alijs rebus segregata, cuius vi & communione, rerum omnium natura firma consistit. Et apud Hebræos ? *iod*, decadem, id est, finem numeri designat: ad denarium autem vsque diffunditur ipsa Diuinitas, ab vnitate nempe sua simplicissimâ & infinitâ, ad numerorum complementum sese effundens supra nouenarium primam vnitatem adscito zero, siue, o, nihil significante, nec se sua virtute mouente, in numeris accumulans: quò significetur, quidquid ab illâ summâ & infinitâ vnitate emanauit ad extra, nihil esse, si ab vnitate separetur, & discedat; esse autem, viuere & moueri in illa vnitate, si ad illam reuocatum, in ea permaneat.

Huius vnitatis per ? *iod* significatæ, potestas & diffusio, ex numeris peti potest, quorum mensura communis ipsa quoque vnitas est, vicemque obtinet puncti, quæ cùm sit interualli principium, atque longitudinis, ipsa tamen nec interualli, nec longitudinis est capax. Quemadmodum enim si puncto punctum addideris, nihil nisi punctum erit; ita vnitas in seipsa multiplicata, nihil præter seipsam producit: vt si dixeris, semel vnum, semel, non latiùs vagatur, sed in vno permanet, nihilque est ampliùs quàm vnum. Vnde Orontius Fineus in procemio Arithmetices, *vnitas omnium numerorum radix & origo, in se, à se, ac circum seipsam vnica & impartibilis permanet, ex cuius tamen coaceruatione, omnis consurgit & generatur, omnisque tandem in eam resoluitur numerus.*

Vnitas ergo est, quâ vnumquodque dicitur vnum, siue corporeum, vt homo; siue incorporeum, vt Angelus. Numerus autem, est compositarum vnitatum multitudo: igitur vnitas omnium numerorum radix & fundamentum esse dicitur, cùm omnis ex vnitate consurgat, & in vnitatem resoluatur numerus. Iam cùm in Deo non sit alius numerus quàm fœcunditas omniū productionum, tam ad intra, quàm ad extra, dans rebus vt variæ sint, ex multâ virtute productiuâ quæ in ipso est: estque idem cum ipsâ vnitate eius infinitâ & essentiâ, vnde multiplex illa virtus, & rerum quæ in Deo sunt multifaria varietas, vnum sunt in illo, & tantùm in creaturis diffusa multiplicantur, quia vnitas in Deo, multitudo autem nisi in creaturâ cernitur, vnitas. Diuinitatis naturam nostræ exhibet imbecillitati, à quâ, & ex quâ, & per quam, & in quâ, & ad quam sunt omnia: sicut in numeris, est vnum, par, impar, totum, & reductio. Hinc D. Dionysius. *Extitit in monade omnis numerus constat vniformiter, habetque omnem numerum vnitas in seipsa vnicè, & omnis numerus coniunctus quidem commonas est: quantùm verò, ex monade processerit, tantum discernitur, & multiplicatur.*

5. Vnitas in ternarium diffunditur.

Inprimis itaque intra Diuinitatis terminos, si illius infinitas, terminus appellari potest, vnitas in ternarium diffunditur, in tria nempe realia & absoluta, in quibus funduntur relationes originis, quæ per trinitatem significantur, veluti scribit Franciscus Georgius Venetus, Problematum tom. 6. sect. 1. videlicet intellectus, intelligens, & vis productiua Verbi, in quâ fundatur paternitas, & Verbum productum in quo fundatur filiatio, & amor ex vtroque emanans, in quo fundatur spiratio passiua Spiritus sancti. Quæ omnia, cùm radicata sint in vnitate essentiæ infinitæ, dicuntur vnum sicut ait Dominus Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* In ternarium tamen diffunditur illa virtus diuina, tanquam in primum numerum masculeum, & rerum omnium extra Diuinitatem productiuum. Arithmetici namque, vt scribit Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis, cap. 6. imparem numerum, patris, & parem matris appellatione venerantur. Inde à summa vnitate numerus, inde profectio; quoniam assumpto alio ternario ad primum potentiâ, scilicet, sapientia, & bonitate, tanquam principio, medio, & fine, quibus ternarius constat, extra se profecturus Deus, quaternarium etiam suscepit, qui vniuersam familiam signat, vt plenus esset fons & origo producendarum rerum, denariusque compleretur numerus: hinc Timæus Platonis apud Macrobium, fabricatorem mundanæ animæ Deum, partes eius, ex pari & impari, id est, duplari & triplari numero intertexuisse, dixit, paris & imparis nomine materiam & formam adumbrās, propter rationis similitudinem. Par etenim numerus, cùm in duo æqua diuiduus sit, aptus est diuisioni: at materia, caussa est interitus, atque dissolutionis. Item, impar, quia sectioni minùs est idoneus, formæ assimilatur, quæ nexus & stabilitatis caussa est. Non enim forma aliam desiderat materiam, cùm interim materia alias semper formas appetat, quo ex appetitu diuortium & dissolutio oritur; eoque spectat quod Philo, allegoriarum libro ait, Binarius est imago materiæ, quæ diuiditur, secaturque tanquam mortalis: & Trismegistus in Pimandro Deus est vtriusque sexus fœcunditate munitus. Atque ita, ad denarium vsque sese diffudit prima illa vnitas; & in denario inuenitur vnitas, cum ipso nihil creaturarum, per o, siue ciphrâ, significatarum, quoniam extra Deum, qui vnitas est, nihil sunt.

Porrò denarius Plutarcho Quæstionum Conuiualium lib. 9. quæst. 5. est ex numeris præcellentissimus: Macrobio in Somnium Scipionis lib. 1. cap. 6. & Philoni lib. de congressu quærendæ eruditionis gratiâ, perfectissimus; ideoque Deo familiaris, vtpote qui decimas sibi consecratas voluit. Et vt à sacris ad profana diuertamus, Romulus confirmatis rebus, regnoque constituto, Senatores in decem decurias partitus est, vrbem in decurias triginta: in totidem decurias Equites; Principes hastatos & pilanos, denario finiuit: annos in menses decem terminauit: ita Pier. Valerian. Hieroglyphicor. lib. 39. cap. 38.

6. Nouenarius autem numerus, qui ex ternione per

per seipsum multiplicato conflatur, & nouem solis illis significationis elementis constat; mortali nostro generi est conueniens, aut quia multitudinem significat, quandoquidem pro multis poni obseruatum est, vt quum Aratus inquit, ἐννεάγηρα κορώνη, non quòd nouem ætates viuat, sed quòd perquam diu, apud Pier. Valer. lib. Hieroglyph. 37. cap. 25. Aut quia ijsdem diebus, homines liberantur à morbis, quibus intereunt, sicut docuere Hippocrates 2. Prognostici; Galenus 1. de Crisibus, cap. 1. & alij. Et rursus 3. Prognostici Galenus sect. 30 nonum diem in doloribus decretorum statuit: & venena nono vincuntur die: intra nouem dies intereunt, quibus Cerastes serpens venificum impressit dentem. Morbus ex ictu antiqui serpentis contractus, nono expurgabatur die, vt habetur Leuit. 23. *Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis.* Atque ita pœnitentia & lacrymis eluebatur serpentis virus. Nouem igitur diebus, aut seruantur, aut intereunt homines seruantur, si cùm ab vnitate discesserint, ad eam pio mentis affectu redierint, intereunt, si in sua impietate, & ingratitudine, ab vnitate desciscentes, permanserint. Ideoque Dominus, mandatis decem leprosis, cùm ex illis vnus ad vnitatem, & salutem rediisset, de nouem alijs meritò requirit, *& nouem vbi sunt?* vt nimirum, salutem, si velint, consequantur. Nouenarius quippe, sicut & interitus, sic & salutis est principium, ex quo, vnici gradus ascensu, transitur ad decalogum, siue obseruantiam salutificam legis diuinæ.

Leuit. 23.

Luc. 17.

Strumas Reges Franc. curant.

Renatus Benedictus in vita Sancti Marculphi, Christianissimos Reges, etiam sacratos, adeoque olei sancti vnctione delibutos, strumas non aliter curare scribit, quàm ad Sancti huius sacras exuuias, nouendiale sacrum obierint, honorandoque Sancto Marculpho, nouem dierum iter, cùm magnarum sacrarúmve cæremoniarum obseruantia, confecerint. Scrophulis laborantes, totidem dies, ad sancti huius corpus, certo ritu exigere oportere, cuius numeri, etsi ratio reddi non possit cur requiratur, non ideo superstitiosus esse iudicandus est, neque damnandus hic ritus & obseruantia, vti nec in alijs.

Apud Ezechielem cap. 40. octo templi gradus describuntur, quos qui prætergressi erant, intra templum admittebantur, nono descensu, intra templi adyta recepti, vbi cum Deo colloquebantur, & salutem reportabant, quemadmodum Ioan. Bustamantinus lib. 1 de animantibus Scripturæ sacræ cap. 10 num. 368. adnotauit. Nouendialis obseruantia, à furente animali morsus ad Diui Huberti, pro salute præscribitur, perit is qui infregerit. Nouem Dierum oratione Gaspar Barzæ, conuersionem nobilis cuiusdam impetrauit, auctor Nicolaus Trigaultius in eius vita. Et ne doctas veterum fabulas omnino aspernari videamur, facit ad hanc rem, quod Ouidius, lib. vltimo Metamorphoseôn scribit. In Africa, lacum Tritonicum appellari, in quo primùm Pallas, Sapientiæ Dea visa sit mortalibus, quo si quis nouies immersus ablueretur, in alitem suauissimi cantus commutatum iri, terras aspernari, & sidera petere, quo innuitur, inquit Bustamantinus, lacum Christi cruoris, & lauacrum pœnitentiæ salutaris, nouies ingressis, imò vel semel in lauacro regenerationis, tanquam in piscina Siloë, ablutis, alas conferri, quibus ad superna peruolent, cælisque inferantur, cum suauissimo gratiarum actionis cantu Creatori iubilantes.

Hesiodus auctor, Iouem cum Mnemosyne, noctes nouem concubuisse, vnde Musarum prolem nouenam mox susceperit, quibus etsi Ephialtes, & Otus Aloei filij, primi omnium sacra fecerint, & Heliconem montem Bœotiæ, prope vrbem Thespiam consecrarint, easque numero tres religione sanxerint. Meleten, Mnemen & Aœdem, hoc est, Meditationem, Memoriam & Cantionem; Pierus tamen Macedo, quum Thespias venisset, nouem nominibus Musas coli instituit, quum filias nouem haberet, de Musarum nominibus appellatas, Pausanias in Bœoticis, & Theatrum vitæ hum. volumine 27. lib. 4. titulo de Ethnicorum societate religiosa. Per nouem illas autem noctes significatum est, eum diu literis incumbere oportere, qui scientiæ, atque ingenij sui, aliquod monumentum posteris est relicturus. Et nouem mensibus, portati in vtero materno, luci vitali effundimur: portati quoque ab vtero Dei, post nouem vitæ labores, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, iuuentutis constantis, siue virilitatis senectutis, decrepitæ ætatis, & [illegible], in cælum transferimur, & nouem Angelorum choris inserimur.

7. Nouenarij numeri ordo.

Nouenarij porrò numeri, is ordo est, vt tradit Bustamantinus lib. 1. de animantib. Scripturæ sacræ, cap. 10. num. 347. vt prima vnitas sit Dei, & Deus ipse prima vnitas, qui est simplicissimè vnus, & vnitatis prima vnitas. Et sicut motus puncti facit lineam, & motus lineæ planiciem, ita motus vnitatis creat alterum, & alteritas, binarium: alterum enim nonnisi binario tribuitur & alter, inquit Seruius tantùm de duobus dicitur, binarius autem compositionem indicet vnitatum. Omne ergo quod primò extra Deum fluit, inquit Reuchlinus simulatque ipsum iam Deus non est alterum ab eo, & prima multitudinis par fit: vnde Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis, cap. 6 Dyas inquit, quia post monadem prima est, primus est numerus: hæc ab illa omnipotentia solitaria, in corporis intelligibilis lineam prima defluxit. Binarius enim numerus, inquit Pier. Valerian. corpoream naturam indicat, & pro immundis accipitur in sacris, vbi & par turturum, aut duo pulli columbarum, pro immunditia mulieris offerri iubentur: pessimúmque spiritus esse nonnulli suspicantur; vt propterea 1. Reg 3. quum Angelus secundò Samuëlem vocasset, expectanda fuerit tertia compellatio, vt vox Dei fuisse dignosceretur. Sed & D. Hieronymus, aduersus Iouinianum obseruauit, à secundo creationis die, iuxta veritatem Hebraicam, submotum esse, & *vidit Deus quod esset bonum*, quod in alijs aliorum dierum operibus, dictum legitur, vt intelligamus numerum binarium non esse bonum, vt qui ab vnitate deficiat, sectionis & diuortij caussa sit vnionem diuidens, vnitas autem tota sit Dei.

Binarius.

Nihilominus tamen in bonam quoque partem accipitur Dyas, vt aliquid boni significet; sic Apocal. 12. datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, quæ vel sunt duo testamenta, vt vult Beda, vel gemina Dei & proximi charitas, vt vult Primasius, vel vita actiua & contemplatiua, vt vult Haymo. 2. Paralipom. c. 3. & 5. & 3 Reg. 6. in domo Sanctisanctorum cōstituti duo Cherubim, & duabus alis tegebant sancta sanctorū, quo in loco reposita fuit arca Dei, vt & occulta, atque incognita Diuinitatis magnitudo subesse crederetur, & summæ illius naturæ contemplatio prohibita censeretur, quod per obtectionem propitiatorij significari docet Diuus Gregorius. Iosue 2. *Iesus misit duos exploratores ad ciuitatem Iericho*, inquit Diuus Augustinus sermone 106. de tempore, *quia verus Iesus daturus erat duo præcepta dilectionis*. Et tractatu 17. in Ioan.

Apocal. 12. Binarius numerus bonitatem suam h[illegible].

In charitate autem duo præcepta nobis commendantur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus præceptis, tota lex pendet & Prophetæ. Meritò & illa vidua omnes facultates suas, duo minuta misit in cona Dei: meritò & pro illo languido à latronibus sauciato, stabularius duos nummos accepit, vt sanaretur: meritò apud Samaritanos biduum fecit Iesus, vt eos charitate firmaret: Binario ergo isto numero, cùm aliquid boni significatur, maximè bipartita caritas commendatur.

8. Ternarius numerus.

A binario ad ternarium fit diffusio, qui numerus primus in partes numericas æquales inseccabilis, tum summæ Trinitatis, tum fidei, spei, & caritatis est: atque incorporeæ naturæ consecratus, nunc animæ, nunc Dei simulacrum est; & Angelicam naturam significat. Animam quidem tribus suis partibus absolutam assignat, inquit Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. quarum prima est, ratio, quam λογιστικὸν appellant: secunda animositas, quam θυμικὸν vocant: tertia cupiditas, que ἐπιθυμητικὸν nuncupatur. Deo autem tribuitur, quia vnus sibi est, & Trinitas vna, & vnus Deus trinus. Et dies tertius mysterium designat Trinitatis, teste D. August. serm 71. de tempore: *Nam quod dies tertius*, inquit, *in sacramento vel mysterio debeat accipi Trinitatis, frequenter in voluminibus sacris inuenitur, sicut in Exodo, viam*, inquit, *trium dierum ibimus in desertum: & iterum quando ad montem Sina ventum est, dictum est populo (Exod. 19.) sanctificamini, & estote parati in diem tertium. Et Iosue transiturus Iordanem, vt in die tertiâ populus paratus sit, admonuit: & Dominus die tertiâ resurrexit. Et Beatus Abraham, die tertiâ venit ad locum quem ei ostenderat Dominus.* Et serm. 108. *Dixit ergo Iesus, preparate vobis cibos, & estote parati ad diem tertium. Sicut enim tunc preparatis cibis, die tertio ventum est ad Iordanem flumium: ita & nunc in Ecclesiâ Catholicâ, assumptis spiritualibus cibis fidei, spei, & caritatis, peruenitur ad Trinitatis mysterium, & ad Baptismi sacramentum.* Angelicæ verò naturæ primùm numerus, quia multitudo est à Deo fluens, ex actu & potentiâ constructa, tùm impar datur, quia proxima est Deo, & eius participatione facta, tanquam aliqua Dei portio, rursus ad Diuinitatem conuertitur. Et quemadmodum in Trinitate, ternarius ita connexus est, vt ab vnitate simplicissimâ non discedat: ita in rebus tres vnitates considerantur, ita mutuò connexæ, vt vnitatis simplicitatem non egrediantur. Prima est, quâ vnumquodque sibi est vnum, inquit Pier. Valerian. lib. 39. Hieroglyphicor. cap. 40. sibique constat, atque cohæret: Secunda, per quam altera alteri res vnitur, & per quam omnes mundi partes, sunt vnus mundus. Tertia, quâ totum vniuersum cum suo opifice, sicut exercitus cum suo duce, est vnum: Et hæc tripartitiò considerata vnio, inest vnicuique rei per suam simplicem vnitatem vnam, fluentem ab illo vno, quod est

Exod. 3. Exod. 19. Iosu. 3.

> *Simplex ætherei Numinis vnitas,*
> *Quæ distincta eadem est, veráque Trinitas.*

Ternarius numerus omnium perfectissimus.

Vti cecinit Muretus. Patris enim potestas omnia producens, suam omnibus largitur vnitatē. Sapientia filij ritè omnia disponens, omnia inuicem vnit & copulat. Mox Spiritus amoris, suo vinculo ad Deum omnia conuertens, totum opus opifici, nexu caritatis coniungit: Atque ita in confesso est, numerum primum perfectissimū omnium, esse ternarium, quòd principium, medium, & finem habeat, inquit Plutarch. Quæstionum Conuiualium lib. 9 quæst. 3. Principiū namque est patris potentia, à quâ omnia: Medium, sapientia filij, per quam ordinantur omnia: finis, bonitas Spiritus almi, ad quam reuocantur omnia, quia propter bonitatem suam, omnia creauit Deus, omnia ordinauit. Hinc illi nomen amoris, nomen caritatis, quâ nos afflati, primùm quidem Deum ipsum supra nos supraque omnia diligere debemus, tum nos ipsos; tertiò proximum nostrum, sicut nos ipsos.

Ab illo quoque trino simul & vno, ternarius etiam in homine cernitur, ad cuius complementum tria concurrunt, corpus, anima, & benè esse, quæ omnia primus homo immediatè accepit à Deo. Quamuis enim esse, complectatur corpus & animam, aliud tamen est corpus, aliud anima, aliud bene esse: anima separari potest à corpore, & habere esse, bene, vel malè; quâ tamē existente in corpore, meliùs sentitur malè esse corporis, quam male esse animæ, in quod incurrit Adam facta iacturâ sui bene esse, & in ipso remansit corpus & anima cum malè esse, quæ nos per hominem à Deo recipimus, sed bene esse, quod est complementum hominis, per gratiam Christi à Deo accipimus. Tres etiam sunt in homine spirituum fontes, qui in membra influunt, illisque, quidquid habent vitæ, motus, & sensus, conferunt, nempe hepar, cor, & caput. Ab hepate digestioni destinato, fluunt spiritus naturales, transmissi cum sanguine per venas, quo ipsum corpus, membráque coalescunt, & nutriuntur. A corde emanat spiritus vitalis, calórve naturalis, qui per arterias in membra diffusus, illa alióqui interitura viuificat. A capite spiritus animalis diffunditur per neruos in membra, cuius vi, ipsa motum habent & sensum. Spiritus autem dicuntur propter vim & energiam, quâ viuifici humoris, per venas, veluti per canales quosdam, in vniuersum corpus diffusione, vitam, motum, & sensum, membris conferunt.

9. Quaternarius ad animæ perfectionem pertinet.

A ternario, fit ad quaternarium additâ monade, progressio, quem Pythagoræos, quasi ad animæ perfectionem pertinentem, inter arcana venerari, scribit Macrobius lib. 1. in Somnii Scipionis, & ex eo iurisiurandi religionem facere, vnde illud,

> Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.
> *Iuro tibi per eum, qui dat animæ nostræ quaternariū.*

Ezechiel. 1.

Hic numerus, sanctis quatuor animalibus consecratur, Ezech. 1. de quibus, *Et quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.* Euangelistis quatuor, totidemque sacris Ecclesiæ Doctoribus. Virtutibus quoque quatuor cardinalibus, vnde cæterarum est egressio, & quibus, quasi quatuor paradisi fluminibus, inquit Glossa, omnia virtutum germina irrigantur. De quo numerò multa congessimus in principio huius §.

Quinarius per ה significatur.

Quinarius sequitur ex primo binario, & primo ternario genitus, per primum ה *he*, significatus, quod est quinarij numeri notula, & quadriliteri nominis elementum secundum, ideoque binarium indicat à primaria vnitate fluentem, potentiam scilicet, & actum, ex quibus creata immaterialis natura conflatur: siue genus & differentiam, quibus constant vniuersa: siue virtutem fœmineam, pari (vt diximus) indicatam numero, quæ à masculâ per primum ternarium significata, creatur. Quum enim, quæ à Deo sunt, quantumcunque simplicia sint, plurium coaceruatione constent, idcircò primus Diuinitatis riuus extra se fluens, non simplici aliquâ imparitatis nota celebrari debuit, sed quæ simul pari & impari numero constaret, vt esset ipsum quod est, quodque, ab ipso quod est, effluxisset. Sacer est hic numerus Christi Seruatoris nostri vulneribus quinque, quorum stigmata rediuiuus, in glorificato

ficato corpore, reseruauit, tanquam quinque sensuū nostrorum ianuas quinque, per quas ad æternitatis gloriam nobis aditus pateret.

Senarius per ו van, indicatur.

ו *Vau*, senarium numerum significat, & nota est cæli & terræ, hoc est, omnium rerum materiam & formam complectentium: estque copulatiua orationis particula, in verborum coniugationibus, tempora transmutat, quò temporalia omnia, temporum vicissitudini parere significatur, iuxta illud Eccles. 1. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est.* Et quidem senarius in solidorum naturā ita est, vt inseparabiliter circa omne corpus versetur: inde ἑξάγωνον, id est, corpus solidum, quod propter longitudinem, latitudinem, & altitudinem sex angulis clauditur: est enim in longitudine, antè & retrò: in latitudine, dextra & sinistra: in altitudine, sursum & deorsum. Tria igitur sunt interualla solidorum, & cuiuslibet motus duo: ideò post י *iod*, id est, vnum, sequitur ה *he*, id est, duo, atque tria, & tandem ו *vau*, id est sex; qui numerus, priorum numerorum multiplicatione oritur, vt si dicas bis tria, aut ter duo. Senarius autem ex vno & duobus, atque tribus colligitur. Hinc Macrobius in Somnium Scipion lib. 1. cap. 6. Senarius variæ ac multiplicis religionis, & potentiæ est, quòd solus ex omnibus numeris qui infra decem sunt, suis de partibus constet, habet enim medietatem id est, tria, & tertiam, id est, duo, & sextam partem, id est, vnum, quæ in vnam summam redacta senarij corpus efficiunt, quod nulli præterea numero accidit; vt si octonarium assumpseris, habet partem mediam, vt, quatuor; & quartam, vt duo; & octauam, vt vnum, quæ simulsumpta, non octo, sed septem efficiunt. Quare senarius hic, totius corporalis naturæ perfectionem solus demonstrat; vnde Moises, sex diebus fabricatum ait mundum, inquit Philo, lib. de Mundi opificio, non quòd temporis spatio opus habuerit Conditor; Deus enim non iussu solùm, sed & cogitatu operari creditur: sed quoniam opus erat res creari ordine quodam, ordini autem numerus est proprius: inter numeros verò, lege naturæ, aptissimus generationi est senarius: nam post vnitatem primus occurrit perfectus, paribus constans partibus è quibus conficitur; è ternione, scilicet, siue dimidio, è binario, parte tertiâ, & ex vnione, parte sextâ: & post pauca: Imparium autem principium, ternio, parium binarius, ex amborum verò viribus, constat senio: oportet enim mundum, cùm sit creaturarum omnium absolutissimus, iuxta perfectum numerum compingi, nempe senarium; & quia in seipso complexurus erat generationes, è binariâ copulâ formari ad numerum mixtum, eum qui primus pariter impar est, vt in se contineret proseminantis masculi tum fœminæ genituram suscepturæ speciem. Hæc ille.

Senario opera misericordiæ intelliguntur.

In senario sex operum misericordiæ exercitiū attendit Bustamantinus, quæ licet septem claritatis caussa numerentur, reuerà sunt sex, cùm idem sit, pascere esurientem, & potum dare sitienti, vti tradit D. Thomas. Hinc fit ad Spiritûs sancti dona transitus in quibus summa perfectio est, & septem numerantur, velut phialæ septem plenæ odoramentorum, in quibus erat spiritus vitæ, à cælesti medico ad sananda vulnera præparatæ, septem fortasse oscitationibus excitandis accommodatæ, vt inquit D. Bernard. serm. 16. in Cantica; quarum Scriptura meminit 4. Reg 4. *Et oscitauit puer septies, aperuitque oculos*, vt à mortuis cum filio Simamitidis, excitemur: Attulit enim Spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis spiritum scientiæ & pietatis, & spiritum timoris Domini: Sunt lampades, siue lucernæ septem, Exodi 26. *Facies lucernas septem, & pones eas super candelabrum*: Gloss. septem lucernæ sunt septem dona Spiritus sancti, quæ in Christo semper manserunt, & fidelibus secundum voluntatem eius distributa sunt: vt refert Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ, cap. 84. septem lampades Apocal. 4. & Zachar. 3. septem crines Samsonis Iudic. 16. septem columnæ quæ sustentant Ecclesiam: Prouerb. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*, id est, Ecclesiam, quam ædificauit Dominus supra petram, Matth. 16. Septem ætatibus cursus vitæ completur, infantiâ, pueritiâ, adolescentiâ, iuuentute, virilitate, senio, & decrepitâ ætate: quod Leuit. 32. indicatum: *Septem diebus comedetis azyma*, quod explicat Apostolus 1. Cor. 5. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis*, non ad tempus, sed omni vitâ, vt ad septenarium reducti, quo Deus quoque significatur, vt qui ipse sibi similis, alter ab alijs sit, nec genitus intra denarium, nec generans, sicut octo generantur à bis quatuor, sed non generant; quaternarius octo generat, & à bis duo generatur: septenarius sine matre est: sic Deus Princeps vniuersorum solus, semper singularis, semper immobilis, naturæ ingenitæ, cui septies in die laudem Psalmista dicebat, Ps. 118. & nos quidquid sumus, toties acceptum ei referre debemus, vt per octo beatitudines sanctificati, tandem in nouenario salutis & gratiæ numero, conquiescamus.

4. Reg. 4. — Exod. 26. — Prouerb. 9. — Leuit. 32. — 1. Cor. 5. — Psal. 118.

10.

Tandem post secundum naturæ corporeæ fluxum suis numeris absolutum, per ו *vau* characterem, hoc est, senarium dictum numerum, quibus *perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum*: Gen. 2. designatum, sequitur emanatio tertia, per secundum ה *he*, hoc est, per secundum quinarium indicata: animus nempe rationalis, qui cum Angelis, esset spiritualis, & à materiæ concretione absolutus, à formâ tamen corporis, inter merè corpoream, & merè spiritualem substantiam; medius: ad quod allusisse videtur Maro, quum cecinit:

Gen. 2.

Igneus est ollis vigor, & cælestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

Quia enim, vt inquit Plato in Timæo, primò Deus creauit ignem, deinde terram, hæc tam diuersa, absque medio cohærere non poterant: restabat igitur tertium quòd medium inter vtrumque partim cum superiore, partim communicaret cum inferiore.

Luces igneæ Angeli.

Cùm igitur luces primùm creatæ sint igneæ, hoc est, Angelica natura, deinde corporea, aliquam substantiam in materiâ fieri decuit, quæ nec à materiâ dependeret, neque sine materiâ existeret, vt quoad virium suarum operationem habitaret in corpore, & quoad essentiæ suæ potestatem, habitaret cum Angelis, & alterutra parte, neutri mundo deesset. Animus enim secretus à corpore, par Angelis, in corpore verò, minoratus paulolum ab Angelis, inferiori humanitatis parte despecta, confisus diuiniori, cælum suspicit, vt cælestis fiat & diuinus.

Septenarius.

Hæc est vltima ה *he*, reductio, nempe, hominis

nis ad Diuinitatem; hic est finis, hic terminus, hæc nominis sacri perfectio, de quo Dominus, *Ostendam tibi omne bonum, & vocabo nomen* יהוה *iehoua coram te*: reducendo dependens creat. substantiæ bonum, ad summum increatum & independens bonum. Hæc est quarta litera apud Danielem cap. 3. *Species quarti, similis filio Dei*: tùm, quòd ה, *he* Verbum Dei demonstrat sedens super Cherubim, habentia alas quinque cubitorum 3. Reg. 6. fecit Salomon super arcam duos Cherubinos, in quibus sederet nomen Domini exercituum: *quinque cubitorum ala Cherub vna, & quinque cubitorum ala Cherub altera*, quasi effigies quædam cælestis essentiæ, citra Deum, & naturæ: tùm, quòd, Deum hominem, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius, ostendat, in quo ternarius diuinitatis, & binarius humanitatis, quinario significetur. Tum denique, quia Ioan. 1. *Dedit Deus omnibus potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, cuius vltima litera ה *he*, est quasi quarta facies Aquilæ in rotis, quæ gradiebantur iugiter, nec reuertebantur Ezechielis 10. Hæc est quarta litera, cuius vi Abraham centenarius, ex nonagenariâ vxore, factus est pater multarum gentium, ob idque nomini eius addita, cùm antea Abram vocaretur. Est fluuius irrigans paradisum in capita quatuor distributus, qui sunt quatuor (vt diximus) Euangelistæ, aquis salutis vniuersum orbem irrigantes, ab ipso fluuio Christo deducti, qui cùm humanarum, diuinarumque rerum sit fons & origo, Oceanus ab Orpheo dicitur, Neptunus ab alijs, quem Orpheus quadrijugos currus impellere dicit, vt sunt Euangelistæ, qui Diuo Augustino interprete lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 32. per vniuersas orbis plagas Christum triumphantem portarunt. Tandem nostra omnis felicitas, hoc charactere quinarij numeri exprimitur, in characterizato notis quinque Seruatoris nostri corpore, è quibus sacramenta salutis nostræ emanarunt: harum enim efficaci virtute, ad principium, à quo defleximus, reducimur, vt vnum simus cum illo per gratiam ipsius.

Daniel. 3. — 3. Reg. 6. — Ioan. 1. — Ezechiel. 10

CAPVT XLV.

De sacro nomine אל, el.

Sacræ decadis nominum diuinorum, quã texuit D. Hieronymus ad Marcellam scribens, hoc nomen אל, *el*, principem locum tenet: temeréne, an ratione aliquâ, ita enumerauerit, reposueritque, ambiguum est, אל *el*, אלהים *elohim*, אלהי *elohe*, צבאות *tsebaoth*, עליון *elion*, אשר אהיה *eser ehie*, ארני *adonai*, יה *iah*, יהוה *iehoua*, שדי *sadai*: potiùs videri nullam dignitatis habuisse rationẽ, quando illa quæ essentiam significant, & de quibus hactenus, primas sibi vendicẽt, sequãtur quæ virtutis sunt aut operationis, cùm esse sit prius quàm operari.

1. El est primarium nomen, à decem.

Virtutis autẽ esse nomẽ אל *el* ex eo videri, quòd à themate איל *aiel*, ductũ tradãt Hebræi, & fortem significat, quam etymologiam, secutus Aquila, ἰσχυρὸν interpretatur, à quâ non recessit interpres Ieremiæ cap. 32. reddens *fortissime, magne, & potens*: quod in Hebraicis est. הגדול הגבור האל *hael, hagadol, hagibor, Deus magnum potens*: & re

El virtutis nomen est. — Ierem. 32.

peritur lib. 2. Esdræ cap. 1. *Quæso Domine Deus cœli* האל *hael, fortis, magne atque terribilis*; *& Deus est magnus* האל *hael, fortis*, eiusdem lib. cap. 9. à fortitudine nimirum & patientiâ sic dictus, vnde exclamat Dauid psal. 7. *Deus iudex iustus* האל *hael, fortis & patiens*. Inde היל אלים *helgoim*, fortitudo gentium. Isaiæ 60. Sunt tamen qui hoc nomen אל *el*, ad אלה *alah*, referant, inquit Andreas Capella in Ieremiam, quod est iurare, maledicere, execrari, quia Dei potentia ita latè se exerit, vt omnia ei suam quamcumque habent virtutem & potentiam, acceptam ferentia, veluti iureiurando obstricta sint: & maledictio non fit sine iuramento, & recordatione nominis Dei. Nec desunt qui clementiæ nomen esse velint. è quibus Lemnius, exhortatione ad vitam optimè instituendam cap. 59. Sortitur quoque nomen Deus à placabilitate, inquit, mansuetudine, clementia, quâ vtitur erga homines, qui rebus afflictis & deploratis, illius opem ac subsidium implorant: & subdit, *El*, Hebraica vox, clementiam exprimit iustitiæ coniunctam, quâ pios sulcit, ac tuetur, & improbos castigat, atque incusso timore à sceleribus reuocat.

2. Esdr. 1. — Psal. 7.

Cæterum quod, *el*, in primarijs Dei nominibus decem, censente D. Hieronymo, primas occupet (si tamen ita senserit) ideo factum suspicatur Leonardus Marius in Exod. cap. 5. digressionis nominum diuinorum, quia potentiam significat, passim ita vsurpante Scripturâ, quum de Dei potentiâ agitur: potentia autem Patri primò tribuitur, qui prioritate originis, sacræ Triadis princeps, fons & origo, fortis & potens: *Solus quippe*, inquit D. Gregor. Nazian. Orat. 1. Apologeticâ, *ex omnibus rebus Deus est, qui nec fugâ vitari, nec superari potest, cùm aliquem arripere, ac sub manu & potestate redigere voluerit, celeres antevertit, prudentes decipit, fortes subuertit, sublimes contrahit, audaciam mitigat, potentiam premit*. In eâ significatione locutus est Laban Gen. 31. יש לאל ידי *Ies leel iadi*, id est, *& ad fortitudinem manus meæ*, siue, *est fortitudo in manu mea*, quod Chaldæus sic vertit, *est potentia in manu mea, vt faciam tibi malum*. Magnam potẽtiam, quasi Dei, viribus suis, & manui propriæ tribuẽs. Vulgata habent, *& nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum*: quasi dicat, facultati manus meæ inest: sicut in eadem significatione Prouerb. 3. dicitur: *Si vales, & ipse bene fac*: Hebraicè, *in existẽdo* לאל *leel*: id est, facultati manus tuæ ad faciẽdum, sicut interpretatur Pagninus. Sed cùm Hebraica litera sonet, *est ad Deum manus mea*, quod, iurantis speciem præfert, iusiurandum ipsum interponere dici posset: vel sic quoque explicari, *Cum Dei auxilio manu mea nocere vobis possem*. Igitur, aut fortitudinem, aut potentiam, aut manum Dei vocat vim, roburque magnificum quo pollet, Scripturæ phrasi, quâ, quæ ampla sunt & magnifica Dei dicuntur, vt mons Dei, cedrus Dei, manus Dei, id est, mons sublimis, cedrus procera, manus potens: & in euentibus magnis & inopinatis, manum Dei inesse dicimus.

El, cur primarium Dei nomen. — Gen. 31. — Prouerb. 3.

Vocat autem se אל *el*, Deus Gen. 17. *Ego sum qui sum* אל *el* cui aram erexit Iacob Gen. 33. quam vocauit, *el elohe Israël*, id est, *Fortis Deus Israël*. Quòd de manu fratris Esau fortiter eum liberasset, quem inuocat Moises, *el meus, & glorificabo eum*: cuius protectionem implorat in tormentis, factus pro nobis, imbecillis in nostris

Gen. 17. & 33. — Exod. 15.

Psal. 21. Dei filius, ps. 21. *el meus, el meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Quem benefactorem & liberatorem suum expertus Dauid psal. 56. canit, *ei benefecit mihi*: Quem fidelem & veracem in promissis suis

Psal. 56.

Num. 23. Scriptura prædicat, Numer. 23. *non vt vir, vt mentiatur, & filius hominis, vt pœniteat eum.* Qui fortis in promissis exequendis, *Fortem Domini el*, id est, protector fortis. Cuius fortitudo est, misereri & parcere; Osee. 11. *Non convertar vt disperdam Ephraim, quoniam el, & non homo*: qui fortis, iustus & potens, & ipsa fortitudo, ipsa iustitia, ipsa potestas est. psal. 5. *quoniam non el (Deus fortis) volens iniquitatem tu es: neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos*, quasi dicat, non tu ex illis qui rerum potiti, omnia sibi licere autumant, susque deque æquitatem habent, & afflictos, & iudicia Dei derisui, quemadmodum de diuite cecinit D. Nazianzenus in sententijs.

Ose. 11.

Psal. 5.

Casum orphanorum diues in risum trahit,
Et quas minatur improbis pœnas Deus.

Sæuiunt pro arbitrio, impijs præstant securitatem, nocent pijs. De אל *el* psal. 47. *Quoniam iustitia plena est dextera tua, tu el fortis & iustus* homo, si fortis, est iniustus. Tua, ô *el*, fortitudo cum summa æquitate & iustitia coniuncta est; hominis fortitudo, violentia est & rapina, nocet quantum potest, & valet: at tu nocentes non premis pro meritis: hominis fortitudo, quia sine iustitia est, tyrannis vocatur, ita Nemrod robustus venator coram Domino, appellatur, quia fortitudinis suæ robore, populos premens in iniustitia, subtraxit Deo. Ideò, *potentia sequi debet iustitiam*, inquit D. August. lib. 13. de Trinit. cap. 13. *Ideò & in rebus secundis ponitur, id est, præferenda, secunda autem à sequendo sunt dictæ*: & subdit, *Peruersitas est, vt homo posse quod velit, amet, velle quod oportet.* Agesilaus teste Plutarcho in Apophthegm. rogatus, vtra virtus præstaret, fortitudo, an iustitia? fortitudinis vbi est iustitia, nullum esse vsum demonstrauit, quod si omnes iusti essent, fore vt non requireretur fortitudo: quomodo igitur iniquus fortis erit, & iniustitias aliorum comprimet, si fouet suas? *Potentia adiuncta iustitia, vel iustitiæ accedens potentia, iudiciariam potestatem facit, pertinet autem iustitia, ad voluntatem bonam*, inquit D. Augustinus.

Psal. 47.

Agesilaus.

Sit ergo fortitudo nostra, lex iustitiæ, vt Sap. 2. dicitur. Plutarchus lib. de non irascendo, *fortitudo, inquit, non quærit fel, similis est enim consilio; bilis vero & iniuria fragilis & flaccida est*: hinc quæ fortitudo putatur sine iustitia, non est fortitudo, sed feritas & impotentia, quia, vt inquit D. August. in ps. 61. *potens vt esset, nisi iustitia* ad quam desideradam subnonet. lib. 13. de Trinit. c. 13. totidem verbis, *Optandum est, vt potestas detur, sed contra vitia, propter quæ vincenda, potentes nolunt esse homines, & volunt propter vincendos homines: vt quid hoc? nisi vt verè victi, falso vincant? & sint veritate, sed opinione victores. Velit homo prudens esse, velit fortis, velit temperans, velit iustus, atque vt hæc veraciter possit, potentiam planè optet, atque appetat vt potens sit in seipso, & miro modo aduersus seipsum pro seipso.* Est autem iustitia virtutum cardinalium virtus & anima, sicut charitas Theologicarum.

Iustitia lex vera fortitudo.

2. Etiam אל *el*, vocat se Deus, potentiam suam ab inani & impotenti Deiculorum turbâ secernens, qui non אל *el*, sed אליל *elil*. hoc est, nihil, idolum, dæmonium. *Elil* exponit Rabbi Kimhi, pro re quæ non existit, Alij pro אל אל *ul el, non Deus*; qui non אלים *elim*, Dij, sed per contemptum atque inanitatis & vilitatis irrisionem אלילים *elilim simulacra, Dijculi*, impotentes, imbeciles, nihili, dicuntur: vt mitti in sic homines quibus ratio illuxit, in eam præcipites ruisse caliginem; vt idola impensè colerent, atque illa, tanquam seipsos, custodumque suorum reputarent. Qua mentis cæcitate & occasione inductus Laban Gen. 31. Iacob Patriarcham aggressus ait, *cur furatus es Deos meos?* de quibus, quia clam se subrepti fuerant, dixerat prius, *quid fecisti, & furatus es cor meum? & furatus es meos*, quasi fortiue ab eo recedens Iacob, furtim clepserit eos eius, & Deos eius, Hebraicè אלהי *elohai*. Quæ enim diuinitas in idolo, quod humanæ confinxerunt, & formauerunt manus? humanæ furantur, tollunt, abscondunt, & inhumant manus? Ridiculum sane, aut insanum potius Hebræam gentem, vnius & veri & solius hæredem Dei, summi numinis violare, ludificare maiestatem, & ad vituli cultum deflectere. Deterrimum fuit Moise diutiùs in monte cum Iehoua commorante, Aaronem ad vituli conflationem, hac voce compellere, *Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant, Mosi enim nescimus quid acciderit.* An in hominis manu Deos formare? Deos cudere, conflare, quos tui itineris duces veneteris? Scilicet Satanæ præstigijs gens incredula, fidem habuit, & ad idolomaniam sese conuertit. Veteretor namque ille Galatino lib. arcanor. 11. cap. vltimo, ex Hebræis referente, quum Moises cum Deo conuersaturus in montem secessisset, neque ad præstitem diem ad eos rediret, perturbato vehementi tempestate aëre, Moisen finxit mortuum, ostensoque in aëre, & nube feretri illius vanâ specie, suasit vt crederent non superesse Moisem, atque ideò efformandum itineris ducem Deum: ô stupiditatem! quasi cum Moise, si interiisset, interiturus quoque esset Israëlis Deus: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*: maior ergò Aaron Dijs istis, qui ex inauribus aureis mulierum vitulum fusorium, pro Deo illis obtrusit coactus.

Gen. 31.

Exod. 32.

Alijs Græci, qui Deorum inanium superstitione irretiti, quò imperitæ plebi præsentis Numinis fidem facerent in fabrefactis idolis, ea tanquam demissa cælitus, non autem hominis elaborata industria, colenda proponebant, auctor Suidas, verbo διοπετής, Græci, inquit, colunt statuas Deorum διοπετεῖς, id est, à Ioue missas, sic enim, quò terrorem omnibus incutiant eas statuas vocant; quasi omni humano artificio & sumptu præstantiores sint, eamque famam spargunt, statuarijs vel relegatis, vel occisis ne eas manu factas dicant: Ita cœci illi, & post idola perditissimè insanientes, gaudebant vulgi incertæ fidei oculos eadem cœcitatis nebulâ offundere: quod adeò industriæ præstiterit, vt non aduerterent inanes esse Deos, nullaque fortitudine præditos, quos imbecillis artificis manus, è subiectâ lapidis vel ligni, ærisve aut alterius metalli materiâ, scalpserat.

Idola tanquam è cælo accepta pro Dijs habentur.

Solus Deus noster אל *el*. Quo nomine etiam potentes seculi, necnon etiam inferni compellantur. Ezechiel. 32. *Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni*, siue *loquentur ei elei* אלי *fortes potentium.* Rursus Angelis tribuitur nomen hoc, veluti Iob. 41. *cùm sublatus fuerit (Behemoth) timebunt Angeli.* Hebraicè est, *à magnitudine*, siue, *ab altitudine eius, timebunt* אלים *elim, fortes.* Et Angelus qui luctabatur cum Iacob Gen. 32. dici-

Ezech. 32.

Iob. 41.

Gen. 32.

tur אל *el*, id est, fortis, quod nomen deinceps adhæsit ipsi Iacob, ſtirpique eius, & vocatus eſt Iſraël, quaſi fortis princeps contra אל *el*. fortis in fortem, ſicut ſacræ teſtantur literæ, *Quia ſi fuiſti fortis contra Deum*: Hebraicè *quia* שרית *Scharaiath*, id eſt, *princeps fuiſti cum Deo*. Hinc, non ita appoſitè, & origini vocis conuenienter adferri colligo, quod alij aiunt, ex eo dictum Iſraël nomen, quaſi *vir videns Deum*, ſicut & nos alibi, eorum ſecuti interpretamentum, ſatis enim nominis huius etymon explicatur in textu, prout legitur ab alijs, nempe, *quia principatur fortis, & confligit cum Deo*: vna lectione, ſenſum alterius ſupplente.

3. Verùm cur Angelo nomen fortis? Nunquid enim vinci imbecillitatis eſt, non verò fortitudinis? *Cùm videret*, inquit Scriptura, *quòd eum ſuperare non poſſet*. Quis igitur fortis? Fortitudinem docuit Zeno, prudentiam eſſe in rebus gerendis, vnde factum eſt, Plutarcho auctore in Apophthegmatis, vt Ageſilaus in pugnâ ad Mantineam, monuerit Lacedæmonios, vt alijs miſſis omnibus Epaminondam peterent, ſolos ferens eſſe prudentes, fortes, auctoreſque victoriæ ſolos: prudenter namque aduerſario cedere, & vinci, fortitudinis eſt, & victoria: neque prælijs exercitatus miles, accepto rubricatus vulnere, haſtam abijcit, *Quia ſcit*, inquit Seneca, *ſe vincere poſt ſanguinem*, quemadmodum de Entello Virgilius, Æneid. 5.

At non tardatus caſu, nec territus heros,
Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat irâ.

Neque ſupereſſe victorem neceſſe eſt ad triumphum, qui moriens fortiter, proſtrato hoſte, in ipsâ morte inuenit triumphum. Ideoque campum illum, in quo fortiſſimi bellatorum occubuerant, *Agrum robuſtorum*, appellari voluit, Dauid rex, 2. Reg. 2. quòd nonniſi fuſo ſanguine, fortitudo probetur, nec victus putandus ſit, qui non ad ſanguinem vſque reſtiterit: quod veteres duobus ramis ſeſe decuſſatim complectentibus ſignificarunt, palmæ, nimirum, & cypreſſi arboris tenereæ, quæ cariem & corruptionem non facile ſentit, vt refert Pier. Valerian. Hieroglyphicorum collectaneorum lib. 3. titulo, *fortis*. Hinc ex Cypreſſo arcæ fieri ſolitæ, vt auctor eſt Thucidides lib. 2. eorum corporibus recondendis, qui fortiter vitam vixerant, & bello Peloponneſiaco contra Spartanos, fortiter mortem oppetierant, hoc pacto immortalitatem conſecuti. vnde natum illud:

Vincere pro patriâ, vel pulchrâ occumbere morte,
Fortis amat, ramus quod monet iſte duplex.

Cedit ergo prudenter Angelus Iacob, & cedit illi palmam, quò fortiùs illo ſtratagemate, ipſum ſibi deuinciat, & ipſe Iacob, ſe, ſuaque omnia *Forti*, accepta ferat, cuius prudentiâ victor euaſit ipſe victus. Non tamen corporalis illa lucta fuit, vti ſubmonet D. Hierony. in 6. cap. ad Epheſ. & Oſee. 12. orationem interueniſſe dicit, & lacrymis conceſſam victoriam. *Preualuit ad eum, & confortatus eſt, fleuit, & rogauit eum.* Magnanimitatis autem eſt, vinci prece & lacrymis, quibus ita vincitur ipſe Deus, vt inde glorioſior videatur, victorem notâ ſeruitutis afficiens, ſicut inſit D. Greg. Nazian. Orat. 10. *Deuiſtæ naturæ notas gerit, claudum effectus Iacob.* Tanta nempe ineſt orationi vis, vt illâ vincatur Deus, & vincat quem ſibi deuinctum cupit. Fortitudo namque Dei, ſicut piè aduertit Marius in Exod. habet ſe cū electis ſuis, ſicut benigniſſimi parentis in ſua cariſſima pignora, fortitudo, quem nunquam cedere, & virium ſuarum diſſimulatione vinci videmus. Deus namque ex paternâ indulgentia, quæ nihil officit fortitudini, imò temperamentum eſt fortitudinis, vinci ſe patitur ad ſuorum ſolatium: imò ſe vinci gaudet, & ſi non vincatur, conqueritur, Ezechiel. 22. *Quæſiui de eis virum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terrâ, ne diſſiparem eam, & non inueni.* Et Iſa. 64. *Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te.* Nimirū humili deprecatione placari vult & vinci; tum verò maximè, quum exploraturus vniuſcuiuſque animum, aut pœnas peccatis debitas irrogaturus, acutioribus cladium telis, ſuos aut ad probam, aut ad emendationem fecit, & vulnerat; tùm enim recurrentium ad ſe, innecti ſe patitur precibus, & capi, & vinci, adeò vt non modò ſæuientium inimicorum cohibeat manus, & inſultantium retundat impetus, verū etiam, *voluntatem timentium ſe faciet*. Non ſecus atque Princeps quiſpiam bello victus & captus, ad victoris arbitrium paciſci cum victore compellitur. Ideoque fortis & patiens Dominus: non enim eſt fortitudo vbi non eſt patientia, inquit D. Bernard. ſerm. 1. de Natiuitate Domini. Quòd itaque fortis aduerſus fortem Iacob perſtiterit: quod Angelum fortem & patiētem vicerit prece, fletu fratris eius Eſau reuincta malicia indicabatur, neque permiſſurum Deum, vt deinceps Iacob ab eo detrimentum ferret.

Gen. 32. *2. Reg. 2.* *Oſe. 12.* *Ezech. 22.* *Iſa. 64.* *Pſal. 144.*

CAPVT XLVI.

De nomine שדי *Sadai.*

I. *Sadai, id eſt, omnipotē.*

Viuſce nominis etymologiam & ſignificatum, iam tradidimus ex Oleaſtro ſ. 6. num. 4. nunc ordinis gratia, quædam ad maiorem illius elucidationem, venerationemque, repetere viſum eſt שדי *Sadai*, itaque D. Hieronymo, eſt Omnipotens: Aquilo vertit ἱκανὸν, quod nos, robuſtum & ſufficientem ad omnia perpetranda accipere poſſumus, inquit D. Hieronymus epiſtola ad Marcellam. Et in pleriſque ſcripturæ locis, pro שבי *Sadai*, redditur *omnipotens*, veluti Ezechiel. cap. 10. *Tanquam vox Dei omnipotentis*: Hebraicè אל שבי *el Sadai*. Et Iob. 8. 13. 15. & 21. capitibus, contra שדי, id eſt, *contra omnipotentem roboratus eſt*: quâ in ſignificatione, à שבר *ſadad*, quod eſt, vaſtauit, depopulatus eſt, fuit, deductum exiſtimatur, vnde vertunt alij, *fortem, robuſtum, vaſtatorem, victorem, invictum*, propter cauſſas, poteſtateſque diuerſas, *cuius potentiæ nulla vis reniti poteſt, prædatorem robuſtum*, *Inde* שד, ſiue שוד *ſed*, depopulatio, vaſtitas Iſa. 13. כשד משדי *chesod miſadai*, *vel vaſtitas, vel preda ab omnipotente* Et Ioël. 1. *quaſi vaſtitas à potente (ſadai) veniet*. Quam Dei vim Iani bifrontis figurâ indicarunt veteres, inquit Pierius Valerian. Hieroglyphicor. lib. 35. cap. 28. abſque manibus, pedibuſque ficta, quadrato lapide abexili baſi in latum exurgente, quia neque manibus, neque pedibus illi opus ſit ad ea quæ ſufficit efficienda, vtpote qui ſolo nutu poſſit totum tremefacere Olympum, atque dicto citiùs tumida æquora placare.

Ezechiel. 10 *Iob. 15.* *Iſa. 13.* *Ioel. 1.*

Nihil autem æquè nos in bonitatis, ſapientiæ, & magnitudinis infinitæ Dei cognitionem adducit, atque eius perſpecta omnipotentia, quâ, plus valet agere, quàm creatura cogitare. Hinc eſt, cur antiquis Patribus ſe ſub Dei *omnipotentis* nomine frequentiùs manifeſtarit, Gen. 17. *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, perfectus in vijs*

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Non enim creaturis suis, aut eorum bono indiget Deus: *Non solum igitur pecore, vel quolibet alio re corruptibili atque terreno*, inquit D. August. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 5. *sed nec ipsa quidem iustitia hominis Deum egere credendum est, totumque quod recte colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse si biberit, aut luci si viderit.* Et lib. 13. Confess. cap. 4. *Quid ergo tibi deesset ad bonum, quod tu tibi es, etiamsi ista vel omnino nulla essent, vel informia remanerent, quae non ex indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuae, cohibens atque conuertens ad formam, non vt tanquam tuum gaudium compleatur ex eis? Perfecto enim tibi displicet eorum imperfectio, vt ex te perficiantur, & tibi placeant, non autem imperfecto, tanquam & tu eorum perfectione perficiendus sis.* Et de eadem Dei sufficientia Aristoteles Ethic. 7. cap. 12. δῆλον γὰρ ὡς οὐδενὸς προσδεόμενος ὁ θεός, οὐδὲ φίλου δεήσεται. *Manifestum enim est, quod nulla re egeat Deus, nec amico egebit.* Propheta regius psal. 15. *Dixi, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Deum suum appellat iustus, almo afflatus Spiritu, quia illo tanquam summo bono contentus viuit, à quo ne per offensam recedat, omnia mundi quae sibi oblata propositaque perspexerit, despecta habet. Et rationem dat, cur Deus verè sit Deus, *quoniam*, inquit, *bonorum meorum non eget*: Solus enim ipse est, qui sibi sufficit, nullius prorsus indigus: omnis autem creatura bonis nostris indiget, vt proinde pudere nos debeat, egenam indigamque nostri creaturam pro Deo venerari: venerandus ille solus & colendus, quo egemus nos, quique ex bonis nostris nullam accessionem facit: *Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo*, inquit D. August. tractatu 8. in cap. 4. epistolae D. Ioan. *Vicissim se habitant qui continet, & qui continentur. Habitas in Deo, sed vt continearis. Habitat in te Deus, sed vt te contineat, ne cadas: ne fortè sic te putes domum Dei fieri, quomodo domus tua portat carnem tuam. Si subtrahat se Domus in qua es, cadis: si autem tu te subtrahas, non cadit Deus. Integer est, cùm eum deseris: integer cùm ad illum redieris. Tu sanaris, non illi aliquid praestabis: tu mundaris, tu reficeris, tu corrigeris. Ille medicamentum est non sano, regula est prauo, lux est tenebrato, habitatio est deserto. Omnia ergo tibi conferuntur. Vide ne putes Deo aliquid conferri, quando venis ad eum; nec mancipium quidem.* Dat opes suas creaturis, quibus etiam sufficiens est. *Deus*, enim, inquit Tertull. lib. de poenitentia, *in omnia sufficit*: quas si repetierit, opulentior non fit, sicut fieret ditior homo, si distractum principatum iure ad se reuocaret: si auxerit non fit pauperior: dat regnum suum, nec minus habet. Vidit Plato nihil vtilitatis, à nobis ad Deum peruenire: cui quamuis τὸ ὅσιον κεχαρισμένον, ἀλλ' οὐχὶ ὠφέλιμον, οὐδὲ φίλον, *Pietas grata, non autem vtilis vel amica*, propter vtilitatem scilicet quam inde percepturus sit. Hinc D. Paulus Actuum 17. Athenienses alloquens, de Deo inquit: *Non indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* Est enim naturaliter vita, vt inquit D. Fulgentius lib. de fide ad Petrum, qui si vita non esset, non viuentia corpora ipse non fecisset: neque enim facit rem non viuentem, nisi res viuens: est & omnis nostra sufficientia, 2. Cor. 3. *Et praestat omnibus abundè ad fruendum*: 1. Timoth. 6. quapropter Eliphas Iob. 22. *Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei confers si immaculata fuerit vita tua?* in quae verba D. Gregorius lib. 16. moral. cap. 1. *In omni quippe quod bene agimus, nos ipsos, non autem Deum iuuamus.*

Psal. 15.

1. Ioan. 4.

Actor. 17.

2. Cor. 3.
1. Timoth. 6.
Iob. 22.

6.

Propterea, quamuis mundum ab aeterno condere potuisset, non tamen condidit, vt se nullâ opus habere creaturâ indicaret: vnde factum est, vt omne quod creatum, quodque productum est rerum in mundo, non ad supplendam Dei indigentiam sit creatum, sed nostram; atque sui communicatione, potentiam, sapientiam, & bonitatem suam manifestaret, non suo, sed creaturae suae bono: qui enim ante spectabilis machinae molimenta, in seipso summè beatus fuit, creaturis non indiguit, cùm penes se, in thesauris, infinitatis, immensitatis, atque bonitatis suae, omnem sufficientiam reconditam haberet, ipse sibi sufficiens. Sic enim D. Chrysost. homil. 50. ad popul. *Nihil de nobis indigens Deus, nos fecit*, inquit, *quod autem nullius indigeret, ex eo quod postea fecit, manifestauit; nam si indiguisset, iam pridem fecisset. Sed si fine nobis ipse fuit, nos autem in posterioribus seculis facti sumus, nostri non indigens nos fecit: Fecit caelum, terram, mare, quaeque sunt omnia, propter nos.*

Eam ob rem D. August. epistola 5. ad Marcellinum, Deum esse verum Dominum ait, ideò, quia seruis non indiget: *Nihil*, inquit, *Deus iubet quod sibi prosit, sed illi cui iubet, ideo verus est Dominus, qui seruo non indiget, & quo seruus indiget.* Et tractatu 8. in epist. D. Ioan. cap. 4. *Ergo non habebit Deus seruos, si tu nolueris, & omnes noluerint? Deus non indiget seruo, sed serui Deo*: ideò dicit Psalmus: *Dixi Domino, Deus meus es tu: ipse est verus Dominus*: atque ita vt etiamsi nullum praemium seruitutis constituisset Deus, nihilominus illi seruiendum esset, quia nos bonorum illius indigemus: è conuerso in humanis accidit, vbi eget Dominus seruo, eget illius operâ, quam non exhibet seruus, nisi mercedis spe. *Tu eges bono serui tui*, inquit D. August. *Eget seruus bono tuo, vt pascas illum, eges & tu bono serui tui, vt adiuuet te. Non tibi potes aquam implere, non tibi potes coquere, non tibi potes ante equum currere, iumentum tuum non potes curare. Vides quia indiges bono serui tui, obsequio illius indiges*: & infert, *Non es ergo verus Dominus, quando indiges inferiore. Ille est verus Dominus qui nihil à nobis quaerit, & vae nobis, si eum non quaeramus.* Quod & iisdem ferè verbis repetit in psal. 69. *Ille non eget nostri, nos egemus illius, ideò verus Dominus.* Domini verò temporales, ita sunt Domini, vt seruis suis indigeant.

Praeclarè dictum Heroinae cuiusdam, quae Deo totis animis famulatura, quum se ab ancillis pedissequisue expediret: nullius deinceps opis egere volo, inquit. Suis namque subditis egent maximè huius seculi reges, quos si non haberent, non principarentur, quandoquidem omnis eorum gloria, maiestas & potentia, à subditis dependeat. At verò caeli Dominus, sic vniuersa condidit, vt istorum nihil egeat: vt qui opes suas, potentiam, maiestatem & gloriam, non à rebus conditis, sed à seipso fonte bonorum omnium hauriat, vnde ista fluxerunt, quae ab eo dependent, non ipse ab illis: & quibus funditus intereuntibus, atque in aequam nihili faciem resolutis, nihil incrementi, decrementiue accipiat. quia omnipotens est sapientia eius, potestas, & gloria, & incomparabiles diuitiae eius, nullis circumscriptae terminis. Etiamsi ergo Angeli omnes pereant, & homines, vt inquit Abulensis in cap. 18. Matt. quaest. 71. nullo afficietur damno, quia de bonis eius nihil decedet, qui sibi est omne bonum. Eapropter excute eam mentem quâ tibi persuadeas Deo incremento futurum si ad illum accesseris: nam quòd amari cupit & coli, si amaueris, si colueris, in magnos auctus gloriae tuae est: quòd oblationes & vota tua suscipiat, honos est, quo te afficit Deus, dona sua in te remunerans, quae sibi à te offerri exigit, te quaerens, non se. *Nihil à nobis quaerit*, inquit D. August. suprà, *& quaesiuit nos*, cùm

Heroinae dictum.

tum eum non quæreremus. Et conuersus ad omnipotentem lib. 1. Confess. cap. 4. *Quæris*, inquit, *cùm nihil desit tibi, recipis quod inuenis, & nunquam amisisti. Nunquam inops, & gaudes lucris, nunquam auarus, & vsuras exigis. Supererogatur tibi vt debeas. Et quis habet quidquam non tuum? reddis debita, nihil debens, donas debita nihil perdens.*

Sufficit creaturis suis Deus.

Abundant enim Deo viuicia, & ipse abundè creaturis suis sufficit: idcirco, idoneus, id est *sufficiens*, & *omnipotens* à Theodoreto dicitur in Ezechiel. 1. quod omnia perinde atque vult, faciat facile, omnibus dans affluenter. *Ipse enim verè nobis Dominus*, inquit D. Gregor. lib. 16 Moral. cap. 1. *quia & vtique Deus est, qui bono non indiget seruientis, sed quia bonitatem confert quam recipit, vt oblata bonitas, non ipsi, sed priùs accipientibus, & post reddentibus prosit.* Diuus quoque Chrysostomus homil. 2. in Genesim: *Mos enim diuinæ misericordiæ est, vt si nos tenuia quædam & vilia obtulerimus, si tamen offerimus, multâ liberalitate nos remuneret: Et vt discas quanta sit humana tenuitas, & quanta Dei magnificentia. Si voluerimus offerre, quid amplius offerre possumus, quàm quantum verbis gratias referimus: ea sanè quæ ipse exhibet, opere præstat. Quàm imparia autem sunt verba & opera? & Dominus nullarum rerum indigus est, nullaque rerum nostrarum eget quàm verbis: atque hanc ipsam in sermonibus gratiarum actionem exigit, non quòd eâ ipse opus habeat, sed vt nos doceat gratos esse, & agnoscere tantorum bonorum suppeditatorem.* Ad hoc benignè Dominus, duo contulit homini, intellectum scilicet, vt cognoscat; & adfectum, vt subseruiente linguâ gratias agat, quod proprium hominis esse testatur Philo lib. de plantatione Noë, totidem verbis: *Nihil est Deo magis proprium, quàm benefacere, nihil item creaturæ, quàm gratias agere; cùm præterea nihil rependere valeat: nam si quid aliud retribuere voluerit, id inueniet iam ante, non ad creaturæ offerentis, sed ad ipsius omnium creatoris possessionem pertinere.*

Deo proprium est, benefacere.

Verumtamen ingrata impietas, quasi nihil sperare possit ab inexhausto bonorum fonte, contemnit, & dicit: *Quis ostendit nobis bona?* quæ est impiorum vox apud Sophoniam 1. *Qui dicunt in cordibus suis, non faciet Dominus bene, & non faciet malè.* Ignorantes Dei ad vlciscendum, nocendum, vastandum atque deprædandum omnipotentiam, & ad benefaciendum sufficientiam; cùm, tamen velut apis habet mellis dulcedinem, vt inquit D. Bernard. serm. 2. de aduentu, habet etiam aculei punctionem, ita quoque Deus: & huius apis mel, & aculeum non ignorat, qui misericordiam & iudicium cum Prophetâ decantat.

Psal. 4.
Sophon. 1.

Imperator interea noster benignissimus & clemens, quamuis non teneatur cuiquam benefacere, quia nullius eget, cumulatissimè tamen nos suis donat muneribus, solemque suum oriri facit super iustos & iniustos. Et roborabitur vilis homuncio, graui ignorantiæ, ingratitudinis, atque transgressionum suarum exercitu, contra omnipotentem, contra Sadai, ad opprimendam & offuscandam maiestatem eius, cuius munimenta, cuius machinæ, cuius arma, cuius exercitus, cuius robur, voluntas ipsa est cum potestate coniuncta, ipse inuictus, & cuius velle est posse?

3.

Summæ dementiæ est, ingratitudinis inde sumere argumentum, vnde amoris instillatur incendium: Nam quid aliud est munifica Creatoris potentia, quàm: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs*, psal. 119. quibus amor excitatur, non interitus comparatur? Scio apud Eucherium per sagittas, Apostolos hieroglyphicè significari, qui orbem terræ volatu pernicissimo peragrantes, mortalium corda, qui Deum necdum norant, Euangelicæ doctrinæ verbo penetrarunt: apud Augustinum quoque in psal. 7. vbi ab arcu scripturarum sanctarum, emissos Apostolos tanquam sagittas refert: *Arcum scripturas sanctas libenter acceperim*, inquit, *vbi fortitudine veri testi. menti, quasi neruo quodam, duritia veteris flexa & edomita est: hinc tanquam sagittæ emittuntur Apostoli, vel diuina præconia iaculantur, quas sagittas ardentibus operatus est, id est, qui percussi diuino amore flagrarent.* Et de verbo Dei, siue sacris eloquijs, penetrante caritatis flammâ, cor penetrantibus, velut se illis sauciatos dixerunt peregrini Emauntis, sagittas quoque potentis, tum ab Augustino in psal. 119. tum ab alijs, compertum est: ait enim Diuus Augustinus. *Sagittæ potentis acutæ, verba Dei sunt, ecce iaciuntur, & transfigunt corda: sed cùm transfixa fuerint corda, sagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur. Nouit Dominus sagittare ad amorem, & nemo pulchriùs sagittat ad amorem, quàm qui verbo sagittat, imò sagittat cor amantis, vt adiuuet amantem, sagittat vt faciat amantem: sagittæ autem sunt quum agimus verbis: parùm est verbis agere, nisi & agatur exemplis. Exempla sunt carbones vastatores, eorū qui ad frugem redierunt, aut ad pœnitentiæ asylū cucurrerunt, quos cū non etiam magis naturæ, quàm vos, fuisse cognoscimus, dicit Deus, nos posse quod illi potuerunt: atque his & alijs enumeratis, qui multum peccauerunt, & eò ampliùs amauerunt, accepta sagittâ in corde, accedentibus etiam carbonibus desolatorijs, desolatur in nobis cogitatio terrena.* Et in psal. 139. ait, sagittas esse verba Dei cor transfigentia, & vetustatem perimentia, & gignentia amorem: carbones verò exempla hominum qui mortui erant, & reuixerunt, & nigri erant, & fulgentes effecti sunt, qui cùm tenebræ fuerint sicut carbones, sed accedente ad eos flammâ caritatis reuixerint, audiant Apostolum dicentem ad Ephes. 5. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Scio & sagittâ, Christum à Patre missum, vimque caritatis eius interdum significari, quâ vulneratur sponsa Cant. 2. vimque perfidorum, quâ sauciantur innocentes, *Sicut enim sagitta est Christus, qui est Verbum Dei*, inquit D. Ambrosius in psal. 36. *Cui dicitur posui te sicut sagittam electam*: Isaiæ 49. *quæ profertur ex pharetrâ Dei: ita sagittæ sunt perfidorum, quæ arcu quodam iniquitatis emissæ, intantum vulnerant innocentem, nisi ignita eorum iacula, scuto fidei repellantur.*

Ephes. 5.

Isa. 49.

Potentis nihilominus Dei sagittæ, etiam eius sunt in humanum genus beneficia, quæ ex bonitatis suæ pharetrâ, & arcu misericordiæ, in nos effluenter eiaculatur: acutæ sunt istæ sagittæ, quia per eas acuitur intellectus humanus, ne deorsum repat, & diffluat, sed sursum feratur per visibilia, ad inuisibilia Dei: atque illis percussus & inflammatus adfectus, tanto ardet regni cælestis amore, vt persecutiones tanquam imbelle telum derideat, dicens quod Apostolus ad Rom. 8. *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, &c. neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Sunt & ipsa beneficia quoque carbones vastatores, quia tandem peccator & impius, videns se tot beneficijs cumulari diuinis, quibus affluxè inspergitur; tamque amicè atque paternè ab eo tractari, quem prauè actâ vitâ persecutus est; quem nec agnoscere, nec colere, nec venerari dignatus est; resoluitur ibi ardentes pœnitentiæ gemitus, ipsius peruersitatis, totiusque nequitiæ, atque peccaminum desolatorios, ad ædificationem corporis Christi. Pulchrè D. August. in psal. 119. *Erant multa quæ malè frondnerant*, inquit, *multæ carnales cogitationes, sæculares multi amores: ipsi vruntur carbonibus vastatorijs, vt fiat purus locus desolatus, in cuius loci puritate faciat Deus ædificium suum, quia factus erat ibi ruina diaboli, & ædificatur ibi Christus*

Rom. 8.

Bus: nam quamdiu manet ibi diabolus, non poteit aedificare Christus. A. cedunt Carbones desolatorij, & destruunt quod malè fuerat ædificatum, & desolato loco, accedit instructor seluius perpetuus. Magnus enim ad amorem conciliandum stimulus, non promeritis conferre beneficium, sed quantus ille, & quam acutus, quum hostiliter agenti inimico benefit? Quum nondum essemus, donis suis nos munerauit Deus: & quum inimici essemus, reconciliauit sibi: Ad cuius imitationem vt inimico benefaciat, monet Sapiens Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius:* ignis namque quo carbones atri accenduntur, flamma beneficiorum est, quâ ad amorem, animi auersi accenduntur: Carbones ignis vrentes, sunt pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet fuisse se aduersus eum inimicitias, cuius beneficentiâ, in suâ miseria leuamen experitur. Accedamus amoris igne, flammantibus beneficiorum sagittis confixi, illius qui non suam, sed nostram tantùm vtilitatem quærit, qui est sibi sufficiens Deus, in quo est sufficientia nostra, & extra quem, omnis nostra miseria.

Amoris conciliandi vis hosti benefacere.

Prou. 25.

Capitis 46. §. 2.

Deus, Sadai dictus, quia necessarius.

1. Lactis generatio.

QVemadmodum auulso fœtu ab vtero, inquit Patricius Senensis, vbera non aliter manare solent, quàm vteri genitali passione, pendentibus exinde venis, sentinam illam interni sanguinis in mamillam exhaurientibus, & ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis latiorem: ita nobis ex vtero Dei, quasi per neruum vmbilicarem folliculi nostri traducem, per Verbum, quo facta sunt omnia, auulsis, fontem suum transfundit in vbera Deus, quorum suctu pocillemur, atque conseruemur. Nam si natura, vti scribit Plutarchus, de natiuâ in suam progeniem caritate, quouis plantarum cultore, & irrigatore concinnius, ex alijs ad alia diuertens, nempe ab irrigatione prolis in vtero, ad eiusdem irrigationem extra vterum, & sumens quod ex vsu est, habet aptatas quasi venas & fontes affluentis laticis, qui non fortè, neque sine sensu excipiunt; sedet spiritus blando tepore & molli suctu, emittere, subigere, & conuertere valent, quippe ad eum modum in sinu mammâ comparata, & temperatâ. Quantò magis auctor naturæ Deus perpetuâ irrigatione fouet quos ex ideali mentis suæ conceptu creando, quasi ex vtero effudit? Atque adeò necessaria est hæc rerum creatarum nutricatio, vt illâ deficiente, sint in nihilum suum reditura.

Sadai, idem quod necessarium.

Ideoque שדי *Sadai* dicitur Deus, quod & *necessarium* significat, à שד *sad.* id est, *mamilla, vber:* velut enim ad prolis nutricationem, vbera sunt necessaria, ita ad creaturæ suæ conseruationem, necessarius est omnipotens, vt eius vberibus, & bonitate, omnia alantur & nutriantur, cuius virtus ac munificentia per omnia permeet, cuius humore pingui gratiæ, & beneuolentiæ saginentur corda hominum famelica, tanquam à nutrice gratiâ, Sap. 16. quæ vberrimo fluxu moderetur vniuersa, non solùm potestate & viribus potens, sed etiam lenitate, & clementiâ, sicut aduertit Pineda in loc. 13. ver. 3. num. 2. & cap. 8. v. 3. num. 4. vt שדי *sadai*, idem sit quod Deus mammeus, qui omnem sufficientiam & abundantiam, quasi omnipotens tribuat, & quidem tantâ vbertate, vt iugiter fluat, nunquam verò vel minuatur, vel deficiat; quam propterea Sapiens cap. 16. appellat nutricem gratiam. Etenim, si grauissimi viri rectè indicant, vti Nicolaus Biesius lib. 1. de Republicâ, cap. 8. adnotauit, non ab alijs filios nutriri debere, quàm ab ipsis quæ eos pepererunt, quod semper, & maiorem curam mater susceptura sit, proprioque suo nutrimento, præsentiaque suâ, filium sibi quàm simillimum sit reddituta: Nos qui gestati vtero Dei, qui excepti genibus, non alio suctu pascimur ad vitam & nutrimur, quàm qui ab vberibus Dei, de quibus Isa. 66. *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis*, vt vberum eius affluenti virtute, illi reddamur similes.

Sap. 16.

Sap. 16.

Isa. 66.

2. Mamillas in viro esse ad decorem.

Quanquam verò mamillas in virili pectore, non ad vsum, sed ad decorem institutas dicat D. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 24. ad vsum tamen Deus habere fingitur, propter eam quam creaturis impertit nutricationem. Ægyptiorum Sacerdotes inquit Pierius Valerianus Hieroglyphicor. lib. 25. cap. 12. nutricationis facultatem indicaturi, vespertilionem pingebant, vt quæ sola volucrum, & dentes & mamillas humanis similes habeat, lactéque pullos, vberibus admotis, nutriat. Græci verò, vt hanc alendi facultatem significarent, Dianæ simulacrum mammosum effingebant, extantibus toto corpore vberibus & papulis, à quibus omnes creaturæ dependerent: eamque Latini eâ de caussâ, multimammam appellarunt. Plutarchus in Romulo, & in quæstionib. Centuriatis Romanorum, Petrus Crinitus lib. 25. de honestâ disciplinâ, cap. 12. Alexander ab Alexand. genialium dierum, lib. 3. cap. 12. & Diuus Augustinus lib. 6. de Ciuitate Dei, cap. 10. Ruminam Deam apud Romanos fuisse scribunt, quam ridiculâ vanitate, lac in eius sacris infundentes, colerent, quòd rumam, id est, mammam exsugentibus, opem adferret: hinc à rumâ agni subrumi. & ficus Ruminalis dicta, vel ob Romulum (vt plurimi sentiunt, inquit Plutarchus in Romulo) ita nuncupata, vel ob ruminationes armentorum, quæ ibi ob frigora captanda in vmbram coguntur, vel ob aliam caussam quæ potissima fuisse videtur, quòd ruma, mamma à veteribus appellata sit, ac Deam aliquam quæ educationi infantium præesse putabatur Rumiliam vocitent. Et lib. 7. de Ciuit. Dei. Diuus Augustinus cap. 11. Iouem ipsum Ruminum, quòd rumâ, id est, mammâ aleret omnia, dictum scribit. & Ruminam: Ruminum fortasse pro sugentibus maribus, & Ruminam pro feminis, quemadmodum & Iupiter & Iuno est appellatus, vt ipsa Iuno nihil aliud sit quàm Iupiter, propter diuersas caussas & potestates varia sortitus cognomina, secundum illos Valerij Sorani versus, vbi dictum est:

> *Iupiter omnipotens, Regum, rerumque, Deûmque*
> *Progenitor genitrixque Deûm.*

Atque his & alijs similibus, quid aliud illi indicatum voluerunt, quàm Deum auctorem esse & conseruatorem rerum omnium? *Nonne ipse est qui pascit omnia, omnia nutrit, qui fœnum agri quod hodie est & cras in clibanum mittitur, gloriosius vestit & ornat*, inquit Diuus Bernard. homiliâ de Iesu perdito.

Mammæ sunt in pectore.

Porrò autem natura animantium reliquarum, sub ventre aperit vbera & mammas; mulieribus autem ad pectus supernè extant, vt facilè suauiari, complecti, & exosculari infantem queant, quòd fœtificatio, & nutritio, non quæstum, sed amicitiam pro fine habeant. Sic amantissimus noster Deus, nudato pectore summum in nos testatus amorem, è medio sinus sui, mammas suas nobis donauit, vnigenitum scilicet suum, & Spiritum Sanctum, vt inebriemur ab vbertate domus eius, & torrente voluptatis eius pollicemur. Iam si Diuina Maiestas fontibus vberum suorum, quadraginta annis populum Iudaicum pauit in deserto, demisit se ad nos eadem Maiestas in filio, & de iisdem fontibus, ex paucis panibus pauit circiter quinque millia similiter in deserto: *Pastit populum in solitudine, de pristino scilicet more*, inquit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: *aut si non eadem & maiestas, ergo iam minor est creatore, qui non vno die, sed annis quadraginta, nec de inferioribus materijs panis & piscis, sed de manna calesti, nec quinque circiter, sed sexcenta millia hominum protelauit: Adeo autem ea fuit maiestas, vt & pabuli exiguitatem non tantùm sufficere, verametiam exuberare de pristino voluit exemplo. Sic enim & in tempore famis sub Eliâ vidua Sareptensi modica & suprema alimenta, ex Propheta benedictione per totum famis tempus redundauerunt.* Et ab his Diuinæ prouidentiæ vberibus lac nutricationis suæ pulli coruorum inuocant, & catuli leonum rugientes, quærunt escam sibi, & sufficit in omnia Deus: cuius quoque vbera Principatus, Archangeli & Angeli, per quos nos pascit, sicut Israëliticam familiam electam pauit in terrâ lacte & melle manante.

3\. Duo sunt quoque vbera sponsi, tanquam perennes gratiarum fontes ad vitam necessarij: vt sunt duo præcepta caritatis, dilectio Dei, dilectio proximi, quæ meliora sunt vino, hoc est, rerum temporalium curâ; & duabus tabulis legis significantur: vel duo testamenta secundum Diuum Augustinum homil. 1. in Apocal. quæ de pectore Domini Saluatoris, velut ab inexhausto gurgite manantia, & succo Spiritus sancti plenâ sugunt Ecclesiæ filij, & inde dogmata interioris sapientiæ & disciplinæ, ad quæ pertinent beatitudines vberum, Gen. 49. ad vitæ æternitatem propinant gentium populis. *Duo sponsi vbera*, inquit Diuus Bernard. serm. 9. in Cant. *duo in ipso sunt ingenita mansuetudinis argumenta; quod patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas.* Duo vbera, cælum & terram intelligit Dauid Kimhi, relatus à Pineda suprà Snam cælum, lactis instar, pluuiam distillat; atque è terrâ fructus sugitur, quæ sunt vbera Dei, de cuius plenitudine omnes accipimus. Non enim Iudæi tantùm; quibus vberum istorum affluentiam apprecatus est Isaac filio sub Iacob dicens Gen. 27. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini: sed etiam gentibus, ad quas* maior peruenit benedictio, nempe Messias ipse, qui Esau promissus, quando Isaac eidem vbera duo abundantissima repromisit futura, Humanitatem Christi scilicet, & eius Diuinitatem: *In pinguedine terræ, & in rore cæli, desuper erit benedictio tua.* Quasi exsuctura essent gentes lac vberrimum misericordiæ & gratiæ, influente & instillante desuper rore cælesti, ad quem inuocatis cælis vt rorarent, adspirabant Patres, atque in hominem de pinguissimâ vtero virginei terrâ formato, quo nutriri & crescere eas oportet. Iudæorum gente terræ fragibus plus æquo adhærente, carnaliumque rerum inuolucris suamnotum implicatâ, interim quo lacteo Diuinæ bonitatis vbere gentes signantur, Christo, nempe, qui benignissimi in nos Patris, tanquam indulgentissimæ matris vber fuaissimum.

Gen. 27.

Gen. 27.

Faciamus etiam duo vbera Dei, timorem eius esse & amorem: certè vtrumque agnouisse videntur Romanorum vetustissimi, qui vt habet Patricius Senensis lib. 6. de regno titulo 1. in sacris, Deum Optimum, Maximum, inuocabant, vt ostenderent, alterum virtutis, alterum potentiæ cognomentum esse. Sed priùs Optimum posuere, vt virtutem potentiæ anteferrent; benignitas quippe efficit, vt homines Deum colant, ament, venerentur, obseruent: potentia verò, vt eum metuant, timeant, formident: Rursus verò, quum, *Dominus Deus*, dicitur, & timor, & amor insinuatur, Dominus enim indicat potentiam quâ imperat: Deus autem, qui est beneficus. Est porrò maximum animæ bonum, inquit Philo lib. de Plantatione Noë, non dubitare de vtrauis Regis potentiâ (quâ scilicet, est Dominus, & Deus) sed constanter metu ab imperij potentiâ dependente se exsoluere, & spem fouere de propensâ benignissimi Numinis ergâ nos voluntate, fore vt aliquando ea vti, frui contingat. *Deus enim est, & Pater est*, inquit Diuus Augustinus serm. 119. de tempore, cap. 1. *Deus potestate, Pater bonitate*: potentiâ verò & bonitate, reguntur & continentur omnia necessariò, & ad officium, reuocantur: vt si peccauerimus, si inquam, multùm & grauiter à regulâ morum deficientes impegerimus, ad sui accessum nos prouocet atque reuocet, benefica potentia, quod Diuus Augustinus, totidem verbis prosequitur: *Nemo dicat, non potest mihi dimittere peccata. Quomodo, non potest omnipotens? Sed dicis, ego multùm peccaui: & ego dico, sed ille omnipotens est. Et tu. Ego talia peccata commisi, vnde liberari, & mundari non possum. Respondeo. Sed ille omnipotens est. Videte quid ei cantetis in Psalmo. Benedic, inquit, anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius: qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos. Ad hoc nobis est eius omnipotentia necessaria: Nam vniuersæ creaturæ ad hoc erat necessaria vt crearetur. Omnipotens est, ad facienda maiora & minora: omnipotens est ad cælestia & terrestria; omnipotens est ad facienda immortalia & mortalia: omnipotens est ad facienda spiritualia & corporalia: omnipotens est ad facienda visibilia & inuisibilia, magnus in magnis, nec paruus in minimis. Postremò omnipotens est ad facienda omnia quæ facere voluerit. Nam ego dico quanta non possit: non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri; non potest falli. Tanta non potest, quæ si posset, non esset omnipotens.* Quod si ad ista omnia facienda est omnipotens, non minùs est ad eadem conseruanda, est omnipotens & necessarius *Sadai*. Et si omnia potest, non ergo illi difficile peccata remittere.

Vbera Dei timor & amor.

Psal. 102.

Laborat homo, vt iniuriarum acceptarum obliuiscatur, laborat in remittendis peccatis illorum à quibus accepit iniuriam, perturbationibus animi quibus subijcimur, impedimentum facientibus. Non sic Deus: quare confidenter viscera misericordiæ Sadai possumus implorare. *Dices quis*, inquit Diuus Chrysostomus homil. 3. de pœnitentiâ. *In peccatis omnem contriui vitam, atque pœnitentiam si egero, putas saluabor? Valdè. Vnde mihi constabit? Domini excellentiâ, pietateque: non iam tua confidens pœniten-*

... neque enim tua poterit pœnitentia sola sociis dei ... Ad hoc necessaria sunt vbera Sadai, dona scilicet gratiæ in remissionem peccatorum, & Spiritus Sancti dulcedinem; sine quibus: *Quantumcunque hic vixerimus*, inquit Diuus Augustinus in psal. 69. *quantumcunque hic profecerimus, nemo dicat, sufficit mihi, iustus sum. Qui dixerit, remansit in via, non nouit peruenire: vbi dixerit sufficit, ibi hæsit.* Vnde prosequitur Diuus Chrysostomus. *Si sola super sua pœnitentia, meritò timebis: Sed quoniam pœnitentiæ, Dei clementia, Deique pietas iuncta est: Fide: nam Dei clementia pietasque mensuram non suscipit, neque ipsius bonitas verbo interpretari potest. Tua quidem malitia mensuram habet. Dei vero clementia & pietas, mensuram non habet. Tua malitia qualiscunque fuerit, humana malitia est, Dei clementia & pietas est incircumscripta: ipsa igitur tuam malitiam superat. Cogita scintillam, si in mare ceciderit, num poterit stare aut apparere? Quantum scintilla ad mare se habet, tantum hominum malitia ad Dei clementiam pietatemque; imo vero non tantummodo, sed & longè supra. nam & pelagus tametsi magnum sit, mensuram recipit: Dei verò clementia & pietas, mensuram non habet.* His in animum demissis, quantumcunque à concupiscentiæ nostræ hædera exangues & exsucci fuerimus, tanto auidiùs, omnipotentis, & affluentissimorum vberum parentis papulas expetamus, quanto ipsum propensioris in nos affectus esse cognoscimus, vtpote, qui vt nos liberaremur, vnigenitum suum in mortalitatis nostræ vincula coniecit; vt nobis parceret, proprio filio suo non pepercit, & prædilectum gnatum suum in ara crucis immolari voluit, vt nos sospitaret per eundem mediatorem Iesum, qui laborantibus nobis sub grauissimo peccatorum iugo, atque præ siti spiraminis vitalis arentibus atque hiantibus, ad nostram refocillationem & salutem, tot suauissimi sui erga nos amoris præbet vbera, quot vulnera, faciens nobis per ea aditum ad cor suum, quod est vberum omnium dulcissimum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.

CAPVT XLVII.

De nomine Dei צבאות *Sabaoth.*

QVià verò, vti Iustinianus in proœmio Institutionum ait, *Imperatoriam maiestatem, non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, vt vtrumque tempus & bellorum, & pacis, rectè possit gubernari*: habet & noster Imperator, ad cuius imitamentum humana stant, & reguntur imperia, sanctiora instituta, ad quorum libellam quisque directus, compositi tranquillique animi, à Creatore suo, qui diues est in omnes, eâ largitate quæ profert se palàm, munera referat amplissima, atque iucundissima. Habet & instructissimos, ordinatissimosque exercitus, quibus ab ordine legum suarum discedentes, ac proinde pacis, quæ cum Imperatore suo intercedere debet, iniquos violatores, aut in ordinem & gradum reuocet, aut seruitio premat, profanorum verò, aduersus electam plebem truculentâ rabie debacchantium, feroces contundat impetus,

Maximus ille armis, Maximus ille togâ.

Hinc nomē illi צבאות *tsebaoth*, in scripturis nō infrequens, quod quidem non absolutè, sed cum alterius nominis additione ei tribuitur, vt quando dicitur אל צבאות *el tsebaoth*. Tum verò maximè, huius nominis est in sacris voluminibus vsus, quum de horrifica, tremendaque Numinis potentiâ, hominibus ad incredulorum, rebelliumve terrorem proponenda, quæstio est: vt quum Ieremiæ cap. 5. dicitur: *Hæc dicit Dominus Deus exercituum* יהוה אלהי צבאות *Iehoua elohe Sabaoth: quia locuti estis verbum istud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum ligna, & vorabit eos*, quod idem est ac si diceret, Ego Deus bellorum: Sum ego

Mars ferox, & vincere sum armis.

Ierem. 5.

Ad victoriam & triumphos armatus, vlciscar Prophetas meos, quos vana locutos probat effectus: horum ego exacuam linguas in faces acutas, & dabo verba eorum in ignem deuorantem: vos autem statuam quasi stipulas igne correptas,

In segetem veluti cum flamma furentibus Austris Incedit.

Vt quæ per eos mala futura prædixi, non valeatis effugere: vindicabo ad exterminium vsque: haud secus ac quum quis stipulas,

Atque alta igni
Explicat in flammas, & in ignes omnia versat.

Sabaoth enim à צבא *tsaba*, quod est, militauit, belligerauit, pugnauit, trahit originem: inde צבה *sabah*, militia, exercitus, virtus, apud Zachariam, capite 9. & in pluratiuo numero צבאות *tsebaoth*, quod Septuaginta vertunt, virtutum: Aquila, exercituum; addit Diuus Gregorius Nazian. Orat. 36. *Dominantium*. Diuus Ambrosius lib. 4. de fide, cap. 1. *Sabaoth autem, alicubi, Dominum virtutum, alicubi Regem interpretati sunt.* Diuus Augustinus lib. 1. de Consensu Euangelistarum, cap. 29. *Deus virtutum, vel exercituum, quia illi seruiunt virtutes & exercitus Angelorum.* Neque Angelorum modò, vti submonet Andræas Capella in cap. 5. Ieremiæ, sed & creaturarum omnium, quibus ad vindictam de hostibus suis sumendam, vtitur quum vult. Aut etiam virtutum & exercituum Deus, quia cùm potentia Dei idem sit quod eius voluntas, tantæ virtutis hæc est, vt quæcunque velit, se sola peragat ita potenter, ac si innumeris stipata foret exercituum ordinibus.

Sabaoth vnde deriuetur.

Cùm enim increata illa potentia, per suam essentiam, cùm in rebus omnibus, tum in cuiuslibet hominis etiam peruersissimi, animæ nudâ essentiâ, reuera præsens sit, ac luceat, quanquā à peruersis & peccatoribus per suam gratiam & salutem longe absit; ita vniuersa continet, seruatque, vt ad nutum voluntatis suæ expugnata corruant, annihilenturque, si è re visum fuerit. Militant interea illi Angelorum, hominumque exercitus, militant cæli, astra, æther, terra, mare, & vniuersa quæ in eis sunt: imò etiam quæ nondum existunt creaturæ, tanquam ordinarissimi exercitus, summo Imperatori famulantur, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα, *quasi sint*, quia tanquam in semine latent in eius omnipotentiâ, quæ quum vocat, creat & facit: quia potens est & efficax virtus Dei, cuius vocare, est nostrum facere: hinc illud Iob. 36. *Nunquid mittes fulgura & ibunt, & redeuntia dicent tibi adsumus?* τί ἐστι; *quid est? quid nos vis facere? quid amandari superest?* quasi dicat Dominus. solius Diuinæ potentiæ esse, vocare ea quæ non sunt. & ista dicto citiùs obtemperare iubenti, quorum operâ dignatur vti Deus, tum ad iustorum defensionem, tum ad impiorum interitum. Ita de tenebris & potentiæ suæ thesauris, vocat gladium pestem, famem, siccitatē, innumerasque alias plagas, qui bus humanum conflictatur genus, quasi diceret gladio

Rom. 4.

Iob. 36.

E tenebris vocat Deus pestem, famem, &c.

gladio, rebelles plecte, fames, vt satelles veni, apprehende & puni, pestis homines deuora: grando, sata percute & vineas: vredo, segetes eneruа: quæ vniuersa Diuinam voluntatem actutum exequuntur, vt intelligant impij ita dispersos per omnia Dei ministros, & satellites, vt frustra sibi spem aliquam reliquam fecerint Dei viuentis manus euadendi, atque horrendum esse in eas incidere, qui vndique nos circumstat armatâ manu, qui circa affectus nostros castra metatur, vt quaquà actus tuos & cogitatus dimiseris, districtos incurrant enses, à dextris, à sinistris; antè, retrò; sursum, & deorsum.

2. Angelorum ordines cooperatores Dei. *Psal. 102.*

A dextris, innumeros videas Angelorum ordines, *Potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius*, qui Dei voluntatem & imperium sequuntur in omnibus, & tanquam adiutores quidàm honorarij, cooperatoresque Dei, directioni intendunt vniuersi, siue orbes agitando cælestes, quod citra vllam laboris molestiam faciunt, quia facit potentia virtutis in Angelis, vt operando non laborent, inquit Diuus Chrysostomus homil. 33. in Ioan. sine elementa, & rerum species, ac indiuidua, & hominum maximè gubernando: *Ministratorij enim sunt spiritus, propter eos potissimùm missi, qui hereditatem capiunt salutis*, ad Hebr. 1. Aut vt aereas potestates expugnent: hinc D. Gregor. Moralium lib. 25. *Angelicos spiritus rectè Dei milites dicimus, quia decertare eos contra potestates aereas; non ignoramus, quæ tamen certamina, non labore, sed imperio peragunt.* Aut vt ipsi audientes voluntatem Dei, illam ipsam, homines quoque quibus illuxerint, audire faciant: de quibus Zacharia 9. *Circundabo domum meam ex his qui militant mihi euntes, & reuertentes.* Quibus verbis, promptitudo iussa exequentium significatur, inquit Pineda in Iob. 7. v. 1. num. 3. vt acceptis mandatis priùs rediisse, quàm iussisse sentias: ita enim expeditè, ita potenter, robustos quosque hostium exercitus debent, vt mandatum accepisse, expleuisse sit. Testes Ægyptiorum primogeniti, Exodi 10. quos omnes vnâ noctis horâ sublatos Ægyptus vidit: Sap. 18. *Vno momento, quæ erat præclarior natio eorum exterminata est.* Testis Sennacherib Assyriorum Rex, 4. Reg. 19. & apud Iosephum lib. 10. Antiquitatum Iudaicar. cap. 2. qui cùm Ierosolymam obsidione premeret, vnâ nocte, centum & octoginta quinque millia suorum, ab Angelo Domini, peremptà sensit; è cuius tam numeroso exercitu, decem tantùm euasisse incolumes tradunt Hebrei, apud Diuum Hieronymum lib. 4. Commentar. cap. 10. Testis quoque Dauid, cuius ante ora, ob recensitum à se populum, à Dan ad Bersabeam vsque, septuaginta hominum millia, ab Angelo extincta perierunt. Quid Heraclium Imperatorem commemorem, qui aduersus Saracenos mouens, amissis vno conflictu centum quinquaginta millibus hominum, quum postea bellum repararet, ab Angelo noctu quinquaginta duo millia cæsa conspexit? auctor Sigebertus: vnde animo fractus, ex dolore morbum contraxit, & hydrope extinctus est.

Hebr. 1. *Zachar. 9.* *Sap. 18.* Heraclius.

Ita bellicæ fortitudinis suæ administros spiritus in mortalium cædem armat Deus, vt non sit qui eorum potestati resistat, in hunc modum decernente Numine, vt cladibus admoniti, territique, meliùs, saniùsve rebus nostris consultum eamus. Et ne ista fortè accidisse putentur, & non ab ordinatæ diuinæ militiæ potentiâ, factum est diuinitùs, vt Constantinopoli anno salutis humanæ 654. bonus & malus Angelus noctu visi sint ciuitatem circuire, & iussu boni, malus venabulo fores domus inhabitantium toties pulsare, quot essent die sequenti interituri: refert Sigebertus in Chronicis. Narrat Reginο, Cùm Romæ & Ticini pestis grassaretur anno 682. quæ vnam eclypsim Solis, & alteram Lunæ, penè erat subsecuta, bonum & malum Angelum itidem oberrare visos, & hunc ex illius quoque præscripto, toties venabulo percussisse fores, quot ex eadem domo mori debebant: visus est, inquam, malus Angelus tanquam lictor & carnifex, non verò tanquam miles militiæ Dei, cui adscribi nequit, quia desertor, quia profugus: totus tamen in hominum perniciem ardet: Euam subuertit, Iobum percussit, Apostolos cribrare expetijt, animosque nostros labentium rerum puluere, velut aquila ceruum, excæcare, quò faciliùs occidat, perdat, dilaniet.

3. Sinistras obsident hominum armatorum phalanges, & erecti in prælia cunei, vt seruiant Domino. Ita seruus Domini Nabuchodonosor, Ezechiel. 29. militat Domino aduersus Iudæos, & exercitus eius contra Tyrum: & Dominus Abacuc. 1. *Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua.* Atque ita ab homine Deo militante, feritur homo militans sibi, feritur æmulatione, feritur calumnijs, feritur iniurijs, feritur linguâ, furtis, latrocinijs, oppressionibus, depopulationibus, vastitate, tanquam à virgâ furoris Domini. Præclarè Seneca epist. 103. Ab homine homini quotidianum periculum. Aduersus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere. Nullum malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat, crepant ædificia antequam corruant, prænuntiat fumus incendium. Subita est ex homine pernicies: & eò diligentiùs tegitur; quò propiùs accedit. Erras si istorum qui tibi occurrunt vultibus credis: hominum effigies habent, animos ferarum, nisi quòd illarum perniciosior est primus incursus, quos transire nequeunt: nunquam enim illas ad nocendum nisi necessitas misit: Aut fame, aut timore coguntur ad pugnam. Homini perdere hominem libet. Tu tamen ita cogita, quod ex homine periculum sit, vt cogites quod sit hominis officium. Hæc ille. Est namque homo homini lupus vt deuoret, vulpes vt decipiat, atque in dispositas pertrahat insidias, Deo bellatore ita permittente, vt sinistræ huius alæ exercitus Dei, robur aliquando expertus homo, conuersus dicat illud Ieremiæ 32. *Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi*, multos iudicio tuo, vel iustitiæ tuæ famulantes habes exercitus, qui diruant, disperdant, dissipent, quæ diruta, disperdita, dissipata volueris. Ob quod etiam ante te districti gladij, quemadmodum per Ezechielem dicis, cap. 2. *Ecce ego adducam super te gladium meum, & interficiam de te hominem & iumentum.* Horret animus referre, quanto ille cruentatus sanguine.

Abac. 1. *Ierem. 32.* *Ezech. 2.*

Dicæarchum Peripateticum scribit Cicero, vt refert Ludouicus Viues de concordia & discord. lib. 1. omnia cladium genera, queis vnquam humanum genus esset afflictum, pestes, fames, eluuiones, incursus bestiarum, terræ motus ex vna & ex altera parte posuisse bellorum iniurias: has verò, ostendit plures homines absumpsisse, quàm reliquas omnes: gladijs & hastis interea pugnabatur tantùm, neque tot bella, tam pertinacia, tot locis, tanto furore gerebantur, quàm deinceps, neque cognita erat tunc bombarda, satanicum inuentum.

Quis

Quis referat quanto exinde ebrius sanguine belli mucro? Ad superiora conuertamur. Numer. 3. Madianitæ omnes: Deuteron. 2. Sehon Rex, cum vniuersa gente sua, Deuteron. 3. Og Rex Basan cum toto exercitu suo, ab Israelitis deleti sunt: 2. Paralip. 13. & apud Iosephum lib. 8. Antiquit. Abia Rex Iuda, vno die quingenta millia è Ieroboami Regis Israelitarum exercitu, deleuit: 2. Paralip. 14. Aza Rex Iuda armatus exercitu quingentorum & octoginta millium virorum, decies centena millia cum curribus trecentis Zaræ Æthiopis, ad internecionem vsque cecidit: sic nempe pro Israelitis militabat gladius Domini. Diodorus lib. 11. cap. 1. Mardoneum Xerxis ducem, ad Plataeas cum trecentis millibus profligatum narrat, cæsis centum millibus: Sabellicus lib. 6. cap. 5. ducenta Persarum millia vno deleta dicit prælio: & quod magis miretur posteritas, decem millia duntaxat Atheniensium, Duce Miltiade, cum Platæensibus mille auxiliaribus, aduersus sexcenta Barbarorum millia, quos Artaphernes & Datis, Regis Darij Præfecti ducebant, aciem struxisse commemorat. Nouissimè ad Pragam annis superioribus sacra Cæsarea Majestas fortiter dimicans, hæreticos hostes, numero & viribus decuplo superiores, profligauit: exerit enim gladium suum prout sibi visum est Deus, & quando vult, vnus percutit mille, & duo decem millia.

Anno 1620.

4.

Instant à tergo pestis & fames; quæ gladium conteruta, ipso gladio sæuius feriunt. Pestis enim plerumque ab ipsa aeris infectione sumit initium, qui nouam, qua afficitur tabem, suo spiritu in animantium effundit perniciem:

Cum tabida membris
Corrupto cæli tractu, miserandaque venit
Arboribusque, satisque lues, & lethifer annus.

Sicut cecinit Virgil. 3. Æneid. Alias tamen insuper, contagium hoc, caussas habet: & omnes illæ, à Numinis prouidentia, quæ dum Diuinæ Iustitiæ parent, regnant, scilicet quando, vt Manilius lib. 1. cecinit:

Aut grauibus morbis, & lenta corpora tabe
Corripit, exustis lethalis flamma medullis,
Laborantesque rapit populos, totasque per vrbes
Publica succensis peraguntur fata sepulcris.

Quidquid enim pestilens, atrox, ferum, hominum incursat genus, hoc nostra extorquent scelera. Nos ipsi nobis exitialia mala accersimus. Hinc quum Herodes furore amens & ira Mariamnem Reginam, ob suspicionem stupri cum Iosippo perpetrati, vt inquit Egesippus lib. 1. Excidij Ierosolymitani cap. 37. siue etiam ob veneficij crimen, vt tradit Iosephus Antiquitatum lib. 15. cap. 11. iniustè necari iussisset, grauissima pestilentia Ierosolymam afflixit. Hinc Campania ventorum turbine vastata, qui villas, arbusta fruges passim disiecit, pertulitque violentiam ad vicina vrbi, in qua omne mortalium genus vis pestilentiæ depopulabatur, nullâ cæli intemperie, quæ oculis occurreret, inquit Cornel. Tacitus Annal. lib. 16. cap. 13. sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non sexus, non ætas periculo vacua: seruitia perinde ac ingenua plebes, raptim extingui inter coniugum & liberorum lamenta, qui dum assident, dum deflent, sæpè eodem rogo cremebantur. Nicephorus lib. 15. cap. 10. contagium sub Martiano Imperatore, ita grassatum narrat, vt agri per integrum annum coli nequiuerint, ideoque nec fruges prouenisse. Diuinam autem prouidentiam, illis qui perrari ex ea peste superfuissent, alimento quodam aerio prospexisse: proximo autem anno, vt sua sponte, citra culturam fruges prouenirent, miraculose effecisse. In quo, quid magis admirabere? iustitiamne punientis Dei? an misericordiam subleuantis? Sanè quos terruit exemplo, hos procurans è terra, spontaneis, ad vitam prorogandam frugibus, exhilarauit misericorditer, & tanquam noui homines, nouis testi-frumentariæ cumulati seminibus, iussi sunt se, nouo orbi quodammodo propagando, relictos, atque hocce nouo beneficio, ad Creatoris & protectoris sui amorem innouari, quem testarentur cum Dauide dicentes Psal. 100. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, quoniam, vt habetur Abacuc 3. *Ante faciem eius ibit mors*, velut satelles diuini executor iudicij. Atque ita quidem illam fuisse visam testantur literæ, è Curia Summi Pontificis ad Philippum, Sanctæ Crucis Leodij Decanum missæ anno Dominicæ Incarnationis Millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, in quibus habetur: quendam è nautis, quum noctu quadrigam super æquora ferri videret, ostento attonitum, scapha mox applicuisse currui, atque quid rerum esset interrogasse: cui quadrigæ præses: Ego sum, inquit, Mors, missa in orientem, & postea ad occidentem pergam. Hoc portentum secuta mortalitas totos triginta annos, quibus Saturnus cursum suum complere dicitur, totum orbem miserè afflixit, quam luem tabificam ex coniunctione Saturni, Iouis, & Martis, quæ eo anno facta est, Astronomos prædixisse ferunt: Remedio in Anglia fuisse fertur, folio siue cabilis, siue hæderæ inscribere, *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me*. Atque ita parti affectæ applicare.

Psal. 100.

Abac. 3.

Psal. 117.

Ita igitur, ante faciem Domini mors egreditur, vt vindicet, & vbi vindicarit, propitius fiat Deus, & mitior quam si non vindicasset. Quid enim seruatur post pestilentiam nisi misericordia? Omitto quod Iouius habet lib. 16. Historiar. anno 1528. pestilentis morbi luem per omnes Italiæ vrbes diffusam, tertiam ferè mortalium partem absumpsisse: & idem asserit de Germania Cuspinianus anno 1126. adeò vt vix superfuerint, qui cadauera sepulturæ traderent: deque vniuersali peste, Henrico V. imperatore, quæ ita lasauit, vt tertia hominum pars interierit. Longum nimis & prolixum foret, innumeras orbis plagas & nationes recensere, quas crebrò, & multorum exitio hic morbus tentauit.

Pestis tertiã partem hominum sustulit.

5.

Fames, & eius caussæ.

Transeo ad nouam belli machinam à tergo nobis imminentem. Quid enim non sæuum etiam molitur vltrix à tergo fames? vndecumque enim illa oriatur: siue ex terræ putrefactione; siue ab insectorum sata depopulantium multitudine, siue ab inopia commeatus, & annonæ defectu, siue à mortifero æstu agros funestante: vndecunque tandem illa sequatur, sæpiùs mortales afflixit, & vt testantur historiæ, immania suasit. Babylonios, quum à Dario Persarum Rege, obsiderentur, ne commeatus quos in vrbe habebant, deficerent, ex toto femineo sexu, cùm singulas viris omnibus & singulis delegissent, reliquas, ne eis alendis, absumerentur nutrimenta, quæ vrbis conseruatoribus essent debita, strangulasse, auctor Fulgosius lib. 7. cap. 6. Cambyse Persarum Rege contra Æthyopas Macrobios mouente, tanta commeatus penuria exercitum inuasit, vt sortiti ex seipsis, decimum quemque comederint, herbis deficientibus, auctor Herodot. l. 3. Alexandri exercitus, aduersus Bessum inedia afflictus, iumentorum carne vel cruda, vitã traxit, testantur Ælianus

Ælianus lib. 12. & Curtius lib. 6. Demetrio Antigoni Regis Syriæ, res Atticas grauiter affligente, delapso mure è tecto, pater cum filio, etiã pugnis decertauit, testis Sabellicus lib. 10. cap. 7. Petilini ex scutis coria detraxere, vt quoquomodo victum inde sibi quærerent, quos, Vti Silius lib. 2. canit.

Rabidi ieiunia ventris
Insolitis adigunt vesci, resolutaque nudis
Linquentes clypeos, armorum tegmina mandunt.

Calygurij, vrbis Hispaniæ incolæ à Cn. Pompeio obsessi, vxores suas ac liberos in vsum extremæ dapis conuerterunt. Byzantini a Seuero Imperatore obsessi, ad humanas quoque dapes conuersi sunt, auctor Xiphilinus in Seuero. Cornel. Tacitus, in vitâ Agricolæ cap. 28 tantam Vsiplorum famem fuisse narrat, vt infirmissimos suorum mox sorte ductos, vescerentur.

Horrenda sunt hæc, ad quæ fæmis sæua necessitas compellit. Quum Vespasianus vrbem Ierosolymam obsidione cingeret, tantâ esuritione Iudæos laborasse refert Iosephus lib. 7. de bello Iudaico, vt ipso quoque humano stercore vescerentur. Militabat illa fames Deo, militabat Romanis, Deo quidem ad vltionem perfidæ gentis, quæ Iesum Christum gloriæ Dominum cruci suffixerat: Romanis verò vt rerum potirentur. Quàm autem præterea variè, quamque miserandum in modum illa sæuierit, describit Egesippus Excidij Ierosolymitani lib. 5. cap. 18. 39. & 40. totidem ferè verbis, Spirabant semineces solo adhuc spiritu, atque ægra trahebant corpora. Sicubi purgamenta olerum vel casu lapsa, vel quasi arida proiecta aspexerant, reliqua inualidi corpore, ore lambebant iacentia humi. Aut sicubi intermata parietibus visa fuerat herba, rapientes, succo infelici miseram solantur famem. In occultis abditi, incoctum mandebant triticum. Omnem affectum excludit fames, & maximè verecundiam. Miserabilis erat cibus, esca lacrymabilis, rapiebant parentibus filij, parentes filijs, & de ipsis faucibus proferebatur: plerisque aliorum vomitus esca fuit. Nec marcentia sumere vllus horror, aut verecundia adimere suis, vitæ vltimæ stillicidia. Et hæc tam infelicis species calamitatis clausis foribus exercebatur, ne quis superueniret, qui de ore alieno cibum quæreret, & canum more, vomitus alienos linguâ suâ lamberet. Si qua materno affectu percita, miserans vagitus infantiæ, succum ciborũ ore proprio vellet infundere, pij operis pœnas luebat, suspensoque ad ceruicem, vel hærente ad mamillas pignore, simul transfigebantur. Plerique etiam putantes beneficium mori, egrediebantur vrbem vt herbas vellerent, vel radices depascerentur, aut cortices arborum detraherent, si quid in his viriditatis ad cibi solamina subministraret, quos inuenientes Romani, necabant. Et miles Romanus, in eorum funere quàm in salute blandior.

Cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, lethumque minantes,
Vellere ab ignotis, dubias radicibus herbas.

Vt cecinit Lucanus 6. Pharsaliæ. Regressos namque excipiebat feralior manus, quæ de gremijs miserorum, summo quæsita periculo, per acerbissimum extorqueret nefas, nec partem reseruaret, pro mercede saltem periculi. Dein lacertis viridibus, cæterisque serpentum generibus, coctis exuuijs, pestem addebant. Equorum cadauera, si fortè reperissent, inter se trahentes, prœlio graui decernebant. Detrahebant coria scutis, vt cibo essent sibi, quæ præsidio non essent, mandebant calceamentum, nec pudor erat solutum pedibus suscipere ore, & linguâ lambere. Vetustæ quoque paleæ, quæ olim proiectæ fuerant, non mediocri studio requirebantur, & si quis repererat grandi pretio mutuabat. Aperto ore, sicut rabidi canes, aurarum captantes spiramina, huc atque illuc circumferebantur, inopiâ duce. Sæpè etiam quasi ebrij in eadem domicilia regrediebantur, vt iterum, quæ vacua reliquerant, perscrutarentur. Et quod extremè tragicum est, Maria quædam diuitijs nobilis, cuius bona omnia Zelotæ diripuerant, filium suum trimum assauit, & sibi vnam, seditiosis alteram partem seruabit. Crudele, atrox, dirum facinus! Belluæ pro natorum salute dimicant, sese periculis obijciant, medios incursant in enses & hastas, & toto digladiantur corpore, vt natos seruent: & modò mulier & mater, exuta hominem, omnem maternum exuta affectum, immanis est in carissimum pignus suum, immanis est in sua quæ effudit viscera, & vt Æneid. 9.

Impastus ceu plena leo per ouilia turbans,
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus,

Arripit mollem natum, ceu agniculum, in frusta secat, dentibus parat suis, & seditiosis viscerationē datâ, quod suum vult, coquit, deuorat, & ex visceribus suis, suomet visceri, suprà quàm immanis parens, conditorium facit: quemadmodum Ouid. 6. Metam. inquit,

Vescitur, inque suam sua viscera congerit aluum.

6\. Astra militant Deo. Iudic. 5.

Conuertamur ad eam, quæ sursum nos circunstat militiam bellatoris Dei. *De cælo dimicatum est contra Reges Chanaan.* Iudic. 5. *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Ornatissima siderum militia, eorum quæ manent in ordine suo.

Qualia sunt summis etiam quæ fixa tenentur
Astra polis,

Quasi sedibus & stationibus suis immotè hærentia, quàm quæ certis, & finitis motionibus & cursibus castra metantur, inquit Pineda, in 7. caput Iob v. 1. num. 2. vt sunt planetæ, qui tanquam exercitus ministri, inter medios alios milites vagantur & errant, omnes in fulgentibus armis, & veste rutilâ, seruantes ordinem & stationem suam. Manilius lib. 1.

Cùm suspensus eat Phœbus, cursumque reflectat
Huc, illuc, agiles & seruet in æthere metas.

Et alius quidam:

Et cùm diffugiant stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cæli statione nouissimus exit.

At verò quando ad impiorum attritum euocabuntur, vestem sunt mutaturi, Sol obscurabitur, Luna vertetur in sanguinem: Isa. 24. *Et erubescet Luna, & confundetur Sol.* Stellæ cadent de cælo, & reipsà quidem, quidquid contra sentiant Astrologi, quia hoc dixit Dominus, neque ampliùs statione suâ fixi sunt professuræ. Fiet enim vt stellæ quæ dederunt lumen in custodijs suis: Baruch. 3. hoc est, in excubijs & stationibus suis, excubantes ad obsequium Dei, vocatæ dicant adsumus, facto, non verbo, quia Domini exercituum verba promptissimè exequuntur: quemadmodum pugnante Iosue aduersus Gabaonitas, quo maioris victoriæ fructu & triumpho potiri posset, euocatus Sol stetit. Lucan. 10. Pharsal.

Isa. 24.

Baruch. 3.

Mutat noctè diem, radijsque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.

Quam diem Irenæus, Dialogo cum Triphone Iudæo, triginta horarum fuisse dicit. Cumque gigantes, homines impij, Diuinitatis contemptores, Deum negarent, vnde fabulæ locus, teste Macrobio Saturnalium lib. 1. cap. 20. eos bella

Dijs

Dijs gessisse, quos cælo deturbare voluisse existimatum est, pedesque in draconum volumina desinentes habuisse, quò significaretur, eos nihil rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu distorto in inferna vergente. De quibus Petrus Crinitus lib. 1. de honestâ disciplinâ cap. 11. postquam draconteorum pedum meminisset: Neque enim quisquam ignorat, ait, nullam aliam ob rem gigantes confictos, quam vt impij homines, atque insolentes, & quasi athei crederentur. Ab hac gente Sol pœnas debitas vi pestiferi caloris exegit. Inde verò ab Hercule Deorum antiquissimo, interemptos affirmant Ægyptij, quòd Sol sit ἡρακλῆς, id est, aëris gloria, vnde Herculis orta appellatio, quem aiunt esse τὸν ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων ἥλιον. Et rursus 4. Reg. 20. Sol euocatus, retrocessit gradibus decem. Huic quoque Mutius Eremita, ex latrone Christianus, vitæ SS. Patrum parte 1. cùm diuinitùs accepisset fratris sui, procul à cella suâ habitantis ægritudinem, ad eumque pergeret, neque inclinata iam die, pertingere posse videretur, præcepit in virtute Christi stare, donec ad fratris domum perueniret: & stetit Sol mirantibus multis, qui miraculo attoniti, Christiana sacra suscepere.

7. Æther militat Deo, monstris, Cometis, fulminibus.

Militat æther exercituum Deo, monstris & portentis armatus, 2. Machab. 5. armatorũ exercitibus in pugnas, & cædes ruentibus, alijsque portentis, oculis intuentium factus est horribilis: sic vt terrore ac metu concussi, monstra illa, totis quadraginta diebus conspicua, orarent in bonum conuerti. Et ante supremam Ierosolymorum vastitatem, visi sunt ante solis occasum currus in nubibus, & armatæ acies, regionis Iudeæ vrbes incursantes, & vt Lucanus lib. 1. Pharsaliæ cecinit:

Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, cæloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometem.

Fulminibus quoque armatur aër scelerum vindicibus. Ab his Phlegiarum gens, ob direptionem templi Apollinis delphici, funditùs penè deleta. Auctor Pausanias in Boeticis. Olympius Episcopus Arianus, anno salutis quingentesimo decimo Carthagine in Elyanensium balneo lauans, quum sacram Triadem publicè blasphemaret, tribus ictus iaculis tanquam fulminibus, consumptus est, narrant Paul. Diaconus lib. 15. in Anastasio: Sabellicus Enneade 8. lib. 2. Marulus lib. 2. cap. 11. Matthæus Palmerius in Chronico, Sigebertus, & alibi. Partus Parthenici anno 720. Saracenorum qui obsidionem Constantinopolitanum re infectâ deseruerant classis: tempestate, atque grandine igneâ, perijt: atque ita, diuinitùs Saraceni repressi, qui totum imperium Romanum spe iam deuorauerant. Nouissimè anno 1625. in Kerprih, oppidulo Germaniæ, mense Augusto, quum cælum grauiter, & horrendè tonaret, more pio Catholici, ad personanda ædis sacræ tintinnabula, auertendis aëris motibus, & tonitruis idonea, perrexere: interim prædicantius quidam ex hæreticorum conciliabulo, sonum campanarum detestare, execrari, Catholicos campanas impellentes idololatras compellare, simulque deprecari, vt eos fulmen è cælo tangat. Nec mora, in deprecantem vltio vertitur, atque vxor eius cum suâ prole, fulmine tacta subito interit, ipse verò simili fulminis ictu ab humeris sursum exportato brachio, quod in sacram ædem dira apprecatus extenderat, perijt.

8. Aquæ, terra, insecta.

Tandem deorsum militant Deo, aquæ, terra, insecta. Marco Æmilio, & Fuluio Nobilore Coss. trecentas octoginta quatuor Romanorum naues, iratum disiecit mare, iacuit littus instratum cadaueribus & naufragijs, vt nullâ hominum memoriâ, maior iactura in mari accepta crederetur: narrat Sabellicus lib. 10. cap. 5. suo in Chronico, & alij. Testis D. Augustinus lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 18. exundante nimis vltra morem, fluuio Tiberino, penè omnia vrbis plana subuersa esse, alijs impetu quasi torrentis impulsis, alijs velut stagno diuturno madefactis, atque sublapsis quam pestem mox ignis subsecutus sit perniciosior, qui correptis circa forum quibuscunque celsioribus, etiam templo Vestæ suo familiarissimo, non pepercit. vbi et veluti vitam perpetuâ, diligentissimâ substitutione lignorum, non tam honoratæ quàm damnatæ virgines, donare consueuerant.

Varias aquarum illusiones prætereo, terræ concussiones, hiatus, flammarum è terrâ eructationes, quibus vrbes tum in Asiâ tredecim, vnâ nocte apud Crinitum lib. 9. cap. 11. tum in alijs orbis partibus, absorptæ, exustæ: montes subuersi.

Diuus Hieronymus in Ioelem de insectis ait: Nostris temporibus vidimus agmina locustarũ terram texisse Iudæam, quæ postea, misericordia Domini, inter vestibulum & altare, hoc est, inter crucis & resurrectionis locum, sacerdotibus, & populis Dominum deprecantibus, atque dicentibus, parce Domine, parce populo tuo; vento surgête, in mare primùm, hoc est in mare mortuum, & nouissimum, hoc est, illud quod ad Occidentem est, & quod ducit in Ægyptum, in cuius littore sunt Gaza & Ascalon, & Azotus, proiectæ sunt.

Anno V. C. 620. tanta locustarum vis in Africâ repente orta est, vt fruges herbas, arborum folia, immensa multitudo absumeret: ea mox ventorum flatu marinis fluctibus immersa, omnia latè littora proiectarum aceruis contexere. Eiusmodi insectis, quum affligeretur Hispania, visus est olim D. August. glorificatus, ea in fluuium propellere. Et locustæ, cyniphes, ranæ, Ægyptum vastauerunt, Sap. 12. Palæstina per crabrones & vespas expugnata. Et licet interdũ immanes feras immiserit Deus, veluti vrsos qui insultantes Elizeo deuorarent: Leones qui Medos, ob quod in Samariam à rege missi sunt, remedium consulturi: & alterum leonem, qui præcepti diuini Prophetam in Bethel præuaricatorem interficeret; rarò tamen his vtitur bellorum Deus; ne mortales cogitarent, sese, non diuinitùs immissis plagis, sed ab ingenitâ horum animalium feritate acceptis, torqueri. Et vt Leuiusculis istis animalibus tardiore impressâ pœnâ pœnitendi locum faciat, ob quod Ioel cap. 25. æruginem, locustam, bruchum, vocat fortitudinẽ suam magnam, quam misit in homines, vt certè vel inuiti agnoscant, quam minus quid sint his à quibus vincuntur, expugnantur, & à tremendo exercituum Deo prouocent victi, ad eundem misericordem.

CAPVT XLVIII.

De nomine אלהים *elohim.*

1. Respublica sine magistratu esse non potest.

Quia absurdum est nimis, & inutile professus, mundum tanquam Rempublicam sine magistratu inducere, cui non præfectus, non præses, non iudex præsit, quem omnia dispensare, gubernareque deceat: idcircò mox principio formationis huius mundi sensibilis; quem ad exemplar mundi intelligibilis ex conceptis formis constituti, condidit

Deus,

Deus, אלהים *elohim* denuntiari voluit, hoc est, *princeps, index, & arbiter*, opificij sui, quod homini rerum principi designato, omnibus suis absolutum numeris adornabat tanquam domicilium amplissimum, summâ ratione, definitis legibus, motibus, & officijs constans, atque affluente rerum omnium copiâ, tum ad ornatum, tum ad voluptatem instructissimum, ut in horum bonorum possessionem adductus homo, ita se principari intelligeret, quasi summo omnium principi & iudici, acceptorum rationem exactissimam redditurus. Vide lib. 1. cap. 2. num. 3.

Elohim nominis definatio.

Quod autem huius nominis אלהים *elohim*, etymologiam attinet, careatne, vel non careat singulari quamque deriuationem habeat, digladiatum est. Hebræi, communis numeri esse volunt, atque indifferenter, vtriusque habere significationem, vnum Deum hoc nomine compellari & plures: quum tamen de vero Deo dicitur, iugem sortiri singularitem: ita quoque plurale שמים *samaim, cæli*, singulari significatione exprimi, psal. 113. השמים שמים *hasamaim samaim. Cœlum cæli.* Sic & apud Latinos, dici Athenas, Thebas: populus clamat & clamant: Græci quoque neutra nomina pluralia verbo singulari copulant: vti adnotauit Oleaster in 1. cap. Gen. Adduntque esse de proprietate linguæ, quòd minores pluratiuo numero loqui soleant cum maioribus, reuerentiæ causâ: sic Ioseph Gen. 42. appellatur ארני *adone*, numero plurali id est, *Domini. Locutus est nobis Domini terræ dura.* Et de vitulo quem coluerunt Israëlitæ, dixerunt, hi sunt אלהיך *elohecha*, id est, *Dij tui Israël.* Sed & maiores de seipsis perinde loquuntur, ac si multi essent: quare Hebraismo tribuendum, quòd Deus dicatur Elohim, *Dij.* Non mysterio, quasi diuinarum hypostaseôn trinitas esset indicata, quam Iudæi execrantur: Nam Christianos, quos Nazaræos vocant, abominantur, inquit Felisius. Institutionis Christianæ dist. 1. cap. 10. ex D. Epiphanio, & Lyrano, terque quotidie, manè videlicet, meridiè, & vesperi, persolutis Synagogæ precculis, detestando maledicunt, dirisque precationibus excommunicant.

Psal. 113.

Gen. 42.

Exod. 32.

Aut cur ex nomine elohim, personarum pluralitatem colligemus in Deo, ex nomine pluratiui numeri, non verò in Ioseph, non in vitulo Exo. 32. Præterea si Moises voluisset hoc nomine aliquam pluralitatem indicare, Israëlitas potiùs in errorem induxisset, quàm in mysterium, quòd is multorum Deorum assertor videretur. Adhæc, diuinæ personæ, neque possunt dici Dij, neque Domini, neque Iudices, quia cùm hæc nomina sint substantiua, indicant in Deo plures esse diuinitates & essentias, ergo non possunt dici Elohim numero plurali, id est, Dij, vel iudices. Quare dicendum potiùs, pluralis numeri nomen sumi pro nomine singularis numeri, ex vsu linguæ Hebrææ: sicque etiam Exodi 20. dici, *Non erit tibi Elohim Dij alij.* Et aliàs frequenter.

Exod. 20.

In hanc Hebræorum sententiam, nostrorum etiam quidam descenderunt, vt Abulensis in opusculo de Trinitate, Caietanus in Genesim, & inclinat vehementer Oleaster in 1. cap. Geneseos. Dicimus tamen Elohim habere numerum singularem Eloah, quod quamquam Rabbi Dauid contemptus gratiâ haberi dicat in Scripturâ, veluti Abacuc. 1. *Ista est potentia* לאלהו *lelohe*, id est, *Dei eius*: & cap. 3. אלוה *eloah*, id est, *Deus ab Austro veniet*: rectè tamen sentit Oleaster, Dei nomen singulare Eloha, non poni contemptus gratiâ, quod, cùm ex illis, tum ex alijs scripturæ locis constare potest, veluti Iob. 5. *Beatus homo qui corripitur à Deo*: Hebraicè, *eloah*, & cap. 11. *forsitan vestigia Dei, eloah, comprehendes* Et alibi sæpè. Cæterùm tamen morem fuisse Hebræorum, Deum numero plurali vocare elohim, & cum numero coniungere vel plurali, vel singulari, vt 2. Regû. 7. *Propter quem iuit Deus vt redimeret sibi in populû*, quod sic Hebraicè lego, *propter quem iuerunt* אלהים *Dij ad redimendum sibi in populum*, pluratiuè: & singulariter vt Exod. 20. Gen. 1. & alias sæpè, quum tamen vnum Deum tantùm, esse intelligerent Hebræi, trinum autem esse ignorarent.

2. Eloah.

Abac. 1. & 3.

Iob. 5. & 11.

2. Reg. 7.

Hic verò loquendi modus, non repugnat mysterio, ad quod significandum Spiritus-sanctus illo etiam vti potuit, quemadmodum verbis Caiphæ: *Expedit vobis, vnus moriatur homo pro populo*, Ioa. 11. longè alio modo & sensu vsus est, quàm quo spectaret Caiphas. Quia ergò iuxta D. Augustinum lib. de Prædestinat. Sanctorum cap. 8. epistolâ 102. ad Euodium 105. ad Sixtum. tract. 5. 20. & 104. in Ioan. opera superbenedictæ Trinitatis sunt indiuisa, Moises Spiritu-sancto dictante, ad insinuandas illas tres personas ad mundi huius spectabilis formationē concurrisse simul: Elohim, in plurali dixit, id est, *Dij*, siue, *iudices* non Eloah, siue El, siue Adonai, siue Iehoua, quibus sanè nominibus vti potuisset, tum ad significandum omnes creaturas à Deo tanquam à viuo fonte profectas, tum etiam ad iudicandum omnia Deum sub suâ ditione complecti. Ad demonstrandum verò illas tres personas essentiali discrimine non distingui, sed prorsus idem esse, siue cum personarum trinitate, manere vnitatem essentiæ, dixit *Bara*, id est, *Creauit*, numero singulari, indiuiduæ Deitatis singularitatem, verbo autem plurali Elohim, personarum diuinarum trinitatem demonstrante. Ita sentiunt Magister in 1. dist. 2. Galatinus arcanor. lib. 2. cap. 9. Lyranus, Lippomanus, Burgensis, Eugubinus, Catharinus, & alij, cum Patribus, quos Oleaster euincere optat, sacrosanctæ Triadis mysterium hisce verbis designari, prout ipsi volunt, quod nonnisi velatè nimis Moisem fecisse dicit, si indicatum voluit Iudæis: reseruatam autem Messiæ temporibus eius reuelationem. Vide quæ diximus cap. 44.

Ioan. 11.

Elohim ad Trinitatem spectat.

Itaque quòd Ioseph dictus sit Domini, & vitulus Dij, cùm tamen pluralitatem non haberēt, ex Hebræorum quidem vsu istud factum est: at verò Deus trinitatem habet personarum, ideoque cum numero plurali indicari voluit. Quare dicimus eodē in nomine, & esse vsum Hebræorum & mysterium: & Moisen ex more Hebræorum numero plurali vsum fuisse, quò Deum significaret, nullamque propterea Iudæis occasionē dedisse suspicandi plures esse Deos, præsertim quum mox subijciatur verbum singulare, quod essentialem multiplicationem non patitur: singularis enim actionis, singulare etiam vt sit principium à quo procedat, oportet. Quod autem tres Dij, tres iudices, tres Domini, tres immensi, D. Athanasio non dicantur: id verum est, si substantiuè accipiatur, secus si adiectiuè. Substantiua enim nomina in diuinis, sumpta in vi substantiui nominis, non multiplicantur: adiectiuè autem accepta, quis multiplicari prohibeat, quando ipse Euangelista tres testes asserit in diuinis. 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in*

1. Ioan. 5.

Sancta, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: atqui Deus iudex est, & testis, estque præstantius ius dicere, quàm dare testimonium. Neque reijceret Athanasius, si quis diceret in Deo esse tres habentes diuinitatem, tres habentes dominium, immensitatem, tres iudicantes, siue ius suum cuique tribuentes, vt trinitas indicetur suppositorum, non autem diuinitatis pluralitas. Licet enim tres iudices esse dicamus, quia tres personæ sunt iudicium exercentes, vnicam tamen quam vnicè habeant, non triplicem iudicandi facultatem agnoscimus.

Est igitur Elohim pluralis numeri, & denotat multitudinem, quæ realis sit, & tamen eam vnitatem, & simplicitatem essentiæ, bonitatis, cæterorumque attributorum, retinet, vt nefarium sit omnino, cum hypostasum trinitate, quidquã præter summam simplicitatem concipere. Itaque non obscurè hoc nomine S. Trinitas indicatur, à quâ tanquam ab immenso totius bonitatis fonte profluunt vniuersa.

8. Elohim vnde deducatur

Vnde autem suam habeat originem, variant auctores: Oleaster ab אלה *alah*, deductum mauult, vt significet Deum, aut iudicem, quatenus ab eo mala nobis, aut alteri imprecamur. Alah enim significat iurare, maledicere, execrari, adiurare, vt Iudic. 17. אליה *alith*. id est, *adiurasti, maledixisti, execratus es*, vnde אלה *alah*, id est, *iuramentum execratorium, execratio, maledictio*. Reprehenditque quasi minùs rectè sedentiant, illos qui elohim principio Geneseos positum volunt, vt significetur Deum res in creatione optimè distribuisse: Non enim, inquit, Elohim significat Iudicem quatenus distribuit, sed quatenus punit, aut ab eo punitionem fieri precamur.

Sixtus Senensis contrà, Bibliothecæ sanctæ lib. 5. cap. 130. per Elohim Dei fortitudinem significari putat, ac ferè idem esse quod El, & Eloah: igitur Elohim ab El deriuari posse videtur: & meo iudicio, Scripturæ sacræ conformiùs, quæ quoties fortitudinis diuinæ meminit, ferè toties vtitur Dei nomine Elohim, vt Ierem. 16. אלהי יהוה צבאות *iehoua Sabaoth elohe Dominus exercituum Deus*. 1 Reg. 2. *Non est fortis sicut Elohenu, Deus noster*: psal. 43. *Quia tu elohe*, id est, *Deus fortitudinis meæ*. Iosue 24. *Elohim*, id est *Deus noster sanctus & fortis*. Gen. 32. *si contra elohim fortis fuisti*. Erit ergo fortitudinis nomen Elohim, & Deum significabit in rerum creatione fortem, fortem in gubernatione & conseruatione, fortem in iudicatione, sicut cecinit Dauid psal. 7. *Deus iudex, iustus, fortis, & patiens* אלהים שופט צדיק ואל *Elohim, sophet tzaddik veel*.

Ierem. 16.
1. Reg. 2.
Psal. 43.
Iosue 24.
Gen. 32.
Psal. 7.

Sed cur Deus, quum se spectabilis huius machinæ auctorem denuntiat, iudicem appellat? Quid commune habet cum creatione iudicium? An non potiùs ex omnipotentiæ, quàm ex iustitiæ thesauris, educta est mundi fabrica? Rationes adferri possunt, quas humanum adinuenit studium. Duplicem adfert Caietanus, vna est, quam improbauit Oleaster, & nos reijciendam non diximus: idcirco adhibitam vocem Elohim, id est, *iudices*, in creatione vniuersi, quia Deus in condendis creaturis, quandam distributiuæ iustitiæ rationem seruarit, suos cuique gradus, vires & officia, locumque iuxta singulorum naturam tribuendo: *Attingit enim à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*. Sap. 8. Eleganter Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem cap. 12. *à primordio Creator tam bonus, quàm & iustus: bonitas eius operata est mundum, iustitia modulata est*. Ecce vbi Tertullianus sentit, diuinam iustitiam, orbem veluti citharam concinnasse, inquit Vregas, creaturasque omnes tanquam fides argutissimas, suis quasque locis distribuisse, quodam veluti iustitiæ iure idem sentit Azorius Institut. Moral. parte 2. lib. 1. cap. 10. Propterea enim hoc ad iustitiam, non ad bonitatem aut potentiam retulit, quod naturæ singulorum exposcebant, vt suauissimus ex omnibus concentus, qui Dei tum potentiam, tum sapientiam sonaret, mirificè redderetur. Id quod amplius exponens, subiungit, *Iustitiæ opus est, quod inter lucem & tenebras, inter diem & noctem, inter cælum & terram, separatio pronuntiata est; ita vt bonitas concepit omnia, iustitia distinxit, situs, habitus elementorum, motus, status, ortus, occasus singulorum, iudicia sunt Creatoris*.

Sap. 8.

Altera Caietani ratio est, voluisse Deũ, vt existimaremus ad ipsum iure creationis, iudiciũ mũdi pertinere, vt ipse idem, qui orbem condidit, eo ipso quòd condidit, eundem iudicaturus crederetur; atque ita, initium mundi cum fine congrueret: vtpote qui in principio, id est, in Verbo, accepit originem, in eodem Verbo absolueretur, iudiciumque nouissimum acciperet. Moses itaque statim Deum sub nomine iudicantis & vindicantis proposuit, vt Dei timorem & prouidentiam, simul cum creatione inculcaret, inquit Oleaster, nossetque homo propter quem mundus factus est, nossent principes & iudices seculi, quia potente potentior est alius, & vniuersæ rex terræ Deus, qui principibus imperat, qui non modò earum rerum quæ sub aspectum cadunt, est auctor, verum etiam delictorum in earundem permisso vsu commissorum, iudex & vindex seuerissimus.

His accedunt & aliæ rationes. Prima, vt indicatum, hoc nomine Elohim, statim in primo creationis articulo, Trinitatis diuinæ mysterii, illius fidem ante omnia necessariam esse intelligeremus. Secunda vt nõ miremur, si reliquis rebus omnibus & singulis, latæ sunt leges certæ, propriæque operationes præscriptæ, hominem verò relictum in manu consilij sui. Tertia, vt assereretur Deus non produxisse res absque cognitione: non eas per emanationem quandam, veluti radij à Sole, effluxisse, vti nugati sunt Philosophorum nonnulli: aut si à cognitione sint, non eas esse ex naturæ necessitate, sed ex creantis arbitrio. Nam quum perhibetur mundus produci à iudicibus, non est iudicium sine cognitione: neque supremum iudicium, est ex necessitate vti ait Iacobus Naclantus, in excussione primæ diei medullæ scripturæ. Quarta est: quod quamuis multa alia omnia huic operationi diuinæ designandæ conuenientiora potuissent assumi, quia creare, non est iudicare, sed sese communicare, id quod opus diuinæ bonitatis est: eadem tamẽ bonitas mouit Deum, vt iudicis appellationem susciperet tunc: quò sic mortalibus nobis indicaret, quod quemadmodum in vno instanti nos creauit, ita etiam in altero instanti nos iustificare possit: quodque sicut nos in primo durationis nostræ & vitæ creauit in postremo eiusdem possit misereri & parcere, atque iustitiæ veste donare: neque enim minùs est opus iudicis, parcere pœnitenti, quàm contumacem damnare. Quapropter cataclysmo deleturus impios, tanquam iudex, caussam eorum cognoscit Gen. 6. *Et vidit elohim terram, & ecce corrupta erat*: caussaque cognitâ, pœnas irrogaturos, dicit sententiam: *Et dixit Elohim ad Noë: finis vniuersæ carnis venit coram me, & delebo hominem quem creaui à facie terræ*. Libertatem verò nouo orbis parenti suâ bonitate decer-

Gen. 6.

nens. Gen. 8. *Recordatus est Elohim Noë.* Et quia sese in omnes diuina effundit beneficentia, neminéque prætereit, etiam eorum qui ipsum despectum habent: gentibus itidē sub nomine Elohim cognitus fuit, sicut testatur Vates regius psal. 47. vbi cum dixisset, *Magnus Iehoua*, subdidit, *secundum nomen suum Elohim, sic & laus tua in fines terræ, iustitia plena est dextera tua*: Nā licèt visus sit solùm *Notus in Iudæa Deus*, psal. 75. Iudæis quidem solummodo sub nomine magno *Iehoua*, cognitus fuit, sicut testatur Propheta, quum addit, *In Israël Magnum nomen eius*. Aut certè, sub nomine Elohim solos Iudæos cognouisse dicendum est, quia cognitum coluerunt & adorarunt: vbi gentes, cùm illum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt.

Gen. 8. · Psal. 47. · Psal. 75.

4\. Porrò autem, nomen Elohim, non soli Deo in Scripturā tributum legimus, verum etiam Angelis, Iudicibus, Potentibus, & Magistratibus. Significat namque illos propriè, qui propter magnam auctoritatem, & singularem vindicandi, puniendique potentiam, sunt alijs horrori & metui. Sic Moïses Exodi 7. constituitur à Deo Elohim Pharaonis: & psal. 82. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*. Hebraicè, *Elohim stetit in cœtu, El* (id est fortis) *in medio Elohim iudicibus*. Septuag. legunt inuerso ordine: *El stetit in Synagoga Deorum; Elohim*: Præsidet enim Deus fortis & iudex humanis iudicijs, sedetque pro tribunali, districto in iudices & potentes seculi, ense iustitiæ, vt si ab æquitate deflexerint, nouerint sententias & iudicia sua, vindice Numinis gladio rescindenda.

Elohim nomen etiam creaturis tributum. · Exod. 7. · Psal. 82.

Sic de Angelis quoque dicitur psal. 5. *Deus Deorum*, id est, *Angelorum. Dominus locutus est*, quod est Hebraicè *El, Elohim Iehoua deber*. Itaque Dominus in sui nominis participationem admittit eos, qui merito virtutis & gratiæ, vnus spiritus cum eo fiunt: & ille suffragio diuino, aptior conuenientiorque ad iudicandum videtur, (quod etiā iuris naturæ est) qui Deo proximior, cùm propriè Deus sit regula & director omnium iudiciorum, secundum illud Prouerb. 8. *Per me legum conditores iusta decernunt*.

Psal. 5. · Prou. 8.

Quòd si dæmonia Elohim dici compereris, errori gentium adscribendum est, quia vt scribit Rabbi *Esra* Exod. 3. Elohim in Scripturā tantùm de Deo vero capitur, vel de Sanctis Angelis, vel de Sanctis Dei hominibus, eius iudicia in terrā decernentibus (adde & diuinā virtute mirifica patrantibus) vbi autem adscribitur idolis, hoc fit tantùm opinionis falsitate eorum qui illis seruiunt. Absit enim vt Elohim siue iudicis appellatione honorentur, qui æternis quibus adiudicantur & torquentur flammis, toti in humanum genus exardescunt, qui accusatores fratrum, qui totius iniquitatis auctores, eiusdemque tortores decreti. Sanctius est nomen hoc, quàm vt nefarijs spiritibus tribuatur, qui licet potentiā naturali vigeant, iniustitiæ tamen fuligine, sese totos commacularunt.

CAPVT XLIX.

De nominibus עליון elion, & אדני adonai.

1\. Non abs re Sanctorum oracula Prophetarum, immensæ Numinis Maiestati, regiam in altissimis cælorum, soliumque excelsum fabricarunt: Isa. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum*, instar regum, qui circumstante, vel in subsellijs inferioribus considente Principum Senatu, celso sublimes sedent solio: vnde extra omnium creaturarum turbam, editiore quasi positus loco, prospectet omnia Deus, quemadmodum cecinit Vates regius ps. 113. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit, in cælo & in terrā?* Est enim עליון *Ehelion, Deus*, id est, *excelsus, altissimus*, ab עלה *hhalah*, quod significat ascendere, eleuari. Et nihil eo sublimius, naturā, dignitate, attributis, loco. *Quoniam Dominus excelsus terribilis, rex magnus super omnem terram*, psal. 46.

Isa. 6. · Psal. 113.

Vnde nil maius generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum:

Inquit Horat. lib. 1. Carminum, Ode 12. atque extra omnem creatæ virtutis ictum sublimis, quem nullus turbo percellere potest, ideoque insuperabilis, sicut ea quæ sublimiter sita sunt, esse solent: *Parauit in cælo sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur*, psal. 113. quinimò, vt dicitur Iob. 11. *excelsior cælo est, & quid facies?* vt si creata mens intentis totius potentiæ suæ neruis, quanta sint cælorum sublimia consequi non potest, minùs multò assequatur, quàm altus, quàm sublimis, quàm excelsus sit per omnia Dominus, qui vt Amos cap. 9. inquit, *Ædificauit in cælo ascensionem suam*. In amplissimā namque cælorum areā, arcem sublimem erexit, cuius supremi connexa superficies cæli, basis est infima, quo, si profunda cæli penetrans perueneris, altius quod ascendas non habes, & supereminet Deus: Neque enim Cæli cælorum maiestatem eius capere possunt, *excelsior cælo est*.

Psal. 46. · Psal. 113. · Iob. 11. · Amos 9.

Parem celsitudinem superbiæ typho tamen Lucifer affectabat, quum dixit Isa. cap. 14. *Ascendam super excelsa nubis, similis ero altissimo* אעלה *ehheleh*, id est, *ascendam*, inquit, *similis ero* לעליון *lehhelion*, id est *altissimo*: pulcrā antithesi, quā indicatur, quantum nobilissima creaturarum distet ab excelso, ad quem adhuc ascendere velit, superbiā non humilitate, quò licet summā quā pollet vi, contendat, ascendet nunquam, *excelsior cælo est*. Huius autē indignatus superbiæ, Dauid, Altissimum Dominum, qui suā bonitate sese communicans creaturæ, de excelso solio suo descendisse, atque se demisisse videbatur, reuocat ad solium suum, vt pro tribunali sedeat & iudicet, psal. 7. *Propter hanc, in altum regredere*: non enim videtur excelsus Deus, quum non exigit pœnas, non in excelso sedere throno, quùm non iudicat, & vindicat, non tueri proprium epithetum altissimi, quum illius iniquam vsurpationem dissimulat: propter hanc itaque elationem, *in altum regredere*: ostendas te Altissimum in excelso habitaculo commorantem, quò non accedit superbia, non flagellum iniquitatis.

Isa. 14. · Psal. 7.

Verùm, quò adspiras Lucifer? quò inflatis superbiæ quadrijugis veheris? Ad altissimum? sic ais, *similis ero Altissimo*: si confiteris Altissimum, fateare quoque tuæ arrogantiæ vindicem, eoque seueriùs in te animaduersurum, quò est Altissimus: siquidem è superiore loco, velut ab arce, validius tela mittuntur, sicut olim Deus Iosue cap. 10. misit de cælo lapides magnos grandinis in hostes Israël, quibus contriti sunt. Et se altissimum mox inflictā Lucifero pœnā ostendit, sequentibus verbis indicatā, *veruntamen ad infernum detraheris*, siue, *detraheris ad latera sepulcri*. Ecce vti superbiā descendis ab eo, ad quem humilitate propior fieri poteras: *Excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit*, psal. 74. In quæ verba D. Augustinus: *humilia respicit, non à longè, excelsa autem à longè cognoscit*: & : *hos facit beatos quibus propinquat. Vos superbi, elati, non eritis impuniti, quia cognos-*

Isa. 14. · Ps. 74.

cognoscit: non erit is beati, quia à longè cognoscit.

Elion, id est, exterminiú.

Est namque etiam Dominus *Helion*, id est, *exterminium* radice *hhalab* etiam significante *succidit, exterminauit*. Exterminat namque superbos Deus, & qui dominatur excelsus in regno hominum, sublimem & altam succidit arborem, Daniel. 4. Poterat ergo Lucifer, sicut & quiuis Angelus beatus, potest & homo fieri similis Altissimo, ad quem datur ascensus, non superbiâ sed humilitate, non naturâ sed gratiâ non pedibus, sed affectibus. Non enim longè est ab vnoquoque nostrum, in nobis est. *Sed enim est Deus*, inquit D. Augustinus in psa. 130. *& spiritaliter intus est, & spiritaliter excelsus est, non quasi internallis locorum, quomodo per internalla loca altiora sunt: nam si talis altitudo quærenda est, vincunt nos aues ad Deum. Ergo intus Deus altus est, & spiritaliter altus, nec perueniet anima vt contingat eum, nisi transierit se.* Sed quomodo transit se vt contingat? transit se pietate, transit se humilitate; ita idem Sanctus Doctor in psal. 74. *Ad superbum non accedit, certè altus est, non eum attingit elatus. Omnia sublimia vt contingamus, attollimus nos, & si attingere non possumus, machinamenta aliqua, vel scalas quærimus, vt sublimati, sublimia contingamus. Contrà Deus & altus est, & ab humilibus contingitur. Scriptum est, prope est Dominus his qui obtriuerunt cor. Tritura cordis, pietas, humilitas; qui se conterit, irascitur sibi, se habet iratum, vt illum habeat propitium: si habet iudicem vt illum habeat defensorem.* O excelse mundi arbiter! ô *Hhelion*, à quo Græci Solem dixere ἥλιον, vti obseruauit Anastasius Sinaita, apud Lorinum in psal. 7. quòd existimatus sit, non tam loco & situ, quam vi & efficaciâ altissimus. Alme Sol qui inexhausti luminis radio colluces omni homini venienti in hunc mundum, resolue calore igneo amoris tui alas Icarias,

Conuersio ad Solem Elion, Deũ.

> *Quibus superbi colla mortali iugo*
> *Frustra leuare gestiunt.*

Vt inquit Boëtius lib. 2. quibus eleuamur ad præcipitium nostrum, quibus ascendimus ad ruinã nostram: & da alas humiles, alas potentes, quibus à terrenis auferamur, efferamur, & in te solum feramur, quibus auolemus à vanitate mundi, & euolemus ad te qui es gaudium verum & stabile vniuersi. Hoc oramus, hoc inuocamus, & sonorâ cordis voce, hoc clamamus cum Vate regio ps. 56. *Ad Deum altissimum, qui bene fecit nobis*, qui sic altissimus es, inquit D. Augustinus, vt non sit longè à te miseria nostra, & gemitus noster.

Psal. 56.

3. Adonai quid significet.

Venio ad אדני *adonai*, alterum Dei vocabulum, è decem quoque præcipuis vnum, & *Dominum*, significat ab אדן *adon*, id est, *Dominus*. Quomodo frequenter Genes. 24. appellatur Abraham, vt quum dicitur; *Et posuit seruus manum suam sub femore Abraham* אדניו *Adonaiu, Domini sui.* Et rursus quum seruus Abrahæ inquit *Iehoua elohe Adoni Abraham* יהוה אלהי אדני אברהם *Domine Deus, Domini mei Abraham.* Quamuis enim Adonai formatum ab Adon cum affixo plurali, significet *Domini mei*, plerumque tamen affixum plurale voci singulari iunctum, singulariter accipitur, & sic *Adonai*, erit, *Dominus meus*. Obseruant alij, sine affixis scribi solere אדון *adon*, quum de creaturâ dicitur, cuius plurale est אדונים *adonim*, & in constructione אדני *adone, Domini*: cũ affixis verò, quãdo Deo tribuitur: id quod peculiare est Dei nominibus, nomini videlicet singulari, plurale affixum iungere, vt in diuinis, & naturæ singularitas, & personarum pluralitas iudicetur. Duplex porrò huius nominis radix assignari solet, דן *don*, quod est, *Indicauit, litigauit, disceptauit, contendit*; vnde דין *din, iudiciũ, caussa*; & אדן *aden, basis, columna auxiliaris, peristylium*. Addit Irenæus Adonai, aliquando significare, nominabile, & admirabile: aliquando verò duplicata littera δέλτα, d. & præfixâ aspiratione, vt si dicas *Haddonai*, præfinientem significare, & separantem terram ab aquâ, ne vnquam postea exurgat super eam. Huius autem nominis Adonai vsus non infrequens, præsertim cùm ob nominis tetragrammati reuerentiam (vt suprà monuimus) quoties illud legendum occurreret, pro *Iehoua*, Hebræi substituere solerent Adonai: fortassis, ne si irreuerenter quadrilitterum nomen prout litteræ sonant, atque hominibus effari concessum est, pronuntiarent à sorte sanctorum excluderentur, tales enim non habituros partem in venturo sæculo asserit Abba Saul, in libro Sanhedrim. in cap. Helec, apud Bustamantinum lib. 1. de animantibus Scripturæ sacræ cap. 9. num. 86.

Gen. 24.

His ita constitutis, reliquum est, vt Deus sit solus, & verè Adonai, quia vnus ipse est vniuersalis, & summus cæli & terræ, Angelorumque Dominus, longè eminentiori, atque adeò perfectiori ratione, quàm à Bartolo in lib. 1. §. per hanc ff. de rei vindic. & in Extrauagante, ad reprimendam, verbo, totius orbis, dicatur Imperator verè est totius mundi Dominus; is enim licet iurisdictionis & protectionis dominium habeat, quomodo habens iurisdictionem in prouinciâ, illius prouinciæ Dominus est; aut etiam saltem ratione administrationis, locorum pertinentiũ ad vniuersitatem (potest namque contingere, vt quis sit Dominus directus vniuersalis, alius verò itidem sit Dominus rei alicuius l. 1. §. vltimo ff. de rei vindicat.) Dominium tamen particulare, quod priuatis competit, non habet: vt propterea Seneca lib. 7. de beneficijs dixisse videatur, omnia regem imperio possidere, singulos, Dominio. Vnde fit, vt non solùm ciuitates, verum etiam complures Christiani orbis Principes, à supremâ Imperatoris iurisdictione sint immunes. At Deus, vniuersorum est Dominus: hinc Cantor Regius psal. 118. *Ordinatione tua perseuerat dies, Quoniam omnia seruiunt tibi.* Est enim ipse Deus Altissimus, possessor cæli & terræ, Gen. 14. Et cùm dominium nihil aliud sit, quàm ius disponendi de re ipsâ. l. in re mandata. C. mandat. Nihil eorum quæ facta sunt à diuinâ dispositione subtrahi potest, cùm ipse sit omnium & singulorum Dominus; iudex omnium, rerum subsistentium forma, basis & firmamentum totius structuræ cælestis & mundanæ, columna auxiliaris eorum qui spem suam in eo collocarunt, totius mundanæ fabricæ auctor, protector, conseruator, & Dominus. *Per quem reges regnant, & legum conditores, iusta decernunt.*

4. Deus solus Adonai.

Psal. 118.

Gen. 14.

Prou. 8.

Præcipuè verò Dei filius Adonai à Prophetis dicitur, tunc verò maximè, cùm de Christo sermo, non autem simul de Patre fit mentio; ita succentor regius psal. 16. *Dixi* ליהוה *laiehoua, Domino* אדני *Adonai, Dominus meus es tu*; & psal. 110. *Dixit Iehoua* לאדני *laadoni, Domino meo*; & quum eum ad patris dexteram residem facit, inquit אדני *adonai, Dominus ad dexteram tuam.* Ipse enim Deus & homo Christus Iesus, verè Dominus noster est, sicut ipsum compellat Psalmista,

Psal. 16. 110.

ita quum inquit, psal 8. *Iehoua adonenu*, id est, *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen nomen tuum in vniuersa terra.* Et verè admirabile, quia cùm esset Deus, & sibi ipsi Deus, ob summam simplicitatem suam, nullum accidens, nullum epitethon, nullum affixum pronomẽ admittens: & proinde *Iehoua* modo mirabili factus est homo, vt esset Adonenu, cum affixo pronomine, *Deus noster*: atque inæstimabili sanguinis sui pretio, vniuersi dominium, quod in tiranni potestatem fraudulenter concesserat, compararet. Et nos ter admirando, ac venerando nomine illius delibuti, arrectiori spiritu confiteremur *Dominum nostrum*, non modò secundum diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem, secundum quam constitutus est caput vniuersæ creaturæ, quemadmodum in symbolo nos credere profitemur, in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius Dominum nostrum, cui soli honor est, & potestas, & gloria, in secula seculorum. Amen.

CAPVT L.

De nomine Dei פחד *Pabad, quod est timor.*

I. Domini potestas magna

QVia verò Dominus est, cui aliquid subijcitur, à *δαμάω*, quod est, *subijcio, domo, subiugo, affligo, conficio, occido*, dictus, vt quibusdam placet, quâ in significatione Homer. Iliad. α.

εἰ δὴ ὁμȣ̃ πόλεμός τε δαμᾷ καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς.

Si quidem simul bellum domat (seu occidit) *& pestilentia Achiuos.*

Cui affine volunt, Hebraicum vocabulum quadratum דומם *domem*, quod est siluit vel conticuit, quod sub Domini potestate, tanta subditorum, seruorumque obedientia esse debeat, vt ne mutire quidem audeant. Et Latini, vocem & significationem contracti *δόμω*, mutuati, à domando, Dominum appellarunt; vnde Dominium, quod est facultas, quâ possimus in aliqua re quidpiam: quomodo potestas in seruorum personas, à Paulo Iurecons. dicitur Dominium l. potestatis. 215. de verbor. significatio. lib. 50. P. tit. 17. lib. singularium ad l. fusiam, quæ tam libera est, vt etiam abuti eâ possit. l. in re mandata. C. mand. l. nemo externus de Iudæis tit. 9. lib. 1. C. quamobrem olim, donec prospectum est, misero & abominando spectaculo, pares naturâ, & conditione similes homines, vt bruta animantia, vt pecudes, Domini, seruos, quorum dominium habebant, mactabant, liberâ sibi vitæ & necis factâ potestate. gl. leg. 1. de ijs qui sunt sui, vel alieni iuris. Domini vocabulum vt sit cum timore coniunctum necesse est: præcipuè verò Adonai, quod est vocabulum Dei: cùm mortalium nemo, etsi Domini nomen sibi arrogarint, quod Imperator Octauius non sine caussa, vt opprobrium & maledictum semper exhorruit, edictoque cauit, ne posthac Dominus appellaretur. Sueton. in Octauio, cap. 53. quòd Tyberius Cæsar contumeliosum putauit, & à quodam Dominus appellatus denuntiauit ne se amplius contumeliæ caussâ appellaret: Sueton. in Tyberio. cap. 28. omnimodam & plenissimam in subditos pro arbitrio habeat potestatem, quæ sola est Dei, qui omnia quæ vult potest, inquit Petrus Gregor. Syntagma. Iuris vniuersi lib. 14. cap. 1. num. 13. & sequentib.

Domini vocabulum cum timore coniunctum.

nihilque nisi iustum velle potest: vnde illi soli hoc nomen conuenit, *Vt cognoscant gentes, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra* ps. 82. & psal 99. *Scitote, quia Dominus ipse est Deus.* Quia, inquam, vbi Dominus ibi timor, vnde ait. *Si ego Dominus, vbi timor meus?* Nomini אדני *Adonai*, quod st, *Dominus*, aliud Dei nomen subtexere possumus, scilicet פחד *Pabad.* Quod est, *timor, formido, pauor*, à פחד *Pabad, expauit, trepidauit, territus est.* Quod quenquam à D. Hieronymo prætermissum sit, neque inter illa decem Dei nomina connumeratum: nos tamen hoc loco reponendum putauimus.

Psal. 82.
Psal. 99.

Siquidẽ Θεὸς Latinè *Deus*, vocabulo parcè detorto, quasi *δέος*, quod est, *metus, timor, pauor*, quibusdam non imperitis dici visus est, eò quod Deus iure timeatur, inquit Rupertus lib. 1. in Gen. cap. 21. qui & lib. 4. cap. 21. ait, *Et exinde* (à timore scilicet) creator noster dicitur Deus, quòd verè sit timendus. Hinc natum illud hominis Ethnici,

Primus in orbe Deos fecit inesse timor.

De quo alibi: illos videlicet, qui cùm non sint Domini, nec metuendi nec colendi sunt, stultus timor fecit Deos appellari, cùm metuerent quod fecerant, puerorum more, qui laruam quam alteri induxerint timent. Quibus sane nihil infelicius, cùm & sua figmenta sibi dominari vellent & natum ex illis timorem, & pallorem timoris filium, Deos consecrarent, vt scribit Lactant. lib. 1. de falsâ religione cap. fine num. 20. quum ait. *Pauorem, Palloremque Tullus Hostilius figurauit & coluit.* Quibus etiam in communi exercitus sui trepidatione, vti timor, quo percellebantur, ad hostes transiret, delubra vouit: de quo Liuius Decadis lib. 1. *Tullus in re trepidâ, duodecim vouit Salios, Fanaque Pallori & Pauori.* Numa verò apud eundem historiæ parentem: anno V. C. 39. armorum bellorumque strepitu submoto, quibus sub Romulo adsueuerant Romani, ne plebs in pace torpens veterno, in illicita, atque insolentia diffluerct, ad religionis instituta conuersus, metum incussit Deorum; *Ne luxurientur* (inquit Historicus) *otio animi, quos metus hostium, disciplinaque militaris continuerat, omnium primùm, rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, Deorum metum iniiciendum, ratus est.* Censuit nimirum ille non posse vitam liberaliter institui, absque alicuius diuinæ potestatis metu, neque religionem vsquam esse absque timore: *quâ & sapientiam, quâ distamus à belluis, & iustitiam retineamus, quâ communis vita sit tutior*, quemadmodum loquitur Lactantius lib. de irâ Dei, cap. 8. *Nam quomodo religio ipsa sine metu teneri, aut custodiri potest? Quod enim non metuitur, contemnitur, quod contemnitur, vtique non colitur.* Et Isocrates in Plataico, metum, obseruantiam augere dixit, *καὶ πολὺ τὰς πλείους ποιήσαιτε θεραπείας ὑμῶν, ὅσῳπερ ἂν μᾶλλον περὶ σφῶν αὐτῶν δεδίωσι*: *Et vos tantò magis obseruabunt, quantò magis sibimet ipsis timuerint.*

2.

Ita enim, quò magis Dei timor per intima animi nostri spatia sese diffuderit, eò maior exurget in nobis obseruantia Numinis, sine quâ, vitæ hominum, stultitiâ, scelere, nequitiâ, immanitate complentur. Hoc verò armatis timore, nihil quod præterea timeatur, reliquum est. Hanc in sententiâ Plutarchus dixisse videtur ὁ δὲ Θεὸν δεδιὼς πάντα δέδιε. *Qui Deum timet, omnia timet.* Enimuerò, seruiant vt volent creatu-

ræ,

tæ, pericula comminentur, sint omnia plena furore, immania moliente barbaro: bonorum compilationes, proscriptiones, tormenta, cruces, & quidquid acerbum erebi fauces eructarint quod hominum vitam funestare potest, capitibus nostris immineat: timor Dei, horum omnium excludet, propulsabitque timorem. *Non potest timere barbarum*, inquit Diuus Ambrosius sermone 86. *qui timuerit Saluatorem, non potest metuere hostis impetum, qui Christi præcepta seruauerit: Præcepta enim Christi, arma sunt Christianorum, & diuinus timor terrorem à nobis expellit hostilem.* Hoc est quod D. Hieron. in psal. ait, *vnus timor plures timores proijcit, melius est vnum timere, vt plures non metuas, quàm plures timere, vt vnum non timeas.* Damascen. verò Parallel. lib. 4. ex Didymo, *fieri non potest*, inquit, *vt qui Dei timore præditus est, meticulosus sit, cùm illud Scripturæ monumentis proditum sit, præter eum, ne quâquam alium timeas.* Habet enim ipse in suâ potestate omnia, eiusque dispositioni paret & seruit omnis creatura.

Timorem Dei habens meticulosus non est.

Quòd si quid insuper timendum sit ἓν φοβηθῶμεν μόνον, τὸ φοβηθῆναι δι᾽ ὃ τί πλέον, *vnum solum timeamus*, inquit Maximus, interprete Iacobo Billio Prunæo, obseruationum sacrarum lib. 1. cap. 12. *Ne quid amplius quàm Deum timeamus. Timor* enim *Dei*, inquit Lactantius lib. de irâ Dei cap. 12. *Solus est qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur.* Solus est timor Dei, quo tanquam tremendo charactere obsignatur vir probus, vt aduersariæ potestati, timori sit atque formidini: quo qui notatus non fuerit, qui Dei timorem ex animo suo proiecerit, cuncta vt metuat, necesse est, teste Philosopho, quem refert Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 84. vbi ait, *Qui timet Deum, omnia timent eum, qui vero Deum non timet, omnia timet.* Hinc per Salomonem dicitur Prouerb. 28. *Beatus vir qui semper est pauidus: qui autem mentis est duræ, corruet in malum.* Tumida quippe rudis, & aspera mens, atque ad admissum sigilli timoris Domini flecti nescia, accisso animi robore ab externo metu, sine quo esse non potest, elumbis fit omnino, & in lapsum prona: vbi mollis mens, & cærea flecti, timore Domini stabilitur, firmatur, formatur, roboratur: *Nam sicut in viâ seculi*, inquit Diuus Gregorius, in 4. cap. Iob. cap. 13. *Audacia fortitudinem; ita in viâ Dei, audacia debilitatem parit: & sicut in viâ seculi, timor debilitatem, ita in viâ Dei, timor fortitudinem gignit, Salomone attestante, qui ait, In timore Domini fiducia fortitudinis. Timori quippe Domini inesse fiducia fortitudinis dicitur, quia nimirum mens nostra, tantò valentiùs terrores rerum temporalium despicit, quantò se auctori earundem veraciùs per formidinem subdit, quæ in timore Domini constituta, non inuenit extrà quod metuat, quia dum recto metu conditori omnium coniungitur, potestate quadam supra omnia sublenatur.*

Prou. 28.

Prou. 14.

Ecce autem vt timori sacro, adscribuntur quæ propria sunt Dei, stabilire, munire, gubernare, firmare, vt propterea non immeritò Deus, *Timor*, nuncupetur: adeoque, vt Hectore Pinto in cap. 3. Daniel. dicente, *bonus timor tam debitus sit Deo, vt ipse Deus Timor virorum iustorum, appelletur.* Quod quidem ex Scripturâ satis manifestum fit: siquidem ex Ruperti sententiâ lib. 1. in Gen. cap. 21. Spiritus Dei qui ferebatur super aquas Gen. 1. rectè dicitur Spiritus timoris Domini, à quo primùm creatura Deo subiecta didicit, quòd Creator verè timendus sit: vnde Deus à timore dictus sit, quasi δέος & manifestiùs Isa. 8. *Dominum exercituum, ipsum sanctificate & ipse pauor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem.* Regius quoque Vates psalm. 13. *Non est timor Dei ante oculos eorum*, quod idem est ac si diceret, non esse Deum in conspectu illorum, atque impios Diuinum Numen, eiusque rebus in omnibus præsentiam & procurationem, è medio tollere, quò ipsi excusso timoris diuini freno, liberiùs ruant & corruant in vetitum nefas, secundum illud Eccl. 8. *Sine timore, perpetrant homines mala.*

Isa. 8.

Psal. 13.

Eccl. 8.

3. Cogitata autem vbique præsentia Numinis, cupiditatum nostrarum fluxus cohibet, atque hinc conceptus animo timor, à maleficio auertit: quare Lactantius lib. 1. de ira Dei, cap 8. *Multum enim refrænat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei viuere, si non tantùm quæ gerimus videri desuper, sed etiam quæ cogitamus aut loquimur, audiri a Deo putemus.*

Luculentissimè porrò Geneseos 31. capite, vbi Patriarcha Iacob, cum Labano Socero suo loquens, infit, *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset mihi, forsitan nudum me dimisisses*, hoc est, omnibus spoliatum me abire iussisses, nisi mihi auxilio fuisset Deus ille, qui est Deus Abraham, & timor Isaac, hoc est, quem Isaac reuerentiali timore veneratur, de quo mox quoque: *Iurauit enim Iacob per* פחד, id est, *timorem patris sui Isaac*: hoc est, iurauit per Deum, quem Isaac timebat, & pauens colebat.

Scio equidem quosdam ex Hebræis apud Abulensem in 31. caput Genes. *Timorem*, de quo hic fit mentio, illum esse interpretari, quo percellebatur Isaac, quum Abrahæ patris sui manum armatam iugulo suo imminere videret. Sed frustra sunt, vt benè ibi Abulensis: nam quum institutum sancti Patriarchæ esset dicere, sese diuino munere, Abraham & Isaac patrum suorum meritis, Labani direptioni & auaritiæ, subductum fuisse, nihil meriti aut demeriti fuit in illo timore, quem tunc subensè distincto habuit Isaac, cuius intuitu Iacob, ne à Labano spoliaretur, cælitus sit consecutus, cùm timor ille purè naturalis fuerit, exutus omni rationis deliberantis arbitrio. Sunt enim quædam ita magna, ita inopinata, vt ingruentis incommodi incursum, vel desiderati commodi amissionem metuere necesse sit, nisi quis planè sensus expers fuerit; inter quæ grauissimum est, manum in suam cædem armatam videre, deque vllum effugium superesse. Dici itaque timorem Isaac vult Abulensis, sanctum illum timorem quem habuit ad Deum, timorem scilicet reuerentialem, & filialem, adeoque meritorium.

Gen. 31.

Ego verò ita censeo, nempe Timorem illum, de quo Iacob, non ideò solùm dici timorem Isaac, quia filiali obseruantiâ Deum venerabatur, aut quia Laban timore superstitis Isaac percellebatur, vt interpretantur quidam: sed etiam ipsum Deum Timorem appellari, quem verebatur Isaac, & reuerebatur, sic enim explicauit Chaldæus: *Nisi Deus Patris mei Abraham, & ille quem timebat Isaac fuisset in adiutorium mihi*: voce *Timor*, actiuè acceptâ: & rursum, *Iurauit Iacob per illum quem timebat Isaac pater suus.*

Timor Iacob, Deus.

Pulchrè enim Pahad, seu Timor, dicitur Hebræis Deus, sumptâ pacis passione, aut adfectione in obiecti sui vicem, veluti amor, pro re amatâ sumitur: & Deus dicitur Amor noster, spes, gaudium, expectatio, fortitudo, nostra. Solus quippe Deus iure timetur, quod & voce λατρεία, quâ cum subiectione supplici

λατρεία, vnde dicta.

plici colendus est, indicatur. λα, namque valdè, τρεῖν verò, à quo λατρεία, *tremere*, significat. Et hic est germanus literæ sensus, quem satis colligere videor ex iurisiurandi sacramento, *iurauit enim per timorem patris sui*, hoc est, per Deum quē timebat Isaac. Timoris verò nomine, Deum in iuramento compellat, quo is qui se adstringit deiurio, Deum periurij vltorem expauescat, timeatque à veritate, qui Deus est, excidere. Inde enim Deus, Timor & Pauor dicitur, nō quod in se habeat quod exhorrescat, quod paueat, quóve terreatur homo, sed quia vir probus ne à Dei gratiâ excidat, metuit. In quam sententiam D. Damascenus lib. 4. Parallelarum ex Euagrio: *Deus terribilis esse dicitur; non quòd pestifera lethe, aut crudelis leonum terrorem habeat; Deus enim lux est, vita, veritas & vita, &c. Quid igitur est quemadmodum lucem, aut vitam, aut veritatem, aut resurrectionem perhorrescamus? Hoc igitur perinde est; vt si quis in sublimi quodam monte degat, atque ipsum metuere dicatur, non quod montem ipsum timeat, sed ne ab eo praeceps ruat. Ad eundem quippe modum, nos quoque Deum metuimus, illud videlicet metuentes, ne à luce, & vitâ, & veritate, & scientiâ excidamus.*

Cæterùm quanquam adfectionem & passionem pro suo obiecto poni familiare sit, & timor passio sit & perturbatio quædam: hic tamen timor, quo ille timetur qui Timor est Deus, sine passione, sine perturbatione est, ex Clemente Alexandrino, apud eundem Diuum Damascenum dicente: *Dei qui passione vacat, timor, ab omni passione, & perturbatione immunis est. Neque enim quisquam Deum ipsum timet, sed ne Deo careat. Qui autem hoc timet, illud timet, ne in mala incidat. Qui verò hunc casum extimescit, ab interitu & perpessionibus alienum se esse cœpit.* Sub hoc itaque epitetho timoris, veneramur te Deus electi tui, quia in constanti vitæ humanæ inconstantiâ, nisi tu, qui Timor es, illos in viâ tuâ stabilieris tuo timore, hoc est, teipso: tuo, inquam, timore, qui, vt inquit D. Chrysostomus, nihil aliud est quàm murus & præsidium, & turris inexpugnabilis: quo abituri sunt, nisi ad profanum timorem, qui perturbationis plenus, nusquam quietem, nusquam securitatem parit? vbi timor tuus securitas est, quies, & via, & vita, securitas ab hoste, quies in te, via ad te Deum tremendum, adorandum, colendum, & vita viuentium ex te, in hac vita mortali.

Conuersio sermonis ad Deum.

Capitis 50. §. 1.

Cur Deus timor dicatur, ex quibusdam timoris acceptionibus fit clariùs.

1. Timor pro admiratione

QVoniam verò timoris acceptiones variæ sunt, operæ pretium me facturum iudicaui, si illas hîc tantisper, persequar, vt quis ille sit quo indigitatur Deus, quive sint quibus afficitur homo, an aliùs elucescat. Timor itaque, præterquam quod admirationem interdum significet & in hoc sensu Olympiodorus in cap. 3. Ecclesiastæ, dixisse videatur, *Qui ad speculationem mundi animum adijciunt, rationesque singularum rerum, quantum in se est, consequuntur, timore Dei occupantur, attonitique redduntur, auctoris omnium sapientiam demirantes*: vbi timore Dei occupari, est, admiratione diuinorum operum teneri, secundum illud Abacuc. 3. *Consideraui opera tua, & expaui*, hoc est, admiratus sum. Timor, inquam, præter eum significandi modum, vel pro ipso Dei metu accipitur, vel pro lege, ipsaque legis diuinæ, siue præceptorum obseruantiâ, vel pro legislatore ipso, vel denique pro ipsa religione in Deum, quæ pio, religiosoque cultu constat.

Abac. 3.

Metum itaque Dei, primò significat timor, quem primi hominis culpa inuexit: neque enim timere quidquam nouerat homo innocens, quia quid esset animo turbari, quid malum formidare, nesciebat, neque sciuisset, nisi tempestatis auctor, quâ percelleretur, extitisset: quare *timor ille, culpam fatetur, latebra præuaricationem*, inquit D. Ambr. l. de Paradiso, cap. 14. Innocentiâ non quæ perfundatâ, & inhærente perpetrati flagitij conscientiâ, perturbari cœpit, abscondit se, & timuit illum à quo factus est, non tam vt ab homine timeretur, quàm vt amaretur, sicut ait D. Ambros. in cap. 3. epist. ad Colossen. *Iocatur*, inquit, *timor non est in charitate: qui enim timet, perfectus non est, perfectio enim dilectio, foras mittit timorem, vnde & Dominus amari se mauult, quàm timeri; hæc est enim quæ complectitur veritatem, hæc est, quæ omnes vnum corpus facit; hæc est quæ veram habet pacem, quam corde puro custodit.*

Homo factus vt amet potiùs Deum quàm timeat.

Exinde nobis à naturâ insitus est Dei timor, nobis adnascitur, nobiscum crescit, & adolescit, quousque caritate purgatus in verâ transformetur sapientiam, cuius exortes fuimus, in nostri reatus in protoplasto pœnam. Hæc autem sapientia, tum in cognitione Dei, tum in operatione posita est: sicut inquit Olympiodorus supra: *In omni itaque hominum mente, insitus est Dei timor à naturâ, vel legitima quædam ratio, quæ ab ordine & pulcritudine vniversi, hominum corda conuertit ad Creatoris sapientiam contemplandam.* Et Theodoretus Cyrenensis in illud psalmi 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Ad perfectionem*, inquit, *cognitio nequaquam satis est, sed contemplatione actione indiget. & connectit eum qui diuino intellectu dignus effectus est, cognitionē operibus ornare, & per hunc intellectus largitorē colere.* Est igitur quidam progressus à timore ad sapientiā, qui veluti Sol quispiam oriens in animis nostris, ascendit, & crescit vsque ad sapientiæ cōsummationem. Hinc Vates regius psalmo eodem, hinc iisdem Eccl. 1. & Prouerb. 1. *Initium Sapientiæ, timor Domini*: per illum ingredimur in viam sapientiæ, per illum ad caritatis gratiam procedimus, per illum de virtute in virtutem progredientes, beatitatem Dei consequimur, quia Psaltes regius psal. 127. beatos omnes pronuntiat qui timent Dominum, vbi Theodoretus *Hic beatos esse dicit, qui cum spe diuinum habent timorem, per quem virtutis possessio auctetur.* Et post pauca. *Proprium verò eorum qui Deum timent, à diuinis vijs haudquaquam deflectere, sed in ipsâ continuè iter facere.* Quàm beatum peregrinantibus nobis, non aberrare à viâ salutis, semper oculos & animum in diuinum timorem intendere: Namque, vt inquit D. Bernardus serm. de subijciendâ nostrâ voluntate diuinæ, *Qui timorem Dei semper habet præ oculis, viæ eius, viæ pulcræ & omnes semitæ eius pacificæ*: quia nimirum post multos virtutum gradus, ad ipsum pulcrum, & pacis visionem prouehitur. Harum autem viarum principium, timor Domini, qui & ipse Deus, quia, vt Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ, cap. 84. inquit: *A dono timoris sapientia inchoatur, Ecclesiastici 1. & dono sapientiæ perficitur, donis verò medijs proficiendo, ad consummationem sapientiæ appropinquatur.* Quod quâ ratione fiat, vt videlicet timor ad eam perfectionem euadat, significauit Clemens Alexan. l. 2. Stromatū: *quemadmodum*, inquit, *dies sunt pars vitæ, quæ pergit ascendere, etiam timor est principium dilectionis, qui fit per incrementum fidei, deinde, dilectio.* Sicut enim tempus tempore, ætas ætate truditur, infantiam emittit pueritia, pueritiam adolescentia, adolescentiam iuuentus, iuuentutem grauitas, grauitatem

Psal. 110.

Eccl. 1. & prou. 1.

Ps. 127.

tem senectus, quæ vltima, & consummatæ prudentiæ ætas est, ita timor, quasi per succedaneas ætates perficitur, quum ex timore pergit in fidem, ex fide in sapientiam & caritatem euadit. Explicauit Sanctus Maximus lib. 1. de caritate, vbi duplicem Dei timorem referens, ait: *Alter ex minis supplicii nobis generatur, per quem temperantia & perseuerantia, & in Deum spes & indolentia, deinceps quoque caritas, secundum ordinem, nobis innascuntur. Alter verò ipsâ cum caritate coniungitur, reuerentiam quandam, & metum cum pietate coniunctum in animâ constituens, ne per caritatis libertatem, in contemptum Dei erumpat.* Velut namque ætas posterior, priorem euacuat, & paruulus factus vir, non sapit ampliùs quæ erant paruuli: ita Dei timor, virtutum incrementis crescit, donec detersâ naturæ suæ rubigine, ad gratiæ puritatem transeat.

Cur timor principium sapientiæ dicatur, & inter dona Spiritus Sancti nouissimum locum teneat?

2. Timor cur posteriori loco ab Isaia numeratur.

QVid autem est, quod Isaias Propheta cap. 11. timorem Domini, quem Dauid, quem Salomon, quem Ecclesiasticus, sapientiæ basim, fundamentum, atque elementum primũ constituerunt, tanquam totius sapientiæ coronidem & verticem, vltimo recensuit loco? ait enim, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Huic quæstioni respondet D. Gregorius homil. 19 in Ezechielem. *Hos gradus*, inquit, *sine fructu descendendo numerauit Isaias: dum enim scriptum sit, Initium sapientiæ timor Domini, constat proculdubio, quod à timore ad sapientiam ascendit, non autem à sapientiâ ad timorem reditur.* Similem in modum dogmatizat D. Gregor. Nazianzenus orat. 39. quum ait: *Principium sapientiæ timor Domini, quo loco, principium sapientiæ timorem vocat: neque enim ea nobis ratio ineunda est, vt à contemplatione auspicantes, in timorem desinamus (effrænata enim contemplatio, in præcipitia fortasse nos impulerit) verùm vt timoris rudimentis imbuti, & purgati, atque (vt sic verbo vtar) attenuati, in altum efferamur.* Vides, vt magni illi viri iam Diuis adscripti, à timore ad pietatem conscensum probent, non contrà, à pietate ad timorem? Numerari verò timorem loco vltimo, tanquam minus præcipuum honestatis & probitatis fructum ex ijs quos Isaias à præstantissimis inchoando, commemorat, quia, vt inquit D. Basil. in psal. 32. *Timor quasi quidam introductorius, necessario ad pietatem condiscendam assumitur:* ideoque principium Sapientiæ dicitur, id est, primitiæ & primus fructus, à quo omnis honestas fluit, sicut aduertit Ferdinandus Quirinus de Salazar in cap. 1. Prouerb. num. 135. non tamen ex illis præcipuis vnus, quos euolutis suis temporibus matura concessit arbor, sed præcox aliquis, & tamen primus, sed quem ante tempora vermis, vel æstus ingens decoxit, hoc est quem intus lacerans morsibus conscientiæ vermis, aut cogitati ardores æterni, ad maturitatem adduxerunt. Accedit D. Ambrosius in psal. 118. *Vide*, inquit, *quamuis subiecerit timorem Isaias, vt faceret irreprehensibilem & bonum timorem; Spiritus, inquit, sapientiæ & intellectus, spiritus consilij atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus timoris Domini. Quantus timorem subiecit, vt haberet quod sequi possit? informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur.*

1.

Aliam init viam Rupertus in Gen. lib. 1. cap. 21. & respondet, ideò spiritum timoris ab Isaia, nouissimo recensitum loco, quia flos ille de radice Iesseâ oriundus, in quem ista dicebantur, non tantùm homo erat, sed etiam Deus, qui proinde, quanquam secundum humanitatem assumptam, proficeret ætate, sapientiâ & gratiâ Luc. 2. secundum tamen id quod erat, & est Deus, nihil profecerit, nullo auctus fuerit incremento, vtpote æternus & immutabilis in suis, temporalis autem & mutabilis factus in nostris. Timorem autem Domini, sapientiæ principium ab alijs Prophetis prædicari, quia creatura non solùm humana, sed etiam Angelica profecerit, testante Apostolo ad Ephes. 3. *vt innotescat Principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Vbi Theodoretus: *Nam nec Potestates quidem quæ sub aspectum non cadunt, sciebant mysterium, sed per dispensationem quæ est in Ecclesiâ, ineffabilem Dei sapientiam didicerunt.*

Ephes. 3.

Idcircò itaque, initium sapientiæ, timor Domini appellatur, *Quia nos*, inquit D. Ambros. in cap. 4. Apocalyp. *qui per primæ præuaricationis culpam, in perditionis laqueo iacebamus, misericordiâ Dei ad superna reducimur ab inferioribus, id est, à timore Dei incipimus, vt ad superiora, id est, ad sapientiam proficiendo crescamus.* Et explicans quis sit ille Spiritus timoris, quem Isaias super Messiam requieuisse dicit, præmisit Ambrosius ibidem: *Spiritus verò timoris Domini, qui vltimus ponitur, ad passionem pertinet, non quòd timore coactus sit, vt pro salute generis humani moreretur, sed timorem pro obedientiâ accipere debemus, de quâ ipse dicit, Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris. Nam & Filium qui Patri carnali per omnia est obediens, Patrem timere dicimus, cùm illa obedientia non sit timoris, sed amoris: de quo timore Psalmista, Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi; non autem timor sed caritas in seculum seculi permanebit.* Et hoc quidem conformiùs ad literam Isaiæ dictum censeo, quæ tota est de homine Deo, & Seruatore nostro Iesu Christo, qui quum rudimentario timore capax non esset, ob eminentiam perfectionis suæ singularem, ab vnitâ Diuinitate manantem; reuerentiali, siue obedientiali, qui ex puro fluit amore, afflatus est, & per illum factus obediens, vsque ad mortem, *cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reuerentiâ*, ad Hebr. 5. Quò non videntur respexisse Patres nonnulli pro priori solutione adducti, quibus satis fuit, ab effectis, veluti ad caussam ascendisse, quasi ab Isaiâ, à virtutibus ad earum originem vsque instituta fuerit narratio.

Ioan. 6.

Ps. 18.

Hebr. 5.

3.

Quare continenter dicendum mihi videtur, ab alijs Prophetis, à timore, qui principium sapientiæ dicitur, ad alias virtutes ascensum indicari, ad alium timorem vsque, de quo Isaias, qui non iam timor, sed amor est, ad quem ille prior, continuatâ virtutum serie, subuectus est: vnde Nazianzenus Orat. 21. *Nam & timor Domini, principium sapientiæ, velut primum quoddam incunabulum: & sapientia, quum timorem excesserit, atque ad Dei amorem nos subuexerit, ex seruis iam amicos & filios efficit.* Hunc timoris in timorem transitum, hanc timoris in amorem commigrationẽ explicat in hunc modum Nicetas. Orat 41. Diui Greg. Nazian. *Timor continentiam parit, hæc patientiam, patientia spem tranquillitatis matrem, ex quâ rursus timor procreatur.* Nempe castus ille & filialis, siue reuerentialis, qui perfectricem vim habet, nec sinit nos ex immodicâ licentiâ in contemptum labi, qui cùm ab honestate proficiscatur, vt inquit Olympiodorus in Ecclesiasten cap. 12. nostras sanctificat animas, & caritati æquipollet, quem qui habuerit homo, & ad normam mandatorum diuinorũ operatus fuerit, sapiens erit omninò, hoc est, integer, & vndequaque perfectus: qualis diuino

afflatu

afflatu fieri postulabat Psalmographus dicens psal. 118. *Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo:* vbi Diuus Prosper, *Petit Dei seruus, vt in eo constituatur obedientia perseuerans, quæ de statu suo nullo malæ actionis moueatur impulsu, quod non habetur, nisi per spiritum & castum timorem, quo cauetur ne offendatur caritas, non quo metuitur ne damnetur impietas.* Et hi duo timores, nempe tum is qui sapientiæ origo proclamatur, tum is qui caritas est, siue amor, in quem à priori timore fit transitio quædam, affectiones sunt animi, quæ vim habent mirabilem ad aliquid operandum illicem. Etenim, vt habet Diuus Prosper sententiâ 248. *Ad omne opus bonum, amor ducit & timor Dei: ad omne peccatum amor ducit, & timor mundi; vt ergo apprehendatur bonum, & declinetur malum, discernendum est, quid & diligi debeat & timeri.* Quod & Diuus August. *Ad omne recte factum amor & timor ducit.*

Psal. 118.

Timor & amor, iustificationis cardines.

Sunt cardines duo circa quos omnis nostra iustificatio voluitur, quorum alter si reuellatur, omnis operum nostrorum structura, tanquam ab exangui principio, male materiata labascit. *Nam qui sine timore est, non poterit iustificari:* Eccl. 1. Hæc est doctrina quam se accepisse profitetur D. Bernard. serm. 54. in Cantica, totidem verbis: *In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. Beatus es, si cor tuum triplici timore repleueris, vt timeas quidem pro acceptâ gratiâ, ampliùs pro amissâ, longè plus pro receperatâ. Time ergo cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò reuertetur: & hoc est semper pauidum esse. Cùm adest, time ne non rectè operetis ex eâ: si recesserit, multo magis timendum, quia reliquit te custodia tua: vbi enim deficit tibi gratia, deficies, dicente datore gratiæ, Sine me nihil potestis facere. Iam si gratia repropitiata redierit, multo ampliùs tunc timendum, ne forte contingat recidiuum pati, quod vtique deterius est.* Hæc D. Bernard. qui & de donis Spiritus Sancti, cap. 1. *Scriptum est Ecclesiastici 27. si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua: omne namque virtutum ædificium, illicò vergit in præcipitium, si huius gratiæ amiserit præsidium: vnde Salomon Prouerb. 23. In timore Domini esto quotidie.* Hæc est prima gratia, timor Domini, quam qui habet, odit iniquitatem: sine hac nullum bonum pullulare, vel manare potest, haud secus atque ab exanimi corpore vitalis actio procedere nequit. Hinc Iustinus Martyr, Responsione ad quæst. 28. à gentibus propositam, *vt cum animus discessit à corpore, mortuum corpus & malè olet, & immundum est: sic timore Dei ab animo se iuncto, mortuus est animus, & tetrum odorem efflat, & immundus est.*

Eccl. 1.

Ioan. 15.

Eccl. 27.

Prou. 23.

Timor Domini, est fundamentum salutis, inquit Tertullianus lib. de cultu mulierum: namque vt Drogon inquit, lib. 1. de Sacramento Dominicæ passionis, *Timor Domini stabile cor facit, vt domus septemplicis gratiæ superædificata perseueret immobilis.* Diuus autem Gregorius lib. 38 Moral. cap. 6. animum hominis, terram esse dicit, in quâ spiritualis ædificij fundamenta iaciuntur. *Sed huius terræ fundamentum,* inquit, *fides est. Huius terræ fundamentum iacitur, quando in occultis cordis prima soliditatis caussa, diuinus timor inspiratur.* Et subdit, fundamenta construi, quum peccatori nihil metuenti, & se peccatis inuoluenti, futurorum timor infunditur, vt bonæ vitæ surgat ædificium. Audit enim se vocari quum timore concutitur: sentit & iustificari quum amore perfunditur, inquit Diuus Bernard. in quâdam epistolâ. In hunc modum obstetrices Hebræorum, iacto timoris Domini fundamento, domos sibi erexerunt, de quibus scriptum est: *& quia timebant Deum obstetrices, fecerunt sibi domos:* in quæ verba Origenes homil. 15. in Leuit. *videtis ergo,* inquit, *quod obstetricibus quidem faciendarum domorum caussa fuerit timor Dei: sed quæ domus ista, quale ædificium est? Paulus exponit, domum habemus, non manufactam, æternam in cælis. Hæc ergo est domus, quam ædificare nemo potest, nisi timeat Deum.* Connexa sunt, timor & amor, neque alter ab altero seiungi potest, quin corruant quæcunque molimur, quæcunque magna, ampláue construimus, quia si absque timore pelli peccatum nequit, ita non est bonus fructus, qui de caritatis radice non procedit. Rectè Diuus Bernardus lib. de modo bene viuendi, serm. 41. *Nulla res sic nos à peccato custodit immunes, sicut timor inferni, & amor Dei.*

Animus hominis terra.

Ex his colligere est, timorem illum, à quo in sensu tradito inchoatur sapientia, non videri posse primitiæ, aut primus honestatis fructus appellari, quandoquidem nulla ipsi subiecta honestas, nullus substratus timor honestus, à quo tanquam à radice bonâ fructus prodeat honestatis. Proinde illû potius primitias spiritus appellarim: nam timor Domini prima virtus est, per quam ad alias virtutes peruenitur, inquit Henricus Harph Theologiæ mysticæ lib. 1. cap. 98. quæ & honestatis & pietatis primitias, tanquam in radice continet.

Capitis 50. §. 2.

Quot timores adferantur, eorum partitio, & de naturali timore.

IAm verò, quoniam multi & varij timores à Patribus & scriptoribus adferantur, eorum aliqua ratio ineunda est. Diuus Hieronymus in regul. titulo de fide, spe, & timore, duplicis timoris meminit, quorum vnum fugiendum dicit, alterum appetendum, hunc, in caput 1. Prouerb. amicalem appellat, illum seruilem, qui & hostilis à Diuo Basilio appellatur in psal. 33. Olympiodor. in Ecclesiasten cap. 12. imperfectum vnum, alterum sanctum & sanctificantem. Nicetas Orat. 42. Diuus Gregorius Nazianzenus elementarem, siue rudimentarium vnum vocat, alterum sanctum & perficientem.

1. Timoris, in plures alios diuisio.

Diuus Anselmus quatuor timores ponit, quorum duo sint terreni, duo diuini: enarrat. in cap. 5. Matth. Quidam verò sex, alij verò septem timorum species enumerant. Communis diuisio est, in seruilem & filialem, ad quos reliqui omnes timores reuocari possunt.

Timor naturalis.

Ego verò ita censeo, duos esse timores, naturalem, & moralem. Naturalis respicit malum quoquo modo lædens & corrumpens naturæ bonum, inquit Diuus Thomas 1. 2. quæst. 41. art. 3. cui opponitur non naturalis, secundum quem malum timemus, non naturæ oppositum, sed bono amato, vel desiderato. Moralis est quo ad Deum aliquo modo conuertimur, vel ab eo auertimur. Et hic, in quatuor diuiditur: in mundanum, siue humanum, seruilem; initialem; & filialem, ita Diuus Thomas 2. 2. quæst. 19. articul. totidem verbis: Cùm enim obiectum timoris sit malum; quandoque homo propter mala quæ timet, à Deo recedit, & dicitur timor humanus vel mundanus; quandoque autem homo propter mala quæ timet, ad Deum conuertitur, & ei inhæret: quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis conuertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor seruilis. Si autem

propter timorem culpæ, erit timor filialis: nam filiorum est timere offensam patris. Si autem propter vtrumque, est timor initialis, qui est medius inter vtrumque timorem. Vtrum autem malum culpæ possit timeri: quia timor est de malo futuro arduo, quod non potest de facili vitari, infert, 2. 2. quæst. 42. art. 3. de malo culpæ non esse per se timorem cùm humanæ subiaceat potestati, & voluntati.

Cæterum vt ad singulos timores hos descendamus, atque imprimis de naturali nostra instituatur oratio; Stoici timorem esse dicunt metum imminentis, aut appropinquantis mali; inquit Patricius Senensis lib. 5. de Regno, tit. 5. Atqui, quum teste Isidoro Hispalensi, originum lib. 5. titulo de pœnis in legibus constitutis: dupliciter malum appelletur, vnum quod homo facit; alterum quod patitur: quod facit, peccatum est, quod patitur, pœna: hanc timere, angusti, atque abiecti animi esse tradunt; solum autem peccatum rectè timeri, & hoc viri probi esse, qui mala animi tantùm formidat;

Mortéque peius flagitium timet.

Vt Lyricus cecinit Poeta; illud vulgi, quod corpori & fortunis metuit; quibus sapiens non timet, sed imminens malum tantùm declinare studet, si honestè fieri possit. Diuus Hilarius in psal. 127. *Timor, est humanæ imbecillitatis trepidatio,* inquit, *metuentis id perpeti quod sibi nolit accidere.* D. Augustinus: *Est amor fugiens quod ei aduersatur: est fuga mali, ne perdat quis quod diligit: est expectatio futuri mali.* Apud Climachum: *Timor est præmeditatum periculum contremiscens, sensus cordis de incertis euentibus, frangens, consternans, & tristans.* Alij sic, *Timor est formido animi ex malis impendentibus, proueniens.*

Terror quid

Terror est & consternatio in animo, quia sibi persuasum habet, mala ea esse, & naturæ suæ penitùs inimica & contraria, siue reipsa mala sint, siue imaginatione ipsâ, mala fingantur. Terrorem autem Stoici dicunt metum esse ex insuetæ alicuius rei imagine proficiscentem, ita Patricius Senen. lib. 5. de regno, tit. 4. & hunc inducit timor sicut & trepidationem, asserente Iacobo Clichtoueo Diui Damasceni Scholiaste, lib. 3. de fide, cap. 23. qui & illud Poetæ adducit,

Nos pauidi trepidare metu.

Fitque etiam vt mortales.

Interdum metuant grauiora pericula veris.

Psal. 13. 2.

Vnde Vates Regius psal. 13. *Trepidauerunt timore vbi non erat timor.* Prodit autem se timor pallore, obmutescentiâ, fugâ, & prece supplici.

Cur pallescant, illi qui timent.

De pallore & obmutescentiâ D. Thomas 1. 2. quæst. 44. ad 2. & 3. scribit, in timentibus oriri, ex calore cum spiritibus ad interiora contracto. Et alij, δέος, id est, *timor.* ἀπὸ τοῦ δέεσθαι, dici volunt, quod est precari & supplicare: vnde illud de superato & timente,

Vicisti, & victum victori tendere palmas
Videre Ausonij.

Primos affectus, stuporemque coniunctum expressere, Virgil. Æneid. 1. & Horat. Epodon. 7.

Obstupui steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit,
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.

Infrigidat namque timor, vti docet Galenus lib. de sequelâ potentiarum, cap. 7. & lib. 5. de accidenti & morbo, cap. 5. totidem verbis, Timor, sanguinem, calorem, atque spiritum reportat ad interiora, scilicet ad suam originem, ad cor; atque exteriora corporis refrigerantur: & rursus, qui timorem patiuntur, calorem naturalem mutant, & frigiditatem, atque tremorem sentiunt. Hinc illud Poetæ, *Tremit ossa pauore.* Est autem tremor, inquit Iustinus Martyr, responsione ad quæst. 19. à gentib. propositâ, motus corporis & spiritus naturalis, cursu & fluxione, qui in animantium omnium corpore desidet. Huiusce tremoris, atque ex timore nati palloris rationem, descripsit Macrob. lib. 7. Saturnal. cap. 11. totidem verbis: Qui metuunt, pallescunt, natura enim, cùm quid de extrinsecus contingentibus metuit, in altum tota demergitur, sicut nos quoque quum timemus, latebras & loca nos occultantia quærimus. Ergo tota descendens vt lateat, trahit secum sanguinem, quo velut curru semper vehitur. Hoc demerso, humor dilutior cuti remanet, & inde pallescit, &c. quod expressit Ouidius lib. 4. Metamorph.

Diriguere oculi, calidusque è corpore sanguis
Inductò pallore fugit.

Prosequitur Macrobius: Ideò timentes & tremunt, quia virtus animæ retrorsum fugiens, neruos relinquit, quibus tenebatur fortitudo membrorum, & inde saltu timoris agitantur. Additque timorem alium soluere vi caloris interranea petentis, quod & D. Thomas 1. 2. quæst. 44. art. 3. ad 1. Aulus Gellius Noct. Atticar. lib. 19. cap. 4. ex Aristotele in Physicis problemat. & Cælius Rodiginus lib. 20. lection. cap. 13. adnotarunt, hæc profatus: Hinc & laxamentum ventris comitatur timorem, quia musculi quibus claudebantur retrimentorum meatus, fugientis introrsum animæ virtute, destituti laxant vincula, quibus retrimenta, vsque ad digestionis opportunitatem continebantur, &c. Quod experientiâ satis compertum est, maximè verò in metuentibus prælij discrimina, vel capitis condemnationem, aut secus atque magno aliquo pauore consternatos, veluti feminas, pueros, & molliores quosdam, oculos ac faciem velare, caputque cooperire videmus. Hinc pauorem ab antiquo pauire, quod cooperire significat, vnde & pauimentum nomen accepit, quod opere tectorio, puro, vermiculato, incrustato, seu marmore stratum sit, deductum vult Patricius Senensis lib. 5. de regno. tit. 6.

Habet & latebras timor, habet sui indices, & fugam, non solùm loci & mortis, sed etiam animi, qui à vultu & facie fugiens, in corde totus occulitur, sub recursu caloris & sanguinis in inferiora sese demergentis. Obiecta eius sunt, mala, quæcunque vel animo, vel corpori, vel fortunis officere possunt. Hos autem affectus simul & latebras, satis indicauit Maronianus ille Æneidos 2. quum dixit;

Eripui, fateor, letho me, & vincula rupi,
Limosoque lacu, per noctem obscurus in vlua
Delitui.

Naturalis timor est vis contrahens.

His ita deductis, vt de naturali timore in specie loquamur, illum in hunc modum describit Diuus Damascenus lib. 3. fidei, cap. 23. *Est vis contrahens, quæ id quod est, arctissimè tenet.* vbi Clichtoueus, docet, contractionem sumi pro reluctatione contra suum contrarium, ob quam constringitur, & colligitur in vnum tota naturæ virtus, vt imminenti malo valentiùs resistat, sicut in morientibus accidit, & quemadmodum aqua minutatim in guttas sparsa, sese colligit in sphæræ figuram, vt sub eâ commodiùs conseruetur: Diuus Thomas 1. 2. quæst. 41. art. 1. in corp. contractionem hanc, transmutationem appellat.

Hoc timore animus non vultâ corpore distrahi, ob insitam ab ipso ortu cum illo familiaritatem & consuetudinem, quâ fit, vt naturaliter pertimescat, & angatur, ac mortem recuset. Côtrahitur ergo animus isto timore, quo naturaliter

liter timet nociua naturæ, siue incommoda incurrendo, siue commoda, vel desiderata amittendo.

Ouid. 1. Metam.

Sic agna lupum, sic cerua leonem
Sic aquilam fugiunt pennâ trepidante columbæ.

Et hunc quidem nostræ originis deliquium, traxit in pœnam: nam si primigenius noster, præuaricationis non contraxisset reatum, timoris expers fuisset, quo saucius ex suo facinore dixit,

Gen. 3.

Vocem tuam audiui, & timui, eò quòd nudus essem. Timore in solitudinem rapiebatur, & corpus infamiam obligatum Domino velabat, pauore affectus: inde timor pœnam habet, quæ merces culpæ est: neque tam infesta esset retributio, si non esset laboratum in scelere.

3. Meritum tamen neque demeritum habet timor hic, sed indifferens est, vt pote qui extra nostræ libertatis cancellos euagetur. Nam quis fœdum esse dicat pericula quæcunque tum corporis, tum fortunarum, tum etiam famæ pertimescere! dummodo timor is qui nostræ non est potestatis, extra ordinem per arbitrij facultatem se allicit non excurrat? Quare nihil Philosopho indignum Aristippus admisisse videtur, qui apud Ælianum lib. 9. var. histor. quum naui Corinthum vectus, procellis impetentibus, supra modum percelleretur: quærente vno è simul nauigantibus, cum etiam metu percelleretur? quemadmodum vulgus, inquit prorsus; neque iniuriâ: vobis enim de vitâ scelerosâ, infelicique labor est, & præsens periculum, mihi verò de felicitate, atque beatitudine.

Aristippus.

Dixerit ergo Seneca, stultum esse, ea timere quæ vitare non possis: fortasse quia, vt inquit D. Thomas 1. 2. quæst. 42. art. 2. in Corpore. ad hoc vt aliquis timeat, spem aliquam salutis affulgere oportet. At certè quis non meritò percellatur ingruentibus periculis, quæ natura studiosâ sui, horret experiri, nisi ipsa obstupuerit, atque insensibilis fuerit omnino? Ita tamē illa vir probus naturaliter timet, vt si eorum vim effugere nequeat, non frangatur tamen, sed patienter, & fortiter habeat. *Non ergo has affectiones habendo,* inquit D. Prosper, lib. 3. de vitâ contemplatiuâ, cap 30. *sed eis malè vtendo delinquimus, quia humanorum affectuum proprietas, hominis indicat naturam, qualitas, bonam vel malam significat voluntatem. At sic motus hi qui in hominibus affectiones sunt, ijdem ipsi in benè viuentibus virtutes, in malè viuentibus passiones sunt, siue perturbationes, aut, vt quidam volunt, ægritudines fiunt.* Et hoc naturali timore, qui in nostris visus est Dei filius, & cum hominibus conuersatus mortem exhorruisse dicitur Matth. 26.

Matt. 26.

Cœpit pauere, & tædere. In quem locum Theophilus: *Qui enim totum assumpserat hominem, assumpsit & naturales hominis proprietates, pauere, tædere, & contristari, mæstique esse*, homines namque naturaliter inuiti vadunt ad mortem: & Dominus præ timoris illius angustia, sacratissimi cruoris sui, toto corpore euaporantis aspergine maduit, vt alios huiusce timoris effectus mirabiles prætereā, quos attigit Cælius Rodiginus lib. 20. lection. cap. 15. Siquidem in vsu venire compertum est, timore præsagni etiam morbos discuti, veluti singultus, & quartanæ febris: Crœsi filius naturali impedimento mutus, repentè viso patris periculo territus, vocalis euasit, & exclamauit, *Homo ne percutias Crœsum*; quia enim, vt ait Solinus lib. de mirabilibus mundi, cap. 2. mutis interdum incitamentum vocis necessarium est, quod non solùm acuat, sed si nunquam fuerit, extorqueat: istam vocem incitauit timor, nisi mauelis effectum hunc dolori potiùs, vel iracundiæ, quàm timori tribuere, vt nempe cælius dolore vel irâ Crœsi filius, ante cædis Crœso illatæ iram & dolorem, quam certissimè futuram prævidebat, quanto valuerit calore & spiritu necem mox futuram, à patris sui ceruice, prius filius auerterit, præcipuè, cùm diximus timore obmutescentiam generari.

Quanquam enim, teste Philosopho sect. 27. problemate 3. & 9. in timentibus retrahantur spiritus ab exterioribus ad interiora, non tamen idem est motus spirituum in dolentibus aut iratis; & in timentibus: in dolore namque, natura calorem & spiritum conseruat interius, vt hoc ad nociua propulsanda vtatur, sicut scribit D. Tho. 1. 2. quæst. 44. art. 1. ad 2. ideoque Philosophus eodem problemate 3. asserit, multiplicatos spiritus & calorem, in irascentis & dolore, necesse esse per vocem emitti, vt propterea qui grauiùs irascuntur & dolent, vix sese à clamore temperare queant, prorumpente spirituū motu ab inferioribus ad superiora, propter quod spiritus & calor circa cor conueniunt. Contrà fit in timore, propter algorem namque condensantem, ex imaginatione defectus virtutis ortum, concitantur spiritus, & calor à corde, siuè à superioribus ad inferiora, mouetur scilicet ad nutritiuam, ideoque formationi vocis aduersatur timor; quæ fit per emissionem spirituum ad superiora, per os, sicut ante diximus.

Et hic sanè timor tam necessarius est homini, in hoc rerum statu constituto, quàm iracundia, cuius ipse timor est passio; vti docet D. Thomas 1. 2. quæst. 41. art. 2. ad 3. Quamuis enim timor & iracundia aduersa videantur, sicut nostro corpori frigus & æstus, vt inquit D. Ambrosius libro de arcâ & Noë, cap. 20. quia tamen anima in corpore est, necessitate naturæ, & iracundiam habet & timorem: & ideò, inquit, D. Ambros. *Mens sapientis moderamina ista dispensat, ne iram & timorem permisceat, & fiat confusio quædam animo illius, atque diluuium.* Et quomodo dispensat? Suppositâ nimirum naturâ, alio timore, iracundiæ ardores temperando, algificā verò timoris naturam, iracundiæ flammis accendendo: *In timore namque tanquam in frigore, potest esse illuminans virtus*, inquit D. Ambros. *vt si, verbi gratiâ, persecutor insistat, plus Deum timeas; & perpetua magis supplicia, quàm præsentia putes esse vitanda, quæ dum times, accendaris ad gloriam perfidiæ iratus, & sceleri: rursus iracundiā succensus, diuino commotionem timore modereris.*

Iracundia & timor homini sunt necessaria.

Capitis 50. §. 3.

De mundano timore, siue humano.

1. Timor mundanus & humanus, idē.

A Naturali timore, vt ad morales descendamus: quanquam nonnulli de mundano timore, tanquam si ab humano distinctus sit, agant, quòd diuersa sint vtriusque timoris obiecta quæ timentur, vnde & peccatorum diuersitas secundum speciem petenda sit; Quia tamen in vtroque eadem est auersionis ratio, pro eodem vterque habetur, teste D. Tho. 2. 2. quæst. 19. art. 2. ad 5. Humanum itaque appellabis eum, qui ex nimio præsentis vitæ amore nascitur, ratione cuius plus debito metuens quispiā suo corpori, ne ve boni alicuius temporalis iacturam patiatur, ne sanitatis, membrorum aut etiam corporis detrimento afficiatur, sese lethali obstringere crimine non veretur: ita D. Anselmus Enarrat. in cap. 5. Matth. *Timores, inquit, quatuor sunt, duo terreni, & duo diuini. Vnus est quando homines timemus, ne nobis nostra auferant, & ideò peccamus; vel quotiescunque propter aliquem timorem peccamus, ne viles simus, ne derideamur, sicut quidam* de

de sectatores efficimur, quod prohibet Dominus dicens, *nolite timere eos qui occidunt corpus.* Sunt enim quædam, inquit Philosophus 3. Ethic. cap. 1. ad quæ quis nullo timore cogi debet, quia peius est homini talia committere, quàm pœnas alias qualcunque sustinere. Hoc timore perculsus Aaron, insanienti popello, vitulum adorandum côcessit: & D. Petrus se Christum nosse negauit. Hunc quoque timorem mundanum appellaueris, qui est, quum quis nimio percutitur timore amittendi mundana, & hic ab amore mundano fluit, Mundanus autem amor dicitur, inquit D. Tho. 2.2. quæst. 19. art. 3. in corp. *quo quis innititur mundo tanquam fini, & sic amor mundanus semper est malus,* ex quo tanquam à radice virulentâ pullulat iste timor.

Aaron & D. Petrus timore mundano correpti, peccarunt.

Quo timore comprehensus Adam, ne vxori displiceret suæ, Dominicum præceptum nauci fecit. Ioab contra Domini mandatum, populum recensuit: Dauid Vriæ mortê est machinatus. Iudices, Iesabilis metu, innocentem Naboth morti addixerunt. Saul metu displicendi Samueli, néve vituperiû populi incurreret, factus est pœnitentiæ simulator, dicens, *Peccaui, sed nunc honora me coram populo.* Auari diuitiarum suarum versuram metuentes, isto timore cruciantur, quia, vt inquit D. August. *Diuitiæ plus cruciant adeptæ timore amissionis, quàm concupitæ ardore adeptionis.* Darius rex Daniel. 6. hoc timore ductus, ne regni sui Principes & satrapas offenderet, néve suam legem infringere videretur, misit Danielem in lacum leonum, quem innocentem, amicum, & reipublicæ vtilissimum sciebat. Iudæi quoque hoc arrepti timore, Christum gloriæ Dominum crucifixerunt. Pilatus innocentem damnauit, qui cùm esset iudex, *nec inuidiæ cadere debuit,* inquit D. Ambros. in cap. 23. Lucæ, *nec timori, vt sanguinem innocentem addiceret.* His accedunt illi, quos editiore loco positos, turbo percellere non potest, ob idque nihil ad se attinere calamitatem, nihil proborum oppressionem, interpretantur, quam aut nullorum improbitas pagatim grassantium, aut malus calumniantium liuor, & praui iudicis sententia, principésque funestus inuehit, veriti potentiorum offensionem.

Adam quoque Ioab. Dauid. Iudices Naboth. Saul. & Darius.

1. Reg. 15.

Quotus enim quisque, publicâ vice, aut certè priuatæ alicuius offensionis indignitate, commoueri, aut etiam in huiusmodi cladibus permoueri visus est, eorum quidem, qui apud principem populo adesse & possunt. & debent? Imò verò plerosque contrà videas, quibus si quispiam vir probus calamitates & ærumnas, quibus populi inopia iam iam cessura videtur, aliaque huiusmodi portenta, ad Principem, & sanctius eius consilium deferenda monuerit: hactenus publicâ vice commotos esse vt respondeant, non sibi id negotium esse, vt afflictæ plebeculæ illacrymando aut iniuriam passorum miserescendo, periculum, etsi fortasse non sibimetipsis, at certè fortunis suis creatum eant, & tanquam popularibus ærumnis, piacularem fortunam suam subdant, publicæ aut priuatæ calamitatis alicuius succidaneam. Huiusmodi namque nuncios non esse festiuos principibus, atque sibi aliquando potentiorum offensionem comparare. Itáne ergo humano consternatus pauore, necessarium omittes bonum? amplius tibi ab homine, quàm à Deo metues? grauissima sunt detrimenta, quorum hic timor est genitor, si à te, si à Deo, propter mala quæ times recesseris: inque tuum torquetur caput, quod Ioannis 12. legimus. *Multi Principes crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne extra Synagogas eijcerentur. Dilexerunt enim gratiam hominum magis, quàm gloriam Dei.*

Principum assentatores Publica vice non mouentur.

Ioan. 12.

Ab hoc timore deterret Dominus Ierem. 1. *Ne timeas à facie eorum,* Luc. 12. *nolite timere pusillus grex:* Circa quæ verba D. Ambros. lib. 7. in Lucam, *Pulchrè addidit, animæ tantùm formidabile esse supplicium, pœnam corporis non esse metuendam. Mors enim naturæ finis, nõ pœna est. Et ideò mortem supplicij corporalis esse defectum, pœnam verò animæ esse perpetuam, eóque Deum solum esse metuendum.* Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in Iehennam.* Quam Domini sententiam expendens D. Augustinus lib. de Gratiâ & lib. arbitrio cap. 18, inquit, *Hoc dixit, ne isto timore negaremus eum, quo turbatus est Petrus, quum scilicet ei Dominum negauit.* Præclarè quoque hoc timore D. Ambros. in caput 8. Apocalyps. *Sunt alij timores valde pessimi. Sunt namque nonnulli qui timore pœnarum sæpè in fletibus compunguntur, sed quia timent asperitatem viæ illius quæ ducit ad vitam, vitia deserere, rigorémque vitæ bonæ apprehendere trepidant. Sunt etiam multi, quibus dedit Deus scientiam legum temporalem, qui in iudicijs positi, dum vident quosdam à potentioribus iniustè opprimi, plus timent iras hominum, quàm iram Dei, eos quos per doctrinam quam acceperant iuuare poterant, & à periculo liberare, tacendo in magnum damnum sinunt deuenire. Sunt alij, qui non solùm non eos iuuant, sed propter timorem hominum, sententiam damnationis in eos proferunt. Est & timor quem auaritia parit, aliique timores valde pessimi.* Ecce ad quæ mortalium animos, plus æquo speciei mundanæ addictos, impellit timor mundanus: ius fasque omne peruertit, à virtutis officio auocat, immania suadet & persuadet. diuinarum sanctionum negligens, non modò eas contemnit, sed etiam it contrà intrepidè, susque deque habet amicitiam Dei, captus & irretitus vinculis amicitiæ mundi à quâ dimanat, vt proinde semper malus sit hic timor, cuius quanta sit peruersitas intelligeds D. Gregor. Nazian. Orat. 1. de pace, inquit, *Nihil perinde timendum est, quàm vt ne quid magis quàm Deum timeamus, ob eamque caussam, fidei, veritatisque cuius serui sumus doctrinam perfidè deseramus.*

2. Ierem. 1. Luc. 12.

Matth. 10.

Neque tamen idcircò semper malus, quòd per se malum sit, ignominiæ metu, dedecoris, infamiæ, suppliciorum, vinculorum, mortis, amissionis bonorum, à malo absistere, quemadmodum aduertit Azorius Institutionum moralium lib. 9. cap. 2. sed quòd quis horum malorum metu concussus perperam faciat, in vitio est, & culpâ: fit enim maiorum malorum patrator, vt minora effugiat, culpam contrahit, ne dedecoris & infamiæ labe aspergatur: peccato se inquinat, quod summum malum est, à summo summè auertens bono, ne ignominiam, aut fortunarum suarum iacturam quod minimum est, sustinere compellatur, fit offensus Deo, ne sit offensus homini: *Qui autem timet hominem, citò corruet.* Prouerb. 29. Alioquin enim, seruorum quoque hic timor est, non mundanorum proprius: iustorum itidem communis est quos percelli etiam istorum metu, probrosum non est.

Timor mundanus non semper malus.

Prouerb. 29.

Capitis 50. § 4.

De timore seruili.

ALter est seruilis timor, quo quis metu gehennæ à peccato deterretur, instar seruorum, qui metu verberum ac pœnæ formidine, non audêt perperam facere. De quo D. Anselmus suprà: *Est & alius timor qui vocatur seruilis, quando pœnam timemus, & ideò non peccamus, & tamen voluntatem peccandi non amittimus: sic Iudæi pro solâ formidine à malo abstinebant, nec aliquam dilectionem in bono faciêdo habebant nec Deum diligebant.* Et hic quoque timor malus est, non ex suâ naturâ, sed ex serui-

1. Seruilis timor quis sit.

[l]itate, quæ quia libertati opponitur, libertas autem sit in caritate, tanquam indiuidua comes filiorum Dei, qui ex illa seruilitate operatur, non sui caussâ, sed quasi motus ab extrinseco operatur, vt ait D. Tho. 2.2. quæst. 19. art. 4 in corp. vbi quicunque ex amore operatur, quasi ex seipso operatur, cùm ex propriâ inclinatione, ad operandum moueatur. Quare timor hic seruilis, inquantum seruilis est, caritati quæ libertatis genitrix est, aduersatur. Proindeque nisi essent supplicia, carceres, cruciatus, tormenta, quæ timerentur, seruilis animus à prauo facinore non deterreretur, quia ad omnem iam prompta nequitiam, procliuior solutiorque ad suas libidines fieret, quum vindictam nullam esse quæ timeretur, cogitaret. Timor enim seruilis comprimit manum, sed non adfectum, & liberet adhuc peccare, si liceret impunè. Hinc Olympiodorus in Ecclesiasten cap. 3. *Si carnem à fornicatione compescamus supplicij metu, non caritate iubentis, quis dubitet quin sublato iudicij pænarumque terrore, in fœdas libidines prolapsuri simus, quum stupri desiderium in pectore habeamus? Quod & de cæteris flagitijs, quæ lege prohibentur, intelligendum est.* Hinc D. Gregotius in Pastorali parte 3. admonitione 14. *Si adhuc à praua actione, formidata pœna prohibet, profectò formidantis animum nulla libertas tenet: nam si pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quam ligat seruitus timoris. Bona enim pro seipsis amanda sunt, & non pœnis compescentibus exequenda. Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, vt audacter illicita committat. Vnde luce clariùs constat, quod coram Deo innocentia amittitur, ante cuius oculos desiderio peccatur.*

In quam rem facit quod habet D. Prosper sententia 117. *Eam Deus innocentiam probat, quâ homo, non metu pœnæ fit innocens, sed amore iustitiæ, nam qui timore non peccat, quamuis non noceat cui vult nocere, sibi tamen plurimum nocet, vt abstinens ab iniquo opere, solâ tamen reus est voluntate.* Et sententia 257. *Mandatum Dei si timore fit pœnæ, non amore iustitiæ, seruiliter fit, non liberaliter, & ideò nec fit, non enim bonus fructus est, qui de caritatis radice non procedit.* Diuus quoque Augustinus damnat istum timorem, tanquam inutilem & noxium, quum ait, *Timor seruilis pædagogus præcessit in me, qui ad casum ducit, sed carnē nō crucifigit, quia viuit peccandi voluntas, sequereturque opus, ni timeretur pœnalitas. Sic & bona hoc timore facta, coram Deo non reputantur bona, nec æternæ vitæ meritoria. Vnde quum timore pœnæ, non amore iustitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde quod videtur fieri in opere, quando homo mallet non facere, si posset impune.* Quod vitium vulgi est, vt inquit Aristoteles lib. 10. Ethicor. cap. vltimo. *Non enim vulgus ita natum est*, inquit, *vt pudori obsernatur, sed vt metui, nec vt abstineat à prauis ob turpitudinem, sed ob supplicia & pœnas*: ita enim, vt infit Horatius lib. 1. epistolar. ad Quinctium:

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Tu nihil admittas in te formidine pœnæ.

Nam quem pœnæ timor à peccato deterret, is non ipsam peccati faciem, hoc est, turpitudinem spectat, sed veluti caudam effectumque, quum tamen moneat Ecclesiast. cap. 21. *quasi à facie colubri fugere peccata.* Et ne qua fortè spes præmij huic timori quasi de peccatis triumphanti, relicta videatur, ait rursum D. August. *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui timore non peccat, quia si non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas, intus est hostis: & ideò non facit quod non licet, fieri, quia non potest impunè fieri, & vellet non esse iustitiam punientem, & eam, si posset, auferret. Inimicus igitur iustitiæ est, qui timore pœnæ non peccat, amicus autem erit si eius amore non peccet. In illo viuit peccādi voluntas, & sequeretur opus si sequeretur impunitas: peccare non vult caritas, etiamsi sequeretur impunitas.* Præclarè hanc in sententiam Peregrinus Philosophus ab Aulo Gellio Noct. Atticar. lib. 12. capite 11. relatus dixit, virum quidem sapientem non peccaturum esse, etiamsi peccasse eum Dij atque homines, ignoraturi forent nō enim pœnæ aut infamiæ metu, nō esse peccandū censebat, sed iusti honestique studio, & officio: hominis autem officium est, ad rationis libellam, quæ diuinæ mentis quædam portio est, omnes actiones suas dirigere. *Satis enim nobis*, inquit Cicero lib. 3. Officior. *Si modò in Philosophiâ aliquid profecimus persuasum esse debet; si omnes Deos, hominesque celare possimus, nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum.* Hinc Gygis anulum si sapiens habeat, cuius ille palam quum ad palmam conuerterat, à nullo videbatur, ipse autem videbat omnia: idem rursus videbatur, quum in locum annulum inuerterat: eaque anuli opportunitate vsus, reginæ stuprum intulit, regem Dominum interemit, sustulit quos obstare arbitrabatur; nec in his facinoribus, eam quisquam videre potuit: si, inquam, sapiens, vim huius annuli habeat, nil plus sibi licere putet peccare, quàm si non haberet: honesta enim bonis viris, non occulta quæruntur, inquit Tullius. Facinorosos autem se esse fateantur, qui impunitate propositâ, aliquid diuitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis caussâ fecerint, si id Dis, hominibusque futurum sit semper ignotum.

Eccl. 21.

2. Seruilis timor excludit caritaté.

Neque enim vacare culpa is potest, qui suppliciorum terrore pauescens, seruiliter operatur, quandoquidem is timor, nihil commune cum caritate habeat: quantumuis namque ad iustitiam compositus videatur, iniustus est tamen, quoniam peccandi seruatâ in præcordijs cupidine, solùm non peccat, ne formidata supplicia sustineat, procliuiùs aliàs peccaturus, si admissi flagitij speraret impunitatem. Ideoque non absimilis lupo esse videtur, qui latratibus canum, & millis territus, ouibus nihil nocet, ab ouili tamen, sicut lupus venerat, lupus recedit, id quod carmine illustrauit Iacob. Billiusl Anthol. sacræ lib. 1. 83.

Clamores lupus horrescens hominumque canumque
Cogitur in celerem se dare sæpe fugam.
At licet innocuo non dentem infigat ouili:
Vt venit ipse tamen, sic abit inde lupus.
Huic similis planè est, metuens qui tartara solùm,
Crimina, non recti ductus amore, fugit.
Iunctam etenim querulo cum murmure, cumque timore
Obsequium, magno displicet vsque Deo.

Eapropter D. Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli, inquit, *Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit. Terrore ingenti armorum atque telorum, & circundantis forsitan multitudinis, vel obuiam euntis, etiam leo reuocatur à prædâ, & tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit, non malitiam posuit.* Ita innocentior non est, qui timore pœnæ, per effectum alteri non nocet, cùm sibi plurimum noceat per malam cupiditatem. Vnde D. Gregor. lib. 1. moral. cap. 21. *Qui ex timore bona agit, à malo penitus non recessit, quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si peccare inultè potuisset.* Et hunc peccandi metum, non humilitatis, sed superbiæ fructum esse docens, ait, lib, 4. Moral. cap. 25. *Quum ex peccato præsens pœna metuitur, et amissa Dei facies non amatur, timor ex timore est, non ex humilitate. Superbit quippe, qui peccatum, si liceret non puniri non deserit.* Quod satis in Antiocho testatum habemus 2. Machab. 9. qui quum dico viscerum dolore, grauique corporis collisione, quam ex casu contraxerat, torque-

quere-

quereretur, vltrices scelerum suorum sentiens Numinis manus, *cepit ex graui superbiâ deductus, ad agnitionem sui venire*, sed non ad salutem, quia pessimè percussus, solius pœnæ metu mouebatur vt pœniteret, & oraret scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.

2. Machab. 9.

Porrò autem, iste timor, quo nocentes pœnam formidant, quum nunquam absque animi perturbatione sit, suam quoque pœnam habet, 1. Ioan. 4. quia dilectionis meritum non habet, inquit D. Hieronymus in Iob. 18. nunquam non percellit animum nocentis: quia

1. Ioan. 4.

Timere verò semper, est semper pati,

inquit D. Gregor. Nazianzenus, Iambico 18. nunquam non sceleratam mentem dilaniat, nequitiæ tortor & testis: furor est, & nocentis, conscientiæ vermis, qui rodit quotidie, atque vrit malam mentem. Quemadmodum enim caries, ærugines, atque vermiculi, ligno quantumlibet duro infesti sunt, vt denique ignis obuia quæque rapit, sic animum infestus timor dilaniat, internæ vrunt furiæ, & tanquam tempestuosum mare exagitant. Quod egregiè M. Tullius contra Pisonem disseruit: Nolite, inquit, putare PP. C. vt in scena videtis homines consceleratos, impulsu Deorum terreri, furiarum tædis ardentibus agitari, sua quæque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de sanitate & mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Quare quum animus auaritiâ feruet vindictæ cupiditate accenditur, irâ inflammatur, inuidiâ tabescit, libidine vritur, mœrore contrahitur, in intimis præcordijs horrêtibus phantasmatis, dæmonibus noxijs, terroribus, & aduersis Manibus concutitur, agitatur, torquetur. De quo apud Maronem queruntur miseri, *quisque suos patimur manes*. Isti sunt consciæ mentis malæ stimuli, qui ad omnia trepidantem animam miserrimè confodiunt, atque dilaniant: & tantò immaniùs, quantò sæuior, longeque atrocior est animæ quàm corporis cruciatus, & tortura, quam sustinere compelluntur, qui reæ conscientiæ morsibus lacerati, nunquam sunt sine timore, nunquam non sibi videntur exitio quod merentur, excipi: quod eleganter prosecutus est D. Greg. Nazian. orat. 4. in Iulian. *Quæ quisque, vt iam tam perpessurum timet, hæc passus est, etiamsi non patiatur, grauiusque à seipso fortassis, quàm ab ijs qui supplicium illaturi sunt, torquetur.* Significauit Dionysius aulæ Siculæ inclemêtissimus incubator, qui (vt totidem verbis refert Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 10.) familiari quondam suo, solam beatam existimanti vitam Tyranni, volens ostendere, quàm perpetuo metu misera, quamque impendentium semper periculorum plena esset, gladium vaginâ raptum, & à capulo de filo tenui pendentem, mucrone demisso, iussit familiaris illius capiti, inter epulas, imminere. Cumque ille & Siculas & tyrannicas copias, præsentis mortis periculo, aspernaretur: Talis est, inquit Dionysius, vita, quam beatam putabas, sic nobis semper mortem imminentem videmus: existima ergo, quando felix esse poterit, qui timere non desinit: hæc ille. Quod ipsum interrogationis schemate sic expressit Persius, quo audientis animum acriùs permoueret.

Dionysius Siculus.

Anne magis Siculi gemuerunt æra iuuenci,
Aut magis auratis pendens laquearibus ensis,
Purpureas subter ceruices terruit?

Quid enim acerbiùs (quemadmodum in Helenæ laudatione Isocrates loquitur) quàm in perpetuo viuere metu, ne à proximo quoque iuguleris, & custodes non minùs formidare, quàm insidiatores? Omnino sanè meticulosus est animus qui se flagitio nouerit obnoxium, & meritò: namque vt idem in Archidamo inquit, *metuere sibi debent, non iuris sui defensores, sed iniurij homines & insolentes.* Ideo Isa. 57. *Impij quasi mare feruens quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus.* Et Prouerb. 28. *fugit impius nemine persequente*, vmbra propria ipsi lictor est. In intimo namque animi recessu, gerit vnde stimuletur & metuat, vnde Pelignus Poeta;

Isa. 57.

Isa. 48.

Prouerb. 28.

Sic timet insidias, qui se scit ferre viator
Quod timeat: tutum carpit inanis iter.

Et cùm mala mens sæpè læta sit, secura nunquam, quid enim securitatis spondeat cor vndabundum, tot efferuescens procellis, quot vitiorum monstris agitatur? Nunquam tot latratibus Scylla aut Charybdis inhorruit, quot terrorum aculeis diuexatur, discerpitur, excarnificatur mens conscia perfidiæ. Nihil enim, teste Fabio, tam occupatum, tam multiforme, tam inquietum, tot denique ac tam varijs affectibus concisum ac laceratum, quàm mala mens, adeò vt nec valetudini, nec honestis vllis artibus vacare, aut liceat, aut libeat. Quæ enim ijs esse possit tranquillitas, quæ securitas, quæ constantia,

quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum, quatiente animo tortore, flagellum?
Pœna etenim vehemens, ac multò sæuior illis
Quas vel Cæditius grauis inuenit, aut Radamanthus,
Nocte, dieque suum gestare in pectore testem.

Quemadmodum cecinit Iuuenalis Satyra 14. relatus à Leuino Lemnio lib. 1. de occultis naturæ miraculis, cap. 12. Quò spectat illud D. Gregorij lib. 12. Moral. cap. 21. *Peccator testem nequitiæ suæ intus habet timorem, & quamuis praua videatur fortis audacter agere, de his tamen apud semetipsum cogitur trepidare, vnde scriptum est Sapien. 17. cùm enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi, quia quum illicita quisquis perpetrat, pauet quod facit, & apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis, quia & timetur quod agitur, & tamen malum non vincitur quod timetur.* Detestanda, atque penitùs à mortalium animis eliminanda seruilitas, ex quâ seruus, nisi cum desperatione & odio, hostili quoque sibi timore, Deum timet, quo angitur, laniatur, & omnia habet suspecta.

Sap. 17.

Timor seruilis vt bonus sit.

Quod si, non iam seruilitatem, sed huiusce timoris naturam spectemus quam ex obiecto sortitur, si cruciatus, si infernum, si supplicia, propter quæ vitanda, peccandi licentiam quis coërcet, & bonum quod facit, non timore amittendi bonum quod non amat, sed timore patiendi malum quod formidat, facit; sicut D. Bernardus inquit, quod propriè seruorum est: eiusmodi timor seruilis, non est habendus vitio, teste D. Tho. 2. 2. quæst. 19. art. 4. quem alioqui obiecti ratio malum reddit, non solùm ex parte subiecti, quatenus serui pœnam timent, sed etiam ex parte ipsius obiecti, quatenus pœnarum metu quas perhorrescunt, numinis offensam & indignationem eligunt potiùs, quàm iis subdi, atque subijci. Ecquis namque iustum flagitio obstrictum dicet, si gehennæ & suppliciorum metu in officio se contineat? E naturâ quippe mortalium est, aduersa & inimica naturæ pertimescere: nihil autem tam inimicum, tam naturæ aduersum, quàm cruciatus & tormenta, quæ in indiuidui conspirant interitum. Itaque *Bonus est ille seruilis timor*, inquit D. Bernard. lib. de modo bene viuendi, serm. 4. de timore. *Et vtilis, sed insufficiens, & imperfectus, per quem crescit paulatim consuetudo iustitiæ:* nam & Deum timet,

3. Timor seruilis sublatâ seruilitate, non est malus.

timet, & ad peccati detestationem disponit, animumque erigit ad summum & incommutabile bonum. Ideoque Tridentinum ss. 6. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Et sessione. 14. *Hoc enim timore utiliter concussi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.* Est namque timor ille à Spiritu sancto, D. Thomâ dogmatizante, 2. 2. quæst. 19. art. 9. & 10. ad 1. quanquam non cum Spiritu sancto: disponit ad gratiam, sed insufficiens est ad veniam. Et quemadmodum aurora à Sole est, non tamen cum sole quem inducit, cui cedit: ita seruilis ille timor, præit caritati, quam adducit, licet non vsquequaque perfectam, cui crescenti cedit, quâ formatâ pellitur, quia perfecta caritas, foras mittit timorem. D. Bernard. supra: *In corde hominis primus venit timor, & quare venit? vt locum caritati præparet: quantò autem magis caritas cœperit habitare in corde hominis, tantò minor est ibi timor:* & mox exemplo setæ filum introducentis, neque tamen cum eo in futurâ permanentis, quo vsus est D. August. tractatu 9. in 1. Ioan. 4. amplius declarat: *Sæpè videmus*, inquit, *per setam introduci linum: quando aliquid suitur, prius intrat seta, & post setam intrat linum: sic timor prius intrat in mentem hominis, & post timorem caritas: ideò intrat timor, vt introducat caritatem, & postquam intrat caritas, foras mittit timorem:* non secus atque succrescente luce, discutiuntur tenebræ. Ideoque necessarius planè est hic timor: quia, vt inquit D. August. ibi. *si nullus timor, non est quà intret caritas:* sic seta prius intrat, & nisi exeat, non succedit linum. Et quemadmodum, ad introductionem ignis prærequiritur materia in quam introducatur: ita ad caritatis inductionem timor, qui est materia quam corripit caritatis flamma, vrit & consumit: Eccl. 34. *Timentis Dominum beata est anima eius.* Quare beata? quare beatus vir qui timet Dominum? Quia ex illo timore, in cellam vinariam caritatis inducitur, quæ hominem beatum facit, secundum illud, Timor Domini initium dilectionis illius, Eccl. 25. fugat peccati tenebras, vt aurora noctem. Exod. 20. *Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.*

Eccl. 34. & 25.

Exod. 20.

Facit sanè ad salutis nostræ commoda magnopere hic timor; quod non dissimulauerunt Patres, Diuus Athanasius ex Diuo Antonio, in eius vitâ, *Formido iudicij*, inquit, *& pœnarum timor horridus, simul & lubrica carnis incentiua dissoluit, & ruentem animam quasi ex aliquâ rupe sustentat.* Luculenter & copiose Diuus Basilius serm. 9. in ps. 33. *Timor salutaris, & timor sanctificationem faciens, qualis sit, vis exponam? Quum ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud, & non ferendum Christi iudicium, in quo præsidet quidem iudex in alto at elato throno, adstat autem omnis creatura tremens, ob gloriosum ipsius conspectum: adducemur autem singuli ad perscrutationem vitæ nostræ sigillatim faciendæ. Deinde & qui multa mala in vitâ perpetrauit, horrendi quidam & tristes adstant Angeli igneam faciem præseferentes, ignem spirantes propter propositi amarulentiam, nocti vultu similes propter mœrorem & hominum odium. Deinde barathrum est profundum, & tenebræ impenetrabiles, & ignis non splendens in tenebris, vstoriam quidem vim habens, luce verò priuatus. Deinde vermium quoddam genus venenū iaculans, ac carnivorum inexplebiliter edens, & nunquam saturitatem sentiens, intolerabiles dolores per corrosionem inducens. Postremùm, supplicium grauissimum, opprobrium illud & confusio æterna. Hæc time, & hoc timore eruditus, animam à concupiscentiâ, ad hæc mala, velut fræno quodam, retine.* Hunc timorem Nazian-gogicum laudabilem prædicat D. Nazian. Orat. in Sancta lumina. *Verendum nobis est*, inquit, *ne vt Centurio ille medicinam ita expetamus, vt tamen laudabili timore perterriti, medicum in ædes nostras non admittamus.* Hoc metu, Domini præcursor Matt. 3. peccatores percellebat, vt ipsos à venturâ irâ fugere doceret, & ad veram pœnitentiam, quæ per Christum est hoc timore initiatos, aduolare. Hoc timore sanamur, & ad quæuis aduersa fortiter perferenda, & martyrium accendimur, sicut infit D. Cyprian. tractatu de laude Martyrij. *Nos ad hunc gloriæ* (Martirij) *titulum, metus excitet futurorum. Etenim quibus magna promissa sunt, magis magna sunt, quæ metuenda ipsis videantur;* & mox. *Sæuiens locus, cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure & gemitu, & exestuantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæua semper incendia camini fumantis exspirat, globus ignium arctatus obstruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur.* Hoc timore in fortunarum, atque ipsius vitæ contemptum adducimur.

Lex & legislator hoc timore significantur.

Ille est timor, de quo Apostolus ad Romanos 8. *Nō accepistis iterū spiritū seruitutis in timore, sed accepistis spiritū adoptionis filiorū Dei, in quo clamamus Abba Pater.* Vbi Theodoretus. *Spiritum seruitutis non vocat Sanctum Spiritum, sed legis impositionem, quæ ipsa etiam facta est per Spiritum sanctum.* Et 2. ad Timoth. 1. *Non dedit nobis Dominus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis, & sobrietatis.* Vbi lex, Spiritus timoris nomine compellatur, quòd in lege veteri, timore legis comminantis, & punientis Dei, potiùs quàm amore iusti & æqui, tanquam à seruis coleretur Deus, atque mandatis eius obtemperaretur. At modò per gratiam mediatoris & hominum Christi Iesu, excusso legis seruilis iugo, in sortem filiorum translati, Spiritum dilectionis consequimur, quo diuinum Numen, non sicut seruitia flagellantem Dominum, sed sicut filij optimum & indulgentissimum Patrem timentes, nihil committamus, vnde rursus ad seruitiū detrusi, verbera metuamus: *Non enim accepistis Spiritum seruitutis in timore*: in quæ verba D. Ambrosius: Hoc dicit, inquit, *quia accepto Spiritu sancto, à timore malorum actuum eruti sumus, vt de cætero, nihil tale agamus, vnde iterum timeamus. Antè enim sub timore eramus, quia lege datâ, omnes rei sunt constituti. Spiritum ergo timoris, legem dixit; quia homines peccati causâ in timore constituit.*

Rom. 8.

2. Timoth. 1.

Neque verò, lex solùm, sed etiam Legislator ipse, Timor appellatur: & multò fortasse magis timor, aut terror dicendus videtur, quàm lex; quòd & terrificio legis, auctor sit, & magistratum gerens, quæ comminatur lex in delinquentes, exequatur. Quare, quod legimus Psal. 9. *Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines sunt*, quibus verbis precatur Dauid hostium suorum audaciam comprimi, reddit D. Hieronymus *pone timorem*, siue *terrorem*, vt idem esse censeatur, lex & legislator, quod terror, aut timor.

Psal. 9.

Hac lege, hoc legislatore, hoc terrore concussi, pœnæ potiùs, & vindictæ declinandæ gratiâ, quàm numinis amore, manus innoxias seruabant Isacidæ: ast modò, quando, vti inquit D. Ambros. epistolar. lib. 5. epist. 20. *timor legis est caritas euangelij, timor ille seruilis transformatur in charitatem*, quæ timore decrescente, crescit, & vice versâ: Crescit, inquam, non tamen in hoc rerum statu, vsque ad expulsum omnis timoris, veruntamen supra omnem timorem legis, quemadmodum disserit Diuus Augustinus lib. 1. de Moribus Ecclesiæ cap. 28. quum infit. *Disciplina quæ animi medicina est, in duo distribuitur, coërcitionem*

citionem & instructionem: Coërcitio, timore; instructio verò, amore perficitur, eius dico cui per disciplinam subuenitur: nam qui subuenit, nihil horum durum habet, nisi amare. In his duobus Deus in vtroque testamento nobis disciplinæ dedit regulam: & quanquam vtrumque in vtroque sit, prævalet in vetere timor, in nouo amor, quia ibi seruitus, hic libertas ab Apostolis prædicatur. Quia enim rudis ille populus coërcitione magis quàm instructione in officio contineri debuit, legis seruitute ipsum premi oportuit, vt qui soliùs temporalis boni mercenario moueretur amore, eiusdem amittendi, aut grauius quidpiam patiendi concuteretur formidine. Nunc autem translatione legis factâ, vocati in libertatem & adoptionem filiorum Dei, rapimur ad immortalia, quæ nouissima lex pollicetur: & amore rapimur; ideò lex amoris vocatur & caritatis, qui Deus ipse est, & formatur in nobis ex timore, donec foras missâ omni formidine, euadamus vnus spiritus cum eo.

Capitis 50. §. 5.

Timorem seruilem, esse basim, fundamentum, initium sapientiæ, &c.

1. Prouerb. 1. & ps. 13.

PRopterea que de hoc seruili timore dictum interpretantur Patres illud Prouerb. 1. & ps. 13. *Initium sapientiæ timor Domini*, de quo in capitis huius principio, *quia tunc primò Deus animæ sapit*, inquit D. Bernardus, *quum eam ad timendum afficit, non ad sciendum instruit.* D. Hieron. in 1. cap. Prouerb. *Timor seruilis, principium sapientiæ est, quia quisquis post errorem delictorum sapere incipit, primò timore diuino corripitur, ne ad tormentum ducatur, sed hunc timorem perfecta dilectio foras mittit.* Quemadmodum enim teste Tertulliano lib. de pœnitentiâ plerique naufragio liberati, exinde repudium & mari, & naui dicunt, & Dei beneficium, salutem scilicet suam, memoriâ periculi honorant, ita damnationi peccati, per considerantiam, subducti, bonâ sollicitudine iterum se experiri vetant, quod semel didicerunt timere, & bono timore nauim animæ suæ, nouis mercibus salutis onerantes, velut anchorâ firmant, ne nouis cupiditatum suarum fluctibus abrepti, exinde in vitiorum pelagus referantur, scopulis allidantur, & pereant. D. Gregorius, *Anchora mentis est pondus timoris, hominem fortem ad obediendum, & promptum reddit.* Diuus Bernard. *Timor Domini omnium virtutum plenitudinem operatur, dum per iustitiam defert maiori, per prudentiam non credit se sibi, per temperantiam refugit aliena discutere, per fortitudinem se totum obedientiæ subdit, non discernendæ, sed adimplendæ.* Velut enim alta, vorax flamma, rapit, deprimit, & vertit in cineres, sic spiritus timoris per humilitatis virtutem quam inducit, elatum cor humiliat, in fide solidat, atque ita, omnibus se subiicit. Beda quoque. *Sapientiæ initium dicitur seruilis timor; consummatio verò & corona, filialis alter timor, qui à caritate non differt*, quia. vt inquit, D. Ambros. in cap. 1. epist. ad Roman. *Prima sapientiæ pars hæc est, timere Deum Patrem ex quo sunt omnia, & Dominum Iesum filium eius, per quem sunt omnia.* Hinc est, quòd hic timor, basis quædam & fundamentum, & radix sapientiæ appelletur: clauis quoque qua cor aperitur, & ianitor cordis, fons vitæ, pædagogus, rudimentarius, eruditor, custosque virtutum, thesaurus, semen, nauclerus.

2.

Basis est, quia virtutum ædificio subiicitur, siue potius arcui ædificando, velut enim Architectus testudinem aut fornicem ædificaturus, formam illius ligneam supponit, donec testudo benè cæmentata indurverit, quâ permanente, tum demum formam illam destituit: ad eundem modum timor tanquam basis, seu forma quædam supponitur caritati, quæ vbi consummata fuerit, foras mittit timorem.

Fundamentum est salutis: ita Tertull. de cultu mulierum: Nicetas quoque orat. 30. Nazianzeni: *In timore diuino*, inquit, *sapientiam tibi compara, vt enim fundamentum, Domus principium est, & nauis carina, sic etiam principium sapientiæ timor Domini.* Frustra es, si domum, aut murum quempiam aduersus aëris intemperiem exexeris, nullo substrato fundamento: ita sine timore Domini, nihil firmum, nihil stabile, nihil inconcussum, aduersus nocturnos timores, & salutis nostræ hostes, esse potest. *Time Dominum*, inquit D. Ephram Syrus serm. ascetico de timore tomo 3. *& erit tibi murus, & in die obitus, inuenies gratiam.*

Est radix sapientiæ & virtutum omnium: tota arbor, tota virtus eius, in radice collocatur: ita timor Dei sapientiam virtute continet, à quo tanquam à radice arboris flores & fructus germinant; pullulat & operatur charitas, fructus timoris pulcerrimus. D. Ansel. Enarratione in Euangel. Luc. 7. *Radicauit sapientia quæ Christus est, in populo honorificato, quia Deus timorem credentibus dedit, per quem peccare desistant, quoniam timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit iustificari.*

Est clauis, quâ aperitur ostium cordis caritati, vt ingrediatur, & possideat dilectum. vexillumque suum erigat ad terrorem inimicorum.

Est ianitor cordis, ad iustitiam, & tranquillitatem custodiendam, ne irrumpat perturbationum turba. D. Basilius in cap. 3. Isaiæ. *Quasi quidam ianitor timor, necessariò ad pietatem condiscendam admittitur*: custodit cor ne hausta per sensus introeant.

Est fons vitæ, fons sapientiæ. D. Bernard. serm. 1. Dominicæ 1. post Epiphaniam. *Timor Domini fons vitæ, aqua, inquam, timor Domini est, etsi minùs sapida, sed optimè refrigerans animam noxijs desiderijs æstuantem. Aqua est quæ iacula inimici ignita possit extinguere*: aqua est amara, cui si vitæ lignum immiseris, dulcescit: *Nam ligno dulcis facta est aqua*, inquit D. Ephræm Syrus, & cunctæ dolosi hostis insidiæ, per crucem Saluatoris nostri Iesu Christi, sublatæ sunt & exterminatæ: ex hoc fonte securè bibitur, facta est aqua eius salutaris à cornibus quæ in crucifixi manibus, fugato antiqui serpentis veneno. Prosequitur D. Bernar. *Nam nec illud dissonat, quod aqua semper ima petit, & timor semper ad ima cogitationem deducit, & in inferioribus immoratur, atque loca horrenda, pauidâ mente collustrat, iuxta illud, Vadam ad portas inferi. Sed diuinâ virtute, aqua mutatur in vinum, quando perfecta caritas foras mittit timorem.* Sicut itaque aqua deorsum labitur, ita timor, quia qui timet Dominum, non effertur, illud sequutus. *Noli altum sapere, sed time*: atque ita, *Dum humilis nihil de suâ virtute præsumit*, inquit Diuus Bernardus lib. de passione Domini cap. 17. *seruitutes Domini pro suâ consolatione attendens, semper timet, ne non adimpleat præcepta: ne patrem præcipientem suâ transgressione offendat.* Amara est hæc aqua timoris, & tanquam potio animæ purgatiua, vtpote, quæ animos nostros à vitiorum contagione, sordibusque lustret, omnino tamen necessaria, quia vt inquit Diuus Gregorius: *Praua mens si non priùs per timorem aeritur ab affectu vitijs non emendatur.* Illâ autem morbidi peccatorum humores exhauriuntur, & sanitas confertur, illa æstus cupiditatum refrigerat, coërcet intemperantiam, tumorem animi, & voluntariam insaniam comprimit: omnia denique

Isa. 38.

Rom. 11.

necnon animi vulnera sanat, salutiferumque ciet sudorem, expiatrices scilicet & regenerantes lacrymas. Diuus Ambrosius in cap. 4. Apocal. *Spiritus igitur Domini, super vnumquemque peccatorem requiescit, quum considerans peccata sua, iustumque Dei iudicium pertimescens, pœnasque ignis æterni quæ impijs paratæ sunt, ad pœnitentiam lacrymasque conuertit, & amarissimè flere incipit, quod delectabiliter gessit.* Et Diuus Bernardus serm. in Octaua Epiphan. *Timor qui ex iustitiæ consideratione procedit animam purgat.*

3. Mundanus timor, malus consiliarius.

Non sic ille mundanus timor, qui Philoni malus consiliarius dicitur: non sic ille malus timor quo timuerunt Iudæi miracula Christi, sed non crediderunt; de quibus sanitatem Paralytici mirantibus Diuus Ambrosius in cap. 5. Luc. *Spectant surgentem increduli, mirantur abeuntem, & diuini operis miracula malunt timere, quàm credere. nam si credidissent, non timuissent vtique, sed dilexissent.* Fides enim præmittenda timori est, vt fiat veræ dilectionis introductio. D. Ephræm Syrus, *Fides mentem parit bonam, mens autem bona, fons aquæ viuæ existit, & qui eum possidet, aquis eius implebitur.* Fontem, qui iuxta Ierichontem, ferunt, satis arboribusque attulisse perniciem, fœtus vtero óceptos per abortum emisisse, suoque fluxu, morbis & pestilentia complesse omnia; eius aquas immissâ salis amphorâ dulcorauit Elizæus, atque exinde terræ, mulierumque fugata sterilitas, atque nouo vsu in fertilitatem fœcunditatemque commutata: quæ terræ deinceps abundantiùs rigarentur, fructus referrent modicos, quæ parcissimè, vberrimos, sui abusum vndâ in illis castigante; in his temperantiam præmiante. Fons & potio aquæ amaræ, est timor: semina virtutum supprimit, spiritualesque animæ fœtus ante exortum extinguit, nec prodest quidquam, nisi Elizæus quispiam, immisso sapientiæ sale, fecerit salutarem: ita Diuus Ambrosius in psal. 118. *Timor, Domini; nisi secundum scientiam fit, nihil prodest, imò obest plurimum: siquidem Iudæi habent zelum Dei. sed quia non habent secundum scientiam, in ipso zelo & timore maiorem contrahunt diuinitatis offensam.* Et mox subdit. *Sunt etiam in nobis qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videtur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere: sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, non æstimant possibilitatem. Non sit ergo irrationabilis timor. Etenim vera sapientia à timore Dei incipit, nec est sapientia spiritualis sine timore Dei, ita timor sine sapientia esse non debet.* Hoc sapientiæ, siue scientiæ spiritualis sale sanatus timor, quantò parciùs animæ nostræ campis inhæserit, profectò tantò quoque illorum futuri sunt caritatis fructus vberiores.

Theriacæ confectio.

Hanc medicam timoris sanati vim, Theodoretus lib. 1. de curatione Græcar. affect. theriacæ pulcrè comparauit, quòd quemadmodum hæc ex multis simplicibus bonis & cardiacis, atque ex viperæ animalis virulenti carnibus constat, ita ex bono & malo timor Domini conflatur. *Timor Domini, medicamentum est optimum,* inquit, *quod ex malis, & ex bonis conficitur, sicut in theriaca accidit.* Timor namque pœnæ, ex se non omnino bonus est, sicut tradidit Diuus Augustinus tract. 9. in 1. epist. Ioan. cap. 4. & nos suprà docuimus: sed tamen si boni desiderium illi accesserit, optima fit medicina. Ideò autem viperei capitis venenum theriacæ misceri scribunt nonnulli, quòd illud citissimè ad cor defluat, atque adeò amica cordi pharmaca, quasi vehiculo quodam, ocyus ad cor deferat. Eiusmodi est pœnæ timor, qui licet ex malis quorum est formido coalescat, ea tamen virtute pollet, vt cardiaca, bonum desiderium, scilicet, & caritatem, in animæ penetrale secum vehat. Sed veriùs videri, Galenoque & alijs conformius, in hoc medicamine, medias tantùm viperini corporis partes approbari, extremas verò reprobari, caput, videlicet, & caudam: quas extremitates Galenus de Theriacâ ad Pisonem cap. 13. ad quatuor digitorum mensuram amputari iubet & proijci, quòd illæ, motu suo atque agitatione continuâ, pestiferos totius animantis humores ad se proliciant, indeque excrementis vitiosis, succisque teterrimis compleantur. Neque ideò adsciri viperæ carnes, quia venenosæ sunt, & mortiferâ vi cor petant: aut etiam triti illius capitis virus, infundi huic alexipharmaco, quòd alia secum cordis præsidia ducat, alioqui, quodvis aliud venenum immiscere liceret, cùm omni veneno commune sit cor petere, atque lacessere, vt basilisci, aspidis, cæterorumque id genus animantium; sed quia medio viperæ corpori præparato, inest virtus quædam salutifera, & vis attractiua, atque expulsiua veneni, potens adeò, vt antidoto immixtæ carnes, cor veneni malitiâ exonerent, expurgent, expient, atque reliqua à viru præstent immunia, trænent, multisque & varijs occurrant morbis. Inesse porrò huic animanti tantam virtutem, experientiâ compertum est. Refert enim Galenus lib. 2. simplicium cap. 2. in Asiâ quendam elephantiâ laborantem, epoto vino in quo vipera extincta fuerat, exsiccatis crustis, quibus refertus erat, redditum incolumem. Itaque similis theriacæ timor est, quòd salutiferæ facultatis vi, animæ penetralia subeat, peccati venenum extinguat, propellat: animum confirmet, atque corroboret, desiderium boni, caritatem, spemque in mentem inducat, atque omnem vim mortiferam à præcordijs, velut viperæ carnes, arceat.

4.

Pædagogus est timor Domini, hoc erudimur, teste D. Gregor. Nazian. epist. 16. ad Cæsarium, & Diuo Basilio in psal. 33. vbi ait, *Nisi timor instituendæ vitæ nostræ rudimenta iaciat, impossibile fuerit castitatem, sanctimoniamque legitimè obseruari.* D. Ambros. lib. de vocatione gentium 2. cap. 9. totidem verbis: *Quantislibet terroribus timor inferatur, non aliud agit, quàm vt quem fecerit timentem, faciat & volentem, nec solùm volentem, sed etiam sapientem, vnde & illud scriptum est, Eccl. 25. Beatus cui donatum est habere timorem Dei. Quid enim tam beatificum, quàm hic timor, qui genitor, eductorque sapientiæ est.* Diuus quoque Nazianzenus Carmine de vitâ suâ, ita cecinit.

Eccl. 25.

Φόβος γὰρ ἦγεν, ὃς μέγας διδάσκαλος.
Magnus magister namque erat huic timor.

Et rursus Iambico 19. hoc timore pauperes aduersa fortiter pati docet:

Vexatur at inops sæpè, nec frontem erigit
Potissimum si sit comes Dei metus,
Firmus magister omnis omnino boni.

Origenes quoque in cap 8. epistolæ ad Romanos, de seruili timore dictum interpretatur, *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore*, timori tyronum pædagogiam paruulorumque tutelam tribuit, *Initium sapientiæ timor Domini est*, inquit, *quia paruulis quidem pædagogus est timor, vnde & Apostolus de tali paruulo dicit; quamdiu hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à patre. Vides secundùm concessam sapientiam Paulo, quomodo hic spiritum seruitutis qui datur in timore, tutorem paruulorum, ac procuratorem appellauerit, qui vnumquemque nostrum, donec paruulus est secundum interiorem hominem, in timore custodiat, vsque dum ad id perueniat, vt spiritum adoptionis filiorum mereatur accipere, qui est spiritus*

Rom. 8.

Galat. 4.

ritus caritatis. Est quippe timor disciplina sapientiæ teste D. Ambros. in psal. 26. Ideoque etiam;

Rudimentarius & elementaris, primumque in fide elementum, & instructorius appellatur, qui nos velut puerulos quadam institutione, sicut Nicetas Orat. 39. Diui Nazianzeni scribit, ad eam virtutem quæ in actione versatur, introducat: vt, cùm actiua virtus contemplationis scala sit, ordine progredientes, à timore exorsi, in contemplationis fastigium subuehamur. Hinc Theodoretus in psal. 110. *Initium sapientiæ; timor Domini*, inquit, *oportet igitur timere, & cum timore quodam contremiscere, quandoquidem hoc est primum elementum diuinæ doctrinæ: ad tyrones timor spectat, ad perfectos verò, amoris possessio.* Huiusce timores tyrociniũ descripsit D. August. tract. 9. in 1. Ioan. epist. *Sunt homines*, inquit, *qui propterea timent ne mittantur in gehennam, ne fortè ardeant cum diabolo in igne æterno: ipse est timor ille qui introducit caritatem in cor: si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times, non bona desideras, sed mala caues, sed ex eo quòd mala caues, corrigis te, & incipis bona desiderare.* Felix ille quem timor Domini erudierit, atque correxerit: felix ille cuius noxios cogitatus, Domini metus decoxerit: & beatus ille quem diuinus timor in vas electionis formarit, scientiaque tanquam lapidibus pretiosis exornarit. Diuus Ephræm Syrus in prologo sermonis de timore Dei tomo 3. *Fornax aurum probat atque argentum, timor autem Domini, cogitationes hominum. Vt faber apud incudem vasa vtilia perficit, ita timor Domini, cor expiat impuris cogitationibus eiectis, & cum prudentiâ, atque scientiâ eloqui verba docet.* Medicum ferrum est Domini timor, quod, tentatum ignorantiæ vulnus quamuis cum dolore inductâ caritatis medicinâ sanat. Diuus Augustinus tractatu qui suprà. *Stimulat timor, sed noli timere, intrat sanitas quæ sanat quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere. Ecce putredo quando erat in corpore, minùs videbatur vulnus, sed periculosiùs. Accedit ferramentum medici, minùs dolebat illud vulnus; quàm dolet modò quum secatur, plus dolet quum curatur, quàm si non curetur. Sed ideò plus dolet accedente medicinâ; vt non plus doleat accedente salute. Occupet ergo cor tuum timor, & inductâ caritate succedat cicatrix ferramẽto medici: talis medicus est, vt nec cicatrices appareant*: redditâ, scilicet, per caritatem totius animi valetudine. Ecce quanta, quamque viuida animæ medicamina præstet timor ille salutaris.

[5.] Custosque bonorum omnium, & virtutum appellatur. Diuus Hieronymus epist. 127. ad Fabiolam de diuersis mansionibus, mansione 23. *Timor, virtutum custos est: securitas ad lapsum facilis: Vnde & quodam psalmo postquam Propheta dixerat, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit: iungit timorem qui custos est beatitudinis, & infert, Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Et est sensus: Dum tormenta formido, seruaui gratiam quam acceperam.* [Psal. 22.] Et rursus in cap. 31. Prouerb. *Illa conscientia, est verâ laude digna, quæ timorem Dei in omnibus seruat, ipsa est principium cunctarum custosque virtutum.* Viden vt conscientia ipsa timore formata, timor custos est, qui, in credendis & sperandis, tanquam eruditio, atque instructio, appetendus est, vt scribit idem Doctor sanctus in regulis, titulo de fide, spe, & timore: *Timor appetendus*, inquit, *est admonitio & custodia omnium rerum quas credimus, aut speramus; timemus enim iudicium, quia speramus & metuimus Dominum, quia fortem illum iudicem credimus, vera namque vita est Deum nosse, timere eius potentiam, amare pietatem.* Custos hic timor animi lumen, & lima carnis est, eius velut ferri expurgans rubiginem. *Vbi enim timor est*, inquit Diuus Nazian. orat. 39. *illic quoque mandatorum obseruatio, carnis etiã quæ nubis instar cuiusdam, animæ lumen obscurat, nec diuini radij splendorem purè intueri sinit, purgatio est.* Purgato autem carnis adfectu, necnon diuinis splendoribus inflammato spiritu, per Dei timorem, declinas à malo, & facis bonum. Ita Diuus Ephræm, *Qui timet Dominum, non offendet, quoniam in lumine mandatorum ipsius ambulat*: ita D. Bernard. *Deum timere, est nulla mala facere, & nulla bona quæ facienda sunt prætereire.* Non vacillat facilè, neque præcipitio vel casui proximus est, cuius animam vtroque pede suo premit & solidat Dominus, timore videlicet iustitiæ, & spe misericordiæ. D. Anselmus in cap. 11. epist. ad Rom. *Timor virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis, time offendere time eradicari, exscindi: naturalibus ramis non pepercit Deus, an tibi?* ob idque Iob sanctissimus, ne malè esset securus, illo firmabatur timore, ca. 31. *Semper enim*, inquit, *quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* [Iob. 31.] Pondus enim est timor Domini, quo deorsum premitur animus, ne sursum efferatur, tanquam de casu securus. D. Hieron. *Qui cautus est & timidus*, inquit, *potest ad tempus vitare peccata, qui securus est de iustitiâ, repugnat, aliusque auxilio destituitur, insidijsque hostium patet. Nunquam tuta est humana fragilitas, & quantò magis virtutibus crescimus, tantò magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus.* Lapsum suadet securitas, qui timet, sollicitus est: & *si sollicitus fueris*, inquit D. Hieron. *Leo, caulas ouium tuarum intrare non poterit.* Nihil æquè timet leo, teste Herapolline in hieroglyphicis, atque faces & ignes, nullaque re magis domatur, quàm his: ita leo ille circuitor, inferni faces atque barathri ignes quos in mente cogitantis accendit timor, exhorret.

Diuus Augustinus sermone 18. de verbis Apostoli, timorem Dei, animi excubitorem, custodem, & speculatorem vocat: quemadmodum enim è speculâ prospectans vigil, propositis ignibus vel accensa face, hostem adesse, atque tempus pugnæ imminere nunciat: sic timor Dei cordis excubitor, in tot tantisque hostium insultantium periculis, quæ humanam circumstant vitam, ignes, ardoresque sempiternos obijcit animo, obeundi generosè certaminis indices. *Semper verò est ad certamen aduersarij erigendus animus*, inquit Diuus Gegorius lib. 20. Moral. cap. 5. *Semper contra occultas insidias cautela prouidenda: Hinc etenim Abacuc Propheta dicit, Super custodiam meam stabo: hinc rursus scriptum est, Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, qui euangelizas Sion.* [Abac. 2.] [Ierem. 31.] Vnde Cant. 3. dicitur: *Vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* [Cant. 3.] Diuus Gregor. *Nocturni quippe timores, sunt insidiæ tentationis occultæ, ensis autem super femur, est custodia vigilans, carnis illecebras premens. Ne ergo nocturnus timor, ne occulta & repentina tentatio, subrepat, semper necesse est, vt femur nostrum, superpositus custodiæ ensis premat.* Hoc ense, hac custodiâ, hoc excubitore, ad terrorem inimicorum, ad Diuinæ quoque Maiestatis honorem protegi curemus, siquidem *timor hominis, honor Dei est*, vt inquit Tertullianus lib. de pœnitentia, cap. 8.

Timor Dei thesaurus.

[6.] ESt desiderabilis, incomparabiles scientiæ & sapientiæ effundens diuitias, quibus constare dicitur Isa. 33. *Diuitiæ salutis, sapientia & scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius.* [Isa. 33.] Sicut autem qui acquirendarum opum titillatur cupiditate, de medijs consulit, & quæ opportuniora iudicauerit exequitur: ita qui sapientiæ & scientiæ salutaris flagrat affectu, à timore Domini in illius inquisitione progreditur, qui

& ipse thesaurus nuncupatur, non secus atque in arrugijs, & argentifodinis, quod caput earum est, extrema scilicet illa facies, quæ licet parum dives, felicioris tamen venæ & cordis est indicium, etiam thesaurus appellatur. Vnde Prouerb. 2. de sapientiâ dicitur, *Si quæsieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesaurum effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.* Quod enim in argenti & auri venis caput vocari obseruauit Gregorius Agricola lib. 4. de re metallicâ: hoc in sapientiæ venâ est timor, qui licet ob caritatis defectum prædiues non sit, primum est tamen, & caput, & initium sapientiæ, quod nos ad pinguissimam caritatis venam deducit. Hinc Diuus Bernardus, *Timor Domini ditabit cor, & dabit gaudium & lætitiam in longitudine dierum.*

Prou. 2.

Carbonum & cinerum vsus in figendis limitibus.

In thesauris humo condendis, aut agrorum limitibus definiendis, proximè adhærescenti terræ, cineres vel carbones, inuiolabili indicio misceri solitos, à veteribus proditum est, quòd ea materies nullo humore tabescat, atque ad omnem tempestatem inconcussa perseueret. Hinc illud Diui Augustini lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 4. de carbonum duratione, & limitibus figendis: *Quis carbones in terrâ humidâ infossos, vbi ligna putrescerent, tamdiu durare incorruptibiliter posse, nisi rerum ille corruptor ignis effecit? Illis tanta firmitas vt nullo humore corrumpantur, nullâ ætate vincantur, quorum tamen ea infirmitas vt ictu leuissimo frangantur, pressu facillimo conterantur. Substernere solent qui limites figunt, ad conuincendum litigatorem, quisquis post quantalibet tempora extiterit, fixumque lapidem limitem non esse contenderit.* Etiam ad ædificiorum perpetuitatem substrati carbones. Plin. lib. 36. Ex quo Ludouicus Viues, siue Chresiphron architectus, iacturus fundamenta templi Dianæ Ephesinæ, quò diuturniùs esset loco palustri opus, carbones substrauit. Hinc illud Luciani in Teuxide, *Verùm, iuxta prouerbium, thesaurus noster carbones erant*, quod in eos dictum scribit Suidas, qui bona sperant, sed ijs rebus affliguntur, vnde bona expectabant. Et carbones transilire, rem alienam erat inuadere. De cinere quoque est illud Alciphronis adductum à Salazar in Prouerb. cap. 2. v. 5. ex epistolâ quadam: *Nam omnes thesauri mihi cinis erant*, scilicet, quia decipi plerosque eo indicio contingebat, qui quum in defossos carbones incidissent, frustrà diu multumque fodiebant: Ita, inquit Salomon, si instar thesauri sapientiam foderis, tunc primùm intelliges timorem Domini, incides in carbones & cineres, sub quibus aut accenditur, aut latet ignis ille tortor quo inflammatur memoria timentis Deum, atque non fallaciter, sed omninò certò, ducit ad iustitiæ & caritatis thesaurum, *& scientiam Dei inuenies.*

Neque solùm thesaurus est timor, sed etiam thesauri custos. Præfecerunt cæteræ thesauris custodiendis serpentes & dracones, aut ipsemet auarus tanquam serpens thesauris incubet suis. Referat & incubatorem thesauris serpentem Petrus Teixera lib. 2. Regum Persarum, cap. 39. vbi ait. Alij namque occupatâ Perside, quum miles insolentiùs stipendium postularet, nec ipse haberet vnde penderet, in lectulo reclinatus, coniectis in tignum tecti oculis, colubrum caput exerentem, atque circumflectentem aduertit: territus tectum dirui iubet, & colubros ingentes thesauri custodes interfici, qui peropportunè inuentus, militum stipendijs persoluendis, pluquam satis fuit: Certè ad thesauri virtutum, omniumque bonorum custodiam timor Domini, tanquam serpens cautus & prudens omninò adhibendus est.

Timor Domini semen est.

7.

QVod cordis subiens vterum, ipsum grauidat, & præparat ad fœturam salutis, Isa. 26. *A timore tuo Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.* Hinc Theodoretus Cyrensis, vel vt quidam volunt Eusebius, in Orat. Isa. *Timor Dei fœcundam reddit hominis animam, & motum concupiscentiæ, qui ex carne consurgit compescit. Mulieris enim vtero similis est humana mens, quæ quidem si recipiat à Deo pietatis semina, parit omninò bonos fructus. Igitur fœcundi sunt qui Christo adhærent, pariunt namque velati mystico vtero, fructus bonos.* Et Theodoretus Veraclensis ibidem: *Accipientes timorem tuum* (Domine) *veluti bonum semen, & hunc in vtero gestantes, opportuno tempore salutem reportabimus. Etenim, quum adhuc sumus in terrâ, pœnitentiæ tempus largiris, nequaquam condignâ pœnâ nos de medio tollens, sed permittens vt conuertamur ad salutem.* Admittit humana mens, ceu tabula rasa, quamlibet figuram: est & veluti terra proscissa aratro, ad semen suscipiendum parata, quæ timoris Domini sata seminio, atque humore gratiæ irrigata, ad conceptas animo ignium æternorum flammas incalescens, fructus vberes caritatis facit: hinc illi apud Isaiam reddente Cyrillo, *Propter timorem tuum Domine, nos vterum gessimus & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis, quo grauidi fuimus super terram.* Et Theodoretus suprà: *Quoniam enim compararunt seipsos parturienti mulieri, meritò ostenderunt fructum dolorum partus: Spiritum enim*, inquit, *salutis peperimus, quem fecisti super terram, hoc est, quem terræ largitus es: non enim spiritum in terrâ fecit, sed per spiritum, salutem in terrâ operatus est.* Sicut porrò terra spinas & tribulos profert, nisi bonâ semente sata sit, ita animus sine timore Dei, spinis vitiorum horret, neque spem vllam futuri fructus facit. Eusebius ibidem, *Finis conceptionis tui destitit, tuique timoris, salus fuit nostri spiritus. Qui hunc timorem non habuerint, neque pepererint spiritum, sed steriles permanserint, excident à tuâ spe.* Igitur qui timoris semen in vtero mentis susceperit, speret illud vbertim salutis fructus ex Dei benignitate redditurum, quia vt Successor Regius inquit psal. 32. *Oculi Domini super metuentes eum & in eos qui sperant super misericordia eius.* Vbi oculorum diuinæ gratiæ necessitas, super spem & metum hominis indicatur, vt timor non sit sine spe, nec spes absque timore, ne timens sine spe, desperet, ne sperans sine timore præsumat. Sicut enim, vt ait Philo lib. de Abrahamo. *Sanctum & laudabilis est qui bene sperat, sic è diuerso profanus & vituperabilis, qui non sperat, timore semper vtens malo consiliario*, qualis est suppliciorum, tormentorum, & gehennæ timor, cui non est coniuncta spes veniæ, & gratiæ Dei.

Isa. 26.

Isa. 26.

Psal. 32.

Timor est nauclerus.

8.

Timor tempestates æquo animo fert, vt Nauclerus.

QVi ceu nauis gubernator, in animæ puppi sedens, clauum tenet ac regit, ne nauis animæ furentibus impulsa procellis, cedat, neve ventorum tempestati parens in syrtes, scopulosque allidenda feratur, sed vt in fidam cari nis stationem directa, tranquillo portu fruatur, quod eleganter prosequitur D. Chrysost. homil. de fide Annæ, vbi insignè illius animi magnitudinè in probris, côtumelijsque æmulæ suæ perferêdis expêdens, inquit. *Siquidem Dei timor tanquã Nauclerus gubernaculis assidens, persuasit eam tempestatem æquo animo esse ferendam nec priùs destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum*

onere

bere plenam, hoc est, veterum pretioso thesauro onustam. Onusta charismatum diuitijs anima nequit absque timore gubernante, tutò in portum dirigi.

Maris pericula, quæ?

Ioannes Scholasticus apud Pierium Valerian. Hieroglyphicor. lib. 45. cap. 5. vicesimo sexto scalarum suarum gradu, pericula recenset, in quæ, hoc mare vastum nauigantes, incidimus, scopulos, vertigines, inundationes, piratas, belluas, sisiphones, procellas ventis fluctibusque commistas; atque singulorum adijcit interpretamentum, vt per scopulos, feram præcipitemque iracundiam intelligamus: per vertiginem, res eas quæ præter spem menti oblatæ circumsistunt, delirioque agitant, atque in desperationis profundum deuoratos trahunt: per inundationum timores, ignorantiam quæ boni spe decipit; malus enim & admodum superbus est, sibique omnia arrogat, quicunque est imperitus. Per piratas, gloriarum satellites, qui nostras opes, omnibus vitæ commodis partas, interuentu subito, vnoque impetu diripiunt. Per belluas, nostrum hoc corpus graue, brutum & efferatum, ac perdifficile cicuratu, vtpote quod ventri & abdomini suo deditum, solam sibi finem constituit voluptatem. Per siphones, elationis nostræ impetus, per quos ad cælum vsque sustollimur, vnde mox deturbati, in profundissimam tartari voraginem præcipitamur. Huius pelagi caussâ, tot tantisque referti periculis, attributus est naui animæ nostræ in eo nauiganti, Nauclerus timor, periculorum declinandorum peritus, vnicum aduersus sæuientis maris rabiem sospitamentum: quo rectore, salutis portum occupare festinamus. Quem si superba mens excusserit, ventorum & aquarum excepta ludibrijs, efferascit; atque laxatis irrationabilium cupiditatum habenis, nequaquam furere desinit, sicut inquit D. Chrysostomus homil. 5. de verbis Isaiæ. *Anima laxans habenas cupiditatibus extra rationem positis, quouis rapitur, & non aliter quàm equus ferociens, vbi frænum ore, sessorem tergo excussit, fertur quouis vento velociùs, omnibus obuijs intolerabilis, fugientibus cunctis, neque quoquam accedente eum cohibere: sic anima quæ Dei timorem ipsam refrænantem excussit, ad quæuis malitiæ loca decurrit, atque in exitij barathrum delata, præcipitat suam ipsius salutem.* Ergo timore Dei, qui Christianis est vera ratio, vndique constringendæ sunt cupiditates, atque intra limites suos continendæ. Hanc doctrinam tradidit Plato in Phædro, equi indomiti. & domiti hieroglyphico, quibus omnis generis cupiditates significari voluit, quæ si rationi obtemperent, bonæ sunt, sin minùs, prauæ, vti est apud Pier. Valerian. Hieroglyphicor. Collectaneor. lib. 1. Quare, libido, superbia, ingluuies, alijque adfectus praui, si non coërceantur, constringanturque rationis fræno, non sui iuris est homo, sed suâ emotus cupiditate, effertur: è diuerso autem, Dijs proximus ille est, *Quem ratio, non ira monet*, inquit Claudianus: namque

Affectus quisquis mentis moderatur habenas,
Fertur equo domito, qui vagus, ille fero.

Timoris Domini effectus multiplices.

Tandem verò, vt quæ de timore dicta sunt, synopsi quadam complectar, verbis D. Ephræm Syri tom. 3. serm. de timore Domini, vtar. Deum time, inquit, & inuenies gratiam: Nam timor Domini, mores gignit, quibus constant virtutes: at timoris expers securitas, æmulationem amaram parit, atque contentionem, & his similia. Timor Domini, fons vitæ. Timor Domini, munitio animæ. Timor Domini, mentem spiritalem dirigit. Timor Domini, animæ tutela. Timor Domini gratiam præbet in omni conuersatione, timentibus Dominum. Timor Domini, gubernator est animæ. Timor Domini animam illuminat. Timor Domini malitiam tabefacit. Timor Domini passiones imminuit. Timor Domini dilectionem auget. Timor Domini omnem concupiscentiam malam exsiccat. Timor Domini voluptatem præscindit. Timor Dei, animæ schola est, & spem ei bonam adnunciat. Timor Dei pacem administrat. Timor Dei animam spiritu sanctæ intelligentiæ replebit, sceptrumque cælestis regni tradet. Non est inter homines illo maior, qui timet Dominum. Qui Dominum timet, similis est viro, multos ad viam salutis adducenti. Qui timet Dominum, similis est ciuitati supra montem positæ, murisque munitæ, à cuius conspectu improbi contremiscunt dæmones. Anima timens Dominum, felicissima est; quoniam ante se semper iustum prospicit iudicem. Si Dominum times, eius serua mandata, & non confunderis. Hæc ille.

Capitis 50. §. 6.

De timore initiali.

I. Initialis timor cur medius dicatur.

QVemadmodum in anni temporibus, ordo quidam conspicitur, ita in timorum serie, progressionem quamdam, à minùs perfecto ad perfectiorem, perspicere licet: quam descripsit Diuus Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 2. relatus suprà §. 2. num. 1. vbi timorem initialem medium vocat, Non quod pro obiecto, habeat malum culpæ & malum pœnæ, vt vult Durandus in 3 dist. 34. quæst. 5. sed quia ex D. Thomæ sententiâ, ità habet malum culpæ pro obiecto, vt simul adiunctum habeat timorem pœnæ. Itaque medium quiddam cum seruili & filiali timore communicat: in amore quidem, cum filiali perfecto, quia non absimiliter solum malum culpæ pro obiecto habet; cum seruili autem, quia cum illo compatibilis est in eodem subiecto, scilicet secundum substantiam, seruilitate remotâ, adeò vt initialis timor, & seruilis & filialis appellari possit, tum quòd pœnas vt seruus metuat, tum quòd culpam, vt filius.

Hunc inducit timor seruilis, sicut acus filum, vt quod anteà bonum homo faciebat inferni metu, nunc etiam faciat propter dilectionem Dei. D. Bernard. *Initialis timor est, quando homo incipit amare Deum, quem ante timebat, & sic excluditur à corde seruilis timor*: excluditur scilicet ab inchoatâ caritate timoris initialis, sicut hæc, à perfectâ caritate timoris filialis. 1. Ioan. 4. *Perfecta caritas foras mittit timorem*: Cuius rationem tradit Diuus Augustinus, tract. 9. in 1. Epist. Ioan. *Quid, inquit, dicimus de illo qui timet, qui cœpit timere diem iudicij? Si perfecta in illo esset charitas, non timeret. Perfecta enim caritas faceret perfectam iustitiam, & non haberet quare timeret; imò haberet quare desideraret, vt transeat iniquitas & veniat regnum Dei. Ergo timor non est in caritate. Sed in quâ caritate? non in inchoatâ. In quâ ergo? Perfecta, inquit, caritas, foras mittit timorem.* Vides vt manans ab imperfectâ siue inchoatâ caritate initialis timor, seruilem timorem pœnæ coniunctum habet, quem perfecta excludit caritas?

1. Ioan. 4.

De hoc timore dixisse videtur Iustinus Martyr, responsione ad 98. quæstionem à gentibus propositam, *Qui maiore Dei timore, hominum metum tollit, suâ in Deum caritate ductus, hoc facit*: maiorem timorem appellat, non qui plus timoris habeat,

sed

sed qui plus caritatis, quomodo dixit Irenæus lib. 4. cap. 3. *Auxit timorem* (Deus scilicet in nouo testamento) *Filios enim plus timere oportet quàm seruos, & maiorem dilectionem habere in patrem.* Hoc timore qui iustitiam sectari incipit, prouidus fit, & circumspectus, quò saluti suæ consulat, quomodo Gabaonitas Iosue 9. consuluisse sibi legimus, qui pauore filiorum Israël consternati, vt fœdera paciscerentur, nouo stratagemate impetrarunt, & admissæ fraudis caussam rogati, reposuerunt: *Timuimus valde, & prouidimus animabus nostris, vestro terrore impulsi.* Non absimiliter animabus suis prouident viri timorati, eâ quâ valent diligentiâ futura pericula circumspectantes: vbi illi, quos præsumptio, superbia, vel acedia occupauit, quæ salutis suæ sunt, magnò animorum suorum dispendio, neglectui habent.

Iosue 9.

2. Vtinam verò, illi quoque spiritum timoris Dei conciperent, qui improuidam illorum ignorantiam decoqueret, ac plenè repleret, vt loquitur Diuus Hieronymus in Marc. 12. Atque etiam cum Abbate Elia, tria hæc iugi meditatione ruminarent, scilicet, quomodo anima egressura sit de corpore: quomodo iudici sint occursuri: quomodo de se sit proferenda sententia. Namque, vti Diuus Augustinus de catechisandis rudibus cap. 5. inquit, *De ipsa seueritate Dei, qua ipsa corda hominum saluberrimo timore quatiuntur, caritas ædificanda est, vt ab eo quem timet, amari se gaudens, eum redamare audeat, eiusque in se dilectioni, etiam si impunè posset, tamen displicere vereatur:* Fiet enim, vt dum istud timemus, iudicis seueritatem minùs formidemus: vnde Diuus Gregorius homil. 7. in Ezechiel. *Redemptorem electi, terribilem non videbunt, quia modò terrorem illius considerare non cessant. Studiosè enim considerant, quàm terribilis ad iudicium veniat. Culpas antè actas deflent, imminentes declinant. Pauorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt: atque quotidie timendo agunt, ne quando venerit, pertimescant.* Per incrementa namque caritatis, initialis timor in filialem euadit, à quo non aliter differt, quàm fides formata ab informi, quàm perfectum ab imperfecto, ex quo sequitur, vt timore pœnæ non ampliùs timeatur Deus, sed amicali timore amittendæ gratiæ. *Succedunt sibi vicissim in animo timores, secundum quod gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere, seu iterum placata redire sentietur*, inquit Diuus Bernard. serm. 54. in Cant. & Cassianus Col. 11. cap. 8. *Quamobrem studendum nobis est, vt de timore ad spem, de spe ad caritatem, vel ipsarum virtutum amorem, perfectio mentis conscendamus ardore.*

Capitis 50. §. 7.

De timore filiali, sancto, siue casto & reuerentiali.

1. Initialis timor, generat filialem.

QVemadmodum ex radice arbor consurgit, ex arbore germen protuberat, ex germine flos in quo spes fructus continetur: ita ex timore, timor; & nouissimus ille filialis ex initiali oritur tanquam flos, caritate & spe plenus beatitudo fructus eius, de quo dicitur, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Cassian. col. 11. cap. 13. *Quisquis igitur in huius fuerit caritate fundatus, necesse est vt ad illum sublimiorem timorem gradu excellentiore conscendat, quem non pœnarum terror, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel frater fratrem, vel amicum amicus, vel coniugem coniux sollicito reueretur affectu, dum eius non verbera, neque conuitia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verùm verbis attonitâ semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque feruor dilectionis illius intepescat.*

Matth. 5.

Huic timori adiunctam quoque operationem scribit Olympiodorus in Ecclesiasten cap. 12. *Si verò non minarum metu*, inquit, *atque supplicij; sed odio vitiorum peccare nolumus, tunc caritate prosequentes laborem legis, mandata eius seruamus, & cauemus sedulò ne desinamus. Sancto enim timori adiuncta est operatio: sicut & qui operatur, idem etiam timet ne quod præceptum contemnat, aut posthabeat.* Nunquam non agit ignis, aut agere nunquam non est paratus, ita filialis ista gratia, quæ suâ entitate reali animam afficit, semper prompta est ad operationem, agereque continuò, nisi aliunde interposito impedimento, eius actio cohiberetur.

Timor filialis est actiuus.

Cùm itaque timor ille sanctus, ignauus & hebes esse nequeat, illo ad rectas actiones accendimur, atque ad omnium quæ sub aspectum & concupiscentiam nostram cadunt, proprij quoque corporis & voluntatis despectum & odium incitamur. Illo agente, ad anteactorum malorum pœnitentiam conuolamus, mundo repudium scribimus, vt abnegantes omnem impietatem & secularia desideria, sollicitè atque studiosè, soli benignissimo omnium patri Deo, sine vllâ cunctatione & negligentiâ vacemus, fructum sancti timoris, salutem animarum nostrarum reportaturi. Illo impellente, glutino amoris Deo vt patri, adhærescimus, cauentes ne quid tantâ indignum maiestate committamus, vnde casus ab eius gratiâ sequatur. Ideoque filialis dictus est, quod ex eo amore fluat, quo liberi parentes, legitimè venerari solent, eorum timentes offensam: Ideò & sanctus, & castus, & reuerentialis nuncupatur, tot epithetis honoratus, quot exercet officia.

Sanctum compellant Patres. D. Hieronymus in cap. 1. Prouerb. de illo, tanquam de initialis timoris successore tractans, *Succedit autem timor Domini sanctus*, inquit, *permanens in seculum seculi, quem non excludit sed auget caritas: ipse est, quo timet filius bonus, ne in modico oculos amantissimi patris offendat: nam inchoatiuo timore seruilis adhuc animus metuit, ne ab irato Domino pœnis subigatur: vterque autem timor in futurâ vitâ cessabit.* Diuus Bernardus serm. de timore, addit, cur sanctus dicatur: *Timor iste sanctus est, quia in mente hominis generat sanctitatem.* Et rursus: *Etiam timor iste dicitur filialis, quia non timet Deum, quasi seruus crudelem Dominum, sed quasi filius patrem dulcissimum.* Diuus Ambrosius in psal. 118. *Sanctus igitur timor Domini, quia verè Sanctorum est pauor.* Diuus Hilarius itidem in psal. 127. timorem illum de quo Psalmographus, *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos*, non aliter accipit, quàm de eo qui caritate formatus sit, quum alij timores, qui pœnarum sunt, quia ex principijs atque infirmitate naturæ oriuntur, doctrinâ tradi nequeant: *Discendus ergò Dei timor est*, inquit D. Hilarius, *quia docetur; non enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est, neque ex trepidatione naturæ, sed præceptorum obseruantiâ, & operibus vitæ innocentis, & cognitione veritatis incundus est. Nam si idcircò Deus timendus est, quia plura fulminibus arserint, tonitruo prostrata sint, terræ nunc motu conciderint, nunc hiatu recepta sint; nullum fidei meritum in timore est, qui ex terrore accidentium commouetur. Nobis autem, timor Domini, omnis in amore est, motumque eius, dilectio perfecta consummat.* Ille est ergò timor, quem Deus per fidem docet: *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Vox*, inquit Diuus Basilius, *est hæc magistri, suos intimo complectentis affectu, & ad condiscendam disciplinam paternâ commiseratione eos inuitantis.*

Psal. 33.

No-

Neque minùs hic timor, casti nomen habet. D. Bernard. serm. de timore. *Initiali timori succedit quartus timor, scilicet castus.* Diuus Augustinus sermone 25. in psal. 118. & lib. de gratiâ noui testamenti cap. 21. vbi productum hocce Scripturæ testimonium: *Timeat Dominum omne semen Israël*, de sancto timore intelligit: ait enim, *Timor Domini castus permanet in seculum seculi. Bene dicitur castus, quia amor quo vnimur Deo non caret timore. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, mihi autem adhærere Deo bonum est*: nam coniux quæ non adulteratur timore pœnæ, quod illi deest in opere, inest voluntati: *Casta vxor verò aliter timet, nam & ipsa timet virum, sed castè. Denique timet illa ne vir infestus adueniat, ista ne offensus abscedat: Timore ergò casto vult, vt omne Israël timeat Deum, non amanti enim, præsentia viri molesta est, amanti autem, absentia.*

Psal. 21.

Psal. 72.

Ista porrò timoris filialis castimonia, à quâ timor castus denominatur, aliquid perfectionis supra filialem, addere videtur. Metaphoricè namque castus dicitur, inquantum videlicet Deus est animarum sponsus, atque perfectissimum amoris vinculum inter sponsum & sponsam intercedit, propter quam. *Relinquet homo patrem & matrem*, relaxato, vt videtur, amoris filialis, ipsiusque timoris vinculo, vt vir adhæreat vxori suæ: quem vtrum, inter turbulentas, eius momenti quod viuimus, turbas, experiri concessum sit, nihil iudico. Negat non nemo quod si contrarium euincere contenderis: admittet, tum solùm istud concedi, quum per raptum, vel actum internum mens humana spiritui diuino immediatè vnitur, seu potiùs à spiritu diuino absorbetur, vt tantillo tempore, vnus cum eo spiritus efficiatur. In futuro verò permansurum castum, perpurgatumque timorem, hoc est, animæ sponsæ cum Christo vnitæ amorem, nihil timoris, nihil præter ipsam reuerentiam, remanente, quâ fiet, vt nullâ quantitatis libertate familiaritatis diuinæ, amor sponsi in sponsam minuatur: quò respexit Apostolus 2. Cor. 11. quum dixit; *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*: sinceritatem fidei, & amoris, virginem castam vocans. Ob quod etiam timor ille, reuerentialis appellatur, quo videlicet ingenuus filius, & morum castitate conspicuus, indulgentissimum patrem sollicito reuereretur adfectu, eius adimplendæ voluntati totus incumbens, nihilque prætermittens eorum, quæ dilectus sibi placita esse indicarit. D. Bernard. serm. 4. de timore: *Ille habet castum timorem & sanctum, qui Deum non timet propter pœnas inferni, vel propter supplicia gehennæ, sed cum reuerentia & amore. Et hic timor, scilicet reuerentia Dei, permanet in seculum seculi.*

Matt. 10.

2. Cor. 11.

Timorem esse in ijs qui iam beatitate donati sunt.

3. Timor est in beatis.

Ergóne timor in Beatis? Omninò, quia timor Domini sanctus in æternum permansurus dicitur, neque in hominibus solùm, sed etiam in sanctis Angelis: quia qui caritatem habet, quæ in cælitibus magna est, timorem quoque habere potest, si habet superiorem. D. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 17. de Angelo præuaricatore, ad illa verba Iob: *Qui factus est, vt nullum timeret*, ait, *sic quidem factus est per naturam, vt conditorem suum castè timere debuisset, timore videlicet sobrio, & securo, non timore quem foras caritas mittit, sed timore qui in seculum seculi permanet, id est, quem caritas gignit. Aliter enim timet coniugem vxor amans, aliter Dominum ancilla peccans. Sic ergo fuerat iste conditus, quatenus timore casto auctorem suum, & amans metueret, & metuens amaret.* Habere itaque potuit factus in gratiâ timorem filialem, à cuius habendi potentiâ, affectans cum altissimo æqualitatem, se fecit exortem: timore namque filiali, non solùm timet quis à Deo separari per culpam, sed etiam illi se comparare refugit: quia si ab eo separari pessimum est, vt inquit D. Tho. 2.2. quæst. 7. art. 1. illi velle æquari, malum est.

Iob. 41.

Hoc autem timore Beatas mentes affectas esse significauit Iob. cap. 26. *Columnæ cæli* (hoc est Angeli beati) *contremiscunt & pauent ad nutum eius.* Docet Diuus Gregorius lib. 17. Moral. cap. 15. *Ipsæ Virtutes cælestium, quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsâ contemplatione contremiscunt.* Estne igitur, quod in illâ filialis amoris permanentia, à summo quo perfruuntur bono seiungi metuant? nihil, si illorum status beatifici rationem inimus, in quo culpa non timetur. Quia tamen creaturæ sunt Dei, atque adeò flexibilis arbitrij, spectatâ præcisè eorum naturâ istud formidare possent: quod satis est, vt per timorem filialem, eam separationem à Deo tanquam absolute possibilem metuere queant: nihil tamen inde molestiæ, nihil anxietatis, angoris nihil habent illi, quia omnibus consideratis, timor mali non est possibilis, sicut ille iustorum præsentis viæ, in quâ à Deo per culpam possunt excidere. Vnde D. Gregor. suprà: cælestium Virtutum timorem, dixit non esse timoris, scilicet angore afficientis, sed admirationis, tantæ, tamque præcellentis maiestatis, cui tanto adhærescunt & subijciuntur spiritus ardore, vt tamen etiam possibilem illam à Deo separationem, quæ creatæ naturæ possibilis est, pertimescant. *Sed idem timor ne eis pœnalis sit*, inquit, *non timoris est, sed admirationis: quia scilicet admirantur Deum, vt supra se existentem, & eis incomprehensibilem.* Hinc D. Augustinus lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 19. *Vbi enim boni adepti amor immutabilis est, profectò, si dici potest, mali cauendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine, ea voluntas significata est, qua nos necesse erit nolle peccare, & non sollicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, sed tranquillitate caritatis cauere peccatum.* Ideóque Diuus Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 9. timorem filialem patriæ, non esse eiusdem rationis, cum timore filiali viæ, apertè docuit, Diuum Augustinum secutus, suprà, vbi iam dictis præmiserat: *Timor ille castus permanens in seculum seculi: si erit in futuro seculo, non erit timor exiens à malo quod accidere potest, sed tenens in bono quod amitti non potest.* Vbi licet Diuus Augustinus sub dubio agitet, vtrum filialis timor futurus sit in patriâ, an verò solùm dicatur permansurus, quemadmodum dicitur, *Patientia pauperum non peribit in æternum*, scilicet, secundum effectum & fructum suum, quia vbi non est malum quod toleretur, patientia non requiritur; concludatque loco citato: *Si nullius omninò generis timor esse poterit in illâ certissimâ securitate perpetuorum, feliciumque gaudiorum: sic dictum est, Timor Domini castus permanens in seculum seculi, quemadmodum dictum est, patientia pauperum non peribit in æternum. Neque enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi vbi toleranda sunt mala: sed æternum erit quo per patientiam peruenitur. Ita fortasse timor castus in æternum dictus est permanere, quia id permanebit quo timor ipse perducit*, Æterna videlicet beatitudo, ad quam timore, & amore peruenitur. Nihilominus tamen, iam omninò tenendum est cum Ecclesiâ, quæ in præfatione Missæ canit, Angelicas potestates tremere, hunc timorem esse in Angelis, non modò quoad effectum siue fructum, qui est beatitudo, verumetiam quoad substantiam suam: Non quòd illi actu metuant possibi-

Iob. 26.

Timor patriæ non est idem cum filiali viæ.

Psal. 9.

possibilem à Deo separationem suo statui repugnantem, sed quod modo suprà explicato, filiali timore Dei, affecti sint, qui, Diuo Thoma dogmatizante, 1. 2. quæst. 67. art. 4. ad 2. cùm duos actus habeat, scilicet, reuereri Deum, & timere separationem ab illo, manet quoad primum in beatis; non autem quantum ad diuortij metum: vbi enim nullum malum timetur, recessus à Deo qui malus est, timeri non potest. Prou. 1. *Abundantia perfruetur, malorum timore sublato.* Timor igitur, qui est reuerentia Dei, vt inquit D. Bernard. permanet in seculum seculi.

Prouerb. 1.

Capitis 50. §. 8.

Timoris filialis in hac vitá vtilitas.

1. Timor filialis est necessarius in viá.

OMninò autem nos mortales, timorem hunc habere conuenit, si quid tranquillum, si quid sanctum, si quid lætum, si quid beatum in hac, & futurá vitá consequi velimus. Non abs re Epimenides Philosophus, beatam pronuntiauit ciuitatem, quæ in pace bellum timeret: hoc enim præcincta munimine, doctas in prælia ciuium manus armat confidenter, excubias non intermittit. promptum habet quo hostem sustineat, quo repellat, quo vincat: & in armatâ pace, suorum tranquillitate prouidè consulit, in metu quàm in securitate prudentior, atque felicior. Eodem modo beatam dixerim animã, quæ in sequestrâ pace bellum metuit: cùm enim necdum sit extra periculorum aleam, venustiùs se timore sollicito armabit, quàm desidiosa securitate tuebitur, & eò præcipuè. quòd sicut securitas vel desidia, caussa est & mater omnium delictorum, sic timor Domini radix est, & custos omnium bonorum, vt inquit D. Bernard. serm. de dõnis Spiritus sancti, cap. 1. Ideoque primum thalami nostri ornatum, Guerricus Abbas sermone de Purificatione, timorem illum castum appellauit, quem dici vult, esse initium sapientiæ, id est primum gradum. per quem ascenditur ad sapientiã: *De quo timore,* infit, *ait scriptura, Beatus homo qui semper est pauidus, Prou. 28. & Psal. 2. seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, vt timor auferat securitatem noxiam, & exultatio, mortiferam tristitiam. Hic timor generat humilitatem, quæ est pretiosissimus ornatus thalami Sion, id est, pauperum Christi.* Sanctus verò Hieronymus in cap. 5. Isa. *Iste est timor qui animas Sanctorum integras, pudicas, purasque conseruat, de quo dicitur, timor Domini sanctus, ad quem nos diuina eloquia exhortantur: Timete Dominum omnes Sancti eius.* Et D. Bernard. sermone de timore. *Timor iste sanctus est, qui introducit in mentem hominum perfectam caritatem: perfecta enim caritas perfecta est sanctitas. Timor iste castus est, quia non recipit adulterum amorem: scilicet, quia Deum super omnia diligit, & nihil amori illius præponit.*

Prouerb. 28.
Psal. 2.

Timor iste est, quem Scriptura sæpè cõmendat, & à quo, beatus vir pronuntiatur, qui timet Dominum. Eccl. 7. *In totá animá tuá time Deum:* in quæ verba Olympiodorus in Ecclesiasten 12. *Timorem intellige, non imperfectorum, quasique seruilem, quo incipientes ac timidi introducuntur in virtutis ac pietatis viam; sed intellige timorem Domini sanctum & sanctificantem, quem debemus ex caritate, pioque affectu erga illum qui leges tulit, mandataque seruari sua instituit.* De quo Iosue 24. *Timete Dominum, & seruite ei corde perfecto.* De quo ad Rom. 11. *Noli altum sapere, sed time.* D. August. lib. de gratiâ noui testamenti. *Timor iste, non est ille seruilis, quem caritas foras mittit, ille enim timetur, ne incidatur in tormentum supplicij: iste autem ne amittatur gratia beneficij.* Et D. Anselmus in illud ad Rom. 11. *Noli altum sapere, id est, noli extolli,* inquit, *sed time ne gratiam quam accepisti, perdas. Time, non seruili timore, quem caritas expellit, sed timore casto qui permanet in seculum seculi: Ille mens pœnâ terretur, non iustitia delectatur: iste anima timet ne amittat gratiam per quam in eâ factum est, vt eam peccare non delectet, timent ne Deus eam deserat, etiamsi nullis dolorum cruciatibus puniat.*

Eccl. 7.
Iosue 24.
Rom. 11.

2. Timendum semper in hac vitá.

Quum enim in vitâ mortali ad eum perfectionis gradum ascendere non valeamus, in quo caritas viæ omnem timoris excludat molestiam: etiamsi securus, & immunis metu videaris, semper timere, salutare est. Appositè Macarius hom. 43. *Sicut mercatores inter nauigandum, etiamsi ventum tranquillum, & mare propitium nacti sint, si nondum ad portum peruenerint, metuunt tamen, ne quoquo modo, vento contrario excitato, flatibus exæstuet mare, & nauis periclitetur: sic & Christiani, licet habeant in se flantem prosperum ventum Spiritus sancti, adhuc tamen formidãt, ne ventus aduersariæ potestatis exurgat, qui tempestatem fluctusque moueat in animis eorum.* Optimum animi munimentum atque præsidium timor, rationem in excubijs iugiter adhibet, quæ velut è specula, vel pharo, hostium præuenit incursus, animi potentias, aduersus potestatem tenebrarum, eiusque tentamenta & insultus, excitat, armatque: sensus moderatur & regit, semper in procinctu est, vt timeat, non in malis tantùm sed etiam in bonis, D. Basil. in psal. 33. *Qui hunc in se perfectum recipit timorem, nihilque non veretur tremendæ pietatis gratiâ, in nullum prolabetur peccatum. per hoc, quòd nihil contemptim transitit.* In hunc modum armauit Sanctum Iob. cap. 9. vbi ait, *Verebar omnia opera mea:* addit Glossa, *etiam bona:* quia, vt inquit D. Greg. *Piarum mentium est ibi culpam timere, vbi culpa non est.* Quia enim de quolibet statu aliqui pœnis æternis addicendi sunt, meritò vnicuique semper & vbique timendum, præcipuè verò quòd plerumque sordeat in conspectu æterni Iudicis, inquit D. Gregorius, quod in intentione fulget operantis. Sic ergo timeat vnusquisque vt quem amat, non perdat per negligentiam. Qui thesaurum inuenit, de inuento exultat, sed adhæret gaudenti furis timor, rapaci manu inuolaturi. Isa. 33. *Timor Domini, ipse est thesaurus:* in quæ verba Hector Pintus: *Timor Domini castus & filialis, est thesaurus, quia in eo tanquam in arculâ diuitiæ virtutum seruantur:* timeat semper Christianus aduncas furis manus, illo spoliari metuat, ne misero miserior fiat. Ecce autem vbi inuenias thesaurum, & simul thesauri illius custodem castum timorem, in quo quia duos motus intelligimus, vnum in bonum, nempe caritatem, & est persecutio summi boni, in malum alterum, & est fuga mali, vt ipsum auertit à Deo: ex hoc motu, timor, thesauri custos appellatur. ex illo, thesaurus, quem timor custodit in via: & ne alieni diripiant eum, *Protegit Dominus iter timentium se, & viam timoratorum custodit: non est inopia timentibus Dominum.* Præstò enim est thesaurus ille ad omnia. & clypeus fortis, aduersus omnes incursantium inimicorum impetus.

Iob. 9.
Isa. 33.
Psal. 33.

D. Ambros. in psal. 118. octonario 5. ad illa Prophetæ verba, *Initium sapientiæ, timor Domini,* Sapientiam pro Verbo Dei accipit, timorem verò disciplinæ plenum, timorem Sanctorum scilicet, basim auream appellat, super quam stabilitur Verbum Dei: *Basis quædam Verbi,* inquit, *est timor sanctus: sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cùm in basi statua fuerit collocata, standique accipit firmitatem: ita Verbum Dei in timore sancto meliùs statuitur, fortiùs radicatur in pectore timentis Dominum, ne labatur Verbum de corde viri, ne veniant volucres & auferant illud de incuriosi & dissimulantis affectu. Sed etiam Verbo Dei timor ipse aptari ad vtilitatem & constabilitatem videtur, vt non sit*

alienum

alienus scientiæ, sicut basis accepta statuâ non est aliena gratiæ. Et mox subdit: *Timor quædam statio verbi, verbum timoris est disciplina. Pleri enim disciplinatimor, non unias ad lapsum. Et quia basim Verbi, timorem esse diximus, ne quid alienum è Scripturis posuisse nos quisquam putet, accipiat testum de Dei verbo in Cant. Canticor. Crura eius columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas: significans columnas esse Ecclesiæ Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto. Nam sicut Petrus, Iacobus, Ioannes & Barnabas, columnæ esse videbantur Ecclesiæ; sic & quicunque vicerit hoc seculum, fit columna Dei, quam confirmat qui dicit: Ego confirmaui columnas eius. Ita & basis aurea timor plenus disciplinæ, quia initium sapientiæ est. In timore ergo sapientium, Apostolica prædicatio, tanquam super basim auream columna, firmatur.* Nec solùm basim appellat verbi Dei, sed etiam tribunal, & solium in quo quasi iudex sedet Verbum Dei, carnis & spiritus lites dirimit, pro spiritu aduersus carnem sententiam dicens, molestam perturbationum turbam comprimit, atque virtutibus iura dicit: *Christi igitur equo, inquit, & Apostolico sermoni tribunal est, timor nisi, & basis aurea plena pruden iæ: simulacrum autem bonum, tanquam effigies veritatis, sermo Sanctorum.* Basis aurea, inquit, & bene; purus enim timor, purum caritatis aurum est, & pôdus auri habet, idcirco supponitur Verbo tanquam basis; superponitur autem bonis virtutum operibus, ne diffluant, & disperdantur. Quare, apud Isai. 11. postremò loco timoris huius donum recensetur, quem omni semotâ imperfectione habuit homo Dominicus, Cheremone apud Cassianum interprete, Col. de perfectione: quomodo etiam in cælitibus, filialis timor inesse dicitur. Ob quod etiam posteriora dorsi columbæ, id est, vltima, siue postrema, in pallore auri fulgere describuntur: quòd itidem amor castus, auri pallorem imitetur: pallent enim qui timent, sanguine in inferiora defluente ad cordis præsidium, palleant, & qui amant, iuxta illud Ouidij 1. de Arte,

Palleat omnis amans, color hic est optimus amanti.

Atque ita Diogenes, Leuino Lemnio lib. 2. de occultis naturæ miraculis cap. 12. referente, quia animi adfectus & vlcera, foris, primaque fronte se proferunt, iuuenem aliquando conspicatus exangui, gilaoque colore, aut amare illum dixit, aut inuidere: tabescunt quippe non secus atque timentes inuidi, dum alienâ virtute discruciantur. Alium verò quendam, quum ex amore pallescere videret, in proprio quidem corpore mortuum dictitabat, viuere autem in alieno. Confirmat Ouid. 2. Metamor.

cui protinus intima frigus
Ossa receperunt, buxoque simillimus ora
Pallor obit.

Alciatus quoque emblemate 207.

Perpetuò viridis, crispoque cacumine buxus,
Vnde est dispariibus fistula facta modis.
Delicijs apta est teneris, & amantibus arbor:
Pallor inest illi, pallet & omnis amans,

Sic nempe, auri pallore inficitur anima, quæ hoc timore repletur, & retractâ quasi vitâ & sanguine ab ijs quæ sub sensum cadunt, suoque veluti destitutum spiritu corpus trahens, in proprijs moritur, vt viuat in alienis, vt viuat in Deo, in quo vitam habet absconditam cum Christo, tanquam vnus ex ijs, *qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Ioan. 1.*

Cant. 5. — Psal. 74. — Isa. 11. — Ioan. 1.

3. Timor castus super aurum & topazium.

Pretiosus est purus & castus timor sicut aurum, & super aurum & topazium pretium eius. Quisquis hoc thesauro diues est, in minimis reponit, quidquid mundi vanitas in pretio habet: seque suaque omnia, atque in virtutum culturâ sudores, nihili facit, seruum se inutilem iudicans, quanquam rigidus mandatorum obseruator extiterit. Proindeque non mirum, si Diuo Augustino interprete serm. 25. in psal. 118. Psalmographus illo timore configi, precibus à Deo contenderit, dicens, *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui*: hoc est, inquit Diuus Augustinus, da mihi castum timorem, ad quem petendum, me tanquam pædagogus timor ille legis (scilicet seruilis) perduxit, quo timore, a iudicijs tuis timui, vt scilicet ex infirmiori timoris gradu, transfundar in firmiorem, ex initiali, in perfectum. *Confige*, inquit, *timore tuo carnes meas*, hoc est, cupiditates & concupiscentias meas carnales clauis trabalibus sancti timoris tui: confode, confige, vt ille deinceps tanquam mortuæ, & trabibus immobiliter affixæ, vltrà se mouere, insurgere, recalcitrare, atque me à sancto tuo amore, auellere nequeant. *Nam quemadmodum qui corporis membra habent clauis transfixa*, inquit D. Basil. in psal 33. explicans hoc insusitatum Sencti Prophetæ petitionis genus, non iam de timore casto, sed de seruili bono, *ad actionem quamlibet, immobilia ea retinent: sic illi, quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstreperam occasionem vitant.* Et Diuus Damascenus, Parallelor. cap. 5. ex Diuo Basilio ad virginem lapsam. *Domini timor animi expiatio est: iuxta id quod precibus à Domino contendebat Propheta, his verbis vtens; Confige timore tuo carnes meas Domine, tanquam videlicet hac ratione, improba omnis & flagitiosa actio profugiat, vbi timor sedem constitutam habet: quippe, cùm corporis membra ob eam caussam, ad turpia flagitia moueri nequeant, quia timore, tanquam clauis quibusdam confixa sunt. Quemadmodum enim qui corpus clauis transfixum habet, in eiusmodi cruciatu versatur, vt nihil efficere queat: sic qui Dei timore constrictus tenetur, ad ea quæ minimè opus est, vti, non manus ad interdictas actiones mouere, nec denique quidquam vel paruum vel magnum, præterquam conueniat, moliri atque efficere potest, suppliciorum videlicet eorum, quæ Deus comminatus est, non secus ac cruciatu quodam transfixus.* Propter quod quoque Leo Papa serm. 19. de passione, hortatur, vt quum quis sese limites obseruantiæ transgredi percipit, atque suis cupiditatibus eò trahi, vt à viâ rectâ deflectat, recurrat ad crucem Domini, ibique noxiæ suæ voluntatis motus affigat, & clamet cum Propheta, *Confige clauis timoris tui carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Quid autem est*, inquit, *clauis timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeos sensus, ab illecebrâ illiciti desiderij, sub metu diuini contineri iudicij, vt qui resistit peccato, & concupiscentias suas, ne quid morte dignum operetur, interficit, audeat cum Apostolo dicere, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini.* Cuius quum fixuras clauorum & latus vidisset Diuus Thomas Ioan. 20. *Confixus est*, inquit Diuus Ambrosius, *ac præ summo quodam timore, sed casto & reuerentiali, prorupit in eas voces, Dominus meus, & Deus meus.* Huncque timorem quo configi postulat Vates regius, sagittam appellat Diuus Bernardus serm. 29. in Cantic. *Optima*, inquit, *timor iste sagitta, qui configit & interficit carnis desideria, vt spiritus saluus fit.* Et D. Chrysostom. hom. 53. in Ioan. animam transuerberatam hoc timore, arbori comparauit, quæ altè defixis radicibus, ad omnem ventorum procellam inconcussa perseuerat. *Quemadmodum quercus*, inquit, *altiùs demissis radicibus, nullius venti viribus sternitur, ita animam, diuino confixam timore, nullus tentationum ventus euellet: clauis enim affixum esse amplius est, quàm radicatum esse*: ideò ait Propheta, *Confige, &c.*

Psal. — Galat. 6. — Ioan. 28.

4. Configi timore, est liberum esse.

Et certè ista confixio animæ, eiusdem confortatio est, nihilque illius libertati decedit si manus confixas habet, ne eas extendat ad iniquitatem: sed quantò minùs in malum libera, tantò ad ea quæ sursum sunt consectanda euadit liberior,

rior. Isa. 41. *Confortauit faber ærarius percutiens cum malleo, qui cudebat tunc temporis, dicens glutino, bonum est, & confortauit eum clauis, vt non moueretur.* Hoc est se inuicem iuuant timor & amor, malleus timoris, clauis amoris, quibus dilatatur cor. Diuus Bernardus serm. de triplici cohærentia vinculorum, triplici nexu animam Deo configi, & adhærere demonstrat: funibus quidem fortiter, hoc est memoria honestatis quæ virtuti inest; ligneis, terrestriue clauis, fortiùs & duriùs, hoc est, timore gehennæ: glutino suauiùs & securiùs, hoc est, amore: sicut dicitur 1. Regum 18. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid.* Inquit enim totidem verbis Diuus Bernardus. *Tria sunt vincula, quibus ei adstringimur, & sic tria, vt sola: cum solo istis vel illorum similibus, omne quod ligatur, ligetur. Et primum, accipite funes: secundum clauos ligneos, vel ferreos; tertium gluten. Primum adstringit fortiter & durè: secundum, fortius & duriùs; tertium, suauiter & securè. Func quodammodo alligatus est redemptori, si quis fortè, dum vehementer tentatur, turbatur: proponit sibi honestatis initium, memoriam promissionis. & hoc interim se funiet, ne propositum penitus abrumpatur. Durum profecto vinculum & molestum, sed et periculosum nimis, & quod diu tenere non possit. Siquidem putrescunt funes, & pudoris vinculum, aut obliuiscimur, aut abrumpimus citò. Est autem qui clauis configitur Domino maiestatis, quem timor Dei ligat qui non expauescit ad vultum hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum: & hic quidem peccare non metuit sed ardere. Durius tamen & fortiùs primo imprimitur, quia cùm ille vacillet in proposito, iste propositum non amittit. Tertium vero glutine ei conglutinatur, id est, caritate, qui tam suauiter quàm securè ligatur, adhærens Deo, vnus spiritus est cum eo. Ille est, qui quæcunque vndecunque, siue quæ fuit, siue quæ ei fiunt, ad suum commodum retorquet. Beatus huiusmodi homo, & abundanti spiritus influens maiestate, qui manu & vultus portat omnes & neminem onerat, qui terribilis & horribilibus ipsa gehennâ iudicet: in re tenuissimâ vultum omnipotentis etiam offendere.* Et post pauca. *Glutino bonum est, ait Isaias, bonum est rentra & iucundum, quia alia duo, ne mala dixerim, comparatione istius grauia & importabilia sunt. Sed ille misericors oculus qui nouit figmentum nostrum, neminem salutandorum dimittit in primos, sed prouehit ad secundum. & nec ibi deserent, de secundo perducit ad tertium. Primo siquidem quia pudet deserere, adiuuantes vix sustinemus ad horam. Secundo iam timentes & sperantes proficimus. Tertio perficimur amantes.* Qui in hunc modum timore & amore ligatur, non horret vultus instantis tyranni, non minas, non verbera, non cruces, non atroces corporis lanienas, non bestias non catastas, non ignes: Sed in istis vinculis solutus omnino ac liber, non expectat carnificum vincula & catenas, sed vltrò in parata supplicia irruit, confortatus clauo timoris Domini.

Configebatur isto clauo timoris casti, glutinoque amoris Deo adhærebat. Martyr ille fortissimus (vt innumeros alios prætercam) de quo D. Hieronymus in Diui Pauli primi Eremitæ vitâ, quem fortiùs stringebat castimoniæ vinculum, vehementiùs pressiùsque figebat timor diuinus, quàm blandi ex serico nexus, qui supra mollem & delicatulum lectulum nudum & resupinum irretiebant, ne se posset excutere, qui tamen in meretriculæ faciem speciosam, blandulis amplexibus colla eius amplectentis, necnon genitalia manibus attrectantis, vt concitato in libidinem corpore impudica se superiacent, linguam suam, quod solùm potuit, morsu præcisam, exspuit; vt sic libidinis sensum succedens magnitudo doloris superaret. Factum egregium! exemplum singulare, & omnium seculorum memoriâ dignum! Crux erat martyri strati splendor, crux corporis nuditas, crux lasciua mulier & formosa, crux basia, suauia, & amplexus illices, crux impudica tactio, crux vincula quibus toro alligabatur, adstringebatur: verùm clauus timoris Domini animam illius transfixerat, ne grassantis pestis violentia, fortis athletæ constantiam inter tot cruces labefactaret, cui etiam tuendæ, succurrit cruenta linguæ portio, quam ore castissimo Martyr Christi in lasciuientis lupæ faciem, intrepide eiaculatus est.

Isa. 41.

Triplici nexu anima configitur.

1. Reg. 18.

S. Martyr, linguæ suæ portionem in impudicā iacit.

Clauus sistendi, firmandique signum apud veteres habitus est, inquit Pier. Valer. Hieroglyphicor. lib. 48. cap. 54. & Dea Necessitas, clauo adamantino, insignis, fingebatur.

Sæua necessitas
Clauos trabales, & cuneos manu
Gestans ahenâ.

Inquit Horatius, & ratio est, quia si quid faciendum decreuisset, Dijs ipsis non liceret intercedere: & clauus aheneus, siue ferreus, in postico pariete templi Mineruæ in Capitolio, siue etiam Iouis, solemni ritu à Consule, Prætore, vel Dictatore qui solus figendi claui caussa dicebatur, infixus, aduersus ingruentia mala, & præsertim côtra pestilentiam auxilio fuit. Constat enim ciuitate laborante (morbo) inquit ab Alexandro Genial. dierum lib. 1. cap. 6. totidem verbis, quum vis pestilentiæ & insanabilis pernicies tabesque ciuitatis, ita per omnium capita peruagata esset, vt nec ope diuinâ, nec humanis consilijs leuari posset, quotidieque varijs morbis corpora affecta caderent, ex seniorum memoriâ repetitum, pestilêtiam quondam fixo à Dictatore clauo, decessisse. Ideò C. Genutio & L. Amylio Mamerco Coss. & sæpè aliàs, quum graui morbo ciuitas affecta esset, Senatus Luciū Manlium Imperiosum Dictatorem, claui figendi caussâ, qui Dictator dictus, clauum pangit, isque clauus dextro lateri ædis Iouis Opt. max. in capitolio fixus fuit. Post quem, quum Romæ de veneficijs quærerent, & aliquot matronæ damnatæ forent, eaque res prodigij haberetur loco: vt mentes alienatæ sui compotes fierent; simili memoriâ ex Annalibus repetitâ, claui figendi caussâ Dictator creatus Cn. Quintilius fuit, qui fixo item clauo, quum eo piaculo ciuium mentes sui compotes fecisset, discordesque animos conciliasset, dictaturâ se abdicauit: Æneos fuisse clauos, notasque numeri annorum, quibus tunc tempora designabant habuisse, idque à Vulsinis emanasse ferunt, quibus in vsu erat, clauos indices numeri annorum habere fixos in templo Narciæ Hetruscæ Deæ. Hæc ille, & ante eum Tit. Liuius Decadis 1. l. 7. ab V. C. anno 391. in hanc sententiam. Repetitum ex seniorum memoriâ dicitur, inquit, pestilentiam quondam clauo ab Dictatore fixo, sedatam eâ religione adductus Senatus, Dictatorē claui figēdi caussâ dici iussit, &c. Lex vetusta est priscis literis verbisque scripta, vt qui Prætor maximus sit, Idibus Septembris clauum pangat. fixus fuit dextro lateri ædis Iouis opt. max. ea parte quâ Mineruæ templum est. & lib. 9. V. C. 442. ait Petilium pestilentiâ orta, claui figendi caussâ Dictatorem dictum.

5.

Necessitati cur claui tributi.

Clauus dextro lateri ædis Iouis, fixus.

Tenaciori, salubriorique strictura firmatur, copulaturque Deo humana mens, clauo confixa timoris Domini, per quem fit, vt carnis & vanitatis illecebrosâ voluptate obiectâ, non molliatur: *Sed quum caro concupiscit aduersus spiritum*, inquit D. Leo Papa, serm. 9. in Quadragesima, *spiritus autem aduersus carnem, præsidio crucis Christi mens rationalis instruitur: nec cupiditatibus noxijs illectâ consentit, quoniam continentiæ clauis, & Dei timore transfigitur.* Qui sanè timor, multò veriùs præsenta-

neum est remedium aduersus letiferas animæ pestes, quam clauus fixus Mineruæ fano, aut Iouis. Lunari lumini proprietatem inesse scribit Macrobius Saturnal. lib. 7. cap. 16. ad humectandas, dissoluendasque carnes, quod vsu magis quàm ratione deprehensum est. Cùm enim aprorum quos venantibus sylua obtulerat, alij interdiu, noctu alij in ciuitatem perlati essent, quos perduxit dies, integrâ incolumitate durarunt, qui verò per noctem lunari plenitudine lucente portati sunt, putruerunt. Quod vbi scitum est, qui sequenti nocte deferebant, infixo cuique parti corporis acuto æneo, apros carne integri pertulerunt: inest enim æri, auctore Aristotele, vis quædam remedialis, & siccifica, quam demittit in carnibus. Quòd si iam æs infixum corpori animantis, humenti repugnet lunæ, ipsumque corpus à putredine seruet integrum: quid non præstabit animæ, quid non conferet, infixus humano cordi clauus timoris Domini? Omni occurret morbo, omnem procul arcebit putredinem, quam noxia lux globi lunaris, hoc est, mundi sublustris gloria, esset allatura; quam deliciarum & voluptatum humor efficere solet, quod expertus Psalmographus regius infit psal. 37. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.*

Æri vis insita siccifica.

Psal. 37.

6. Idcirco cruci clauis affixum Domini corpus, vt adimpleretur quod dictum est, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem?* Omnino autem ne peccati corruptionē videat in se sponsa, crucis Dominicæ clauis configenda est, quibus & ipsa dilectum suum, in suo figat corde, figat sicut signaculum super cor suum, super brachium suum, Cant. 5. Gerat autem fixuras clauorum Crucis Christi in manibus suis, neque tantùm in manibus, sed etiam in pedibus, vt dicat cum Apostolo ad Galat. 2. *Christo crucifixus sum cruci; viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et iterum cap. 6. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Quinam verò sunt spōsæ pedes? nunquid mentis eius adfectus? & hos quidem quis puros habuit, ait Cant 5. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Hos mundos esse iubet Dominus Ioan. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Et Marci 6. *Excutite puluerem de pedibus vestris:* Excalceari iubet alutâ cadaueritiâ, vt puri sint, *Solue calceamentum de pedibus tuis,* inquit Moisi. Mentis pedes bini, duo sunt illius adfectus, metus, scilicet, & appetitus: præcipuus namque mentis adfectus, aut in fugâ mali, quod metuit, aut in electione boni quod appetit, cernitur. His duobus pedibus respondent virtutes duæ, quibus tanquam clauis Dominicis, configendi sunt, fortitudo, & iustitia. Pes timoris, clauo fortitudinis configitur, ne meticulosus in aduersis animus succumbat, ne claudicet in viâ Dei, vt non veniat in eum pes superbiæ. Non erat in Petro Domini metus isto fortitudinis clauo confixus, quando ad ancillæ vocolam trepidauit & negauit se nosse Dominum: Luc. 22. Ast verò posteà, fortitudinis mucrone transfixus, illum quem pusillanimis negauerat, coram regibus & principibus inimicis crucis Christi, intrepidus palam confessus est. Nec refert ipsum Domini timorem clauum quoque nuncupari quia clauus clauo configitur, quum timor fortitudine roboratur.

Psal. 15.

Galat. 2. & 6.

Pedes spōsæ, qui.

Cant. 5.

Ioan. 13.

Mar. 6.

Exod. 3.

Pes, appetitus.

Pes appetitus clauo iustitiæ tenendus est, ne cupiditatum suarum tumultui relictus, proliciatur ad illicita, atque ad ea euagetur; Hic si confixus non fuerit, caro concupiscit aduersus spiritum, & præualet; si fuerit, spiritus concupiscit aduersus carnem, & facta carnis mortificat. Itaque anima fidelis, pedes tuos istis clauis fige, affige ligno Dominico, ne humano exterrita metu succumbas, aut cupiditate post vanitatis greges euageris.

7. Manus verò sponsæ sunt opera, quarum victoriam Vates regius acceptam refert Deo, ps. 143. dicens, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Sua est Sanctorum operum exercitationi victoria, quâ vincit mundum, quemodo armatæ clauis Christi manus & digiti ad prælium, de humani generis hoste in cruce triumpharunt. Ab his manibus laudatur mulier fortis. Prou. 31. *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.*

Manus spōsæ, quæ.

Psal. 143.

Prou. 31.

Duæ sunt quoque manus, duabus alijs configendæ virtutibus, prudentiâ & temperantiâ. Sunt autem illæ, duo præcipua operum genera, voluntatis scilicet, & necessitatis: quoniam opus quodlibet, vel voluntarium est, vel necessarium. Operis voluntarij manus clauo prudentiæ configenda est, ne mens cæca per imprudentiam, in opera tenebrarum impingat, veluti D. Pauli manus ante illustrationem diuinam, non confixa prudentiæ clauo, sed zelo imprudenti cæca, persequebatur Ecclesiam Dei, pro quâ tamen ipse postea, admisso in se prudentiæ clauo, extrema passus est.

Temperantiæ clauo, operis necessarij manus configi debet, ne laxetur ad superflua vitium contractura. Opera autem necessaria sunt, dormire, comedere, & similia, ad indiuidui vel speciei conseruationem à naturâ instituta. Hæc, temperantiâ moderanda sunt, velut somnus, orationibus & vigilijs; conuiuia, ieiunijs & eleemosynis, atque ita deinceps in alijs. Oportet autē vnumquemque nostrum, in primarijs totius hominis partibus in hunc modum configi, vt verè nos Christianos esse comprobemus, sicut ait Apostolus ad Galat. 5. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Multoque meliùs, atque nobiliùs clauis illis configitur cruci Dominicæ anima fidelis, quàm clauis aureis Mineruæ aut Nurciæ delubri, quàm lato clauo, qui nobilitatis insigne atque vestimentorum splendor & ornatus fuit. Ideoque, sanctissima Dominicæ passionis mysteria, & confixionem eius, ad cuius similitudinem, nostra confixio formanda est, præ oculis continuò nos habere oportet, vt cum Apostolo dicere possimus, *Christo confixi sumus cruci,* ad eum modum quo Stephanus presbyter, de quo in prato spirituali cap. 45. à fratre suo, homine seculari & pio, visus est Christo confixus: Hic enim, quum non attendens offenderetur, videns fratrem quanquam in extremis constitutum, atque ex medici præcepto carnibus vesci, vidit in ecstasi quendam, & reprehendentem audiuit, quòd scandalum pateretur, ignorans fratrem, necessitate & obedientiâ adactum, carnes esitasse: quod si (aiebat reprehensor ille) fratris tui gloriam & merita videre cupis, retrò te age & aspice. Conuersusque vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Quid mirum? nam & ipse Stephanus de se testatus est, interdiu, noctuque nihil aliud vidisse, nisi Dominum nostrum Iesum Christum in cruce pendentem. Animam nempe illius transfixerat clauus timoris Domini, sic vt ad aliud nec pedes moueret, nec manus extenderet quàm ad iugem passionis Dominicæ meditationem; vt non immeritò propterea Diuus Basilius apud Diuum Ioan. Damascenum dixisse videatur: *Timor Domini, innumeras animæ virtutes operat,* quia bene affectam mentem conficit, & affigit crucis triumpho,

Galat. 5.

Galat. 2.

Stephanus presbyter visus confixus cum Christo.

pho, & gloriæ, quam videns in fratre frater, exclamare poterat cum Propheta psal. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* cui dat saporem caritas, cuius gustus perfunditur timore Dei, quia, vt inquit D. Bernard. *Timor Domini, sapor est*: his gustatur quàm suauis est Dominus, timore scilicet & amore, quibus, tanquam binis manibus, siue brachijs tenetur: quemadmodum inquit D. Bernard. lib. 5. de Consideratione, totidem verbis, *Timore & amore affecta anima, velut quibusdam duobus brachijs suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, & ait, Tenui eum nec dimittam.* Canticor. 3.

Psal. 30. — *Cant. 3.*

Capitis 50. §. 9.

Timorem etiam accipi pro Religione, & præceptorum obseruantiâ.

1. Timor pro religione & obedientiâ.

Meminimus initio capitis §. 1. num. 1. vbi inter cætera diximus, timoris nomine, religionem, siue integrum Dei cultum, & præceptorum diuinorum obseruantiam significari: de quo nunc paucis enucleatiùs, tum ex sacrâ paginâ, tum ex sacræ Theologiæ proceribus. In primis igitur quod Deuteron. 6. dicitur, *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, ita explicauit Iesus Dei filius Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis*. Quia apud Hebræos, timere Dominum, est illum adorare & colere, integrumque ei cultum deferre. Vide Maldonatum, in illa Domini verba. In hunc sensum intelligendus venit Propheta Ionas, cap. 1. quum rogatus de populo & gente suâ, reposuit: *Hebræus ego sum, & Dominum Deum cæli, ego timeo*; id est, adoro, veneror, colo: & de Iudith c. eius 8. dicitur, *Quoniam timuit Dominum valdè*, quia religiosa valdè fuit & colens Deum. Quò pertinet illud quoque Danielis 6. vbi Darius rex edicto cauit, vt omnes tremiscerent, & pauerent, hoc est, religioso cultu venerarentur, Deum Danielis: atque in eamdem sententiam accipienda hæc Abrahæ propositio, Gen. 20. *forsitan non est timor Dei in loco isto*, id est, religio, cultus, & notitia Dei. Quam ob rem, Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 19. art. 9. & alibi, refert donum timoris, ad debitum Deo honorem atque reuerentiam: & passim in sacris voluminibus, homines religiosi, casti, puraque mente Deum colentes, dicuntur timentes Deum, quod ne ab Ouidio quidem ignoratum videtur, qui lib. 5. Metam. ita cecinit:

Deut. 6. — *Matt. 4.* — *Ion. 1.* — *Iudith 8.* — *Gen. 20.*

Emathion æqui cultor, timidusque Deorum.

Quod idem est cum illo quod de Iob viro admodum religioso dicitur cap. 1. *rectus ac timens Deum*, quod est nulli prorsus religiosi cultus parti defuisse. Vnde fit, vt timoris nomine, non modò interna Numinis reuerentia includatur, verumetiam externus ipse cultus, quod à Psalmographo indicatum, psal. 5. *Adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.* hoc est, iuxta ceremoniarum ritum, atque præscriptum legis: cui obseruandæ obligatur, quotquot ad templum sanctitatis tuæ adoraturi, siue oraturi aduenerint.

Iob 1. — *Psal. 5.*

2.

Accedunt Patres. Diuus namque Ambrosius in psal. 118. timorem illum qui initium sapientiæ appellatur, ipsam religionem significare contendit, à quâ vera sapientia suum accipiat exordium: *Religionis enim reuerentiam significat magis, quàm seruitutis timorem*, inquit, *licet etiam ipse timor secundum Deum Sanctus sit.* Huc referri potest, quod Elias Scholiastes in orat. 24. Nazianzeni dixit, explicans illud Apostoli ad Rom. 13. *Cui timorem, timorem*: per timorem vehementem & intensum quendam honorem significari, non autem qui ex prauâ conscientiâ ortum habet. Et in hanc sententiam manifestiùs ex Clemen. Alexandrino lib. 2. Stromatum, noster Gregorius Nunnius Coronel, de optimo Reipublicæ statu lib. 1. cap. 9. totidem verbis: *Religio (quæ θεοσέβεια dicitur, id est, Dei cultus) à Clemente Alexandrino initium sapientiæ constituitur: cùm enim sapientia sit postulanda à Deo, non hæsitando in fide, sine quâ non est religio, nec verus Dei cultus, efficitur profectò, vt dicatur religio initium sapientiæ: nam & regius Vates* psal. 110. *Initium sapientiæ, timorem Domini esse dicit. Quid enim? certè sapientia non videtur in metu, & supplicio atque abiecti animi perturbatione quadam, sed in altitudine mentis, supra omnia (quod fas est) clare cernente, constituenda. Verum. Sed ea mentis altitudo, nunquam eminere poterit, nisi religiosus diuinæ maiestatis metus antecedat: Dum enim apud hominem libidinis studium viget, dum cupiditas imperium tenet, dum pestiferi morbi dominantur, non potest mens huiusmodi malis obsessa, & vitiorum vinculis impedita è tenebris emergere, vt cælestia, atque diuina suspiciat.* Et hanc esse geminam illius loci interpretationem, asserit de Salazar, vt nimirum, à religione, siue cultu Dei vniuersim sumpto, incipiat vera sapientia, & philosophia quæ in actione consistit. Quod quidem de practicâ sapientiâ luculentum euadit, dicente Propheta: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*, quasi diceret; istâ sapientiâ pollere dicendi sunt, qui operibus illam comprobant.

Rom. 13. — *Psal. 110.* — *Psal. 110.*

3. Timor, pro obseruantiâ mandatorũ.

Ex his liquet, non modica inter religionem siue perfectum Dei cultum, atque inter mandatorum diuinorum obseruantiam, fœdera intercedere; præsertim, quum (vti arbitratum est) vera sapientia sine religione, religio autem sine operibus constare nequeat, ipso Dauide teste, atque dicente, *Qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis*: & alibi, *Qui timet Dominum, ambulat in vijs eius, & in mandatis eius volet nimis*: & rursus, *Facit fructum in tempore suo.* Nam quicunque ad veram sapientiam conscendere desiderat, ab ipsa θεοσέβεια, siue εὐσέβεια, hoc est, à pietate & religione, quæ diuinæ voluntatis obseruantiam complectitur, ordiatur oportet.

Psal. 111.

Ex dictis patet, Deum Optimum Maximum, Timoris nomine nuncupari, nõ eâ significatione quâ timor humanus, seruilis, initialis, aut castus, indicatus est: aut quod Deus in se habeat, vnde metuatur, fugiendusque sit, quum bonum omne, mali nihil, quod declinandum sit, summa illa bonitas contineat: sed quòd Diuo Thomâ interprete, 2. 2. quæst. 19. art. 1. ab ipso malum pœnæ quod timeatur, esse possit. Aut fortassis etiam, quia quemadmodum Deus, hominis, quem vniuersi Dominum esse voluit, terrorem ac tremorem super cuncta animantia terræ posuit, tanquam vitæ & mortis illorum habentis arbitrium, Gen. 9. *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cæli*, ita etiam, ex quo peccatum est, timorem suum cordibus nostris infixerit, vt eum timeamus iudicem, quem habuimus conditorem.

Gen. 9.

CAPVT LI.

Dei cognomentum aliud esse אש *es; id est, ignis.*

1. Est Dei nomen, quod est ignis.

Nec prætereundum, quoniam Dei nomina, quæ Hebræis sũt potissima, prosequimur, etiam ab igne Deum nomen sortiri, dicique Hebraicè אש quod est, *Ignis*. Deuter. 4. *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est*, quod repetit Apostolus ad Hebr. 12. vbi Deo cum metu & reuerentiâ seruiendum docens, ait, *Etenim Deus noster ignis consumens est.*

Deuter. 4. — *Hebr. 12.*

est. Et Plato summũ Deum in igneâ essentiâ esse voluit: & Plutarchus in Physicorum dogmatum collectario Deum sic describi prodit Spiritum intellectualem, igneum, non habentem formam, sed transformantem se in quodcunque voluerit, & coæquantem se vniuersis. Sunt namque in hoc elemento non pauca diuinitati consentanea, ob quæ Deus, non iniuriâ, ignis dicatur, quæ D. Dionysius, Cælestis Hierarchiæ cap. 15. copiosè & eleganter, est prosecutus. *Sanctissimi*, inquit, *qui de Deo locuti sunt viri, summam illam, & nullis obnoxiam figuris substantiam, variè in igne describunt, quippe qui diuinæ proprietatis, si dicere liceat, in rebus visibilibus, plurimas seruat imagines. Nempe ignis sensibilis in omnibus (vt ita dixerim) est, & per omnia sine vllâ sui admixtione proficiscitur, & ab omnibus excipitur: cùm lucidissimus sit, ipse tamen non admotâ materiâ, in quâ suam vim, suumque ostendat officium, omnibusque in seipso occultus & incognitus manet. Ipse omnia superat: ea quibus insederit, in suum traducit officium, omnibusque quomodolibet sibi appropinquantibus, sui consortium tradit. Renouat omnia calore vitali: fulgoribus apertis illuminat: teneri misceríque non potest: discernendi vim habet; superiora semper petit, & in acumen tendit: agilis, celer, sublimis, nullaque vi, vt inferiora petessat, adigi potest: Semper mobilis, eodemque ipso motu vigens, alia mouet & complectitur omnia, cùm tamen adstringi ipse non possit. Cumque ipse alio non egeat, sibi ipsi tamen clam incrementa suppeditat: atque in qualibet suscipiente materiâ, suæ maiestatis potentiam indicat: efficax, potens, omnibusque inuisibiliter præsens. Si negligatur, non esse videtur: attritu autem velut irritatione quadam naturaliter ac propriè continuò latentem excitatur in flammam: cumque affatim omnibus participationem sui locupletissimam præbeat, nunquam tamen ipse minuitur. Complures item alias ignis proprietates inuenies, diuinæ actioni (quantum humanis imaginibus fas est) propè accedentes. Hoc itaque non ignorantes viri diuinâ sapientiâ repleti, cælestes substantias ex igne maximè effingunt, vt illarum diuinam speciem ad Dei imitationem tenerò pro viribus, indicent.* Hactenus magnus ille Antistes Areopagita.

2. Ignis vis gemina vrendi & illustrãdi.

Quamuis tamen tot enumerentur ignis proprietates, quæ verò Numini aptari possunt, Diuus Augustinus serm. 1. de verbis Apostoli nihilo seciùs quàm Soli cursum, splendorem & calorem, tria hæc ei tribuit potissimùm, motum scilicet, lucem & feruorem. A Philone verò, lib. de decalogo, ex his geminâ vi præcipuè præditus asseritur, vrendi scilicet, atque illustrandi. Namque Deus, ignis dicitur, quia pios inflammat, vritque amore diuinitatis, mentesque illorum salutari, viuidáque doctrinâ imbuit: aduersarios verò & qui nulla Numinis reuerentia, nulloque timore ducuntur velut ignis qui in arida nutrimenta fomitemque inciderit, vrit, vastat, & consumit: ita philosophatur Origenes homil. 2. in Cantica, inter opera D. Hieronymi tom. 7. quum infit; *ob hoc Deus noster ignis dicitur esse consumens, & nihilominus lux, in quo tenebræ non sunt: lux sine dubio iustis, & ignis efficitur peccatoribus, vt consumat in eis omne quod in animâ eorum corruptibilitatis, & fragilitatis inuenerit.* Et rursus in fragmento lib. περὶ ἀρχῶν, apud eundem tom. 4. *Quid consumit Deus secundum hoc quod ignis est? Nunquid non putabitur consumere materiam corporalem, vt est lignum, vel fœnum, vel stipula? Et quid in hoc dignum de Dei laudibus dicitur, si Deus ignis est, huiusmodi materias consumens? Sed si consideremus quia Deus consumit quidem & exterminat, sed consumit malas mentium cogitationes, consumit gesta turpia, consumit desideria peccati, cùm se credentium mentibus inserit, & eas animas quæ verbi eius ac sapientiæ efficiuntur capaces, vnà cum filio suo inhabitans, secundum quod dictum est, Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus, omnibus eorum vitijs passionibusque consumptis, purum sibi eas, si hoc dignum efficit templum.* D. Anselmus quoque in cap. 11. epistolæ ad Hebr. *Deus quippe ignis consumens est*, inquit, *quia per hunc peccatorum rubigo consumitur: rubigo namque vitij, non potest consumi, nisi igne tormenti.* Tertullianus autem lib. de Trinit. Deum ignem appellari vult, vt qualis venturus sit iudex, indicetur, & timeatur, ait enim. *In veteri testamento, ideo Deus ignis dicitur, vt peccatori populo metus incutiatur, dum iudex ostenditur.* Quò spectat illud D. Bernardi serm. de Beatâ Virgine, post sermones de assumptione. *Deus noster ignis consumens est, quem vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei.* Proptereaque Psalmographus ait. *Ignis ante ipsum præcedet* psal. 96. venturi iudicis maiestatem, terroremque significans.

Psal. 96.

Quemadmodum enim prisci Imperatores, velut ornamentum & insigne imperij, ignem sibi, vxori, filijsque præferri volebant, sicut legimus apud Herodian. in Commodo quod omne consilium suum ad Martiam retulit, vnam è suis concubinis, cui scilicet plurimum deferebat, ac propè vxoris eam loco habebat; sic vt præter ignem, omnes honores, velut Augustæ tribuerentur: ita inter Augustales supremi Imperatoris nostri honores, ignis præit, qui & ipse nihilominus ignis est. *Differenti autem*, inquit D. Bernard. serm. 54. in Cant. *quod is qui præmittitur, ignis ardorem habet, sed nõ amorem: coquens, sed non excoquens; mouens, nec promouens: tantùm ad excitandum præmittitur, & præparandum, simulque ad commonendum quid ex se sit: quò dulciùs sapiat postmodum, quod ex Deo mox erit. At vero ignis qui Deus est, consumit quidem sed non affligit, ardet suauiter, desolatur feliciter. Est enim carbo verè desolatorius, sed qui sic in vitia exercet vicem ignis, vt in anima vicem exhibeat vnctionis.* De vtraque huius ignis vi, lusit D. Gregor. Nazianzenus carmine de Spiritu sancto:

Nam veniet ille, malis vindex est flamma: proborum
Sic contra lætum est lumen, dulcisque vapor est.

Vbi Cyrus Nycetas, *Deus ignis est, vt qui vitium omne in malis absumat, & adurat: lux contrà, bonis & sanctis, vt qui eis sanctitatem afferat, mentisque eorum abdita illuminet.* Nomen sortitur à luce, inquit Lemnius Exhortatione ad vitam optimè instituendam cap. 59. quâ caliginem & nebulas mentis, síque errores dispellit, atque animos tenebrosos, veritatis, atque cognitionis suæ lumine illustrat. De hoc igne Isa. cap. 66. *Dominus in igne veniet*, quod Septuag. reddidere, *Ecce Dominus, quasi ignis veniet: quasi ignis*, inquit, non enim eò ignis appellationem sortitur Deus, quòd ignis sit, sed quòd pœnarum torturam subeuntibus, ignis esse videatur. Namque sicut illustratione suâ, iustos exultationis gaudio afficit, sic impios vstione suâ, tristitiâ & dolore conficiet. Quæ enim naturæ glutinum ita confœderauit, vt vnum sine altero esse possit in igne, lux nempe, & feruor: omnipotentiâ verbi fit, vt ille vnus & idem ignis qui hos exhilarat, illos torqueat. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, inquit Psaltes regius psal. 28. atque ita, nimirum, intercidentis ardentioris flammæ potentias, vt quos illustrat, non malè vrat; & quos malè vrit, non illuminet. Quam vim potentis Dei, inuiolabili naturæ fœdere cohærentia dissociantis; clibani ardentis Babylonici, atque ignis inferni exemplis, egregiè copioseque explicauit D. Basilius, hac ipsa sermonis serie. *Intercidit flammam ignis Deus, secundum historiam trium puerorum apud Babylonem, quando fornax supra cubitos quadraginta nouem effusa, eos qui circumstabant, combussit omnes. E diuerso autem eadem flamma Dei præcepto intercisa, recepit in se spirantem auram, refrigerationem pueris illis tribuens, tanquam sub vmbra alicuius*

Isa. 66.

Psal. 28.

orbeis umbra, tranquillo ac quieto in statu constituta. Multo sane admirabilius est, naturam ignis intercidi, quam mare rubrum in partes diuidi. Attamen Domini vox naturales ignis virtutes sibi cohaerentes & unitas intercidit. Quamquam igitur indiuisibilis & insecabilis videatur humanis sensibus ignis, verumtamen ad praeceptum Domini interciditur, & diuiditur. Existimo autem quod ignis qui ad supplicium, diabolo & Angelis paratus est, Domini voce intercidatur. Etenim duo sunt in igne potissima, vrendi vis, atque illuminandi: vis prior ignis, acerrima quidem ad poenas infligendas, reposita est iis qui vstione sunt digni: altera vero illuminandi virtus, velut sortitò accidet iis, qui claritate perfruituri sunt gaudij perennis. Vox itaque Domini intercidit flammam ignis: nam & obscurus est ignis supplicij: & comburendi caret virtute lux illa refocillationis & gaudij Sanctorum. Haec ille. Neque verò eo solùm intercisa Babylonicae fornacis flamma, quòd satellites tyrannidis ad ministros perdiderit, innocentes seruarit, verumetiam, quòd iuuenum vincula soluerit, vestem non adusserit, lumine ipso sine còburendi facultate consistente, & ipsâ vrendi vi repressâ, torrifico lumine perseuerante, ne quid ampliùs quàm nexus, quos impia iniecerat manus, resolueret. Quod eleganter D. Chrysostomus hom. 4. ad popul. Antiochen. hoc sententiae contextu disseruit. *Quos ignis ligatos excepit, solutos reddidit: mortalia suscepit corpora, & tanquam immortalibus abstinuit, non agnouit naturam, sed pietati reuerentiam, exhibuit: vinxit pedes tyrannus, & ignis vim, pedes vinxerunt. O rem mirabilem! vinctos soluit flamma, & ipsa de reliquo à vinctis, vincta est: mutauit enim rerum naturam adolescentulorum religio, imò verò, non naturam mutauit, sed quod erat mirabilius, permanentis naturae vim repressit: non enim ignem extinxit, sed ardentem, inefficacem reddidit: & quod est mirabile & stupendum, non in sanctis tantum corporibus hoc factum est, sed & in vestimentis ipsorum, & calceamentis, quae virtutem ignis extinxerunt.* Et rursus, *Vis erat extincta, & non erat extincta, quum enim circa sanctorum illorum corpora versabatur, erat extincta: quum verò vincula disrumpere oportuit, non erat extincta.* Et iterum: *Neque naturam & vi suâ priuatus est ignis, neque intra vincula procedere ausus fuit.* Deque hoc igne, qui vtraque & cremandi & illustrandi facultate praeditus intercíditur, vt & reprobos sine splendore adurat, iustis verò sine ardore consumente affulgeat: Lactantius lib. 7. de diuino praemio cap. 21. inquit, *Idem igitur diuinus ignis, vnâ eademque vi atque potentiâ, & cremabit impios, & recreabit: & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse aeternum pabulum subministrabit: quod Poëta in vulturem Titij transtulerunt: ita sine vllo virescentium corporum detrimento adurèt tantùm, ac sensu doloris afficiet. Sed & iustos quum vindicauerit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere, vel numero praualuerint, perstringentur igni, atque amburentur: quos autem plena iustitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient. Habent enim in se aliquid Dei, quod vim flammae repellat ac respuat. Tanta est vis innocentiae, vt ab eâ ignis ille refugiat innoxius, qui accepit à Deo hanc potestatem, vt impios vrat, iustis obtemperet.* Et haec quidem de illo igne consumente: non qui Deus est, sed quò Deus sine vllâ sui imagine figuratur, fulgor virtutis, flagitij vltor.

3. Dixerit itaque Moises, idipsum confirmante Apostolo, *Deus ignis consumens est.* nihilominus, assertor ipse generis humani Dei filius, diuinitatis substantiam, exprimens, Spiritus est Deus, inquit, Spiritus autem & ignis aethereus, quàm maxime diuersa sunt, Ignis ergò consumens appellatur Deus, vt inquit Diuus Hieronymus, vel quia quidquid in nobis vitiorum est foenum, ligna, stipulamque & spinas consumat, quas sementis sincerae loco producit infoecunda tellus. [illegible]

Sed quid ista commemoro? Quid porrò magnum, & ad laudis diuinae accessionem, si, quia ignis est, corporalem materiam, lignum, foenum, stipulam, & spinas consumere dicitur, vt dixit Origen. in Cant. Consumit ergo, & exterminat Deus, illa quae istis significantur, malas nempe mentium cogitationes, gesta turpia, vitiorum radices, peccati desideria, quum se credentium mentibus inserit: vt quemadmodum terrae infrugiferae, radices noxiae bonis seminibus, ignibus cremantur, quò sic foecundiorem glebam praestet agricolis, ita mens igne illo diuino purgata & vsta, bono semini suscipiendo, fructibusque ingenuis affatim proferendis reddatur idonea, de quâ ad Hebr. 6. dicitur *Terra proferens spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.*

Hebr. 6.

Vel etiam ignis consumens Deus, quia reprobis terribilis tanquam ignis futurus est. Sicut enim de Leone animalium ferocissimo dictum est, nullâ re aequè ac ignitâ face terreri, ita hominum ferocissimi, qui proculcatâ omni aequitate atque iustitiâ, leoninâ immanitate innocétes dilaniarunt, homines potentes, qui propriae conditionis obliti, inflatis typho animis, iracundiâ efferuescente, infirmiores oppressuri, ius, fasque omne abs se proiecerunt, igne illo sempiterno coruscante, nudanteque abscondita cordium, atque ipsos tanquam fulgetrum impetente, terrebantur, namque vt quidam dixit:

> *Non est, ingenuit, vir expers vlla, timoris,*
> *Sic pauet infesto percitus igne leo.*

Horrebant etiam veluti testudo, tardissimum, ignauissimumque animal, ignes, diuini vultus emicantem flammam, qui in salute suâ procurandâ, pigri & ignaui, amauerunt magis tenebras quàm lucem, testudinum more, quas non secus atque ignem, lucem quoque & calorem horrere, & odisse, compertissimum est: proptereaque latibula quaerere, quibus se tum à solis, tum ab ignis calore protegant: horrebant, & terrebuntur, neque tamen quaesitis vel ipsis montium latibulis, quin vrantur, effugient.

Saniùs multò in hac vitae nostrae caligine illum ignem consumentem in se admittere, qui terreni affectus, cupiditatumque nostrarum fumantes ignes vastet atque deuoret, istisque consumptis, in animorum nostrorum templis vigeat, luceatque, quàm indignationis & irae Dei ignem qui effundendus est, expectare, sub quo curuantur qui portant orbem: & de quo Psaltes, psal. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem,* Vt qui vitâ & regno Dei extorres, ad liquefactae cerae similitudinem contabescant, atque ardenti diuinae vltionis flammâ deflagrantes, aeternis addicti tenebris, à solis diuini conspectu remotissimi, pereant. quemadmodum descripsit Apollinarius:

Psal. 57.

> Κηρῷ τηκεμένῳ ἴκελοι, τήκοιντο κακοὶ σὺν
> ἠελίου λελάθοιντ, πυρὸς προμολόντος ἐπ᾽ αὐτούς.
> *Cerae liquescenti similes, tabescant mali,*
> *Solis obliti sint, igne precedente super ipsos:*

Tanquam si, quod Numinis bonitas, vt Solis & lucis spectatores essent, produxerat, lucis & solis immemores, à superueniente teterrimo barathri igne, extincti sint.

4. Templum ignis igne combustum.

Ardeat ergo ab igne Dei, templum ignis nostri. Heraclius Imperator, teste Baronio anno Christi 622. Imperatoris Heraclij 13. Bonifacij V. anno 5. num. 7. quod Persae templum igni sacrum habuere, sicut refert Theophanes in Annalib. à Gazacorentium ciuitate profectus Thebarmam peruenit, quam ingressus igne combus-

sit

sit templum ignis, siue, vt vult Cedrenus, ædem ignis non quæ in Thebarma, sed quæ in Gazaceto erat, ipsamque vrbem totâ incendio deleuit. Sic igne diuino, ignis noster delectus extinguendusque est, atque conscientia expurgâda, in quâ, erecta ara igni profano, erectus cultus. *Duo sunt ignes*, inquit D. August. serm. 255. de tempore. *Cupiditatis, scilicet, & caritatis, & vnus de parte Dei, alter de parte Diaboli, vnus deuorans omnia mala, alter vniuersa bona consumens: Consideret vnusquisque conscientiam suam, & si in se videt ignem cupiditatis ardere, cum Dei adiutorio festinet extinguere, quia nihil in illo boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accenderit: sicut contrario, nihil in eo mali remanebit, in quo ignis arserit caritatis. Flamma enim cupiditatis in corde peccatorum, velut in altari, deuorans omnia bona, Diabolo ardorem suauitatis exhalat: in animâ verò sanctâ velut in sacrosancto altari, flamma caritatis, quæcunque superuenerint mala consumens, Deo odorem suauitatis exhibet.*

Eapropter, alterum horum ignium præualere, alterum verò extinguari necessum est, vt qui in vno eodemque pectore, simul commorari nequeant: paruulus est namque lectus cordis, ideoque duos simul capere non potest: non ignem malum & ignem bonum, non amorem mundi, & amorem Dei: vt igitur amor Dei maneat, & expellatur amor mundi, mactanda est concupiscentia mala, iugulandus est amor mundi, & in arâ cordis, cremandus amore Dei, vt purgatus, atque erectus in flammâ æthereâ animus, effundatur in cælum, infundatur superis, & odoris sui fragrantiâ, afflet suauissimè nares Dei. *Hæc est lex holocausti*, inquit Dominus Leuit. 6. *cremabitur in altari totâ nocte vsque mane, ignis ex eodem altari erit.* Altare in animæ nostræ penetralibus erectum Christus est, siue Christi fides, inquit Rupertus Abbas lib. 1. in Leuitic. cap. 28. & 29. de quo Exod. 20. *Altare de terrâ facietis mihi*, id est, credetis Dei filium incarnatum, & Ecclesiæ Dei, cuius ipse caput est, veluti altare in templo præeminere, in quo holocaustum cordis humani, totâ mortalis huius vitæ nocte, vsque manè vitæ immortalis & gloriæ cremari debet igne indeficienti amoris Dei, qui ex ipso altari emicans, nos secum rapiat, & in vnitatem spiritus absorbeat.

Leuit. 6.

Exod. 20.

Qui ergo ignem illum caritatis, de quo dicitur, *Ignis in altari meo semper ardebit*, in se accendit, atque bonorum operum lignis iugiter fouet, *& semetipsum vtique holocaustum desuper imponit*, inquit Rupertus cap. 29. *quod in se malè viuebat, cauit. Cùm enim cogitationum suarum interna considerat, & vitam reprobam, per mutationis gladium mactat, in arâ se sui cordis imponit. & igne caritatis incendit: de quâ hostiâ pacificorum adipes redolent, quia interna nouæ vitæ impugnatio, pacem inter nos & Deum faciens, odorem suauissimum de nobis reddit.*

Vel etiam altare, cor nostrum est, in quo victima, malus concupiscentiæ ardor, qui ceu ignis efferuescens, animam depopulatur & perdit. D. August. in ps. 57. *Concupiscentia mala, quasi ardor est ignis. Ignis consumit vestem; libido adulterij non consumit animam? De cogitatu adulterij quum loqueretur scriptura*, ait Prou. 6. *Alligabit quis ignem in sinu suo, & vestimenta sua non comburet. Gestat in sinu prunas, perforatur tunica: gestat in corde adulterium, & integra est anima?* Et huic quidem ardori, tanquam idolo Moloch, aut Busiridis tauro permissi sunt, qui degenere animo in corporeas voluptates proni, diffluunt, æterna autem non suspiciunt. ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum. Ecce ignis à cuius facie tanquam cera liquescunt*, inquit D. August. *Soluuntur enim à quadam constantiâ castitatis, propterea & ipsi euntes in libidines suas, soluit, & fluxi dicuntur. Vnde fluxi? vnde soluti? ab igne concupiscentiarum.*

Prou. 6.

Rom. 1.

Deflagret hic ignis noster, igne Dei, donec illucescat dies ille, quem post mortalis huius vitæ tenebras præstolamur: atque ignis ex eodem cordis altari exeat, non ille desolatorius, qui igne superueniente supprimendus est, ne amplius regnet in nocte suâ, in nocte peccati: non ille fumigans & carnalis, qui in tenebrosis vitiorum tenebras facit: sed exeat ignis ille ex altari cordis qui, quod scribit Hesiod. de igne succenso in domo, reddat cordis domum lætiorem, & honorabiliorem: exeat, inquam ignis ille cælestis ac diuinus, ignis amoris Dei, qui sursum spectat, qui sursum tendit, & suspirat, & adspirat reduci in Deum, qui totius ignis amoris centrum est. Propter quod Dominus ignem venit mittere in terram, quem ipsum ardere vehementer desiderat, sicut testatur Luc. 12.

Per ignem Ægyptiorum Sacerdotes pietatem significare solitos ferunt, propter liberalem luminis illius communicationem, atque etiam amorem: ideò Cupidini amoris Deo, ignitas faces dedicarunt. Ignis ille quem Dominus misit in terram, Spiritus Sanctus est, qui totius pietatis fons viuus, & spiritalis vnctio, qui caritas, & amor Patris & Filij, à Patre Filioque procedens, veluti fluuius ille igneus rapidusque, Daniel 7. qui egrediebatur sub throno, in quo sedebat antiquus dierum, à facie eius: cui propterea sub quadam discreta Diuinitatis proprietate, nomen ignis attributum veneramur, quod docuit Diuus Baptista Matth. 3. *Ego quidem baptizo vos in aquâ, in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*: id est, in igne, per endiadym figuram quem Moises tanquam oculatus testis, ignem esse profitetur Deuter. 33. quum legem Dei in Sina monte cælo tenus flammante, igneam fuisse tradit, *in dextera eius, ignea lex*, vt quæ à digito Dei ignito, qui Spiritus Sanctus est, conscripta fuerit. Quapropter in die sacro Pentecostes, missus in Apostolos, in ignitarum linguarum specie, supra singulos eorum resedit, Actuum 2. Quomodo autem? Diuus August. lib. 2. de Trinit. cap. 5. *Non ita vt appareret eius substantia*, inquit, *quâ & ipse inuisibilis, & incommutabilis est, sicut Pater & Filius: sed vt exterioribus visis hominum corda commota, à temporali manifestatione venientis, ad occultam æternitatem semper præsentis conuerterentur.* Siquidem ignis apud Ægyptios, æternitatis quoque symbolum habitus est. Diuus autem Chrysostomus homil. 26. de Pentecoste, *Spiritus Sanctus in igne apparuit propter velocem mentis susceptionem; non autem propter hoc solùm, sed sicut ignis spinas comburit, sic & Spiritus peccata disperdit*: dum scilicet, peccata consumit, adurit, & resipiscentem illuminat.

5.

Daniel. 7.

Matt. 3.

Deuter. 33.

Porrò autem, quænam illa terra in quam Dominus venit mittere tam præclarum tam necessarium, tamque regenerandis nobis salutiferum Spiritus sancti ignem, nisi ipsamet terrea hominum corda hoc inebrianda, hoc accendenda spiritu? *Quæ dum semper infimas cogitationes congerunt*, inquit D. Gregor. homil. 30. in Euangelia, *à malignis spiritibus conculcantur! ignis in terram cum afflatu Sancti Spiritus corda carnalium incendit. Terra ardet, quum cor carnale in suis prauis voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis seculi, & incenditur ad amorem Dei. Benè ergo in igne apparuit, quia ab omni corde quod replet, torporem frigoris excutit, & hoc in desiderium suæ æternitatis accendit.* Vim namque ignis exercet Spiritus Sancti flamma, in terreno agro cordis humani.

6. Terra est cor hominis.

Ignis officia quatuor.

Et vt ignis quatuor sunt effecta, inquit D. Anselmus in cap. 12. epist. ad Hebr. *id est, quoniam purgat & vrit, & illuminat, & calefacit: Sic Spiritus Sanctus purgat sordes vitiorum, & vrit cineres & cor ab humore libidinum; illuminat mentem notitia virtutis, & calefacit incendio caritatis. Et per hæc, omnia facit placere Deo.* Istum caritatis ignem venit Dominus mittere in terram, tanquam rem omninò, tum illuminandis, tum fœcundandis cordibus, necessariam: tum denique quia quemadmodum ignis, cæteris elementis suâ præpollet actiuitate; sursum suâ natiuâ tendit; & modo nutrimento, crescit in immensum, estque quasi omnium elementorum forma: ita caritas inter virtutes cæteras, actiuâ virtute præualet: quare Simon Cassia. Ioan. 14. *Nescit feriari dilectio*, inquit, *in actione tota est.* Et D. Gregor. homil. 30. in Euang. *Amor Dei, non est otiosus, operatur enim magna, si est, quod si operari renuit, amor non est.* Otiatur terra, si illi semina mandare neglexeris, otiatur aër, nisi ventis impellatur, otiatur aqua, nisi moueatur, ignis autem otiari nequit, semper in actione est, aut ignis non est, vt is propterea viuere, & à quibusdam animal sit existimatus, non eò solùm quòd nutriatur, cùm & omniuorus sit, nec expleri queat, sed vel eò maximè, quod sensu pollere videatur, inquit Pierius Valerian. Hieroglyphicor. lib. 46. cap. 14. quòd quum extinguitur apparet præcipuè, quippe qui vitalis principij minimè expers, extingui refugit, reluctatur, excandescit, vlcisci studet; veluti animantia cætera, quibus per vim vita eripitur.

Caritas vt ignis sursum nititur.

Sursum quoque nititur caritas, quia à Deo est, & omnia ordinat in Deum: atque velut ignis acuta flamma, quod supernum est maximè calefacit, quod ad latus est minùs, quod verò deorsum, parum aut nihil, sicut scribit Holcot lect. 184. in Sapientia. Ita qui charitate præcordia habet informata, totus in Deum fertur diligendum, minùs in seipsum, & proximum, minimè verò in corpus suum & mundum. Crescit in immensum, quia virtutem actionibus incrementum accipit, nullum autem incrementi statum, in hoc rerum statu. Estque aliarum forma virtutum, quarum actibus & vitam donat & meritum. 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum*: quia, vt inquit Diuus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 18. *ipsam fidem non facit vtilem, nisi caritas, sine caritate, fides potest esse, sed non & prodesse*: ideoque Apostolus, *Nihil sum*: id est, peccator sum, qualem se confitebatur Vates Regius Psal. 72. *Ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.*

1. Cor. 13.

Psal. 72.

Quia enim omne bonum nostrum est Deus, in quo & ex quo sumus, si quid sumus, amissâ caritate non sumus, quia extra Deum qui caritas est, nihil sumus. Sed ô secula, ô mores! eò deuenisse videmur, vt tepore atque rigore animorum nostrorum inualescente, adimpleatur quod prædixit Dominus Matth. 24. *Abundabit iniquitas, & refrigescet caritas multorum.* Et quod sanguineis lacrymis deplorandum est, *Frigiditas nostra fomentum est ignis iræ diuinæ*, inquit Andreas Capella in 1. caput Ieremiæ: *& quò magis frigemus, eò olla illa (de quâ apud Ieremiam, Ollam succensam ego video) magis accenditur. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad infernum nouissima.* Ierem. cap. 15. *Ferueat in te caritas, si vis ignem istum extingui. Deuorat enim terram cum germine suo, terrenos homines, nempe, in quibus feruet rerum terrenarum cupiditas, fugit autem Dei caritas*: quæ vt accendatur, monet Diuus Augustinus lib. 50. homiliar. 9. *Scintillam boni amoris, de quâ Dominus dicit ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat: flate in vobis, nutrite in vobis, ipsa cùm creuerit, & flammam dignissimam fecerit, omnium cupiditatum carnalium ligna consumet.* In quam rem igne & feruore opus est Christianis, inquit D. Chrysost. hom. 6. in caput 2. Matt. & ipso igne, potiorem in se mentis feruorem accendere, vt quod crassum est, quod impurum, quod ignobile, excoquatur, ferrum, æs, plumbum, & cætera huiusmodi, donec in vasa aurea, argenteáve transformentur, donec à seruitute peccati, transferantur ad virtutum & caritatis principatum.

Matt. 24.

Ierem. 1. & 14.

Plato lib. 4. de Republicâ, quod ex Ezechiele cap. 22. de ære, stanno, ferro, plumbo, transcriptum opinatur Euseb. lib. 13. de præparat. Euangelicâ, cap. 25. & ad fabulam traductum, in hunc modum philosophatus est. *Iis quos natura genuit ad regnum, miscuit aurum, iis quos genuit ad seruitutem, miscuit ferrum: iis verò, qui vt principibus in rem muni salute defendendâ operam nauarent argentum immiscuit.* Nos omnes ad regnum in æthereas huius mundi auras produxit opifex Deus: ad regnum nati sumus, ad regnum educari nos voluit, argenteosque & aureos fieri: quod si adfectu ab institutione suâ degenerante, sese viliori metallo commiscuerit homo, si ab hac sede, si lineam excesserit: argentum vel aurum vili metallorum colluuie permixtum, purgandum flammis est, inquit Lorinus in psal. 65. v. 10. si fortè consumptis criminibus, ex plumbeo, ferreo, æreo, stanneo, eudat argenteus totus, vel aureus: ex auaro contumace ac duro, & ex hypocritâ, contrarijs ornatus virtutibus, quas sudenti clibanus ardens caritatis.

Homo omnis ad regnum natus.

Capitis 51. §. 1.

Duplicem esse motum caritatis.

1.

Diximus caritatem, cen ignem, semper ad æthera sursum niti, nec immeritò: nam qui caritatis naturam perspectam habuit, igneam illam fecit, Cant. 8. *Lampades eius, seu panes ignis, atque flammarum*: siue, vt alij legunt, *faces eius, faces ignis, & flamma magnifica*: vel, *prunæ eius, prunæ ignis, flamma Domini*: vel denique, *alæ eius, alæ ignis*, quomodo in quibusdam codicibus haberi testatur D. Ambrosius in psal. 118. & suffragatur Theodoretus. Iam verò potentiæ naturales, quas vnicuique rei conformiter difformiter naturæ auctor indidit, quibus pro se quæque propensionis suæ vi, in præscriptum sibi ordinem vehementi appetitu feratur, alæ dicuntur: & eas conuellere, vel detrahere, nō minus est quàm vnamquamque rem è medio tollere. Ecquis enim alas aëri, quarum pondere libratus medium hoc tenet, saluâ eius naturâ detraxerit? Ecquis terræ alas, quibus ipsa in centrum suum tendit: quis alas aquæ quibus vectâ deorsum fluit: quis alas igni, quibus sursum volat, saluâ cuiusque elementi substantiâ, eruat? Sit cuispiam qui alterum horum in alterius coloniam transferre satagat, motibus ille reuerà concutiet omnia, neque elementum vllum, quantauis agitatione temperabit, vt consistat, donec ordinem, natiuamque sedem suam consequatur. Eiusmodi sunt igneæ caritatis alæ, quæ propriæ naturæ pondere, ipso ardentiùs igne, vique validiori, cuncta transcendunt, supera & infera, præsentia & futura transuolant, donec cælo cæli infundantur, quò natiuâ virtute feruntur. *Corpus pondere suo, nititur ad locum suum*, inquit Diuus Augustinus lib. 13. Confess. cap. 9. *pondus non ad ima tantùm est: sed ad locum suum: ignis sursum tendit, deorsum lapis; oleum infra aquam fusum, supra aquam attollitur: aqua supra oleum fusa, infra oleum demergitur.*

Cant. 8.

Potentiæ naturales alæ appellantur.

tur. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt Et: *pondus meum, amor meus, illo feror quocunque feror: dono tuo accendimur, & sursum ferimur.* Item: *Igne tuo bono inardescimus, & imus, quoniam sursum imus ad pacem Ierusalem.*

2. *Luc. 12.* **Ignis motus duplex.**

Iam verò, si ita est (vti verè est) si caritas ignis est, & insitâ naturæ vi in superos agitur: Quid sibi vult, quod ait Dominus, *Ignem veni mittere in terram?* Nunquid missio hæc, descensus ignis est? & descendere, deorsum agi? iste autem motus nunquid cum ignis naturâ pugnat? Promptum est quod respondeatur. Sicut enim igni elementari puro & æthereo, duplex inest motus, naturalis vnus quo sursum fertur, circularis alter, quo mouetur in orbem, quem motum Aristoteles præter naturam esse dicit, primo de Cælo volumine, totidem verbis, cap. 2. textu 15. ὡς εἴπερ ἐστὶ πῦρ τὸ φερόμενον, καθάπερ φασί τινες, οὐδὲν ἧττον αὐτῷ παρὰ φύσιν ἡ κίνησις ἐστὶν αὕτη, ἢ ἡ κάτω. *Quare si ignis sit, id quod versatur, vt quidam inquiunt, non minùs hæc motio præter naturam est ipsi, quàm ea, quâ infera loca petuntur.* Quod quidem ita se habet, si de ijs motibus loquimur tantùm, qui priuatam cuiusque corporis propensionem atque inclinationem consequuntur, sic enim vna tantùm specie latio simplex naturalis, vni corpori simplici debetur: at si priuata propensio, simplicis corporis, siue formæ propriæ appetitus non spectetur, sed inclinatio, quam habent inferiora corpora vt superioribus obtemperent, etsi cuique corpori vna dumtaxat latio naturalis, secundum se spectato conueniat, æquè naturalis censendus est alter eius motus, quatenus ab inclinatione communi oritur; quam ad vniuersitatis bonũ tuendum inditam habet. Itaque dupliciter ignis spectari potest: vel enim eius natura cogitatur, prout à cæteris condistincta, quâ sub consideratione procliuitatem habet, ad motum suum naturalem tantùm, siue rectum: vel cogitatur vt pars vniuersi, vniuersum cum reliquis constituens, & à cælo corpore diuiniori dependens, atque ita consideratus, ad motum totius communiter inclinatur, qualis est motus in orbem, ab ortu ad occasum, quo mouetur secundum excellentioris corporis motum à quo dependet: ideoque hunc motum ignis circularem secundum naturam, non præter eam esse rectè dixeris. Sicut ergo ignis duplicem motum habet, rectum, quo loca supera petit, peculiari eius appetitui debitum, circularem alterum, rerum vniuersitati conuenientem, secundum præstantioris naturæ imperium: ita caritas, siue ignis amoris diuini, duplici motione agitatur, rectâ quidem atque illius naturæ conuenienti, quâ in Deum, qui totius amoris centrum est, tendit, ob quod Dominus dicitur constituisse hominem rectum, Eccl. 15. *Proprium* autem *Dei est*, inquit Diuus Thomas in opusculo de Amore Dei, *vt sit centrum totius amoris, est enim ille summum bonum, cui proinde debetur omnis amor.* Alterâ verò veluti orbiculari, quâ secundum motum diuinioris naturæ circumfertur, latione nempe totius, hoc est, Dei, qui sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum charitate ardentem, siue ipsam potiùs caritatis flammam, & ignis fontem, daret terræ, vt ardentissimi sui in nos amoris ignem in terram nostram demitteret, eo motu, qui quidem non connaturalis igni secundum se considerato, sed conseruationi vniuersi debitus est, vti ad illius amoris exemplar conformatus amoris nostri ignis, feratur quoque in proximum motu orbiculari, motione

Corporis cuiusque motio priuata, vna est: altera naturæ vniuersitati debita.

Eccl. 15.

totius, quod omne bonum est, quò rerum vniuersitas, hoc amoris vinculo in suo toto, in Deo contineatur, quia, vt Diuus Dionysius inquit, *Amor est connexio & vinculum quo rerum vniuersitas ineffabili amicitiâ, indissolubilique vnione copulatur:* Et D. Leo Papa: *est vinculum amantis cum amato.* Quare licèt alis hic fulciatur amor, vt recto in Deum feratur impetu, in supera volans, demittitur tamen, & circum circa inferiora rapitur, non secus ac amor ille alius, cui alas quum figurassent veteres, vt ad alta niteretur, non effecerunt, sicut cecinit Alciatus emblemate 113.

Serpit humi, semperque virûm mortalia corda
Lædit: & haud alas sentens inde mouet.

Serpit & ille sacer amor humi, quamuis *alæ eius, alæ ignis*: & tanquam vermiculus repit, & mouetur totius motu, quâ latione nostrum quoque amorem moueri vult, qui de se dixit, *Ego autem sum vermis*, tanquam tenerrimus ligni crucis vermiculus, qui & nobis dixit, *Estote prudentes sicut serpentes*, quia prudenti amore circa humana serpendum est, quò illa in Deum referantur. Et quanquam motus hic tardus videri possit, velocissimus est tamen, vt qui conformetur motui totius, quo ipse Deus, qui totum est in nos raptus, *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Quod si Struthio camelus, vti iam diximus, tantâ pedum pernicitate, atque alarum quasi velificatione valet, vt Cyri equites, desperatâ prædâ, insequi destiterint: Amor hic diuinus, velut Struthio camelus, alas quidem habet, sed non vt suo volatu sese in æthera tollat, atque à nobis abeat: missus namque in terram nostram est, non vt inde auolet, & cordium nostrorum terram deserat, sed vt maneat nobiscum in æternum: sed sunt illi alæ, vt in Ecclesiâ manens ad Ecclesiæ membra accurrat ocyssimè, pernici aduolet cursu, & mansionem apud nos faciat, tanto fœdere, vt *neque persecutio, neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, possit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Rom. 8.

Psal. 21. *2. Reg. 23.* *Matth. 10.* *Ps. 18.* *Rom. 8.*

3. Vtrumque autem hunc motum sat superque significauit Dominus in traditâ caritatis & dilectionis normâ, quum dixit, *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Hic enim, motum naturalem & rectum cernis, quo ignis ille caritatis in supera nititur, & in Deum tanquam in centrum proprium fertur: Quum autem dixit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, agnosce motum circularem totius, hoc est, ipsius Dei, quò ipse se in creaturam rationalem flexit, & *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*: secundum quem motum, ignis amoris nostri in proximum agitari debet: exemplo Apostoli, cuius ignis caritatis recto motu in suum centrum ferebatur, quũ dixit: *Cupio dissolui & esse cum Christo*: & circulari motione agebatur, quum diceret, *Permanere autem in carne, necessarium propter vos*, ad Philip. 1. & ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis.* Moisis itidem, qui totus cum Deo igneus, commissi nihilominus sibi gregis amore flagrans, *Aut dimitte eis hanc noxam*, inquit Deo Exod. 32. *aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*: quasi iam pars constitutus gregis, in terram sese demittens, vt seruaret totum: quemadmodum Christus, suâ in genus humanũ caritate, è cælo ad nos vsque deductus, vt nostri pars esset, totumque seruaret hominem, expurgatumque fermentis sancti cruoris sui merito, immersa erga nos charitatis igne, ceu sale quodam

Deuter. 6. *Matth. 22.* *Luc. 10.* *Philip. 2.* *Philip. 1.* *Rom. 9.* *Exod. 32.*

dam præstantissimo, in futuram conditet æternitatem, gratum illum sapidumque exhibiturus Patri. Ignem namque Homerus, teste Cal. Rodigino lib. 17. variar. lect. cap. 14. salem diuinum appellauit, & Diuus Ephræm Syrus lib. de verâ pœnitentiâ, cap. 1. caritatem, quæ ignis est, virtutum salem: plerique χάριτα, id est, *gratiam*, quòd pluribus interfusus gustui sapida reddat, & grata.

Capitis 51. §. 2.

In igne Deum, tanquam in Diuinitatis suæ symbolo, operari.

1. Ignis Diuinitatis symbolum.

ESt itaque Deus אש *es*, id est, *ignis*: & quia ignis est, supplicantium vota, in igne, veluti in Diuinitatis suæ symbolo exaudit: in igne apparet, igne veluti indignationis suæ instrumento, ponit: sermo eius ignitus est: ignem perpetuò ardere voluit: & plerique ignem, pro Deo coluerunt.

Audit in igne Deus iusti pia vota precantis.

Gen. 4.

EXauditus Abel per ignem, Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, quod sic reddidit Theodotio, *Inflammauit Deus super Abel*, igne videlicet cælitùs demisso, quo deflagraret & consumeretur pingue sacrificium, quod litauerat Domino, atque ita Dominus, illud sibi acceptum esse, ignis ostento comprobaret. Exauditus per ignem Aaron in sacrificio consecrationis suæ & filiorum suorum, Leuit. 9. *Et egressus est ignis à Domino, deuorauitque in altari holocaustum & adipes*, quam rem Philo Iudæus lib. de vitâ Moisis, totidem verbis est prosecutus: Post Aaronis & filiorum eius ordinationem, votis nuncupatis, sed nondum peractis, accidit insigne prodigium. Nam ex adytis, siue ætheris pars purissimi, siue aër in ignem naturaliter mutatus, emicuit, vt repente flamma prorumpens, rectâ feretur in altare, & quidquid superimpositum fuerat absumeret: opinor in argumentum manifestissimum præsentis diuinæ prouidentiæ. Decuit enim eximium donum conferri sacrarijs, non qualia sunt materiæ tractabiles hominibus, sed ignis essentiæ purissimæ, ne iste, qui in vsu nostro est, altare attingeret, quo iam innumeræ sordes contactæ fuerant. Admouetur enim non solùm brutis animalibus, dum coquuntur ad satietatem ventris miseri; verum etiam ad necandos ex insidijs homines, non tres quatuórve, sed interdum magnum numerum. Nam & classes integræ cum socijs naualibus, incensæ sunt telis ignitis, & vrbes eadem arte petitæ conflagrarunt, subsederuntque in cineres, vt ne vestigium quidem habitationis superfuerit. Hactenus Philo.

Leuit. 9.

Exauditus est per ignem Gedeon, cuius sacrificij carnes, petræ, ex Angeli apparentis præscripto impositas, absistens à petrâ flamma, quum illam virgâ, quam manu tenebat Angelus percussisset, corripuit; Iudic. 6. *Ascendit ignis de petrâ, & carnes, azimosque panes consumpsit.*

Iudic. 6.

Exauditus in precatione suâ Salomon, per ignem, 2. Paralip. 7. *Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & deuorauit holocausta & victimas, & Maiestas Domini impleuit domum.* Quo de prodigio, sic scribit Iosephus lib. 8. Antiquit. cap. 2. Salomon cùm hostias ad altare adhibuisset; cumque id solidis victimis repleuisset, litatum Deo manifesto argumento cognouit: Ignis enim ex aëre emicans, omnibusque inspectantibus in altare delapsus, correptas victimas absumpsit: ad quod prodigium populus, haud dubiam coniecturam fecit, in eo templo Numen esse habitaturum: & præ gaudio procidens in solum, vnanimiter adorauit. Hæc Iosephus.

2. Paral. 7.

Exauditus per ignem Elias Propheta in Carmelo, 3. Reg. 18. *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam quæ erat in aquæ ductu lambens. Quod quum vidisset populus, cecidit in faciem suam, & ait, Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Hoc prodigium ita describit Iosephus lib. 8. Antiquit. cap. 7. Eliâ adhuc orante, ignis repente de cælo in altare lapsus inspectante populo, tum victimam, tum aquam omnem circumfusam absumit, ita vt locus fieret aridus. Quo viso Israelitæ prostrati in terram, vnum Deum adorant, hunc maximum, & solum verum confitendo. Exauditus & aliàs ipse, 4. Reg. 1. quum quinquagenarij duo, cum suis quinquaginta militibus, ab euocatis & labentibus cælo flammis, absumpti sunt. In his & alijs similibus ostentis & prodigijs, ad pias suorum preces, vota, & sacrificia, indubitatam suæ maiestatis præsentiam, Dominus in igne, tanquam in symbolo, testatus est.

3. Reg. 18.

Et se, quum placuit, prodit in igne Deus.

MAnifestauit enim se in igne, quando in rubo inter flammas virente, Moisi ad se tentanti, loci incussit religionem. Quum enim Moises egisset pastum greges in monte Sina, inquit Flauius Iosephus Antiquitat. Iudaicar. lib. 2. cap. 5. in eo monte mirabile vidit prodigium, ignis enim rubi fruticem depascere visus, nec frondes, nec flores, nec ramos, quidquam læsit, quum tamen inde maxima & flagrantissima flamma, emicuisset. Ille, tam inopinato spectaculo, non mediocriter attonitus, magis etiam obstupuit, postquam vocem ex igne emissam, & nominatim sibi vocato verba facientem, audiuit. Sed omnium præclarissimè historiam hanc descripsit Philo Iudæus lib. 1. de Vitâ Moisis, in hanc sententiam. Accidit quondam, vt dum sectatur loca herbida, rigua, lætaque pascuis, in quodam nemore videret visionem horribilem. Rubus erat, frutex spinosus, & inualidus, is nemine igneni admouente, subitò incensus est, correptusque totus à radice, vsque cacumen, flammâ, in morem fontis scatente, manebat integer & illæsus, quasi non esset incendij materia, sed ipse ab igne aleretur. E medio promicabat forma quædam pulcerrima nulli visibili similis, diuinum simulacrum, luce fulgens clarissimâ, vt suspicari posset Dei esse imaginem. Vocemus eam Angelum, quandoquidem futura prænunciauit, tantò clariùs quantò magnificentior erat visio. Significabat enim ardens rubus, oppressos iniuriâ, vrens verò ignis, oppressores. Quod autem non exurebatur materia, portendebat non perituros qui affligebantur inimicorum violentiâ, sed conatum eorum fore irritum; illos verò euasuros incolumes. Porrò nuncius diuinæ prouidentiæ, faciebat spem, tot horrendorum periculorum, fore lætum, & facilem exitum, ea coniectura excutiatur diligentiùs. Rubus, vt dixi, frutex debilis est, & senticolus, vt vel solo contactu vulneret. Nec absumitur ignis voraci naturâ, imò conseruatur etiam, qualis antea fuit permanens, adeò nihil amittens, vt nitesceret etiâ. Hæc omnia designabant exhortationem quandam, tantū non inclа-

inclamantem pressis necessitate: Nolite succumbere, hæc vestra infirmitas, est potentia, quæ punget, vulnerabitque plurimos. Qui delere cupiunt vos, inuiti seruabunt: tot mala, illæsi euadetis; & quum maximè vastari videbimini, tunc maximè enitebit vestra gloria. Vos quoque crudeles, & igni voraci similes, ne nimium confidatis vestris viribus, cogitate inuictissimas opes aliquando deletas, & resipiscite. Ecce flammâ suapte naturâ vrens, vritur vt lignum, lignum verò cremabile, vrit euidenter ignis in modum. Hactenus Philo. Sed si ignis erat, vt verè fuit, *Quomodo non comburebat rubum fragile lignum*: petit D. Chrysost. hom. 26. de Pentecoste. *Quid igne vehementius? quid rubo vilius? & neque lignum exurebatur, neque ignis extinguebatur. Et quomodo corpora trium puerorum ignis non exussit, sed caminus in rorem versus est, & carbones tanquam rosas arbitrabantur. Certamen ignis & corporis, & tamen corporum fiebat victoria, & quod ferrô erat salubrius, ferrô factum est firmius.* Vndenam hoc? Inde: quia nulla res creata absque actuali cum eâ Dei concursu, operari quidquam potest: Deus autem extra se ita liberè operatur, quando, vbi, quomodo, & quantum vult, vt non operetur si velit; concurrebat ergo cum illo igne vt luceret, non autem vt vreret, ideoque lucebat, sed non vrebat.

3. Exod. 13. Manifestauit se quoque Deus in columnâ ignis, Exod. 13. *Præcedebat Hebræos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columnâ ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore.* De hac apparitione Philo lib. 1. de vita Moisis, Fertur illo tempore accidisse ingens miraculum, inquit, quale nunquam auditum fuerat post hominum memoriam. Præcedebat populum nubes, in magnæ columnæ speciem, solari splendore lucens interdiu, noctu verò flammeo: vt eius ductu, absque periculo erroris incederent. Credi tamen potest aliquê è summi Regis Præfectis Angelum nube inuolutum, eos duxisse, quem nefas sit aspici mortalibus oculis: Simile quid de Thrasybulo scribit Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. cap. 13. cui exules ex Phylâ reducenti, & latere volenti, ducem se per obscura noctis, columna præbuit; sed & ignis præire visus, lunâ silente, hyberno cælo, & caliginoso, qui citra cuiusquam offensionem, ductoris officio functus defecerit, vbi ara Luciferæ, siue Veneris, constituta: non tamen in illo igne, non in illâ columnâ Deus, sed simia Dei, veterator ille, qui se transfigurat in Angelum lucis. Seuerus Minoricensis Episcopus, apud Baronium tomo 5. anno 418. Euodio scripsit, in Balearibus insulis, quum Iudæorum plurimi ad Christi fidem conuerterentur, visam fuisse columnam ignis & nubis, quæ tamen ducem non ageret.

4. Lex in igne data. In monte Sina Deus igneam daturus legem, in ignis specie luculentissimè apparuit. Describit eleganter Philo Iudæus lib. de Decalogo, totidem verbis: Quum lex diuinitùs Moisi traderetur, adstante ad præstitutum diem populi concione, Tum vox è medio flammæ supernè ruentis, horrendum insonuit, diserta & articulata iuxta communem captum auditorij, tam manifestè se ingerens, vt videre magis, quàm audire se putarent: sicut scriptum est, vniuersus populus videbat vocem apertissimè. Humana enim vox, auditu, diuina visu percipitur. Quare? quia quæcunque Deus dicit, non verba sunt, sed opera, quorum iudicium non tam est penes aures, quàm penes oculos. Siquidem pro dignitate [illegible] itur, vox è flammâ procedere; probata sunt enim Dei præcepta, velut aurum igne examinatum. Nec caret hæc figura mysterio, quoniam ignis habet vim geminam, illustrandi, vrendique: præcepta hæc obedientibus eruunt per totam vitam pro lumine, legibus, ceu sideribus animæ prælucentibus: quotquot autem contumaces fuerint, æstuabunt, vrenturque intestinis concupiscentijs, more flammæ, totos homines semel occupatos depascentis. Hæc ille.

Deut. 4. Deuteronomij 4. traditur & ratio, cur mons Sina igneus. *Accessistis autem, & stetistis sub monte, ardebatque mons ille igne vsque ad cælum, erantque in eo tenebræ, & nubes & caligo. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis, vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis. Cur hoc? Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fæminæ, similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, vel auium sub cælo volantium, atque reptilium quæ mouentur in terrâ, siue piscium, quæ sub terrâ morantur in aquis: ne fortè oculis eleuatis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cælo sunt.* Ardebat enim mons, & flamma eius in quâ loquebatur Deus, pyramidali figurâ cælo tenus ferebatur; & interea, mons ille totus, caligine & nebulis obducebatur, ne quid de eo videretur, præter, instar fontis aquæ erumpentem flammam, non saxa, non arbores, non vllum animal, non vlla rerum creatarum figura visibilis, quæ scalpi posset, ne si quidpiam horum populus vidisset, arbitraretur Deum loquentem esse quid simile, & adorandam illius formaret imaginem.

5. Quod si tamen ad altiorem speculationem attendere voluissent Hebræi, mentem illorum proliciebat Deus, scilicet, vt cùm à præsentis Numinis magnificâ gloriâ, caliginem, nubem, columnam, oculis obiectam haberent: intelligerent Deum ista esse mortalibus, ad quorum eruditionem hæc symbola essent proposita. Quia enim lucem habitat inaccessibilem Deus, in quo tenebræ non sunt vllæ, nobis tamen penetrale Diuinitatis curiosiùs adire volentibus, caligo est & tenebræ, per quas lapsus facilis, & ignis crucians non resipiscentibus. Nubes est, & vmbraculum suis, protegens à tribulationis æstu, atque supernæ consolationis rore, illos, quorum protectionem susceperit, perfundens. Est ignis amoris, vt iustis in nocte mortis affulgeat, sicut docet Pampolitanus, in quâ horribiliter turbantur mali. Nubes est pijs blanda & suauis, aspera impijs, grandine, niue, fulgetris. Ignis est lucens, & prælucens iustis, ardens & terribilis iniustis. Nubes est, diem prosperitatis salutari afflictionis pluuiâ temperans, ne quis efferatur: ignis est illuminans in nocte tribulationis, ne quis desperet. Actuum 12. Petro in carcere vincto, *Ecce Angelus Domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo.* Nubes est refrigerantis gratiæ, in æstu tentationum & concupiscentiarum carnalium, inquit Rickelius: ignis est veritatis radio, salutariue sapientiâ mentes nostras illustrans, ne nox atra nos errantes obruat. Nubes est Christus, quia homo, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, secundum Hugonem in psal. 77. ignis est, quia Spiritū sanctum misit in igne. Nubes est rorida Christus, purpureis vulnerum suorum fontibus, irrigans mortale genus: ignis est prælucens scientiæ face in nocte erroris, atque errantes ad veritatem adducens: sic Elias Cretensis in orationem 3. Nazianzeni. *Hæc igitur ignis columna*, inquit, eos

Act. 12.

Nubes & ignis Christus.

qui

Exod. 9. ctus iniquorum, Exod. 9. pluit namque Deus grandinem permixtam igni super terram Ægypti, quâ mirabili pluuiâ, quicunque intercepti fuere, deleti sunt, excandescente creaturâ in vltionem, velut instrumentum diuinæ voluntatis, sicut testatur Propheta psal. 49. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Ps. 49. reddidit D. Hieron. *Ignis coram Deo vorabit*, velut ignis ille egressus à Domino Leuit. 10. deuorauit Nadab & Abiu Aaronis sacerdotis liberos, Leuit. 10. quòd igne alieno thuribulis suis imposito, fumum thuris obtulissent Domino. Velut ignis ducentos quinquaginta viros, offerentes illegitimè incensum Domino, interfecit Num. 16. velut ignis egressus de Esebon, & flamma de oppido Seon, Num. 21. deuorauit Arnon Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon. 4. Reg. 1. duo quinquagenarij cũ suis igne celitùs lapso periere. Igne & sulfure deflagrauit Pentapolis, Gen. 10.

M. Messala, & C. Liuio Coss. igne cælesti complurium vestimenta adusta fuisse, testis Iulius Obsequens: Fulminati non pauci, velut Semele, apud Ouid. 3. Metamor. Æsculapius apud Plinium lib. 29. cap. 1 Salmoneus apud Virgilium. Alexandri Magni milites, ad Milesiorum spoliationem conuersi, ignis fulgore occæcantur, de quo Lact. lib. 2. de Origine erroris c. 7. Ceres Milesia multum sibi venerationis adiecit apud homines, nam quum ab Alexandro capta ciuitas esset, ac milites ad eam spoliandam irrupissent, omnium oculos repente obiectus fulgor ignis, extinxit.

Olympius Arianus Episcopus in Africâ, in thermis lauans, dum in Sanctissimam Triadem blasphemias deuomit, triplici ignito iaculo cælitùs emisso petitus multis inspectatibus interijt: auctor Sygebertus in Chronicis. Vt sexcentos alios præteream, qui vindice flammâ impietatis suæ pœnas dedere. Itaque illos qui in diuinitatem, quæ ignis consumens est, impij sunt, igne Deus perdere gaudet, consolatus super inimicos suos. Ideoque etiam in caligine nubis & igne, igneæ legis auctor Deus, vt semper illum paratum esse intelligeremus, vel ad protectionem & illuminationem, si mandatis eius obtemperauerimus: vel ad vltionem & vindictam, si sanctissimum iustissimumque eius imperium detrectauerimus: siquidem ignis, teste Diuo Chrysostomo hom. 32. in cap. 12. epist. ad Hebræos, legislatorem in igne seuerum, atque terribilem, significat.

Ignea sermonis spicula ab ore iacit.

7. Sermo Domini ignitus

ET quia nihil nisi ignitum esse potest quodcunque ab illo purissimo & supremo igne Deo processerit, à quo, tam quæ in cælis sunt sursum, quàm quæ in terrâ deorsum incalescunt viuificanturque: sermo quoque diuinus quo creantur & recreantur vniuersa, ignitus est: *Ignitum posuit eloquium suum*: imò ignis ipse est, quem Assertor generis humani in terram misit, lex noua scilicet atque ad illius obseruantiam incitamenta; vt sunt beatitudines quas renuntiauit aperiens os suum, atque tot flammas, tot ignes, tot incendia eructans, quot sententias, quot verba, per quæ inspiratus ignis animos audientium accenderet, velut eloquiorum illius flammæ discipulorum corda apud Emauntem incendit. Vidit in dexterâ Dei legem igneam Moises, quæ est eloquium Dei, vidit, vt nos mortales istâ visione eruditi, non aliunde traditam legem veneremur, quàm à Deo patre, & filio eius vnigenito, qui brachium & dextera Patris, & Spiritu-sancto, qui ignis est in igne Patris & Filij: & quidem, Ps. 118.

vt innouatâ rationalis creaturæ conditione per eamdem per sanctam Trinitatem per quam creata est, non modò sensus nostros illuminet velut ignis, atque purificet: verumetiam, vt quia adimpletio, finisque legis est dilectio, siue caritas, in eamdem transformemur: Rupertus lib. 2. in Deuteron. cap. 10. *Ignea lex in dexterâ illius*, inquit, *ardentissima caritas est in fortissimis operibus illius, quâ dilexit populos: non, inquam, vnum Iudaicum populum, sed omnes populos. Hæc illud effecit, vt de Sina veniret nobis, vt de Seyr oriretur nobis, vt de monte Pharan appareret nobis: in similitudine illius temporis, quo apparuit Moisi in flammâ ignis, de medio rubi & liberauit populum suum de manu Ægyptiorum in manu forti. Sic enim cum ignitâ lege dexterâ suæ, cum ardentissimâ caritate omnipotentiæ suæ, apparuit nobis, vt liberaret nos de manu Pharaonis & Ægyptiorum, id est, Diaboli & Angelorum eius, Spirituum malignorum, in manu forti, quia ipsum diabolum vicit, atriumque eiusdem fortis fortior debellauit & cepit.*

Idcirco namque Propheta psal. 118. ait, *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus*, hoc ignito iaculo transfixus, *dilexit illud. Ignitum*, quia ardorem caritatis operatur in nobis: ignitum vehementer, inquit, atque ita vehementer, vt æstũ illius vix sustineret Ieremias Propheta cap. 20. *Et factus est*, inquit de sermone Domini, *in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens.* Cogitanti namque illo melius esse tacere nomen Domini, quàm sic prophetando irritare crabrones, verbum Domini, in eius corde ita exarsit, vt quin erumperet in flammas, intra se continere non valuerit. Et quid mirum? quandoquidem Dominus Ierem. 5. ait, *Ecce dedi verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna, & vorabit eos.* Ps. 118. Ierem. 20. Ierem. 5.

8. Ignis effectus mirabiles.

Ignis effectus miri ex D. Augustino lib. 21. de Ciuit. Dei cap 4. *De ipso igne mira quis explicet? inquit, quo quæcumque adusta nigrescunt, cùm ipse sit lucidus, & penè omnia quæ ambit, & lambit, colore pulcerrimus decolorat, atque ex prunâ fulgidâ carbonem teterrimum reddit. Neque id quasi regulariter definitum est: nam contrariò lapides igne candente percocti, & ipsi fiunt candidi: & quamuis ille magis rubeat, illi albido colore nitescant, congruit tamen illi luci quod album est, sicut nigrum tenebris.* Ita neque vna est vrendi ratio sermonis diuini, hos enim adurit, & atros relinquit; illos in cineres & fauillas vertit, alios quos inflammarit, candidos efficit, qui etiam velut calx viua, conceptum ignem, quasi animam inuisibilem visibilis corporis latenter seruant, qui in medijs ærumnarum aquis ferueat, & ad suum recurrat principium. Igne induratur lutum, cera liquescit: sermone Domini induratur cor lutosum, mollitur cor docile descripti in libro vitæ: fœtent pretiosæ vestes in igne, aromata suaui suffitu nares afflant; eloquijs Domini fœtet superbus contempta passim humilitas claret magis, & gratum superis exhalat odorem: aquam ignis exsiccat: eloquium Domini, concupiscentiam malam. Sermo diuinus, est calculus ille de quo Isa. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuũ mundabitur.* Carbone ignito, incenso, ardẽte, prunâ ignitâ, prout varia est interpretum lectio, Spiritus S. gratiam designari, asserunt nõnulli, quâ labiorũ sordes expiantur, & impedimenta tolluntur: Alij Messiam: referente Elia Scholiaste in 1. Orationem D. Grego. Nazianz. Aiunt autem, inquit totidem verbis, hunc carbonem Emmanuelis typum gessisse, vt enim lignum cum igni commixtum ac diu exustum est, flammamque penitùs excepit, ignis omnino esse existimatur, etiamsi alioqui lignum Isa. 6.

 esse

esse non desierit, nec naturam suam amiserit, verùm inseparabili modo inesse credatur, ac carbo nominetur, atque ea quæ igni propria sunt, operetur, hoc est, illuminet, & vrat. Ad eundem quoque modum Deus Verbum, carni ex Spiritu sancto & virgine compactæ, animamque intellectualem habenti vnitus, vnitus, inquam, non simpliciter, sed vnione personali, carnem quidem in suâ naturâ seruauit, nec in suam ipsius naturam transtulit, nec item ipse in illius naturam migrauit, verùm semel vnitus & copulatus diuinitatis dotes per hypostaticam vnionem ipsi impertiuit: ita vt & sanet, & vitam adferat, & peccata purget, quoniam rerum omnium effectoris & viuifici verbi proprium corpus extitit, & diuinus carbo est. Hæc ille. D. Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ. cap. 14. Christi corpus in Eucharistiâ figurari dicit, quod ex altari nostro sumptum, peccata purgat; *apponentes oculos, & labia, & frontem,* inquit, *diuinum carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderij, assumens ex eo carbone ignitionem, cōburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur, & Deificemur. Carbonē vidit Isaias, carbo autem simplex non est, sed vnitus igni: sic panis communionis, non panis simplex est, sed vnitus diuinitati, & corpus vnitum diuinitati, non vna atque eadē illi natura est, sed vna corporis, & vnita diuinitatis.* Nos hic per carbonē ardentem Dei verbum accipimus, quo ex altari, hoc est, à Christo, sumpto, tacta labia immunda purificātur, corda accenduntur, peccata exuruntur, error consumitur, sæua materialium flammarum incendia extinguuntur, sic vt Hebræi hoc correpti igne, ardentis fornacis incendia nec formidarint, nec senserint: per quem diuinæ cognitionis ardore, secreti mentium inflammantur adfectus, virtutum cupiditas accenditur, fidei atque deuotionis thus crematur, opprimuntur hæretici, qui sermonem Dei, non ex altari Ecclesiæ Catholicæ, in quā solā verus scripturarum sensus & intellectus, sed ex erecto à seipsis altari contra altare, hoc est, ex suo ipsorum proprio & peruerso sensu desumunt, de quibus, ex sententiā D. Brunonis vaticinatus est Propheta psal. 139. *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos:* ait enim, per carbones, viros spirituales intelligi, qui caritatis & diuinarum rerum cognitionis igne accēnsi, casuri dicuntur, & instar rei grauis desuper magno impetu cadentis, sententiarum authenticarum pondere, hæreticos oppressuri, hostilesque repressuri impetus: Prouerb. 30. *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se.*

Carbo ignitus verbum Dei.

Ps. 139.

Prou. 30.

Hoc clypeo munitus, hoc ignito carbone armatus, inflāmatus, alterius carbonis materialis igneam violentiam non sensit Sanctus Montanus Archiepiscopus Toletanus, atque suam innocentiam tutatus est: de quo S. Ildephonsus apud Baronium anno Christi 531. Ioan. Papæ. 1. Iustiniani Imperatoris quinto: quod, quum faceret, toto sacrificij tempore ardentes prunas in vestimentis tenuerit: *peractis autem solemnibus,* inquit S. Ildephonsus, *nec prunæ ignem, nec vestis inuenta est amisisse decorem.* Clypeus igitur ignitus sermo Dei, vt ignem inimici tela retundat, carbo ignitus, vt purget, vrat, dissipet, atque alia in se conuertat, sagitta flammæ, penetrans & exurens corda & renes. Ideoque, vt Ouidiano fere versu vtar ex 12. Metamorphos.

S. Montanus

Ecce rapit medijs flagrantem Seraph ab aris
Primitium torrem.

Dicamus, *ardentem prunam,* quâ purgantur & accenduntur viri Dei, vt ipsi similiter alios purgēt, atque incendant, quomodo accensi Apostoli, orbi vniuerso, igne sermonis Dei, in Spiritu sancto, illuxere, vt propterea lux mundi, calefaciens & illuminans, sint appellati, de quibus, deque alijs Ecclesiæ proceribus Zachar. 12. *In die illa ponam duces Iuda, sicut caminum ignis in lignis, & sicut lampadem ignis in manipulo, & deuorabunt ad dextram, & ad sinistram omnes populos in circuitu.* Igne nam que Spiritus Sancti accensi fuerunt inter gentiles quasi ignis in lignis, aut flamma in stramine, multosque deuorarunt, & Christo incorporarunt, colliquescentibus rigidis animorum affectibus ignitā voce spon, si Cant. 5. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Et in Christianæ humilitatis vallem hilari mente, descendentibus. Et quidem ita accensi plerique illo Dei ignito sermone fuerunt, vt in eorum vultu splendor emicaret: *Solet enim correptorum Numine, non solum anima concitari, cen quodam œstro, sed & corpus erubescere incandescereque interno gaudio prorumpente in exteriora,* inquit Philo lib. de temulentia, agens de Samuelis Matre, quam vino temulentam indicauit Sacerdos, cùm tamen diuino arderet, & radiaret eloquio: Sic Moses ex consortio sermonis Domini, radiantem in modum cornu vultum præferebat, Filijs Israel tremendum Exod. 34. & Act 6. intuentes Stephanum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.

Zach. 12.

Cant. 5.

Act. 6.

Et sibi conspicuas æternis ignibus aras
Esse iubet.

IGnis præterea vt inuiolabiliter ritu perpetuo vigeat, præscripsit Deus Leuit. 6. *Ignis autē in altari semper ardebit.* Verùm numquid hac præscriptione antiquior est ipsius seruandi ignis institutio? Ad Noachi vxorem illam nonnulli referunt, quæ à sacro igne, quem virginibus custodiendum tradidit, Vesta dicta sit iuxta illud Ouidianum:

9. Ignis in altari continuus esse iubetur. Leuit. 6.

Nec tu aliud Vestam, quàm puram intellige flammam?

Ab אש, *es,* id est, ignis, à quo nomine Græci ἑστίαν fecere, Romani Vestam siue à Cimbricâ voce *Va, est,* Geropio interprete, qua stabile rerum omnium fundamentum significatur: ideò fortasse, quod veterum quidam opinati sint, ignem omnium rerum esse principium, adeoque nihil esse, quod non cum igne communicet, in quam sententiam dixit magnus ille Areopagita, diuinor. nominum cap. 1. *De igne quid dicemus? etenim nihil vsquam fit, quod eius scintilla carere dicatur, vsque adeò vt Heraclitus cuncta ex igne genita esse dixerit,* imò & in ignem decreto decremandis defunctorum corporibus constituto, tanquam ad suam originem reuerti voluerit, teste ab Alexandro Genial. dierum lib. 3. cap. 2. non desunt tamen, qui, Vestæ appellatione, terram significari contendant, apud Cæl. Rodig. variar. lect. lib. 15. cap. 14. eam mulierem fingentes timpanum gestantem, quòd ventos intra se terra contineat: eamque primam, postremam quoque genitam volunt, quoniam quæ ex terra propagata sunt in eandem resoluantur, rursumque consistant: ideò autem Vestæ ignem apponi, quod terra ex seipsa inflammationes in sublimi efficiat. Vestam quoque Deam accipiunt, alij essentiam formarum separatarum, diuinorumque stabile fundamentum.

Vtut hæc sint, quò ad primam perennis flammæ institutionem, institutionisque rationes veniamus, priùs, quid de ignis origine veteres? Quidam Philosophiæ proceres, ex cælestium orbium attritu generari prodiderunt, teste Rodig. lib. 15. variar. lect. cap. 15. ideoque ab elementorum decuria reijciendum, quia quod ab alio

10. Variæ opiniones de ignis origine.

alio ducit originem, ipsum elementum non est. Ex quo consequitur totam cæli molem à primo mobili, aerem vsque igneam esse, quam ob rem Plato dixisse videtur, Deum primò ignem fecisse ac terram, ignem nimirum cælum præcipue intelligens, quod ignea vi, quanquam occulta, omnia contineat. Alij ex atomis sponte suá, nulloque auctore genitum voluerunt, sicut & cætera omnia; quos contra Lactantius lib. de ira Dei, cap. 10. nihil per atomos fieri probat, quod vnaquæque res, vt nascatur, sui generis indigeat semine; & quod ignis à rebus etiam sui natura frigidis oriatur. *Nihil enim*, inquit, *per atomos exinde fieri apparet, quod semen cuiusque rei certū est; nisi forte & ignem, & aquam natatam ex atomis esse credimus. Quid, quod durissimis rigoris materia, si ista vehementiore collidantur, ignis excitatur? Num in ferro aut silice atomi latent? Quis inclusit? aut cur sua sponte non emicant? aut quomodo semina ignis in materia frigidissima permanere potuerunt? Omitto silicem, ac ferrum. Orbem vitreum plenum aqua si tenueris in sole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur, etiam in durissimo frigore. Num etiam in aqua ignem esse credendum est? atqui de ipso igne, ne æstate quidem accendi potest.* Plinius autem lib. 4. cap. 12. in Delo insula primò repertum ignem, fabulosè narrat. Phœnices, apud Euseb. Cæsar. de præparat. euang. cap. 7. à Protogono ex attritione lignorum, compertum nugantur. Plinius libi 7. cap. 56. Pyrodem primum è silice excussisse refert. Prometeum asserunt alij ignis inuentorem, qui etiam ipsum in ferula seruare docuerit, Satyrum vero igne recens à Prometheo inuento, tantopere delectatum scribit Plutarchus vt complexus sit & osculatus, abiecisse autem vlulatum protinus, & fugisse. Pausanias verò ex Argiuorum sententia, ignis inuentionem non in Prometheum referendam prodit, sed Phoroneum verius, inquit Rodigin. lib. 15. qui eum primus mortalibus communicarit: accessu vero ad ignem cœpisse homines inter se colloqui & communicare, scribit Vitruuius lib. 2. natalque inde hominum sodalitates, & commercia, conuictus & ciuitates. Ac tandem quotquot antea ignotum sibi ignem, ab alijs traditum accepere, eos à quibus acceperunt, tanquam eiusdem inuentores, venerati sunt, etiamsi forte in ardentem solum materiam aliquam fulmine tactam incidentes, vti tradunt nonnulli, teste Pierio Valeria. hieroglyphicorum lib. 19. cap. 19. mox vtilitate prospecta eius vsum alijs tradiderint, atque inde ad ignaria deuentum sit, primam hanc traditi ignis mortalibus opinionem, inter varias reponit Lucretius.

> *Illud in his rebus, tacitus ne fortè requiras,*
> *Fulmen detulit in terras mortalibus ignem*
> *Primitus, inde omnis flammarum diditur ardor.*

Incognitum autem diu pluribus fuisse, exemplo sint illi, de quibus Mela. lib. 3. cap. 4. apud Maiolum in canicularib. tom. 1. colloquio 22. & Ludouicum Viues in scholijs ad cap. 4. lib. 12. Diui August. de Ciuitate Dei, non longè à Macrobijs extrema Ægypti ora ad Oceanum, inquit, quibusdam ante aduentum Eudoxi, adeò ignotus fuit ignis, adeoque visus mirum in modum placuit, vt amplecti etiam flammas & ardentia sinu abdere, donec noceret, maximè libuerit. Plinius autem, lib. 6. cap. 30. quibusdam Æthiopum populis, ante Ptolomeum Lathyrum Ægipti regem, ignis vsum incognitum fuisse tradit: & nouissimè Petrus Teixera lib. 1. regum Persar. cap. 22. insulæ Thimor incolis, vti igne, nouum esse & recens valdè scribit.

II. Deus creator ignis.

Cæterum tamen *Ignis in substantia sua in qua est, à creatore creatus est*, vti inquit Diuus August. epist. 178. neque quisquam alius auctor illius est, sive duplicem illum intelligas, de quo Pier. Valerian. supra: quorum vnus, translucidus & purus, qui per Palladem, Vulcani nuptias auersantem, quæ virginitatis suæ puritatem seruet integram, significatur: alter materiæ adhærescens, aere tamen commistus, qui per Vulcanum Palladis fœdera iugalia suo sortium nisu affectantem indicatur: ad quam ignis diuisionem attendisse videtur Diuus Augustinus, quum lib. 21. de Ciuit. cap. 11. dixit: Ignis de lignis & lapidibus nascitur, sed turbidus fumens, corruptibilis & corruptor: at supremus ignis, tranquillus purus, innoxius sempiternus. Siue etiam triplicem cum Platone in Timæo, crassum scilicet, & impurum vnum alienæ permixtum materiæ, vrentem vel emetientis, minùs lucentem, vti sunt ferrum ignitum, lignum & carbo, alterum subtiliorem & puriorem, vt multùm vrentem & lucentem flammam. Tertium subtilissimum, mundissimumque non vrentem, & multùm lucentem, qui rebus omnibus salubris, vitalisque est, qualis est lux astrorum cælestiumve globorum, quibus adde quartum elementarem, qui per se nec vrit nec lucet, qui calidus, & siccus, simplex, sincerusque est. Quemcumque igitur ignem conceperis, illius est creator Deus, qui etiam in materia sensibili, omnis illarum ignis formarum quandam expressit similitudinem: ideò enim in locis montanis Apolloniorum iuxta Atitaniam (qui nymphæi locus est) è petra quadam ignis emanat, qui nihil aut parum cernitur, vrit & parum lucet, si superfuso oleo flammam concitatis, meminit Aristoteles lib. de admirab cap. 34. Ideò in Chymæra monte ignis est qui aquis accenditur, de quo Plin. lib. 2. cap. 106. immortalis est ignis ille, diebus ac noctibus flagrans flamma, lucens multùm & vrens multùm. Ideò in Pytherusis feruens & mirum in modum calidus ignis reperitur, nec tamen comburit, auctor Aristoteles supra cap. 35. ardet ignis ille & lucet, nec tamen vrit. Ideo denique penes vrbem Pataram Lyciæ locus campestris est igneus totus, neque tamen vrit, neque lucet ignis ille, nisi nocte subueniente, in qua tanquam è ferrarij fornace vaporat flamma, cui si quis manum propriùs admouerit, ardorem quidem experitur, adustionē verò nullam, meminit Maiolus tom. 1. colloquio 22. ex Marco Polo lib. 1. cap. 18. Ignem præterea, ab initio creaturæ suæ, paratum habuit Deus Diabolo & Angelis eius æternum illum, semper vrentem, nec absumentem; cuius etiam imago quædam oculis subiecta mortalium in Siciliæ montibus qui flagrant, ardentque semper nec absumuntur, quod satis miratur D. Augustinus lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 4. *Notissimi*, inquit, *Siciliæ montes, qui tanta diuturnitate temporis, atque vetustate, vsque nunc & deinceps flammis æstuant, atque integri perseuerant, satis idonei testes sunt, non omne quod ardet absumi: & anima indicat, non omne quod dolere potest, posse etiam mori.* Ignem sub flammantis machera figura, paradisi ianuæ præficit Deus, ne vltra homini eiecto, pateret accessus. Ignem protinus dedit mortalibus, tanquam munus longè maximum cùm ad varios vitæ humanæ vsus, tum ad metalla liquanda, ferruminandaque quæ in ferrarijs ærarijs, aurarijs, argentarijs, aut plumbagine ad vsus humanos effodiuntur. Plin. lib. 36 cap. 27. Ignis accipit arenas, inquit, ex quibus alibi miolum, alibi plumbi genera alibi pigmenta, alibi medicamenta fundit. Igne lapides in æs soluuntur, igne ferrum gignitur & domatur, igne cremato lapide, cæmenta in tectis alligantur, estque ignis constantis munere vsus Tubalcam

Ignis multiplex.

Ignis ad varios vsus homini datus.

Gen. 4.

balcem Gen. 4. *Qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri*: tum ad frigoris, tenebrarumque arcendas calore & luce molestias, holocaustomataque incendenda; ignem namque in suis sacrificijs Adamum adhibuisse credendum est, de Abele,testatur D.August. lib. 22. contra Faustum Manichæum, cap. 17. vbi etiam cur adhiberetur rationem tradit, *quia eadem substantia corporis in cœlestem commutabitur qualitatem, quod ignis in sacrificio significabat, velut absorbens mortem in victoria*. Quò etjam tum à Græcis, tum à Barbaris in cremandorum cadauerum ritu, spectatum videtur: licet exustionis ratio non vna adferatur, vti inquit Cæl. Rodig. lectionum antiquarum lib. 17. cap. 21. alijs opinantibus quod in nobis diuinū est, igneo veluti vehiculo ad superna subuectum, cælestibus inseri, subsidente quod terrenum est: alijs in eo purificationem quandam intelligentibus, quoniam ignis sit ἁγνιστικὸν quiddam, id est, expurgandi, lustrandique vim habens; quod significat Euripedes, vbi Clytemnestræ corpus, igni depuratum scribit. Hæc ille.

12. Ignis pro sacrificijs à Deo traditus.

Ex his quantū coniectura consequimur, cùm neque sacrificia perpatrari, neque religio, absque igne coli possit, ad sacrificia, piaculares que victimas ignem à Deo sibi traditum, Adam primus peruigilem conseruasse videtur, quo vsus etiam sit Abel offerens de primitijs ouium suarum, & de adipe illatum Domino sacrificium, Gen. 4. quem tamen fortè probabilius, ignem cælitùs in sua sacrificia dilatum, mox additis fomentis aluisse, deinde Adamum reliquisse etiam extinctū, sacrificijs faciendis, in quo Enos quoque cœpit inuocare nomen Domini: atque deinceps propagatam in stirpe sancta flammæ perennis conseruandæ religionem, ad Noachum vsque, qui remissis cataclysmi aquis, extructo altari Domino, de pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta, Gen. 8. quod absque igne perfici nō potuit. Veruntamen, vtrum incendendis holocaustis acceptus is fuerit ex illo iugi igne, qui eā in rem reseruatus agitetur, an verò ex igniario excussus, vel etiam è cælo in altare lapsus, victimas absumpserit non dijudico. Præcipuam tamen ignis conseruandi curā exinde Vestam Noachi vxorem, Noachò alijs rebus intento, si non continuasse, saltem suscepisse, produnt auctores non ignobiles, virginesque illi conseruando abs se delectas, ludente vel permittente Noacho in republica cōstituenda, colonijsque ducendis occupato, præfecisse; ita Iacobus Middendorpius lib. 3. Academiarum, titulo *Vesta*, vbi etiam egregium Palladium Vetuloniæ, in Italia Noachū & Vestā sempiterno igni conseruando extruxisse memorat, cuius certissima hactenùs argumenta extare probat Annius, sacros nimirū ignes, & Ethruscis literis descripta monumenta. Voluerunt nempe nouelli illi stirpis humanæ progenitores designati hac custodiendi ignis inextincti cæremonia, posteros suos admonere, tum vt crebrò sacrificijs intenderent, tum vt ad diuina peragenda nōnisi purè casteque adirēt, quemadmodū ipsi puram, sterilem, inuiolabilem ignis substantiam, integris, castisque virginibus cōmendarāt.

Cur iste ignis custoditus?

13.

Tandem verò sempiterni ignis sacrificiorum caussa conseruandi ritum, nouo præcepto roborauit Deus eius nutritionem sacerdotibus, vtpote qui vitæ purioris sanctimonia præstare, sacrificijsque intendere debeant, per Moisem demandans, Leuit. 6. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subijciens ligna mane per singulos dies; & imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Quod quidem de illo igne accipit Abulensis ibi, quem Deus è cælo in Aaronis sacrificiū demisit, sua sacrificia ab aliarum gentium sacrificijs, ista honoris prærogatiua discernens, quique perpetuus in Altari, religiosissima, diligentissimaque Sacerdotum cura etiam in templo Salomonis permanserit, ad Babylonicam captiuitatem vsque, quo tempore Sacerdotes migraturi, magna circumspectione, illum ignem in alto puteo & sicco abdiderunt, vbi annos septuaginta delituit, in cuius locum reuersis in Iudæam Hebræis, cùm requireretur, aqua crassa inuenta est, quæ à Nehemia iussa infundi sacrificijs in ignem postliminio euaserit, qui deinceps in altare reseruatus vsque ad Ierosolymorum excidium sub Tito & Vespasiano, perdurauit, etiam sine vlla nutrimenti necessitate, nisi cùm faciendum esset, siquidem etiam illum cùm castra mouebantur in deserto, intra altare vestimento rubeo inuolutum, sua se tueri natura, Iudæorum traditio est, quam licet hìc probare videatur Abulensis, improbauerat tamen cap. 3 quæst. 6. ne tanta miracula nusquam in sacris literis descripta admittere sine necessitate cogeretur, & meritò, quādoquidem illi fomenta ministrari iusserit Deus quibus aleretur, neque expers incendij fuisse, in scriptura narretur, quæ vrendi vim babylonicæ fornacis repressam minori miraculo non tacuit.

Leuit. 6.

14. Gentes etiā pro suis cæremonijs ignem custodierunt.

Hunc rogi excubitoris seruandi morem gentes æmulatæ, etiam in suis cæremonijs habuerūt: nam & qui in agrum Argiuum ignis, cælitùs primò delapsus putatur in Apollinis templo custoditum ferunt: & Strabo lib. 19. Mineruæ templum meminit, inquit Cæl Rodig. lib. 15. cap. 14. in quo lucis inextinctæ lychnus, & virginum domus. In Græcia vbi peruetustus foci peruigilis curandi mos, & apud Delphos, non virgines, inquit Plutarchus, sed matrimonio solutæ huic rei instant sedulæ. Vestas autem duas, veteres fuisse commemorant, quarum vna Saturni mater fuerit: altera, altera, ex Saturno & Ope filia, illā terram significari voluerunt & Vestam dici, quoniam rebus omnibus vestiatur, siue quod vi sua stet, quæ posterior etymologia Ouidio placuit, 6. Fastorum.

Stat vi terra suā; vi stando Vesta vocatur.

Hac verò, ignem, quam, *idcirco virginem putant*, inquit Lactant. lib. 1 de falsā religione, cap. 12. *quia ignis inuiolabile sit elementum, nihilque nasci possit ex eo, quippe; qui omnia quæ arripuerit absumat.* Ouidius 6. Fastorum.

Nec tu aliud Vestam, quam viuam intellige flammam,
Nataque, de flamma, corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Hanc vnam ex penatibus Dis, Æneas in Italiam aduexit, vti ex Liuio decade 1. lib. 1. coniectare licet, asserit Maro Æneid. 2.

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Et Remigius apud Henricum Erphordium ait, inquit Middendorpius, verbo *Vesta*. Vestam præcipuam religionis Deam dicimus esse habitam: nam & sine igne nullum erat sacrificium, neo sine eo celebratur religio, vnde & ipsa, sicut Ianus (qui & Noachus) in omnibus inuocabatur sacrificijs. Diuus verò Augustinus lib. 3. de Ciuit. Dei, cap. 28. *Apud Romanos nihil templo Vestæ sanctius habebatur, in quo ara, ignisque, qui perpetua cura virginum semper ardebat.* Ascanius Æneæ filius, Albæ quam in Latio condidit, teste Liuio decad. 1. lib. 1. sacræ Vestæ instituit; Numa verò Pompilius, Romæ, quæ ab Albanis accepta nouis, præclarisque cæremonijs celebriora effecit, lectis primùm ad vigilias foci custodiā virginibus, sacrorū

Vestæ antistitibus, ita Alexander ab Alexan. Gen. dier. lib. 5. cap. 12. & Cæl. Rodigin. antiquar. lect. lib. 15. cap. 14. vt putam & incorruptam ignis substantiam, inuiolatis integrisque corporibus commendarent, siue, quod sterile ac infœcundum esset, ita te virginitati adiungerent. Ita in Numa Lucius Florus; ita Titus Liuius decad. 1. lib. 1. vrbis conditæ anno 39. totidem verbis, virginesque Vestæ legit (Numa scilicet) Alba oriundum sacerdotium, & genti conditoris haud alienum. His, vt assiduæ templi antistites essent, stipendium de publico statuit: virginitate alijsque cæremonijs, venerabiles, ac sanctas fecit. Legebantur autem intra sextum, & decimum ætatis suæ annum; neque ante completos triginta Vestalis sacerdotij annos nubere licebat: quod si qua interea stuptum admisisset, viua defodiebatur, quo affecta exemplo Minutia Vestalis, apud Liuium decad. 1. lib. 8. v. c. 418. suspecta primò propter mundiorem iustò cultum, insimulata deinde apud Pontifices ab iudice seruo, cùm decreto eorum iussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere: facto iudicio viua sub terram ad portam Collinam dextra via stantem, defossa, scelerata campo; quod nomen ei loco ab incesto factum. Apud Albanos verò non grauius ab Amulio rege sæuitum, quam vt Rhea Vestalis vi compressa, vincta in custodiam daretur, in profluentem soboles edita mitteretur; Harum itaque virginum potissima, cura, ignem perpetuum conseruare, ex legibus, quas refert Crinitus lib. 25. de honesta disciplina cap. 12. *Virgines Vestales, ignem foci publici, sempiternum custodiunto, publicè & priuatim, modo, ritúque agunto.* Ignis autem quotannis Mense Martio in æde Vestæ innouabatur, teste Ouidio in Fastis.

Adde, quod arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires, flamma refecta capit.

Gentes propter ignem extinctum interitum vrbis ominabantur.

Qui si interextingueretur, vrbis interitum portendi ominabantur Romani, vt scribit Alexander ab Alexandro suprà, neque defectum ignem ex alio igne reparare fas erat, quàm qui nouus, peregrinúsve ex sole, & sicca materia eliceretur; & sacerdos cuius per iniuriam id accidisset, à Pontifice verberibus afficiebatur. Terruit animos hominum ignis in æde Vestæ extinctus, inquit historiæ Romanæ auctor decadis 3. lib. 8. ob quam caussam cæsa flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu P. Licinij Pontificis, quanquam nihil portendentibus Dijs, id negligentia humana accidisset.

15. Qua verò mente, foci perennes ab illis instituti, Lucius Florus tradit, vti nempe ad simulacrum cælestium siderum custos imperij, flamma vigilaret: quam eandem causam reddidisse videtur Camillus Titi Liuij decad. 1. lib. 5. v. c. nu. 365. ad Quirites verba faciens, quum dixit, Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque quod imperij pignus custodia eius templi tenetur, loquar: Ideóne etiam apud Romanos olim inter signa militaria flammæ gestari solitæ, vt non minùs pro Imperio tutelaris flamma dimicaret, quàm domi custos resideret? Sanè cùm hastæ militares Romanorum olim ad alteram noctem, nihil sui detrito, non infausto omine pertinaci flamma arsissent, vbi illuxit, Romani, quamuis multitudine longè inferiores, in Sabinos illati, insigni victoria potiti sunt: refert Pier. Valer. hieroglyphicor. lib. 46. cap. 17. sic Galli quondam in prosperi euentus signum, vexillum auri flammeum in prælijs cælitus prætulisse narrantur. Aliò, pernox, perdiúsve ignis iste D. Augustino spectasse videtur, quum lib. 3. de Ciuitate Dei, cap. 18. inquit, *Sacra Vesta, ignis nimirum perpetuus, non tacendus his bonis temporalibus instituta, sed significandu æternu: & ideò, cùm ea quæ corporalia, visibiliaque essent perire contingeret, nihil his rebus minui, propter quas fuerunt instituta, & posse ad easdem vsus denuò reparari.* Subscribit Alexander ab Alexandro lib. 5. Genial. cap. 12. ad mentis humanæ significantiam referens, quæ quia inuisibilis sit, nullum propterea Vestæ signorum in eius æde extitisse, ait in templo Vestæ, quod forma circulari erat, inquit, nulla effigies aut simulacrum Deæ, cui immolarent visebatur, quia Vestam nihil aliud quàm animum, & diuinum putarent ignem, quæ diuina mens animo concipitur, oculo non videtur. Facit in eandem sententiam quod Pier. Valer. Hieroglyphicorum lib. 46. cap. 9. habet, ignem Vestalem, tanta Virginum Romanarum diligentia nutritum, sublimiorem diuiniorémque vitam præferre, quem propterea, & custodia & fomento iuuabant, quod superioris illius vitæ symbolum æternum videretur. Quod autem ab Alexandro nullam Vestæ effigiem, nullum simulacrum, in eius fano extitisse scribit, solius fani illius fortè rationem habuisse videtur, alias enim simulacrum illius efformatum refert Pierius Valerian. Hieroglyphicorum lib. 46. cap. 31. strongylari figura, hoc est, obrotunda & in acutum prominente, quæ circa medios humeros, ad æternitatis significationem, resideret: & Angelus Roccha noster in Bibliotheca Vaticana, ignem sedentis mulieris specie effigiatum tradit, quæ dextra igneas flammas gestaret, capillaturam haberet igneam, intra quam phœnix quæ per ignes innouari fertur, addita epigraphe *Procreationis expers.* Vestæ id signum fuit, quo ignis leuissima omnium elementorum natura, exprimebatur, generationis expers. Quanquam enim elementi huius ratio, non omnino infœcunda videatur, quod ipse se ignis pariat, & minutis scintillis, in magna crescat incendia, quemadmodum scripsit Plin. lib. 2. Natural. historiæ, cap. 107. asserit Herodotus, ignem, belluam auidissimam, inexplebilemque vocans, quæ quantò plura consumit, tantò fœcundius se parit, nullum tamen ex eo animantis genus nasci, nullum in eo viuere diu potest, neque quidquam aliud in eo stare, quod non tandem consumatur, vti ait noster Ægidius Roman. in 2. dist. 15. quæst. 1. art. 2.

Ex igne nihil nascitur.

Nec obstat quod Aristoteles tradit lib. 5. de histor. animalium c. 19. *In Cypro Insula, ærarijs fornacibus, vbi Chalcites lapis ingestus compluribus diebus crematur, bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ, paulò muscis grandioribus maiores, quæ per ignem saliunt atque ambulant, & cùm ab eo recesserint, emoriuntur.* Et confirmauit Plinius lib. 11. natural. histor. cap. 37. Nam cùm sustentandi, gignendique vis omnis, in calore, & humore, ab auctore Deo sit constituta, nisi ignis ardore, acrimoniamque admista humoris & frigoris materia temperarit, nec nasci quidpiam, nec cohærere potest, quin statim conflagratione intereat, quidquid esse cœperit, vti scribit Lactant. lib. 2. de origine erroris, cap. 9. & Aristoteles ipse ex propria sententia, qui suprà ex aliena est locutus, lib. 2. de generatione animalium cap. 3. pyraustas negat ex igne nasci, in igne ali, ait enim apud Angelum Roccham suprà. *Inest in semine omniũ, quod facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, idque non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum,* quam ob rem ignis nullum animal generat, vbi non ignem, neque ignis aliquam facultatem, cùm ex ea gigni animal nullum posse, sed vitalem in semine

calorem ad generationem omninò requirit.

Sed demus Plinio, alijsque id asserentibus, quemadmodùm & nos ex illis cap. 9. Pyrales in igne generari, nasci & viuere, tamè non aliunde quàm ex pinguiori flammarum fumo, ∫triatis in locis recepto, eiusmodi animantia coalescere, cogitandum est, quæ quod aliquamdiu rariorem flammam sustineant, in igne viuere creduntur, cùm reuera acrioribus flammis exurantur & intereant.

Neque etiam officit, quod ab aliquibus creditum est, Salamandram, suam in ignibus vitam sospitare, quod præter Aristotelem, scripsit Plinius lib. 10. cap. 67. Ælian. lib. 2. cap. 30. narrat D. Augustinus lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 4. Palam enim est, Salamandram, animal stellatum, lacerti figura, nunquam nisi magnis imbribus prouemiens, & serenitate deficiens, quemadmodum descripsit Viues in eum Diui Augustini locum, manifestum, inquam est, haud diu in igne viuere; verum igne dissolui, igne exuri sicut à Dioscoride lib. 2. cap. 52. Galeno lib. 3. de temperam. Diuo Tho. in 4. dist. 44. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 3. alijsque suprà cap. 9. proditum est: existimatam autem igni inexpugnabilem, quod rarum minusque aciem sustineat, suoque rigore extinguat.

16. Sed vt ad rationes custoditi ignis reuertamur, aliorsum, atque traditum est præterea vergit, ignis diuinitùs cõmissa Hebræis custodia. Lactant. lib. 2. de origine erroris, cap. 9. ex quo fonte Cælius Rodigin. lib. 15. antiquar. lect. cap. 75. auctor est, soli homini, quoniam cæleste atque immortale animal sit, ignem in immortalitatis argumentum, diuinitùs datum. *Nos enim quoniam cæleste atque immortale animal sumus*, inquit Lactant. *igne vtimur, qui nobis in argumentum immortalitatis datus est, quoniam ignis è cælo est: cuius natura, quia mobilis est, & sursum nititur, vitæ continet rationem. Cætera verò animalia quoniam tota sunt mortalia tantummodò aqua vtuntur, quod est elementum corporale atque terrenum: Cuius natura quia mobilis est ac deorsum vergens, figuram mortis ostendit. Ideò pecudes neque in cælum suspiciunt, neque religiones sentiunt, quoniam ab his vsus ignis alienus est.* Et in epitome diuinarum institutionum idem confirmat cum ait. *Cælesti elemento quod ignis est, homo solus vtitur: si enim lux per ignem, vita per lucem: apparet, eum qui ignis vsum habet non esse mortalem, quoniam id illi proximum, id familiare est, sine quo non potest nec lux, nec vita constare*: libro quoque 7. de diuino præmio, cap. 9 *Vt lux esse sine igne non potest, sic vita sine luce; ignis igitur elementum est lucis ac vitæ, vnde apparet hominem qui eo vtitur immortalem sortitum esse conditionem, quia illi familiare est quod facit vitam*: Quia enim Opifex Deus formato hominis corpore, spirauit ei animam de fonte spiritus sui qui est perennis, ne fulminata mortis sententia, cuius exemplum mox ante ora cerneret, viuere se & mori pecudum instar cogitaret, quarum animæ non ex Deo constantes, sed ex communi aere morte soluuntur, sed animam se sortitum igneam, immortalemque in mortali corpore & à Deo velut è cælo ortam intelligeret: præscripsit ignem, deditque in illius immortalitatis symbolum, vt quemadmodum cælestis ætherea que ignis natura sursum agitur, vitæque fons est, vitalibus infusis spiritibus, ita homines, de quibus meritò dixeris:

Ignis im mortalitatis argumentũ.

Igneus est ollis vigor, & cælestis origo.

Non aliò spectarent, quàm quò iugis illa mentis lux spectare sit instituta, non deorsum ad tenebras luci inimicas vergerent motu naturæ suæ contrario, atque ad terrenas corporeasque voluptates velut animantes cæteræ pronis in humũ corporibus sese abijcerent. Alioqui vindicem excubare Deum, ignea & flammea versatili machæra armatum, qui voracibus Iustitiæ suæ flammis, violatæ naturæ pœnas reposcat. Huc etiam à Noacho & Vesta optimis parentibus colli mature videtur, vt nimirum ignis suscepta religione, discerent eorum posteri, extinctis diluuio corporibus, non extingui flammam diuiniorem qua animantur, à verbo Dei accendente & illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum, at verò si ipsa corpus vicerit, fieri immortalem in luce immortali Sanctorum, sin autem victa sit ab illecebris corporis, non extingui quidem, sed æternis ignibus in tenebris immortalibus puniendam tradi.

17. Ignis autem in altari semper iussus viuere, non modò vt sacro igne, hoc sacris tantùm vsibus deputato, sacrificia incenderentur, verùm etiam vti sancta stirpe mortales sacris fidei nostræ mysterijs in antecessum initiati, fore aliquando sperarent, vt Dei spiritus è cælo tanquam ignis, in Ecclesiam Dei, inde non ampliùs concessurus, descenderet, atque nouo effectu, super mortalitatis nostræ aquas delatus, fumeam flammæ nostræ impuritatem excoqueret, atque etiam Christi assertoris meritò expurgatis, consumptisque peccatorum sordibus, nos ardentiori amoris igne inflammatos in futuram vitæ immortalitatem assumeret. Præterea vt pro se quisque excitatos in altari cordis diuini amoris ignes, subiectis lignis, hoc est secundum D. Gregorium lib. 15. moral. cap. 7. sanctorum exemplis, oratione atque meditatione quotidiana nutrire deceret, exemplo Dauidis, qui diuinarum rerum meditatione, tanquam fomite, igniculo cordis sui subiecto, totus ardebat, vt diceret psal. 38. *In meditatione mea exardescet ignis.* Neque frustra manè ligna sacris focis iussa sunt subijci, siquidem Græcis frequentissimi moris fuerit, manè cùm lumen inferretur, religionis causa dicere φῶς ἀγαθὸν, id est, *lumen bonum*: & nostri eodem argumento, *manè*, nuncuparunt, inquit Rodigin. quia, manum, veteribus bonum indicat: Manè igitur ligna igni dominico supponere, bonum: quia Deo tanquam rerum omnium principio, actionum nostrarum primordia dedicanda sunt, à quibus cætera diei opera vigorem consequantur. Quemadmodum enim manè vitæ nostræ, quo primùm diuini luminis face accendimur, & vita reliqua clarescit, velut arrha est luminis æternæ vitæ, ad quam ab auctore Deo disponimur: ita manè ipsum actionum nostrarum tanquam aurora prælux diei, pignus est energiæ ac virtutis earum, quæ pòst futuræ sunt actionum.

Psal. 38. Ligna focis sacris manè subijciebantur.

18. Magna igitur cura purè casteque fouendus est ignis cælicus diuini amoris, neque alius honorum, voluptatum, opum, admittendus in corde est, ne si eum extingui patimur, & alienum suscipimus, aut impurum agimus, vel ad flagra rapiamur, vel ipsis nostris deflagremus ignibus, aut æterna morte obruamur. Quod si asbestus lapis semel igni accensus, nunquam (vt ferunt) extinguitur, vt propterea clam illum in delubris succenderent dæmonum flamines, teste D. Augustino lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 6. ineruditaque plebi, tanquam Diuinitatis argumentum proponerent: nunquid ignem illum, qui Diuinitatis non inane symbolũ, in cordibus nostris ab æterna luce accenditur, emori turpiter finemus? Sed ne deficiat, fomentum & cibus in promptu est, iustitia, nempe & gratia, quibus nutritur & augescit. Ignem æthereum, astraque Phisici tradiderunt humore nutrici, inquit Macrob. in somnium Scipionis lib 2. cap. 10. asserentes ideò sub Zona cæli torrida, quem Zodiacus siue solis via occu-

Cælicus ignis, magnâ curâ fouendus.

occupauit, Oceanum à natura locatum, vt omnis ea cæli regio, quam cum reliquis planetis Sol vltrò citroque decurrit, habeat subiecti humoris alimoniam, quò spectasse Homerum ferunt, cùm finxit Iouem cum reliquis Dijs, id est stellis, profectum in Oceanum, Æthiopibus eum ad epulas inuitantibus, Iliad. α.

Ζεὺς γὰρ ἐπ' ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.
Iupiter enim in Oceanum ad incnipatos Æthiopas
Hesternus abijt ad conuiuium, Dij autem simul omnes
secuti sunt.

Qua sub nube poëtici figmenti hauriri de humore nutrimenta sideribus indicatur, Æthiopas verò diuinarum epularum esse participes, quod soli circa Oceani oram inhabitent. Ignis æthereus, & ex ignibus sempiternis est cuiusque nostrum anima, & ab Oceano Diuinitatis, humorem & alimoniam haurit, iustitiæ atque diuinæ gratiæ humorem, quo tenetur ad vitam. Non absimili de causa moris semper fuit lychnos lucentibus myxis in templis nostris collocari, è figulino vt plurimùm opere, vti testatur noster baptista à Glano, in Sabiniano I. Pontifice n. 3. Nonnunquam etiam ex ære, auro, argentóve, quod ad institutum nihil referre scribit Vigenerus in Philostratum; siquidem lychnus, terram significat, quæ reliquorum elementorũ sedes habitatioque est, aliúve liquor suomet notissima significato infunditur: oleum denique quòd aëris vicem gerit, quo affuso, ellychnium flammam nutrit. Hoc enim symbolo, omnia ex quatuor elementis à Deo constituta omnia ei seruire, significatur: verumque fidei lumen in sola Dei Ecclesia coruscare, in cuius rei typum, candelabrum aureum cum lucernis suis ante arcam fœderis stare iubetur Exodi cap. 40. & nostra mysteria etiam sole rutilante, quum sacris operamur, & euangelium legitur, luminaria accensa admittunt, non ad fugandas tenebras, quemadmodum rectè D. Hieronymus contra Vigilantium, verùm in lætitiæ signum; quemadmodũ in publico gaudio ignes excitari soliti, Principibus primùm in vrbē aduentantibus, olim lychnis ardentibus obuiam itum; aut etiam in Regum natalitijs, vel inaugurationibus, in fenestris ianuisque, teste Tertulliano, Iuuenali, Xiphilino, alijsque lucernæ prostitutæ: vti nimirum sub luminis corporalis typo, illa lux ostendatur: de qua psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Vtque etiam meminerint fideles, lychnos animorum suorum fidei lumine collustratos, operum bonorum & charitatis oleo fouere, vt luceant & ardeant, quẽadmodum de D. Ioanne Baptista legitur, *Erat lucerna lucens & ardens*; quamobrem Apostoli iubentur habere lucernas ardentes in manibus, virginumque parabolam proposuit Matth. 25. quarũ vnæ sponsi amore flagrantes, dum eum opperiũtur, interdiu, noctuque, conseruandæ lampadarũ suarum flammæ, sollicitam curam gesserunt, oleum namque, non modò in lampadibus suis foris habere studuerũt, sed etiam intus in vasis suis; quia per bona opera exteriora, bonitatis charitatísque testimonium apud homines consecutæ, non satis esse duxerunt, vt cum sponso intrarent ad nuptias, nisi etiam intus apud Deum rectæ conscientiæ testimoniũ haberent, dictantis quæcunque facerent, propter Deum super omnia dilectum esse facienda, adeò vt nullum aliũ actionum suarum finem, siue amãdi, timendi, sperandi, siue gaudendi, tristandique, quàm Deum, præscriptum haberent, vt propterea veniente sponso, peruigilis animorum suorum lychni merito, illi sociari, eum illo intra nuptiarum domum recipi meruerint. Aliæ verò, de interiori conscientiæ testimonio nihil sollicitæ, & si exteriùs, opera haberent, quæ sæculum probaret, earum tamẽ lampades, ad aduentum sponsi extinguebantur, quia vana sunt opera, & in tomum cum flamma abitura; quæ interno charitatis oleo destituta, quod illæ in vasis suis habere neglexerunt, ac quidquam prosunt ad vitam: vnde meritò clausa est illis ianua, & tanquam ignotæ, à nuptijs repudiatæ sunt, quæ in suis operibus sponsum ignorarint; Quia enim alieno igne lampades earum ardebant, etiamsi iam audito sponsi aduentu, ad requirendum in vasis suis oleum profectæ sint, atque ingresso sponso fores pulsarint, repulsam passæ sunt, non quod verè pœnitenti venia denegetur, sed quod operibus suis confidenti, atque ad extremum vsque, donec audiatur, *Ecce sponsus venit*, pœnitentiam differenti gratuitum Dei auxilium ad verè pœnitendum denegetur, quemadmodum de Esau D. Paul. ad Hebr. 12. testatur, qui non inuenit locũ pœnitentiæ, quanquam cum lacrymis quæsiuisset illam: dilata nãque ad extremum vsque pœnitentia, non est secura, imò neque veram esse fat superque hîc indicatur. Iam si habenti opera bona externa, si ignem fatuum lampadis suæ curanti, veræ pœnitentiæ & charitatis oleum, quando sponsus venit, negatur, quid dabitur, carenti oleo intus & extra? formidabile nimis periculum; quod vt euitemus, curandum est vt lampadibus nostris, perpetuo fomento, ignis charitatis ardeat, quo accensus Ierem. c. 20. *Factum est in corde meo quasi ignis*, quo incensus Christus assertor noster, in ara crucis sese hostiam pro nobis deuouit, vt nos incenderemur Isa. c. 53. *Verè languores nostros ipse tulit*, vel, vti ex Hebræo reddere possumus, *Verè languores nostros ipse combussit*, quia נשא *nesa*, non solùm significat *tulit, sustinuit, portauit*, sed etiam accipitur pro שרף *sarab*, quod est, comburere, & significat etiam indulgere, remittere; nimirum igne sui amoris accensus, languores, infirmitates nostras ipse combussit, benignè remisit, vt reciproco charitatis igne accensi, tantaque eius indulgentia prouocati, semper in eius amorem arderemus, ex illius amore, nosque ipsos in ara cordis nostri, voluntatesque nostras, in iuge holocaustum dedicaremus Deo.

Cur luminaria in mysterijs nostris adhibeantur?

Ps. 118.

Matth. 25.

Pœnitentia vsque ad extremum dilata non est secura.

Ier. 20.

Isaia 53.

Quidam hos numinis instar habent. 19.

QVanquam autem piè sanctèque à Noacho & Vesta, institutum sit ignem obseruare, atque à Deo Aaroni, eiusque posteris commissa iugis illius custodia: non defuere tamen, qui à stirpe sanctæ radicis auulsi, nouos sibi mores ac instituta pro arbitrio, condidere, ignemque quẽ seruandum acceperant, colendum suscepere, & inprimis Nemrod Filius Chus, Chani nepos, ignem diuinitate & cultu consecrauit, & à sibi subditis, quos seruitute constrixerat, coleretur facilè impetrauit, quemadmodum cap. 102. retulimus. Chaldæos, Persasque eadem superstitione inuoluit, quamuis Tostatus in cap. 24. Gen. quæst. 13. dicat, Auenereth Chaldeis auctorem fuisse ignis colendi, & Pier. Valer. hieroglyph. lib. 46. cap. 38. ignis tanquam diuini reliquias, quo Nesram filius Cam, qui & Zoroaster post est appellatus, è cælo tactus conflagrauit, à quodam susceptas ad Persas vt perpetuis excubijs seruaretur, esse delatas, hincque apud eos ignis colendi sumptũ exordium ferunt Misraim, magiã à Patre instructum, scintillas ex astris ducere, aliaq; vulgò mira facere, per quę sibi diuinitatem arrogarit, tandẽ fulmine

Ignis à multis adoratus.

raptum, & tanquam viuens astrum (vnde illi nomen Zoroaster) cælo illatum fuisse ab imperitis creditum. Vtcunque ista sint Nemrod primùm igni diuinos honores tribuisse, creditus est, siue elementi illius perculsus formidine; cùm futuram per ignem rerum omnium vastitatem intellexisset, ne sibi noceret, hac ratione demereri voluerit, quemadmodum à Medis Assyrijsque, inquit Cæl. Rodigin. lect. antiquar. lib. 15. barbarici honores ignis elemento contributi, non religione vtique, sed formidine verius nocentissimæ, omniaque absumentis rei: siue quia ignis elementorum sit perfectissimus; fons luminis, artium magister, à quo multa in genus humanum beneficia deriuentur, id quod magis arridet Abulensi, Gen. 11. quæst. 18. Etenim vt D. August. inquit lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 4. *Quid est igne flammante, vigente, atque lucente pulchrius? quid calefaciente, curante, coquente vtilius: quamuis eo nihil sit vrente ardentius?* Et Diuus Chrysostomus homil. 74. ad popul. *Quid autem ignis natura? nonne immensis vtilior thesauris, & humanis omnibus diuitijs?* Eruttum quoque dicere solitum accepimus, inquit Rodig. lib. 27. lectionum antiquarum cap. 24 ignem videri bellariorum omnium iucundissimum. Ita enim in constituendis Dijs veteres sese habuerunt, vt vel eos à quibus plurima vitæ commoda hausissent, diuino cultu & nomine honorarent, sicut dicit Aristoteles 3. Politic. Varro in lib. sacrorum, Diuus August. lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 8. & alij, quemadmodum Ægyptij aquam, pro Deo venerati sunt, quia Nili affluxu potissimùm irrigantur: vel à quibus damna metuerunt, veluti Tullus Hostilius, Febrem, Pallorem, Timorem dedicauit, auctor Liuius lib. 1. decad. 1. Persæ verò sacra ignis à Nemrod sibi tradita, tanta veneratione susceperunt, vt magni numinis instar, argenteis altaribus impositum, quacunque Rex exercitum moueret, præferrent, inquit Pier. Valer. hieroglyphicor. lib. 46. cap. 38. accedit Maximus Syrius, *Persæ Diarium ignem adorant, nimirum Diuinitatis signum, insatiabilem voracem.* Ab Alexandro quoque lib. 5. Genial. cap. 12. confirmat Persas habere ignem peruigilem, sicut Chaldæi, Medi & Assyrij, vt Deorum maximum, illique velut sacro numini hostias mactare, & sacra facere, atque ex illo euenta rerum interpretare: hanc autem esse sacrificantium vocem, cùm alimenta præberent, *ede ignis Domine*, scribit Rodiginus, additque ex Plutarcho, quod attonitæ propemodum venerationis est, grauissimum apud eos supplicandi morem fuisse, cùm quis apprehenso manu igne supplex interminabatur, eum se in aquā missurum, si voto excidisset, neque fas esse eum qui sic preces allegasset, reijcere; quanquam post vt imprudentiæ nonnullorum modus imponeretur, neque vlla violandi ignis occasio permitteretur, ita supplicanti, pœna capitis sit decreta. Et vt omittam Diuum Chrysostomum qui homilia 4. ad pop. Persas istius idolomaniæ tenacissimos scribit, à quibus ignis Deus putatur & colitur. Petrus Teixera lib. 1. de Regib. Persarum, cap. 1. Gentiles Persidis Solem & ignem etiam nunc venerari commemorat, quem ab annis ter mille quingentis, inextinctum, in colle quodam qui albors Kugh, id est, Collis ignis, siue atex quedah, id est, domus ignis appellatur, sese conseruasse gloriantur. Est ignis ille magno hominum concursu & veneratione celebris, adeò vt optatum sit eo in colle mori, quare senes è dissitis locis eò se transferri curant, quasi in conspectu Dei sui animam efflaturi, spe concepta indulgentiarum, gratiarumque, quas ibi mortem obeundo, se consecuturos sperant. Transferuntur itaque magna contentione silicernia, atque in cauernis ita comparatis vt stare valeant inedia, extingui permittuntur, arescunt autem ibi ventis vehementioribus, & durant annis multis incorrupti, eosque oblatis herbis, floribusque odoriferis tanquam sancti sint, qui sic moriuntur, eò aduentantes venerantur, alioqui suspectam habent eorum salutem, qui ante senium, diem obeunt extremum, de qua vt certiores fiant, defuncti cadauer, inuncta facie & oculis, iumento, quasi equitaret, alligant, atque per apertum impulso in cursum iumento, obseruant, dextrúmne an sinistrum oculum corui qui ibi quamplurimi inuadant, qui si dextrum inuolarint, benè ominantur, secus, si in sinistrum.

Neque tanquam inanime quidpiam, multi ignem in Deum sibi constituerunt, sed & viuere, & sensu vti putauerunt, testis Diuus Augustinus lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. 5. *Stoici*, inquit, *ignem, id est, corpus vnum ex his quatuor elementis, quibus visibilis hic mundus constat & viuentem & sapientem, & ipsius mundi fabricatorem, atque omnium quæ sunt in eo cumque omninò ignem Deum esse putauerunt.* Et Zeno Princeps illorum, naturam, quam eandem Deum putauit, sic finit, ignem artificiosum ad gignendum progredientem via. Animal quoque à multis existimatum tradit Pier. Valer. lib. hieroglyphic. 46. cap. 14. Ægyptij belluam animatam ferunt, apud quos defunctorum cadauera igni tradere, nisi fortè ignominiæ caussa, nefas, ne belluis deuoranda committere videantur. Herodotus belluam auidissimam, inexplebilemque vocat, quæ quantò plura consumit, tantò fœcundiùs se parit. Ignis dum existit perpetuò vorat, & pabulo deficiente, se solo morte naturali extinguitur, violenta verò si aqua adobruatur, cui reluctantiùs resistit, & tanquam vitalis principij expers, inclamat, excandescitque, inquit Pier. Valerianus.

Imò non defuere qui ignem loqui rudioribus imponerent, narrat Socrates Ecclesiasticæ historiæ lib. 7. cap. 8. totidem verbis. Persæ ignem pro Deo colunt, & Rex quidem ipse, ignem perpetuò ardentem in domo quadam venerari solet. Metuentes Magi ne rex Maruthæ Episcopi Mesopotamiæ suasu, Christi fidem reciperet, quem & in honore habebat, & libenter audiebat, fallaciam qua Regem ludificentur excogitant, subter terram hominem abdunt, qui quo tempore Rex vota faceret, hac personaret voce, Regem è regno exturbandum esse, impiè enim propterea agere, quod Sacerdotem Christianorum diuinum existimabat. Isigerdes rex fraude detecta, doctusque à Marutha ignem non loqui, decimum quemque Magorum occidi iussit. Recentius est quod Petrus Teixera regum Persarum originis lib. 1. cap. 34. scribit Mesdahe quendam ex partibus Sthahar, nouæ sectæ auctorem ignis cultum nouis auxisse commentis. Inter cætera fingebat sibi esse cum igne colloquium, multa sublimia se eius reuelatione discere, quæ vulgo facile in fidem adducto, obtrudebat. Bonorum, vxorum, filiorúmve communitatem permittebat; nullum viuentium prorsus occidentium decernebat, his & similibus multos sibi libertatis amantes conciliauit; Regemque ipsum Hobad, qui virum vt sanctum venerabatur, institutum, eiusque instituti sectatores laudabat. Sed enim regni proceres, cùm Regem monuissent, vt abiurata impostoris secta illum aut occideret, aut ablegaret, nec obtemperaret alio in Regem subrogato, vinculis addixerunt.

Ita igitur erratum est ab illis, qui particularibus

bus suis intenti commodis & proprijs solùm addicti studijs, mutam creaturam pro creatore, nouis indutam figmentis, quasi vocalis esset, atque sacratioris, quàm videbatur naturæ, populo facilè mobili, Principibusque aut timore, aut timore, aut cupiditate victis, pro Numine habendam & colendam obtruserunt; nullam inter rei symbolum & rem ipsam, nullam inter vestigium auctoris & ipsum auctorem statuentes differentiam, cùm potiùs ignem, non diuinum quid esse, sed significare tantum, intellexisse debuerint, quomodo nos Deum ignis nomine compellamus, à vi quâ pollet ignis, quasi viuifica calefaciendi, illuminādi, purificādi, accendendi, vrendi, molliendi, indurandi, ardendi, consumendi exterminandique: quemadmodum suo calore viuificans omnia Deus, illuminat mentem, purificat corda, & suo accendit amore, vrit renes, animos rigidos emollit, reluctantes gratiæ suæ indurat, ardet impios furore, consumit atque exterminat. Propterèaque per vestigium illud tuum, ascendimus ad te ô Deus, & coram te prostrati oramus ô ignis qui semper ardes & nunquam extingueris, ignis sempiterne, qui beatos tuos lætificas, & reprobos crucias, ignis viuifice qui semper ardes & nunquam tepescis, ignis consumens, non modò animorum nostrorum sordes & peccata, verùm etiam calamitates, molestias, labores, ærumnas, & aspera omnia quæ patiuntur electi tui, ne illos tangant, ne illis noceant, ignis qui mortem velut aquam, quâ obruebamur absorbes in victoria tua: ignis perficiens & complens omnia, ignis conflans, ignis magister formans & reformans vasa cordium, accende nos, & accendemur, accēde nos flamma amoris tui, ad cuius præsentiā liquefiat anima nostra in te, vt totis medullis cordis nostri te totum diligamus, te solum in amore nostro nouerimus, minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat.

Hactenus de primarijs apud Hebræos Dei nominibus, quibus supereminens, ac tremenda Numinis maiestas, in sacris voluminibus describi solet, quorum tamen nullum in toto Canticorum libro reperias, cur hoc? Respondet Sixtus Senensis, bibliothecæ sacræ lib. 8. cap. 8. Cœlestem sponsum his abstinuisse nominibus: quia enim mysticam sponsam, sponsi sui suauissima oscula, atque castissima auidè expectantem, atque ex dilato, quo in dilectum ferebatur desiderio, tabescentem, consolari volebat, abstinuit à diuinorum nominum appellatione ipso penè sono formidabili, El, Adonai, Saddai, Iehoua, Sabaoth, &c. Vt nouis, gratioribusque æstuantem sponsæ animam demulceret, vnde seipsum, non iam Dominum, sed fratrem, amicum, dilectum, sponsum vocat. non omnipotentem, sed pacificum atque pastorem: non fortem ac robustum, sed vulneratum & saucium: non ineffabilem, sed vnguentum effusum, fasciculum myrrhæ, botrum cyprium, hinnulum ceruinum, electum ex millibus, omnium pulcherrimum, totum desiderabilem & amabilem, quemadmodum vicissim sponsam, non sicut olim, terram Israël, filium Sion, terram Iuda, ancillam, & seruam appellare consueuerat: sed sororem, sponsam, amicam, columbam, dilectam, vnicam, mulierum pulcherrimam vocat. Ex quibus certè appellationibus manifestum fit, quantum verbi incarnati beneficio, interfit inter legem & gratiam: siquidem per assumptæ carnis conditionem, frater noster est, animarumque nostrarum sponsus, per gratiam nosque vicissim fratres illius facti sumus & Filij Dei, non serui, sed hæredes Dei cohæredes Christi.

Et hæc quidem omnia, superintelligibilis illius mundi ornamenta sunt, vbi Oceanus inaccessæ profunditatis, diuitas. Vbi terra ferax stirpium, florumque amœnitate decora, essentia diuina inexplicabili attributorum vernans decore, vbi ignis sempiternus, splendore rutilans inaccessibili, purus amor, mundi dimensitatis incolas exhilarans atque ferruminans: vbi aër spirans suauissimè, Spiritus Dei, incomprehensibilis suauitatis afflatu, personarum recreans trinitatem: vbi diuinitatis indigenarum cibus, essentiæ diuinæ comprehensio, potus, inexhaustæ bonitatis fontium iugiter manantium contemplatio: Musica, trium personarum in vna eademque essentia concentus inenarrabilis: vbi immensitas continens omnia, & nusquam contenta, Deus: vbi æternitas immensurabilis interminata Deus, cui Honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM HVIVS LIBRI.

Cap.

Cap.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ

Qui in hoc opere explicantur & illustrantur.

Primus numerus caput indicabit, secundus numerum: vbi verò fuerint tres numeri secundus paragraphum, tertius numerum indicabit.

INDEX RERVM MEMORABILIVM quæ in hoc Opere continentur.

A.

D.

Immor-

O.

P.

Pœna

fructus

FINIS.

AD LECTOREM.

Beneuole Lector, in hoc opere occurrent errata, quorum leiuſcula prætermiſimus, ſequentia annotauimus.

Paginam primus numerus, ſecundus columnam, tertius lineam indicabit.

Præſeferant 1.2. 54. adinuentionibus ib.l.58. placitis 7.2.21. vtrum ib. l. 31. nullius 8.2.20. Mariam ib.l.52. intellectili 9.2.5. tua 12. 1.70. vtrum 12.2.42. an 14.2. l. vlt. quia 15.1.28. vtrum. ib. l.55. vel in 16.1. 47. non ad primum 16. 2. 18. Atticarum 18.2.28. cognoſcunt 20. 1.55. anima 22.1.l. antepenul. Deum 22.2.l.5. à fine. cui 25.1. 7. è nube 26.1.34. ille 27.1.13. fontes 28. 2. 45. ſimilis 29.2.6. fecere 31.1.l.5. à fine. luna 33.2. 15. paleas 33. 2.53. vnici 34. 2. 7. cottum 35. 1.63. ille ib. l.6.c 2. adde l. 44. prætercam poſſumus 36. 1. 47. toroſi 36. 2. 49. informamur 38. 2.46. diſpicere 53. 2. 54. ſciſcitaretur 54. 2. 4. permittere ib. l.41. fucus 57.1.40. ad melius 67. 2. 3. conuenientia 74. 1 47. eius 84. 1. 29. viuo 86. 2.44. ſuſpice 90. 1.21. abutentes 95 1. 25. is 101. 1. 21. procliuius 103. 1. 48. temeritas 106.1.6. deſtitiſſe 107. 2. 2. ſummum 110. 1. 64 impolitis 114. 2.7. quod 117. 2.4. voluntarium 120. 2.22. meque 138.2. 40. fana 144. 2. 26. quà ib. l. 42. fides 145. 2. 19. ſuſurra 151. 1. 19. meritoriè 151. 2. 34. excitabo 155.1. 69. imaginis 155. 2. l. penul. tabrefactæ 157.2.65. dimoueant 158.2.67. hanc 161. 2. 39. Ioanne 162. 1. 39. Apoſtolo 164. 1.57. experte 166. 1. 8. animus ib. l.32. vaſis 171. 1. 49. deuorans 173. 2. 39. ergo 177. 2. 55. Eccleſiaſtæ 178. 2. 70. diſcordiæ 184. 1. l. antepenul. vel ante 184. 2.38. accenderent 186.1.50. luſtrandas 187. 1. 48. multi 190.1.58. iuſtos 193 2. 52. fluxionis 196. 1.14. dolebat 200. 1. 13. arbitrium 207. 1 41. ad filium 207. 2. 61. minus 211. 2. 60. celeritate 212. 2. 4. efformandi 213. 2. 6. petaris 214. 2.66. vota 217.1.42. actum 218.2.15. petitionem 218.2 62. legere 223. 1. 63. decentium 226. 2. 14. mane ib. l. 32 eluctetur 227. 1. 31. vt 227.2. 6. in penetralibus 228. 1. 25. in eum 228. 2. 31. temulentia 229. 1. 15 generat in 232 2.33. præceptis 234. 2.10 conſilia 248. 2.2. fulcit 249.2 72. aliarum 256. 1. 21. euerſæ ib. l. 34. voluntates 264. 1. 64. duæ 266. 1. 38. lignum 270. 2. 54. perenni 271.2. 45. coquinarias 276.1.23. vinum 277.1. 20. iniuſtus 286.1.21. nimiam 287. 1. 15. affectu 291 1. 56. neſciueris 291. 2. 46. fornicatur 297. 2. 24. rogare 301. c 1. l. antepenul. inolitum 302 2.2. minutiſſima 303. 1. 42. redeas 304. 1. 10. naturæ 310. 1. 60. erexerunt 317. 2. 51. rurſus 319. 1.18. quæ 325. 2. 10. nemoribus 330. 2. l.penul. interimatque 333. 1.19. inuitat 334. 1. l. antepenul. agitare 335. 1. 6. fugatuſque 336 2. 61. armaque 338. 2.18. repulis 339.1 8. ſtabilita 341.2.14. repelluntur ib. l. 71. ilia 344. 2. 39. interimat 345. 2. 3. primatum 348.1.50. inimicatur 349.2.51. illum 351.1.51. attentat. 360.1.28. quos 360. 2. 4 potestatum 363.2.24. potes 364. 1. 13. vitium 364.2.l.vlt. operum 371. 2. 60. argumento 375.1.71. num ſcorta 377. 1 42. pabulum 378. 2. 43. cutem ib. l.50. liberos 381.1.40. intemerata 381.2.2. ſeminij 384.1.39. grauitate 384.2.69. faſtus 389. 1.32. pollui ib. l. 43. adulterum ib. l. 66. offeret 390. 2. 7. imperio ib. l. 13. auctus 396. 1. 48. media 396.2. 50. quos 397. c.2.l.antepenul. formis 402. 1.41. cum 414.2.26. promptum 415.2.41. vt 416.1.7. non 420.2.56. iniquis 421.1.25. cladium 424.1.l.11.& 21. aduri ib,l.62. quadam 427.2.51. vmbróſis 428. 1.50. quod 431.2.l.vlt. numerorum 436. 2. 43. iſte ib.l.vlt. ordinat 437.1.11. habetur 437. 2.62. noſti 440.1.22. idololatra 446.1.28. interit 452.2.25. inunctam 457.2.l.vlt. indecoris 448.1.66. coli 449.2.7. diſtinctè 462.1.40. afflati ib.l.44. vt 462.c.2.l.41. coxua 463.1.37. Hebræis ib.l.61. ſuos 470 2.31. ſecuti 471 1.11. ferij 471.2.15. niſi 472. 2.43. ſua ib. l. 65. perfecto 472. 1. 14. reddamur 475.2. 19. potillemur 476.1.12. delent 478.1 43. exportato 481. 1.71. autem 482.2.40. ſentiant 483.1.30. vita 486. 2. 65. neque 487. 2.50. mauult 488. 2.8. largitorem ib.l.37. augetur ib.l.50. timorem ib. l 57. ſupplicij 487. 1. 7. dito 494.2.l.penul. malum 495.2.42. laxans 511.1.40. videbantur 505.1.10. ſuperiaceret 506.1.68. præciſam ib.l. 69. clauis 507.2.11. adminiſtros 510.1.18. flammæ ib.l.58. proin 51.1 70. diuinitas 525. 2.31.